


P. IO. BAPT.

DE LEZANA

ANNALES

SACRI, PROPHETICI, ET ELIANI ORDINIS BEATISS. VIRG. MARIAE DE MONTE CARMELI.

TOMVS QVARTVS.



ANNALES SACRI, PROPHETICI, ET ELIANI ORDINIS BEATISS. VIRG. MARIAE DE MONTE CARMELI,

POST CHRISTI SERVATORIS EVANGELIVM, POST Ascetas, Therapeutas, Essenos, Monachos, Anachoretas, & Eremitas, in Carmelo, Syria, Ægypto, & alijs Orbis Christiani locis propagati.

Notabiliores quoque euentus mundiales compendio recensentes.

TOMVS QVARTVS,

Totam Mendicantis Carmeli Historiam à tempore B. Bertholdi, vsque ad ortum Sanctæ Theresiæ recensentes.

Ex Sacris, prophanis, exteris, & domesticis Authoribus, & Historijs.

PER P. M. IOANN. BAPTISTAM DE LEZANA CARMELITAM Matritensem, SS. Congregat. Rituum, & Indicis Consultorem, Beneficiorum Examinatorem, & in Sapientiæ Archigymnasio Rom. publicum Lectorem.








ROMAE,
Typis Iacobi Phæi Romani Andreæ filij. M.DC.LVI.

SVPERIORVM PERMISSV.






PROTESTATIO AVCTORIS

Iuxta Decreta fœl. record. Vrbani VIII. in principio Libri, in quo agitur de Vitis, & gestis Sanctorum, apponenda.

CVm Sanct. mem. Urbanus Papa Octauus die 13. Martij anno 1625. in Sac. Congregatione S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrarunt, gesta, & miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati, absolute, & quæ cadunt super personam, bene tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantum penes auctorem, Huic decreto, eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia, & reuerentia, quæ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quicquid hoc Quarto Tomo refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina, Catholicę Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.




R E L A T I O

Ad, R.P. Mag. Caroli Borromei Prouincialis Hiberniæ, & in Dominio Florentino SS. Inquisitionis Consultoris, ad Reuerendiss. Patrem Magistrum Marium Venturinum Sacri Carmelitici Ordinis Generalem, pro imprimendo Quarto Tomo Annalium suæ Religionis, ab Admod. Reuer. Pat. Mag. Ioanne Baptista de Lezana *Terræ Sanctæ Prouinciali, Hispano Matritensi, eiusdem Ordinis, SS. Congregationum Rituum, & Indicis Consultore, Sapientiæ Romanæ publico Lectore, ac Beneficiorum Examinatore.*

FAmam in tot, tantisque Codicibus prædicti benemeriti Doctoris publicandis iam defatigatam, vt sine censore, & reuisore Quartus iste Tomus Annalium Sacrorum Reuerendissimam Paternitatem Vestram persuasam habere credideram, quando à Religiosi Statuti obseruantia, integritatem Vestram dimoueri non posse cognoui, & me reluctantem censorem, & reuisorem dare, intellexi. Annalia ista, solo tanti Auctoris nomine referta, à me videnda, & reuidenda esse reor, non tamen censuranda. Cum enim vniuersus Orbis tam magna, & diuersa Volumina prædicti Adm. Reu. Pat. curiosius lustrando, Momum, qui opponeret, non habuit, quomodo manentem hoc in vno Codice, veluti apice in summo, virtutum omnium vniuersitatem, censurabit admiratus? notabit beneuolus? offendet deuotus? Visorem ergo, & reuisorem, Reuerendissime Præsul, & quidem amantissimum, non tamen zelotipia aut inuidia detentum, qui primus venustate opis tantæ captus, cœteris aspectum prohibere contenderet, destinasti: imò cupidum; cum sint ista Annalia Religioni vtilia, quippe, quæ veri testes temporum, fidi consiliarij euentus, optimi nuncij veritatis, solertes Magistri vitæ, homines ad virtutes impellant, deterreant à vitijs. Omnium ergo in conspectu prodire, & Typis mandari iudico, oro, desidero, deposco: vt ex omnium subsecutura approbatione noscatur, qua admirabili virtute sit captus, & officiosa deuotione author detentus.

Fr. Carolus Borromeus Prouincialis Hyberniæ, &c.



F. MARIVS

F. MARIVS VENTVRINVS
SENENSIS SAC. THEOL. MAGISTER, ac humilis Prior Generalis Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli.

LIber, qui inſcribitur Tomus Quartus Annalium Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, compoſitus à Reuer. Admod. Pat. Magiſtro Ioanne Baptiſta de Lezana, & ab aliquot Noſtris Theologis recognitus, & probatus, ſolaque Authoris ſui pietate, ac doctrina, ſatis, ſuperque commendatus, vt Typis mandari poſsit, ad Ordinis Noſtri illuſtrationem, facultatem concedimus, ſi ita videbitur cœteris, ad quos ſpectat. In cuius rei fidem, has litteras, manu noſtra ſubſcriptas, & Officij Noſtri Sigillo munitas damus Romæ die tertia Ianuarij M.DC.LV.

Fr. Marius Venturinus Generalis Carmelit.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Gauinus Cattayna Prior Tranſpontinæ, & Secretarius.



Imprimatur.







Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

M. Anania Episc. Sutrinus, & Nepesinus Vicesgerens.



Imprimatur. Fr. Raimundus Cap succus Ordinis Prædicatorum, Sacri, & Apostolici Palatij Magister.







EMINENTISS. PRINCIPI ET REVERENDISS. DOM. D. FLAVIO CHISIO S. R. E. CARDINALI AMPLISS.mo SANCTISS. D. N. ALEXANDRI SEPTIMI EX FRATRE NEPOTI.

FR. IO. BAPT. DE LEZANA CARMELITA supplex dicat, & consecrat.



AVSTO omine sit, Eminentissime Princeps, quod Tibi nunc primum ad Purpuratorum PP. Collegium euocato, litteraria hæc monumenta Carmelitici, & vetustissimi Ordinis historiam complectentia, nuper e prælo visa, nuncupare mihi licuerit. Aptè etiam: qui enim sanctissimo Christiani Orbis Hierarchæ Patruo tuo Alexandro tertium

 eius

eius historiæ volumen sacrauerim, Tibi, tantæ virtutis, & probitatis asseclæ quartum offerre obstrictus eram. Gratulabundus igitur accessērim, non tam ob celsissimæ Dignitatis culmen adeptum, quam quod Vrbi, & Orbi Beatitas illa iam nunc obueniet, quam Plato ille *diuinus* cognominatus publicis rebus augurari solitus erat, ad quarum clauum vel sapientes viri, vel sapientiæ studiosi ascenderent. Enimuero locus, quem tenes, Saccerimus, nactus in Te est, quod ambibat, tenuit quod desiderabat. Fallacem subinde reperit quorumdam de naturæ genio hominum male meritorum mentem, qui adolescentiam præclarissimum ætatum florem incusantes, eam virtutis, indigam, vitij prodigam, flosculis si quando gemmantem, non fructibus vernantem effinxerunt. Tua enim iuuentus, antiquorum tempora meritis præueniens, voluptatum illecebris pessumdatis, virtutibus fœliciter adoleuit. Testes adsunt integerrimi Excellentissimi tui Parentes, quorum oculis semper adfuisti. Testes & theses applausu celeberrimo nuper Senis à Te pro vtriusque Iuris laurea coronando propugnatæ; quæ quantum bonarum litterarum studio, earum maximè, quæ ad ipsius Iuris prudentiam spectant, adlaboraueris, fidem astruunt. Hinc meritis in Te festinantibus festinans etiam Cardinalitia purpura præripuit, vt qui maturus eras virtute præmijs quoq; maturesceres. Sed quid ni? cũ ea inclyta ex familia prognatus sis, quæ viros sanctitate egregios, litteris, & rerum domique, forisque gestarum gloria claros Orbi edere bene nouit. Taceo vnum Ioannem Chisium Augustinianũ vitæ sanctimonia celebrẽ: Sigismundum Chisium, qui à Iulio II. Summo Ecclesiæ Antistite in gentem Rouercam cooptari meruit: Augustinum quoque, sacelli, quod Romæ extat ad

S. Ma-

S. Mariam de Populo situm, illustrem & magnificũ fundatorem. Alios recenseat qui possit, si possit. Vnum ego Sanctissimum D. N. Alexandrum VII. breui; etsi tremulo calamo perstringam, nę tanti Pontificis summam modestiam lędere videar, cuius placidissima frons semper mihi gratissima extitit. Ciceronis ergo illud in Cæsaris laudem, quod celebrat D. Augustinus 9. de Ciuit. c. 5. illi concinam: *Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Hæc enim fuit, quę Sueticam Reginam excipiẽs, ex Christina Catholicè Christianam reddidit; quæ caritatem Vrbi imminentem auertit; luem grassantem compescuit, & cunctis comitatem, beneficentiam, & munificentiam præmonstrauit. Sed ad Te, Cardinalis amplissime, redeo, qui tuo sanctissimo per litteras, quas vidi, Patruo consulente, *Philotheam* deuotissimi, & pijssimi Francisci Sales Geneuensis Antistitis, legisti: ea namq; sic virtutũ semina iacere potuit, vt & progerminare etiam generalem illam virtutem, *deuotionem* appellatam, quæ cunctas amplexa, totum hominem Deo deuouet, & Reipublicæ Christianæ gerendæ aptissimum reddit. Talis, Tibi, vt auguror, Deo flante, inter Purpuratos Orbis Cardines eris, Pontificis nẽpe illius, cui nõ magis dignitatis celsitudo, quam gesta ipsa Maximi nomen tribuerunt, consors effectus. Iure igitur ad Te lucubrationes istæ veniũt, à me quidem elaboratæ, sed tanto Patrono, totius meæ Religionis, eiusque Reuerendissimi Præsulis Marij Venturini Senensis Tibi deditissimi nomine, iussuque oblatæ: eo gratiores, vt autumo, quod in illis nonnulla de tua inclyta Senarum Patria, vetustissimo nempe, *vt pote supra 800.* annos, Cœnobio Carmelitano in ea sito, & viris sanctitate illustribus, Franco, & Francisco, qui in ipso floruerunt, exarata extant. Suscipe ergo beni-

gnitate

gnitate qua ſoles, & ſimul offerentis animum, vt tui nominis ſplendore Orbi clareſcant: dum continuis precibus indignus ſeruus diuinam vrgeo munificentiam, vt Tibi vtramque depluat fœlicitatem. faue, & foue; viue, & vale.



PROTE-



ANNALES CARMELITARVM

Notabiliores quoque Orbis totius euentus Compendio recensentes.

TOMVS QVARTVS.

A Reformatione eiusdem Ordinis sub B. Bertholdo primo Generali Latinorum anno 1141. facta, vsque ad S. Teresię Virginis tempus, historiam amplectens.



De quarto statu Carmelitarum Ordinis, & reformatione ipsius sub Beato Bertholdo.





IN octo veluti Status, & ætates, totum Carmelitici, & Eliani Instituti cursum Primo Tomo Annalium nostrorum dissecandum diximus: Ex quibus, primus, qui à prothoparente ipsius magno Elia Propheta ad Christum vsque Saluatorem, qui rerum omnium plenitudo fuit, protenditur, eodem primo Tomo discussus mansit. Secundus, qui à Christo, & Ioanne Baptista vsque ad alium Ioannem Hierosolymitanum Antistitem, huius Ordinis egregium propagatorem, numeratur, Tomo secundo elucidatus Statuum Ord. diuisio

fuit. In tertio autem tertius eiusdem Religionis status, qui inter istum Patrem, & B. Bertholdum primum ex Latinis Generalem Priorem interiacet, à nobis examinatur. Restat igitur vt de alijs statibus Ordinis in hoc quarto Tomo disseramus. Quia ergo in quarto, quinto, sexto, & septimo tota Religio non ita valde notabilem mutationem sensit, sicut in octauo, in quo noua Ordinis, ipsaque celeberrima, Reformatio sub Sancta Virgine, & Matre nostra Teresia excitata est, idcirco octaui status gesta ad quintum Annalium Tomum referentes, in hoc quarto de quatuor alijs Ordinis statibus simul sermo noster erit. De quarto videlicet, qui Reformationem sub B. Bertholdo factam vidit; de quinto, qui Regulam datam à Beato Alberto Ierosolymorum Patriarcha continet; de sexto, qui eiusdem Regulæ correctionem, & aliqualem mitigationem sub Innocentio Quarto Summo Pontifice amplectitur; ac denique de septimo, in quo sub mitigatione Regulæ ab Eugenio Quarto Papa Ordo viguit. Ac primo de quarto statu à B. Bertholdo, vt diximus, auspicato.

De quarto statu Ordinis, & ipsius reformatione sub Beato Bertholdo.

Ann. Christi *1141*, Innocentij 2. Roman Pontif. *12*. Conradi Regis Roman. *3*. Ioann. Comnen. Imper. Orient. *22*. B. Bertholdi General. 1.

Eliæ ætas. 1 ERat hic annus Eliæ Patriarchæ nostri vitæ bis Millesimus cêtesimus & vnus. Cum enim, iuxta computum nostrum, de quo Tom 1. Annalium dicimus ætatis triginta annorum esset cum primum Achabo Regi minas siccitatis futuræ indicens 3. Reg. 17. apparuit, & ab eo tempore vsque ad Christum nongenti triginta anni, vt eodem loco discussimus, numerentur, si illis addantur 1141. huius temporis, ea ætate 2101. longæuum fuisse hoc anno comprobatur.

Innocent. 2. Papæ. 2 Erat quoq; vt notauimus, Innocentij Secundi annus duodecimus. Et sanè, si vel ipsum nomen Innocentij perscrutemur, aliquam Ordinis nostri in melius mutationem indicabat: cum constet ex dicendis infra sub alijs eiusdem nominis Pontificibus alias quoque notabiles eidem accidisse. Sub Innocentio nempe Tertio Regulam ab Alberto Patriarcha recipiendo; & ipsius declarationem, & correctionem sub Innocentio Quarto; sicut & modo innouationem, & restitutionem sub Innocentio Secundo. Quo haud obscure denotatur Ordinis Regularis restaurationem, seu reformationem cum vitæ innocentia, quæ per Innocentij nomen innuitur, magnam affinitatem habere, vt propterea eo nomine denotetur.

Italiæ status. 3 Hoc igitur anno, quo Italiæ Ciuitates adinuicem cõfligebant (Lucenses enim contra Pisanos; Patauini in Veronenses; Mediolanenses in Comenses;

mensesꝰ Tiburtini in Romanos bella gerebant) Deo inspirante, Carmeli Ordo, ab Aymerico Antiochiæ Patriarcha, restauratur, reformatur, & ad meliorem vitæ Religiosæ formam obseruandam promouetur.

4 Porro hoc anno hanc Ordinis mutationẽ, de qua loquimur, contigisse, Aymerico Patriarcha Antiocheno Sedis Apostolicæ Legato B. Bertholdum in primum ex Latinis Generalem creante, sub eius obedientia Carmeli Montis Eremitas subijciente, aliaque faciente, quæ inferius explicabimus, constantior veritas est. Quam tradit Honuphrius Panuin. *in Chron. Ecclesiast. sub hoc anno*, author sanè grauissimus, de historica veritate optimè meritus, ac in antiquitatis dilucidandæ studio, & diligentia nulli secundus; cuius hæc sunt verba: *Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico Malefaida Lemouicensi Patriarcha Antiocheno, & Apostolicæ Sedis transmare Legato in Monte Suriæ Carmelo, quorum primus fuit Frater Bertholdus vir sanctus*. Idem sequitur Hieronymus Bardus *in Chronolog. sub hoc anno*, ac Iacobus Gordonius *in Chronolog.* etiam *sub hoc anno*. Rodericus de Acuña Archiepiscopus Vlissiponensis *prima par. decret. in cap. generalis distinct.* 54. Nec dissentit Aubertus Myreus *de origine Carmelit. Ordin. lib.* 3. Nec etiam Ciaconius *in vitis Pontific. Tom.* 1. dum Innocent. 2. temporis gesta, & acta referens, eadem ferme, quæ Honuphrius scripta reliquit; Additur tamen ibi, ex Baronio, hoc accidisse anno 1181. ex quo putamus, additamentum hoc non ipsius Ciaconij, sed alterius esse. Quorsum enim vir doctus in vita Innocentij 2. qui suum Pontificatum supra annum 1143. non protraxit, quæ anno 1181. acciderunt referret? Rectius ergo ipse sub hoc anno casum refert, & minus rectè is, qui cum Baronio præfato anno 1181. euenisse autumat, vt eo anno dicemus. Ex nostris etiam hanc nouam Ordinis reformationem sub præsenti anno 1141. contigisse fatentur, clarè Petrus Lucius Belga *in Compend. histor. Carmelit. cap.* 12. & alij plures, qui re bene, docteque perspecta, quod antiquiores historici Ordinis dixerant, videlicet anno 1121. contigisse, ob errorem, qui in numerum annorum irrepserat, ita scriptum credunt, propter ea quæ eo anno Tom. præcedenti sub ann. 1118. à num. 3. dicimus. Quorum id præcipuum est, quod prædicto tempore, anno videlicet 1121. Aymericus Antiochenus Patriarcha non erat, nec talis fuit vsque ad annum 1137. vt cum Onuphrio, Bardo, Marquardo, Pineda, & alijs eo loco scribimus. Et quia communi Historicorum calculo constat pro eo anno 1121. Antiochenæ Ecclesiæ Patriarchatum gessisse Bernardum quendam, vt videre est in Genebrardo, Honuphrio, Bardo, Gualtero, & alijs. Authores.

5 Sed quid rei eo tempore acciderit, quæve gesta, vel acta eo anno fuerint, ex Authoribus, qui Historiam hanc diligentius scripserunt, veritatem exquiramus. Ex quibus Beatus Cyrillus Carmeli Eremita, Aymerico, & Bertholdo illi sæculo coæuus *in epistola ad Fratrem Eusebium*, seu *libro de Institutione, & peculiaribus gestis Monachorum Carmelitarum in Speculo Ordin. lib.* 8. *cap.* 2. sic habet. *Erat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus,* Gesta.

& in Terra Sancta Apostolicæ Sedis Legatus, Vir quidam amabilis Deo, & hominibus, nomine Aymericus Malefayda, natione Lemouicensis, de villa appellata Salamiacum. Qui prædictorum antecessorum nostrorum Eremitarum Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli laudabilem conuersationem attendens, eos multum specialiter suo tempore in Domino enutriuit. Intelligens autem quosdam eorum, qui ex Occidente superuenerant, spretis Seniorum monitis non rectè ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ in prædicto Ioannis libro descriptæ, & perpendens hoc ideo maximè contingere, quia Græcas litteras ignorantes nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri. Et, vt illorum improborum coerceretur audacia, tutaque inter eos esset Seniorum Eremitarum huius Montis innocentia, ipsos omnes per obedientiæ vinculum colligauit. Statuit enim, quod ex ipsis vnus, qui diceretur Prior, *deinceps eis ita præesset, vt quilibet aliorum obedientiam ei deuouerent, sub cura cuius, & regimine omnes viuerent. Quibus antea licet semper vnus ex eis præesset, quem* Abba *lingua Syra, &* Patrem *Latina appellabant, sub regimine cuius etiam tunc temporis manebant, & cui etiã sponte obediebant, nunquam tamen ad obediendum alicui se voto speciali prius obligauerant, donec prædictus Patriarcha Aymericus eos ad hoc primum astrinxit. Inter quos ipse fratrem suam habuit, scilicet fratrem Bertholdum virum Religiosum, sanctumque Presbyterum* (alias famosũ) *quem de vnanimi omnium assensu anno Domini M.C.XXI. primum Priorem eis instituit, & cui cura animarum cæterorum iniunxit. Quibus, & Monasterium in hoc Monte Carmeli ad honorem B. Margaritæ ædificari faciebat, infra quod eos includere intendebat, sed priusquam Monasterium hoc consumasset sustulit eum de mundo Deus.* Circa quæ B. Cyrilli verba illud solum animaduersione dignum occurrit, quod cum asserit Sanctus hic Pater, Eremitas hosce primitus voto obedientiæ speciali astrictos non esse, sed ad id ab Aymerico obligatos, de ijs duntaxat loquitur, *qui ex Occidente superuenerant*, & qui *spretis seniorum monitis non rectè ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ ambulabant*; non autem de alijs per totam Palæstinam, totumque fermè Orbem dispersis, de quibus infra dicemus: multoque minus de senioribus Carmeli Eremitis, quos vitæ innocentia præditos esse affirmat: vnde propterea dixit, *& vt illorum improborum* (eorum scilicet, qui ex Occidentis partibus aduenerant) *coerceretur audacia, tutaque inter eos esset Seniorum Eremitarum huius Montis innocentia, ipsos omnes per Obedientiæ vinculum colligauit*. Quin & verbum ipsum *colligauit*, hoc indicat, fuisse videlicet primum sicut corpore per totum Montem, sic & mente dispersos; cum iuniores obedientiæ vinculo obligari nollent, cui seniores astringebantur. Quod obiter contra aliquos dicimus, qui vt hoc tempore Religionem nostram incepisse pronuncient, hac se B. Cyrilli authoritate tueri volunt, quorum primus forsan fuit improbus Balęus inferius referendus.

Ex alijs

6 Eadem ferme quæ B. Cyrillus, scripta posteris reliquerunt duo alij Illustres Ordinis Doctores, vnus est Ioannes de Baccone, Angliæ decor, & Theologiæ Scholasticæ iubar, Alter Ioannes de Malinis, vir etiam doctus, & gra-

& grauis, qui Bacconis verba ſuis interſerens in libro cui titulus eſt *Speculum hiſtoriale Ordinis*, quod ſimul cum *Speculo Ordinis* habetur *cap.*6. ſic habet: *Vnde fuit Patriarcha Antiochenus quidam vir amabilis Deo, & hominibus, nomine Aymericus Malefayda, natione Lemouicenſis, de villa quæ dicitur Salamiatum. Qui tempore ſuo deleuit errorem Maronitarum, qui à Marone hæretico dicebantur. Illi autem hæretici, numero vero pauci, morati fuerunt prius circa iuga Libani in errore de duplici voluntate in Chriſto per annos quingentos. Hic vero pius, & venerabilis Patriarcha Antiochenus Fratrum Eremitarum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli laudabilem conuerſationem attendens, eos multum ſpecialiter longo tempore in Domino nutriuit. Et etiam in eodem Monte Carmeli iuxta fontem Eliæ Monaſterium ædificauit, infra cuius Septa Capellam quam antiquitus conſtruxerant, incluſit. Et in ſcriptis modum vitæ eorum redigens, ipſos ſeparatim in cellulis per totum Montem Carmeli modo Eremitico habitantes in dictum Monaſterium congregauit, & per profeſſionis vinculum colligauit, & ſub cura vnius adunauit. Inter quos ipſe fœlicis recordation. Aymericus Patriarcha prædictus habuit nepotem ſuum fratrem Brochardum* (lege tu Bertholdum) *virum religioſum, ſanctum, & famoſum, quem in primum Priorem eum inſtituit, ac in mente ſua diſpoſuit prædicta omnia, & ſingula per Sedem Apoſtolicam facere confirmari.*

7 Horum authorum teſtimonijs ſimilia ſcripſerunt Ioan. de Cimineto *in Speculo Ordinis cap.*5. Ioannes de Vineta in Tractatu *qualiter reſpondendũ ſit quærentibus quomodo, & quando Ordo noſter ſumpſit exordium, cap.* 6. Ioannes Groſſi *in viridario Claus* 2. Ioannes [illegible] *de Origine Carmelitarum lib.* 3. *cap.* 1. Petrus Lucius Belga *in Compend. Hiſtori Carmelit. cap.* 12. Didacus de Coria *in Chronic. Carmelit. lib.* 10. *cap.* 2. Thomas de Ieſu *lib. de antiquit. Carmelit. cap.* 9. Petrus Sarrazenus *in Menologio Carmelit. in vita B. Bertholdi*, Author Anonymus in veteri manuſcript. opuſculo ſub titulo *de Origine Ordinis Montis Carmeli* in inſigni Romana Bibliotheca Excellentiſs. Ducis Altemps reperto, tabulis ex corio ex parte deaurato, quod ante 200. annos ſcriptum videtur, & alij. Quibus de exteris authoribus iunguntur Centuriatores Magdeburgenſes *centur.* 12. *cap.* 10. Antonius Sabellicus *Æneide* 9. *lib.* 5. Polydor. *de Inuentoribus lib.* 7. Theatrum vitæ humanæ *volum.* 27. *lib.* 3. Conradus Geſnerus *in Bibliotheca*, Aubertus Myreus *de Orig. Carmelit. Ordin. lib.* 3. Silueſter Marulus Ciſtercienſis Abbas *in Mari Oceano Religion. in titulo de Carmelitis*, Iacobus Gualterus *in Tab. Chronograph. ſæculo* 12. Ex alijs.

8 Specialiter tamen qualiter caſum hunc referat Ioan. Balęus, ex noſtris quondam, ſed à Fide, & Ordine poſt Apoſtata, vt in ſuperioribus Tomis de eo loquentes diximus. Qui vtinam cum omnigena eruditione in re hiſtorica; quam multis voluminibus ante, & poſt Apoſtaſiam teſtatam ſcriptis reliquit, veram pietatem, ſanamque doctrinam coniunxiſſet. Verba ipſius fide referam; ijs expunctis, vel notatis, quibus à veritate aberrat Hęreticus. Ergo *in Catalog. Scriptorum Brittan. centur.* 2. *in Appendic. ad Fla-* Ex Balæo.

ad Florentium Brauonium, ſic inquit: Anno Domini 1121. (error in ſupputatione) ex quibuſdam ſuperſtitioſis eremi cultoribus (hæreticis Religio ſuperſtitio creditur) Monaſterialis Ordo Carmelitarum creatus primum fuit hoc modo. Ioannes Ieroſolymorum Antiſtes, D. Hieron: Synchronus in opere ſuo de Inſtitutione primorum Monachorum ad Capraſiũ, & Ioſephus Antiochenus in Speculo Militiæ primitiuæ Eccl. c. 12. ſolitarios quoſdã viros Carmelum Syriæ Montẽ ob loci amœnitatem, & famam incoluiſſe cõmemorant. Primus, vſque ab Elia Thesbita Propheta Magno affert eorum initium. Alter ab Apoſtolorum prædicatione per Galileam, Samariam, & Palæſtinam. Ab eo enim tẽpore, quodcunq; id fuerit, ſuo ſemper arbitratu viuebant liberè, nullis aſtricti cæremonijs, aut votis, vt ad Euſebium Cyrillum presbyter ſcribit. (errat, & in hoc, & falſum impingit Beato Cyrillo). Circa annum Domini 1090. Epiſcopo in Patriarcham electo, cœperunt peregrinationes Ieroſolymam fieri, ſacra frequentari loca, ac demum ſuperſtitionibus pollui. (vix quatuor verba ſine blaſphemia profert) ad quos poſtea ſolitarios infra ſexennium venit famigeratus ille Petrus eremita, &c. Cum vero cum hoc eſſent ex aduentitijs donarijs aliquanto pinguiores effecti, ac Eliæ ſanctitatem cum Deiparæ patronatu ex quibuſdam fictis viſionibus fortiter iactitaſſent. (O impudens nebulo) anno Domini, vt prius dictum eſt 1121. (Chronologiæ error) illuc acceſſit Aymericus Patriarcha Antiochenus Rom. Sedis in illis partibus Legatus, qui vndique per illum montem diſperſos collegit, in ordinemque diſpoſuit, Cœnobium ingens condidit, ordinationes fecit, præfati Ioannis librum, quem Græce ſcriptum illucuſque ſeruauerant, in Latinam ſermonem tranſtulit, vt deinceps eſſet ex Hebreis & Græcis Latina Religio. Generalem Præſidem primum Bertholdum Aquitanum ſuum nepotem eis dedit, & illos ſub eius obedientia colligauit, ſuper candelabrum Romanæ Eccleſiæ (inquit Paleonydorus eorum Chronographus) eos hic poſuit, vt per vniuerſam Europam lucerent. Scriptura bene applicata. Mox curritur ab ſpeluncis ad cellas, & à cauernis petrarum ad clauſtra phalerata. (In hoc etiam maledicus) Ita Balæus.

Ex Boſtio. 9 Præ cæteris tamen, etſi vltimo loco, auſcultandus Arnoldus Boſtius Gandenſis, illuſtris valde noſtræ Familiæ Author: qui in opere a ſe ſcripto, etſi nondum Typis mandato, reſeruato tamen in Bibliotheca Conuentus Aſtenſis, cui titulus Speculum hiſtoriale lib. 6. cap. 9. circa præſens intentum hæc ſcripſit. Igitur prædictus Aymericus de Salamiaco vocatus conſanguineus ſupradicti Sancti Bertholdi, vir venerabilis, Deo, & hominibus multum amabilis, circa annum Domini 1120. Patriarcha Antiochenus, & Terræ Sanctæ Sedis Legatus floruit, qui prædictorum prædeceſſorum noſtrorum Eremitarum Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli laudabilem conuerſationem attendens, eos multum ſpecialiter ſuo tempore in Domino enutriuit. Intelligens autem idem Patriarcha quoſdam eorum, & præcipuè Latinorum, qui ex Occidente nuper ſuperuenerant, ſpretis ſeniorum monitis non recte ambulare ad veritatem Religioſæ vitæ Eremiticæ in libro Ioannis XLIV. Epiſcopi Hieroſolymitani olim deſcriptæ, perpendenſque hoc maxime ideo contingere, quia Latini illi Græcas ignorantes litteras neſciebant codicem illum legere, idcirco

fecit

fecit librum, seu normam supradicti Ioannis Episcopi in Latinum de Græcotransferri; & vt de cætero illorum improborum magis coarctaretur audacia, tutaque inter eos esset, deinceps seniorum Eremitarum Montis Carmeli innocentia, ipsos omnes per Orbem dicti Montis in vnum vinculum colligauit obedientiæ: nam statuit, quod ex ipsis vnus esset, qui diceretur Prior, qui deinceps eis præesset, & quilibet aliorum obedientiam ei promitteret, sub cuius cura, & regimine omnes semper viuerent. Igitur quamuis antea vnus semper eis in singulis Eremis præfuit, quem Abbatem lingua Syria, id est Patrem, Latina appellabant, sub cuius regimine preteritis temporibus manserunt: & cui etiam sponte obediebant, nunquam tamen ad obediendum alicui in Monte Carmeli sub certa clausura, & se solemni voto prius obligauerant, donec prædictus Aymericus Patriarcha eos ad hoc primo constrinxit, & arctauit. Itaque inter eos idem Pontifex reperit nepotem suum supradictum fratrem Bertholdum de Malefayda virum Religiosum, sanctum, & famosum, & hunc de vnanimi omnium assensu anno Domini 1121 in primum Priorem Generalem eis instituit, &c. Insuper dictus Patriarcha in hoc Monte Carmeli in honorem B. Virginis Mariæ Dei Genitricis latum Monasterium ædificari faciebat, muro alto circulariter circundatum, infra cuius septa eos debere pariter de cætero cohabitare decreuit, &c.

10 Ex quibus auctoribus relatis, quæ in huiusmodi ipsaque perillustri Ordinis reformatione, acciderunt, sigillatim recensere opere pretium erit, quæ partim sub hoc anno, partim sequenti euenisse credimus. Primum id est de accessu Aymerici Antiochensis Patriarchæ ad Carmelum. Secundum, de Eremitarum iampridem per Montem dispersorum in ipsum collectione. Tertium, de B. Bertholdi sibi consanguinei, sub cuius viuerent obedientia, in ipsorum Generalem institutione. Quartum, de ordinationibus à præfato Aymerico pro eorum recta institutione editis. Quintum, de libri Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani ex Græco in Latinum conuersione. Sextum, de Cœnobij vbi commode includi possent constructione. Ac septimum, quod hæc omnia auctoritate Apostolica Romani Pontificis roborata curaret. Ex quibus sicut quatuor priora vt potè, quæ maiorem non exigebant dilationem hoc anno facta esse credimus; sic duo posteriora sequenti euenisse credibilius, & ita in id tempus referenda. Septimum autem, quo anno acciderit suo loco dicemus. Dictorum collectio.

11 Circa primum de accessu Aymerici ad Carmelum, etsi res ambigua videatur; cum equè benè id totum, quod gessit, effici ab ipso posset Antiochiæ commorante; vt propterea nihil de tali accessu à B. Cyrillo, Ioanne Baccone, Ioanne de Malinis, Ioanne de Vineta, Ioanne Grossi, aut Bostio relatis asseratur, quia tamen res credibilis est, eamque affirmant Ioannes Balæus, author, etsi alias infidus, in historijs tamen Ordinis, quas sepius euoluit, versatissimus, Ioannes Paleonydorus, Petrus Lucius, Didacus de Coria, & Petrus Sarracenus relati, ideo ipsis assentiendum: siue dicatur inuisendi Bertholdi consanguinei gratia Montem ascendisse Aymericum, vt Lucius, & Coria tuentur; siue piorum locorum deuotione mo- De primo.

tum, vt

rum, vt aliqui putarunt, siue forsan pro illius loci visitatione, cum Antiochensibus Patriarchis Tyrius Archiepiscopatus suffraganeus esset, cui Acconensis Episcopatus suberat, & Achoni Carmelus ferme adiacens erat. Nec creditu difficile Bertholdi rogatu Aymericum Carmeli iuga conscendisse, quod non ineleganter sic exprimit Sarracenus relato loco: *Dum autem Bertholdus commilitones Eremitas diù tacitè dolenter obseruasset, nō vniformem eo tempore, impedientibus bellorum turbinibus, Regularis obseruantiæ rationem esse ad Aymericum fratrem suum iam Apostolicæ Sedis Legatum, & Antiochenæ Ecclesiæ Patriarcham sese contulit, & rogatum humiliter voluit, vt Carmeli gregem sua præsentia non dedignaretur. Nec abnuit, vterini erant. Anno ergo 1120. Carmeli iuga conscendit Aymericus Eremum nostrorum paternitatis affectu visitaturus. obuium habet Monasticum agmen. Hoc tantulo Religiosorum comitatu recreatus, iucundissimis illum exceperunt amplexibus:* Hæc ille.

De collectione in vnum.

12 Secundum autem, de Carmeli Eremitarum iam pridem per Montem dispersorum in vnum collectione, constantior veritas est, quam tradunt communiter relati Auctores, ab Aymerico tentatum, & perfectum. Vt propterea Magdeburgenses Centuriatores, etsi alias impij, ex Gerardo à Nazareth, quem referunt, vocent Aymericum *sedulum vitæ Monasticæ Promotorem*. Centuriator Magdeburgen. *vt supra*. Prædictæ autem dispersionis ea occasio videbatur fuisse, quod cum post Terræ Sanctæ recuperationem à Christianis Duce Gofredo factam ipsorum plures Sacri Carmeli Montis solitudinem [illegible], & quod ipsum Eliæ, & Prophetarum, plurimorumque Eremitarum, etiam ad id vsque tempus mansionem fuisse cognouissent, loci pietate, & Deo adhærendi desiderio tracti, illi, & Deiparæ Virgini Montis Tutrici, cui in eo à primæuo Ecclesiæ sæculo dicatam Capellam nouerunt, Religiosam vitam degere se vouerant. Crescente autem hominum multitudine, & quorundam illorum feruore paulatim tepescente, priscorum Carmeli cultorum moribus aduersi; & linguæ idiomate extranei cum essent, quod hi Syrij, Palæstini, Græci, Hebręi, & Caldęi; illi vero Itali, Germani, Galli, Angli, forsan, & Hispani: eo vel maximè, quod litteras Græcas, quibus liber Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani, pro Carmeli incolarum institutione datus, quo seniores vtebantur, inscriptus erat, ignorarent, sparsimque propterea lati Montis antra incolerent, prædonum incursibus, alijsque tum corporis, tum animæ periculis expositi, nec rectè (vt inquit Beatus Cyrillus) *ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ in prædicto Ioannis libro descriptæ, spretis seniorum monitis* ambularent; necessum valde fuit, vt Aymerici Antistitis, ac Romanæ Sedis Legati opera, Bertholdi sancti zelo sollicitante, in vnum mente, & corpore colligerentur.

De B. Bertholdo primo Generali Latinorum.

13 TErtium iam, quod Aymerici industria hoc anno effectum est, institutio fuit Bertholdi in *Generalem*, sub cuius obedientia

Carmeli

Carmeli Montis Eremitæ omnes vitam agerent. Concors enim omnium assertio est; in quam præfati authores maximè conspirant. Cum etenim is qui inter ipsos præerat, Superior, *Abbas* Syra lingua, & *Pater* Latina appellatus, è vita decessisset, vt habet Paleonydorus dicto *lib. 3. cap. 1.* necessum valde fuit alium ipsis præfici. Et cum nullus aptior Bertholdo inueniretur, qui vitæ quippe sanctitate famosus, generis nobilitate clarissimus, & doctrina conspicuus erat, iuxta ea, quæ Tomo præcedenti diximus, & in sequentibus dicemus. Erat & alia ratio: nam cum pro Latinis præcipuè reformandis totum esset inchoatum negotium: ij enim maxime esse videbantur, qui *ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ in libro Ioannis descriptæ, spretis seniorum monitis, non ambulabant,* oportuit sanè, latinum aliquem, qualis erat Bertholdus, Gallus quippe, & Aquitanus, assumi: melius enim ab ipso quam ab Orientalibus, à quibus lingua, moribus, quin & natura diuersi erant, ad rectum Religiosæ vitæ tenendæ tramitem restitui possent. Melius quoque, quia fulgebat apud Latinos Principes Syriæ dominantes authoritate, aduersantium reprimere proteruiam, Christianorum conciliare fauorem, & Ordinis curare dilatationem, ipse præ alijs posset. Hinc vnanimi omnium assensu in hoc primo Latinorum Generali Capitulo B. Bertholdus in Generalem Præsulem fuit electus, vt ex B. Cyrillo, relatisque auctoribus Ordinis habetur.

14 Fuisse Beatum Bertholdum Patriarchæ Aymerici nepotem plures astruunt post Bacconem, Ioannem de Malinis, Ciminetum, Balæum, Centuriatores Magdeburgenses, & alios. Sed, ætate Bertholdi rectè inspecta, qui iuxta ea, quæ Tomo præcedenti sub ann. 1061. *num. 5.* diximus, natus est circa annum 1073. vnde septuagenarius circiter hoc tempore erat, vix Aymerici iunioris nepos esse potuit. Maiorem fidem meretur, quod B. Cyrillus eidem loco, & tempore vicinior scripsit, ex quo Ioannes de Vineta, & alij desumpserunt, fuisse videlicet B. Bertholdum Aymerici fratrem. Sed quia ætatis etiam distantia nec hoc videtur admittere, ideo credibilius apparet, solum consanguineum Aymerici fuisse, vt Bostius, Paleonydorus, & Thomas de Iesu accuratius dixere: vocatum autem à Cyrillo fratrem, iuxta Sacræ Scripturæ phrasim. Matth. 12. & Marci 3. qua consobrini, vel consanguinei fratres dicuntur. Nisi dicatur apud hos authores rem hanc dubiam, & incertam fuisse; vt propterea Bostius relatus Bertholdum modo *consanguineum*, modo *nepotem* Aymerici appellet. Qualiter cõiunctus cum Aymerico.

15 Primum Latinorum Generalem Bertholdum nuncupandum, huiusque cognominis causas doctè sic describit Paleonydorus citatus. *Dicitur autem primus Prior Generalis pensatis quibusdam causis. Prima, quia primus erat, qui à Patriarcha Latino Prior fuit institutus. Secunda, quia primus Prior Latinus. Tertia, quia primus sub dispositione Latina ordinatur. Quarta, quia primus nominatione Latinus Generalis Prior, &c.* Bertholdus Generalis.

16 Iure autem Generalis nomine B. Bertholdus insigniri potest, qui Berthold. Iure Generalis

non vni soli Carmelo, vnive Cœnobio, aut loco Præses, & Superior erat. Eo enim tempore præter alia Carmelitarum Cœnobia, loca, eremitoria, aut habitacula, quæ iniuria temporum, vel nostrorum antiquorum incuria ignoramus, ea numerantur. In Syria nempe *Carmelus* ipse, qui totius Religionis primum, & primordiale solum fuit. Monasterium Sanctæ Annæ in Sancta Ciuitate Hierusalem circa portam *auream* dictam, in quo postea SS. Angelus, & Ioannes fratres Virginis habitum sumpserunt, vt in sequentibus sub anno 1204. dicetur. Desertum, seu solitudo Iordanis, seu nostrorum tabernacula ibi sita, maximè, iuxta locum vnde Elias igneo cursu raptus est in Paradisum. Quem, & Monasterium quoddam Græcorum, quod ibi fuisse dicit, commemorat Bernardus Breindebac in Itinerario Terræ Sanctæ. Item desertum Montis *Quarentenæ*, & eremus Maris Galileæ. De quibus (Hierosolymitano Cœnobio excepto) loquitur Guilelmus de Sannico Carmeli Eremita fermè huic tempori Synchronos *in Chronica de multiplicatione Ordinis cap.* 1. vbi etiam de solitudine Montis Neroi, seu Montanæ nigræ hoc tempore à nostris habitata, sub Aymerici Ductoris, qui eos illuc ducit, patrocinio. Loquens enim de Ordinis propagatione à tempore recuperatæ Hierosolymę à Christianis, sic scribit: *Post hæc autem anno Domini M.XC.IX. Godofredus de Boylu Dux Lotheringæ, & exercitus Christianorum Cruce signatus Ciuitatem Hierusalem de manibus Infidelium recuperauerunt: & eam, totamque Terram Sanctam, infidelibus hominibus paulatim exclusis, ad dominium, & potestatem Christianorum reduxerunt, Propter quod cœpit tunc cultus huius Religionis iterum in Terra Sancta dilatari. A diuersis enim mundi partibus multi deuoti Christiani desiderantes Terram illam videre, in qua Dominus noster Iesus Christus fuit natus, conuersatus, baptizatus, tentatus, transfiguratus, passus, mortuus, sepultus, resuscitatus, accedebant ad eam; lustrantes securè non solū loca Sancta, in quibus Sancti Patres veteris testamenti magnifica egerunt, sed præcipuè illa, in quibus Christus Iesus sacram redemptionem generis humani adimpleuit. Hos itaque deuotos diuersarum Nationum aduenas sancta conuersatio, & abundans iustitia illorum Religiosorum Montis Carmeli, ita ædificabat, & ad contemplationem Cælestium trahebat, vt multi ex ipsis aduenis intuentes dictos Religiosos in pulchritudine pacis internæ, & in mentis requie virtutibus opulenta in antris Carmeli Montis residere, se fælices putarent, cum per deuotionem, relictis mundi oblectamentis, poterant eorum consortio aggregari. Qui cum ita multiplicati fuissent vt in Monte Carmeli omnes commode recipi non possent, repleuerunt deserta Terræ Sanctæ, & solitudines, in quibus prædecessores eorum antiquitus habitare consueuerant, quarum famosiores hinc commemorabo. Aliqui enim eorum sequentes vestigia sanctorum Patrum huius Religionis, &c. construentes sibi modica tabernacula, in solitudine Iordanis latuerunt. Quidam autem ipsorum desertum Montis Quarentenæ elegerunt, vt illic vitam solitariam in modicis cellulis Domino ducerent prope fontem, cuius aquas steriles, & amaras Elisæus Propheta sanauit; & in quo Deserto Dominus Iesus Christus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit. Alij*

vero

vero eorum in Eremo illa, quæ adiacet mari Galileæ, in qua Iesus frequenter turbis prædicauit, & ex quinque panibus ordeaceis, duobusque piscibus, multitudinem magnam hominum saturauit, & varijs miraculorum signis illustrauit, solitariam sibi elegerunt habitationem. Nonnullos quoque eorum duxit Aymericus Patriarcha Antiochenus in solitudinem montis Neroi, qui alio nomine Montana nigra *appellatur, vbi in antris absconsam vitam Domino seruabant. Qui omnes quamuis essent locis seiuncti, eamdem tamen vitam solitariam seruare satagebant, quam seruabant Eremitæ Montis Carmeli.*

17 Similia fermè de exteris Iacobus de Vitriaco Cardinalis, Eremitarum illius æui, post Palæstinę separationem multiplicationem *in histor. Hierosolymitana cap.*52.53.*&* 54. sic describens: *Alij exemplo Domini specialiter ducti, desertum illud desiderabile, in quo Dominus noster post Baptismum quadraginta diebus solitarius ieiunauit, quod* Quarantena *appellatur, vt vitam ducerent Eremiticam, præeligentes, in modicis cellulis Domino deuotissimè militabant. Alij ad exemplum, & imitationem sancti Viri solitarij Eliæ Prophetæ in Monte Carmelo, maximè in parte illa, quæ supereminet Ciuitati Porphyriæ, quæ hodie* Cayphas *appellatur, iuxta fontem, qui Fons Eliæ dicitur, non longe à Monasterio B. Virginis Margaretæ, vitam solitariam agebant, in alucaribus modicarum cellularum, tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes. Est autem alius Carmelus trans Iordanem iuxta desertum solitudinis, in quo latuit Dauid fugiens à facie Saul, vbi erat habitatio Nabal viri stulti. Hic autem; in quo conuersatus est Elias, situs est in Maritimis distans ab Accon 4. miliaribus. Quam plures vero in solitudinibus Iordanis, vbi B. Ioannes Baptista fugiens hominum turmas, vt liberius Deo vacaret, ab annis puerilibus delituit, mortui mundo, vt viuerent Deo, quietis sibi sepulchrum elegerunt. In hac autem Eremi solitudine non nisi locustas cum melle Beatus Ioannes edebat. Est autem in partibus Syriæ, plerisque consuetudo adueniente locustarum multitudine, eas colligendo, & congregando ad victum reseruare. Mellis autem ex calamellis maximam in partibus illis vidimus abundantiam. Sunt autem calamelli calami pleni melle, idest succo dulcissimo, ex quo quasi in torculari compresso, & ad ignem condensato, prius quasi mel, post hæc, quasi zuccara efficitur. Vocantur autem alio nomine canamelles, quod nomen ex* canna, & melle *componitur, eo quod cannis, siue arundinibus huiusmodi calami sunt similes. Quoniam autem verisimile mihi non videbatur, quod B. Christi Baptista locustarum carnes manducaret, qui pane etiam vesci renuebat, quæsiui diligenter à quodam Surianorum Monacho, cuius Cœnobium in partibus illis erat, habens maximam Monachorum multitudinem sub vno Abbate, vitam santissimam ducentium, cuiusmodi essent locustæ, quas in solitudine illa Iordanica Beatus Ioannes manducasse perhibetur, qui mihi statim respondit, quod frequenter in Refectorio suo quædam herba Monachis ad edendum apponebatur, quam ipsi* langustæ, *idest* locustam, *nominabant; cuius circa Monasterium suum magna habebatur copia: adiungens, quod illa esset quam edebat Beatus Ioannes, sed & de melle siluestri ex apibus in deserto illo, frequenter copiosè reperiebant. Alij autem ex viris religiosis in deserto illo,*

quod adiacet mari Galileæ, in quo Dominus frequenter turbis prædicauit, panibus hordeaceis cum paucis pisciculis, hominum multitudinem pauit; & varijs miraculorum signis Regionem illam illustrauit; in quo etiam loco post resurrectionem suam Discipulis suis manifestus apparens, cum eis manducauit, & bibit: pedibus autem supra Mare illud ambulauit: ibi etiam quosdam ad se Discipulos euocans, ait: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, *solitariam sibi elegerunt habitationem: quidam in planicie, in qua fœnum multum reperitur ex herbis desiccatis; alij in monte propinquo, in quo Dominus seorsum consueuerat orare. Est autem Mare Galileæ stagnum in finibus Galileæ ex aquis dulcissimis collectum, varijs piscium generibus commodissimum; visu amœnum, & delectabile ad potandum: & quoniam tam in longitudine, quam in latitudine valde spaciosum est, more Hæbreorum, & Ægyptiorum, qui quaslibet aquarum copiosas, & spatiosas congregationes tam ex aquis dulcibus, quam ex salsis,* Mare *nominant, prædictus lacus* Maris *nomine nuncupatur. Dicitur etiam* Mare Tyberiadis, *eo, quod Ciuitati, quæ vulgariter Thabaria nominatur, adiacet, iuxta quam Ciuitas Petri, & Andreæ, quam Dominus propria illustrauit præsentia, sita est* Bethsaida. *Dicitur præterea quandoque* Stagnum Genesaret, *quod interpretatur* auram generans; *eo quod ex fontibus montium circumstantium frequenter ventum colligit validum, ex quo facta in stagno perturbatione, & inualescente tempestate vndis fluctuantibus nauiculæ plerumque submerguntur. Fluuius autē* Iordanis *ad radices Libani montis, iuxta Cæsaream Philippi, ex duobus fontibus, videlicet,* Ior, *&* Dan, *ex quibus nomen trahit, & originem, in prædicto stagno Genesareth descendit: & inde totus egrediens per centum ferè milliaria Regionem adiacentem irrigans, per* vallem illustrem, *quæ vallis* Salinarum *dicitur, in* Mare mortuum *se infundit, & postea nunquam apparens absorbetur in abysso. Est autem secus locum, qui dicitur* Segor, *qui hodie vulgari appellatione* Paumier *nominatur. Dicitur etiam prædictum Mare* Lacus Alphates, *siue* Alphaltidis, *&* Mare salis, *eo quod sit ita salsum, & amarum, quod ex eo nec homo, nec bestia bibere potest. Et plerumque etiam* Mare Diaboli, *eo quod nihil viuum in eo generatur, nec aliquid vitam habens in eo submergi valet. Habet autem iuxta se montem salis excelsum, arbores etiam iuxta ripas eius, poma ferunt pulchrum exterius corticem habentia; interius autem non nisi cinis, & quasi fauilla fætida reperitur. Dominus enim ignem, & sulphur pluit super Sodomam, & Gomorram, & alias tres Ciuitates. Homines illi pessimi erant, & hostes naturæ, ignominiosam, & abominabilem turpidinem inter se abusiuè operantes. In loco autem illo, qui* Pentapolis *dicebatur, est prædictus lacus, cuius fundus inueniri non potest. Dominus enim Ciuitates illas vsque in abyssum post prædictum incendium submersit. Fluuius autem Iordanis, de quo paulo ante fecimus mentionem, à monte Libani vsque ad locum illum multas ex se præbet commoditates vniuersæ Regioni. Reddit enim hortos irriguos, & terram fructiferam, habens aquas dulces ad bibendum, & pisces sanos ad edendum, & ripas idoneas ad arundines, seu cannas procreandas, ex quibus tecta domorum tegunt, & parietes contexunt. Campi autem adiacentes ex calamellorum condensa multitudine*

stillantes

stillantes dulcedinem, zuccaræ procreant abundantiam. Peregrini enim, & etiam indigenæ corpora sua, & vestimenta in aquis Iordanis cum magna deuotione soliti sunt abluere: eo quod Redemptor noster a Beato Ioanne in flumine illo baptizatus contactu mundissimæ carnis fluuium sanctificauit, vim regeneratiuam conferens vniuersis aquis. Tota etiam Trinitas illum fluuium fœlicem, & dignissimum dedicauit. Supra quem Pater est auditus, Spiritus Sanctus in Columbæ specie visus, Filius in humana natura baptizatus. Multi autem vtriusque sexus hominis, & mulieres, Baptismo pœnitentiæ, à Beato Ioanne in prædictis aquis baptizati, Christi gratiæ, & baptismati se se habiles, & idoneos, & aquarum submersioni assuefactos reddiderunt. In signum autem futuræ purificationis Naaman Syrus in hoc flumine à lepra mundatus, quasi carnem pueri recepit. Iosue autem cum multitudine filiorũ Israel aquis superioribus in altum ascendentibus, inferioribus autem in Mare descendentibus, sicco vestigio pertransiuit, ex quo duodecim lapides iuxta numerum duodecim Tribuum filij Israel extraxerunt. De quibus ad litteram dixit B. Baptista Ioannes: Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Elias autem, & Elisæus, aquis Iordanicis Eliæ pallio percussis, & in duas partes diuisis, per siccum transierunt. Multi igitur ex viris Religiosis propter fluminis sanctitatem, & aquarum oportunitatem vicinas fluuio construxerunt habitationes. In Monte* Tabor, *qui sublimis est, & arduus valde, in quo Dominus coram Petro, & Iacobo, & Ioanne, præsentibus Moyse, & Elia, transfiguratus gloriam futuræ Resurrectionis ostendit, propter loci reuerentiam, & honorem, Monasterium construxerunt.* Hæc author grauissimus. Quæ etsi aliquatenus prolixa, & ex parte à nostra Historia aliena, omitti non debuerunt, quia partim pro ea iuuant, partim verò eruditione sunt plena, & digna, quod ab omnibus sciantur.

18 Alludit grauis Author Martinus Sanutus in *lib. de Secretis fidel. Cruc. lib. 3. par. 7. cap. 3.* quos religiosa etiam denotat norma vixisse, nomine Monasterij Fratrum, & Refectorij vtens, quæ perfectam vitam Regularem indicant. *Postquam terra illa prius inculta, facta est quasi hortus voluptatis, quasi Paradisus Domini, multas Religiosas personas ad se traxit, tam valido deuotionis excessu, vt merito dicerent.* In odorem curremus vnguentorum tuorum. *In odorem prædicatæ inibi sapientiæ poterat currere etiam Regina Saba: in odorem datæ veniæ; etiam Latro in Cruce; in odorem austeræ pænitentiæ Maria Ægyptiaca; in odorem deuotionis mellifluæ, Eustochium, & Paula: sic multi, relictis omnibus, iugum suaue Domini eligentes ad florida illa prata currebant, & odoratis cælicis floribus suauissimos fructus Spiritus degustabant. Sic cæpit Orientalis Ecclesiæ germinare quasi vinea Domini, botros nouos, dum à diuersis Mundi partibus ex omni Tribu, lingua, & natione, & ad venerabilia, & sacratissima loca, vbi steterunt pedes Domini concurrerunt: reparabantur Ecclesiæ veteres, construebantur nouæ, ędificabantur Monasteria, & habitacula pænitentiæ apta in locis varijs, & diuersis: vnusquisque secundum deuotionis suæ propositum oportunum, & tutum inueniebat refugium. Nonnulli enim sequentes Christi vestigia, desertum eligunt, vbi Dominus ieiunauit qua-*

De Sanuto.

draginta diebus, & quadraginta noctibus, ibique cum diro hoste conflixit; quod dicitur Quarentena *secundo lapide distans à Hiericho, iuxta aquas sanatas ab Heliseo; illic paruulis constructis cellulis, Christo Domino militabant. Nonnulli Heliæ prouocati exemplo, in Monte Carmelo, & maxime in parte illa, qua supereminet Ciuitati Caypha, iuxta fontem, qui dicitur* Fons Eliæ, *non longe à Monasterio Beatæ Virginis Margaritæ solitariam vitam agebant, in aluearibus cellularum tanquam apes negotiosè in seruitio Domini mellificantes dulcedinem Spiritus. Quamplures vero in solitudinibus Iordanis, vbi fuerat Ioannes Baptista, in multa austeritate Domino seruiebant, etiam Conuentualiter sub Priore: quorum vnus sciscitatus de locustis, quas Ioannes edebat, continuo respondit, sæpe in refectorio Fratribus herbam apponi, quam* langustam, *idest* locustam *nominabant, cuius circa Monasterium magna copia habeatur. Adiungens, quod illa esset, qua Ioannes vtebatur ad esum, licet in plerisque partibus Syriæ, adueniente locustarum multitudine, collectæ pro cibo seruentur. Alij autem in deserto illo, quod adiacet Galileæ, in quo Dominus frequenter turbis prædicauit, panibus ordeaceis, paucisque piscibus hominum tot millia pauit. Alij in Monte propinquo, in quo Dominus orauit separatus à turba. Alij in Monte Thabor, qui sublimis est, & arduus valde.*

Ex Bostio. 19 His porro Authoribus tum exteris, tum domesticis iungendus alius, etsi tempore posterior, inter nostros celebris, Arnoldus scilicet Bostius *lib.* 6. relato *cap.* 8 sic inquiens: *Dum cultus Diuinus propter Christianorum prosperitatem in Terra Sancta augmentari cœpisset, quamplures deuoti peregrini, qui ab Occidente quotidie superuenerunt, odore huius Sancti Montis tractus, & deuotione religiosorum Eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renunciabant, & pro contemplatione cælestium se eorum contubernio iungebant. Insuper à diuersis etiam Mundi partibus multi deuoti Christiani desiderantes Terram illam videre, in qua Dominus noster Iesus Christus fuit natus, conuersatus, baptizatus, tentatus, transfiguratus, passus, mortuus, sepultus, & post resurrectionem in Cœlum assumptus, accedebant ad eam perseuerantes tum secure, non solum loca sancta, in quibus Sancti Patres veteris testamenti magnifica egerunt, sed præcipuè illa, in quibus Christus Iesus sacramenta redemptionis generis humani adimpleuit. Hos itaque deuotos diuersarum nationum aduenas sancta conuersatio, & abundans iustitia dictorum Religiosorum Montis Carmeli ita ædificabat, & ad contemplationem cælestium trahebat, vt multi ex ipsis aduenis intuentes dictos Religiosos in pulchritudinem pacis viuere, & tranquilla mente in antris Carmeli Montis residere, se felices putarent, cum per deuotionem, spretis, & relictis Mundi oblectamentis poterant eorum consortio aggregari. Qui cum ita multiplicati fuissent, vt in Monte Carmeli iam recipi commode non possent, repleuerunt etiam desertas Terræ Sanctæ solitudines; in quibus prædecessores eorum antiquitus habitauerunt, quorum famosiores hic commemorabo. Aliqui enim sequentes vestigia Sanctorum Patrum, &c. construentes sibi modica tabernacula in solitudine Iordanis latuerunt. Quidam autem ipsorum desertum Mõtis Quarantenæ elegerunt, vbi Christus à diabolo tentatus fuit, & illic vitam solitariam in mo-*

in modicis cellulis Domino seruierunt prope fontem, cuius aquas steriles, & amaram Pater noster Elisæus Propheta sanauit. Alij vero eorum in Eremo illa, quæ adiacet Mari Galilææ, in qua Christus frequenter Turbis prædicauit, & ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus multitudinem magnam hominum satiauit, & varijs miraculorum signis illustrauit, solitariam sibi elegerunt habitationem. Nonnullosque eorum præcedenti tempore Aymericus Patriarcha Antiochenus duxit in solitudinem Montis Neroy, qui alio nomine Montana nigra appellatur. Vbi in speluncis, & antris absconsam vitam seruabant Domino famulantes. Qui omnes quamuis essent locis sciuncti, eandem tamen vitam solitariam, Habitum, & Regulam seruare satagebant, quam seruabant Eremitæ Montis Carmeli.

20 Circa hos autem Eremitas nostros, quos in Montanam nigram, seu Montem Neroi duxisse Aymericum testatur Bostius modo relatus, & Guillelmus de Sannico, quem supra etiam retulimus, notet obiter Lector id, quod Centuriatores Magdeburgenses *centuria* 12. *cap.* 10. etsi malæ fidei authores, ex Gerardo de Nazareth, vt apparet, annotatum reliquere: videlicet, legem tulisse Aymericum, vt qui in illo monte morabantur *non sine maiore inspectore viuerent*. Quo maius robur accipiunt similia, quæ gessisse circa Carmelæos nostros supra diximus. Ac elicitur huius mentis, & spiritus fuisse Aymericum, vt nollet Monachos, seu Eremitas suæ ditionis hinc inde dispersos, & gyrouagos ambulare; sed gregatim, & collectim sub vno Pastore, seu Archimandrita, qui illos regeret. Pergamus iam Cœnobia illa referre, quæ tunc temporis in Orbe erant, quorum Pater, & *Generalis* B. Bertholdus esset. Notatio.

21 Elianorum etiam nostrorum extabat Cœnobium in Monte Thabor, de quo Sanutus supra relatus locutus est in vltimis verbis adductis: quod etiam habetur ex Vitriaco relato, posterioribus *cap.* 53. & prioribus *cap.* 54. adiunctis; clarè enim affirmat eos viros Religiosos, qui iuxta Iordanem sibi construxerunt habitationes (quos ex dictis constat Carmelitas fuisse) in Monte quoque Thabor Monasterium construxisse. Quod etiam roboratur ex eo, quod huius Cœnobij præfectus *Prior* vocatur, vt patet ex epistola eiusdem ad Ludouicum Regem Francorum, quæ habetur inter epistolas Regum, & Principum *num.* 17. Sunt autem huiusmodi epistolæ in lib. cui titulus est *Gesta Dei per Francos, seu Historia Orientalium Tom.* 2. Clarè etiam id constat ex Vvillelmo Tyrio *lib.* 22. *cap.* 26. vbi ait, *illud Monasterium fuisse Græcorum sub titulo Sancti Eliæ*. Nec refert, quod Sanutus circa annum 1114. illud à Turcis euersum, Monachosque interfectos asserat; quod etiam Tomo præcedenti sub anno Christi 1108. *n.* 7. ex Roberto de Monte, & Baronio annotauimus. Quia, eodem Vvillelmo, vt supra teste circa ann. 1183; à Turcis Saladini militibus Thabor fastigia ascendentibus (quod prius inquit, fuerat inauditum) tentata est ipsius euersio. Quocirca, vel duo Cœnobia in eo Monte fuisse asserendum, vel si vnum duntaxat, credendum postea Elianorum Monachorum cura restitu- De Cœnobio Montis Thabor.

restitutum. De eo etiam loquimur sub anno 1183.

De Cœnobio Achon.

22 Extat etiam in Tabula Geographica Ciuitatis *Achon*, siue *Ptolemaide*, eiusdem Marini Sanuti, quæ habetur post vltimum librum ipsius, descriptio Ecclesiæ, seu Monasterij Fratrum Carmelitarum, extra Portam Sancti Lazari, de cuius primordijs ignoratur, & forsan ab hoc tempore cœpit, auspicijs Aymerici Patriarchæ, vel etiam à tempore Christianitatis in illa Ciuitate Carmelo proxima restitutę. Suspicionemque corroborat, quod extra Ciuitatis mœnia situm conspiciatur, prout moris nostrorum eo tempore erat. Quia tamen Gulielmus de Sannico in Chronico *de multiplicat. Relig. cap.* 2. & Arnoldus Bostius *in Specul. histor. lib. 7. cap.* 3. huius Monasterij memoriam solum ad tempora Alberti, & Regulæ ab ipso datæ, memoriam faciunt, ad id tempus referenda.

De alio.

23 De eo etiam nostrorum Eremitoria, quod in montanis Iudeæ erat, per quæ transiuit Beata Maria Virgo cum ad visitandum Elisabetham se contulit, quibus omni Sabbatho à Gothofredo primo Hierosolymorum Rege pietas exhibebatur, vt testatur grauissimus auctor Baptista Mantuanus *in Apolog. pro Carmelitis*, ex eiusdem Regis decreto, quod apud se habere scripsit, proculdubio affirmari debet etiam hoc tempore Aymerianæ reformationis extasse. Nulla enim, vel apparens ratio assignari potest, cur crescente in Syria Christianorum Principum potentia, nostri Eremitæ loca perdidissent, quæ primitus tenebant. Recolat Lector, quæ dicimus Tomo præcedenti circa ann. 1088. *num.* 16.

De alio.

24 Nec incongruè suspicari possumus in re incerta Græcorum quoddam Monasterium, *Durum* nomine, quod interpretatur *domus Græcorum*, de quo Vvillelmus Tyrius *lib.* 20 *cap.* 20. Vitriacus *cap.* 39. & Sanutus *lib.* 3. *par.* 6. *cap.* 18. Eliotharum Monachorum fuisse, ac subinde Bertholdo Generali paruisse.

Ex Trithemio.

25 Hanc tandem nostrorum eo tempore in Palæstinæ locis propagationem paucis sic describit Abbas Ioannes Trithemius in *lib. de laudib. Carmelitarum cap.* 8. loquens de aliquot annis post recuperatam à Christianis Hierosolymam. *Deinde post annos paucos, influentibus, vndiq; Peregrinis, & maximè de Regionibus Europæ, numerus Fratrum in Monte Carmelo valde multiplicatus est, in tantum, vt præ multitudine Montes implerent, & Vrbes. O si tunc Ordinis Carmelitici decorem in sua Maiestate vidisses, nunquam fuisse similem alium exclamares.* Hæc ibi.

De alijs Cœnobijs.

26 In Europæ quoque partibus alia Fratrum nostrorum Cœnobia, seu Eremitoria eo tempore extitisse, quibus etiam Bertholdus, vt Generalis, præficeretur, constat ex ijs, quæ Tomo præcedenti diximus, de Conuentu videlicet Toletano sub anno 590. à num. 10, & sub ann. 731. n. 4. ac 1088. num. 21. & sequentibus. De Cœnobio item Senarum in Etruria sub an. 702. num. 6. & 797. num. 7. & sequentibus. De Florentino sub ann. 742. num. 5. De Leontinensi in Sicilia sub ann. 827. num. 4. De Panormitano etiam in Sicilia sub ann. 1118, num. 10. De Bopardiensi

in Ger-

in Germania sub ann. 999. num. 4. & 1045. num 4. Et de Burdegalensi in Gallijs sub ann. 1088. num. 17. Ac de Pisano (etsi sub dubio) sub ann. 796. num. 10. Ex quibus omnibus clarè liquet satis amplam tunc fuisse Carmelitanam familiam, vt ipsius ab Aymerico designatus Præsul *Generalis* nomine potiretur.

27 Ei præterea, ac commisso sibi gregi Ordinationes quasdam, seu Statuta dedisse (quod est quartum inter ea quæ Aymericus hoc anno gessisse diximus) tradit Balæus relatus; sequitur & Myræus; & clare recipit Acuña, dum dicit Regulam dedisse Carmelitis, nec obscure indicat B. Cyrillus dum inquit statuisse, *quod ex ipsis vnus qui diceretur Prior, deinceps ita praeesset, vt quilibet aliorum obedientiam ei deuoueret, sub cura cuius, & regimine omnes viuerent*. Alludunt Malinis, Bacconius, & Ciminetus, dum dicunt in *scriptis modum vitæ eorum redigens*. Et sanè id valde credibile est, cum reformatio, aut restitutio Religionis sine nouis statutis, aut legibus vix capi possit. Nec incongrue credi potest huiusmodi Ordinationes, seu Statuta ex Regula Sancti Basilij, quæ in illis partibus communis fermè Monachis erat, extractas fuisse, vt aliqui volunt apud Azorium *tom. 1. instit. moral lib. 12. cap. 23.* — De statutis.

28 De alijs Aymerici gestis, & qualiter huius reformatæ Religionis dies pro festo solemnià priscis Carmelitis diu obseruatus fuerit, agit Sarracenus supra. De alijs autem sequenti anno disserimus, vbi simul alia, quæ hic desiderari possunt opportunius tractantur. — De alijs gest.

Ann. Christi *1142*. Innocentij 2. Roman. Pont. *13*. Conradi Regis Roman *4*. ac Ioann. Comneni Imperat Orient. *24*. B. Bertholdi Gen. *2*.

1 SEquenti Anno 1142. quo Francorum Regnum interdicto suppositum fuit per Yuonem Cardinalem Legatum in Gallias missum; & Fulcone Hierosolymorum Rege mortuo, Balduinus puer 13. annorum in Regnum successerat; duo alia ex ijs, quæ Aymericus Patriarcha pro Carmeli Eremitarum restauratione sub anno præcedenti gessisse diximus, connumeranda iure veniunt. Quæ sunt libri Ioannis Patriarchæ, qui est *de Institutione Monachorum*, ex Græco idiomate in Latinum conuersio; & noui Cænobij in Carmelo, vbi in vnum colligi possent, constructio. Hæc enim, vt rectè, & commodè fierent, plus temporis postulabant, ac perinde non sine causa credimus ad hunc annum delata. — Gesta extranea.

2 Præfatum ergo Ioannis Patriarchæ librum Aymerici opera ex Græco Latinum factum, constans veritas est. Eam profitentur ex nostris Beatus Cyrillus, Ioannes de Vineta, Bostius, Ioannes Paleonydorus, Petrus Lucius, Petrus Sarracenus, & Balæus sub anno præcedenti relati, Thomas — De translatione libri.

de Iesu *lib. 1. de antiquitate Carmelit. cap. 10.* & de exteris Conradus Gesnerus in *Bibliotheca*, Siluester Marulus Cisterciensis Abbas in *Ocean. Religion.* loquens de Carmelitis, Ioannes Molanus Louaniensis in sua *Bibliotheca Theologia*.

Qua de causa.

3 Huius porro libri in Latinum versionis causa ea fuit, quod ipse pro Regula Eremitis ijs erat, prout colligitur ex præfati D. Cyrilli eo *lib. cap. 1.* illis verbis: *Quem librum ipse Ioannes sodalibus suis Religiosis Eremitis Montis Carmeli legendum, & obseruandum tradidit.* Quibus similia Bostius, & alij; quem quia, ij, qui ex Latinis Carmelo adiuncti erant, legere nesciebant, nec proinde obseruabant, idcirco Latino idiomate transferri necessum fuit, vt ab omnibus percipi, & obseruari posset, vt constat ex verbis illis Cyrilli sub anno præcedenti relatis: *Intelligens quosdam eorum, qui ex Occidente superuenerant spretis senioribus monitis non rectè ambulare ad veritatem vitæ Eremiticæ in prædicto Ioannis libro descriptæ, perpendens hoc ideo maximè contingere, quia Græcas litteras ignorantes nesciebant Codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* Quibus similia Ioannes de Vinea, & Bostius eodem anno relati. Idem profitetur Balæus etiam sub anno præcedenti adductus illis verbis, *Præfati Ioannis Librum, quem Græcè scriptum illuc vsque seruauerant, in Latinum sermonem transtulit, vt deinceps esset ex Hebræis, Latinis, & Græcis Latina Religio.* Quorsum enim, aut quo fine liber ille à 700. & eo amplius annis apud illos seruatus in Latinum conuerti deberet, nisi quia antea pro regula ipsis esset, & in posterum futurus, vt propterea pro communi vsu communi idiomate transferri oporteret? Idem tradit, & erudite probat Thomas de Iesu *sup. Regul. Carmelit. par. 1. cap. 12.* An autem cum eo simul Sancti Basilij Regulam haberent, secundo Tomo sub ann. 363. *num. 15.* dicimus. An etiam omnino ab Aymerico de verbo ad verbum, an vero solum quibusdam mutatis, quoad verum sensum, Latinus factus fuerit, ex ijs, quæ scripsimus primo Tomo in Apparat. *cap. 9.* habet Lector. Quis autem, vel qualis, quam plenus spiritu perfectionis Religiosæ, Historijs, & Allegorijs, ex ipsius lectione, quem dedimus Tomo præcedenti ex varijs vetustis exemplaribus extractum, haurient, qui illum legerint, quod sine fructu magno ipsis non continget. Quod tandem author illius sit prænominatus Ioannes Hierosolymitanus pro comperto habetur ex dictis Tomo primo cap. 9. Apparatu relato.

De Monasterij erectione.

4 Id tandem, quod de Monasterij pro nostris Eremitis in eo recipiendis constructione in Carmelo, auspicijs Aymerici facta diximus, vera est, & constans sententia. Quam primus tradidit B. Cyrillus verbis relatis sub anno præcedenti. Sequuntur Ioannes de Malinis, Ioannes de Baccone, Vinea, Bostius, Paleonydorus, Balæus, Petrus Lucius, Didacus Coria, & Sarracenus ibi adducti. Et sanè id valde necessarium fuit pro pio Aymerici, Bertholdique desiderio implendo, quod erat, vt diximus, vt Eremitæ illi iam non sparsim per montis antra, ac spelæa, instar Palæstinorum Anachoretarum, morarentur, sed in vnum locum, latino more conuenirent,

quo faci-

quo facilius Bertholdi, & successorum directioni, gubernio, ac obedientiæ subderentur.

5 Propterea volunt aliqui asserendum esse in hac Aymerici reformatione Carmelitanum Ordinem factum fuisse ex Anachoretico, seu solitario, cœnobialem, aut Monasteriensem. Ita enim loquuntur Balæus relatus. Thom. de Iesu *in exposit. Regul. cap. 1. par. 3. gloss.* 1. Cum tamen in alijs Orbis partibus, Europa præsertim, & in ipsa quoque Palæstina, Cœnobia, Monasteria, seu Eremitoria Carmelitarum essent, vt sub anno præcedenti diximus, ideo hæ mutatio Ordinis ex Anachoretico in Cœnobiticum in Carmelo solum facta fuit. Sed quia Carmelus totius Religionis caput erat, ideo totus Ordo restitutus dici potest, præsertim cum ad ipsius imitationem idem quoque in alijs locis factum credatur. Quorundam placitum.

6 Hoc autem Cœnobium sub B. Margaritæ titulo erectum fuisse testantur ipse B.Cyrillus, Ioannes de Vineta, & Petrus Sarracenus. Alij vero ex nostris nihil tale de titulo Sanctæ Margaritæ loquuntur; supponentes potius Deiparæ Virgini atticulatum fuisse: speciatim Bostius inquiens: *In honorem Beatæ Virginis Mariæ Dei Genitricis latum Monasterium ædificari faciebat*. Cœterum dissidium hoc haud difficilè conciliari potest, si dicamus, Aymerici intentionem eam fuisse ob deuotionem, quam versus Sanctam Margaritam ipse gerebat, vt Cœnobium sub ipsius titulo extrueretur, quia tamen illud non perfecit, sed tantum inchoatum reliquit, vt dicemus, idçirco nec suum hoc intentum perficere potuisse. Vel si dicatur sub vtriusque titulo, videlicet, Dei Genitricis, & Sanctæ Margaritæ Monasterium ceptum; quod nec rarum, nec insolitum est, cum constet plures Ecclesias, etiam in Alma Vrbe, sub plurium Sanctorum, vel Sanctarum titulis dicatas, vel consecratas esse. De Cœnobij titulo.

7 Hoc autem Cœnobium Carmeli, Deiparæ nuncupatum fuisse, vel soli ipsi, vel etiam simul cum Beata Margarita, pro comperto videbitur, si animaduertamus, Oratorium illud, seu Sacellum eidem Deiparæ ab initio nascentis Ecclesiæ sacratum, cuius latè memoriam fecimus Tom. 2. in *Apparatu cap.6. num.6. & sequentibus, & ann. Christi 36. num. 22. & 23. & ann. 40. num. 3. & ann. 49. num. 4. & 5.* ac maximè *ann.* 83. inclusum fuisse intra septa huius Monasterij, prout perspicuè habent Bachonius noster, quem affert, & sequitur Ioannes de Malinis in *Specul. histor. cap. 6.* & colligitur ex Bostio verbis relatis sub anno præcedenti, ac ex Sigiberto ab ipso ibi citato. Quis enim credet, vel ob reuerentiam, & deuotionem Sanctissimę Dei Matris; cui hæc Capella primitus dedicata fuit, voluisse nouum Templum ipsius titulo non decorari? Legatur de exteris Authoribus Petrus Rodulphus Minorita *in Histor. Franciscanorum lib.2. fol.* 149. An Beatiss. Virg. dicatū:

8 Cœterum hoc Monasterium non consummatum, aut perfectum ab Aymerico, sed duntaxat inchoatum, & inceptum fuisse tradunt ipse B. Cyrillus, Ioannes Paleonydorus, & Petrus Lucius relati. Alijs enim curis distentus ingentis Cœnobij (sic illum compellat Balæus) perfectioni Non perfectum:

attendere non potuit. Quin etsi Regis Hierosolymorum Balduini eleemosynis iuuaretur B. Bertholdus, vt illud perficeret, vt tradunt Paleonydorus, Siluester Marulus, & Sarracenus, adhuc tamen perfici non potuit vsque ad tempora Beati Alberti Regulæ latoris, vt ibidem dicemus. Hìc vnum notandum, Balduinum Regem, qui pro constructione Cœnobij Beatum Bertholdum iuuit, non fuisse Balduinum de Burgo, vt præfati Paleonydorus, & Sarracenus scribunt; cum hic diem suum obierit circa annum 1131. vt Marcus Sanutus habet *in Tabula Geographica Regum Hierosolymæ*; sed Balduinum alium Fulconis filium, qui, vt diximus, hoc anno, teste Baronio, vel sequenti saltem, testante Sanuto, Regnum subijt. Erroris causa Paleonydoro, & Sarraceno fuit, quod crediderint restitutionem hanc Carmeli incolarum sub anno 1121. factam; cum tamen non nisi hoc tempore, vt diximus, acciderit. Gum autem Monasterium prædictum ab Aymerico perfectum non fuerit, & consummatum vsque ad Alberti tempora, ideo hoc tempore intermedio Montis Eremitæ in locum vnum iuxta inchoatum Cœnobium ab Aymerico collecti simul morabantur in cryptis tamen, & speluncis.

Ingens erat Cœnobium,

9 Hoc porro Cœnobium ab Aymerico ceptum Balduini Regis misericordia, & pietate prosecutum, ac Beati Alberti charitate consummatum, ingens fuisse, vt Balæus scripsit, vel ex testimonio Ioann. Paleonydori *lib. 3. cap.* 10. comprobatur, qui quemdam Magistrum Vvillelmum Ciuem Herlemensem pro teste adducens, sic habet: *Sed Magister Vvillelmus Ciuis Herlemensis retulit mihi, quod anno* 1489. *fuerit cum multis in Mõte Carmeli, & in Ecclesia, cuius testudo interior opere Mosaico est depicta. Dixit insuper non vidisse se maiorem.* Cui consonant, quæ ex Sigiberto, & Bostio sub anno præcedenti adduximus. Et relatio, quam de Carmeli Monte nuper fecit Reu. Pater Prosper de Spiritu Sancto ex nostris Patribus Discalceatis, illuc pro Montis Vicario missus; Describens enim, quæ per triennium ibi commorans aspexit, ad ianuam antri ingentis, quod Aquilonem respicit, vbi Eliæ spelunca creditur, fuisse magni cuiusdam ædificij fabricam, & Architecturam ex politissimo lapide affirmat repertum. Quod sanè Monasterij veteris ibi existentis ruina fuit.

Quo loco.

10 Situm autem erat Monasterium hoc iuxta Fontem Eliæ nuncupatum, sic enim testatur Ioannes de Malinis, & Bacconius sub anno præcedenti relati, & constat ex Regula Alberti, quæ data fuit Eremitis Montis Carmeli, *iuxta Fontem Eliæ* commorantibus, vt suo loco dicetur. Hoc enim tempore quo Regulam ab Alberto susceperunt in eo loco Montis morabantur, in quo ab Aymerico fuerant coniunctim collocati. Consonant etiam Brocardus Dominicanus, qui cum visitasset Carmelum, hunc nostrum Carmelitas etiam inuisit, & cum illis fuit, quos scribit fuisse iuxta speluncam Eliæ, & fontem vbi primitus filij Prophetarum habitauerant. Legatur in suo *Terræ Sanctæ Itinerario*. Consonat quoque præfati P. Prosperi relatio citata, cum iuxta prædictum antrum tres cisternas asserat in-

rat inueniri, quæ vt videtur, fontem ipsum Eliæ ibi extare, vel extasse demonstrant. Clarius etiam ibidem, cum, iuxta vnum ex Cœnobijs, quorum ruinæ etiam nunc, vt ait, cernuntur, Eliæ fontem extare describat.

11 Huius etiam sacri Sacelli noua veneratio, reuerentia, & cultus, inclusioque sub septis inchoati sumptuosi Cœnobij causa forte fuit, vt postea titulus Fratrum *Beatæ Virginis de Monte Carmeli*, quem à tempore primeuæ Sacelli institutionis, vt Tomo secundo in Apparatu *cap.6. num.13. & 15.* dicimus nostri habuerant, & qui iam, tot temporum vicissitudinibus transactis, apud aliquos in obliuione erat, magis, ac magis euulgaretur. Quo sensu accipiendum id quod in manu scripto illo Bibliothecæ Ducis Altemps, de quo sub anno præcedenti diximus, habetur, ordinasse videlicet Aymericum Patriarcham, vt deinceps Fratres nostri *Fratres Eremitæ Beatæ Mariæ de Monte Carmelo* vocarentur. Et quod etiam Paleonydorus dicto *lib. 5. cap. 1.* dixit, tempore B. Bertholdi nostros appellatos *Fratres Eremitas Beatæ Mariæ Virginis Dei Genitricis de Carmelo*, quia scilicet titulus iste magis euulgatus, & propagatus eo tempore fuerit. Eodem quoque accipiendi sensu veniunt authores Theatri vitæ humanæ *volum. 27. lib. 3.* Sabellicus *lib. 5. Æneid. 9.* & alij, qui dum huius reformationis sub Aymerico factæ mentionem faciunt, prædicti Deiparę phani, necnon tituli Fratrum eiusdem Genitricis Dei mentionem faciunt.

Titulus Fratrum Beatiss. Virg. de Mót. Carmel.

12 Sunt qui putent ab hoc eodem Aymericanæ restitutionis tempore, Ordinis nostri primordialem originem fore desumendam: neque enim altius principium eiusdem, ab historijs nostris, ex quibus veritatem mendicare possent, prorsus alieni, agnoscere videntur. Rem sanè validissime nunc expugnandam, nisi satis, superque pro viribus, tribus præcedentibus Tomis Annalium nostrorum fecissemus, Ordinis primariam institutionem, hæreditariamque propagatam successionem longe ante tempora Aymerici, de quo in præsenti, ostendentes. Et sanè Carmelitarum Religionem non hoc tempore incepisse, præter ea, quæ Tomo primo dicimus, clarissimè apparet, ex his quoque, quæ ex nostris Patribus Discalceatis doctiss. Thomas de Iesu *Comment. in Regul. Carmelit. par. 1. cap. 1.* Franciscus de Sancta Maria in *histor. Proph.* & præsertim *lib. 1. cap. 10.* & Thomas Aquinas à S. Ioseph in *lib. de Patriarchatu Eliæ* scripserunt.

Quorundam opinatio.

13 Specialiter tamen Ordinis primęuam originem ab Aymerico cõputandam non esse, sed ante ipsum Carmelitas extasse multis suaderi potest. Primo quidem ex nostri Ordinis Authoribus B. Cyrillo, Bacconio, Ioanne de Malinis, Ciminetо, Vineta, Grossio, Bostio sub anno præcedenti relatis, qui cum sint antiquitate, & doctrina præclari, nullatenus à testimonio etiam in causa propria ferendo excludi possunt. Hos etiam moderniores alij ibidem quoque relati subsecuti sunt. Secundo ex Scriptoribus exteris, qui hæc Aymerici circa nostros gesta referunt, constanter namque supponunt illum solummodo Anachoretas in Carmelo degentes, per Montis antra, & speluncas dispersos, in vnum Cœnobium congregasse: vt dein-

Ordinis Origo.

vt deinceps collegialiter, & Cœnobiticè, Latinorum more, conuiuerent: quod est Ordinem ad meliorem formam, methodumque viuendi reuocare. Pro illis autem, & quasi omnium nomine Aubertus Miræus, huius sæculi doctissimus Historiographus *lib. 3. de Orig. Carmelit.* sic scripsit: *Est in Syria Mons Carmelus quarto lapide ab Accone, seu Ptolemaide Vrbe ob triennalem olim obsidionem nobili. In eo Monte Eliam olim Prophetam, & Discipulum eius Elisæum, aliosque Prophetas vitam egisse solitariam sacris ex litteris constat. Horum exemplo post Christum natum plurimi exinde Anachoretæ locum illum tenuere, qui demum Aymerici Malefaida Lemouicensis Patriarchæ Antiocheni, Sedisque Apostolicæ transmare Legati opera, in vnum, certis legibus vno sub capite, seu Præfecto coiere, cum antea sparsim incolerent.* Quibus similia ferme Sabellicus, Polydorus, Theatrum vitæ humanæ, Conradus Gesnerus, Gualterus, & Siluester Marulus, dicto etiam loco adducti. Illis iungitur impius Balæus inter nostros propter habitum Virginis susceptum, inter extraneos tamen propter hæresim, & Apostasiam recensendus, cuius etiam verba ibidem relata sunt. Clarius id exprimit Anonymus ille manuscript. Bibliothecæ Altemps.

Aymericum non fuisse institutorem.

14 Deinde Aymericum primum Ordinis Institutorem non fuisse ex dictis sub anno præcedenti corroborari potest. Si enim, vt ibi visum est, Aymericus illis Carmeli Anachoretis Regulam nouam non dedit, sed solum librum Ioannis Hierosolymitani, quem pro Regula primitus habebant, ex Græco in Latinum verti fecit, vt vsui omnium Latinorum, præsertim tyronum, esset, absdubiè elicitur ante hoc tempus Regulares eos fuisse, vitamque Religiosam sub præscripta Regula egisse. Præterea, si vt eo loco dictum est, B. Bertholdus ab Aymerico in Priorem Carmeli constitutus omnino primus non fuit inter eos, quos in Superiores Eremitæ illi habuerant, sed illius successor, qui iam diem suum obierat, clare denotatur, ante Bertholdum sub obedientiæ iugo, ac per consequens sub Religiosa disciplina perseuerasse. Ad hæc, cum hoc tempore, quo Aymericus hanc sibi Prouinciam Carmeli Eremicolas in vnum congregandi assumpsit, extra Carmelum, nedum in Palæstina, & Syria, sed in Europa etiam plura Ordinis Cœnobia, Monasteria, Eremitoria, Asceteria, seu nostrorum Eremitarum mansiones extarent, vt eo loco visum est, quis neget veram quoque Religionem, Regularemque Ordinem in Orbe primitus extasse? Aut quis dicat Ordinem Carmelitarum cepisse ex eo solum, quod Eremitæ Montis Carmeli in vnum Cœnobium includi iuberentur? His iunge, quod B. Cyrillus, author sanè sanctitate insignis, doctrina celebris, & huic tempori Synchronos, qui primus huiusmodi Aymerici reformationem retulit, & à quo alij sumpserunt, verbis relatis sub anno præcedenti, clarè (quæ etiam habet Ioannes de Vineta ibi quoque relatus) supponit seniores Carmeli cultores etiam tempore illo ibi consistentes vere Religiosam vitam gessisse. Ideo enim eos *Fratres Beatæ Mariæ de Monte Carmeli* appellat, quod Religiosorum cognomen est. Ideo

etiam

etiam de iunioribus illis, qui ex Occidente superuenerant *non rectè ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ*, dixit, illos sanè antiquioribus Eremitis contraponens, qui id faciebant. Ideo quoque horum Seniorum sanctæ vitæ quam ipse innocentiam appellat, consulere volens, *ipsos omnes*, videlicet Tyrones, renuentes, *per Obedientię vinculum colligauit*, & statuit, *quod vnus ex ipsis, qui diceretur Prior, deinceps eis ita præesset, vt quilibet aliorum obedientiam ei deuoueret, sub cura cuius, & regimine omnes viuerent.* Quo sanè indicatur veteres illos Eremitas hoc modo viuendi vsos fuisse, vt propterea dixerit idem Cyrillus de Aymerico, *qui prædictorum Antecessorum nostrorum Eremitarum Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo laudabilem conuersationem attendens, eos multum specialiter in Domino enutriuit.* Non enim de gyrouagis, & sine obedientia ambulantibus Eremitis ea dici possent.

15 Nec prętermittendũ ex ipso modo reformationis ab Aymerico factæ colligi sufficiẽter Eremitas illos vetustiores Carmeli incolas prius verè Religiosos fuisse: & si illi de nouo adiuncti Tyrones, scilicet, qui ex Occidente superuenerant, non rectè ad *veritatem vitæ Religiosæ* ambularent, nec forsan veri essent Religiosi. Si enim Seniores Eremitæ Religiosi primitus non erant; quo iure ab Aymerico Religiosi sicut & illi fieri nouiores coacti sunt? Quomodo tam facile obedientiæ iugo colla subdidere? Cur nec vnus (quod scriptum sit) renuere ausus fuit? Sanè non alia huius rei causa fuisse videtur, nisi quia Seniorum exemplo moti, Aymerici authoritate exciti, & modi quem elegerant viuendi stylo antiquo ducti, id ipsis necessarium fuisse cognouerunt, vt suo postposito, aliorum contubernio, Antistitis accidente beneplacito, satisfacerent. Ad quod etiam deseruit, quod ex ipso Aymerici facto elici quoque videtur, etiam Tyrones Eremitas primitus verós Religiosos fuisse, etsi à veritate talis status per laxam, & liberiorem vitam deuiassent. Hoc enim suadetur ex eo, quod tam facilè nullusque resistentia sub obedientia Bertholdi colligari promiserint, quo sanè indicatur, eos ex vi Eremiticæ Carmeli vitæ assumptæ ad id teneri, & obstringi. Aliter enim obedientiæ iugum facile subterfugere possent, & sicut primitus per Montis cryptas suo arbitrio separatim viuere. — Ex alio capite.

16 Maneat ergo vt inconcussa veritas, si aduersarijs placuerit, Aymericum, nostri Ordinis reformatorem, non formatorem, restitutorem, non institutorem, promotorem, & non authorem appellandum iure fore. Quod prudens sanè Honuphr. Panuin. relat. *circa hunc annum* 1141. his conceptis expressit verbis: *Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico Malefaida Lemonicensi Patriarcha Antiocheno, & Apostolicæ Sedis transmare Legato in Monte Suriæ Carmelo, quorum primus fuit Frater Bertholdus vir Sanctus.* Quod etiam imitatur doctiss. Genebrard. *lib.* 4. *Chron. ann.* 1182. Etsi enim cum Polydoro dixerit. *Ordo Carmelitarum (qui tunc variegata chlamide induebatur) initium habuit in desertis Syriæ Aymerici Antiocheni Antistitis opera (vt refert Polydorus Virgil. lib.* 7. *de Inuentoribus rerum cap.* 3.) — Aymericus reformator.

se ta-

se tamen, suumque Polydorum corrigens, immediate subiunxit: *Sed eorum origo altius repetenda est, nempe à Prophetis Elia, & Eliseo, qui Carmelum Montem Terræ Sanctæ primi consecrarunt, & Discipulos ibi reliquerunt, quos scriptura filios Prophetarum appellat. In Europa eum postea adduxit Albertus Patriarcha Hierosolymitanus. Primi sunt Mendicantium.* Quo etiam sensu astutè Balæus *vt supra* asseruit: *Monasteriensem Carmeli Ordinem Aymerici opera creatum primum fuisse*, subindicans sanè sub Eremitica forma iampridem ortum habuisse. Hieronymus etiam Platus *de bono statu Relig. lib. 2. cap 22.* fatetur hoc eodem sensu cum Vvaldensi Ordinem nostrum circa ann. 1100. hoc sanè æuo, refloruisse, idest noua reformatione in Carmelo facta restitutum fuisse: Item Gualterus *in Tabul. Chronograph. sæculo duodecimo* affirmat hoc tempore Aymerici Ordinem nostrum stabilitum fuisse, & ipsum Aymericum illius Protectorem, & Promotorem, Quo etiam satis indicat non institutorem, sed restauratorem illius fuisse.

Aymericus an Legatus S. Apostol.

17 Cum autem Aymericus noster Sedis Apostolicæ in illis Syriç partibus Legatus tunc temporis esset, vt astruunt B. Cyrillus, Ioannes de Vineta, Grossius, Bostius, Paleonydorus, & alij ex nostris, ac de exteris Honuphrius, Acuña, Miræus, Gualterus, Centuriatores Magdeburgenses, & Balæus relati, ipseq; ad nouam formam Cœnobitarum Carmelum restituerit, videtur quod nō solū propria, sed & Legati Sedis Apost. auctorit. Ord. in eo monte vigentem, ipsiusque Regulam (Ioannis Ierosolymitani nempe) approbasse dicatur. Ac proinde ab hoc anno Apostolica authoritate Ordo confirmatus dici possit. Ante Aymericum tamen tam in Carmelo quam in alijs Orbis locis ab Episcopis, & Superioribus Ecclesiæ Prælatis approbatus dici debet. Cum approbatio Religionum ante Concilium Lateranense sub Innocentio 3. & *cap. fin. de Religios. domibus & cap. vnico eodem tit. in 6.* auctoritate Episcoporum fieret. Prout docent Thom de Iesu super *Regul. Carmelitar. par. 2. dub. 3.* Vazquez *in 1. 2. disp. 165. cap. 4. num. 39.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 17* post Lessium Mirandam, Azorium & alios. Vnde modo post prædictum Concilium iure Ecclesiastico solum Papæ confirmatio requiritur. Bellarm. *tom. 2. lib. 2. de Monachis cap. 4.* Ante ipsum autem antiquiores Religiones ab Episcopis solum approbatæ consistebant. Et ideo rectè Trithemius *in lib. de laudibus Carmelit. cap. 5.* quem ad hoc intentum affert Suarez *supra num. 4. Dic mihi detractor bonorum, legisti ne Bullas veterum Ordines approbantes? Quis Papa confirmauit veteres Ordines Pachomij, Basilij, Augustini, & Benedicti? nusquam inuenies hos Ordines litteris confirmatos à principio.* Nihilominus auctoritate Apostolica Romani Pontificis desiderasse Aymericum gesta ab ipso in Carmelo confirmari, aliqui ex auctoribus relatis sub anno præcedenti dixerunt. Quo anno autem, & à quo Pontifice id factum sit dicetur anno 1179. & 1180.

Animaduersio.

18 Id solum animaduertendum restat, quod cum Carmelus Mons, in eoque vigens Ordo Carmeliticus caput semper fuerit totius Carmelitanæ

tanæ per orbem diffusæ familiæ, quæ diximus de approbatione ipsius, & illius Regulæ pro toto Ordine intelligenda veniunt. Teste enim Guilelmo Sannico, alias Samuco, eiusdem Carmeli à 400. annis vetusto eremita, ac colono, *in Chronic. de multiplicat. Carmelit. in speculo Ordinis lib. 9. cap. 1.* eremitæ Ordinis nostri *quamuis essent locis seiunctis, eamdem tamen vitam solitariam seruare satagebant, quam seruabant Eremitæ Montis Carmeli.* Æque ergo de omnibus iudicandum.

Ann Christi *1143.* Cælestini 2. Rom Pontif. 1 Conradi Regis Roman. 5. Emmanuel. Imper. Orient. 1. B. Berthol. Gen. 3.

1 Obijt sequenti anno 1143. Summus Pontifex Innocentius 2. & elapso die ab obitu ipsius, creatus, & electus est alius nomine Cælestinus 2. Baronius, Spondanus, & alij sub hoc anno. Quod autem huius Pontificis vita breuis satis fuerit, quinque videlicet tantummodo mensium in causa etiam est quod nihil de ipso quod ad Ordinem nostrum spectet dicere possimus. Pontificum successio.


2 Astruit idem Baronius hoc eodem anno ex hac vita sublato Rodulpho Antiocheno Patriarcha in locum ipsius subrogatum fuisse Aymericum, idq; ex Tyrio se hausisse affirmat. Sed quomodo hoc asserat nescio cum communior sententia Chronologiæ Scriptorum sit ab anno 1137. Patriarchatum gessisse. Sic tenent Honuphrius Panuinus *in Cronol. Ecclesiastic.* Pineda *lib.* 18. *Monarchia cap.* 8. ex Genebrardo; Hieronymus Bardus *in Chronolog.* Marquardus Freherus *in Chronolog. Imper.* & ex nostris Petrus Lucius *in Compend. Histor. Carmelit. cap.* 12. Sed maius est quod asserit, scilicet ex Tyrio id se habere; cum luce clarius constet Tyrium *lib.* 16. *cap.* 3. *in princip.* pro anno 1142. proxime præterito supponere Aymericum Antiochiæ Patriarcham: quomodo ergo ex eodem Tyrio elici valet sub præsenti anno 1143. in Patriarcham fuisse subrogatum? Sed facile est etiam doctissimis deficere: nobis quoque satius sit cum relatis Historicis asserere Aymericum præfatum sub anno 1137. Patriarchatum ascendisse, ac subinde quæ annis 1141. & 1142. scripsimus circa Carmeli eremitas egisse. Patriarcharum.

3 Accidit hoc anno, vt Caloianes Constantinopolitanus Imperator iræ furiæ correptus, quod sibi res ad votum non euenisset, Syriam cum maximo ingressus exercitu, in plures nostri Ordinis Eremitas, qui spatsim per Palestinæ regionem, Anthiochenam præsertim Prouinciam, & Montem Neroi morabantur, alias sanctissimos, de quibus annis præcedentibus diximus, sæuiens, de cellulis suis eductos crudelissimè tractauerit. Casum refert Otto Frinsingensis *in Chronic. l.* 7. *cap.* 28. per hæc verba. *Anno ab Incarnatione Domini M.C.XLIII. Calo Iannes Constantinopolitanus Imperator,* Gesta Caloianis Imper.

qui filio suo Manueli Sororem Reginæ Geltrudi despondando, cum Romano Rege Conrado amicitiæ fœdus inierat, ab Anthiocheno Principe Raymundo, qui ei Prouinciam illam pro pecunia cum ipsa vrbe inuauerat, Syriam cum maximo ingressus exercitu promisso frustratur. Cui venerabilis Episcopus Gabulensis N. in faciem viriliter restitit. Eumque ex parte Romani Pontificis, & Imperatoris, eo quod præfata Ciuitas à Latinis possideatur, vt ab eius impugnatione desistat intrepide commonuit. Ille autem eo quod à Principe delusus esset, Ciuitati quidem pepercit sed totam ferro flammaque depascens prouinciam, eremitas quoque, quorum grandis ibi copia est, de cellulis suis eductos, non Calo, idest boni Ioannis officium agens, crudelissimè tractauit. Rem etiam refert Baronius pro isto anno. Qui tamen fuerint isti eremi cultores nec ipse, nec Otto explicuere. Nostros tamen fuisse, saltem magna ex parte, nullus refragabitur, qui penè innumeram nostri Ordinis Eremitarum multitudinem eo tempore Syriæ, & Palæstinæ eremos incolentem, de quibus sub annis 1141. & 1142. diximus, animaduerterit. Si enim, vt ibi scripsimus, ex graui, & peruetusto Ordinis authore Gulielmo de Sannico, quem Bostius, & alij posteriores secuti sunt, à tempore recuperatæ Terræ Sanctæ adeo creuit Carmeli Eremitarum copia, vt cum ibi commodè recipi omnes non possent, desertas Syriæ solitudines replerent, Iordanis maximè, Montis Quarentenæ, & Maris Galileæ, in montem quoque *Neroi*, seu Montanam *Nigram* ab Aymerico ducti essent, pro comperto habebit plures ex istis qui à Græco Imperatore crudelissimè tractati sunt, ex nostris fuisse. Id etiam habet Hieronymus Roman. Augustinianus in Historia, quam *Republicas* vocat *in 2. edit. par. 1.* ac Thomas de Iesu *de antiquit. Ord. Carmelit. lib. 1. cap. 9.* Delicti tamen pœnas subijt Imperator, qui non solum duorum filiorum obitu, sed & propria morte à seipso sibi inflicta suæ ipsius sagittæ venenatæ vulnusculo, mulctatus à Deo est. Baronius vt supra.

Dubitatio. 4 Cum autem, vt dicemus in sequentibus B. Bertholdus plurimorum sui Ordinis fratrum a Tyrannis occisorum animas in Cœlum deferri viderit, dubitari sanè potest, an hoc tempore huius persecutionis id contigerit. Quia tamen nec constat aliquos ex illis hac occasione occisos, nec Turcæ ij essent, sed Christiani, etsi forsan Græco dogmate imbuti, ideo putandum alio tempore hanc reuelationem Bertholdo factam fuisse. De qua in sequentibus.

Ann. Christ. 1144. Lucij 2. Rom. Pontif. 1. Conradi Regis Rom. 6. Emmanuel. Imperat. Orient. 2. B. Berthold. General. 4.

Pontificis obitus. 1 Viuendi finem hoc anno sub octauo Idus Martij fecit Romanus Pontifex Cælestinus 2. Cumque vacasset Sedes die 1. in locum ipsius suffectus est Gerardus Camerarius Cardinalis, Lucius 2. cogno-

cognominatus. Sic ex Codice Vaticano, Baronius, Gordonus, & alij sub hoc anno. Vir sanè fuit, prudentia, & sanctitate præditus, qua Romanorum eo tempore rebellantium proteruiam, & Arnaldistarum vecordiam superare potuit. Confirmauit autem hoc Pontifex sententiam à Prædecessoribus suis Innocent. 2. confirmatam, & Calixto 2. latam, in qua iuxta, & conformiter ad priuilegia Ioannis 15. & Vrbani 2. declaratum est, Ecclesiæ Sancti Chrysogoni de Vrbe, quæ postea sequenti tempore Ordini nostro concessa fuit, & modo possidetur à nostris Fratribus Congregationis Mantuanæ, subiectos esse debere Clericos Ecclesiæ Sancti Saluatoris de Curte quoad scrutinium, baptisma, capitulum, processiones, & Clericorum ordinationes. Constat hoc ex epistola quadam Innocentij 3. quę habetur in lib. 2. Epistolarum eiusdem in impressione Veneta pag. 476. Quæ in gratiam huius nostræ SS. Martyris deuotissimi Chrysogoni Ecclesiæ huic loco inserenda duximus.

2 Insaniebat his diebus contra Clericos, Monachos, & Ecclesiasticos Ordines, vir quidam, probi, & Religiosi habitum præseferens, re tamen vera sub ouina pelle Lupum gerens. Fuit is nomine *Arnaldus*, alias *Arnoldus*, seu *Arnolphus*, Italus Brixianus, & Petri Abaylardi Discipulus. Eius præcipuum dogma, & cœterorum errorum caput, fuit (erat enim Clericorum, & Episcoporum derogator, Monachorum persecutor, & Laicorum adulator) Episcopos, Clericos, & Monachos temporalia bona, vel possessiones habere non posse, sed cuncta hæc sæcularium Principum esse, & in Laicorum tantum vsum cedere posse. Delatus propterea in Concilio Lateranensi sub Innocentio 2. anno 1139. silentium illi impositum. De Italia tamen fugiens ad Transalpina se contulit, ibique in Oppido Alemaniæ *Turego* officium Doctoris assumēs perniciosum dogma aliquot diebus seminauit. Otto Frisingensis *de rebus gestis Frideric. Imperatoris lib. 2. cap. 8.* Baron *sub anno 1139.* Gualterus *in Tabul. Chronographie. sæcul. 12.* Hoc autem tempore Romam ingressus à Romanis acceptatur, qui ipso suadente antiquam Senatoriam dignitatem, equestremque Ordinem ad instar Priscorum contra Lucium Papam statuere volebant. Baronius *sub hoc anno*. Hic Arnoldus nostri Ordinis, & aliorum hostis, qui eis etiā possessiones habendi copiam denegabat, meritas proinde pœnas ligno adactus, & igne cōbustus soluit sub an. 1155. vt eo an. dicemus.

Arnaldi insania.

3 Pari etiam Dei prouidentia alij Monachorum hostes, qui ipsis euulsis, Ecclesias in castella conuerterant, puniti sunt hoc eodem anno in Anglia. Vnus enim illorum coram ipso Monasterio interfectus est, & alter sagitta percussus post aliquot dies excommunicatus occubuit: &, quod mirabilius est, dum Ecclesia pro Castello teneretur, sanguis à parietibus illius, & Claustri adiacentis, ebulliuit. Alter autem, qui minister iniquitatis fuerat, nanim cum vxore mare transiturus ascendens, occulta vi detentus, nec ipse, nec nauis cursum suum agere potuerunt. Baronius sub hoc anno ex Rogerio *in Annalibus Angliæ*.

Monachorū hostes puniti.

Aymerici gesta. 4 Saniori ergo, & rectiori consilio Aymericus noster promotor, & protector, non Ecclesias a Monachis auferendo, aut in castra conuertendo, vt isti faciebant, nec possessiones illis, vt Arnaldus, denegando; sed potius Eremitis nostris Monasterium extruendo, in vnum ipsos locum congregando, fouendo, & propagando, a Deo meruit longitudinem dierum obtinere, vtpote, qui diu durans superstes quinquaginta annis Patriarchatum gessit: illis e contra Monastici status hostibus, tempore non suo miserè pereuntibus. Sicut enim Iob 22. de impijs habetur; *Iniqui sublati sunt ante tempus suum*. Sic etiam Prouerb. 10. de iustis, *Timor Domini apponit dies*.

Alia. 5 Inter ea autem, quæ Aymericus nostris contulit charitatis, et pietatis beneficia, de quibus in superioribus egimus, illud etiam supputandum, quod illos multo tempore, eleemosynis, et misericordijs pro vitæ sustentatione adiuuauerit; quod ijs præsertim annis credimus accidisse. Id vero tradunt Beatus Cyrillus loco relato sub anno 1141. illis verbis, *eos multum specialiter suo tempore in Domino enutriuit*. Eadem etiam Ioannes de Vineta, et Bostius eo loco adducti. Similiter Bacconius, et Ioannes de Malinis verbis ibidem relatis, *eos multum specialiter longo tempore in Domino nutriuit*. Similia Ioannes de Cimineto etiam ibi relatus, *ipsos fratres multum specialiter in Dominò nutriebat*. Ioannes Paleonydorus *lib. 3. c. 1.* etiam citatus, *omni, qua poterat protectione erudiens ac præmuniens*. Quibus sanè intentum concluditur cum verbum *enutriuit*, seu *nutriuit*, aut *nutriebat* in proprietate sermonis alimentorum suppeditationem significet.

Alia de eodē. 6 Quid vero interim ijs quoque annis B. Bertholdus, Aymerici accedente auctoritate in Generalem Carmelicolarum constitutus, egerit, sic meditatur Petrus Sarracenus *in Menologio Carmelitarum*, & vita ipsius Bertholdi. *Iam Bertholdus noster fortiter renuerat illo affici Generalatus honore negans se munus adeo humeris suis subiturum impar. At Spiritu Sancto afflante, rebus compositis, & difficultatibus superatis, ingentes superis actæ sunt gratiæ, & data manu victus, omnes Deiparæ laudes Eremicolarum more communiter canunt, quod ceptis adfuerit, quod Carmelum innouauerit, quod Patrem illis constituerit. Vix quidem datur calamo, quæ Bertholdi mentis suppetunt exarare pro domestica Disciplina constituenda inter susceptos pro Christo filios. Is vero ne quid iniuncto numeri desiderari permittat quæ ad spiritualem vitæ cathechesim facere cognoscit, ardenti animo, præmissis precibus, vt Numina propitia habeat, amplectitur. Hic diuina excitat studia; hic rerum sacrarum deuotionem auget; hic vota iam promissa memorat; hic paupertatis amorem prædicat; hic in victu cultuque religiosam frugalitatem docet; hic officia singulis prudenter distribuit: hic infirmos maxima pietate solatur: hic demum nihil intentatum reliquit quod animi, & corporis necessitatibus singulorum paterno non præstet affectu. Imo tanta in omnes charitate ardebat Bertholdus, vt sæpe visus sit vultu radiare, ac veluti Moysis faciem Sole splendidiorem habere*. En piam Saraceni meditationem.

Ann.

Ann. Christi 1145. Eugenij 3. Roman Pontif. 1. Conradi Regis Roman. 7. Emmanuelis Imperat. Orient. 3. Beat. Berthold. General. 5.

1 SEquitur annus 1145. Christi Seruatoris, quo tempore Summus Pontifex Lucius 2. huic luci immarcescibilem habitaturus vale dixit quarto Kalend. Martij. Vix vacauit Sedes, sed repente ob periculum imminens tumultuantium Romanorum Arnaldistarum electus in Summum Pontificem fuit Eugenius 3. Hæc ex Vaticano Codice Baronius, Spondanus, Gordonus, & alij *sub hoc anno*. Huius Pontificis memoria grata semper erit Monastici status professoribus, quippe ipse Monachus erat, Sancti Bernardi Discipulus, & eo tempore electus, quo Arnaldus, & Sectatores in Ecclesiasticos Ordines insanientes etiam ipsum recens electum fugam è Roma capessere coegerunt, & Viterbij commorari. Gesta huius anni.

2 Venerunt eo tempore ad ipsum Viterbij considentem ex Syria Armeniorum Episcoporum, eorumque Metropolitani, quem ipsi *Catholicon*, idest vniuersalem, appellant, Legati, eidem subiectionem ex parte illius Ecclesiæ offerentes; insuper, & consultantes super quibusdam inter ipsos, & Græcos discrepantijs; ac formam sacrificij sibi tradi deposcentes. Otto Frisingensis *lib.*7.*cap.* 31. 32. & 33. & Baronius *sub hoc anno*. Cum autem Bertholdus noster (vt Sarracenus in vita ipsius retulit) *operarios quam plurimos fratres ad messem faciendam in opus Euangelij* miserit, suspicioni locus datur ad credendum, horum, qui in Carmelo, Carmelitarumque Cœnobijs, ijs præsertim, qui in illis Syriæ partibus, non longe ab Armenia erant, opera, vel adiutorio, hanc Armenorum ad Romanam Ecclesiam reductionem factam fuisse. Cum præsertim, iuxta dicenda anno 1181. B. Cyrillus noster etiam è Carmelo egrediens, eo tempore in Armenia prædicans perfecerit, quæ hoc tempore inchoata solum videbantur. Alia gesta.

3 Tusciæ status hoc eodem tempore propter intestina bella deplorandus satis erat. Pisanis, Lucensibus, Senensibus, alijsque finitimis populis inter se dimicantibus. Adeo sæuè, vt vrbes, castra, burgi, villæ, stratæ publicæ, ipsæque Deo consecratæ Ecclesiæ, homicidis, sacrilegis, raptoribusque exponerentur; ac pœnitentes peregrini, Clerici, Monachi, & supremi Ordinis Sacerdotes, spoliarentur, verberarentur, occiderentur. Petrus Cluniacen. *lib.*5.*epist.* 34. Baronius *sub hoc anno*. Cuius etiam aduersæ fortunæ participes existimamus, nostri Ordinis Eremitas, in illis partibus apud Senenses præsertim, Florentinos, & Pisanos forsan, commorantes, iuxta ea, quæ de horum Conuentuum fundatione diximus sub an. 1141. & alijs locis relatis ex tertio Tomo. De quo etiam alia sub anno 1177. Tusciæ tumores.

Casus

De Mónacho homicida.

Casus accidit hoc eodem tempore Religiosorum memoria non indignus, quem refert Petrus Cluniacensis vir ea tempestate grauissimus *lib. 2. mirac. c. 25.* & ex eo alij sub hoc anno. Monachus quidam disciplinæ Regularis auersator, Priorem suum Vvilelmum nomine eximiæ sanctitatis virum veneno necauit. Cum autem homicida lateret, nec quis esset constare certo posset, ipse Vvillelmus occisus noctu eidem Petro apparuit, parricidam manifestans, Deo sic volente, ne tantum flagitium impune transiret, & veritas, ipso nefario publica confessione postea confirmante, patefieret. Vt vel sic discant falsi fratres a simili nequitia, cogitatu etiam abstinere, quam ipse Deus extraordinaria prouidentia sic manifestat.

Ann Christi *1146*. Eugenij *3*. Rom. Pontif *2*. Conradi Regis Roman *8*. Emanuel. Imper. Orient *4*. B Bertol Gener. *6*.

Orbis casus.

1 MVltis tribulationibus sancta Dei Ecclesia sequenti anno 1146. premebatur. Primum, in Capite Summo Pontif. Eugenio 3 qui cum Romam reuersus esset iterum a Romanis Arnaldistis exagitatus, e Lateranensi Palatio decedens ad Transtyberinam regionem tædio afflictus fugere cogebatur. Otto Frising. *lib. 7. Chron. c. 34.* & alij post ipsum. Syria quoque, seu sanctæ Palestinæ Terra non paruo concussa timore, quod Edessam nobilem, & antiquam Ciuitatem Turcæ occupassent, ex quo ruina ipsi Ierosolymæ, Antiochiæ, & alijs vrbibus imminebat. Imperatoris etiam & Francorum Regis auxilia expectans Christianorum exercitum ab Iconij Sultano in itinere præpeditum, obsessum, & contritum, certo nuncio nouerat. Magna quippe strages potentissimis Imperatoris copijs contigerat, vt de septuaginta millibus loricatorum, & magna pedestrium turba, quorum infinitus erat numerus, vix decima pars incolumis euaserit. Simili quoque alia Francorum Regis exercitui inflicta plaga. Vvillelmus Tyrius *in histor. lib. 16. c. 20. & sequentibus*, etsi Baronius cum aliis non hoc anno sed postea ista accidisset commemoret. An hic Iconij Sultanus, qui hanc plagam Christianitati fecit, ille ipse fuerit, quem opera B. Cyrilli baptizatum dicemus circa annum 1169. ibidem dicetur.

De B. Bertholdo.

2 Quid interea noster sanctus Generalis Bertholdus, cuius maior pars commissi gregis in partibus illis Palestinæ morabatur, ageret, nisi pientissimo Domino pro ea patria, quá, et filij eiusdem Iesu Christi fuisse voluerat humilissimas preces fundere? commilitones quoque ad id ipsum faciendum commonendo. Quæ Petrus Sarracenus vitæ ipsius Scriptor in *Menolog. Carmelit.* dixit, huic maximè occasioni, et Terræ sanctæ periculo applicanda iure veniunt, vt apud ipsum videri possunt.

Circa

3 Circa quæ animaduersione dignum occurrit, locum illum (de quo idem Sarracenus) ex quo Elias quondam puerum misit vt exploraret an in mari plouiæ aliquod signum appareret, ad cuius imitationem B.Bertholdus ibidem exercitia pietatis, ac deuotionis erga B. Virginem per nubeculam illam præfiguratam peragebat, nostris adhuc temporibus in Carmelo cerni, iuxta speluncam quandam, vbi quondam ipse Elias diu latuisse dicitur. Super quam quatuor columnæ, seu pilæ, quibus totidem fornices innituntur, & currus igneus quo in Cœlum vectus est conspiciuntur. Ita enim habet P. Prosper a Spiritu Sancto, Montis Carmeli Incola, ac Vicarius, a nostris PP. Discalceatis illuc missus in relatione quam de ipso monte nuper fecit. Notatio.

4 Pariter circa illud quod prædictus Petrus Sarracenus *relato loco* dixit de Salutatione Angelica septies quotidie a B. Bertholdo replicata ad honorem B.Virginis, cuius nubecula illa prognosticon fuit, illud animaduertendum, quod cum iuxta rubricas Breuiarij Romani in fine Canonicarum horarum Angelica salutatio non semper repetatur, vsu tamen nostræ Religionis, ne dum in ipsarum principio, sed & in fine quoque singularũ repetitur, & sæpius flexis genibus, cum Antiphona *Salue Regina*. Quo innui videtur septiplici hac Angelicæ salutationis reiteratione, septem illis vicibus a puero Eliæ quasi interpellatæ Virginis memoriam voluisse recolere. Alia.

5 Hoc anno, mortuo Vuillelmo Ierosolymitanorum Patriarcha substituitur Fulcherus. Vuillelmus Tyrius *lib. 16. cap. 17.* Circa quod nobis considerandum, quod cum ex Mantuano nostro *in Apologia* pro Carmelitis, constet, Romanos Pontifices per quatuor Bullas Patriarchis Ierosolymitanis (in quorum ditione plures e nostris fratribus morabantur) missas, eos ipsis commendasse; easque Italiam attulisse fratrem Iordanem Mantuanum; cum ob temporum iniuriam, qui fuerint huiusmodi Pontifices, aut Patriarchæ ignoretur, ideo suspicioni locus relinquitur, vt aliquam illarum huius temporis Pontificis Eugenij 3. fuisse credamus; Monachi pro Monachis, & Eremitis; & aliquem ex præfatis Patriarchis, ad quem missa fuerit. De Fulchero Patriarcha.

Ann. Christi *1147.* Eugenii *3.* Roman. Pont. *3.* Conradi Regis Roman. *9.* Emmanuelis Imper. Orient. *5.* B. Bertholdi Gen. *7.*

1 VEnit in Gallias sequenti anno 1147. Papa Eugenius, Arnaldistarum ingem persecutionem vitare contendens. A Deo tamen illuc mittebatur, vt erroribus Gilberti Porretani, Henrici Petrobusiani, & quorumdam *Apostolicorum* cognomine damnandis cum S.Bernardo Abbate huius ætatis splendidissimo iubare, assisteret. Otto Papæ gesta.

Frisingensis lib. 1. c. 46. & seqq. Surius tom. 2. pro sexta Aprilis in gestis S. Vvillelmi, & moderni alij.

Hæretici dicti Apostolici

2 Hæretici isti specioso hoc titulo *Apostolicorum* cognominati, illi videntur fuisse, quos ex SS. Augustino & Isidoro redarguit Guido noster *in lib. seu Summa de hæresib. cap. 39*. Ex cuius etiam doctrina illos & nos quoque vt falsi dogmatis assertores, Religiosi status, omniumque sacrorum Regularium Ordinum iuratos hostes, conuincere debemus. Asserebant enim, neminem perfectionem assequi posse qui aliquid, vel etiam in communi, possideret: quo planè Christianam perfectionem à Monachis, Mendicantibus, alijsque Regularibus, bona etiam stabilia in communi possidentibus, procul esse garriebant. Nostrorum specialiter Carmelitarum institutum turbare posset istorum hæresis, qui cum iam post Aymerici reformationem ex Anachoretica, & Monachali vitæ ratione ad Cœnobiticam, & mendicantem translati essent, necesse illis erat aliqua in communi habere, quo singulorum indigentijs satisfieri posset: si autem cum ea temporalium conuentuali possessione perfectio consistere nequiret, absdubie ipsorum titubaret propositum. Fatue ergo præsumptuosos hos *Apostolicos* nuncupatos in eam deuenisse temeritatem coarguit manifestè relatus Guido. Tum exemplo Christi, & Apostolorum, qui, sic definiente Ioanne 22 quo tempore scribebat hic author, habuerunt bona in communi; loculos etiam pro emendis vitæ necessarijs Ioann. 14. Christus etiam ipse Apostolis potestatem dedit, vt eorum quibus euangelizabant bonis fruerentur; *dignus est enim operarius mercede sua, Matth. 10.* Tum primorum credentium, quibus erant omnia communia *Actorum 14.* Tum denique Ecclesiæ quoque exemplo, cui expedit, vt inquit Prosper *de vita contempl. cap. 12.* & ponitur 12. *quæst. 1.* facultates possidere. Hæc porro sufficerent ad nostrorum Eremitarum animos sedandos, vt propter istorum impiorum dogma à recto vitæ Religiosæ tramite cepto ne desisterent, sed cum communi temporalium bonorum possessione Regularem perfectionem stare posse sibi persuaderent.

De Festo SS. Conceptionis.

3 Cepit in Gallijs circa hoc tempus festum purissimæ Conceptionis Virginis Mariæ ab Ecclesijs celebrari. Azorius *tom. 2. instit. moral. lib. 1. cap. 21.* Gualterus *in Tabula Chronographica sæculo 12.* Renitente tamen S. Bernardo *in epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses*, non quod mysterio aduersarius esse vellet, sed quia sine Romanæ Sedis assensu id fieri nouerat, vel quia Conceptionem aliam, non eam qua primum fœtus animatur Canonici forsan colebant, vt diximus in nostro Apologetico pro eadem sanctissimæ Virginis Conceptione *c. 30.* Cum autem B. Bertholdus Ordinis Generalis Deiparæ Virginis deuotioni addictus esset; Gallusque, vtpote Aquitanus, ab Aymerico præterea Gallo quoque Lemouicensi Ordinis reformationem ac Præsulatum accepisset; totusque Carmeli grex ne dum eidem Virgini Ordinis Patronæ, sed & specialiter huic mysterio propter ea quæ tomo primo sub ann. mundi 3126. n. 5. & 4037. a num. 6. ex Ioan-

ex Ioanne Patriarcha dicimus, oblatus, primæque eidem dicatæ Capellæ in monte famulatui foret adstrictus, iuxta dicta quoq; supra ann. 1142. & alijs locis ex 2. tomo ibi relatis, magna cum probabilitate affirmari potest ab hoc tempore festi celebritatem introductam in Ordinem fuisse. Nec leuiter hoc corroborant quæ in dicto Apologetico *lib. c. 2.* diximus ex Bacconio nostro, qui ante 300. annos vixit, & *in 4. d. 2. q. 4. art. 3.* scripsit, hoc festum in Romana Curia præsentibus Cardinalibus in Carmelitarum Cœnobijs *publica, & diuturna consuetudine, & tempore multorum Romanorum Pontificum* fuisse celebratum. Hæc enim diuturna consuetudo, & multorum Romanorum Pontificum tempus hanc ætatem nouiter reformatæ Religionis subindicare videntur; saltem pro antiquioribus Cœnobijs extra Romanam Curiam.

4 Nec propterea credendum ab hoc æuo piam hanc de Virginis Matris Conceptione solemniter recolenda deuotionem inter nostros primum vigere cepisse, cum pręter dicta ex pręfato Ioanne Ierosolymitano longe antiquiorem originem huic festo adscribat Petrus Oxeda *in informatione ecclesiastica cap. 1.* pro ea re Hispali anno 1616. edita, solum ergo de Carmelitano Ordine pro vt ab Aymerico his annis restituto loquimur, dum dicimus in eum hunc morem celebrandi hanc festiuitatem hoc æuo primum introductum pie credi posse. Corroboratio.

5 Nec dictis aduersatur quod Ioanne Paleonydoro *lib. 3. c. 10.* testante, in Capitulo Generali Tholosano sub Gerardo de Bononia Generali anno 1306. decretum factum fuit, vt festum Conceptionis Mariæ solemniter celebraretur. Ex hoc enim solum haberi potest vsque ad illud tempus per totum Ordinem, omnesque eius Prouincias celebratum non fuisse, esto in multis oppositum fieret: propterea ergo Generalis Capituli decreto in vniuerso Ordine id fieri præciperetur. Forsan etiam non solemnis, vt decebat tanti festi memoria apud omnes erat, idcirco vt *solemniter* celebraretur Patres Capituli piè ac prudenter sanxerunt. Oppositio.

6 Piam hanc & vetustam Ordinis nostri in sanctissimo Dei Genitricis Mariæ Conceptu celebrando deuotionem, de qua etiam alia dicemus sub anno 1306. alba cappa, qua vtitur pretendi, tradit Ricardus Radulphus Armachanus Archiepiscopus, ac primas Hibernię in sermone de Conceptione Virginis, quem prędicauit anno Domini 1342. in Conuentu nostro Auinionensi, prout refert grauissimus Author Thomas Vvaldensis *tom. 3. de Religiosor. sacramentalib. tit. 9. c. 89.* Armachanien. verba. *An non merito dicimus illi Aue, quæ sic erat illustrata virtutibus in origine? vtique hanc illustrationem in suo ortu hic sanctus ac peculiaris, & antiquus Ordo suus Carmelitarum pretendit in habitu, qui hoc festum ipsius singulariter solemnizat, candorem habitus sui, vt existimo, prudenter & deuote ad hoc factum referens.* Habet exordium hic sermo *Aue*, & de ipso loqui videtur Ioannes Balæus dum *in Catalogo Scriptorum Britanniæ* de hoc Armachano loquens dicit eum scripsisse opusculum de laudibus Mariæ, quod incipit *Aue Maria* Capparum albarum vsus.

quod videtur idem esse, ac sermo *Aue*, de quo Vualdensis.

Barratæ cappæ. 7 Nihilominus eo æuo, seu statu Ordinis, de quo in præsenti historiam teximus, non albis sed barratis, aut virgulatis cappis nostros vsus fuisse, pro comperto apud ipsos est: Cum enim a tempore Humar Arabiæ Regis, qui Terra Sancta capta suo dominio omnes Christicolas subiugauerat, Carmelitæ in Palestina morantes alba pallia relinquere coacti essent, quòd Sarracenis exosum esset alios præter Satrapas ipsorum albis vestiri, & pallia barrata assumpsissent, vt tradunt Tritemius *de laudibus Carmelit. cap.6* Paleonydor. *li.2.cap.9.* Didacus Coria *in chronic. Carmelit. lib.2. cap.4.* Thomas de Iesu *de antiquitate Ordin. Carmelit. lib.1 cap.6.* & plures alij fermè concorditer; nosque diximus tomo præcedenti sub ann. Christ. 642. a n.5. idcirco tempore hoc intermedio a præfato Arabiæ Rege vsque ad Pontificatum Honorij Quarti Barratarum capparum vsus in ordine erat. Vnde Anonymus M. S. in Bibliotheca Romana excellentiss. Ducis Altemps repertus, Sanctos huius ætatis, Carmelitas referens, videlicet Bertholdum, Brocardum, Cyrillum, Angelum Martyrem, Ioanem, & Enoch Ierosolymitanos Patriarchas, & alios, *depinguntur* (inquit) *cum cappis barratis.*

De causa ipsarum. 8 Quæ porro causa fuerit qua re dimissa alba cappa, virgulatam seu barratam Patres nostri ea tempestate Maumethanæ persecutionis assumpserint, a nobis discussum tom. 1. sub anno 3204. num. 12. & tomo 3. sub ann. 642. relato num. 7. & sequentibus. Ad quæ loca lector remittendus.

Qualis figuræ 9 Qualis autem artis, vel figuræ, quotue plicarum eæ cappæ fuissent, quodve mysterium inde significari prætenderent, ex Ioanne de Malinis *in specul. historial. cap. 9.* quem sequitur Bostius lib. 4. c. 20. sic habemus. *Pallium ex septem partibus duplicis coloris ab inuicem distinctis ipsum totaliter integrantibus perpendiculariterque descendentibus constabat: quarum tres erant nigræ, siue griseæ, quæ significabant gestantes pallium debere tres virtutes Theologicas in corde semper retinere. Aliæ vero quatuor partes erant albæ figurantes congruentissimè quatuor virtutes Cardinales illos debere in mente iugiter custodire. Quæ partes sic erant in pallio ordinatæ. Pallium autem a pectore descendendo vsque ad terram erat scissum, & partes scissionis erant albæ, secunda pars à latere dextro erat nigra, & etiam secunda a latere sinistro; tertia vero pars a latere dextro erat alba, quem colorem habebat tertia a latere sinistro. Sed vltima pars in medio existens erat nigra.* Alia de huiusmodi cappis virgulatis dicta sunt locis relatis; & alia dicentur in sequentibus, maxime sub tempore Honorij Quarti. Nunc ad alia pergamus.

Ann.

Ann. Christi *1148*. Eugenij *3*. Rom. Pontif. *4*. Conradi Regis Rom. 10. Emmanuel. Imper. Orient. *6*. B Bertol General 8.

1 Celebrabat hoc anno Eugenius Papa Rhemis in Gallijs solemnem, ac generalem synodum. In qua primum Eudo, seu Eon hæreticorum insanissimus, adeo vt diceret se esse eum, de quo habetur, *Qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & sæculum per ignem*; damnatus fuit. De eo autem propterea loquimur in præsenti, quod ipse per diabolicas prestigias, Ecclesiarum maximè, & Monasteriorum, infestator esset, vt asserit Vuillelmus Neubricensis *lib. 1. cap. 19*. Eo sanè tempore, quo, vt diximus, inter alios Regularium Ordines noster efflorescere, restaurari, & propagari sub Aymerico Patriarcha cœperat. Concilium Rhemense.

2 In hoc porro Rhemensi Concilio vltra Gilberti Porrectani Pictauiensis Episcopi errorum damnationem, quibus simplicitati naturæ diuinæ derogabat, alia etiam ad nostros, & aliorum Ordinum Regulares spectantia statuta cernuntur. Et primo, illud, quo Clericis interdicitur varietas colorum, aut scissura vestium *can. 2*. proculdubio Carmelitas nō tangebat, quantumvis ipsi, vt sub anno præcedenti dictum est, clamydibus variegatis, plicisque scissis, & virgulatis pro pallijs amicirentur. Mens enim Concilij solum fuit vanam, & inhonestam colorum varietatem, inanemve vestium scissuram, ad pompam, & ornatum, prohibere. Quod à nostris procul aberat, cum ipsi solum, vt morem gererent Mahomethanis, cum quibus conuersari necessum erat, & vt pallij Eliæ similitudinem, quoad possent exprimerent, eo genere capparum vterentur. Tangebat tamen illos, cœterosque Religiosos id, quod *can. 7*. habetur de continentia à Monachis, & Conuersis Professis omnino seruanda. Ea quoque, quæ *can. 11*. præcipiebantur de omnimoda securitate concedenda Monachis, & Conuersis: & *can. 13*. de excommunicatione lata contra ipsorum percussores, vtpotè priuilegia Deo sacrorum Ordinum, tum nostrorum, tum alios quoslibet continentia. Refert hæc, & alia huius Concilij gesta, & Canones, Baronius sub hoc anno. Quæ gesta in ipso.

3 Absoluto Concilio, cum res gesta, & visiones Sanct. Hildelgardes Virginis Monialis Benedictinæ Eugenio Papæ delata essent, annitentibus sancto Bernardo, Cardinalibus, & Prælatis, benignè commendauit, litteris salutatorijs Virginem honorans. Theodorus Abbas apud Surium, *tom 5. die 17. Septembris*, Baronius *sub hoc anno*. Huius autem Virginis memoriam à nostris Annalibus non censemus alienam; ipsa enim de Ordine nostro hoc tempore excitato, & instar Latinorum innouato hæc prædixisse fertur *in lib. de nouissima Christianæ Fidei persecutione, cap. filiæ Sion*, prout Ioannes Paleonydorus *lib. 3. cap. 9*. & alij retulere: *Venient* De S. Hildegarde.

equi varij coloris, quorum egressio ab Oriente in Occidentem, sed mutato vellere paulatim incedent. Horum progressio ab Occidente in Orientem. Hi primi, & nouissimi. Vocantur autem nostri *equi varij coloris* propter capparum variegatarum vsum, de quibus sub anno præcedenti diximus. *Ab Oriente* egressos constans est apud omnes, cum Carmelus primicerium Ordinis fundamentum, Palestinæ, & Orientis pars sit. *In Occidentem* venisse æquè constans, cum Anglia, Hispania, Gallia, & Italia, quæ Occidentales Regiones sunt, illos exceperint. *Mutato vellere paulatim* incedere dicuntur, vel propter variegatas cappas sub Mahometana persecutione albis dimissis assumptas, vel propter earumdem albarum resumptionem, barratis relictis sub Honor. 4. vt ibidem dicemus. Nostrorum porro progressum ab *Occidente in Orientem* fuisse hoc sæculo, in quo hæc scribimus, liquido comprobatur, cum Sacra S. Theresiæ Discalceatorum Patrum soboles Persidem vsque, Carmelum ipsum quoque, peragrare magna cum populi fidelis ædificatione satagit. De quo suo tempore dicemus. Quod nostri *primi* (intellige inter Monachos) describantur, satius apertum est ex Eliana successione, quam iure Ordo noster prætendit. Quod tandem *nouissimi* prædicentur, ex reuelatione B. Petro Thomæ facta, qua illi indicatum nostros vsque ad finem permansuros mundi, de qua suo loco dicetur, innotescet.

Persecutio. Curia gener.

4 Noua contra Monachos, Eremitas, & Regulares, tum nostri, tum aliorum Ordinum, hoc anno tempestas grassabatur, ab Imperatore Græcorum Emmanuele excitata, qua nullæ possessiones, nullæ vineæ, nulli agri, nullave immobilia illis permittenda decrouerat. Hauserat forsan, etsi non credendum, vel veneni stillam ex vitiato fonte praui dogmatis Apostolicorum hæreticorum, de quibus anno præcedenti diximus, quo toti Monastico, & Eremitico Ordini aduersarius noscebatur, si tamen dicta temporalia bona sacris Ecclesijs, & cœnobijs in communi posidenda refragraretur. Vt vt res fuerit, vexatio intellectum dedit, Deus enim suorum vindex, Rogerium Siciliæ Regem cum ingenti classe contra eum cōmouit. Ipse ergo Imperator prudentior factus continuo parauit medicamentum morbo, quo inflictum vulnus Sacrorum hominum societatibus sanaretur. Aurea enim Bulla promulgata, quam ab effectu medicatricem appellauit, decretum factam rescidit. De ea re Nicetas *in Manuel. lib. 7.* Theodorus Balsamoneus, & Baronius *sub hoc anno*.

Curia Generalis.

5 Interea hoc eodem anno, vel circiter (etsi Tyrius pro præcedente id referat) Curia generalis Orientalium Terræ Sanctæ Principum, cum Corrado Romano Imperatore Accone, siue Ptolemaide Carmelo vicina Ciuitate indicta celebrabatur. Qua, depressura illius Regionis, de Regni Hierosolymitani incremento, & Christianę Religionis contra Crucis iuratos hostes Turcas progressu tractaretur, feruidis, vt certo credimus, nostris Religiosis in tota fermè illa Regione consistentibus Deum orationibus pro fęlici successu deprecantibus. Nec sic res accidit, Deo ita ob populi

puli crimine permittente. Cum enim Damascum obsidere decreuissent ad eamque capiendam accederent; iamque in procinctu obtineri speraretur, ciuibus attonitis, & Christianorum exercitus vires stupentibus, inconsulte tamen proditionibus quorumdam prauorum circumuerti obsidionem soluere cogebantur. Tristem historiam refert Vvillelmus Tyrius *lib.17.a cap.1. vsque ad 6.*

6 Aderat in Acconensi Curia cum Conrado Imperatore Otto Frisingensis Episcopus, vir grauissimus, qui cum alijs Cruce signatis in hac sacra expeditione Syriam venerat. Tyrius *vt supra cap.1.* Potuit igitur eo tempore nostrorum Fratrum, & Eremitarum, qui per totam Palæstinam dispersi erant, sanctam conuersationem aspicere, & de eis, alijsque similibus ea proferre; quæ in *Chronic. lib.7. cap 35.* sic scripsit: *Alij in Vrbibus, Castellis, & vicis, & agris commorantes, proximis normam rectè viuendi, verbo, & exemplo tribuunt, alij quidem commanentiam hominum aspernantes, & quieti suæ amplius prouidentes frequentiam fugiunt, solique Deo vacantes ad syluarum, abditorumque locorum latibula se conferunt. illi lucem suam lucere coram hominibus ad gloriam Dei non abnuunt. Isti mortuos se mundo cognoscentes vitam suam cum Christo in Deo in præsenti abscondunt, gloriamque suam donec Christus vita eorum gloriosus appareat enitescere non cupiunt. Æqui tamen omnes vitæ, & conscientiæ puritate, ac sanctimonia cœlesti, etiam Angelica in terris vita degunt.* Et infra: *Quorum alij sub Priore degentes, in remotis, & abditis locis singuli singulas cellas, velut sepulchra inhabitabant, operibus manuum sustentantur, modico contenti pabulo, annonam totius hebdomadæ Sabbatho accipiunt, ac omnimodè humanæ consolationis expertes à colloquijs tantum Diuinis, & oratione non recedunt. Dominicis solis diebus ad Oratorium, quod in communi positum est concurrũt, ac verbo sanctæ cohortationis à seniore irrigati deificis salubriter refecti mysterijs cũ omni alacritate reuertuntur. Alij vitæ suæ solum Deum testem habere cupientes, antris, speluncis, parietibus se includunt, tantoque ardentius Cœlo suspensi Sabbatizare creduntur, quanto amplius omnis humanæ societatis extorres inueniuntur.*

Ottonis testimonium.

7 Nostris Eremitis prædicta adaptari posse; quinimo propter ipsorum sanctam conuersationem in Syria sibi cognitam eam proferre potuisse Ottonem, ex alijs, quæ grauissimus alius Author Ioannes Trithemius in *libro de laudibus Carmelit. cap.8.* de ipsis expressè, & nominatim dixit, haberi potest: *Facta fuit hæc Terræ Sanctæ recuperatio per Ducem Godifridum anno Domini 1099. Deinde post annos paucos influentibus vndique Peregrinis, & maximè de Regionibus Europæ, numerus Fratrum in Monte Carmelo valde multiplicatus est, in tantum, vt præ multitudine Montes implerent, & Vrbes. O si tunc Ordinis Carmelitici decorem in sua Maiestate vidisses, nunquam fuisse similem alium exclamares. Erat videre delectabile Fratres innumerabiles circa Montem Carmelum habitantes in cellulis, & cauernis petrarum idipsum omnino sapere: Deo Maximo, die, noctuque, quam deuotissimè seruire; mundum cum suis voluptatibus pro Christi amore contemnere. Summa tunc apud illos erat Religio; summa Regularis vitæ perfectio; cum Fratres in carne manentes, carnem ipsam*

Pro nostris.

cum

cum vitijs suis fortiter euicerunt. Floruit in pace Religio, quæ paulò ante turbata perfidorum incursibus deficere putabatur. Venerunt ex omni Europa fratres peregrini, & colla Monasticis disciplinis in monte Carmelo humiliter submiserunt.

Confirmatio

8 Et sane qui Regulam nostram ab Alberto Patriarcha compilatam inspexerit, quam quoad principalia puncta in vsu Ordinis fuisse etiam ante ipsum Albertum, dicemus suo tempore, eamque cum verbis allatis exactè contulerit, nostri Ordinis fuisse illos Eremitas, de quibus ibi loquitur, magna saltem ex parte, comperiet. Illa enim *de singulis singulas cellas habentibus, sub Priore degentibus, operibus manuum laborantibus, ab oratione* iugi non recedentibus, *dominicis diebus* ad cohortationem, seu correctionem Capitularem congredientibus, ac de *Oratorio* in communi, seu *mediò cellularum* posito, prædictæ Regulæ documenta, & vetustum Ordinis vsum, etiam ante ipsam datam clare denotant.

Centuriatores.

9 Nec dissonant quæ de ijsdem nostris Eremitis fratribus post Aymericanam reformationem Carmeliticum institutum colentibus narrant Centuriatores Magdeburgenses, impij alias Authores *Centur. 12. cap. 6. de ceremonijs* his verbis. *Silentio, ieiunio, & horarum canonicarum obseruatione erant constricti &c. Et postea hanc clausulã in Regula relicta habebant, vt de solo Saluatore salutem sperarent, & ambularent iuxta Dei verbum in cæteris eorum factis.* Quo denotant apertissimè non solum nostrorum priscorum Patrum hoc tempore laudabilem conuersationem, sed etiam id quod diximus, videlicet, Regulæ postea illis ab Alberto Patriarcha datæ documenta primitus obseruasse, quia nempè libro Joannis Patriarchæ quem tunc pro Regula habebant, vel sancti Basilij institutionibus conformia erant. Sunt etenim prædictæ obseruantiæ Regulæ, ipsis Alberti statutis similes. Maxime quoad illa *vt de solo Saluatore &c.* Habentur enim ad verbum in *cap. 14.* Regulæ, ibi *vt de solo Saluatore speretis salutem*. Cauendum tamen ne a prædictis Centuriatoribus, vtpote Lutherana fulligine tinctis, eo dicta sint, quo operum nostrorum necessitatem de medio tollant, quasi sola fides, vel fiducia ad iustificationem sit satis.

Gaudfredus.

10 Inter eos autem qui hunc viuendi modum eo tempore tenebant iure computamus Gaudfredum quemdam nomine, qui inter claros viros huius tempestatis, & montis Thabor (vbi nostros tunc Monasterium habuisse diximus sub anno 1141.) Eremitas numeratur a Gerardo à Nazareth in vita Eliæ, & Centuriatorib. Magdeburgensibus *Centur. 12. c. 10. de Monachis Asiaticis*. Alios quoque in sequentibus recensebimus.

Ann. Christi *1149.* Eugenii *3.* Roman. Pont. 5. Conradi Regis Roman. *11* Emmanuelis Imper. Orient. 7. B. Bertholdi Gen. *9.*

Gesta huius anni.

SEquenti anno 1149. Eugenio Papæ a Gallijs in Italiam regresso adhuc cum Romanis Arnaldistis vario euentu confligendum fuit. Sancto

quoque

quoque Bernardo illius sæculi splendidissimæ lampadi, patientiæ, & humilitatis exercitium necessarium erat; quod maledici detractores in eum conuertebantur quasi ipse causa fuisset prædicatione [a]vt expeditio in Terram Sanctam facta infeliciter cessisset. At ipse humilis, & tacens opprobria exprobrantium sustinebat, vt vel sic discerent omnes Monastici Ordinis professores, Dei causam semper procurandam, prædicandam, & faciendam, obloquentium, & obrectatorum malignitatibus contemptis.

2 Per idem tempus Noradinus Turcarum magnus Dux Antiochenses Terræ sanctæ confines aggressus, & Raymundum Principem regionis in quodam conflictu occisum videns, totam Prouinciam suo subiacere Imperio cogitabat. Iuxta Antiochiam ergo pertransiens, & cuncta incendio consumens, ad Monasterium quoddam S.Simeonis (cuius Ordinis fuerit non tenemus) ascendens, omnia in suam redigebat potestatem. Vvillelmus Tyrius *lib.* 17. *cap.* 10. Qualem timorem, quotve damna fratribus nostris in Montana Nigra prope Antiochiam morantibus incusserit quis censebit? Ea tamen tempestate Dominus Aymericus eiusdem Ciuitatis Patriarcha, nostrorumq; Eremitarum Promotor, & Protector, strenuè satis afflictæ se regioni præbuit patronum, & ad conducendas militum copias stipendia non parce ministrauit, temporis satisfaciens necessitati. Tyrius vt supra. Alia.

3 Tyrense Monasterium eo anno a nostris fundatum a quodam audiui; & quod id scripserit Georgius Inne Scotus Ordin. SS. Trinitatis *in lib. de fundatione eiusdem Ordinis* sed qualiter id accipiendum inferius dicetur, dum tamen prius de Tyrensi Vrbe nonnulla dicamus historia nostra perdigna. Est autem Tyrus, nobilis, & vetusta Terræ sanctæ Ciuitas; caput vniuersæ Prouinciæ Phænicis; Metropolis Ptolemaidę, seu Acconis, sub qua Carmelus noster situs est, multipliciter à Sacra Scriptura commendata, & Christi Domini præsentia decorata, vt propterea merito nostri prisci Patres, cooperante, vt credimus, Antiocheno Patriarcha Aymerico, & sollicitante B. Bertholdo Ordinis Generali, in ea sedem elegerint: quam forsan sub hoc anno inchoarunt, etsi non perfecerint, vt postea dicemus. Huius autem Ciuitatis situm, & encomia scribit Marius Sanutus Torsellius *de secret. fidel. Crucis lib.3. par.6. cap.12.* his verbis: *Quam difficilis sit ad expugnandum Tyrus, & situs ostendit, & obsidentium olim labor inutilis. In figura est rotunda & penè ex omni parte marinis fluctibus cingitur. Sic enim Ezech. 26. dicitur.* Habitas in mari vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis. *Quæ demum Ciuitas, aut Regnum, vt Tyrus, sustinuit impetum Alexandri? Nabuchodonosor etiam tribus annis, & decem mensibus eam obsedit: & vt de proximis temporibus eloquamur, Balduinus bellicosissimus, cuius victoriæ in præcedentibus fuerunt insignes, cum Tyrum quatuor mensibus obsedisset, & resistentes viriliter Tyrijs nihil proficeret, & multis inutiliter grauaretur expensis, soluta obsidione, recessit. In Iosue quoque* 19. *cap. Scriptura Sacra, Tyrum* munitissimam Ciuitatem *appellat. Est autem* Tyrense Cœnobium.

tem Tyrus supra mare, muro, & antemurali, ac turribus eminentibus munita: portus eius idoneus, & securus: infra mœnia prabebat nauibus stationem, ex parte vero terra, triplici muro crosso cingitur, habetque fossas profundas, & latas, ad quas facile esset introducerę aquas maris. Muri quoque 12. turribus munitissimis ornantur; turribus vero continuatur arx Ciuitatis in rupe, in corde maris, & ipsa turribus ac palatijs distincta, caput et Metropolis vniuersa Prouinciæ Phanicis: piscibus abundantissima, fontibus, et riuis aqua dulcis irrigua, vineis, et agris frugiferis amana, et fertilis: ex parte meridiei vsque scandalium, et ex parte Aquilonis in eius territorio, in loco aliquantulum edito, est fons, siue puteus super quem fessus ex itinere dicitur quieuisse Dominus Iesus: habet autem aquas limpidissimas intrinsecus ita copiosè scaturientes, vt omnia pomeria, et hortos olerum, et vniuersam Regionem irrigent. Hunc autem Salomon appellat puteum aquarum viuentium *in Canticis Canticorum. Erat quoque ibi lapis extra portam Ciuitatis Orientalem ad duos iactus sagitta, inter arenas super quem pradicauit Christus, qui locus arena illa numquam operiri potest, licet per aera volitet instar niuis, et tumultos faciat circa parietes, vel sepes. Ibi et mulier deuotè clamauit,* Beatus venter qui te portauit, &c. Hæc Sanutus.

Fundatio. 4 Diximus hoc anno à nostris forsan fundari ceptum hoc Tyrense Monasterium, vt locum demus testimonio Guillelmi de Sannico Carmeli professori, quem & sequitur Arnoldus Bostius *in Specul. histor. lib. 7. capit. 3.* Etenim in libro *de multiplicatione Religionis Carmelitarum per Prouincias Syriæ, & Europæ cap. 2.* affirmare videtur, post tempora Alberti Hierosolymitani Regulæ nostræ conditoris ædificatum fuisse hoc Tyrense nostrorum Cœnobium: sic enim ait de dicto tempore loquens: *De Ptolemaida vero procedendo vlterius ad decem leucas est Tyrus Ciuitas munitissima in corde Maris sita, cuius exterior planities rigatur riuis procedentibus ex puteo aquarum viuentium, cuius meminit Salomon in Canticis canticorum, qui nec per leucam distat à Tyro. In hac Ciuitate ædificauerunt etiam dicti Fratres, & habuerunt Monasterium suæ Religionis.* His enim saltem euincitur huius Cęnobij ædificationem, idest, perfectam consumationem, Alberti tempore, & ipsius pietate, vt credimus, coadiuuante, factam fuisse: inchoatum vero forsan hoc anno, prout asseruimus. Quemadmodum Carmeli Monasterium iuxta Fontem Eliæ, quod sub Aymerico ceptum, & inchoatum dicimus anno 1142. eodem tamen Guillelmo, vt supra testante, ab Alberto ædificatum, idest perfectum, & consumatum fuit. Nisi forsan credatur hoc tempore Beati Bertholdi præfatum Tyrense Cœnobium propè, & extra Ciuitatem Eremitorij modo inceptum, Alberto vero tempestate in ipsamet Ciuitate constructum, quod plurimis nostri Ordinis Cœnobijs contigisse suis locis dicemus.

Memoria huius Conuentus. 5 De hoc porro Tyrensis Ciuitatis Monasterio vix aliquid memoria dignum habetur, iniuria enim temporis, quæ totam Palæstinam Barbarorum manibus dedit, monumenta quoque huius, & aliorum illius Prouinciæ Conuentuum à nobis eripuit. Constat tamen ex registro Bullarum

anni

anni primi, & secundi Vrbani 4. Bulla 125. litem quandam fuisse inter Tyrensem Archiepiscopum, & prædicti Cœnobij Fratres, quam sicut, & alias similes, Dei Genitrice Patrona fauente, sopitam autumandum.

Ann. Christ. 1150. Eugenij 3. Rom. Pont. 6. Conradi Regis Rom. 12. Emmanuel. Imperat. Orient. 8. B. Berthold. General. 10.

1 Pontificis Eugenij negotia anno 1150. præsenti tranquillius procedebant, nec speciales aliqui motus Arnaldistarum contra ipsum videbantur; vt propterea pauca de eo sub hoc anno scripta maneant. De Eugenij Papæ, negotijs.

2 Non sic in Terra Sancta, in qua varij tumultus. Noradinus enim Turca, vt vidimus anno præcedenti, Antiochenam Prouinciam ingressus, eam suo tractabat arbitrio. Soldanus etiam Iconiensis terram Comitis ingressus Edessani, multis Vrbibus captis, & Castellis, Dei populum acerbè vexabat. Inter ipsos quoque Christianos, Balduinum præcipuè Ierosolymorum Regem, & ipsius matrem, graues oriebantur simultates; adeo vt propterea Regnum inter se diuiderent, & arma filius contra matrem sumeret, quæ nec Patriarcha ipse Ierosolymitanus Fulcherus cum viris Religiosis Regi occurrens auertere potuerit. Tyrius *lib. 17. cap. 10. 13. & 14.* De Noradino Turca.

3 Pauperes ergo & humiles Carmeli filij Eremitæ in illa Prouincia varijs in locis commorantes foris bella & intus timores patiebantur. Ab hostibus insidias, & cædes, ab amicis animi perturbationes ob eorum inimicitias. Bertholdus autem sanctus ipsorum Præses pijs eos monitis, & adhortationibus instruens, in via Dei, & Religiosa perfectione temporibus illis periculosis confortabat. Maximè circa id tempus forsan accidisse putandum, quod de ipso scribit Petrus Thomas Sarracenus *in vita ipsius* etsi tomo præcedenti circa annum 1130. de ijs memoriam egerimus, in lubrico temporis, quo contigere, versantes. Rem sic Sarracenus. *Fama fertur apud nostros S.P N. Bertholdum, ingenti quidem feruore ad augendam piorum deuotionem cooperatum esse modo orandi per globulos in annorum B.V. Mariæ piam commemorationem. Quem orandi modum primum excogitasse Petrum Eremitam nostrum belli sacri incentorem, testantur Iacobus Vitriacus lib. 1 hist. Orient. cap. 16. et Polidorus Virgil. lib. 10. Imo globuli isti, seu calculi a Petro ipso excogitati, ex ligno ad orandum in via militibus monstrabantur. Quod et B. Bertholdus suis coeremitis passim præstabat, vt Virginem gloriosissimam ordinatè et attentè consalutarent.* Carmeli Eremitæ.

4 Nec solus hic auctor hoc asseruit. Alij etenim, & si alias impij, huius nostrorum pietatis memoriam faciunt. Ioannes namque Balæus *in Catalogo Scriptorum Brittan. centur. 2. in appendic. ad Florentium Brauonium* de tempore recuperatæ a Christianis Ierosolymæ, Petro Eremita Aliorum testimonia.

 insigni

insigni ipsorum ductore, de nostris Carmelitis loquens inquit: *Ad quos postea solitarios infra sexennium venit famigeratus ille Petrus Eremita, qui preculas illis earum primus inuentor dedit etc.* Item Centuriatores Magdeburgenses *centur. 12. cap. 6.* de nostris quoque Carmelitis loquentes. *Fratres vero laici Petri Eremitæ preculis recitando occupabantur*: ex quibus habetur modum istum recitandi per globulos, primo datum fuisse fratribus nostris Conuersis a præfato Petro Eremita circa annum 1106. iuxta Balæi computum, in eoque conseruando vt Sarracenus scribit, Bertholdum Priorem cooperatum fuisse.

Moderatio. 5 Hæc tamen ab ijs authoribus, & alijs, quos referimus *tomo præced. sub ann. 1086.* prolata, ne contraria sint vel appareant, leuiter etiam, illis, quæ de inuentione, institutione, & deuotione Coronæ, seu Rosarij SS. Virginis, ex Summorum Pontificum diplomatibus prædicant, & scribunt sacerrimi Dominicani Ordinis Patres, temperanda, & regulanda, prout scribimus in Tractatu *de Maria Patrona c. 11. num. 21.* ac maximè loco relato ex tomo præcedenti num. 4. nec aliter intelligenda.

Albericus. 6 Ex ijs autem nostris, qui Angelicis salutationibus proferendis (quas hæretici isti *preculas* vocant) intenti erant, & ex Conuentu Ierosolymitano vnus, is videtur Eremita esse, Albericus nomine, quem vt mirabilem ea tempestate referunt Gerardus à Nazareth *cap. 11.* & Centuriatores Magdeburgenses *Centur. 12. cap. 10.* his verbis. *Albericus itidem Ierosolymis leprosis inseruiuit. Is ea, quæ reliqui fecerant leprosi comedit, singulos quotidie exacta Missa exosculatus est, pedes eorum lauit, tersit, strauit lectos, languentes humeris cubitum portauit. Cumque vni aliquando pedes lauisset, et aqua sanguine, et sanie mixta ipsi nauseam moueret, protinus faciem immersit, et partem non exiguam, (horribile dictu) exausit. Cella ipsi magis carcer voluntarius fuit, quam in qua viueret, flagellis sese frequenter cecidit, ita vt largus cruor distillaret, preculas demurmuras, vel humi stratus procubuit, vel in genua deuolutus, ita vt callos obduceret. Pane fuit contentus solo hordaceo, et aqua, cilicio asperrimo vsus est nudis incedens pedibus. Inæquali tonsura caput rasit, et barbam.* Esto Eremita iste nostris non esset accensendus, vel ex eo eius gesta a nobis recenseri debent, quod pietatis Christianæ, & religiosæ signa videntur certa.

Cosmas. 7 Pari coniectura idem affirmandum de alio apud eosdem auctores *Cosma* nomine, & natione Hungaro, qui etiam similibus precibus Deo, & Virgini Matri recitandis assuetus erat, de quo hæc scribunt: *Cosmas natione Hungarus, Presbyter, in angusta quadam cella super muros Ierosolymitanos inclusus demurmurandis preculis* (impia phrasis improborum) *semper intentus fuit.*

Dei vindicta 8 Circa id tempus, Dei prouidentia, qui sibi Religionis vinculo strictorum hominum vindex semper fuit, actum est, vt cum Hugo quidam Castrum super quoddam Cluniacēse Monasterium ædificare cepisset, terremotu absorptum, ipsius loco, lacu profundissimo erumpente, in exemplum

exemplum fuit iudicij magni Dei contra Religiosorum exturbatores. Casum refert ex Petro Cluniacensi, & Roberto Baronius *sub hoc anno.*

Ann. Christi 1151. Eugenij 3. Rom. Pontif. 7. Conradi Regis Roman. 13. Emmanuel. Imper. Orient. 9. B. Berthol. Gen. 11.

1 ROMÆ sequenti anno 1151. tranquillius quieuisse Eugenium Papam ex Baronio & alijs sub eodem anno colligitur. Non sic res Orientis in Palęstina. Præter alia etenim, quæ non referimus, Norandinus Turcarum potentissimus, Antiochensem Regionem congregata militia perturbabat. Tyrius *lib. 17. a cap. 17.* Multa propterea damna & incommoda Eremitæ nostri illis partibus, præcipuè in *Montana nigra* consistentes, quæ non tenemus, proculdubio perpessi fuere. Eugenij Papæ quies.

2 Inter eos autem, qui in huius *Montanæ nigræ* antris, vbi nostros Eremitas fuisse anno 1141. diximus, eremiticam & religiosam vitam ducebant, vnus numeratur ea tempestate *Ioannes* Monachus Ierosolymitanus, tantæ abstinentiæ vt tribus in hebdomada diebus nihil cibi caperet. Gerardus a Nazareth *cap. 35.* Centuriatores Magdeburgenses. *Centur. 12. cap. 10. de Monachis Asiaticis*. Propter huiusmodi abstinentiæ exemplum nostris Regularibus proponendum, referri debebat hic *Ioannes*, esto nihil commune cum ipsis in Instituto habere crederetur. Ioannes Monachus.

3 Sub eodem anno vel circiter, Beritense Monasterium a nostris habitum fratribus, ex quodam incertæ fidei testimonio accepimus; & ita solum sub dubio id asserendum. Est autem *Berytus* Phœnicis, seu Syriæ Ciuitas, Mari adiacens, & ad Libani montis pedem sita, nec multum distans a Tyro, vbi anno 1149. primo inchoatum nostrum Cœnobium ex cuiusdam relatione diximus. De qua ciuitate Marinus Sanutus Torsellus *de secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 6. cap. 6.* Sic habet. *Est autem Ciuitas hæc* (scilicet Berytus) *maritima inter Sydonem, & Biblium sita in Prouincia Phœnicis, sub Tyro Metropoli, arboribus fructiferis fertilis, & amœna, vineisque, ac syluis. In Berito quædam erat imago lignea Crucifixi, quę non multum post passionem ipsius a Iudęis ridiculosè ad Christi est ignominiam crucifixa, & cum esset lancea transfixa in latere exiuit sanguis, & aqua, quibus liniti sanabantur infirmi.* Hæc ille. Nostri ergo, vel ob tantæ Imaginis Saluatoris deuotionem, si alia non suppeterent, iure in ista Ciuitate mansionem sibi curare debuerant; Aymerici Antiochensis Patriarchæ nostrorum Promotoris, cui suberat Tyrus Beryti Metropolis, auspicijs innixi. Monasterij Beryti.

Ann. Christi *1152.* Eugenii *3.* Roman. Pont. *8.* Friderici Barbarossæ Regis Roman. *1.* Emmanuelis Imper. Orient. *10.* B. Bertholdi Gen. *12.*

Fridericus.

1 CLarius sub sequenti anno 1152. Romam ingressum fuisse Papam Eugenium, ibique cum Romanis commoratũsse, tradunt Robertus *in appendic. ad Sigebert.* & Baronius sub hoc anno. Quo etiam; mortuo Conrado Romanorum Imperatori successit Fridericus. Baronius ibid.

Palestinæ euersus.

2 Syriæ autem, siue Palestinæ res, quæ magis ad nostros spectant Annales, sic eo tempore erant. Quidam Turcorum Satrapæ, quibus cognomen Hiaroquin, quorum sancta Ciuitas fuisse dicitur antequam sub Christianorum veniret ditione, hortante ac ducente matre Ierosolymam, vt sibi debitam hereditatem occupare contendebant. Iordanem ergo transeunt, Montana cum cohortibus conscendunt, Sanctum Olmeti montem pertingunt, & omnia loca Sacra, vel ipso prospectu, & intuitu subijciunt. Vvillelmus Tyrius *lib. 17. cap. 20* Marius Sanutus de *secret. fidel. Crucis lib. 3. parte 6. cap. 20.* Magnus proinde timor, & metus ciuibus incussus, quanta perpessi fuerint incommoda nostri Eremitæ Carmeli, nedum in ea Sancta Ciuitate, sed in Iordanis quoque desertis, & Iudeæ Montanis commorantes, iuxta dicta sub anno 1141. satis suadent. Suorum autem Deus vindex seruorum impunẽs illos non permisit recedere, magna enim cęde, & strage accepta, in vilem fugam conuersi debitas soluerunt pœnas. Tyrius, & Sanutus vt supra.

Monasteriũ Antiochiæ.

3 Sunt qui dixerint, hoc tempore, vel circiter, ædificari cęptum Ordinis nostri Monasterium in ipsa Antiochiæ Vrbe. Sed quia huius rei authores mihi valde dubiæ authoritatis sunt, ideo ipsorum testimonio non innitor. Illud certius, quod si ita contigit Antistitis Aymerici auspicijs id factum. Qui enim nostri Carmeli sedem refecit, Monasterium in eo construi procurans, & Montis Nigri habitationem concessit, vt sub anno 1141. & 1142. diximus, æquum sane erat, vt in ea Ciuitate cui ipse caput præerat, mansionem quoq contulisset. Quam iure porro fratres nostri desiderare debuerant, vt in amplissima Ciuitate fidelium procurandæ saluti Antistiti cooperari possent, quod est proprium Mendicantium munus, ad quod ab ipso Aymerico Patriarcha erant euocati pro certo est. Certum quoque, quod, vt Guillelmus de Sannico *in Chron. de multiplicat. Relig.* in specul. Ordin. *lib. 9. cap. 2.* inquit, *Est Antiochia Ciuitas nobilis, & gloriosa, distans a Monte Carmeli per 12. dietas, versus Aquilonem, in qua professores huius Religionis ædificauerunt solemne Monasterium sui Ordinis, & habuerunt.* Huius autem nobilissimæ Vrbis descriptio ex Marco Sanuto

de secret.

de secret. fidel. Crucis lib 3. par. 5. cap. 4. hæc est, *Antiochia in Cælesyria est in valle abundantissima, & repleta terris, & habitatoribus multis, & in segetibus abundantissima, fontibus, & riuulis irrigua: ex parte Orientali sunt montes per leucas 40. perdurantes ad quatuor vel sex leucas. Supra montem est lacus propter fontium abundantiam: ibique magna est piscium copia. De lacu descendit riuus prope Ciuitatem, & in propinquum flumen labitur. Montes sunt alti, & tamen in eis habitationes multum domesticæ, & vallem claudunt a duabus partibus: Mons, qui est versus meridiem vocatur* Oruntes; *inter quem, & flumen Ciuitas ædificata est. Alius mons versus Septentrionem vocatur* Montagna Neros, *idest, aquosa. Per hanc vallem currit fluuius supradictus a Cesarea Capadocia veniens. In monte autem, qui est versus Meridiem incipiunt muri Antiochiæ, & descendendo perueniunt vsque ad fluuium. Magnum autem spatium comprehendit. Infra Ciuitatem sunt duo montes, multum alti, et in altiori est inexpugnabile fortalitium. Inter illos duos montes est vallis multum profunda et stricta: inde labitur riuulus Ciuitati multum accommodus. Sunt in Ciuitate et fontes alij plures, sed cunctis præualet fons Sancti Pauli, ad portam Orientalem, conducitur et alius fons infra villam subtili artificio. A parte Occidentis labitur fluuius* Farfar, *tam prope villam, vt pes pontis muro Ciuitatis cohæreat, longitudo villæ quasi ad tres leucas extenditur.*

4 Pariter eodem anno in Ægypti Regno, & Ciuitate *Amassora*, alijs *Masera*, seu *Masura*, vocata, Barbaris Mahometanis permittentibus locum nostro Ordini datum a quodam antiquiario mihi relatum est. Sed quia ipsius testimonium apud me fide vacillat, nullatenus ipsi assentiendum. Illud tamen pro comperto videtur, rem pro impossibili habendam non esse, quod Sarraceni nostris Eremitis cohabitationem secum permiserint. Cum & hoc tempore, quando hæc scribimus tota Græcia, aliæq; sub Turca Regiones Christianorum Ecclesijs plenę sint: Syriam quoque, Ægyptum, & Thebaydem Monachis semper abundasse sub Barbarorum iugo compertum: Piam præterea nostrorum conuersationem Mahometanorum amorem sibi conciliasse, qui, etsi secta dissimiles multa ex nostris veritatibus confitentur, extraneum non est: cum nostri ea tempestate magna ex parte, forsan maiori, Syri, Armeni, & Græci essent, qui huiusce-modi Barbaris exosi non erant: propterea haud difficile, lucri spe etiam solicitante, cum eis in Vrbibus commanere obtinere potuerint. Amassora.

Anno Christi 1153. & 1154. Anastasij 4. Roman. Pont. 1. & 2. Friderici Barbarossæ Regis Rom. 2. & 3. Emmanuelis Imp. Orient. 11. & 12. B. Bertholdi Gen. 13. & 14.

1 POst obitum Eugenij 3. Papæ subrogatur PP. consensu Conradus Romanus dictus *Anastasius* 4. qui hoc biennium nondum expleuit. Honuphrius, Sigonius, Baronius, Gordonus, & alij post Othonem Bucotus Vir bis.

lib. 2

lib. 2. *cap.* 10. de gestis Friderici. Clausit etiam diem hoc tempore D. Bernardus, cuius opera nedum illustratus est Monasticus Ordo, quippe 160. fundauerat Monasteria, sed omnes aliæ Regularium familiæ; quibus doctrinæ pabulum, & rectè viuendi modum suis scriptis suppeditauit. Sed hæc minora censenda si comparentur cum eis quæ pro tota Ecclesia, Principum salute, & concordia, hæresim extirpatione, & Catholicorum subleuatione gessit. Eius ergo memoria in benedictione semper sit. Venit etiam Fridericus in Italiam, vbi quæ gesserit in sequentibus notabimus, & legi possunt apud Othonem supra relatum.

Monasteria. 2 Quod porro ad res Ordinis nostri attinet, referre possemus fundationes aliquorum Monasteriorum, quæ hoc tempore, vel circiter, a quodam in historicis rebus perito, factæ dicuntur. Quia tamen, vt diximus, dubiæ fidei apud me hic homo est, nec huiusmodi apochryphis delector, ea sciens, & libens prætermitto. Etsi de pietate Christianorum his annis Terram Sanctam occupantium; deuotione Aymerici nostri Promotoris; sanctitate B. Bertholdi Generalis, & coeremitarum Carmeli, iure suspicari posit in plura Syriæ, & Palestinæ loca propagatos tunc fuisse. Sed Sarraceni, qui ab ipsis ea abstulerunt, monumenta, quibus hæc firmari poterant etjam arripuere.

De B. Bertholdo. 3 Tangit autem eosdem nostros Eremitas Carmeli, eiusque Archiphylacem Bertholdum, quod quamuis pius Pater, familiaque sibi credita, hoc tempore, lętitia, & iubilo potiri posset, quod Ascalonitana Ciuitas e Barbarorum manibus erepta in Christianorum Terræ Sanctæ Principum potestatem, S. Ligni Crucis virtute cooperante sub hoc tempore venisset (Tyrius *lib.* 17. *cap. vltimo*) quo non parum Christi fidelium vires confortatæ, & inimicorum Crucis debilitatæ manebant; & quod Carmeli grex in dies magis, ac magis feliciter propagaretur. Id tamen erat quod Bertholdum, & sibi commissum gregem non leuiter angere posset; quod scilicet Rainaldus Antiochenus Princeps tam ignominiosè Dominum Aymericum eiusdem Vrbis Patriarcham, nostrique Ordinis Promotorem, Protectorem, insignemque benefactorem tractasset, vt vix de Christiano Principe talem iniuriam Antistiti Catholico intulisse in historijs legatur. Casum ergo ex Vuillelmo Tyrio *lib.* 18. *cap.* 1. sic habemus. *Interea Raynaldus de Castellione, qui Domini Raymundi Principis Antiocheni viduam duxerat, de quo facto superius diximus, videns quia Domino Patriarchæ factum non multum placuerat ab initio, et adhuc in eodem perseuerabat; suspectas eius omnes habebat vias. Ille autem tanquam vir et ditissimus, et potens, et supremæ auctoritatis libere satis, tam de eius persona quam de eius actibus, tum in secreto, tum in publico sæpius loquebatur. Erant autem nonnulli, sicut in talibus frequenter solet contingere, qui huiusmodi verba odiorum fomitem quærentes, reportabant. Vnde motus in indignationem, & iram inexorabilem Princeps, Domino Patriarchæ violentas iniecit manus, & ausu diabolico captum in castellum quod Ciuitati Antiochenæ supereminet ignominiosè deduci fecit: quodque satis vi-*

detur

detur abominabile, Sacerdotem longæuum, Petri Apostolorum Principis successorem, virum ægrotatiuum, & pene perpetuò infirmantem, nudo capite, & melle delibuto per diem æstiuum in Sole feruentissimo compulit sedere, nemine contra Solis importunitatem præbente remedium, vel gratia pietatis muscas abigente. Hoc audiens Dominus Rex Hierosolymorum in stuporem raptus, viri dementis admirans insaniam, & præ admiratione in se ipso deficiens, missis venerabilibus nuncijs, Domino Friderico Acconensi Episcopo, Domino Radulpho eius Cancellario, per eos litteras dirigit, & auctoritate Regia prędictum dementem corripit, & à perpetrata redire monet insania. Ille autem, visis nuncijs, & Regijs perlectis apicibus, postquam eum multis affecerat contumelijs, remisit liberum: bonis etiam, quę ab eo, & suis violenter rapuerat, plenè restitutis. Tandem vero Dominus Patriarcha Antiochenam deserens Diœcesim, in Regnum se se contulit Hierosolymorum; vbi à Domino Rege, & eius Matre discretissima, Domino quoque Patriarcha, & Regni vniuersis Episcopis benignè habitus, per aliquot mansit annos. Hæc Tyrius.

4 Quæ non leuiter, vt diximus, pium Bertholdi nostri animum affligere possent, quod sibi sanguine, beneuolentia, & amicitia coniunctum, venerabilem Patriarcham, tam indigne vexari à sibi subdito Principe videret. Nec minus alij eiusdem Bertholdi in Carmelo Collegæ tristitia affici deberent, Reuerendissimum Antistitem, liberalem, benefactorem, Cœnobij Carmeli Montis Conditorem, & alijs locis propagatorem, impie, & iniustè tractari cernentes. Sed Dei summa prouidentia, quę suorum vindex seruorum semper fuit, sacrilegum Principem, qui in Christum Domini violentas manus iniecerat, impune abire non permisit, flagitijs etenim pœnas debitas, palam eidem, eiusque populo mox inflixit. Primo etenim *facta est anno sequenti*, (inquit Tyrius *vt supra*) *fames valida super vniuersam terram, & iratus nobis Dominus omne firmamentum panis contriuit, ita vt tritici modius aureis venderetur quatuor*. Deinde paucis post annis in quodam conflictu cum Turcis habito, *peccatis suis exigentibus, Princeps Antiochenus* (inquit idem Tyrius cap. 28.) *omnes quas commiserat impietates corporaliter luiturus captus est, & compedibus religatus, Halapiam cum alijs concaptiuis spectaculum factus populis infidelibus cum summa ignominia deductus est.* Deo sic prouidente, vt qui ignominiose, & inique sanctum Domini Sacerdotem afflixerat, & populo ludibrium fecerat, vinctus ipse, & oprobriose captus, infidelium populis æqua lance miserabilis, & ignominiosus appareret. Nec de Virginis Matris Mariæ in sui Ordinis beneuolos protectione aliud cogitandum quam quod Aymericum ipsius benignum propagatorem ab illata iniuria quantocius vindicaret.

B. Bertholdi afflictio.

5 Religio autem nostra hoc anno, vel circiter, aliqui videlicet ipsius alumni, primum, Panormum, & Messanam cum Adelasia Regina Hierosolymitana, traiecerunt, teste Pirro *in notit. Ecclesiæ Catanensis*; quod non parum pro ijs, quæ in sequentibus de horum Conuentuum antiqua fundatione dicemus, congruit.

Fratres in Sicilia.

Anni

Ann. Christi *1155.* vsque ad *1159.* Adriani *4.* Roman. Pontif. 1. vsq; ad 5. Friderici Barbarossæ Imperat. 1. vsque ad *5.* Emmanuelis Imperat. Orient. *13.* vsq; ad *17.* B. Berth. Gen. *15.* vsque ad *19.*

Adrianus Papa.

1 HOc quinquennium occupat Pontificatus Adriani 4. qui post Anastasium 4. S. Sedē Petri ascendere dignus inuentus fuit. Quo tempore Frider. Roman. Rex, qui ducto exercitu in Italiam venerat, & Mediolanenses represserat, primo, Papię coronatur; deinde, Romæ ab Adriano Imperiali Corona: peste tamen excitata in exercitu in Germaniam coactus redijt. Offensus tamen, vt putabat, à Papa, iterum è Germania Italiam ingressus, Mediolanum obsidione capit; Cremonam, Veronam, & Brixiam recipit; & dum totam Longobardiam Imperatoris esse credit, ipsam grauatam sibi rebellantem videt. Blondus, Sigonius, Baronius, Gordonus, & alij.

Arnaldus hęresiarcha.

2 Arnaldus autem hęresiarcha in manus Pontificis venit, in Thuscię finibus captus; & ad vltimum a Præfecto Vrbis ligno adactus, ac rogo in puluerem redacto cadauere, cinis in Tyberim sparsus. Ottofrisingens. *in Frideric. lib. 2. cap. 20.* Baronius sub ann. 1155. Soluit tandem debitas pœnas homo inimicus Deo, Christo, Papæ, Clericis, & Monastico Ordini, vt in superioribus diximus, dum illis bonorum temporalium congruam possessionem denegabat.

Ecclesia S. Chrisogoni.

3 Anno primo huius Pontificis Adriani, cum Guido Presbyter Cardinalis S. Chrisogoni quæstionem mouisset contra Clericos Ecclesię S. Saluatoris de Curte, quod nollent obseruare sententiam sæpius contra ipsos latam, de qua sub anno 1141. diximus, circa obedientiam, & subiectionem præstandam Ecclesiæ S. Chrisogoni, auditis, & cognitis quæ proponebantur hinc inde, & inspectis priuilegijs Vrbani, & Calixti 2. declarauit Pontifex in fauorem dictæ Ecclesiæ S. Chrysogoni. Prout constat ex epistola Innocentij 3. *lib. 2. epistolar. in impress. Veneta pag.* 476. Quod ne iura præfatæ Ecclesiæ, quæ hoc tempore quando hæc scribimus, nostrorum fratrum Mantuanæ Congregationis est, deperdantur, hæc placuit in præsenti notare. Habetur etiam ex eadem epistola quod cum prædicti Clerici adhuc reluctarentur, contra eos iterum sententia lata est.

Hierosolyma.

4 Sancta interim Ierosolymorum Ciuitas in turbis erat, & dissidijs eo tempore, ob contentiones exortas inter Patriarcham, & alios Prælatos, cum Raimundo magistro Domus Hospitalis, & fratribus suis. Hi enim pretextu suorum priuilegiorum plura faciebant, quibus iura Patriarchæ, & aliorum Prælatorum lędi videbantur, quoad decimas soluendas, sepulturam cadaueribus dandam, interdicti obseruationem, & similia. Alia etiam

etiam Xenodochia, & Monasteria hoc exemplo eadem imitari volebant. Tyrius *lib.* 18. *cap.* 3. & 6. Quæ egerint nostrorum Fratrum Cœnobia, aut Eremitoria tum Herosolymis, cum in adiacente Regione consistentia, ob monumentorum inopiam nobis incertum. Præsertim cum quatuor illas bullas à Summis Pontificibus eo tempore (vt credimus ad Patriarchas Hierosolymitanos missas, de quibus ex Mantuano nostro mentionem fecimus sub anno 1146.) videre non sit permissum.

5 Inter eos autem, qui hoc æuo Hierosolymis Monasticam, & Ereminicam vitam colebant, quos non incongrue nostri Ordinis alumnos suspicamur, vnus fuit *Radulphus* nomine, natione Gallus, nobili genere natus, ita vt septingentorum militum Ductor, & Dominus esset, dum erat in sæculo. Hic ergo omnia quæ habuit, deseruit, & leprosis quamdam domum Hierosolymis extra Ciuitatem inhabitantibus, inseruiuit. De hoc Gerardus à Nazareth, *cap.* 11. Centuriatores Magdeburgenses, *Centuria* 12. *cap.* 10. Radulphus.

6 Alter est *Bartholomæus* nomine, qui vxorem suam formosam, & pudicam, ac patriam deserens, Hierosolymam peregrinatus ibi miles Templi factus est. Is imitatus Albericum, de quo sub anno 1150. dictum, leprosis ad Hierosolymam aquam ex lacunis magno labore adferre solitus fuit, inque omni necessitate quantum potuit ipsis presto esse; ieiunijs, & vigilijs quasi ad necem fermè se se exercuit. Tandem, & illud vitæ genus, locumque deserens, ad montem Antiochiæ, qui *niger* dictus (vbi nostrorum Eremitorium esse sub anno 1141. diximus) Monasticum vitæ genus ibi suscepit, vbi etiam tandem mortuus est. Gerardus à Nazareth *cap.* 12. Centuriatores Magdeburgenses, *Centuria* 12. *cap.* 10. Bartholom.

7 Marsalensis Cœnobij in Sicilia, Mazariensis Diœcesis, & nostræ Prouinciæ Sancti Angeli celebris, erectio iam hoc anno facta creditur. Etenim in relatione Conuentuum Italiæ, iussu Innocentij Papæ Decimi sub anno 1650. facta, dum de hoc Cœnobio agitur, dicitur, eius fundationem à quingentis, & amplius annis contigisse: Vnde recta numeratione annorum inspecta ante annum 1150. æstimari debet. Quia tamen sub præcedenti anno 1154. ex Rocco Pirro Abbate Netinensi insigni rerum Siciliæ Antiquario *in notitijs Eccles. Catanen.* diximus, eo tempore aliquos ex nostris Carmeli Eremitis Panormum, & Messanam, cum Adelasia Hierosolymitana Regina traiecisse, ideo prudenti existimatione suspicari possumus ab illis huius Monasterij fabricam primordialiter circa hoc tēpus inchoatam. Præsertim cum in ea relatione ex quibusdam scripturis id testentur Fratres hausisse. Cœnobium, etsi structura vetustum, Fratribus tamen numerosum, sacellis, statuis, Imaginibus, vasis, & Monasteriensibus officinis clarum. Colitur in eo pia populi simplicitate locus, in quo Sanctus Albertus noster, dum viueret cum asinello quodam, quo iter agens vehebatur, hospitium habuerat: huius Sancti intercessione similium animalium indemnitatem à Deo impetrare credētis. Gaudet Ecclesia titulo Conuentus Marsalæ.

Annunciatæ Virginis, sicut pleræque aliæ Regni Siciliæ; quia Fratres nostri è proprijs sedibus eiecti, quem apud Nazareticam Vrbem, vbi mysterium hoc adimpletum fuit, habebant, in exteris commorantes, eo spoliari nolebant.

Edictum Imperatoris.

8 Edictum hoc tempore, occasione quarumdam litterarum Papæ promulgauit Imperator, ne quis Ordinis Clericalis, vel Monachalis peregrinari Romam præsumeret, custodes ad hoc in vijs, quibus iter esse poterat constituens. Prætextus erat ne Ecclesia dispendijs grauaretur, ne ve Claustrales huiusmodi vagationibus disciplinam Regularem desererent. Sed esto Imperatoris zelus bonus esse posset, non tamen propterea Monachis, aut Religiosis aditus ad Summum ipsorum Generalem, Romanum Pontificem, præcludendus erat, ad quem semper liber recursus omni iure permissus est. De huiusmodi litteris latè Baronius sub ann. 1157 & alij ex Roderico de gestis Friderici *lib.* 1. *cap.* 8. *&* 9.

Iulianus Perez.

9 Circa id tempus, cuius modo historiam teximus, vel saltem non multo antea, ferebantur in Hispania monumenta, quæ Iulianus Petrus, vel Perez Archipræsbyter Sanctæ Iustæ; author variarum linguarum notione instructus, multorum voluminum antiqua lectione doctus, ætate proficiens, & prouectus, illius æui stylo scripserat. Inter quæ Chronicum composuit, in quo non minus eruditè quam succinctè, Sanctorum Martyrum Hispaniæ tam sui sæculi quandiù ante acti gesta cómemorat. Scripsit etiam Aduersaria ad Chronicum, vt illud explicaret, exornaretque. Et de Eremitorijs Hispanis. In quibus opusculis quædam pro nostri Ordinis antiquitate scripsit, quæ iure optimo huic loco adscribenda censemus, pro fide firmanda illorum, quæ tomis præcedentibus diximus. Primo ergo in Chronico circa ann. 475 & Æram Cæsaris 513. sub nu. 252. hæc habet: *Floret memoria apud nos S. Synthicæ Abbatissę Monialis Carmelitarum, miraculis, dictis, factisque claræ.* Deinde in Aduersarijs num. 264. sic. *Ferunt paulo post annum 779. Carolum Magnum ad Terram Sanctam a Barbaris oppressam asserendam, cum exercitu traiecisse, & eum secutum fuisse Genesium Abbatem Corbonensem, qui nimis fauit Ierosolymis fratribus Carmelitanis miserabiliter oppressis, & eius causa multi viri militares relicto militia cingulo vitam illam secuti sunt.* Item *in tract. de Eremitorijs Hispanis num.* 5. sic. *Eremitorium Toleti in suburbio S. Mariæ de Alf. . . a temporibus antiquissimis 3 templa Toletanorum quo venerunt olim Monachi Carmelitæ, & tempore captiuitatis fuit Ecclesia Regis Adefonsi 6. vbi ferè semper sedebat Archipresbyter Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ sub patronatu Toletanorum Ficulnorum Portocarrerorum.* Habentur hęc opuscula Parisijs impressa sub anno 1628. Laurentij Ramirez de Prado opera; & auspicijs excellentiss. D. Comitis Ducis Oliuarensis. Quæ vtinam perlegat curiosus lector, & animaduertat ab authore huius sæculi ad quingentos annos ante nostrum, Abbatissam & Moniales Carmelitarum circa ann. Domini 475. fuisse; Carmelitas tempore Caroli Magni Ierosolymis vixisse, & Toletum ad S. Mariæ

de Alfi-

de Alfizem (quod Cœnobium obtinent modo) olim venisse, vt vel sic noscatur primordialem Carmeli Ordinis fundationem sub Aymerico inchoatam non fuisse, quin potius restitutam, vt sub anno 1142. visum est, multoque minus, quod alijs arridet, sub Alberti, videlicet Ierosolymitani Antistitis, Regulæ institutis, id contigisse.

Notatio.

10 Pro ijs autem, quæ hic Author scribit, consulenda quæ nos in præcedentibus tomis. Pro Sancta Synthica, seu Syncletice, quæ tomo secundo *sub ann.* 337.*num.* 4. Pro gestis Caroli Magni, seu Genesij Abbatis Corborensis, circa eleemosynam concessam fratribus nostris Ierosolymis commorantibus, quæ *tom. tertio sub ann.* 796. *num.* 5. Ac tandem quæ spectant ad Ecclesiam nostram S. Mariæ de Alfizen, de quibus hic Author; sæpius inculcata, & amplificata reperiet lector eo *tomo tertio sub annis* 688. 731. *&* 1073. Qualiter etiam Iulianus iste authoritatem in suis scriptis habeat, fidemque mereatur, Toletani historici supponunt, & nouissimè P. Antonius de Quintana dueñas Iesuita ostendit in suis aduertentijs ad librum cui titulus est *Sanctos de la Imperial Ciudad de Toledo*, contra nonnullos, qui immerito, nec rectè iudicantes aliter sentire videntur.

Patriarcharum successio.

11 Hoc etiam tempore mortuo Fulcherio Ierosolymitanorum Patriarcha successit Amalricus; de quo Vuillelmus Tyrius *lib* 18. *cap.* 19. *&* 20. Huius autem Patriarchæ successio ea de causa nostræ historię Annalibus inserenda fuit, vt Ioannis Heroldi continuatoris belli sacri eiusdem Tyrij *lib.* 5. *cap.* 3. errorem circa ea quæ in superioribus dicta sunt melius refellamus. Hic ergo author, quam sub Aymerico Antiocheno Patriarcha Ordinis restitutionem accidisse sub anno 1141. diximus, huic Amalrico Ierosolymitano Patriarchæ, nominis forsan similitudine adductus, tribuere videtur. Sic enim habet. *Est Carmelus mons in Syria mora tam aliorum Prophetarum quam Eliæ, & Elisei nobilis. Hunc locum sub Almarico Ierosolymitano Patriarcha insederant Anachoretę, ac cum sparsim circa montem agitarent, tandem coiuere ad fontem, qui* Eliæ *dicitur in cacumine montis, & phanum & Monasterium construxerunt, vni qui honesta precipiebat humiliter parendo, sine tamen certo instituto, sine peculiari cultu, sine ceremonijs*. Veruntamen Heroldum hunc toto cælo aberrare ex dictis conuincitur: non enim sub Almarico, sed sub Aymerico, neque sub Ierosolymitano Patriarcha, sed sub Antiocheno, is casus contigit. Quomodo etiam capiendum id quod de phano, seu Monasterio constructo hic author asserit sub anno 1142. est dictum. Neque est audiendus in eo quod scribit de illis Eremitis certo instituto, peculiari cultu, & ceremonijs carentibus, hoc enim solum credi potest de illis, qui ex Occidente venerant, *et spretis seniorum monitis non recte ad veritatem religiosæ vitæ eremiticæ* ambulabant, vt ibidem cum Beato Cyrillo diximus, non de senioribus illis, vita, & conuersatione vere Religiosis.

12 Pariter etiam bona fide de eodem intento S. Antoninus de Flo- S.Antonini.

rentia

rentia *in 3. part. tit. 20. cap. 5.* (ex quo idem desumpsit Bartholomæus Cassaneus *in Catalogo gloriæ mundi par. 4. considerat.* 70 (Sic scripsit. *Hi* scilicet Carmelitæ) *habuerunt initium sub quodam Patriarcha Ierosolymitano, cum in Syria habitabant Christiani Ierosolymis, et in alijs multis Ciuitatibus*. Vel enim per nostri Ordinis initium sub Aymerico factam, restitutionem intelligit, vel eam, quæ sub Alberto Regulæ compilatore contigit, restaurationem. Si Aymerici restitutionem, non vere dicitur sub Patriarcha Ierosolymitano facta, cum Aymericus Antiochiæ, non Ierosolimæ Patriarcha fuerit. Si posteriorem, contra historiæ veritatem est, id factum fuisse *cum in Syria habitabant Christiani Ierosolymis*: eo enim tempore quo Albertus fratribus nostris Regulam concinnauit, Sancta Ciuitas sub Turcarum iugo manebat, vt propterea Patriarchalis Sedis, Acconem, quo loco Regula data est, translata tunc forsan. Ergo Sanctus Antoninus hunc Amalricum Ordinis Institutorem credidisse videtur: ipse enim Ierosolymæ Patriarcha erat, & eo tempore, quo Christiani in ea Sancta Ciuitate morabantur. Hoc autem historiæ veritati consonum non esse ex dictis compertum: & vel ex eo conuincitur, quod nunquam in Ordine nostro, eiusque historijs, huius Amalrici vlla memoria comperiatur.

Azorij mẽt. 13 Nec his authoribus fauet Ioannes Azorius, dum *tomo primo institut. moral. lib. 12. cap. 23. §. porro Carmelita, & §. alijs vero*, nostri Ordinis reformationem tribuit *Almerico* Patriarchæ, quod indicat hunc *Amalricum*, de quo in præsenti. Cum enim dicat fuisse Antiochenum Patriarcham, existimandum est voluisse dicere *Aymerico*, cui soli competit hic titulus Patriarchæ Antiocheni; aut forsan Typographi incuria pro *Aymerico* positum esse *Almericum*. In hoc ergo excusandus vir doctus. Non sic tamen in alijs, quæ eo loci scribit de Ordine nostro, quoad tempus videlicet huius reformationis, & Regulæ datæ ab Alberto, nec non alijs, quæ suis locis notabimus: præsertim, cum verba Ioannis Heroldi ad verbum referat, nec impugnet. Sane authores quamtumuis docti monendi ex hoc exemplo veniunt, vt in ijs quæ ad historiam spectant, consulant eos, ad quos illæ spectant, non extraneos, qui facilè in ipsis hallucinari solent.

Ann. Christi 1160. Alexandri 3. Roman. Pont. 1. Friderici Barbarossæ Imperat. 6. Emmanuelis Imp. Orient. 18. B. Berth. Gen. 20.

Schisma. 1 POst obitum Adriani 4. Romani Pontificis, qui anno præcedenti 1159. contigit Anagniæ sub Kalendis Septembris, grauiora damna ex pessimo schismate orta prodierunt, de quibus in sequentibus. Cum enim mortuo Papa de successore deligendo deliberarent Cardinales, omnes illi, præter Octauianum, Ioannem, & Guidonem, in Cardinalem Rolandum, Alexandrum

Tertium nominatum, conuenerunt. Cumque eum, vt moris est, Papali manto induere voluissent, accedens Octauianus mantum e collo ipsius proprijs manibus violenter abstulit, & secum asportare tentauit. Quia tamen vnus ex Senatoribus, qui aderat, mantum de manu sæuientis eripuit, ipse, manto alio, quod secum fraudulenter portauerat indutus est, & de Conclaui egrediens coronari voluit sub nomine Victoris, pessimi schismatis causa existens. Baronius sub anno 1159.

2 Eo anno Fridericus Imperator Papiæ Synodum congregari fecit, ac si hoc Imperatoris, non Pontificis iuris esset, vt qui verus Pontifex credendus Alexander ne, an ille Octauianus, discuteretur. Prudenter adesse noluit Alexander, vt præiudicium quod illi sub nomine iudicij parabatur, recusaret, cum è contra Octauianus schismaticus, cui Imperator fauebat, iudicium subiturus conciliabulo adstaret. Exijt ergo peruersa sententia, & Octauianus sub nomine Victoris verus Pontifex approbatur. Quem tamen Imperatorem, & schismaticos Alexander Apostolicus excommunicationis gladio a deuio itinere reuocare contendit. Sigonius, Baronius, & alij moderniores ex Radeuico *lib.* 2. *cap.* 62. & alijs vetustioribus. Synodus.

3 In Syriæ partibus circa idem tempus soluebat pœnas irreuerentiæ habitæ contra Aymericum Antistitem, & nostrorum fratrum protectorem, de qua sub anno 1153. diximus, Princeps Antiochenus Raynaldus à Turcis captus, compedibus ligatus, & Halapiam cum alijs concaptiuis ignominiose deductus. Tyrius *lib.* 18. *cap.* 28. Deo quoque mirabili modo prouidente factum est, vt in captiui Principis locum Aymericus Antiochenæ Regioni Præpositus à Rege Hierosolymorum constitueretur. Tyrius *ibidem cap.* 30. vt ibi cum honore haberetur, vnde cum ignominia fuerat eiectus, & in illius locum sublimatus à quo fuerat viliter humiliatus. Sed quid non timere debebat is, qui promotorem Ordinis Virginalis tam iniquè vexauerat? Aymericus i

4 Quo etiam anno contigit historia illa de delatione Imaginis Beatæ Mariæ Deiparæ, quæ in Carmeli Oratorio à principio fermè nascentis Ecclesiæ, à nostris Eremitis in veneratione debita fuerat, è Constantinopoli Bononiam, per Euthymium quondam Eremitam, eiusdem, vt creditur, Carmeli. Prout latè *tom.* 2. *sub ann. Christ.* 83. *num.* 10. 11. *&* 12. explanauimus ex Thoma Ferrario Iesuato Bononiensi in libro, cui titulus est; *De imagine Beatissimæ Virginis della Guardia*. Cuius verba, prout ad præsens intentum attinet, alijs relictis, quæ eo loco legi possunt, sunt hæc. Imago Deiparæ Carmeli.

Il gran motore Iddio, mercè dell'infinita sua prouidenza, si compiacque, che tutte l'opere sue fussero dal gran Legislatore Mosè manifestate, non solo per quelli antichi, e primi della vecchia Legge, mà ancora per tutti noi altri, che habbiamo da Giesù Christo la viua Fede; e così nè anco hà mai permesso, che in tempo alcuno deuesse perire il vero Ritratto di Maria Vergine, anzi l'hà nobilitato, & aumentato di gratia à grandezza, e gloria sua. Quindi è, che non solo si compiacque, che tal Ritratto fusse dall'Euangelista San Luca semplicemente delineato, mà con viui colori

ui colori formato ; & abbellito , sì che , se dall' hora in quà riceuuto egli hà il dono diperpetuità , così mi penso debba godere l' istessoper tutti gli anni di questo secolo . E acciò questa Gemma Orientale non restasse qual nascosto tesoro sepolta in terra , priua di memoria , e veneratione , si compiacque di più il misericordioso Dio (così già come è scritto da molti) che dall' anno 1160. che pure anco di questo ne riferisce il Reuerendo Padre Fra Leonardo dell' Ordine de' Predicatori , si scoperse vn deuoto Eremita d' habito , secondo alcuni , Carmelita , e Greco di natione , il cui nome era Eutimio , secondo la Signora Lucretia Marinelli, nelle lodi, che hà fatto in laude di questa Immagine, il quale Eutimio la portò da Costantinopoli fino alla Città di Bologna , fauore in vero non humano , mà dal Cielo venuto, che se vogliamo prestare in questo luogo piena credenza all' etimologia à lei comunemente attribuita , che Bononia *dir voglia* Omnia bona , *certo che all' hora v' hebbe la verità compito luogo , quando dico vi entrò il deuoto Sembiante di Maria Vergine , perche essendo Lei fonte di gratie , non restò dall' hora in quà d' irrigare sopra Bologna ogni bontà , e fauore : per essere quell' istessa Santa Immagine , che fù con gran zelo , e deuotione adorata da què primi Padri del Monte Carmelo nel primo suo Oratorio eretto , e consecrato ad honore di Maria Vergine poco dopo la sua Assuntione in Cielo fino al tempo de' Santi Apostoli , come riferiscono Iodoco Clitoueo, e Gioseppe Antiocheno .* Hæc porro , cum ab extero Authore , ex aliorum etiam exterorum testimonio dicta sint; nec vllam in se veritati oppositionem inuoluant; quin potius Diuinæ prouidentiæ conformia sint; eo quoque, quod Cælestis hic Thesaurus in manus Turcarum deuenire poterat ; meritò , vt vera censeri debent : etsi credibile omnino sit nunquam sine alia simili Deiparæ Icone Carmelum remanere voluisse, ac proinde istam, quę Bononiam translata fuit, ipsius copiam fuisse .

Ann. Christi *1161*. Alexand. *3*. Rom Pontif *2*. Friderici Barbarossæ Imper. *7*. Emmanuel. Imper. Orient. *19*. B. Berthol. Gen. *21*.

Gesta huius anni. 1 SEquenti anno 1161. quo Summus Pontifex Alexander 3. Canonizationi S. Eduardi Anglorum Regis intendebat , meruit vicissim vt Angliæ Rex omnium primus eum in Papam reciperet , Legatis Antipapæ Victoris , & Imperatoris reiectis , quod etiam in Gallijs Ludouicus & alij Princeps postea agere cęperunt . Domesticis autem Romanis quietam sedem ipsi non permittentibus in Gallias refugij habendi causa nauigare decernit , prout sequenti anno euenisse dicemus . Sic Annalistæ .

Syriæ casus. 2 Quo etiam tempore in Syriæ partibus dum Comes Tripolitanus ægrè tulisset quod ab Imperatore Græcorum delusus esset respuendo sororem ipsius quam desponderat per Nuncios, dolore cordis intrinsecus tactus, ne illatam iniuriam , aut non sentire videretur , aut negligentius dissimulare

lare, galeas, quas ad alium vſum præparauerat, armari præcipit, & piratis vocatis ipſas tradit, eis ordinans, vt prædicti Imperatoris terras obambulantes, nec ætati parcerent, nec ſexui, nec conditionum vllam haberent differentiam, ſed paſſim, & ſine delectu tam Monaſteria, quam Eccleſias omnia traderent incendijs, & rapinas vbique ſiue homicidia libere perpetrarent. Illi autem dicto parentes mare ingreſsi regiones Imperatoris tam quæ in Inſulis erant, quam quæ in terra mari contermina perluſtrantes, verbum Comitis largius interpretantes, vbique rapinas, vbique incendia, vbique homicidia procurant, Eccleſias violant, effringunt Monaſteria, locorum venerabilium nullam habentes differentiam. Tyrius *lib.18. cap.33.* Noſtros Eremitas proinde in Græci Imperij partibus commorantes his incurſibus damna paſſos fuiſſe facile creditu redditur. Eſto autem illi nihil damni paſſi eſſent aliorum tamen Ordinum Cœnobia diſpendia non mediocria ſuſtuliſſe pro comperto eſto: Deus autem, qui in omnibus ſuis operibus mirabilis oſtenditur, in eo ſanè mirabilior, quod eos qui loca Sacra ſacrilegè inuadere, aut prophanare præſumunt nũquam impune abire permittit, prout in hoc Tripolitano Comite hoc ſcelus perpetrante clarè innoteſcit. Eodem enim Tyrio *lib.19. cap.9.* teſtante, poſt paucos annos a Turcis captus, vinculis alligatus, & veluti vile mancipium Hallapiam traductus, ſpectaculum miſere factus eſt ne dum infidelibus, ſed & fidelibus quoque locorum, & hominum Deo ſacrorum prophanatoribus. Quibus ſimilia alijs eadem perpetrantibus accidiſſe in hiſce noſtris Annalibus ſæpius repetimus.

3 Sub hoc anno aſtruit Ioannes de Cimineto vetuſtus Ordinis author *in ſpeculo Ordinis cap.5.* Regulam Alberti pro noſtris confirmaſſe Alexandrum Papam. Sed cum Albertus hoc tempore Patriarchatum non geſſerit, nec Regulam tradidiſſet, non potuit ea ab Alexandro Papa confirmari. Forſan hic author intendere voluit Summum Pontificem Ordinem, & Regulam in ipſo hoc tempore vigentem (quam ipſe errans putauit fuiſſe Alberti) ſub hoc anno confirmaſſe. Quod nobis incompertum, cum communiori opinio ſit pro anno 1180. id contigiſſe, vt eo tempore dicemus. Ciminetiſ ſententia.

Ann.Chriſti *1162.* vſque ad *1164.* Alexand.*3.* Roman. Pontif. *3.* vſq; ad 5. Friderici Barbaroſsæ Imperat *8.* vſque ad *10.* Emmanuelis Imperat. Orient. *20.* vſq; ad *22.* B. Berth. Gen. *22.* vſque ad *24.*

1 ERat ſub hoc tempore in Gallijs Summus Pontifex Alexander 3. inimicorum furiam fugiens; ſed a Francorum, & Anglorum Regibus aderatus, honore congruo ſuſceptus, ipſis peditibus, dextra, læuaque Alexandri geſta.

frœnum

frœnum equi ipsius tenentibus ad papilionem suum perductus. A quodam etiam Saracenorum Principe coram eo genuflexo, sicut & ab innumera multitudine Prælatorum, & infinita populi copia, condigne, & religiose veneratus. Deo sic mirabiliter prouidente, vt ostenderet Vicarij Christi dignitatem, & quod sine mundana pompa, qua fere expoliatus tunc erat ab Vrbe exul, potens sit eum toti Orbi spectabilem, & venerabilem exhibere. De his passim Annalistæ moderni post veteres Scriptores.

Alia de ipso. 2 Parisios deinde perueniens, ibique a Ludouico Rege debita reuerentia tractatus, Turonem postea perrexit, vbi Synodum solemniter celebrauit cum 17. Cardinalibus, Episcopis 124. Abbatibus 414. & aliorum tam Clericorum, quam laicorum multitudine. Conditi in ea Canones circa diuisionem, & permutationem præbendarum, & dignitatum, vsurarum prohibitionem, decimarum applicationem, hæreticorum repressionem, & similia, de quibus Baronius, & alij Scriptores rerum Ecclesiasticarum.

Sancita in Concilio. 3 Qui & addunt (quod ad Regulares tum nostri, tum aliorum Ordinum spectat) duo sancita esse. Primum, ne ab ijs, qui Religionem ingredi volunt, aliqua pecunia requiratur. Secundum, ne vllus post votum Religionis, seu factam professionem, ad Physicam, legesve mundanas permittatur exire. De vtroque diximus *tom. 1. Summ. quæst. regular. cap. 9. num. 3. & cap. 24. num. 30. & 31.*

Tyrij opinio. 4 De anno 1163. qui huic tempori correspondet, loquens Vuillelmus Tyrius *lib. 19. cap. 1.* eum vocat vigesimum Patriarchatus Aymerici in Antiochia. Sed sibimet & veritati in hoc contrarius comprobari potest. Cum enim ipse *lib. 15. cap. 16. & 18.* circa annum 1137. (de quo postea cap. 23. historiam texit) electum Aymericum dicat, nosque pro eodem anno idem accidisse ex plurium Chronologiæ Scriptorum testimonio Tomo tertio præcedenti dixerimus, hallucinatum fuisse comprobatur, dum hunc annum 20. Aymerici dicit, qui re vera 25. vel 26. fuit. Ex quo conijci datur potuisse etiam errare eundem Tyrium, dum præfatum Aymericum dicto cap. 18. hominem absque litteris, & conuersationis non satis honestæ appellat, præsertim cum eum solum puer cognoscere potuisset, & nonnisi ex aliorum relatu hæc referre. Cum enim B. Cyrillus in libro illo, seu epistola ad Eusebium cap. 2. quem imitantur Ioannes de Malinis, Bachonius, & Vinea sub anno 1141. relati, Aymericum vocet *Deo, & hominibus amabilem virum*, ipsi fidendum, loquendo maxime de tempore post assumptionem ad Patriarchatum, quidquid fuerit de iuuentute, in qua etiam sanctissimos viros deliquisse compertum est.

Cyrillus, & Angela. 5 Inter eos, qui sub hoc tempore visiones, reuelationes, seu spiritum propheticum a Deo accepisse dicuntur, referuntur ex nostris Beatus Cyrillus presbyter, & B. Angela Bohema. Sic fermè improbi Scriptores Ioannes Balæus *in Cathal. Scriptor. Britanniæ, Centur. 2. in Append. ad Symonem Dunelmum*, & Centuriatores Magdeburgenses *Centur. 12. cap. 10.* Quid tamen

men de his sentiendum, & an hoc tempore contingerint, quæ de ipsis scribuntur, ex dicendis in sequentibus proprio loco elicietur. Interim congratulandi hi hæretici, quia inter Papistas (vt ipsi obloquuntur) spiritum propheticum, & cœlestium reuelationum fluenta agnoscere coguntur.

Ann. Christ. 1165. Alexand. 3. Rom. Pont 6. Friderici Barbarosę Imperat. 11. Emmanuel. Imperat. Orient. 23. B. Berthold. Gen. 25.

1 EO sub anno à Romanis vocatus Alexander Papa Romam incolumis peruenit, cum magna gloria ab illis exceptus, & in Patriarchium Sancti Saluatoris in Lateranensi Palatio, cum exultatione deductus, insidias ipsi in mari à Friderici Imperatoris nauibus paratas Deo dante effugiens. Baronius, & alij Chronologi. Papæ gesta.

2 Quo etiam anno Raimundus Tripolitanus Comes in quodam conflictu captus à Turcis, miserabiliter alligatus, & Hallapiam traductus à Deo acriter puniebatur. Tyrius *lib.* 19. *cap.* 9. Id credimus à Deo permissum propter praue gesta ab hoc Principe contra Monachos, & Monasteria in Græciæ partibus, vt diximus sub anno 1161. De Raimūdo.

3 Maximè, eodem anno, vt ab antiquario quodam accepimus, in Sacrosancta Christi Domini, & eius superbenedictæ Virginis Matris Mariæ Ciuitate Nazareth, nostri Ordinis Monasterium erectum fuit. Cœterum etsi incerta hæc relatio sit, quod attinet ad hunc annum; nihilominus hoc, vel alio nobis incomperto id actum esse in dubium reuocari non potest, ob vicinitatem Carmeli ad hanc sacerrimam Vrbem; Fratrum deuotionem erga Deiparam, quæ in ea maternitatis Christi summam obtinere à Deo dignitatem meruit; & quia prope viam erat, qua de Carmelo ad Hierosolymorum S. Ciuitatem Fratres tendebant; & alia de quibus modo. Erat enim in hac Ciuitate locus ille sacerrimus, vbi Angelus Dei nuncius B. Virgini antiquum pro redemptione mundi implendum nunciauit consilium: & in eo Capella de rupe excisa, & tria in ipsa Altaria, teste Marino Sanuto *de Secret. fidel. cruc. lib.* 3. *par.* 14. *cap.* 7. Hunc vero locum, seu Virgini Sanctissimæ Nazareticam domum nostri Fratres obtinuerunt, eo tempore, quo Palæstina, seu Terra sancta, in Christianorum dominio erat, & antequam in Turcarum manus deuenisset, eidem ministrantes, & seruitutis obsequia, prout decebat, exhibentes. Propterea enim veluti in antiquā possessionem postquam Lauretum translata est ad ipsam denuo possidendam restituti fuerunt sub Innocentio Octauo, & eius auctoritate à Cardinali Roburcο ipsius sacræ domus, & Carmelitanæ Familiæ Protectore sub anno 1489. vt ibidem dicemus; & affirmant, grauissimus Author Baptista Mantuanus *in Historia Lauretana*, Horatius Tursellinus Iesuita *in eadem etiam Historia lib.* 2. *cap.* 5. subiungens præterea *certis argumentis id pro-* Monasteriū Nazareth.

 basse

basse Carmelitas Sixto 4. Octauius Pancirollus *in lib. cui titulus, Tesori nascosti dell'alma Città di Roma*, loquens de Ecclesia S. Iuliani ad Trophæa Marij, & fauet Bzouius *tom.* 18. *Annal. sub anno* 1489. *num.* 17. Sub pręsenti ergo anno, vel alio nobis, vt diximus, incomperto, hanc sacram Ciuitatem incolere, & pretiosissimam illam gemmam Nazarethicæ Domus obtinere potuerunt. Alia de ipsa in sequentibus, Deo dante, dicemus.

B. Simon.

4 Item eodem anno, retrograda supputatione facta à die obitus, Cantiæ in Anglia nostræ Religionis splendidissimum iubar B. Simon Stochus nascitur. Cum enim ætate centenarius vitæ cursum sub anno 1265 consumauerit, vt sub eo tempore dicemus, elicitur hoc anno in lucem editum fuisse. Nobilissimis etiam parentibus ortus, & qui eum a crepundijs honestis moribus imbui omni studio curarunt, prædicatur. Officium B. Simonis Stoch Burdigalæ impressum per Simonem Millangium Typographum Regium ann. 1580. Cuius copia authentica extracta ex libris Chori Burdegalensis vbi erat scriptum ann. 1435. Romam delata apud me habetur Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmelit. in vita ipsius*. Chronologia vitæ ipsius Beati Simonis diligenter scripta per Segerum Paulum Carmelitam Coloniensem.

Ann. Christi 1166. Alexandri 3. Roman. Pont. 7. Friderici Barbarossæ Imperat. 12. Emmanuelis Imp. Orient. 24. B. Berth. Gen. 26.

Friderici gesta.



1 Hoc anno Fridericus Imperator videns res Catholici Pontificis Alexandri, magis, ac magis inualescere, ipsumque pacifice Romæ sedere, conuenticulum Hiperbolense indixit, & Anglorum Regem, hac occasione captata quod Pontifex procliuior esset in S. Thomam Cantuariensem, quem Rex exosum habebat, ad schismatis partes tuendas pelliciebat. Baronius, & alij sub hoc anno.

De B. Bertholdo.

2 Quo etiam anno in Domino obdormisse B Bertholdum multorum ex nostris placitum est: sed credimus errasse. Primo, quia eo nituntur fundaméto quod putent anno 1121 ad Generalatum assumptum; ex quo cum. 45. annis, quibus superstes fuit, hunc annum conficiunt: cum tamen pro anno 1141. id accidisse diximus, ipsorum ruet fundamentum. Ad hæc, cum ex B. Cyrilli testimonio in epistola ad Eusebium *in speculo Ordin. l.* 8. *cap.* 2. Bertholdi mortem non accidisse Aymerico viuente: dicit enim, mortuo Bertholdo perplexitatem animos fratrum inuasisse de successore instituendo, *de cuius institutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus morte præuentus eis reliquerat*, absdubiè sequitur ante ann. 1187. quo Aymericus e vita decesit, vixisse Bertholdum: Quod etiam confirmat celebris illa visio de fratrum a Sarracenis occisorum animabus in cœlum delatis, quam refert Fasciculus temporum, quæ etiam

pro

pro anno 1187. quo Saladinus totam Palestinam igne, ferroque subegit, contigisse videtur. Vnde Vvernerus Rouelinck in prędicta historia *Fasciculus temporum* pro anno 1184. de Bertholdo meminit per hæc: *Sanctus Bertholdus Carmelici montis eremicolis ab Aymerico Antiocheno Patriarcha in Priorem assignatus, fama celebriori multis innotescit. Hic inter cætera præclara suæ sanctitatis inditia animas quam plurimum fratrum, quas Sarracenorum assumpsit gladius, cum corona martyrij ab Angelis in Cælum deferri vidit*. Congruentius ergo vsque ad annum 1187. vel paulo post, ipsius mortem accidisse suo loco dicemus.

3 Consequenter etiam (secundum plures) sub eodem anno B. Bertholdo defuncto B. Brocardus natione Hierosolymitanus in secundum Generalem ex Latinis fratrum electione subrogatus est. Paleonydorus *lib.3 cap.2.* Claudius Robert Ligonensis *in Gallia Christiana*, dum loquitur de Generalibus Ordinis nostri vsque ad ipsius tempus, Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmelit. in vita ipsius*. Quia tamen, vt diximus, vsque ad annum 1187. B. Bertholdi mors non contigit, ideo etiam consequenter, nec B. Brocardum in Generalem electum putamus vsque ad annum 1188. vel 1189. quia magna Terræ Sanctæ illo anno clades, qua fere tota manu Saladini subuersa est, absdubiè non facile permittebat in vnum Eremitas nostros pro Pastore eligendo congregari. B Brocardus.

4 Meruit tamen eodem anno Sanctissimus noster Patriarcha Vates Elias ab Imperatore Græcorum Emanuele Conneno reuerenter honorari, impetrato eius festo inter feriatos dies, ac sub 20. Iulij collocato: *Ad Eliæ* (inquit) *Vatis honorem* Theodorus Balsamon *in nomocanone*, Baronius *sub hoc anno*. Ex quo non incongruè coniecturari possumus summa voluptate affectos eius æui Carmelitas, aliosque Elianos Monachos, quod ipsorum primi Antesignani, ac Ducis festus dies inter feriatos lege sanciretur, solemniter ipsum celebrasse, ac solemni ritu in toto Ordine celebrandum instituisse. Quod etsi in certum, cum monumenta plura non suppetant, credibile tamen esse, vel ex eo astruitur, quod S. Eliæ festum antiquis temporibus in Latina, & Græca Ecclesijs piè colebatur, vt primo tomo dicimus. Pariter etiam eo tempore dies festus S.P. Cyrilli Alexandrini Ordinis nostri egregij professoris, vt secundo, & tertio tomo dicimus, feriatus constituitur, die scilicet nona Iunij, *propter sanctum Patrem nostrum Cyrillum Pontificem Alexandrinum*, vt ibidem dicitur. Quo magna huius Imperatoris, Ecclesiæ etiam Græcę, erga istum Patrem deuotio demonstratur. Præsertim quia in Constitutione eiusdem Imperatoris dies 18. Ianuarij feriatus etiam promulgatur, vt ibi quoque habetur *propter diuinos Patres, ac Doctores Athanasium, & Cyrillum*. De Eliæ festo.

5 Sub eodem anno describitur à Baronio Legatio eiusdem Emmanuelis Græcorum Imperatoris, ad Alexandrum Papam, qua illi obedientiam, & vnionem cum Latina Ecclesia promittebat, postulans tamen Imperij Occidentalis Coronam, qua indignus reddebatur Fridericus, ob ea, Legatio ad Papam.

 quæ

quæ contra Papam his temporibus perpetrabat. Verumtamen, quia sub anno 1170. eadem, vel prorsus similis eiusdem Imperatoris ad eundem Papam, & de eodem negotio Legatio ab ipso Baronio refertur, & congruentius sit eodem anno, quo magis à Friderico vexabatur Ecclesia, contigisse, conformius que id appareat historiæ B. Cyrilli, qui vnus erat ex viris destinatis pro ipsa, ideo sub eo tempore de illa dicemus.

Ann. Christi 1167. Alexand. 3. Rom Pontif 8 Friderici Barbarossæ Imper. 13. Emmanuel, Imper. Orient. 25. B. Berthol. Gen. 27.

Ecclesiæ discrimen.

1 Status Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub hoc anno in extremum discrimen adductus, Imperatorem Vrbem ipsam obsidentem, ignem ad Sancti Petri Basilicam apponentem, eamque vi, & armis occupantem prospexit. Pontifex hostium furori cedens clam fugiens Beneuentum euasit: & Germanorum exercitus pestilentia magna afflictus Imperatori magnum damnum, & iacturam attulit, cum ingenti confusione, diuina vi operante. Sigonius, Baronius, Gordonus, & alij.

Terræ Sanctæ.

2 Nec leues iacturas eodem tempore Christianitas Terræ Sanctæ, nostraque Religio in illis partibus dispersa, à Turcis patiebatur. Cum enim Noradinus ipsorum Dux magnus *Paneadem* Vrbem, quæ etiam *Dan* dicitur, ad radicem Libani Montis sitam, & agro Damasceno conterminam, obsedisset, expugnasset, & ad deditionem compulisset (*Tyrius lib. 19. capit. 10.*) afflictionem quoque, & damna intulisse vicinioribus, maxime eius Vrbi Monasterijs nostris facile creditu est. Cum autem authores nostri, præsertim Guillelmus de Sannico in Chronic. de multiplicatione Ordinis apud *specul. Ordin. lib. 9.* Arnoldus Bostius *in specul. histor. lib. 7. cap. 3.* & Ioan. Paleonydorus *lib. 2. de antiquitate, & sanctimonia Eremitarum montis Carmeli cap. 4.* enumerantes Monasteria, quæ nostri primitus in Terra Sancta habuerunt, inter ipsa referant vnum situm *in pede Montis Libani* appellatum *Belli loci*, hæc autem Paneadensis Ciuitas ad radicem dicti Montis esse dicatur, dubitari merito potest, an in ea, vel prope ipsam fuerit tale Monasterium; ac subinde an sub Turcarum iugo cum ipsa hoc anno deuenerit: similiter an ab ipsis demolitum, an vero perseuerare permissum. Dum autem alia non suppetant monumenta, præter ea, quæ huc vsque vidimus, nihil pro certo affirmare possumus.

Ann. Christi *1168*. Alexand. 3. Rom. Pontif. 9. Frideric. Barbarossæ Imper *14.* Emman. Imper. Orient *26.* B. Berthol. Gen. 28.

1 COmponere curabat sequenti anno 1168. Pontifex Alexander Legatis & litteris missis, Francorum, & Anglorum Reges, vt Friderici Imperatoris schismatici superbiam effringeret, ipsũ etiã Regni diademate,& imperatorio titulo deponens anathemate condẽnauit: quod Deus approbasse visus est eum multis alijs cladibus, & miserijs hoc tempore affligens. Sigonius, Baronius, Gordonus, cum alijs. Gesta huius anni.

2 Circa id tempus Iconij Sultanus in Syriæ partibus præpotens Mahumetanorum Princeps in Cilicia, cum proxime morituræ matris Christianę monitu veræ fidei desiderio fragrasset, Sacros Codices, seu Libros Religionis Christianæ, vt Christianus imbueretur auidè desiderare cępit. Audiens autem hoc Cyrillus Doctor Gręcus Presbyter Constantinopolitanus, de quo plura in sequentibus,& quem postea in sequentibus Carmeli habitum suscepisse dicemus, Sultani desiderium, sumptis Codicibus, quorum lectione eius animum facilius existimauit imbuendum, Iconium cum illis ad Sultanum venit. Breui ergo temporis spatio adeo feliciter monendo persuadendoque perorauit, vt matris verbis iam primum excitum, tandem cathecumenum fecerit. Erant porro hi libri, *Pentateucus Moysis, Prophetia Isaiæ, & Ieremiæ, S. Pauli Epistolæ, & Euangelia S. Mathæi, & Sancti Ioannis*. Hæc historia truncate nimis, & diuisim ab Authoribus refertur, vt propterea non ex singulis, sed ex omnibus coniunctim, ipsius veritas depromenda sit. Primo enim Sultanum hunc matris proximè morituræ verbis in Christiana Religione imbui desiderasse, tradunt Matthæus Paris *sub anno 1169*. Robertus *in append. ad Sigebertum sub anno 1181*. & Baronius *sub anno etiam 1169*. Sacros autem libros desiderasse, & propterea Cyrillum eos ad ipsum afferendi causa Iconium profectum, vbi eum Cathecumenum fecerit, habetur ex Officio Ecclesiastico eiusdem B. Cyrilli iam quater ab Ecclesia approbato, sub Gregorio 13. Sixto 5. Paulo 5. Vrbano 8. ijs verbis: *Audiens autem Iconij Sultanum Christianæ Religionis libros optare, Iconium profectus est, Sacros codices adduxit, & tanta copia Sultanum aggreditur, vt eum breui temporis spatio cathecumenum fecerit*. Habetur id etiam in vita ipsius B. Cyrilli, quæ cum alijs Sanctorum vitis reperitur in Nicolao Manerbij Veneti libro iam pridem Typis edito, & ex alijs Ordinis nostri Historicis, specialiter Palæonydoro *lib. 3. cap. 4.* illis verbis: *Dum audisset Soldanum Iconij Sacros Christianæ Religionis libros optare, sumptis Codicibus, quorum lectione eius animum facilius existimauit imbuendum, Iconium venit. Igitur in breui adeo ipsum monendo, persuadendoque perorauit, vt Cathecumenum factum &c.* Qui vero hi fuerint libri habetur ex epist. Papæ

De Sultano Iconij.

Alex.

Alex. ad eumdem Sultanum, quam ex Petro Blessensi refert Baron. relatus. Quæ vero vlterius acciderint sub annis sequentibus dicemus.

B. Cyrilli historia.

3 Interim tamen huius Cyrilli natalitia, & historiam relatam sic ex Arnoldo Bostio *in specul. historial. lib. 7. cap. 4.* habeat lector. *In hac Prouincia Ciuitate Constantinopolitana vbi maxime viguit lingua Atthica, natus est Cyrillus puer studiosissimus, honestissimis parentibus, adeo liberalibus artibus doctus, & Theologia exercitatus, vt summus Philosophus, & Theologus in lingua Atthica haberetur luculentissimus. Is igitur Cyrillus doctor egregius, diuinarum, & humanarum litterarum eruditissimus, cum ingenio, & eloquentia claresceret, ad eum peruenit Soldanum Iconij libros Sacros Religionis Christianæ plurimum exoptare. Sumptis ergo Codicibus, quorum lectione Soldani animum facilius existimabat imbuendum Iconium perrexit & breui interuallo temporis, ipsius informatione sic est admonitus vt Christianum se fieri postularet. Sicque Cathecumenus effectus, tempus præstolabatur vt in Paschali solemnitate baptismi lauacro, deposita in aquis regenerationis, peccati vetustate, in nouam animæ innocentiam, & vitæ infantiam Soldanus renasceretur.*

Ann. Christi 1169. Alexandri 3. Roman Pontif. 10 Friderici Barbarossæ Imper. 15 Emman imper. Orient 27. B Eerth Gen. 29.

Schismaticorum casus.

1 EO anno perseuerans Ioannes Cardinalis tituli Sancti Martini in schismate tuendo, primum cum Octauiano defuncto, deinde cum Guidone Cremensi successore; cum extra Viterbium equitaret, subito corruit, & confractis ceruicibus vitam infeliciter finiuit. Ipse quoque Guido incurabili morbo percussus pede necesse habuit claudicare dum vixit: æqua sane lance a Deo percussus, vt qui fideles multos claudicare schismate fecerat, claudus ipse efficeretur. Baronius sub hoc anno.

Iconij Sultani baptismus

2 Eodem etiam anno baptizatus dicitur clandestine Iconij Sultanus, de quo anno præcedenti, Matthæus Paris, & Baronius *sub hoc anno*. Sed a quo baptizatus fuerit nullus eorum profert. Ex nostris ergo historicis huius rei veritas supplenda. Primo ergo Sultanus iste, cum iam a Cyrillo nostro in fide Catholica instructus fuisset, pro vt *sub anno præcedenti* diximus, consequenter hoc anno, vel circiter, litteras, & Legatos ad Alexandrum Tertium Rom. Pontific. mittit, rogans virum aliquem ex Romanis sibi remitti, per quem plenius, & copiosius in Christiana Religione Papæ nomine edoceretur. Sic enim Pontifex in epistola ad ipsum. *Postulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum per quem in lege Christi, quasi vice nostra plenius instruaris.* Baronius *vt supra* ex Petro Blessensi. Ex quibus habetur, instructum iam pridem extitisse Soldanum, per Cyrillum sane, vt nostræ produnt historiæ. Quia non petit simpliciter in Christiana

imbui

imbui fide, sed *plenius instrui*. Postulat etiam instructionem ab aliquo *vice Papæ* faciendam, absdubiè, quia iam a Cyrillo priuata auctoritate id habuerat. Præterea *virum aliquem orthodoxum* postulabat quod Cyrillus ex partibus Græcorum, & Constantinopolitani imperij, cum esset, etsi alias vitæ probitate, & doctrina clarus nihilominus dubiæ Christianitatis suspectus haberi Soldano potuit. Propterea vel maioris celsitudinis, vel forsan auctoritatis Regiæ causa, Latinum Cathechistam a sanctissimo efflagitabat. Pontifex autem breui totius Christianæ fidei Cathechismo inserto ad illum rescribens hæc; *Nos petitioni tuæ plurimum in Domino commendabili grato concurrentes assensu, tales Excellentiæ tuæ procurabimus destinare, qui apud te in doctrina sana, & salutaribus monitis vices Apostolicæ auctoritatis suppleant, quorum etiam mores, & merita ab honestate, & mundicia eruditionis Euangelicæ non discordent*. Baronius *vt supra* ex Petro Blessensi. Quamuis autem hic Pontifex Soldano promiserit Cathechistas illi destinaturum, an autem, & quos miserit, *incompertum est*, inquit Baronius. Sed compertum, vel nullos misisse, vel si miserit, receptos non esse a Soldano ob sui Imperij magnatum metum. Si enim, vt refert Robertus *in appendic. ad Sigebertum*, quem sequitur Baronius, proprerea quod hic Sultanus ex instinctu matris Crucem super ipsius sepulchrum noctu apposuerat, eum Agareni occidere volebant, multo magis illi timendum erat, quod Latinus aliquis a Pontifice Romano missus ad eum baptizandum venisset. Quare clanculum, & in occulto Baptisma cepit Soldanus. Baronius *vt supra* ex Mattheo Paris. Baptizatur ergo a Cyrillo nostro, a quo Christiana volumina, & cathechesim susceperat, & qui, cum ex Grecis venisset Soldani Magnatibus suspectus non erat. Ita ex lectionibus Officij eiusdem B Cyrilli, vita eiusdem, Bostio, Palæonydoro, & alijs historicis Ordinis quos anno præcedenti retulimus. In Officio enim eiusdem lect. 4. sic dicitur: *Quem rite institutum in solemnitate Paschali sacro baptismi lauacro regenerauit*. & Bostius eo cap. 4. sic: *Sic ergo Cathecumenus effectus tempus præstolabatur, vt in Paschali solemnitate Baptismi lauacro, deposita in aquis regenerationis peccati vetustate, in nouam animæ innocentiam, & vitæ infantiam Soldanus renasceretur*. Palæonidorus vero: *In Paschali solemnitate baptismi lauacro intinctum in Christo generaret*. Intellige, clam, & occultè, ob Magnatum sui Imperij timorem. Imo non isto anno, sed sequenti eum baptizasse ex ijs quæ dicemus colligitur.

3 Videtur autem ex dictis Bostio, & Palæonydoro inferri, ipsum Cyrillum fuisse Legatum ad Papam Alexandrum a Sultano missum, & qui prædictas Papæ litteras ad eumdem Sultanum reportauit, sic enim habet Bostius: *Cum ergo intellexisset Alexander Papa à Beato Cyrillo Soldani desiderium, &c. scripsit illi dicens: Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Soldano Iconij salutem, veritatem agnoscere, & agnitam custodire &c.* His litteris acceptis, & legatione fideliter peracta, Cyrillus redijt Constantinopolim. Ex quo magis roboratur id quod diximus de baptismo cógruentius Collectio ex dict.s.

gruentius

gruentius namque historicæ veritati videtur, quod is Sultanum baptizasset, qui ei primum Sacros Codices attulisset, eum in fide instruxisset, litteras ipsius ad Papam, & Papæ ad ipsum portasset.

Difficultatis enodatio.

4 Contra hoc tamen difficultatem affert, quod, vt dicemus *sub anno sequenti*, cum Oratoribus ab Emmanuele Imperatore ad Pontificem missis etiam aderat hic noster Cyrillus. Non enim historiæ veritati adaptari videtur, quod è Italia Iconium rediens sub hoc anno, iterum sequenti ex Iconio, & Byzantio ad Papam reuerteretur. Sed facile dici potest, eum hoc anno Iconij agentem, ac forsan tempus commodum spectantem, vt Sultanum, quem Cathecumenum fecerat, congruè baptizare posset, accepisse ab Imperatore munus Legationis ad Papam sibi cum alijs Oratoribus commissum; Romam deinde perrexisse, ibique anno sequenti, vtroque negotio concluso, Iconium, & Byzantium redijsse, ac Iconij Sultanum, eo tempore Baptismi lauacro regenerasse.

Sententia quorundam.

5 Sunt qui referant huiusmodi conuersionem Sultani ad ann. 1181. cum Roberto de Monte in *Appendice ad Sigebertum*, quibus fauet, quod Vvillelmus Tyrius *lib.* 11. *cap.* 12. pro anno 1175. vel circiter hunc Soldanum appellet *impium Ducem Turcorum*: hincque inferant pro anno 1169. piè commotum esse ad fidem; anno autem 1181. verè conuersum, & baptizatum fuisse à Cyrillo. Ita Petrus Vvastellius in litteris ad me missis, & Segerius Pauli in Chronologia vit. S. Symonis. Quod si ita sit, facilius Cyrillum nostrum eximij huius operis auctorem conuincemus, cum pro prędicto tempore 1181. nauiter, & cum fructu in partibus Armeniæ non procul à Cappadocia, vbi Iconium, adlaborasse pro fidei dilatatione dicturi simus circa illum annum. Vtcunque id sit de tempore, historiæ tamen veritatem confirmat, tum quod Cyrillus Synchronus tempore, & loco non procul Sultano fuerit, tum quod hactenus nulli alteri tam egregium facinus tributum: nostris ergo debeat Ecclesia Principis huius institutionem, & amorem erga Christianos, qualem sic describit in *histor. Oriental. lib.* 3. *ante finem* Iacobus de Vitriaco: *Mortuus est Soldanus Iconij, qui creditur baptizatus fuisse, qui tantæ benignitatis erat in Christianos, vt treugam cum Sarracenis solui iuberet, Christi cultores, quos vinculatos inuenit, in munitionibus, quas expugnauit, & in optione eorum posuit, vtrum in patriam suam redire vellent, an acceptis ab eo solidis sub ipso militare potius eligerent. Idem Christianos in tantum familiares habuit, vt custodes sui corporis constitueret eosdem.* Quod si aliquando infensus Christianorum hostis demonstratus fuit, prout aliqui notant, crederem factum ob finem polyticum, ne videlicet à suis Sarracenis Christiani nominis iuratis hostibus, interficeretur, aut Principatu expoliaretur.

Quis is Sultanus.

6 Quis tamen is Sultanus Iconij fuerit, an ille, de quo anno 1146. diximus, magnam plagam Christianitati inflixisse, an diuersus ab eo, de quo Tyrius, & Vitriacus *supra*, difficile discernitur. Ac proinde sicut eodem anno, sic in præsenti, rem sub dubio relinquimus, donec nobis

Deus

Deus veritatem aperiat, medio aliquo monumento, quod vſque modo non vidimus.

Ann. Chriſti 1170. Alexand. 3. Roman. Pontif. 11. Friderici Barbaroſſæ Imperat 16. Emmanuelis Imperat. Orient. 28. B. Berthold. General. 30.

1 HOc anno Sanctus Thomas Cantuarienſis in Angliæ Regno Epiſcopus, poſt multa paſſa ab Henrico Rege; non obſtante quod à Papa protegeretur, multis propterea ad Regem Legationibus miſſis, occiſus tandem à nefarijs, Martyrij triũphum meruit obtinere. Matthæus Paris, Baronius, Gordonus, & alij. D. Tho. Cantuar. Martyrium.

2 Interea Emmanuel Conſtantinopolitanus Imperator videns Occidentis Imperatorem Fridericum, Eccleſiam Romanam, & Alexandrum Papam cum ſchiſmatis fautoribus vehementer impugnare, miſit ad Pontificem Aprocriſarium ex maioribus Imperij ſui cum immenſa pecuniarum multitudine, ab ipſo poſtulantem, vt Imperij Occidentalis Corona, ab Orientali iam diſciſſa, ſibi tunc Eccleſiæ Romanæ ſubiectiſſimo, & ad opem ferendam paratiſſimo, reuniretur. Quia vero ea, quæ poſtulabat Imperator de Imperij vnione, nimis alta, valde periculoſa Papæ, Cardinalibus, & Epiſcopis viſa ſunt, infecta res fuit, Legatio que caſſa. Baronius *vt ſupra*. Inter eos autem, qui ad illam ab Imperatore deſtinati fuerunt, Cyrillus noſter vnus fuit, vt habetur ex vita ipſius inter aliorum Sanctorum vitas ſub nomine Manerbij, ac apud Paleonydorum *lib.* 3. *cap.* 4. & alios poſteriores hiſtoricos Ordinis, qui omnes ab Arnoldo Boſtio vetuſtiori accipere potuere. Is enim in ſpeculo hiſtor. *lib.* 7. *cap.* 4. ſic rem deſcribit. *Interea B. Cyrill. vrgebat ex parte Emmanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani ad Alexandrum 3. Vrbis Romæ Summum Pontificem Legatio, quæ ex parte eiuſdem Imperatoris domino Papæ pollicebatur magnas copias in Fridericum Imperatorem, & amicam mentem omnium Græcorum cum Eccleſia Romana, conueniente quod Orientalis cum Occidentali eadem fieret, ſi pateretur Imperium Romanum antea diuiſum in vnum corpus redigi. Miſit etiam idem Imperator Emmanuel aliquos Oratores cum B. Cyrillo, qui maiora pollicebantur, ſi Pontifex in ſententiam ſuam deſcendiſſet. Cyrillus ergo ex tum primum Romam veniens, ipſa Vrbe inſpecta, obſtupuit. Quibus Alexander Papa ita reſpondit, ſe nolle id in vnum coniungere, quod olim de induſtria Maiores ſui diſiunxiſſent.* Credimus autem ea de cauſa cum Apocriſario iſto miſſum fuiſſe Cyrillum ad Apoſtolicum, vt qui vitæ probitate, & doctrina fulgebat, ipſi, & alijs, qui ad tam graue negotium pertractandum aduenerant, inſtructor in agendis eſſe poſſet. Sic enim videmus Magnos Principes Legatos deſtinantes ſimul cum illis viros eruditione, & virtute præſtantes, tranſmittere ſolitos, vt illis à conſilijs

Emmanuel Imperat.

filijs in negotijs peragendis semper assistant.

Mors Antipapæ. 3 Pariter eodem anno Guidone Cremensi Antipapa, vita functo, miser alius substituitur Abbas Strumensis, vir Apostata, & propterea Apostatarum, & fugitiuorum ex Monasterijs receptor. Proinde quasi facti pœnitens Fridericus Imperator legationem ad Alexandri Papam per Episcopum Bambergensem mittit, sed sine fructu, quod Fridericus non sincere, & planè, prout decebat, de obedientia Pontifici reddenda loqui videbatur. Sic recentiores Annalistæ, etsi in anno, quo contigerint non sint concordes.

Sareptani Conuentus fundatio. 4 In idem tempus, vel circiter, referendam credimus primam Conuentus Sareptani fundationem. Cum enim teste Guillelmo de Sanuco *in Chronic. de multiplicat. Ordin. Carmelitar. in speculo Ordinis lib. 9 cap. 2.* olim fratres nostri, in Sarepta Sydoniorum habitationem habuerint; ibique Capellam ad B. Virginis Mariæ honorem, in eo loco, in quo Elias mulieri viduæ obuius fuit, ædificauerint; coniectamur sub hoc tempore huius Sareptani Cœnobij primordia cępisse: eo quod Gullielmus præfatus de huius Monasterij constructione agens, satis antiquam esse indicat. Gullielmi hæc sunt verba: *De Tyro procedendo vlterius ad quinque leucas est Sarepta Sydoniorum supra mare sita Ciuitas, quondam gloriosa, nunc autem vix habet octo domos. Ante cuius portam Australem fratres huius Religionis olim ædificauerunt Capellam quamdam ad honorem Virginis Mariæ, quæ adhuc extat in eodem loco, in quo Elias obuiauit mulieri viduæ, apud quam in Sarepta mansit, & cuius filium Ionam a mortuis resuscitauit.* Contestatur hoc etiam Bostius supra *cap. 3.* cum a'ijs historicis nostris. Et hoc quod dicitur de capella in Sarepta ædificata, Marinus Sanutus *de secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 14. cap 3.* inquiens: *Sarepta Sydoniorum ante cuius portam australem ostenditur Capella in loco vbi Elias Proph. venit ad mulierem Sareptanam, vbi & mansit, & eius filium suscitauit, & ostenditur ibi Cænaculum in quo quieuit.*

Terræmotus 5 Quo etiam anno, cum vehementer terræmotus circa partes Orientales accidisset, Syriæ, & Phœnicis vrbes quam maximas solo tenus deiecit. Inter quas in Cęlesyria multarum Prouinciarum Metropolim Anthiochiam cum populo in ea commorante, strauit funditus; mœnia, & in eorum circuitu turres validissimas incomparabilis soliditatis opera, Ecclesias, & quælibet ædificia, magno subuertit impetu. Sed & Tripolis, & Tyrus magnam ruinam perpessæ sunt. Tyrius *lib. 20. cap. 19.* Talis autem casus quia toti Christianæ plebi, Aymerico Anthiochensi Antistiti, nostrisque Eremitis illam regionem inhabitantibus, valde tristis & aduersus erat, in pio Patre Bertholdo, & in nostris conCarmelitis luctum, & lachrymas excitasse sane credibile.

Vvaldenses. 6 Diebus ferme istis Vvaldensium, seu pauperum de Lugduno secta, diabolo suadente, pullulare cępit, testibus Guidone nostro *in lib. de heresib.* & Iacobo Gualterio *in Chronograph. sęculo 12.* qui plures ipsorum errores referunt. Contra hos tamen post aliquot annos fortiter Dominicani, &

Minores;

Minores; nostri etiam, vt vel vnus Guido Episcopus relatus fidem facit, suas acies instruxerunt. De quo Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ tom.1.signo 35. lib.9.cap.4.* hoc protulit testimonium. *Post hæc cum Vualdenses, omnigenæque hæretici passim cuncta in Occidente conturbarent, Dominicus, & Franciscus suos Ordines de suo nomine dictos Ecclesiæ dederunt, Albertus, & Angelus Carmelitas.* Inter fidei ergo pugiles, & Vualdensium mastyges eos iure referimus.

Ann. Christi *1171.* Alexand. *3* Rom Pontif. *12.* Friderici Barbarossæ Imper. *17.* Emmanuel. Imper. Orient. *29.* B. Berthol. Gen. *31.*

1 EXecrabant omnes sequenti anno mortem iniquè illatam Sancto Cantuariensi Archipræsuli Thomæ, quibusdam Regem excusantibus, alijs damnantibus. Interim Papa duos Cardinales ad rem cognoscendam destinauit, & in interfectores sceleratos, & fautores excommunicationem vibrat. Matthæus Paris, Rogerius, Baronius, & alij sub hoc tempore. Mors S. Th. Cantuar.

2 Hic annus celebris apud nostrorum plerosque, quod credunt in ipso Albertum Solymorum Patriarcham Carmeli Eremitis Regulam præbuisse: eo ducti, quod in pluribus Regulæ transumptis hoc data anno subscribatur. Mirum sane, quod vanum commentum adeo inter probos, & doctos increbuerit. Quorumdam incuria, an aliorum malitia, causa ve rationabili mouente factum, inferius discutietur. Vtvt res sit, toto cœlo aberrasse, qui hoc tempore Regulam ab Alberto datam autumant, haud difficile ostendi valet. Primo etenim quia errorem in numeros datæ Regulæ irrepsisse, agnoscunt viri doctissimi, qui rem accuratius inspexere. Hi sunt Ioannes Stephanus Ferrerius *in lib. de Episc. Vercellensibus,* dum de Alberto legislatore nostro loquitur, Aubertus Myreus diligentissimus veritatis scrutator, *lib.3.de orig. Carmelit. Ordin.* Thomas Dempsterius Scotus *in notis ad Benedictum Accoltum de Bello Sacro lib. 1.* & ex nostris perdoctus Petrus Vuastelius *in lib. Apologetic. pro Ioann. Hierosolymit. Monachism.* & ante illum Petrus Lucius *in compend. histor. Carmelit. cap. 12.* Nec longiori id eget probatione, constanter enim omnibus patet quod pro prædicto anno 1171. nullus erat in Mundo Albertus Patriarcha, nec talis fuit vsque ad tempora Innocentij 3. circa annum 1205. quo Albertus Vercellensis Episcopus in Patriarcham Hierosolymitanum subuectus est. Vt enim constat ex Vuillelmo Tyrio in tota sua Hierosolymitana historia, quem sequitur Marinus Sanutus *in tabula Geographica Patriarcharum Hierosolymitanorum,* post captam Hierosolymam a Gotofrido Buliono primus ex Latinis Patriarchis fuit Daimbertus; secundus circa annum 1107. Gibellinus; tertius circa annum 1111. Arnolphus, seu Arnulphus, vel vt alij De Alberto legislatore.

vocant, Ernoldus factiosus homo: huic successit Gormundus anno 1118. post Gormundum substituitur Stephanus anno 1127. Stephano subijcitur Guillelmus circa annum 1130. moritur iste anno 15. sui Patriarchatus, & pro illo subrogatur Fulcherus. Hic vero anno 12. è vita migrauit, & illi successit Amalricus, seu Almaricus, qui per viginti duos annos Patriarchatum gessit; & post illum infęlix Heraclius, cuius tempore Sancta Ciuitas à Sarracenis occupatur: cui vltimo Albertus noster anno 1205. sub Innocentio Tertio succesit, etsi non immediatè, vt inferius suo loco contra Sanutum, & alios ostendimus. Vnde locus ergo Alberto pro anno 1171. designari potest? Cum tunc temporis Amalricus, seu Almaricus Patriarchatum gesserit, vt ex prae acta computatione liquido cunctis innotescit.

Solutionis enervatio. 3 At inquies forsan pro illo anno aliquis ex Græcis, vel Armęnis nomine *Albertus* Solymorum Antistes erat, qui Regulam nostram conscripserit. Sed hoc paradoxon esse multis suadetur; Primo, nam vt communis historicorum consensus approbat, Albertus Legislator noster, conspicuus, clarus, & insignis homo, cum sancti ate, tum doctrina fuit: quorsum ergo Græcum, vel Armænum ignotum hominem fuisse dicemus? Ad hæc, vt inferius circa annum 1205. ex communi fere Doctorum calculo probabimus, Albertus Regulæ nostræ institutor Sedis Apostolicæ Legatus tunc temporis in transmarinis partibus erat, quam dignitatem Græco, vel Armęno Patriarchæ concessam nullus fatebitur. Tertio, Regula nostra in Accone Ciuitate conscripta est, vt ex ipsius subscriptione liquet, atqui Accon Ciuitas Latinorum semper fuit, quid ergo ibi faceret Græcus, vel Armænus Patriarcha, vel quorsum ad illum Carmeli Eremitæ post Aymerici reformationem Latinorum more viuentes, pro Regulæ compilatione ab ipso capienda accederent? Iunge 4. à sæculo in auditum fuisse Regulam nostratibus præscriptam alio idiomate quam Latino: non ergo ab Authore Græco, vel Armæno. Tandem, vt mittamus, quę circa annum 1205. pro vero Patriarcha Alberto ex Vercellensi Episcopo nostrorum Patrum Institutore adducemus, vel ex ipso nomine *Alberti* constat, Regulæ nostrę Authorem Latinum fuisse; *Albertus enim* Latinum, immo Italicum nomen est; nec memini Græcum aliquem hoc nomine vnquam appellari. Qui ergo solus hic noster de nouo inuentus Albertus Græcus, vel Armænus dicetur: Facessat ergo huiusmodi de Alberto noua assertio, veritasque illucescat, qua diximus, errorem in numeros datarum Regulæ incuria alicuius (forsan malitia) vt inferius, irrepsisse.

Quorundam sententia. 4 Sunt qui velint (quod & ego, re minus accurate perspecta, quondam etiam existimaueram) Albertum hunc, qui pro præsenti anno Institutor Regulæ dicitur, illum Bethlehemitanum Episcopum fuisse, de quo sæpius Vvillelmus Tyrius in sua Historia, præsertim *lib. 21. cap. 26.* & post ipsum Baronius anno 1179. dum asserunt, quod *Albertus Bethlehemita Episcopus* ad Lateranense Concilium sub Alexandro Tertio prædicto anno celebratum cum alijs Orientalibus Episcopis accesserit, quasi ille anno 1171.

Beth ehe-

Bethlehemitanam Sedem obtinens primus Author Carmelitanæ Regulæ fuerit, eodem tamen Alberto in Patriarchatum Sanctæ Ciuitatis post assumpto, titulus Patriarchæ honoris gratia, & maioris authoritatis ergo, adiunctus Regulæ nostræ fuerit. Huius placiti fautores Aubertus Myreus *lib.3. de origin. Carmelit. Ordin.* & Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmelitarum in vita S. Brocardi* §. 4.

5 Errore tamen (bona ipsorum venia) docti isti labuntur. Quod credant pro anno 1171. Albertum hunc Bethlehemitanam Sedem tenuisse, cum tamen id falsitatis conuincatur, ex fidissimo authore eiusdem Synchrono Vuillelmo Tyrio *in sua historia lib. 20. cap. 32.* dum post mortuum Radulphum Bethlehemitanum Episcopum, non nisi post duos annos tempore Balduini 4. Regis, de illo Episcopatu prouisum esse dicit. Cum autem hic Balduinus post annum 1173. quo prædecessor Rex Almaricus (ex eodem Tyrio cap 33.) obierat, in Regem electus sit, sane liquescet ante predictum 1173. annum Albertum istum Bethlehemitanum Episcopatum non ascendisse. Qui ergo stare potuit quod pro anno 1171. Albertus Bethlehemita Antistes nostri Carmeli Eremitis Regulam præstiterit? Secundò apud istos compertum est, Albertum hunc Bethlehemitanum Pastorem ad Solymorum Ecclesiæ gubernacula post euectum fuisse, quod etiam sustinuisse video eumdem Myræum in elogio ipsius Alberti inter Icones illustrium virorum (prout refert Petrus Sarracenus *in vita S. Alberti Patriarcha*) Ciacconium *sub Cælestino 3.* & Thomam Dempsterium Scotum *in notis ad Benedictum Accoltum lib. 1. de bello sacro.* Enim vero tamen creditu haud facile id esse ex eo elicitur: vel enim hi Authores putant Albertum hunc Bethlehemitam eumdem hominem cum Alberto Vercellensi post modum Hierosolymitano Patriarcha fuisse, vel credunt diuersum, etsi eadem Patriarchali dignitate decoratum. Si primum, ex eo falsitatis conuincuntur, quod ex Tabulis Vercellensis Ecclesiæ vbi Alberti Hierosolymitani Patriarchæ vita, morsque cum gestis fere ab ineunte ætate ad vnguem exarata cernuntur prout inferius suo loco ex Ioanne Stephano Ferrerio in *lib. de Episcopis Vercellensibus* afferemus, compertum est, Albertum Ierosolymitanum Patriarcham primum ex Canonico Regulari Mortariensi, ibique Priore ad regimen Bobiensis Episcopatus, & exinde ad Vercellensem, vnde tandem post viginti annos ad Solymorum Patriarchatum assumptum fuisse. Cum autem in prædictis Tabulis nihil de Bethlehemitano Episcopatu referatur absdubiè certo credi debet Albertum Hierosolymitanum Antistitem diuersum hominem ab Alberto Betlehemita fuisse. Accedit, quod, vt ex prędicto Vuillelmo Tyrio *lib. 22 cap. 7.* habetur, Albertus hic Betlehemita circa annum 1180. vel 1181. anno circiter septimo, vel octauo Regis Balduini, ad partes Antiochiæ ad componendum Boamundum Antiochenum Principem se contulit, quo anno iuxta Vercellensium Tabularum computum, Canonicatum vel Prioratum Mortariensem Albertus, qui postea Patriarcha fuit, in Italia gerebat.

Reijcitur.

gerebat. Maneat ergo, non eumdem, sed diuersos fuisse Albertum Solymorum Patriarcham, & Albertum Bethlehemitanum Episcopum. Nisi forsan cuiquam arriserit Bethlehemitanum hunc Albertum in Italiam, post regressum a Synodo Lateranensi, & post annum 1181. venisse, & relicto Bathlehemitano Episcopatu, Canonicatum, & Prioratum Mortariensem, ac postea Episcopatum Bobiensem, & Vercellensem, ac tandem Hierosolymitanum induisse, quod qua facilitate dicitur, eadem nisi clariora producantur monumenta reijcitur. Si vero fateantur, diuersos quidem homines Albertum Bethlehemitem, & Vercellensem fuisse, sed eadem nihilominus Patriarchali Solymorum Infula decoratos, & si diuerso tempore; eorum placitum toti venerandæ cohorti historiæ, & chronologiæ Scriptorum aduersatur, apud quos prorsus inauditum duos Albertos Patriarchas fuisse, quin omnes prædicti vnum tantum huius nominis fuisse concorditer supponunt. Et sane, si duo tales fuissent apud aliquem authorem ex antiquis, vel Neotericis id notatum reperiremus, quod non extat: absdubiè quia merum figmentum.

Obiectio quorundam. 6 At nobis docti quidam vehementer opponunt, vt contendant pro anno 1171. quo Regula data dicitur, Albertum aliquem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistem extitisse, a quo pro illo anno Carmelitæ illam receperint. Nam in vita S Angeli ab Enocho Hierosolymitano Patriarcha conscripta (quam vt authenticam venerantur Cardinalis Baronius in *Martyrologio Romano, die quinta Maij*, Abrahamus Bzouius, & alij authores, ac in manuscripto Vaticanæ Bibliothecæ reseruatur, eamque *in vitis PP. Occidentalium* Benedictus Gononus Monachus Cælestinus Lugdunensis transcripsit ex manu scripto etiam opera Roberti Bertholot Episcopi Damasceni, vt testatur, excerpta) habetur, Beatissimum Angelum, eiusque germanum Ioannem Nichodemo Patriarchæ roganti vt deuotam aliquam Regulam eligerent, sub qua in Religione aliqua Deo viuerent, incunctanter respondisse: *Nos animo nostro statuimus Regulam obseruare, quam Sanctus Albertus fecit Carmelita prædecessor vester annis iam elapsis* 412. Ex hjs etenim elici apparet Albertum aliquem Hierosolymitanum Patriarcham ante annum 1204. quo hæc à sanctissimis his viris dicta sunt extitisse. Verumtamen leuidensia hæc sunt, nec veritatem expugnant. Primum, nam talia verba in legitima, & correcta vita eiusdem Sancti Angeli, quam Thomas Bellorosus Panormitanus ante centum annos quasi diuinitus repertam in Codice supra trecentum alios annos descriptam ab eodem Enoch, ad Generalem Nicolaum Audeth Cyprium transmisit, nullatenus habentur, sed solum hæc. *Regula S. Basilij miris modis nostrum animum iam diù inuitauit, sed Deo denique inspirante animo statuimus vitæ normam seruandam suscipere, quam annis supra* 400. *pluribus iam euolutis Prophetarum successores diu in monte Carmelo, nunc vero plerisque in locis seruare susceperunt.* Deinde vel ex ipsis verbis allatis constat mendum continere, ita vt pro *Ioannes* scripserit *Albertus* sciolus Scriptor, qui vitam transtulit.

Quod

Quod duplici signo clare innotescit. Primum, quia dicit Regulam ab Alberto datam anno 412. quo quidem tempore Ioannes ille Hierosolymorum Antistes Carmelitis confratribus librum *de institutione Monachorum* scripsit, vt ex perpetua, constantique Ordinis traditione grauissimisque Doctoribus ostendimus tomis præcedentibus. Secundum, ex ipso nomine *Carmelita*, quo in prædictis verbis vsi sunt sanctissimi illi Angelus, & Ioannes, id etiam euincitur. Albertus enim qui Carmelitis Regulam tradidit, etsi Pater Carmelitarum iure dicatur, Carmelita tamen non fuit, vt inferius dum de ipso agamus, dicetur. Ioannem vero illum prędicti libri de *instit. Monachorum* authorem Carmelicolam fuisse, vel ex ipsomet in eodē lib. de *instit. Monach.* vel ex testimonijs, quæ nos eisdem tomis adduximus facile comprobatur. Absdubiè ergo insciti Scriptores mendum huic argumento vires specietenus præbuerunt. Manet ergo inconcussa thesis de Regulæ datæ pro anno 1171. falsitate.

7 Sed quęnam ansam præbuerunt doctis multis Religionis Scriptoribus, qui errori prædicto subscripserunt? Sanè si dicere licuisset, inscitiæ temporum Chronologiæ rem adscriberem. Nam de tempore, quo Albertus Vercellen. Regulæ nostræ Auctor ad Hierosolymit. Sedem assumptus est, obliuio penitus apud nostrates ex Syria ob Barbarorum rabiem eiectos, extabat, donec diligentia Io: Stephani Ferrerij Vercellens. etiam Antistitis cōpertum est, ex Registro Innoc. 3. in Vaticano Archiuio, Pontificatus eiusdem Innocentij anno septimo, id accidisse. Cuius magnum signum est, quod in Diplomate Innocentij Quarti, vbi Regula pro ipsius moderatione, ac correctione inserta reperitur pro anno 1247. Pontificatus eiusdem Innocentij anno quinto, prout proprijs oculis inspexi in Registris Archiuij Vaticani Apostolici, Data Regulę non subijcitur, absdubie quia incerti de illa nostri tunc temporis erant. Vnde, qui prædictam Innocentij Bullam cum Regulæ Data subscribunt, nedum corrigendi, sed expuniendi sunt, cum quod in Registro non extat, in exemplari apponere non verentur. Idem iudicium esto de alia Bulla Honorij Tertij, in qua Regula etiam cum prædicta commentitia Data conspicitur. Erroris occasio.

8 Placet hic inserere, quod Ioannes Balæus (inter graues Authores iure nominandus, si historiæ notitiam, qua callebat, hæretica prauitate, & impudentissima maledicentia non fędasset) *in Catalogo de Scriptorius Brittanniæ* scriptum posteris dereliquit: nempe B. Brocardum Ordinis nostri hoc anno (vt ipse putat) Præsidem, institutiones quasdam pro Carmelitis suis, vt secundum illas regulariter viuerent, composuisse, easque postea Alberto in Palęstinam venienti oblatas, ab ipso recognitas, breuitati, ac methodo redactas, auctoritate Romanæ Sedis Legati, qua fulgebat, confirmatas, ipsique Brocardo, & socijs pro Regula in posterum obseruanda traditas fuisse. En Balæi verba in prædicto Catalogo *centur. 3. in appendic. ad Gualther. de Constantijs. Brocardus Ierosolymitanus secundus eorum* (Carmelitarum) *Præses anno Domini 1171. composuit eis Regulam ex Basilij dogmate* Testimoniū.

mate quadam mutuatus, vt secundum illam viuerent. Hanc anno Domini 1199. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus abreuiauit, confirmauit, atque obseruandam ipsis tradidit. Eadem similiter malæ notæ authores Centuriatores Magdeburgenses *centur. 12. cap. 6.* Errant tamen in multis. Primò; dum Regulam ab Alberto datam sub anno 1199. referunt, cum ante annum 1205. id fieri non posset. Errant etiam dum pro anno 1171. affirmant Brocardum Generalem Præsidem fuisse, aut pro eo ann. institutiones Carmelitis dedisse, cum eo tempore Bertholdus superstes fuerit. In eo tamen quod asserunt, Brocardum Institutionem, seu Regulam ipsam composuisse, postea ab Alberto compilatam, abbreuiatam, & ad meliorem methodum redactam (pro anno scilicet 1191. vt ibidem dicemus) veritatem credimus assecutos: ipsisque standum; Balæo præsertim, vtpote domestico testi ex nostris ad schisma transfugæ eo maximè, quod, vt ille de se ipso *Centur.* 8. fatetur, dum inter Catholicos erat, historiam B. Brocardi conscripserat in libro, qui incipit *Hostis antiqui inualidus conatus*: ex hoc enim satis coniectari licet gesta B. Brocardi sibi valde nota. Vnde, & consequenter *Centuria 3. Appendic. ad Henricum Plantagenet* eodem quo diximus sensu dixit: *Albertum Hierosolymitanum Carmelitarum Regulam abreuiasse.*

Causa erroris.

9 Quia ergo ex hoc numero 1191. ad illum 1171. facilis transitus Scriptoris errore fuit, ideo putamus has Brocardi institutiones sub data anni 1171. falsa, Regulam eo anno traditam fuisse aliquibus persuadere potuisse; cum tamen non nisi sub anno 1191. ab eodem Brocardo scriptæ fuerint. Nisi dicamus (quod non sine ratione arridet Segero Pauli in sua *Chronologia S. Simonis*) S. Brocardum tunc Priorem localem Montis Carmeli, seu etiam Vicarium Generalem Ordinis loco Sancti Bertholdi ætate grandæui, vel forsan alias impediti, Regulam scripsisse pro Carmeli Eremitis anno isto 1171. quam postea Albertus recognouit, correxit, & obseruandam ipsis tradidit, relicta eiusdem anni data. Vtcunque tamen res sit, viris doctis non arrideat, quod Albertus hoc anno Regulam tradere potuisset.

Ann. Christi *1172*. Alexand. 3. Rom. Pontif. 13. Frideric. Barbarossæ Imper 18. Emman. Imper. Orient. *30*. B. Berth Gen. *32*

Gesta hoc anno.

1 HOc anno Legatione missa ab Alexandro Papa ad Henricum Anglorum Regem in causa necis Sanct. Thomæ Cantuariensi illatæ, id conclusum est, vt Rex (quod verè pœnitentis; Christiani, ac pij erat) omnibus mandatis Domini Papæ humiliter pareret. In publica enim audientia manu sua tactis Sacrosanctis Euangelijs, iurauit, quod neque mandauit, neque voluit, quod Archiepiscopus Cantuariensis interfi-

terficeretur, & quod audita ipsius morte, doluerit: iurauit etiam quod quantamcumque pœnitentiam ei Cardinales iniungerent plenariè exequeretur. Pontifex interea dum Romam regredi conaretur à Romanis Friderici Imperatoris fautoribus impediebatur. Rogerius, & Baronius *sub hoc anno*.

2 Ex sacrilegis S.Thomæ Martyris percussoribus (qui adeo abominabiles Mundo redditi erant, vt canes quantumlibet famelici panem ab eis porrectum vt anathemate intinctum horrerent) dum iussu Papæ pœnitentiam agere in Syriæ partibus astricti eò pergerent, vnus eorum in Calabria miserrimè perijt, alij vero in Montana Nigra, tanquam carcere pœnitentiæ clausi, extremum clauserunt diem circa hoc tempus. Pœnitentes tamen, vt propterea illis imposita fuerit hæc inscriptio: *Hic iacent miseri, qui martyrizauerunt B. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem*. Rogerius, & Baronius *supra*. Cum autem in ea Montana Nigra, *Neroi Monte* alias nuncupata, nostrorum Eremitarum habitatio fuerit, iuxta dicta sub ann. 1141. ipsique essent, pœnitentiæ, humilitatis, & mortificationis exercitijs verè addicti, cum illis hos vixisse, & mortuos fuisse facile credi potest. S. Thomæ interfectores.

3 Eodem anno vel circiter ad propria regressus Cyrillus Constantinopolitanus Doctor, & Presbyter, de quo in præcedentibus, cum Patriarcha Constantinopolitano circa processionem Spiritus Sancti dissentiebat. Cyrillus enim, vt verè Catholicus, etsi natione Græcus, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere constanter affirmabat, Patriarcha renuente, qui a solo Patre emanare dicebat. Ita enim habetur tum ex Officio B. Cyrilli sæpius ab Ecclesia, vt diximus, approbato, tum ex vita ipsius apud Manerbium, tum ex historicis Ordinis specialiter Bostio *lib.*7 *cap.*4. & Palæonydoro *lib.*3. *cap* 4. Non tamen constat quisnam hic Bizantiorum Antistes esset, cum quo hæc controuersia excitata: sed coniectura temporis ducti, Michaelem putamus, qui circa id tempus Patriarchatum gessisse à Chronologiæ autoribus Onuphrio, Pineda, Marquardo, & alijs traditur: & licet de hoc errore ipsum a nemine notatum videamus, quia tamen Græca Ecclesia a multis annis claudicare in eo cernitur, vt colligitur ex S. Antonino 3.*part. capit.* 13, Genebr. lib.4. Chronolog. circa ann. 858. & Bellarmino in Chronolog. circa ann. 1048. ideo præfatam historiam veritatem continere facile suadetur, & hunc Michaelem fuisse cum quo erat concertatio, conijcitur: etsi de hoc nihil certi constet. Qualiter proinde Cyrillus Bizantium relinquere, Carmelum petere, & ibi habitu Virginis indui, eiusdem præsertim monitu, decreuerit, sequenti anno dicimus. De B. Cyrillo.

Ann. Christi 1173. Alexandri 3. Roman. Pontif. 14 Friderici Barbarossæ Imper. 19. Emman. Imper. Orient 31. B Berth, Gen. 33.

Gesta huius anni.

1 O anno, pluribus corruscantem miraculis Sanctum Thomam Cantuariensem in Sanctorum Martyrum numerum retulit Summus Pontifex Alexander Tertius. Inter quę, vlciscente Domino, Rex Angliæ à filio cum multis confęderatis Principibus implacabili vrgebatur bello, vt qui Patrem Thomam indefesso studio fuerat persecutus, persecutorem ipse pateretur suum filium. Quemadmodum etiam Sanctus ipse à Rege afflictus ad Pontificem pro suffragio obtinendo recursum habuerat; sic quoque Rex ipse filium metuens ad eundem Pontificem per litteras recurrendum tentauit. Baronius, & Gordonus.

De B. Cyrillo.

2 Cyrillus autem, de quo in superioribus, ex præfata dissensione cum Bizantinorum Patriarcha, & asseclis, occasione capta, à Virgine in somnis admonitus, Constantinopolim cum bonis temporalibus reliquit, Hierosolymam petit, ibique, consultò Brocardo, cum ipso ad Carmelum secessit, vbi sumpto Dei Genitricis habitu, virtutibus micans, diuinis etiam reuelationibus dignatus est. Ita enim habetur ex Officio eiusdem B. Cyrilli, vita ipsius apud Manerbium, & Historicis ordinis, Bostio *lib. 7. cap. 4. &* 5. Palæonydoro præsertim *lib. 3. cap. 4.* Officij ipsius in quinta lectione hæc sunt verba: *Cum autem inter Patriarcham Constantinopolitanum, & B. Cyrillum dissensio de Spiritus Sancti processione orta esset, nimirum illo asserente à Patre solum, Cyrillo vero constanter affirmante à Patre, & Filio Spiritum Sanctum procedere, volens à Græcorum erroribus abesse, in somnis admonitus à B. Virgine, omnia sua pauperibus elargitus, Syriam versus nauigauit; ad Montemque Carmelum peruenit: vbi sumpto Dei Genitricis habitu, ieiunijs, orationibus, & charitatis officijs Deo gratissimus effectus, diuinis etiam reuelationibus dignatus est.* Palæonydorus autem sic: *Post hæc inter Cyrillum, & Constantinopolitanum Patriarcham resuscitata de Spiritus Sancti missione controuersia, à Græcis, iniurijs vincere cupientibus, quod ratione non poterant, Cyrillus de Constantinopoli exturbatus, cessit malitiæ. Reuoluit enim animo in vnam catholicam sententiam Græcos, & Latinos vix posse conuenire, cum cerneret Græcorum Codices schismaticorum astutia vitiatos, ac statuit eos ex toto deserere. Cum ergo talia animo reuolueret, sequenti nocte quædam venerabilis ætatis, ac luminis imago virginea ipsum alloquitur, vt ei videbatur, inquiens, noli trepidare; si errores cupis effugere Græcorum, eosque à te procul abijcere, atque tibi laborare, vitam in Heremo Montis Carmeli demonstrandam assume, nam in ipsa saluaberis. His auditis Cyrillus respondit. O Domina Virgo Maria gaude, tu sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso Mundo. Tu mihi consolatrix ac magistra. Incalcatum publicè callem me figere oportet pedem, & altiora sperantem paucissimorum*

morum signatum vestigijs iter arripere. Igitur Cyrillus omnia temporalia pauperibus distribuens, sacularia quoque saculo relinquens, versus Syriam nauigauit. Tandem ad Sanctam Terram deuenit, & in Hierusalem (Deo ordinante) prædictum Brocardum obuium habuit. Qui Cyrillo Græco, & philosophico collobio induto dixit: Salue Vir bone. Quid habet negotij? Gauisus Cyrillus, Græcam, Atticamque linguam audiens; respondit: Nihil negotij habeo, nisi prompta voluntate Deo me totum offerre. Quapropter Brocardus sibi talem Doctorem diuinitus missum existimans, ipso in Montem Carmeli secum sumpto, ait, &c. Et paulò post: *In hoc Sancto Monte, semper benignissima Dei Genitrix Virgo Maria, traditur à Patribus, frequenter cum sodalibus fuisse, & Eremitas tunc hic degentes, Fratres suos appellasse. Cum vero Cyrillus corporalem captasset requiem, apparuit illi Sanctissima Virgo Maria dicens: Hic tutus eris. Altera die Sacri Ordinis Habitu inuestitus à Brocardo.*

3 Mutuata hæc à Bostio accepit Palæonydorus, vtpote ipso vetustiori. Quia tamen Bostius ipse rem latius prosequitur, & Codex vulgaris non est, cum solum in M.S. Bibliothecæ Astensis Cœnobij reperiatur, ideo ipsiusmet verba ex *cap.4. & 5.* dicti septimi libri hìc transcribimus. Ex Bostio.

Prædicta autem Legatione fideliter expleta, aliquot transactis diebus, non tam subortæ, quam resuscitatæ sunt controuersiæ inter Beatum Cyrillum, & Patriarcham Constantinopolitanum de Spiritus Sancti processione. Vnde Græci, quod ratione non poterant, vincere cupientes virum Dei ab Vrbe Constantinopolitana vi deturbant. Ille autem æterna memoria dignus, iuxta Dominicum consilium cedere censuit malitiæ: nam, & animo reuoluens in vnam Catholicam sententiam Græcos, & Latinos vix posse conuenire, cum cerneret Græcorum Codices astu Schismaticorum admodum vitiatos, statuit eos ex toto deserere. Cum ergo talia vir Dei animo reuolueret quadam nocte qualiter in hanc vitam intrasset, & qualiter esset egressurus cogitanti, mulier astitit quædam venerabilis ætatis, & luminis, formaque non satis intellecta, Virginem quoque, & habitus nunciabat, & facies. Hæc igitur, cum stupentem insueta lucis aspectum, & aduersus radios quos oculorum suorum sol fundebat, non audentem oculos attollere, sic alloquitur. Noli trepidare, errores quibus Græcia inuoluitur miserata de longinquo tempestiuum tibi auxilium latura descendi: satis hactenus terram caligantibus oculis aspexisti; si miseriam Græcorum cupis exire, & errores eorum à te procul abijcere, tibi non alijs laborabis: nam sola virtus animam felicitat, si fides fuerit absque errore: per vitam in Eremo Montis Carmeli tibi monstrandam, sic itur ad astra. His ergo auditis, Cyrillus respondit: O Domina virgo Maria gaude, nam cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Tu enim dux, tu consultrix, tu magistra: calcatum publice callem me figere oportet, vt ad altiora suspirantem paucissimorum signatum vestigijs iter arripere. Igitur vir sanctus, quia Latina linguæ ignarus Latinis conuincere nequibat, Montem Carmeli adire deliberatus, Fratribus ipsius more Græcorum, sed fide Latinorum viuentibus, sicut in mandatis acceperat, se conformandum decreuit. Relinquens ergo sæcularibus sæcularia, & distribuens temporalia pauperibus, versus Syriam nauigans, ad Terram Sanctam

etiam peregre properauit desiderio visitandi loca Sancta, & manendi in ea. Qui cũ Ciuitatem sanctam Hierus. ingressus esset B. Brocardum Priorem FF. Montis Carmeli Dei nutu obuiam habuit. Is vt Cyrillum Greco aspexit Collobio vestitũ, phylosophum eum fore, aut Doctorem spiritu agnouit: sed cum esset Prior lingua Grȩca, & Latina imbutus, ait illi: Salue boue vir; quid istic tibi negotij est? quidnam apportas? Beatus autem Cyrillus gaudens quod hominem inuenisset Graecam, Atticamq; linguam habentem, desiderium suum ei patefaciens respondit: Nihil apporto, nisi bonam voluntatem, & ideo huc veni, vt hanc offerrem Domino. At Brocardus eum lȩtanter suscipiens gaudebat sibi diuinitus talem doctorem transmissum, duxitque illum ad Monasterium Montis Carmeli, & dixit ei: Sequere me hac in via: quod cum fecißet, duxit eum ad Ecclesiam eiusdem Monasterij Brocardus, & ait: De his gratiam agamus ei, qui hoc in te incepit, vt fęliciter consumet. Cunque diutius vnà secum oraßet, cameram hospitum intrauerunt, vt de scripturis tractarent, &c. Incipiens autem Brocardus ita exortus est, & post pauca. *In hoc Monte Sancto B. Dei Genitrix Virgo Maria traditur à Patribus sȩpius fuisse, & Eremitas pro tunc ibidem degentes Fratres suos appellasse, &c. Igitur oratione facta post collationem itur dormitum, & eadem nocte B. Virgo Maria mira cum claritate eidem secundo apparuit, dicens: Hic tutus eris, qui ex tunc gratias agens Deo, & suȩ matri Marię, sȩculoq; vale dicens, vitam eremiticam in eodem Monasterio ducere cæpit.*

Quomodo intelligenda relata.

4 Quod à Brocardo in Carmelum ductus, instructus, & habitu indutus dicatur Cyrillus, non ex eo fuit, quod Brocardus Præsul Generalis Ordinis esset hoc tempore, cum adhuc B. Bertholdus superstes esset. Sed ideo hoc contigisse autumandum, quod cum Brocardus natione Hierosolymitanus, & Atticæ linguæ gnarus esset, vt patet ex relatis Palæonydori verbis, ipsi potius quam Latino alijs tradendus à Deo fuit pro institutione Cirillus. Vocatur porrò Brocardus *Prior Montis Carmeli*, quia eius Montis, & Eremi Prior localis erat, vel Vicem Prioris Generalis pro Bertholdo absente gerens.

De Conuentu Messanæ.

5 Sub eodem anno fuisse nostros Carmeli Cænobitas in præclarissima Siciliȩ Vrbe Messana, ita vt falsum asseruisse conuincatur Bonfiglius, dum solum pro anno 1267. primum ibi extitisse commemorat; vel ex Diplomate, quod extat in Tabulario Monasterij S. Placidi Messanensis, quod refert Rochus Pirrhus Abbas Netinus diligens auctor *in notitia secunda Ecclesiȩ Meßanensis*, dum loquitur de Monachorum, & Fratrum Cænobijs, *pag. mihi* 392. sufficienter comprobatur. Cuius hæc sunt verba. *Carmelitanorum Familiam anno 1267. in Siciliam venisse, scribit Bonfiglius, cum Ludouicus Gallorum Rex ad Terram Sanctam recipiendam soluit: nam naui plures vehebantur Carmelitȩ: ea ventis agitata, portum Augustȩ in Sicilia tenuit, ibi prima suorum Cȩnobiorum fundamenta posuerunt, secundum Leontini, tertium Messanȩ. Sed lego in quodam Diplomate, quod extat in Tabulario Monasterij S. Placidi Messanensis dato anno 1173. mense Decemb. Ind. 6. regni Vuillelmi 2. anno 6. Simonẽ quemdã Regium Siniscalcum pro anima Regis Rogerij, eiusq; vxoris Heluirȩ multa prȩdia dedisse Fratrib. Carmelitanis Messanȩ. Item in Diplomate Vrb. 4. inuenio ad an.*

1261.

1261. 8.Sept. 4.Ind. Cænobium in quo degebant Fratres Carmelitani datum esse Abbatissæ S.Mariæ de Flomaria, & S.Michaelis Ord.Cisterciensis: inde in aliud migrarunt extra Vrbem, eoq; bellorum tempore fœdato, vt testatur rescriptum Nicolai 4. apud Vrbem veterem Kal.Febr. Pontific. anno 3. salutis 1291. nouum exædificauerunt in Vrbe iuxta Cathedrale Templum, vt in Guidocto diximus. Tandē in Æde D.Cathaldi Ianuensium in Regione Pontileonis Sedem fixerunt. Id quoq; quod dixit de illo Legato Carmelitanis Messanæ relicto hoc anno, confirmat etiam idem Pirrhus in Litteris familiaribus ad Generalem Theodorum Stratium scriptis ann. 1637. quas apud me habeo. Esse autem Bonfiglij placitum prorsus à veritate alienum, & id, quod in prædicto Diplomate sub anno præsenti dato eidem consonum prorsus, ex testimonio suadetur Enoch Patriarchæ Hierosolymitani in vita S. Angeli (quam fermè diuinitus inuentam ad Nicolaum Audethium Ordinis Generalem transmisit quondam Thomas Bellorosius Panormita Prothonotarius Apostolicus) vbi *cap.* 19. de primo applausu S.Angeli in Siciliam hęc habentur. *Primum itaque Messanam profecti* (Angelus scilicet, & socij) *Cænobium Carmelitanæ professionis adiuimus, Priorique ex more obedientia præstita, & Cænobitis salute d. hospitia charitatis accepimus.* Cum enim hoc circa ann. 1219. contigerit, manifestè euincitur ante 1267. Fratres nostros Messanæ Sedem fixisse, ac perinde à vero deuiasse Bonfiglium, & prædictum Diploma historicæ veritati cohærere. Vide alia sub anno 1238.

6 Id quoque, quod dicitur de Conuentu Leontini minimè cohæret cum ijs, quæ de huius Conuentus prima erectione Tomo pręcedenti sub anno 827. scriptum reliquimus. Ibi enim ex authentico Instrumento diximus, primordialem ipsius extructionem ad annum 837. referri debere. Sicut & augmentum, & nouam forsan fundationem sub anno 1220. vt eo loco etiam diximus, & eo tempore dicemus. Quod etiam dicitur de Conuentu Augustæ in sequentibus suo loco examinabitur. De Conuentu Leontini.

Ann. Christi 1174. Alexandri 3. Roman. Pontif. 15. Friderici Barbarossæ Imper. 20. Emman. Comn. Imper. Orient. 32. B. Berth. Gen. 34.

1 ANnus subsequens 1174. Fridericum Imperatorem iam quinto Lombardiam cum maxima multitudine aggredientem, Astensem Ciuitatem occupantem, Alexandriam obsidentem, licet infructuose, Deo sic prouidente ad reprimendos impetus tumentis Imperatoris, vidit. Erat etiam eo tempore magnum aliud, & mirandum pœnitentiæ spectaculum Henricus Secundus Anglorum Rex, qui à filio alijsque Principibus grauiter exacerbatus ad eum, quem viuum irreuerenter odio prosecutus erat, S. Thomam iam mortuum, Cantuariam, deuotus, humiliatus, nudis pedibus corpore sola, vilique tunica cinctus, Friderici gesta.

cinctus, per luteas Ciuitates plateas pedes incedens veneraturus aduenit. Ibi suspirijs, & gemitibus tot gentibus, & nationibus tremebundus, ipse timens, & tremens Martyris adijt sepulturam; vbi tota illa aduentus sui die, & nocte sequente ieiunus, & peruigil deuotè pernoctauit. Nec frustra hæc Regis pœnitentia; ope enim Martyris victoriam tulit de inimicis gloriosam. Herebertus, Rogerius, Baronius, Gordonus, & alij.

Saladinus.

8 In Syriæ, & Palæstinæ partibus, mortuo Norandino magno Turcarum Duce, sub hoc tempore suscitatur nouum Christianitatis flagellum, Saladinus, qui simul cum Ægypto Noradini Regnum occupans, Hierosolymam, pluresque alias Ciuitates, ac totam fermè Syriam, Christianis deuictis, suo subiugauit Imperio, vt in sequentibus dicemus. Marinus Sanutus *de Secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 9 cap. 3.* Hic Saladinus in causa fuit, quod Eremitæ nostri plura Ordinis Monasteria in Terra Sancta, in locis, & Vrbibus, *in quibus solebant olim habitare*, ædificare non possent, vt habet Gulielmus de Samuco *in Chronic. de multiplicat. Ordin. cap. 2.* & ex eo Bostius *lib. 7. cap. 3.*

Brocardus, & Cyrillus.

9 Carmeli porro Eremicolarum, præsertim Beatorum Brocardi, & Cyrilli, hoc studium eo tempore erat. Quotidie (inquit Palæonydorus *lib. 3. cap. 4.*) *de Scripturis Sacris, & vita Sanctorum Patrum Eliæ, & Elisei, ac eorumdem Successorum inuicem colloquebantur.* Iam proinde ab eisdem ceptum, quod postea Albertus in Regula confirmauit. *Gladius Spiritus, quod est verbum Dei abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris.* Qualiter autem Cyrilli conuersatio eo tempore fuerit, sic idem Palæonydorus ibidem habet. *Deinceps puro corde, & humilitate Cyrillus Deo inhærens, diuina tum gratia, tum reuelatione dignatus est.* Reuelationibus autem diuinis illustratum esse, confirmabunt quæ dicemus in sequentibus, & affirmant nedum historici nostri, & Petrus de Natalibus Episcopus Aquilinus in vita Sancti Cyrilli, ac Ioannes Balæus in *Cathalogo Script. Britan.* sæpius, & vita eiusdem B. Cyrilli à quodam anonymo scripta, & ad me Antvverpia transmissa ex Scriptis Reuerendi Pat. Ioannis Bolandi Iesuitæ: vbi sic de ipso: *Fuit vir doctus, scientijs Sacrarum litterarum eruditus, Deo multum deuotus, nomine Cyrillus, in Terra Sancta tunc à Christianis possessa, sancte, & pie conuersatus, in ordine Presbyterij constitutus, qui quidem ob contemplationem miræ sanctitatis, & vitæ puritatis Fratrum in Monte Carmeli commorantium, & omnipotenti Deo, eiusdem gloriosæ Genitrici Virgini Mariæ gratum famulatum diu, noctuque in pœnitentia, austeritate, & proprietatis abdicatione præstantium, eundem Montem affectuosius adijt.* Et post alia. *Ibidem S. Cyrillus deuotis Fratribus in chara fraternitate, & dulci conuictu iuxta modum eorum viuendi erat sociatus, vitam cælibem ducens Angelico aspectu sæpè consolatus, diuinis consolationibus crebro illustratus.* Agit postea de celebri illa reuelatione, quam habuit inter Missarum solemnia, de qua plura nos in sequentibus dicemus.

Ann.

Ann. Christi 1175 Alexandri 3. Roman. Pont. 16, Friderici Barbarossæ Imperat. 21. Emmanuelis Imp. Orient. 33. B. Berth. Gen. 35.

1 PRæsenti anno, cum Fridericus Imperator Alexandriæ Vrbem in Lombardia obsessam teneret, & sæpe reiectus, ac subdola arte, qua eam capere tentauerat, ipso Sancto Petro Apostolo (vt quidam volunt) visibiliter in equo candido apparente, suppetiasque ferente, frustraretur, viribus tandem consumptis, maximo damno, atque dedecore terga vertere cogitur. Pacem propterea à Papa postulasse dicitur; licet, re infecta, Legati ad ipsum ab Apostolica Sede pro ea causa Papiam missi regrederentur. De his Vspergensis, Auentinus, Nauclerus, & alij, inter se discordes. Friderici fuga.

2 Quia ex decreto Alexandri Summi Pontificis intimato in Concilio Vvestmonasteriensi sub hoc anno in Anglia celebrato prohibitum fuit, ne noua aliqua Pręfatio vltra decem, quæ erant in vsu Ecclesiæ Romanæ, Missis adderetur (Rogerius, & Baronius sub hoc anno) quod etiã decretum à nostris tunc obseruatione receptum autumamus, opere prętium duximus, & pro historiæ complemento, notare, Breuiarium, & Missale, quibus Ordo vtebatur hoc æuo Aymericanæ reformationis, extracta fuisse ex approbato vsu Dominici Sepulchri Hyerosolymitanæ Ecclesiæ. Constans enim huiusmodi traditio, ex pluribus, ipsisque vetustioribus tum Breuiarijs, tum Missalibus clare habetur. Ex quibus Breuiarium à fratre Iuone Gouele Brittano sub anno 1462. scriptum hæc habet. *Incipit Breuiarium fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli extractum, & excerptum de approbato vsu Sepulchri Hierosolymitanæ Ecclesiæ, in cuius finibus dictorum Fratrum Religio sumpsit exordium.* Item in Breuiario Venetijs impresso sub anno 1495. opera Fr. Ioannis Mariæ de Polucijs Baccalaurei, sic habetur. *Incipit Ordinale Horarum Canonicarum Fratrum Sacri Ordinis Gloriosissimę Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, extractum, & excerptum de approbato vsu Dominici Sepulchri Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, in cuius finibus dictorum Fratrum Alma Religio sumpsit exordium.* Quibus similia verba habentur in Missalibus Venetijs editis sub annis 1509. & 1551. quæ in Bibliotheca Transpontinæ seruantur. Hac etiam de causa antiquitus, vt patet ex prædicto Breuiario de anno 1462. Officium in Ordine fiebat quorumdam SS. Hierosolymitanæ Ecclesiæ, vt Mathiæ Episcopi 30. Ianuarij, Simeonis Episcopi, & Martyris 18. Februarij, Alexandri Episcopi, & Martyris 18. Martij. Insuper Mariæ Iacobi, & Salome 25. Maij, ac Abraham, Isaac, & Iacob 6. Octobris, quæ Festa ad Hierosolymitanam Ecclesiam proprius spectare videntur. Propterea etiam dum ad normam Breuiarij, ac Missalis Romani Carmelitanum restitueretur tempore Grego- Alexandri decretum.

rij 13.

rij 13. sub anno 1584. declarauit Pontifex in Bulla *vt Breuiarij* eodem anno edita Fratres nostros olim vsos esse Breuiario *iuxta Hierosolymitanę Ecclesiæ consuetudinem multis sęculis*. Quo sanè denotatur hoc sæculo talem vsum increbuisse. Idque maximè verum credimus respectu eorum ex nostris, qui in Terra Sancta morabantur: de alijs etiam, qui in Europæ Ciuitatibus tunc erant, etsi nihil certi affirmare possimus, credibile tamen, Fratribus suis Carmeli, & Syriæ incolis non dissimiles extitisse.

S. Eliæ Monasteria.

3 Constat ex Bulla Alexandri Papæ sub hoc anno data in Bullario Laertij Cherubini num. 6. inter Monasteria Ordinis S. Basilij, quæ sub obedientia Archimandritæ S. Saluatoris Messanensis erant, recenseri Monasterium S. Eliæ de *Embola* in Sicilia, & Monasterium S. Eliæ *noui* in Calabria. Ex quo robur accipit id quod dicimus tom. 1. de cultu Sancti nostro Patriarchæ, & Antesignano Eliæ Prophetæ debito, ex eo quod ad ipsius honorem plures in toto Orbe terrarum constructæ maneant Ecclesię.

Ann. Christi *1176* Alexand. *3* Rom Pontif. *17*. Friderici Barbarossæ Imper. *22* Emmanuel. Imper. Orient. *34*. B. Berthol. Gen. *36*.

Friderici casus.

1 SEquenti anno 1176. Friderico Imperatore Alexandri confœderatos armis aggrediente, infeliciter res ei contigit, ita vt victum, & amisso Aquilæ vexillo, equo deiectum, aliqui dicant; & quod ignominiosa fuga coactus est ad suos redire, & pacem cum Pontifice procurare. Alij vero dubiam fuisse victoriam scribunt. De quo legi possunt Vvspergensis, Sigonius, Baronius, & Gordonus *sub hoc anno*.

Victoria de Saladino.

2 Eodem tempore, cum Saladinus, de quo supra Hierosolymitanum Regnum cum multitudine graui, & armis magno cum damno & timore Christianitatis, nostrorumque Eremitarum illis in partibus commorantium, ingressus esset, Dei memorabili beneficio factum est, vt a parua Christianorum manu, auxilio tamen viuificæ Crucis, quam Albertus Bethlehemita Episcopus in manibus gestabat, victus, fugatus, profligatusque esset ipse, & exercitus ipsius. Tyrius *lib. 21. cap. 20. 21. 22. & 23.* fuit hic Albertus Bethlehemita, qui postea sub anno 1179. Concilio Lateranensi adfuit, & quē ad Hierosolymitanum Patriarchatum assumptum nostris Eremitis Regulam concinnasse quidam tradiderunt. Quos tamen a veritatis tramite deuiasse sub anno 1191. afferimus. Illud non prętermittendum, hunc Albertum ex Ordine nostro assumptum videri, quod eum Ioannes Baleus in Catalogo Scriptorum Britaniæ *centur. 3. in appendic.* ad Henricum Plantagenet, vocat, *Terræ Palestinæ Eremitam*. Eodemque *Eremitæ* nomine illum compellant Honuphrius Panuinus in M.S. Codice Vaticano *de vitis Pontificum in Cælestino 3*. Ciacconius *de vit. Pontif. sub eodem*

dem Celest. 3. Auctuarium Aquizentium *sub anno* 1191. Myræus *lib. 3. de orig. Carmelit. Ordin.* Thomas Dempsterius *in notis ad Benedictum Accoltum de bello sacro lib.* 1. Res tamen est incerta, quia saltem hi posteriores, ea solum ratione hunc Albertum *Eremitam* nuncupant, quod à Petro illo Eremita belli sacri famatissimo authore, originem traxisse credant. Quod tamen à veritate alienum reputamus, & quod sicut titulus Patriarchæ Hierosolymorum, & nostram Regulam compilasse solum Alberto Vercellensi debita sint; sic quoque ex Petri Eremitæ origine ortum habere, vt dicemus suo loco.

3 Beatis tamen viris Bertholdo, Brocardo, & Cyrillo, qui hoc tempore Carmeli decorabant Ordinem, non incongruè iungi possunt duo alij eiusdem æui, ac Montis Thabor Eremitę, quod in eo monte Elianorum mansionem fuisse sub anno 1141. diximus. De quorum vno id refertur, quod cum stimulos libidinis à quadam formosa iuuencula Sarracena, quę latibula quæritans ad eius speluncam venerat, irritatus persentiret, vastum quoddam nemus, vt labore, fame, atque siti, æstum libidinosum extingueret, ingressus est, opere sane ostendens hoc genus tentationum fugiendo potius, quam periculum aggrediendo, superari. De eo Gerardus à Nazareth. *in lib. de conuersat. seruorum Dei cap.* 2. & Centuriatores Magdeburgenses *centur.* 12. c. 10. Alter Reinaldus nomine, natione Galilæus, qui quotannis in initio Quadragesimæ solitudinem ad Iordanis ripam ingrediebatur, sumens secum panes paucos, & instrumentum effodiendis radicibus aptum, ibique ad maciem vsque cum fame decertans donec Pascha adveniret, morabatur. Gerardus à Nazareth *cap.* 3. Centuriatores Magdeburgenses *vt supra*. Nostrorum Eremitarum, quos in ea Iordanis solitudine habitacula, etsi modica, habuisse sub anno 1141. scripsimus, consortia hunc Reinaldum quæsisse facile creditur. *(Alij Eremitę)*

Ann. Christ. 1177. Alexand. 3. Rom. Pont 18. Friderici Barbarosę Imperat. 23. Emmanuel. Imperat. Orient. 35. B. Berthold. Gen. 37.

1 HIc annus placabilis, iuxta Phropheticum dictum, appellari potest, quo pax exul annis 18. mundo est restituta, & dirum schisma omnino cessauit. Summo enim Pontifici Alexandro, Fridericus Imperator Venetijs debitam obedientiam præstitit, schismati renunciauit, & à sententia excommunicationis absolutus ad matris Ecclesiæ gremium, & pacis osculum benignè à Papa receptus est. Pax quoq; tum inter Summum Sacerdotem, & Imperium, tum inter Imperatorem & Regem Siciliæ, ac tregua cum Lombardis firmata est. Schismatici etiam absolui humiliter postulantes vnitati Ecclesiæ aggregati. Baronius *sub hoc anno.* *(Annus placabilis.)*

L Constat

De Conuentu Senarum. 2 Constat ex antiquissimis Senarum historijs, quod cum hoc eodem anno fratres nostri iam a multis (quatuor ferme) sęculis, iuxta dicta tomo præcedenti, Senis commorantes, aquæ penuria laborarent, puteum effodere, aquæ venam inuestigare, eaque reperta frui potuisse. Sic enim habetur ex Chronicis & vetustis Codicibus in prædicta Ciuitate repertis apud nobiles quosdam illius, præsertim in Chronicis Ioannis Bisdomini *fol.* 139. Pirri Landucij *fol.* 20. Alexandri Bringuci *fol.* 40. Orlandi Malauolti *fol.* 30. Quod authentico instrumento à Pamphilio de Bocciardis Notario Apostolico, & Imperiali confecto, ad instantiam magistri Ioannis Cassardi de Senis eius Conuentus Prioris, ac postea Ordinis Generalis, sub anno 1573. munitum ac roboratum in Archiuio Transpontinæ seruatur.

Senensis Cœnobij vetust. 3 Quia tamen in eodem publico documento pro antiquitate dicti Monasterij præfati magnum testimonium pariter reperitur, opere prætium duximus, illud hic transcribere, vt vel sic Ordinis nostri vetustati increduli, veritatem, si velint, agnoscere possint. Id vero extractum est ex antiquo libro Chronic. Pirri Landucij *fol.* 12. his Italicis verbis: *Indetto anno* (videlicet 797. prout in margine habetur) *tornaro tutti li frati de S. Maria de Monte Carmelo alla Chiesa di S. Nicolò la prima volta, e per vn tempo vi stero li Romiti, e poi vi tornaro li predetti frati, e depoi e diuulgato de Mantellini, e per li mantellini de fanciulli botati alla Vergine Maria che era dipinta nella faccia di fuore.* Didacus etiam Coria *in chron. Carmelit. lib.* 1. *c.* 25. refert aliud de eadem re etiam authenticum testimonium pro anno 1593. Scriptum, vbi etiam de donatione quadam a Carolo Magno eisdem Monasterij fratribus facta memoriam agit.

Ex alio instrumento. 4 Simile aliud instrumentum in Archiuio eiusdem Conuentus Senensis reperitur, quod è Senis Romam delatum vidimus, in quo etiam memoria hæc ex antiqua historia extracta per R. P. Dominicum Gulielmũ Dominicanum apparet: *Nell'anno* 801. *li Reuerendi Padri, e frati Carmelitani, hebbero la Chiesa de S. Nicolò, hoggi S. Maria del Carmine, che prima la habitauano Heremiti.* Sed de his prolixius tomo præcedenti diximus, vbi etiã quantũ veritati historicę cõgruant, maximè propter Indulgentias per Leonem 4. Ord. nostri Ecclesijs çirca idem tẽpus cõcessis, latius prosequimur.

Ann. Christi 1178. Alexand. 3. Roman Pontif. 19. Friderici Barbarossæ Imperat. 24. Emmanuelis Imperat Orient. 26. B. Berthold. General. 38.

Gesta huius anni. 1 Egressus est sequenti anno 1178. Alexander Papa in Vrbem, Romanis id suppliciter petentibus, & conditiones aliquas pro Papę securitate, & restitutione bonorum Ecclesiæ, paciscentibus. Antipapa etiam, *Calistus* a suis nuncupatus, ad Papæ pedes pœnitens prouo-

prouolutus, & pro commissis veniam petens, benignè receptus est, & honorificè tractatus. Baronius, & alij *sub hoc anno*.

2 Monachorum, & Eremitarum quasi communis causa hoc anno in Tholosæ partibus agebatur. Quidam enim de hæresi suspecti, vt ab ea se nota immunes crederentur, affirmabant constanter, Presbyteros, Monachos, Canonicos, & Eremitas esse saluandos, ac Ecclesijs eleemosynas tribuendas. Historiam referunt Rogerius *in Annalibus*, & Baronius supra. Ex ea autem id ad nostrum pertinet intentum, prudenter sane, istos, ne hæretica labe infecti putarentur, hæc asseruisse. Ex opposito enim, qui contrarium asserere non erubuerunt, prauæ opinionis, & in fide nutantes, iure æstimati sunt. Quorumdā cōfessio.

3 Quo etiam anno, vel proximè præcedenti, Simon ille Anglicus, de quo superius circa ann. 1165. dictum est, duodecimum agens annum, parentibus relictis, mundi pompis, ac re familiari neglectis, in solitudinem secessit, in concauo quercus trunco (a quo StoKij nomen aucupauit) Deo vacaturus. Ita habetur ex Officio eiusdem Beati Simonis, de quo eo loco diximus, a ducentis annis & supra scripto, scilicet, sub anno 1435. *lectione quarta*. Quid vero eo loci ageret Simon ex eodem Officio, & eadem *lect.* 4. hæc elicimus: *Ab hominum commercio separatus, tanto copiosius mentem pauit cælestibus contemplationis delicijs, quanto parcius corpus fouit terrenis alimentis. Eo liberius habuit Sanctorum communionem, quo rarius cum hominibus colloquium. Ieiunijs adeo deditus erat, vt aquæ frigidæ tantummodo potu, herbis, radicibus, & pomis siluestribus cibis vteretur. Quem vitæ rigorem leniebat nonnumquam Deus canum ministerio, qui statis diebus ad Simonem accurrentes panem ei, vnde ieiuna membra refocillaret, afferebant. Sedebat solitarius in arbore, orabat assiduus, profunda fundens suspiria, dormiebat rarissimè, & carnem vepribus constrictam, spinarum verberibus subijciebat spiritui.* Antequam autem Eremum pergeret, a parentibus litterarum studio, etiam septennem, traditum fuisse, & in cultu Deiparæ exercitatum, tradit Segerus Pauli *in chronolog B. Simonis sub ann.* 1171. Multa his similia affert ex Lelando Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ ætate* 13. De B. Simone.

Ann. Christi 1179 Alexandri 3. Roman. Pont. 20. Friderici Barbarossæ Imperat. 25. Emmanuelis Imp. Orient. 37. B. Berth. Gen. 39.

1 PRæcipuum, & fermè vnicum Ecclesiæ negotium, quod hoc anno, solicitante Papa Alexandro, agebatur, Synodus erat Romana Lateranensis Generalis, cui interfuerunt 300 numero Episcopi: in qua multa contra corruptelas, prauasque consuetudines, nouasque hærese, sviginti septem capitibus decreta fuerunt. Ex Syriæ partibus illuc conuenerant, Vuillelmus Tyriensis Archiepiscopus, Alber- Synodus Lateranensis.

tus Bethlehemita Episcopus, Heraclius Cæsariensis Archiepiscopus, Radulphus Sebastenus Episcopus, Iotius Acconensis Episcopus, Romanus Tripolitanus, Petrus Prior Ecclesiæ Dominici Sepulchri, & Raymundus Abbas Ecclesiæ Montis Sion. Tyrius *lib. 21. cap. 26.* Sigonius, Rogerius. & Baronuis *sub hoc anno*.

Quæ gesta in Synodo.

2 Horum Syriæ, & Palestinæ Prælatorum ad hanc Synodum Conuentus potuit occasionem præbere his quæ dicemus anno sequenti de Confirmatione nostri Ordinis, saltem per Alexandri Papæ tacitum consensu facta. Ex eorum namque fide, & oretenus relatione, de nostrorum in illis partibus, & ipsorum Diœcesibus commorant um sancta conuersatione, ac Regulari obseruantia, Pontifex instructus, merito potuit in hoc illis annuere. Acconensis maximè Episcopi Iotij, quod hæc Ciuitas Carmelo proxima sit, & Tyrensis Archiepiscopi Metropolitani, testimonia, ad intentum haud leuis ponderis essent. Quid si dicamus cum nonnullis, Albertum illum Bethlehemitanum Antistitem ex nostris primum Eremitis fuisse, vt propterea Albertus *Eremita*, & Palestinæ *Eremita* ab illis nuncupetur, prout vidimus sub anno 1171. Sane si hoc ita fuit, id solum satis esse posset, vt Institutum nostrum Papa approbasset, quod ab Episcopo qui id genus viuendi experimento nouerat, commendatum viderat. Accedit, quod, cum, iuxta dicta superius sub anno 1142. Patriarcha Aymericus eam quam circa nostros reformationem, seu restitutionem eo tempore ceperat, Apostolica auctoritate firmari desiderasset, nulla procul dubio congruentior occasio, vt voti compos esset desiderare posset, quam Generalis Synodi congregatio Papa præsente celebrata. Merito proinde eo tempore de ea re actum suspicari haud leuiter possumus. Eo vel maxime, quod multa circa Regularium Ordinum Professores in hac Synodo gesta grauis Author Matthæus Paris *sub hoc anno* commemoret, pleraque etiam in Appendice ad hoc Lateranense Concilium notentur *in part. 2. tomo 3. Conciliorum* Seuerini Binij.

Quid de confirmat. Ordin.

3 Sed qua de causa, (inquiet quispiam) non hoc anno, sed sequenti, Ordinem a Papa confirmatum dicemus, cum hoc anno Synodus celebrata sit, non autem in proxime sequenti. Cui facile obuiam imus primo asserentes, non defuisse aliquos id negantes, vt videre est in Baronio *sub hoc anno*. Deinde esto presenti anno celebrata Synodus fuit, quia tamen hæc confirmatio non in sequenti nostris Religiosis forsan innotuit, ideo sequenti anno res attributa. Vt vt res fuerit, licet ex traditione Religionis, exterorumque testimonio, constet, Ordinem ab Alexandro Papa confirmatum, annus tamen quo id actum est, non est omnino compertus, sicut nec confirmationis modus; cum propter Terræ Sanctæ destructionem, Carmelique Cœnobii combustionem, Ordinis monumenta, proh dolor, cum tota Palęstina perierint. Solum ergo opinionem aliquorum sectantes præfatam Ordinis confirmationem sequenti anno factam dicemus.

Actum

4 Actum etiam est in hoc Concilio contra errores Catharorum, seu Patarorum, qui in Tholosæ partibus sua peruersitate Christiano populo perniciem afferebat. Horum autem Catharorum hæreses latè ac doctè refert, & refutat Guido noster *in summa de hæresibus fol. nobis 73.* per 14. capita, vbi 14. etiam ipsorum errores falsitatis redarguit. Damnantur ergo in hac Synodo ipsi defensores, & receptatores ipsorum. Quæ alia gesta.

Ann. Christi *1180*. Alexand 3. Rom. Pontif. *21*. Frideric. Barbarossæ Imper. *26*. Emman. Imper. Orient. *38*. B. Berth. Gen *40*

1 QVod præcipue sub hoc anno Summum Pontificem Alexandrũ, & totam Dei Ecclesiam premere videbatur, illud erat, quod Saladinus Turcarũ potentissimus Princeps gladiũ suum contra Sanctam Ciuitatem Hierosolymam, totamque Christianitatem in Syria commorantem, euibrabat. Pontifex propterea litteris ad Christianos Principes, nec non ad vniuersos Catholicæ Communionis Antistites datis, eos ad subsidia Terræ Sanctæ ferenda exhortabatur. Is autem Saladinus hoc fermè tempore partes Sydonienses ingressus magnam ibi stragem exercuit, nec cum paruo damno Christianitatis, aut nostrorum Eremitarum illas partes habitantium. Tyrius *lib. 21. cap. 28.* Rogerius, & Baronius *sub hoc anno*. Huius anni gesta.

2 Quo etiam anno, iuxta dicta in proxime præcedenti, Ordo noster ab Alexandro 3. Papa confirmationem accepit. Constat id ex Ioanne Palæonydoro *lib. 3. cap. 2.* referente Petrum Raymundum, et Ioannem Grossi Generales. Affirmat autem Palæonidorus Alexandrum confirmasse Regulam Ordinis ab Alberto traditam. Sed in hoc decipitur, cum Regula Alberti eo tempore in Ordine non viguerit, vt diximus sub ann. 1171 Nomine ergo Regulæ intelligi oportet Ordinem ipsum, vel Regulares Ordinationes, quas ab Aymerico accepta eo tempore obseruabat, de quibus sub anno 1141. diximus. Ordinis Cõfirmatio.

3 Eo etiam sensu accipiendus est Ioannes de Malinis Palæonydoro vetustior, dum *in Speculo historiali cap. 7.* scribit, Alexandrum Tertium Ordinis nostri Regulam confirmasse, & approbasse anno Domini 1180. Pariter etiam Ioannes de Cimineto *in Speculo Ordin. cap. 5.* dum astruit Alberti Regulam confirmatam fuisse ab Alexandro Tertio eodem modo intelligendus. Quod autem ibi asseritur, anno Domini 1161. id contigisse res sane incomperta, cum communior opinio sub hoc anno id referat. Simili etiam modo vsurpandum quod dicit Anonymus M S. de inceptione Ordin. Carmelit. Bibliothecę Rom. Ducis Altemps, videlicet, Alexandrum Tertium Pontificatus sui anno 21. (qui est iste 1180) approbasse pro nostris Alberti Regulam. In eumdem quoque sensum trahendus Ioannes Authores.

Grossi,

Grossi, dum *in viridario Ordinis Claui* 2. profert Alexandrum Papam natione Thuscum Regulam Alberti confirmasse. Clarius de exteris rem attigit Eminentiss. Cardinalis Bellarminus in sua Chronologia sub hoc anno sic dicens: *Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro Tertio anno 1180. Item ab Innocentio Tertio anno 1199. Item ab Honorio Tertio an. 1216. Mitigatur ab Innocentio Quarto anno 1248.* Idem amplectitur Illustrissimus Archiepiscopus Rodericus *Acuña 1. p. decret. cap. generalis distint.* 54. *Confirmata est Regula Carmelitarum vna cum Religione ab Alexand. 3. anno* 1180. Et Petrus Oxeda Iesuita, *in tractatu de Conceptione Virginis fundam. 1. cap. vlt. §. Tercera.* Et fauent vniuersi, qui Alexandrum Tertium Ordinis Confirmatorem vocant; cum iuxta magis receptum historicorum calculum hoc anno id contigerit. Ex quibus doctissimus Ioannes Trithemius *in lib de laudib. Carmelitar.* hæc habet. *Postquam fratres huius Religionis in Europam venerunt multi Summi Pontifices Ordinem ipsum confirmarunt, de quibus Alexander Papa Tertius vnus extitit.* Sequuntur, & alij Ordinis historici, specialiter Thomas de Iesu *de varijs Regulis Carmelit. lib. 3. cap. 2. § si vero.* Aymerici autem Antiocheni Patriarchæ Ordinis Promotoris, & Protectoris instantia, accedentibus Terræ Sanctę Prælatorum votis, qui anno proxime præcedenti Lateranensi Synodo affuerunt, id factum credi sub anno præcedenti diximus: vbi etiam rationem, cur certus annus nobis ignotus sit, sicut etiam, & modus confirmationis, assignauimus. Nec rei veritatem, ex Registris Vaticanis venari possumus, libri enim epistolarum ipsius, sicut & alter, qui *Consulta Alexandri* nominabatur, quod valde dolendum est, perierunt, vt habent Henricus de Gandauo *lib. de viribus illustribus*, & Baronius *sub anno sequenti*.

Boamundus.

4 Circa idem tempus in Antiochiæ partibus Princeps Boamundus, occasione pellicis, quam, relicta legitima vxore, superduxerat, reprehensus, & anathemate perculsus in Aymericum nostrum Promotorem, & in ipsas Ecclesias, & Monasteria, Sacraque loca sæuiens omnia perturbabat. Tyrius *lib. 22. cap 7.* Quo & ipsi Domino Aymerico, nostrisque fratribus, ipsorumque Monasterijs, seu Eremitorijs, sub eius clientela in illis partibus existentibus, non exigua afferre potuit incommoda.

Amalrici mors.

5 Eodem pariter tempore, Amalrico Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarchę viam vniuersæ carnis ingresso, substitutus est Heraclius Cæsariensis Archiepiscopus. Tyrius *lib. 22. cap. 5.* Bàronius *sub hoc anno.* Infęlicis sanè memoriæ, quippe Sanctæ Ciuitatis, & totius ferme Palestinæ desolationem, quæ suo tempore contigit, proprijs oculis videre potuit, vt ex dicendis constabit. Horum autem Patriarcharum successio nostris Annalibus inserenda fuit, vt falsam plurium Chronologiæ Scriptorum sententiam circa huius Heraclij obitum, & verum tempus quo Albertus nostræ Regulæ compilator Patriarchatum ascendit, demonstrare possimus.

Ann.

Ann. Christi 1181. Alexand. 3. Rom Pontif. 22. Friderici Barbarossæ Imper. 27. Alexij Imper. Orient. 1. B. Berthol. Gen. 41.

1 SEquenti anno 1181. Alexander Papa post Pontificatus sui dignissimam functionem, ex hac vita migrauit 22. sui Pontificatus anno, & propinquior cœteris S. Petri Pontificatui. Successorem habuit Lucium Tertium, natione Etruschum, patria Lucensem, Humbaldum antea dictum. Honuphrius, Baronius, & Gordonus *sub hoc anno*. Mortuo etiam Emmanuele Orientis Imperatore, successit filius Alexius Comnenus annorum duodecim sub tutela matris. Nicetus *in Alexio*, & alij. Alexandri Papæ mors.

2 Celebris B. Cyrilli montis Carmeli eo tempore Eremitæ, de quo sub anno 1173. dictum, historia, hoc anno describenda occurrit, qua constat ipsum S. Basilij Cæsariensis Antistitis reuelatione noctu sibi facta excitum Armeniam prędicandi Euangelij causa perrexisse, Regemque cum subditis Lucio Papæ, & Ecclesiæ subiecisse. Eam ex Arnoldo Bostio *in specul. histor. cap. 7.* sic hausimus. *Mox eum Deus mirabili gratia perfudit: nam paucis annis euolutis dum somnum caperet B. Cyrillus nimio primum cum splendore terruerat, quem postquam sine trepidatione sustinuisset, mira dulcedine captus orare cœpit. Itaque videndi auidus caput eleuans hinc inde respexit, & ecce lumen æthereum quod acies humana non pertulit, virum iuxta se stantem, grandæuum, ac multa maiestate venerandum conspexit. Non fuit necesse nomen eius percunctari, quia religiosus habitus caput infula decoratum, cum & Græca facundia magni Basilij Episcopi indicium præferebat, qui dixit, se à Deo missum, & viro Dei iniungendum, qui semper sui nominis amantissimus fuit, vt in Armenia verbum Dei prædicaret, cuius linguam nuper in Ciuitate Constantinopoli didicerat, & continuo inter alia subiunxit. Dilectus es à Deo ex millibus, & in hoc sæculo, & in futuro maximè honorandus; vbicunque igitur tibi visum fuerit fidem fige, vt per Armęniam prædicando, lucernam Christi accendas. Quod cum S. Cyrillus B. Brocardo & alijs Patribus indicasset, dederunt ei socium fratrem Eusebium, & versus Armęniam miserunt, qui decem annis ibidem prædicauit, & totum Regnum ad Christum conuertit, qui interim Regi, & eius militibus persuasit, vt D. Papæ se subijcerent. Quod & fecit, & ex tunc tota Armęnia cum Episcopis, & subditis Lucio Papæ 3. se subiecit. Missis namque Legatis rogat sibi verum ritum sacrificandi, & subditos regendi Romano more ministrare, eo quod in ijs cum Græcis discreparet. Papa libenter petita faciens, Missam coram eis in festo dedicationis Ecclesiæ S. Petri, quod in octaua S. Martini colitur, vt diligenter addiscerent monendo Armęnos celebrauit. Quorum vnus, qui fuit Episcopus, solaris fulgoris radium, & in ipso duas columbas ascendentes, & descendentes super caput Papæ aspexit, vnde ad subiectionem magis animatus hoc D. Papæ indicauit,* B. Cyrilli historia.

indicauit, Qui non hoc suis meritis, sed vt ipsi agnoscerent Sacramentorum virtutem, veritatis luce perfusus factum esse affirmabat, & eis Canones veræ fidei Catholicæ exhibuit. Eandem historiam ex Ioanne Palæonydoro *lib. 3. cap. 4.* sic habemus. *Alicuius temporis interuallo vidit per quamdam noctem virum aspectu eximium venerandum, iuxta se stantem capite infulatum, & dicentem. Ne timeas Cyrille, sum enim Basilius Cæsariensium Pastor, veniens hæc tibi denunciare a Deo, quatenus in Armeniam pergens, verbum Dei illic prædices, & lucernam Christi accendas. Qua visione Priori manifestata, de illius licentia cum fratre Eusebio in Armenia Dei semen spargens, Deo cooperante, sequentibus signis totam Armeniam ad fidem Christi conuertit. Ex tunc suasione Cyrilli Rex Armeniæ cum omnibus Episcopis, & subditis suis anno Domini 1181. Lucio Tertio Papæ se subiecit.* Eamdem historiam, paucis mutatis, referunt Ioannes Balæus, etsi malæ fidei author, in historijs tamen Ordinis nostri versatissimus, *in Catalogo Scriptorum Brittaniæ Centur. 2. post Thomam Monemutensem*, Centuriatores Magdeburgenses simili fuligine tincti *centur. 12. cap. 10.* Autores Theatri vitæ humanæ *volum. 5 li. 4. pag. 1337.* Laurentius BeierlincK *tom. 6 lib. 14. verbo Propheta*, Vita ipsius Beati Cyrilli in legenda Sanctorum Nicolai Manerbij Italice *anno* 1630. Anonymus quidam Gallice doctus eiusdem Sancti Cyrilli vitam colligens ex antiquis Carmelitarum Chronicis, Bartholomeo Pisano, & Mantuano; alij quoque Ordinis historici. De quo clarissimus Poeta Baptista Mantuanus in 3. *tomo fastorum lib.* sic

Tu vero venerande Pater, per Medica cum iam
Regna, per Armanias vrbes, Parthosque per omnes,
Vndique sparsisses diuini semina Verbi,
Attritus grauitate æui grauitate laborum
Ad stata perpetuæ migrasti gaudia vitæ.

Qualis sit hæc Armæniæ côuersio

3 Conijce, hanc Armæniorum conuersionem, de qua modo, diuersam esse ab illa, de qua Baronius *anno* 1145. post Onuphrium eodem etiam anno, & nos quoque ibidem. Hæc enim Regis, & subditorum fuit, & sub Lucio Tertio; illa vero Metropolitani, & Episcoporum, ac sub Eugenio Tertio: fortassis etiam illa negotium inchoauit, nostrorum quoq; opera, vt eo anno diximus, hæc vero perfecit. De ea autem Genebrardus *lib. 4. Chronolog. in Pontific. Lucij 3.* Ciacconius *de vitis Pontificum in Lucio 3* etsi Cyrillum eius Authorem non commemorent, sed quod ipsi ieiunè descripserunt, ex nostris, & alijs Scriptoribus, supplendum est.

Baronij sententia.

4 Occurrunt sub anno hoc Eminentissimi Cardinalis, & grauissimi Authoris Baronij verba, quæ de Ordinis nostri origine, & antiquitate scripsit. Pressius examinanda, & exponenda, ne Scriptoris authoritate, quę superius adstruximus labefactentur. Quo nec ipsi iniuriosi, nec alijs exosi, cum nostra tueamur, a quopiam censebimur. Sic autem sub hoc anno §. *Antequam ab Alexandro* scriptum reliquit, *Constantior illa videtur assertio,*

quod Ordo Religiosorum Carmelitanorum, qui in Palestina in ipso Carmeli monte fixere sedes, sub eodem Alexandro Rom. Pontifice sumpsit originem, quoto autem anno eius Pontificatus habetur incertum. Horum autem Promotor, propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente Legatione Apostolicæ Sedis Aymericus Patriarcha Antiochenus, qui considerans quam plures ex Occidente qui venerant vitam Eremiticam acturi in Terra Sancta, hinc inde dispersos, expositos Barbarorum incursibus, collegit eos in vnum, duxitque in montem Carmelum Eliæ habitatione egregiè olim nobilitatum. Fuere ista principia, ex quibus, vt ex parua scaturigine flumen, immensus est auctus cætus Religiosorum virorum. Hęc Baronius. Sed nos menda quæ in ipsa irrepsisse videntur (bona ipsius gratia) excutiamus. *Constantior*, inquit, *illa videtur assertio*. Hic sistamus; Quomodo *constantior*, quæ constans non est? Quomodo enim constans, quæ, si ab aliquo recipitur Authore, statim repudiatur? Cuius exemplum in doctissimo viro Genebrardo conspicitur, qui cum *lib.* 4. *Chronolog. circa ann.* 1182. Baronij placitum sequutus fuerit, dicens: *Ordo Carmelitarum, qui tunc variegata chlamyde induebantur, initium habuit in desertis Syriæ Almerici Antiocheni Antistitis opera*, palynodiam proxime canens, subiunxit: *Sed eorum origo altius repetenda est, nempe a Prophetis Elia, & Eliseo, qui Carmelum montem Terræ Sanctæ primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura filios Prophetarum appellat.* Quomodo etiam *constantior*, vel etiam constans *aßertio* vocari poterit, cuius aduersam partem Summi Pontifices in suis diplomatibus constanter recipiunt? Hos in primo tomo referimus; Sunt autem Sixtus Quartus in Bulla, *Dum attenta meditatione pensamus*, quę est Mare magnum Religionis, sub anno 1476. vbi Carmelitas vocat *Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes*. Et in alia Bulla eiusdem initij sub anno 1477. vbi hæc, *Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Elisei, & Enoch, nec non & aliorum SS. Patrum, qui montem Sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hęreditariam tenentes.* Quam etiam approbauit, & innouauit Iulius Secundus, in Bulla *Ad Sacrum Ordinem*, anno Incarnationis 1504. Eadem verba quæ Sixtus Quartus habet Gregorius 13. in Bulla *Vt laudes* anno 1577. His Pontificibus iungitur Clem. 8. qui in epistola ad Sciahabam Persarum Regem, quæ habetur apud Franciscum de S.Maria *in histor. Prophet. Hispan. lib.* 1. *cap.* 10. & *in historia Pontificali*, Doctoris Babiæ, sic habet de Carmelitis: *Habuerunt olim Religionis huius professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui Instituti authores SS. Prophetas Eliā, & Eliseum, omnibus nationibus, & gentibus notos.* Quibus iunguntur antiquissimi Pontifices Leo 4. Hadrianus 2. Sergius 3. & Alexander 2. Gregorius 7. & alij, qui vt tomo præcedenti asserimus, Indulgentias Ordini concesserunt. Pro qua re videatur Petrus Vastellius *in apologet. pro Monachism. Ioann. in Carmelo cap.* 22. vbi hæc verba Baronij examinat.

5 Tandem quam parum constans, ne dum *constantior*, Baroniana Notatur in sententia Baronij.

hæc assertio sit, de prima Carmelitici Ordinis sub Aymerico origine, satis comprobant, quæ in superioribus retulimus circa ann. 1142. & quæ pro Patriarchatu Eliæ in totam Monasticem, eam præsertim partem, quæ Carmelum incoluit, in toto primo, secundo, & tertio tomis scribimus, ac denique singula ferme ex ijs, quæ hoc quarto tomo ab anno 1141. præsertim de Eremitorijs vel Cœnobijs nostrorum diximus. Vnde ea omittimus.

Anno Christi 1182. Lucij 3. Rom. Pontif. 1. Friderici Barbarossæ Imper. 28. Alexij Imper. Orient. 2. B. Berth. Gen. 42.

Lucij Papæ gesta.

1 O anno inter præcipua gesta Papæ Lucij Tertij id referendum, quod Vuillelmum Scotiæ Regem ab excommunicationis anathemate, & Regnum ipsius ab interdicto, quod incurrerant, non consentiendo electioni, & consecrationi cuiusdam Joannis Episcopi absoluerit: inter ipsum tamen Ioannem, & alium Episcopum discordię natę, quę vix anno sequenti consopiri poterant. Rogerius, Baronius, & Gordonus *sub hoc anno*.

Maronitarũ conuersio.

2 Hoc anno, vel paulo ante, ad nostrum illum eximium reformatorem Aymericum, Maronitæ (natio est Syrorum in Phœnice Prouincia circa iuga Libani habitans) iam olim per annos pene quingentos Maronis hæresiarchę errorem secuti, accesserunt, & abiurato errore, ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt, fidem orthodoxam suscipientes, parati Romanæ Ecclesię traditiones cum omni veneratione amplexari. Ita Vuillelmus Tyrius *lib. 22. cap.* 8. Quæ eo libentius in gratiam insignis nostri benefactoris Aymerici retulimus, quo in præmium restauratæ Marianæ, & Elianæ Religionis a Diuina prouidentia talem gloriam accepisse iure credimus.

Lucij Papæ Indulgentia.

3 In hunc annum; vel circiter, referenda gratia, vel Indulgentia a Papa Lucio nostro Ordini concessa. Ea vero, prout ex Sixto Quarto in Bulla, *Dum attenta*, anno 1477. Iulio Secundo, in Bulla, *Ut laudes* 1577. habetur, fuit vt nostras Ecclesias visitantes certis diebus consequerentur remissionem leuium peccatorum, offensarum parentum, negligentiarum votorum fractorum (dum tamen fractor ad vota rediret) & male acquisitorum, si nescitur cui restitui debeat, dummodo prædictis locis, seu illorum Conuentibus assignentur. Intelligitur autem hæc gratia, seu indulgentia de remissione, non quidem culpæ, cum hæc non nisi per pœnitentiam remittatur, sed de remissione pœnę temporalis debitæ propter culpam iam remissam.

Ann.

Anno Christi 1183. Lucij 3 Rom Pontif. 1. Friderici Barbarosſę Imper 29. Andronici Imper. Orient. 1. B. Bert. Gen. 43.

1 Rtum eſt ſequenti anno graue diſsidium inter Pontificem Lucium, ac Ciues, Romanos. Cum enim Papa conſuetudines quaſdam ipſorum obſeruare noluiſſet, rapinas, & incendia propterea in Eccleſiæ patrimonio exercere cœperunt. Affuit Pontifici fugienti Chriſtianus Moguntinus Archiepiſcopus Romanos compeſcens, & debita pœna puniens. Quem tamen ipſi dolo, & fonte venenato cum pluribus alijs interfecerunt. Rex Angliæ idcirco Papę ſuppetias ferens, in cauſa fuit, vt pax illi, & Eccleſiæ redderetur. Rogerius, & Baronius *ſub hoc ann.* Diſsidium Romanorū.

2 Hoc fermè tempore horrenda nimis ſacrilegia in Gręciæ, & Conſtantinopolis partibus, contra Deo ſacratas perſonas, Monachos præſertim (quorum plures Eliani inſtituti credi debent) a Gręcis perpetrabantur. Cum enim pio Imperatore Emmanuele defuncto Andronicus Tyrannus Imperium inuaſiſſet, Vrbemque cum copijs ingreſſus eſſet; ex, Eccleſias, & loca venerabilia ſuccendentes, Clericos, & Monachos, exquiſitis cruciatibus perimentes, Ioannem S.R.E. Cardinalem decollantes, &c. atrociſsimè deſęuiebant. Alij etiam, quibus iniuriæ irrogatæ cernebantur, non modica claſſe in Græcos exardeſcentes, ne dum ipſos, ſed & Monaſteria, & Monachos in maris littore, & inſulis commorantes, armis peruadentes, iſtos peremerunt, illaq; igne cremarunt. Tyrius *lib. 22. cap. 12* & 13. Sacrilegia cōtra perſonas ſacras.

3 Speciali Dei prouidentia, tanquam Loth e Sodomis, Cyrillus noſter e Bizantio eductus, in Armeniæ partibus prædicationi Euangelij hoc tempore operam nauabat. Maximas, vt credi par eſt, Deo, & Virgini Matri referens gratias, quod ipſum e tanto periculo, in quo Patria, Monachi, & Sacerdotes poſiti erant, eripuiſſet, & ad Carmeli Ordinem traxiſſet. Mente piè retinere poterat reuelationis ſibi a B. Virgine factæ dum Carmeli iuga conſcenderat, de qua in ſuperioribus diximus, verba illa: *Hic tutus eris*: quæ non incongrue ei dicta fuiſſe, nedum propter ſpiritualis ſalutis ſecuritatem, ſed etiam quia tot mala, quæ hoc tempore Conſtantinopoli accidebant, Dei gratia effugerat. B. Cyrillus.

4 Circa hoc tempus Elianum illud noſtrorum Monachorum in Thabore Monte ſitum Cœnobium, de quo circa annum 1141. diximus, à Turcis Saladini militibus potenti manu aggreſſum eſt; fruſtra tamen ex ea ſaltem parte, qua maius extabat Cœnobium, prout conceptis verbis ſic exprimit Vuillelmus Tyrius *lib. 22. hiſt cap. 26.* Loquitur autem de Saladini exercitus militibus. *Nonnulli vero ex eiſdem in montem Thabor (quod prius fuerat inauditum) aſcenderunt, & Monaſterium Græcorum, quod dicitur Sancti Eliæ, pro libero tractantes arbitrio, ipſum etiam maius Cœnobium effringere* Montis Thabor Cœnobium.

gere tentauerunt, sed receperant se infra septa Monasterij, quæ muro, & turribus erant vallata, tam Monachi, quam eorum vniuersa familia; & de viculis nonnulli finitimis, eos qui in montem ascenderant hostes, ab vniuerso Monasterij ambitu viriliter abegerunt. Ex quibus Vuillelmi verbis elici videtur in eo monte duo Cœnobia sita, alterum Græcorum sub S. Eliæ titulo quod male à Turcis hoc tempore tractatum dicit, alterum quod *maius Cænobium* appellat, quod Latinorum fuisse auctumamus. Illud nostrum erat, hoc autem cuius Ordinis fuerit nescimus.

Eius Cœnobij Eremita. 5 Inter alios huius Eliani Thaboris Cœnobij habitatores, vel saltem eius montis Eremitas, computandum suspicamur, eum, quem Gerardus à Nazareth *de conuersat. seruor. Dei cap. 3.* & Centuriatores Magdeburgenses *centur. 12. cap. 6.* referunt; qui in Septentrionali latere Montis Thabor in specu latens, solo pane, & aqua, pomis, herbisque crudis vixerit, ac quotidie totum Psalterium recitauerit. Hunc Gerardus ipse sibi notum vita, & habitu Monachum dicit.

Anno Christi 1184. Lucij 3. Rom Pont. 3 Friderici Barbarossæ Imper 30. Andronic. Imper Orient 2 Beat. Berthold. General. 44.

Papæ acta. 1 ERat hoc anno Pontifex Veronæ, congressum cum Friderico Imperatore expectans. Vbi Nuncios a Rege Angliæ illi missos causa pacis inter Imperatorem & Ducem Saxoniæ, audiuit & iuxta eorumdem placitum fecit. Baronius, & Gordonus *sub hoc anno.*

Terræ Sanct. pericula. 2 Eo tempore Terræ Sanctæ negotia in magno discrimine posita erant, vt propterea nostris Eremitis per totam illam regionem dispersis causa fuerit haud exigui timoris: nec inanis, vt ex dicendis constabit. Iordanis enim Regio, Berithus, & sancta Nazareth Ciuitas, ac perinde horum locorum Eremitæ pluribus ex Turcarum incursionibus damnis toleratis, adhuc maiora sibi imminere metuebant. Idcirco Hierosolymitanus Patriarcha Heraclius, Prior Hospitalis, & Magister Templi ad Gallorum Regem Philippum pro ope postulanda claues Vrbis Ierusalem, & S. Sepulchri Domini secum gestantes, venire decreuerunt. Marinus Sanutus *de secret. fidel. Crucis lib. 3 par. 9. cap. 4.* Quid rei euenerit in sequentibus dicemus.

B. Cyrilli prædicatio. 3 Interea, iuxta dicta in præcedentibus, B. Cyrillus noster in Armenia fidem Christi Ethnicis prædicabat. Ita enim ex testimonijs plurium authorum ibidem quos retulimus, habetur. Quæ autem ibi specialia egerit in Regis, & populi ad fidem conuersione nullus eloquitur. In prædicta tamen ipsius B. Cyrilli vita eo loco relata, & in Manerbsj opera inserta ita reperimus scriptum ex Italico sermone Latinum factum. *Ibi constanter, & intrepidè, Euangelium Christi prædicans, varijsque miraculis confirmans,*

totam

totam simul Prouinciam cum Rege, & Episcopis Apostolicæ Sedi in qua tunc Lucius Tertius sedebat subijci fecit. Ex quo habetur tempore quo prędicationi Euangelij in Armęnia operam dabat signis, & miraculis effulsisse. Vix enim alio modo tanti populi conuersio fieret.

3 Claris viris hoc æuo in Religione fulgentibus, Bertholdo Generali, Brocardo successori, & Cyrillo, de quo in præsenti, annumerandus est frater Eusebius eiusdem Cyrilli socius & Collega. Hic, vt, vel ex ipso nomine constat, Græcus fuisse videtur. Cum autem prædicationi in Armęnia Euangelij faciendæ commilito a B. Cyrillo præelectus fuerit, eidem virtute, & doctrina non absimilis credendus. Illi, montis Neroi Præposito idem Pater Cyrillus, dum Generalis Ordinis esset, librum nuncupauit de institutione, & gestis Carmelitarum, qui in Codice *Speculum Ordinis* vocato *lib.* 8. continetur. Regulam quoque ab Alberto scriptam eidem transmisit, vt dicemus suo loco. Reliqua autem ipsius gesta, & quo tempore cursum viuendi fecerit vsque modo nobis incomperta. Hæc modo sufficiant vt eum inter claros huius tempestatis Carmeli viros æstimemus. Titulo *Beati* eum aliqui vocant: at nos Sedis Apostolicæ obedientiæ addicti ipsius iudicium in his titulis concedendis expectandum censemus. Eusebius.

Anno Christi 1185. Lucij 3 Rom. Pont. 4 Friderici Barbarossę Imperat. 31. Andronic Imperat. Orient. 3. B. Berthold. Gen. 45.

1 FVit hic annus vltimus vitæ Pont. Lucij 3. succedēte Vrbano 3. Oriētalium enim rerum curis oppressus, obijt Veronæ ad finē huius anni. Gordonus, & alij *hic*. Vltimus etiam fuit vitæ Andronici Imperatoris Græcorum; cum enim omnium in se odium concitasset, a populo trucidatur, Imperium capessente Isaacio Angelo. Nicetas, & alij Græci. Obitus Lucij Papæ.

2 Terra Sancta, nostrorumque fratrum grex sub B Bertholdo Pastore in ea regione existēs; cum Hyerosolymorum Patriarcha Heraclius ad Regem Angliæ, & Tyrensis Archiepiscopus Vvillelmus ad Gallorum Regem, pro subsidio postulando accessissent, hac spe eo tempore contra Saladini insidias toti regno vastationem minantis, confortari poterant. Sed humanum auxilium sero semper venit, nisi diuinum concurrat, pro vt in hoc euentu effectus ipse palam notificauit. Terræ Sanctæ status.

3 Conuentus Ciuitatis Soteræ Diœcesis Agrigentinæ in Regno Siciliæ sub Vrbano isto, Roman. Pontif. erectus comprobatur, in relatione eius Conuentus ad Innocentium Decimum Papam proposita: ex nonnullis vetustatis vestigijs, quæ in ipso cernuntur; ac maximè ex inscriptione, quæ habetur in Pixide, vbi Sanctissimum Christi Corpus asseruatur, Conuentus Soterę.

quæ

quæ est *tempore Vrbani 3.* Pertinet ad Prouinciam S. Angeli, & aduocationem habet SS. Virginis Annunciatæ, sicut pleraque alia Siciliæ Cœnobia; ea videlicet de causa, quod Eremitæ nostri, qui Siriæ, & Carmeli mansiones ob Turcarum tyrannidem deserere cogebantur, cum in Nazareth Ciuitate Carmelo proxima Deiparæ Annuntiatæ, veluti eiusdem sanctissimæ Patronæ Sacellani inseruirent, sui muneris non immemores esse, in Europæ, Siciliæ maxime, locis, præmonstrabant: eum titulum, pro thesera veluti, & stemmatibus, Ecclesijs, quæ ipsis donabantur, apponentes, prout alibi diximus, & dicemus.

Albertus Vercellen. Episc.

4 Eodem anno Albertus noster futurus postea legislator, propagator, ac restitutor, ad Episcopatum Vercellensem admirandis virtutibus ornatus assumitur. Ioannes Stephanus Ferrerius *in vita S. Eusebij, & Episcoporum Vercellensium pagina* 177. Cum autem ipsius historia nostris Annalibus, extranea non sit, ideo qualis ipsius prosapia, conuersatio ratioque viuendi, ante Vercellensem Episcopatum fuerit, eiusdem Ecclesiæ Tabulis, apud eumdem Ferrerium, sic describitur. *Fuit igitur vir Domini memoratus de Castro Gualteri, Parmensis Diœcesis, nobili prosapia ortus, qui ab ineuntis ætatis suæ primordijs litterali militiæ mancipatus in liberalibus disciplinis, & humanarum legum scientia coæuos suos breui tempore antecessit. Cæterum, ne inquinaretur a pice si tangeret eam, valefacto mundo, & pompis eius, ad Ecclesiam Mortariensem, tanquam ad salutis portum cum parentibus confugit, vbi cum iam Regularibus disciplinis, diuinæ legis intelligentia, non modicum fuisset instructus, atque in Priorem ipsius Ecclesiæ electus, ne lucerna eius amplius sub modio tegeretur; sed in domo Domini exaltata cæteros illustraret, de ipso Prioratu ad regimen Bobiensis Episcopatus fuit violenter adductus. Inde, paucis euolutis annis, antequam consecrationis munus reciperet, cum ingenti alacritate Cleri, & populi postulatus est in Episcopum Ecclesiæ Vercellensis; quam per viginti fere annorum curricula viriliter gubernans &c.* Cum autem, vt inferius afferemus pro anno 1205. à Vercellensi Ecclesia ad Hierosolymitanam euectus fuerit, iure pro anno hoc eius assumptio ad Vercellensem ponitur.

Quorumdā error.

5 Ex quo facile erroris conuincitur illorum assertum, qui nomine solo Alberti ducti, autumant Albertum Bethlehemiticum illum, de quo superius circa ann. 1176. diximus, Synodo Lateranensi sub Alexandro Tertio astitisse, eumdem cum Alberto Vercellensi esse. Hoc etenim prorsus incredibile esse ex eo conspicitur, quod ille Albertus in partibus Palæstinæ, & Antiochiæ, pro componendo Principe Antiocheno, post reditum è Romana synodo anno 7. vel octauo Regni Balduini, scilicet 1180. vel 1181. apud Vvillelmum Tyrium *lib.* 22. *cap.* 7. reperiatur. Qui ergo fieri potuit vt post modum Regularem vitam professus, Mortariensem Prioratum, Bobiensem, & Vercellensem Episcopatus tam breui obtinuerit? Aut quomodo Vercellensium Tabularum Authores Vercellensium Episcoporum, & sui Alberti vitam, gestaque narrantes, Episcopatum Bethlehemiticum,

&alia

& alia egregia ipsius in Palæstinæ partibus acta non referrent, si ad eum spectassent? Abeat ergo huiusmodi inane figmentum, & veritas elucescat. De hoc ergo Vercellensi Alberto, ea, quæ in sequentibus dicemus, intelligenda erunt.

Ann. Christi 1186. Vrbani 3. Rom. Pontif. 1. Friderici Barbarossæ Imperat. 32. Isaaci Angeli Imper. Orient. 1. B. Berth Gen. 46.

1 HOc sequenti anno Summus Pontifex fuit Lambertus, Mediolanensis Archiepiscopus, Vrbanus Tertius dictus. Qui Veronæ existens, contra Fridericum Imperatorem pro Ecclesiæ iurium defensione laborabat, eo quod rursus Papæ contrarius esse cęperat, conuentumque generalem contra ipsius constituta collegisset. Pontifex ergo contra ipsum excommunicationem parauit, quam tamen distulit fulminandam, rogantibus Veronensibus, ne in ea Ciuitate Imperatori addicta, anathemate eum feriret. Arnoldus Abbas Lucebensis *in Chron. S. Lau. lib. 3. cap. 16. 17. & 18.* Baron. *sub hoc anno*. — Vrbani 3. Pontificium.

2 Pontificē hunc Vrbanum, qui hoc tempore Ecclesiæ claues tenebat, Ordini nostro Indulgentias concessisse astruit Palæonydorus *lib. 3. cap. 2.* sed quæ illę fuerint non explicat. Id etiam Beati Brocardi circiter tempore actum describit: quod vix subsistere potest, cum Vrbanus sub anno 1187. diem suum clauserit; quo tempore Brocardus (vt videtur) non erat electus Generalis. Merito ergo prępositione *circiter* vsus fuit. — Indulgētiæ

3 Metu quoque ac tremore Terra sancta, nostrique eam incolentes Eremitæ hoc anno angebantur, quod cum Patriarcha Hierosolymitanus Heraclius, qui pro subsidio exigendo functus fuerat anno superiori Legatione in Occidentem, vacuus omnino ad propria rediisset, Rogerius *in Annalib.* Baronius *sub hoc anno*. — Terrę Sanct. metus.

4 Circa id tempus, Deo ita prouidente, pro suæ Ecclesiæ bono, quam acriter eo æuo affligi permittebat, ex Iesse & Mariâ Hebręis Hierosolymæ, iuxta B. V. Mariæ fidelem promissionem duæ Carmeli montis oliuæ, duoque candelabra Ecclesiæ Dei splendidissima, sancti Angelus, & Ioannes vterini fratres, mundo, cœloque nati sunt. Id liquet ex ipsorum vita ab Enoch Hierosolymorum Patriarcha eiusdem Angeli in peregrinatione socio anno 1227. descripta, quam dispositione diuina a 100. annis, & supra in manuscripto codice reperit Thomas Bellorosus Panormitanus Apostolicæ Sedis Notarius; & ad Nicolaum Audeth totius Ordinis Generalem tunc temporis, transmisit, qui eam Panormi Typis mandari curauit, pro vt factum est sub anno 1527. & ex Latina Tuscho idiomate transcriptam Ioannes Baptista de la Rosa Panormitanus Canonicus, etiam Panormi anno 1597. Habetur etiam Latina in manuscripto Vaticanæ Bibliothecæ — Ortus Sāct. Angeli, & Ioannis.

sub

sub numero 3813. illamque Benedictus Gononus Cælestinus Monachus Typis iterum mandauit *in tom. de vitis Patrum Occidentalium lib. quarto*; quamque ex peruetusto quodam Codice manuscripto Romæ mirabiliter reperto, & à Reuerendissimo Domino Roberto Berthelot Episcopo Damasceno, & Suffraganeo Lugdunensi excepisse fatetur. Illam recipiunt D. Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum sub die 5. Maij*, Petrus Galesinus *ibidem*. Ioannes Molanus *in additionibus ad Vsuardi Martyrologium in margine*. Abraham Bzouius *tom. 13. Annal. circa ann.* 1220. Ioannes Carthagena *tom. 4. homil. lib. 17. homil. 3.* Lucas Vvadingus *in Annalibus Minorum tom. 1. ann. 1216.* & Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Britanniæ in Appendic. ad Ricard. Eligens. centuria 3.* Quia tamen Codex ille Vaticanus, & is, quem suo operi inseruit præfatus Benedictus Gononus, haud paucis, nec leuibus, mendis scatere conspicitur, propterea non ipsis, sed eo, quem præfato anno 1527. Panormi Typis commisum diximus, semper vtemur, dum de prædictis Sancto Angelo, eiusque germano Ioanne, sermonem instituemus. Quod semel pro semper dictum volumus.

S. Angeli Parentes.

5 In eo autem Codice ab Enoch Patriarcha descripto *cap. 2. & 3.* habetur, Iesse, & Mariam, natione, & Religione Hebręos, de stirpe, & progenie Dauid, ieiunijs, ac vigilijs mirificè vacantes à Deo postulasse, vt de Messiæ aduentu ab ipso illuminarentur; eisque propterea nostram Sanctissimam Dei Genitricem visam, monentem de Christi Aduentu, Baptismate suscipiendo, geminaque prole, Angelo, & Ioanne, in lucem edenda; & quod, eis visioni prædictæ fidem præstantibus, baptismi lauacri, & duplicis promissi pignoris gratia à Deo donata sit. Qui proinde Gemellos aqua baptismali statim regenerari curarint. Reliqua ad eorum vitam spectantia in sequentibus afferimus.

Ann. Christi *1187.* Vrbani *3.* Rom Pontif. *2.* Friderici Barbarossæ Imper. *33.* Isaaci Angeli Imper. Orient. *2.* B Berth. *47.*

Annus lamẽtabilis.

1 Nnus præsens lugubris, & lamentabilis, totique Christiano Orbi mæstitia, & amaritudine plenus fuit. Eo enim tempore vox ab Oriente audita est lugentium, atque lamentantium interfectos populi Dei, Ciuitatemque Hierusalem, & alia Oppida, & Vrbes Terræ Sanctę hostili peruasione vastata, in manus impiorum Turcarum deuenisse. Cum etenim Saladinus Ægyptiorum Sultanus, strenuissimus que Mahumetanæ sectæ Dux, collecta hostium peregrina multitudine, prælio cum Christianis commisso, fusis eorum copijs, de viuifica Cruce, & ipsis, capto Guidone Rege, Episcopis, & plebe Christi, hoc infelicissimo anno triumphasset; Tyberiadem deinde, Acconem, Caypham Cæsaream,

Ioppen,

Ioppen, Nazareth, & cum alijs Ciuitatibus nouissimè Sanctam Hierosolymam, armis occupauit. Constat hæc ex litteris nostri Protectoris Aymerici Antiochensis Patriarchæ ad Angliæ Regem Henricum; quas referunt Rogerius *in Annalibus Anglorum*, & Baronius sub hoc anno, ac ex Sigonio, Blondo, Sabellio, & alijs.

2 Quanta proinde, eaque Summa discrimina nostri Eremitæ eo tempore subierint ex eo liquido compertum manet, quod tota ferme hæc Galileæ Prouincia, quam Barbari expugnando cœperant, ipsorum natiua veluti mansio erat. Primò enim Caypha, & Cæsarea captis, necesse etiam fuit, quod Carmelus ipse inter has Vrbes Mons medius constitutus, totius Ordinis primæuus locus, similes pateretur ærumnas. Etsi enim, vt colligi potest ex Guillelmo de Sammuco *in Chronic. de multiplicat. Ordin. in Specul. Ordin. lib. 9. cap. vlt.* Carmeli Monasterium Barbari tunc non destruxerint, inuaserunt tamen. Deinde, cum Eremus illa mari Galileæ adiacens, de qua sub anno 1141. diximus, nostrorum Eremitarum habitatio esset, eamdem quam tota Regio calamitatem perpeti opus erat. Ex nostris præterea illi, quos Galileæ montana incoluisse diximus *eodem sub anno*, eiusdem tribulationis debuerunt esse participes. Idem de Eremitis Carmeli Sacrosanctæ Nazarethę Domus antiquæ Ordinis possessionis obsequio addictis, asserendum iure venit. Idipsum pariter de alijs Acconem, & alia capta, & expugnata loca, vel ipsis Eremis adiacentes, habitantibus, affirmari oportet. Carmeli euentus.

3 De nostris autem Hierosolymitani Cœnobii Eremitis non eque iudicandum videtur. Etsi enim eos, qui Latini, vel Occidentales ex ipsis erant, Turcarum impietate peremptos autumemus, non sic tamen de illis, quos Græcos, Syros, vel Orientales ex nostris hoc sæculo fuisse credimus, existimandum. Constat namque ex vita Sancti Angeli, quam sub præcedenti anno retulimus, post captam à Turcis Sanctam Ciuitatem, Ordinis nostri Cœnobium, vbi ipse Angelus, & Ioannes gemelli, nomen Religioni dederunt, domum nempe Sanctæ Annæ, in qua Dei Genitrix Virgo nata, vel concepta tradebatur, remansisse: quod mirè confirmant plures exterorum historiæ, dum asserunt Saladinum Hierosolymæ expugnatorem solis Latinis expulsis, Græcis, Syris, Armænis, & alijs Orientis Christianis loca in Vrbe concessisse. Sic enim expresè habent Ioannes Heroldus *in continuatione historia Belli Sacri, lib. 1. cap. 7.* & Henricus Pantaleon *in histor. Ordin. Ioannit. Rhodior. lib. 2. sub hoc anno.* Ordinatum autem à Saladino dicitur, vt in gratiam Imperatoris Græcorum (cum quo suspecta erat familiaritas) in omnibus Ecclesijs Terræ promissionis, secundum ritum Græcorum Dei cultus fieret, vt scribit Balduinus Conradus *in epist. ad Cantuaria Archiepiscopum*, quam refert Baronius *sub hoc anno.* Ex quo pariter contestandum, ex alijs etiam nostrorum mansionibus solum Latinos eiectos, non autem Syros, Græcosve, aut Orientales: ea tamen lege, vt secundum Græcorum ritum Ecclesijs seruiretur. Hierosolymit. Cœnobij

N Meritò

Fratrum mors. 4 Meritò proinde, hoc eodem anno, eaque sæuissima Ordinis persecutione, euenisse dicemus, plurium ex nostris à Barbaris igne, ferrove illatam mortem, quorum animas in Cœlum deferri pius Pater Generalis Bertholdus diuinitus videre meruit. Cum enim inter ipsius vitæ Scriptores cōstās sit assertio eum occisorum à Saracenis fratrum animas ab Angelis delatas in Cœlum ascendere vidisse, nec vlla maior Christiano populo, nostroque Ordini, in Syriæ partibus commorantibus, persecutionis procella, quam hoc anno, & præcedentibus, quibus fermè tota Palæstina, Saladini gladio assumpta fuit, contigisset; proculdubio magna coniectura elicitur, hac tempestate præfatam visionem à Deo Bertholdo nostro communicatam. Eam autem habuisse tradunt Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 1.* dicens: *Suo autem tempore multorum animas pro Christo passorum Fratrum in diuersis Terræ Sanctæ locis, seu Monasterijs, corporali intuitu Cælum deferri vidit.* Et Vvernerus Rovelinch in historia dicta *Fasciculus temporum*, circa annum 1184. sic. *Sanctus Bertholdus Carmelitici Montis eremicolis ab Aymerico Antiocheno Patriarcha in Priorem assignatus fama celebriori multis innotescit. Hic inter cætera præclara suæ sanctitatis indicia animas quamplurimorum Fratrum, quas Sarracenorum absumpsit gladius, cum Corona Martyrij ab Angelis in Cælum deferri vidit.* Id etiam communiter referunt alij Ordinis historici. Ex quibus Petrus Sarracenus in vita ipsius hanc visionem propheticam appellare videtur. Ex quo elici datur non solum ad dictas Infidelium persecutiones præteritas extendi, sed etiam ad imminentes, & futuras. Ac proinde non solum suorum Fratrum necem ante obitum ipsius (qui hoc eodem anno quarto Kalend. Aprilis, vt putamus contigit) absumptorum, sed & eorum qui hac ærumnosa tempestate post modum perierunt mortem præsagisse.

An Martyres. 5 Cum Corona Martyrij prædictos nostros Eremitas Sarracena rabie interfectos in cælum ab Angelis deferri à Beato Bertholdo visos fuisse tradit Vvernerus relatus, nec dissentiunt Ordinis Historici. Id tamen pro certo affirmandum nobis non est ante S. R. E. definitiuam sententiam, cuius munus est, veros Martyres, ac Diuos declarare. Pie tamen credendū plures illorum in odium Christi, ac fidei ab inimicis peremptos, ac perinde veros Martyres extitisse. Sed qui ij fuerint non est nostrum nosse, dies Domini manifestabit.

Papæ obitus 6 Lugubris adeò valdè & exitialis præsens annus ob præfatam Terræ sanctæ calamitatem Orbi Christiano fuit, vt pluribus, ijsque magni nominis viris mortem attulisse æstimetur. Inter eos Pontifex Maximus Vrbanus Tertius primo computatur, qui tristi nuncio percepto, vehementer dolens, ac lethali morbo saucius, decimotertio Kalend. Nouemb. diem suum obijt. Mortuo autem Vrbano sequenti die in Papatum successit Albertus Cardinalis, dictus Gregorius Octauus, qui successor doloris, & hæres calamitatis sui prædecessoris, ac totius Ecclesiæ, nonnisi vno mense, & viginti septem diebus in Pontificatu superuixit; dū, quos poterat Christianos, in Barbaros armare nitebatur. Sigonius, Baronius, Gordonus. & alij.

In eum-

7 In eumdem etiam annum (vel nõ multo post) mors refertur nostri illius eximij Propagatoris, & Protectoris Aymerici, Antiochiæ Patriarchæ. Ita enim supponunt Honuphrius Panuinus, & Hieronymus Bardus *in suis Chronologijs*. Et sanè, cum quinquaginta annis in Patriarchatu sedisse communiter habeatur, & ab anno 1137. vsque ad præsentem quinquaginta numerentur, eo tempore è vita migrasse credendum. Quod ipse præsagisse visus est, dum in epistola ad Regem Angliæ, quam refert Baronius *sub hoc anno*, ab eo petens pro Terra Sancta subsidium dicit: *Alioquin nobis, qui varijs subiacentes periculis, diutino languori succumbimus, iam necesse erit expirare*. Dixerat etiam superius: *Quatenus in hoc mortis articulo Terræ Sanctæ, & nobis clementer* succurratis. Quo sane denotatur, ipsum eo tempore periculoso languore laborasse. *Longæuus super terram* fuit, iuxta Dei promissionem Exod. 20. quia honorauit *Matrem*, Virginem scilicet Sanctißimam, in filijs Carmelitis, quos dilexit, prouexit, & propagauit. Obijsse hoc anno ex tristitia calamitatis, quam tota Terra sancta patiebatur, & passuram prudenter timere poterat, ex prædicta epistola infertur. Inter gesta ipsius, quorum aliqua in superioribus retulimus, quidam recensent, quod *post plura Carmeliticis ædificata Cœnobia sub Beatæ Virginis tutelam vexillo gloriose vixerit*, quasi Ordinem aliquando professus fuerit. Quod tamen incertum valde, nec solido nixum fundamento. Etsi forsan in Carmelo, cuius Cœnobium erigi curauit, & in eo Eremitas recludi, vel in Montana Nigra iuxta Antiochiam, quo eos deduxit, vel in ipsius Antiochiæ Monasterio, aliove nostrorum Cœnobio cum illis aliquandiu piè conuixerit. Id piè credendum, eiusdem Virginis intercesßione, cuius propagauerat Ordinem, ad Æetherea Regna sublatum fuisse. An aliqua sui ingenij monumenta posteris reliquerit, incertum: constat tamen librum Ioannis Patriarchę Hierosolymitani, qui est *de Institutione Monachorum*, ex Græco idiomate pro Carmelitis, quos reformare studebat, fecisse Latinum, prout referunt hi quos sub anno 1142. attulimus. Aymerici obitus.

8 Hoc etiam eodem anno, vel prope id tempus, B. Bertholdus, dum nostri Ord. primum Latinorum General. Præsulem agebat, vltimum obijsse diem credibilius existimamus. Nec ijs qui circa annum 1165. obijsse dixerunt, assentiri possumus. Primum, irrefragabili argumento ex Beati Cyrilli testimonio deducto in libro illo, seu epist. ad Eusebium *in Speculo Ordinis libro octauo capitulo secundo*, ex quo manifeste demonstratur Beatum Bertholdum post sui Aymerici mortem, vel quasi simul cum ipso, ad minus non multum antea, è viuis excesßisse. Dicit enim, quod *mortuo Bertholdo sub regimine cuius quadraginta quinque annis manserant* (Carmelitę) *perplexitas magna eorum animos inuasit, de successore eius instituendo, de cuius institutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus morte præuentus eis reliquerat*. Euidens sanè argumentum, quod Bertholdus non ante per multum tempus, sed post Aymericum, vel simul tempore cum ipso, e vita migrauerit. Cum autem aliunde constet B. Berthold mors.

ex litteris eiusdem Aymerici ad Henricum Anglorum Regem, de quibus Rogerius, & Baronius superius citati, ipsum post, & non ante captam a Saladino Hierosolymã obijsse, liquido etiam euincitur, paulo post, vel simul, eodem anno, ipsius consanguineum B. Bertholdum animam Deo cõmendasse. Idque persuadent maximè illius anni in Acconem, Caypham, & Carmelum his vrbibus proximum, à Sarracenis inuasiones, Fratrum trucidationes, & Christianorum Terræ sanctæ extremæ fermè oppressiones; quibus vix credi potest pijssimum, ac venerabilem annorum senem Bertholdum, vtpotè centum quindecim annorum, iuxta Paleonydor. *lib. 3. cap. primo* resistere valuisse. Ad hæc B. Cyrillus in testimonio adducto, & ipse Palæonydorus ibidem, vltro fatentur, B. Bertholdum per quadraginta quinque annos Ordinem rexisse. Constat vero ex ijs quæ circa annum 1141. scripsimus, eodem tempore Bertholdum ab Aymerico in Priorem electum Carmeli. Recta igitur supputatione facta, per hoc tempus, vel circiter Bertholdi mortem contigisse conuincitur. Nec multum abest Vvernerus RouelincK, dum post annum Christi 1184. & ante annum 1194. Bertholdum claruisse commemorat. Vrget & testimonium illud de Bertholdo ab Vvernero productum, de quo supra, dum affirmat animas plurimorum Fratrum, quas Sarracenorum absumpsit gladius, cum corona martyrij ab Angelis in Cœlum deferri vidisse. Hæc etenim nostrorum Fratrum sæua persecutio, vix alia potuit esse quam quæ præsenti, & proxime pręcedenti tempore accidit, Barbaris Sarracenis sub Duce Saladino. Hierosolymam, Tyberiadem, Acconem, Caypham, Cæsaream, Carmelum, & fere totam Palęstinam, capientibus, deprædantibus, vastantibus, & Christianos Eremitas, quorum magna copia in Syria erat, vsque ad necem opprimentibus. Obijt autem quarto Kalendas Aprilis mensibus aliquot ante Aymericum, reconditus in Oratorio gloriosissimę Virginis in Carmelo, vt Palæonydorus supra testatur.

De cultu ipsius.

9 Cultum Sancti, vel Beati, eidem Bertholdo debitum esse. Suadetur primo, ex Quinterno Officiorum SS. Ordinis nostri de anno 1629. Romæ impresso ex approbatione S. Congregationis Rituum, sub Vrbano Octauo, recognitione, & subscriptione Cardinalis de Torres. In eo enim Officium B. Bertholdi pro 29. Martij reperitur. Secundò, ex Martyrologijs, seu Catalogis Sanctorum. Nam in Martyrologio Ioannis Molani (tantæ autoritatis viri, vt de eo Baronius *cap. 9. præludiorum in Martyrolog. Roman.* dixerit. *Tanti viri de Ecclesia Dei, & veritate Catholica optime meriti, nec breuem schedulam deperire æquanimiter patior*) seu additionibus ad Vsuardum ex impressione Antuerpiæ anno 1583. sic habetur 29. Martij. *Ipso die Sancti Bertholdi Confessoris Ordinis Carmeli.* Similiter in generali Catalogo Sãctorum Philippi Ferrarij *eadem 29. Martij* in annotationibus *Bertholdus* inter Beatos numeratur. Tertiò, quia miraculis claruisse ex historijs, & monumentis Ordinis constat, pręsertim ex Palæonydoro *li. 3. cap. 1.* Didaco de Coria *lib. 10. Chronic. cap. 2.* Petro Sarraceno *in Menolog.*

Car-

Carmelitarum in vita B. Bertholdi, & ex Ioanne Groſſi totius Ordinis Generali, qui ante 230. annos, iuxta Trithemium *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, clarus extitit. In tractatu enim cui titulus *Viridarium*, qui habetur cum Speculo Ordinis pag. 101. Sanctos Ordinis enumerans, de B. Bertholdo dicit: *Sextus* fuit B.Bertholdus primus Prior Generalis Ordinis, qui *in Terra Sancta, præſertim in monte Carmeli, multa fecit miracula: vbi corpus eius quieſcit*. Dixerat autem prius: *Per quem Deus tam in vita, quam in morte multa fecit miracula*. Ad hæc, Syluester Marulus Ciſtercienſis *in mari Oceano Religionum*, de Carmelitana, & Bertholdo noſtro loquens, ipſum multis claruiſſe miraculis confitetur. Quarto, quia cęleſtibus illuſtratum fuiſſe viſionibus prædictũ B.Bertholdum compertum videtur, tum ex ea quam in obſidione Antiochenę Ciuitatis habuiſſe diximus *tomo* 3. circa annum 1088. *num*. 9. 10. & 12. Tum vero ex illis gladio occiſorum Sarraceno Fratrum animabus in Cœlum Angelico miniſterio delatis, à ſe diuinitus perſpectis, de quo Vvernerus RouelinK in hiſtoria *Faſciculus temporum* pro anno 1184. quam ſupra retulimus. Quinto, ex vetuſto illo *de origine Ordinis Carmelit.* Manuſcripto Anonymo in inſigni Bibliotheca Ducis Altemps reperto, de quo in ſuperioribus. In eo etenim non ſolum B. Bertholdum *Religioſum Sanctum, & famoſum* vidimus appellari, ſed etiam ad finem in ſeriem Sanctorum Ordinis Carmelit. quos dicit depingendos cũ cappis barratis, ponitur ſecundo loco noſter Bertholdus ſub hoc titulo, *S. Bertholdus primus Generalis*.

10 Accedit ſexto, quod de ſanctitate Beati Bertholdi, ex perenni, conſtantique Ordinis noſtri traditione, fere ab ipſius Bertholdi æuo quaſi per manus recepta, teſtimonium habetur. Primo etenim Beatus Cyrillus Conſtantinopolitanus tertius Ordinis Generalis Præſul, qui Bertholdum ipſum vidit, audiuit, & cognauit, *in Epiſtola ad Euſebium* quæ per errorem dicitur ad Abbatem Ioachim, *in Specul. Ord. lib. 8. c. 2.* ipſum Bertholdum appellat *Virum Religioſum, Sanctum, & famoſum*. Deinde Ioannes de Cimineto, ſeu potius Chimineto, qui pro anno 1340. iuxta Poſſeuinum *in Apparatu* ex Trithemio, clarus erat, in libro, cui etiam titulus *Specul. Ord. cap.* 5 qui eſt cum volumine eodem modo nuncupato à fol. 49. ſimiliter eumdem Bertholdum *Virum Religioſum, Sanctum, & famoſum* appellat. Poſtea Ioannes de Malinis, ſeu Molinis, qui pro anno 1360. iuxta Gerardum Voſſium *de Hiſtoricis Latinis lib.* 3. ex Geſnero, clarus fuit, *in Speculo hiſtoriali Carmelit. cap.* 6. quod habetur in volumine *Speculum Ordinis* nuncupato, *à fol.* 42. eodem titulo Sancti, & famoſi Beatum Bertholdum ex Ioanne de Baccone, quem refert, vocat. Idem facit Ioannes de Vineta illius temporis author, in opuſculo, quod eſt in Speculo Ordinis fol. 57. & incipit *Cum quidam fratres*. Poſt modum Ioannes Groſsi pro anno 1400. iuxta Trithemium clarus, Beati Bertholdi ſanctitatem, & miracula cum vita, tum morte, vt vidimus ſuperius, ſcripſit. Inſuper poſt ipſos Ioannes Palæonydorus Batauus hiſtoriam Ordinis tri-

B. Bertholdi ſanctitas.

bus

bus digestam libris scribens circa ann. 1495. vt ipse in epistola quadam operi præmissa dixit, gesta, vitam, & mortem Beati Bertholdi cum miraculis, tum diuinis illustrationibus, insignem posteritati Carmeli fęliciter mandauit *lib. 3. cap. 1.* Demum Baptista Cataneus Venetus, qui pro anno 1507. Speculum Ordinis Typis mandauit fol. vlt. de Beato Bertholdo sic scripsit: *Sanctus Bertholdus primus Prior Generalis Ordinis, qui in Terra Sāčta, & præsertim in Monte Carmeli multa fecit miracula, vbi Corpus eius quiescit*. Vnde consequenter anno 1564. in Comitijs Generalibus Romæ in Conuentu Sancti Martini in Montibus, sub Ioanne Baptista Rubeo Rauenate in eisdem in Generalem electo decretum factum est huiusmodi: *Sancti Ordinis nostri redigantur in Cathalogum, seu Calendarium Sanctorum, & de illis fiat Officium duplex.* Ex vi cuius decreti, & ad normam ipsius, Romæ sub eodem anno Kalendarium confectum est, Typisque mandatum, in quo pro 29. Martij Sancti Bertholdi festum sic collocatur. *Bertholdi Confeßoris Carmelitæ duplex*; Cuius etiam, vt puto, causa in antiquiori Ordinali Diuinorum Officiorum anno 1544. impresso in Kalendario illi adiuncto, manuscripto, sed antiquo charactere, eadem 29. Martij similiter habetur: *Bertholdi Confessoris Ordinis nostri duplex.* Post quę tandem innumeri fere nostri Ordinis Historici, variarum nationum, qui de ipso, ipsiusque Sanctis Historiam scripserunt, Beatum Bertholdum inter eos recensent. Ac perinde iure diximus, de sanctitate B. Bertholdi ex iugi, perennique Ordinis traditione constare. *Si autem traditio est, nihil aliud petas*, inquit Chrisost.

Apud exteros etiam.

11 Nec apud Nostrates solum, sed & apud exteros etiam Scriptores, Beati Bertholdi memoria in benedictione sanctitatis extat. Nam pręter egregia testimonia pro ipso, Vverneri Rovelinch iam relati in historia *Fasciculus temporum* vocata, & Onuphrij Panuinij, qui *in Chronica Ecclesiastica sub anno 1141.* eum *virum sanctum* appellat; in legenda etiam Sanctorum, quæ sub titulo de Voragine à Nicolao Manerbio Veneto Thusca lingua circumfertur, Typis mandata, in Kalendario Sanctorum operi præfixo noster Bertholdus ponitur. Similiter Ioannes Cartagena Minorita *tom. 4. hom lib 17. hom. 3.* inter Sanctos Carmeli B. Bertholdum connumerat. Item Didacus de Ieppes Episcopus *in vita S. Theresiæ lib. 1. cap. 2.* Franciscus Ribera Iesuita doctissimus etiam *in vit. S Theresiæ lib. 1. c. 2.* & Iacobus Gualterius ex Iesuitarum etiam familia, *in Tabula chronographica sæculo 12. circa ann.* 1160. vbi post Onuphrium, Bertholdum nostrum *virum*, vocat, *sanctitate conspicuum*. Claudius Robertus Lingonensis in Gallia Christiana *lib. de Abbat. & General.* loquens de Generalibus Carmelitarum, dicit *B. Bertholdus Malefaida &c.* Quo etiam *Beati* titulo illum appellat Prosper Stellartius Augustinianus *in lib. de fundam. & Regul. omnium Ordinum cap. 34.* Eumdem quoque Bertholdum inter Sanctos Ordinis nostri refert Marcus Antonius Miraual. Ord. ss. Trinitatis *in concione S. Theresiæ*. Quod idem faciunt plures alij, quos omnes referre molestum

molestum esset. Vnus tamen non prætermittendus author, videlicet Anonymus *de origine Carmelitani Ordinis* in M. S. Bibliothecæ Romanæ Excellentiss. Ducis Altemps, qui non solum B. Bertholdum inter Sanctos Ordinis connumerat, sed & speciatim illum primum Generalem (intellige inter Latinos) recenset ac dicit, depingendum esse cum cappa barrata, eo scilicet, quia talium capparum vsus eo tempore vigebat in Ordine. Mortuo autem B. Bertholdo successor fuit B. Brocardus, de quo anno proximè sequenti, quod credamus eo tempore ad Generalatum ascendisse.

12 Hoc insuper anno 1187. Oschense Cœnobium in Aragoniæ Prouincia, primum initium habuit. Testatur id Cassanate noster *in Parad. Carmelit. decor. stat. 2. ætat. 5. cap. 70.* Vbi etiam, ex antiqua membrana in Archæo eiusdem Cœnobij reseruata, id haberi astruit; & rem alibi diffusissimè dedisse. Interim tamen, dum alia non viderimus, huius Patris testimonio standum; sicut quòd illud sanctitate, religione, & sapientia præexcelsum fuerit. Conuentus Oschæ.

13 Maximè vero hoc anno 1187. nostrorum Fratrum in Catanam Siciliæ Insulæ inclytam Vrbem aduentum Ioannes Baptista de Grossis Apostolicus Prothonotarius, & rerum Catanensium pergrauis Scriptor *chord. 2, modul.* 10. indicare videtur, post è Ierosolymis expulsionam, quæ eo anno contigit. Referens etiam paulo post annum 1200. ad 1207. sui Conuentus primordia iecisse, rem promouente Constantia Augusta Henrici 6. Cæsaris vxore; Friderici 2. etiam Cæsaris matre, Siciliæ Regina, quæ huius Cœnobij fundatrix à maioribus memoratur. Eo ergo tempore Eremiticæ Carmeli Religionis Catanæ extra mœnia ad 300. passus, Templum *Diuæ Mariæ Annunciatæ* dicauerunt: quod semper frequenti populi pietate celebre fuit. Qua veneratione permotus Rex Siciliæ Martinus, datis litteris annuum aureum valoris vnciarum auri quinque ex redditibus Catanensis vrbis obtulit. Quod pensum etiam Ferdinandus Rex Catholicus soluendum præcepit, litteris etiam datis de anno 1500 In cuius rei signum, & ne tanti priuilegij memoria pereat, præfatam pecuniam in marsupio è Crucis trunco pendente in processionibus quibusdam ostendunt fratres. Ad hoc quoque Templum, antiquissimo Patriæ more, singulis quibusque annis defertur sacrum D. Agathæ eius Vrbis Ciuis, ac Patronæ, corpus, pridie Nonas Februarij, magna solemnitate. Illud etiam decorarunt egregij viri, qui specialem erga ipsum deuotionem habuerunt; specialiter Blascus Alagona celebris valde; alter Blascus eius abnepos; & Sancius Rodericus Galliani Vicecomes, magnusque Siciliæ Ammiratus. Plurimi etiam ex hoc Monasterio prodiere viri, patritio sanguine, eruditione, authoritate, & virtute præclari: quos recensent Baptista de Grosis relatus, & Rochus Pirrus *in notitijs Ecclesiæ Catanensis*. Inter eos præfulget Nicolaus de Lucia Theologus subtilissimus, & rerum vsu dexterrimus, vt ideo pluribus legationibus honestatus fuerit, vna præcipuè ad Ioannem Siciliæ Regem cum M. M. Antonio Morerio, & Iacobo Catanæ Cœnobium.

de S. Philippo etiam Catanensibus, & eiusdem Religionis alumnis: in qua sic se gessit, vt eiusdem Regis à confessionibus, & sacra aula delectus esset ann. 1466. Alios non referimus, quia in præfatis Authoribus leguntur, & in seqq. forsan iterum de aliquibus ipsorum sermo redibit. Id tamen prætermittendum non duximus, quod nobilis huius Conuentus Ecclesia vetusta adeo existimatur, vt fuerit etiam Deiparenti dicata, & sub Eremitarum Carmeli dominio, tempore Leonis 2. Catanæ Episcopo, circa ann. Christ. 778. quo tempore quidam insignis magus, Theodorus nomine, ab Episcopo isto combustus fuit. Quæ eo credibiliora sunt, quod circa id tempus Senensis, Florentinus, & forsan Pisanus etiam Conuentus, Carmelitarum erant, prout ex dictis *tom. 3. Annalib.* sub eo tempore facile hauriet lector.

Ann. Christ. *1188.* Clement. *3.* Rom. Pontif. *1.* Friderici Barbarossæ Imperat. *34.* Isaaci Angeli Imper. Orient. *3.* B. Brocardi Gen. *1.*

Clementis 3 creatio.

LOco Gregorij 8. qui anno præcedenti vitæ cursum consumauerat, hoc anno sub octauo Idus Ianuarij Petri sedem ascendit Cardinalis Paulinus, Clemens Tertius nuncupatus: qui statim indictam à prædecessore expeditionem pro Terra Sancta, si fieri posset, recuperanda, promouere, & ad statum perducere procurauit, Indulgentiam magnam Cruce signatis concedens. Preces etiam publicas pro liberatione Ierusalem, & Christianorum captiuorum indixit. Egit etiam medio Vvillelmo Tyrio Archiepiscopo, quem vt grauissimum authorem sæpius in præcedentibus citauimus, vt duo Reges Galliæ, & Angliæ, pace inter ipsos facta, pro ea re simul conuenirent, & ambo tam pio operi manus adiutrices præberent. Rogerius, Baronius, Gordonus, & alij.

Preces communes.

2 Ex huiusmodi precibus communibus à Clemente Tertio indictis, pro S. Ciuitatis liberatione, quas refert idem Baronius *sub hoc anno*, ortum habuisse credimus, similes alias, quę in Ordine nostro recitantur, iuxta Missale ab Ecclesia approbatum; in Choro, a genuflexis Fratribus post Eleuationem Calicis in Missis ferialibus Quadragesimæ. Vsus etiam, qui in Ordine nostro adhuc retinetur cantandi in initio Vesperorum diebus Paschatis ter *Kyrie eleyson*, ter *Christe eleyson*, & iterum ter *Kyrie eleyson*, ortum similiter habuisse creditur ab aliquibus ex dolore, & tristitia nostrorum hac tempestate, ob amissionem Hierosolymorum Ciuitatis, Sanctorum locorum, & præcipue Sancti Sepulchri Dominici, cuius Ecclesiæ ritum in diuinis celebrandis Ordo ab antiquis temporibus obseruat, & in quibus Paschalibus diebus Officia sacra solemnissimè, & iucundissime celebrari solitum erat. Alias huius vsus rationes affert Ioannes Baptista Rubeus Genuensis in suo nouo rationali diuinorum officior. *lib. 3. cap. 31.*

Sed

Sed eæ mysticæ sunt; hæc autem aliquorum ex nostris, historica videtur.

3 Concessit hic Pontifex Ordinis nostri Ecclesias visitantibus certis, & statutis diebus, Indulgentias quasdam. Ita enim habetur ex Sixto Quarto in Bulla *Dum attenta* anno 1477. & ex Iulio 2. in Bulla *Ad sacrum Ordinem* anno 1504. & ex Gregorio 13. in Bulla, *Vt laudes* anno 1577. Indulgentiæ.

4 De huius Pontificis tempore loquentes Onuphrius Panuinus *de vitis Pontif. in M. S. Vaticano*, & Giacconius *de vit. Pontif. in Clem. 3.* hæc asserunt. *Clementis 3. breuem Pontificatum illustrem fecerunt aliquot eruditione, & pietate præstantes viri: inter quos ij præcipuè memorantur: Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, qui Fratribus Carmelitis adhuc in Syria commorantibus Regulam dedit, quam ijdem Fratres, qui nunc in Europa sunt, ab Apostol. Sede probatā profitentur. Item Cyrillus Presbyter montis Carmeli, &c.* Sed licet, quod attinet ad Cyrillum veritatem contineant, cum ipse, eruditione, & pietate præstantissimus, eo tempore prædicationi Euangelij in Armænia pro Christo laboraret: quod attinet tamen ad Albertum Clementis Tertij tempore, Patriarcha Hierosolymitanus tunc non erat, sed Vercellensis Episcopus; vt ipsemet Honuphrius cognouit *in chron. Ecclesiast. sub anno* 1204. dicens, quod Albertus Vercellensis Episcopus factus est Hierosolymitanus Patriarcha vndecimus. Mirum sane quantum hallucinati sint graues etiam authores in hoc Alberto, ipsiusque Solymorū Patriarchatu. Testimonia pro Carmelitis.

5 Eo tempore Saladinus postquam Hierosolymam, & alias Terræ Sanctæ Ciuitates occupauerat, a Tyri obsidione, vt infra dicemus, reiectus, Antiochensem Principatum inuadens fermè totum obtinuit, Antiochiæ Ciuitate excepta. Marinus Sanutus *de secret. fidel. Crucis lib. 3. part. 9. cap. 9.* Quo nostris Eremitis illius Regionis, præsertim Montanę Nigræ habitatoribus, noua damna, nouosq; labores accreuisse haud leuiter existimandum. De Saladino

De Beato Brocardo Secundo Generali inter Latinos.

6 Adeo sæua, & enormis totius Christianitatis, & Ordinis nostri calamitas eo tempore in Oriente grassabatur, Turcis, sub potentissimo ipsorum Principe Saladino, totam fermè Terræ Sanctę Regionem inuadentibus, & occupantibus, vt quāuis sub anno proximè prçced. vel proximiori B. Berth. mors contigerit, nostri, qui impiorū gladium, aut ignem subterfugerant, Eremitæ, proculdubio eo anno pro successore deligendo in simul congregari nequiuerint. Prudenti ergo existimatione credendum, ante hunc annum capitulanter pro pastore eligendo conuenire non potuisse. Haud obscurè id colligitur ex B. Cyrilli testimonio *in epist. ad Eusebium in Speculo Ordinis lib. 8. capit. 2.* dum inquit, *Processu autem temporis mortuo primo eorum Priore, videlicet fratre Bertholdo, sub regimine cuius 45. annis manserant, perplexitas magna eorum animos inuasit de successore eius instituendo,* B. Brocardus

tuendo, de cuius institutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus morte præuentus eis reliquerat. Tandem post lapsum temporis, fratrem Brocardum virum perfectum vnanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiserunt, sub regimine cuius triginta tribus annis permanserunt. Per hoc enim quod dicit, *tandem post lapsum temporis* satis denunciat non eo anno mortis B. Bertholdi electionem Brocardi factam fuisse, sed post illum. Similiter cum dicat quod *Aymericus morte præuentus &c.* sufficienter id quoque denotat, cum Aymerici mors anno præcedenti vel paulo post contigerit. Hoc tamen anno B. Brocardum Ordini Præfectum a fratribus fuisse, ex eo suadetur, quia probi illi huius æui Eremitæ animaduertentes quantum detrimenti totus eorum Ordo sine Rectore Generali pati posset, sollicite quam primum prouidisse credendum de ipsius electione, ac proinde hoc anno eam fecisse. Accedit, quod cum Saladinus à festo Sancti Martini anni præcedentis vsq; ad festum Circuncisionis Dominicæ præsentis Tyrum magna cum potentia, & armis obsedisset, & obsidionem soluere, Deo nostris opem ferente, galeis ipsius expugnatis, ac Sarracenorum multitudine interfecta, coactus esset, vt infertur ex epistola Terrici ad Regem Angliæ, quam affert Baronius *sub anno* præcedenti: insuper, Tripolim, quam obtinere ambiebat, capere non posset, vt habet Marinus Sanutus *de secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 9. cap. 9.* Christianus populus quasi respirare hoc anno, & spe recuperationis Terræ Sanctæ animari, & confortari videbatur, ac proinde nostri etiam de Priore nouo habendo curare deberent. Hoc ergo anno pro vltimis mensibus ipsius, vel saltem in principio sequentis Ordini toti præfectum B. Brocardum non leuiter coniectamur. De loco autem quo id factum fuit, res valde incerta, cum historiæ de eo taceant, nec Carmelus à Turcis tunc occupatus, aptus esse posset. Quare probabili coniectura asserimus in Tyro vel Tripoli, Capitulum congregatum fuisse. Vix enim aliæ Ciuitates sub Christianorum ditione remanserant. Vnanimi autem omnium consensu B. Brocardum in Generalem electum B. Cyrillus adductus satis expressit; nec minus credendum de eius sanctitate, qua veluti cogebantur electores talem Patrem in tanta pressura constituti in Præfectum eligere.

Qualis Brocardus.

7 Qualis autem in Ordinis gubernio Brocardus fuerit, Palæonydorus *lib. 3. cap. 2.* sequens Bostium in *Specul. histor. lib. 7. cap. 2.* sic habet: *Iste est Brocardus, qui toto prioratus sui æuo studuit amari vt facilis, timeri vt fortis, & vt prudens obseruari. Donatumque a Deo illi extitit, vt etiam viuens miraculis coruscus esset. Nam instar Eliæ mortuum suscitans, iuuenem ad Ordinis susceptionem velut alterum Ionam induxit.* Alia de ipso in sequentibus.

Ann.

Anno Christi 1189. Clem. 3 Rom. Pontif. 2. Friderici Barbarossæ Imper. 35 Isaaci Angeli Imper. Orient. 4. B. Brocardi Gen. 2.

1 EO anno Clemens Papa pacem inter Francorum,& Anglorum Reges solicite curarat, medio Cardinali Legato, vt ad expeditionem in Terram Sanctam faciendam vtrumque perurgeret: sed colloquio inter Reges habito, nihil est conclusum; licet postea Anglus Francorum armis constrictus pacem receperit. Quo paulo post vita functo successit Ricardus, qui iterum contra Gallum exercitum mouit. Eis autem, ita importune digladiantibus, Fridericus Imperator, qui toties Ecclesiæ bono aduersarius visus est, profectionem in Terram Sanctã piè & catholicè parans, duplici exercitu terra, marique, & 150. mille armatis militibus magnam spem recuperandę toti Christianæ plebi promittebat, nisi Deus, peccatis hominum sic merentibus, aliter disposuisset, pro vt in sequentibus dicetur. Rogerius, Baronius, & Gordonus *sub hoc anno.* Papæ gesta

2 Interea Rex Solymorum Guido à Saladino libertate donatus, quod ei Ciuitas Ascalonæ hac conditione dedita esset, Acconem obsidebat, etsi cum paucis militibus. Marinus Sanutus *de secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 9. cap. 6. & par. 10. cap. 2.* Quo Christianæ plebi, nostrisque Eremitis Terrę Sanctæ incolis, felicioris fortunæ spes non nisi in Domino poterat esse. Guido Rex.

3 S. Angeli, eiusque germani Ioannis, infantia, stupore digna hoc tempore à B. Enoch ipsorum vitæ Scriptore *cap. 3.* sic describitur. *Hoc autem silentio prætermitti non debet, cum non sine mysterio, & admirandæ virtutis præsagio effectum indicari possit, quod vterque infantulus vberibus admotus nunquam vel lac sumeret, nisi præuia, & notabili corporali necessitate adductus: & ita, vt facile eos consulto abstinere dignosceres.* Res sane singularis de paucis scripta, & miræ ipsorum in maiori ætate abstinentiæ index. S. Angeli, & fratris mirabilia.

4 Albertum hoc tempore Vercellensem Antistitem, & postea Hierosolymitanum Patriarcham, nostrorumque postea legislatorem, ac Protectorem, insigni miraculo in emendationem cuiusdam Parmensium Dominæ, quę fuerat à quinque dœmonibus obsessa, meritis B. Eusebij martyris consortem extitisse sub hoc anno legitur, ipso Alberto exorcizante, & fæmina liberata. Kalendarium vetus Ecclesiæ Vercellensis, & Tabulę ipsius apud Ioannem Stephanum Ferrerium *in vita S. Eusebij & Episcoporum Vercellensium pag. 178.* De Alberto Vercellensi.

Ann. Christi *1190*. Clement. *3*. Rom. Pontif. *3*. Friderici Barbarossæ Imper. *36*. Isaaci Angeli Imperat. Orient. *5*. B. Brochard. General. *3*.

Friderici obitus.

1 EO anno, cum Principes Occidentales solicitante Summo Pontifice ad recuperationem Terræ Sanctæ profecti essent, Galliæ, & Angliæ Regibus illo properantibus, Fridericus Imperator, qui primus appulerat, post deuictum Soldanum Iconij, in quodam flumine vndarum cursu, dum se lauaret, interijt. Successorem habuit Henricum filium. Baronius *sub hoc anno*.

Terra Sicca-sus.

2 Prosequebatur eodem anno 1190. Christianorum exercitus in Syria Acconensis Ciuitatis obsidionem sub Guidone Herosolymorum Rege, auxilium præbentibus Germanis, Brabantinis, Frisonibus, & multis alijs, qui de Italia superuenerant. Multis nihilominus angustijs præmebantur Christiani, hostis nempe à facie, & à tergo imminentis, telis; aëris intemperie, disenteria, ac inedia, vt multi, equorum, & cœterorum mortuorum animalium carnibus pascerentur. Multi præterea ex ipsis, eo tempore perierunt, & inter eos Sibilla Regina Hierusalem. Marinus Sanutus *de secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 10. cap. 3.*

Heraclij mors.

3 Inter eos autem, qui hac temporis, & periculosarum rerum tempestate, diem suum obierunt, vnus fuit Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus ex Latinis, de quo in superioribus diximus. Ipsius obitus ratio nobis habenda est, vt inde verum Albertum nostræ Regulæ compilatoré, & verum tempus, quo ea data fuit, elucidare possimus. Eum verò hoc tempore diem suum non clausisse, sed vsque ad annum 1203. vel 1204. superstitem fuisse communis assertio (potius error) Chronologiæ Scriptorum est. Sic enim concorditer tenent Genebrardus; & Onuphrius, alias doctissimi, quos sequuntur Bardus, Pineda, Gualterus, & alij. Quibus iungi potest Baronius, qui etsi Hierosolymitanorum Patriarcharum obitum recensere pro more haberet, nullá tamen huius Heraclij mortis memoriam his annis fecit. Eos tamen errasse veritas indubitata erit inspicienti ea, quæ pro ipsius confirmatione afferemus. Primum testimonium Rogerij grauissimi eius temporis Authoris, qui adeo minutatim tunc gesta recenset, vt oculatus testis rerum videatur fuisse. Hic autem Author in suis Annalibus Anglorum *part. poster. in Ricardo 1. circa ann.* 1190. loqués de magnatibus, qui in obsidione Accon eodem tempore diem suum clauserunt, Heraclium Hierosolymitanum Patriarcham refert. Eos autem sic numerat: *Sybilla Regina vxor Guidonis Regis Hierusalem, & duæ filiæ eius; Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus, Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, Archiepiscopus de Nazareth, Archiepiscopus de Bezenzum, Archiepiscopus de Monte Re-*

te Regali, *Episcopus de Sydoni, idest, de Saeta, nouus Episcopus de Accon, Episcopus de Baruch, Episcopus de Sancto Georgio, Episcopus de Sancto Abraham, Episcopus de Tabaria*. Post, quę Abbates quosdam, & alios Magnates, qui simul eo tempore obierunt, recenset. Nec mirum, hos, & plures alios illa miserrima omnium calamitate perijsse, cum idem Author testetur, quod *Principes, qui in obsidionę erant pascebantur carne equina edentes eam pro delicijs*. Magis mirum videtur, quod cum Baronius accuratè obitus Patriarcharum Hierosolymorum, vt diximus, adscribere solitus esset, & hunc Rogerium præ manibus semper habuisset, vt constat ex ijs, quæ sæpissimè ex ipso refert, de Heraclij tamen morte nullam vnquam memoriam egerit. Id etiam efficaciter corroborat Epistola quædam Innoc. 3. quæ habetur inter epistolas decretales ipsius *lib.* 1. in Veneta impressione *pag.* 520. quæ est ad Patriarcham Hierosolymitanum, & Canonicos Dom. sepulchri, vbi clarè Pontifex loquitur cum Patriarcha Hierosolymitano successore illius, qui in Galliam profectus est, & à Lucio Tertio Papa viua voce mandatum, super quodam negotio accepit, quem fuisse Heraclium tota Historia clamat, compertum apud omnes est, & nos diximus sub anno 1184. Cum autem hæc epistola Innocentij, anno primo sui Pontificatus fuerit scripta, sicut & omnes alię, quæ in prædicto primo libro reperiuntur, & hic fuerit ann. 1198. vel 1199. manifestè euincitur, Heraclium eo tempore mortuum, verumque affirmasse Rogerium, dum eum inter Magnates, qui hoc anno in Acconensi obsidione perierunt, recenset. Hoc quoque confirmare possumus ex Palæonydoro nostro per illustri Authore ante 140. annos, qui *lib.* 3. *de antiquitate, & sanctimonia Eremitarum Montis Carmeli, cap.* 4. asserit, Cœlestinum Tertium anno 1191. Beato Cyrillo Patriarchatum Hierosolymitanum obtulisse, licet ipse eum acceptare noluerit. Ex eo etenim, quoad præsens attinet, clarè habetur, præfatum Patriarchatum eo tempore vacasse, ob mortem scilicet, Heraclii. Hæc autem ex eo quadamtenus extra nostrum intentum elucidare voluimus. Tum, vt error Chronologiæ Scriptorum, qui hucvsque retinuerunt Heraclium vsque ad annum 1203. vel 1204. superstitem fuisse, reiiciatur, tum vt vera Patriarcharum Hierosolymitanorum series, verusq; Albertus nostræ Regulæ compilator demonstretur. Quis porrò Heraclii immediatus Successor fuerit, quod obscurius est, sub sequenti anno dicemus.

4 Hoc eodem anno, qui quartus erat ætatis sanctorum Angeli, & Ioannis germanorum, vtroque parente orbati, sub Nicodemi Hierosolymitani cura, & disciplina, traditi sunt. Cum enim Angelo prænunciante, Iesseus, & Maria ipsorum genitores, se propediem à Deo vocari cognouissent, eidemque Nicodemo Patriarchæ casum retulissent, ipsius tutelæ infantulos credentes, benedictione accepta ad lares proprios redierunt, vbi paruo interiecto tempore, Deo animas, & corpora nostrorum Eremitarum Hierosolymitano Monasterio, Sanctæ Annæ nuncupato, prout ab Antistite primum postulauerant, fœliciter tradiderunt. Enoch Patriar- Angeli, & Ioannis gesta.

cha

cha Hierosolymitanus *in vita Sancti Angeli capit.* 3.

Notatio. 5 Ne autem quis in huiusmodi Nicodemo, & alio Onuphrio, ipsoque Ioanne, qui Patriarchæ in ipsa historia numerantur, & in ipsius Authore Enoch, qui etiam Hierosolymitanus Patriarcha dicitur, vel leuiter offendat, sciendum S. Hierosolymorum Ciuitatis, & Terræ Sanctæ hunc vsum vetustum fuisse, vt cum in ea omnium nationum Christiani ob loca illa sancta Christi præsentia summe veneranda mansiones habuissent, non solum Latini, & Græci, sed etiam Syri, vel Suriani illius patriæ Incolæ, suos Episcopos, suumque Patriarcham Hierosolymitanum etiam haberent. De Latinis id certum, & euidens est, cum plures ex ipsis, & nouissime Heraclium hoc anno defunctum sæpius retulerimus. De Græcis etiam non minus verum esse constat ex ijs, quæ tradunt Nicetas Choniata *in Isaico*. Genebrard. *in Chronolog. lib.* 4. *circa annum* 1181. Baronius *sub annis* 1187. *&* 1188. & alij: apud quos notum est Hierosolymitanos Patriarchas ea tempestate fuisse Leontium, Athanasium, & Dositheum. De Syris, seu Surianis id testatur Iacobus de Vitriaco *in Histor. Hierosolymitan. cap.* 7. *ante medium*, de ipsis asserens, quod *habent proprios Episcopos Græcos*. Cum autem Solymorum Episcopus *Patriarcha* nominetur, Patriarcham quoque Hierosolymitanorum proprium habebunt, si *proprios Episcopos habent*. Id etiam suadetur, quia cum prædicti Suriani Latinis Patriarchis non libenter subijcerentur, vt habet idem Vitriacus, oportebat sanè proprios ipsis permitti Antistites, à quibus iuxta ipsorum mores gubernari possent. Similiter, cum Græci, *Patriarchæ Hierosolymitani* vocati, ante Hierosolymam expugnatam à Turcis, in ea Ciuitate non admitterentur, vt expresse habet Baronius *sub anno* 1191. ex Theodoro Balsamon *lib.* 2. *in can.* 16. *Synod. Antiochen.* nec post Hierosolymam captam, esto ibi à Turcis consistere permitterentur; eo, quod, vt dicitur à quibusdam, Imperator Græcorum cum Saladino collusus fuit in Terræ Sanctæ vastatione; veri tamen Catholici (quales isti, qui in prædicta historia sancti Angeli referuntur videntur fuisse) eisdem vtpote Schismaticis, & male suspectis de aliquibus fidei articulis, nempe Spiritus Sancti Processione, Purgatorio, &c. subijci non paterentur, necesse fuit illos, proprijs, & peculiaribus Patriarchis eiusdem Patriæ, & Nationis subdi. Propterea ergo locus datur prædictis pijs Catholicis, & Ecclesiæ Romanæ subiectis Patriarchis, de quibus in præfata historia mentio habetur.

Ann. Christi *1191*. Cælestini 3. Rom. Pontif. 1. Henrici Imperat. 1. Isaaci Angeli Imper. Orient. 6. B. Brocardi Gen. *4*.

Successio Cælestini 3. 1 Bijt sub hoc anno Clem. 3. successorem habens Cælestinum Papam Tertium, qui eodem anno Henricum 5. cum vxore Constantia Imperiali Diademate coronauit: Reges quoque Franciæ Philippus, & Angliæ Ricardus Messana soluentes Palæstinam peruenerunt.

nerunt. Quorum aduentu fortissima Acconensis Ciuitas strenue expugnata in manus Christianorum fœliciter venit. Blondus, Sabellicus, Sigonius, & alij *sub hoc tempore*. Tunc ab Alardo Veronensi Episcopo, Cardinali, & Apostolicę Sedis Legato, ac alijs Episcopis Acconis Templa à Paganis polluta Deo nouiter dicata fuerunt. Baronius *sub hoc anno*. Monasterium perinde Carmelitanum in ea Ciuitate positum, ac Montis Carmeli eidem proximi Templum, vel Oratorium, perfidorum manibus profanata, iterum Deo conciliata, quatenus opus esset, existimandum.

2 Acconis porrò recuperationem Beatæ Virginis Mariæ protectione in ipsam, & prout credi par est, in Carmelum illi proximum, factam fuisse; ex eiusdem Beatæ Virginis visione, quam grauis Author, & illius temporis Scriptor Rogerius *in Annalibus pro eodem anno*, per hæc verba refert, constare poterit. *In nocte sequenti dum milites, & seruientes multi de exercitu Christianorum vigilassent ante turrim maledictam, circumfulsit eos lux de Cælo, in qua apparuit eis B. Virg. Maria mater Christi, præ timore autem exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui, at B. Virgo blandè consolabatur eos dicens: Nolite terreri propter salutem enim vestram misit huc Dominus: & cum crastina illuxerit dies, ite, & dicite Regibus vestris ex parte Iesu Christi filij, & Domini mei, & ex parte mea, vt cessent à prosternatione murorum Ciuitatis huius, quia quarto die post istum dabit eam Dominus in manus illorum. Eadem vero hora, qua Mater Christi loquebatur cum custodibus, terræmotus magnus factus est in Ciuitate, & Paganos ita terruit, quod maluerunt mori quam viuere: sic Dominus cum ad Iudicium venerit blandus Iustis, & terribilis apparebit iniustis. Beata vero Virgo Maria, postquam sic loquuta est auulsa est ab oculis eorum, & simul cum illa recessit lumen, quod circumfulserat illos*. Hæc Rogerius. Gesta autem hæc fuisse ob B. Virginis in Carmelum suum, & sacellum eidem ibi constructum protectionem, prædictá, ex eo colligimus, quod, eodem Rogerio teste, die immediate sequenti noctem, qua ea contigit visio, Saladinus Caypham, & vineas in circuitu eius destruxerat. Est autem Caypha in ipso fermè Carmeli Montis pede, & vineæ forsan illę ad Montem pertinebant, vt propterea piè credamus à Carmeli Protectrice Maria, de qua dicitur Cantic. cap. 7. *Caput tuum vt Carmelus*, signa hæc protectionis demonstrata fuisse. Deiparę protectio.

3 Multorum assertum est hoc eodem anno 1191. vel circiter, Albertum illum Eremitam, de quo in superioribus egimus, à Cælestino 3. in Patriarcham Hierosolymitanum post Heraclij mortem, de qua sub anno præcedenti, constitutum. Id primus, vt arbitror, asseruit, nequam ille Balæus sæpius relatus, cuius in *Catalogo Scriptorum Brittaniæ centur. 3. in appendice ad Henricum Plantagenet* secundum Regem Anglorum hæc sunt verba. *Albertus quidam Terræ Palestinæ Eremita, & Episcopus Bethleemitanus post Ascalonensem pugnam aduersus Saladinum anno Domini 1178 cum Gulielmo Tyriensi Archiepisc. Romæ Generali Synodo interfuit, vt idem Gulielmus refert in lib. 21. cap. 26. de bello sacro, qui anno Domini 1190. sub Cælestino 3.* De Alberto Eremita.

no 3. Romano Pontifice Patriarcha Hierosolymitanus factus Teutonicorum militum Ordinem præsente Henrico Rege confirmauit: Georgius Sabinus, Eunius. Hic scripsisse dicitur de Eucharistia lib. 1. De statu Palestinæ lib. 1. atque abbreuiasse Carmelitar. Regulam, &c. A Balæo, vt credo, idem accepit Onuphrius Panuinus, qui in manuscripto Codice *de vitis Pontif.* in Bibliotheca Vaticana referuato, de Cælestino 3 loquens hæc profert. *Hic Pontifex Albertum Eremitam ex Episcopo Bethlehemitano Patriarcham Hierosolymitanum post Heraclium, sub quo Sancta Ciuitas capta fuit, constituit anno Domini* 1191. *qui Accon à Saracenis anno* 1204. *occisus est.* Eadem mutuatus ab Onuphrio Ciaconius *sub Cælestino* 3. protulit. Auctuarium etiam Aquizentinum *anno* 1191. fere idem sequitur, per hæc verba. *Albertus Eremita Petri Eremitæ, qui Belli sacri auctor Vrbano 2. Pont. fuit, pronepos, ex Episcopo Bethlehemitano Patriarcha Hierosolymitanus post Heraclium à Cælestino Papa tertio constituitur.* Item Aubertus Myręus *in elogio Alberti* inter Icones illustrium virorum Belli sacri, eum vocat *Episcopum Bethlehemiticum*, ac demum *Patriarcham Hierosolymitanum.* Quod etiam imitatur Thomas Dempsterius *in notis ad Benedictum Accoltum de bello sacro lib.* 1. etsi vt ab alijs relatum id asserat, *vt ferunt*, inquiens.

Reijcitur hoc assertũ.

4 Verum enim vero à veritate historica istos aberrasse multis suadere potest. Primo quidem ex communi, constantique Chronologiæ Scriptorum authoritate, qui vnum tantum Albertum Hierosolymitanum Patriarcham huc vsque repererunt, quorum aliquot inferius referemus. Si autem Albertus ille *Bethlehemitanus* Episcopus hanc Patriarchalem sedem ascendit, cum ex alia parte luce clarius sit ex dicendis Albertum alium *Vercellensem* primo Episcopum eamdem dignitatem obtinuisse, pro comperto erit (quod nullus adhuc ex Scriptoribus somniauit) duos Albertos Hierosolymitanæ Ecclesiæ Antistes extitisse. Secundò, quia concors etiam & vnanimis prædictorum Chronologiæ Scriptorum sententia est eum Albertum, qui Hierosolymorum Patriarcha fuit, circa ann. 1204. vel 1205 ad eam dignitatem euectum fuisse, vt constat ex Genebrardo *lib. 4. Chronologiæ*, Onuphrio Panuino *in Chronologia*, Pineda *in Monarchia lib. 17. cap. 12.* Iacobo Vvaltero *in Chronographia sæculo 13.* Hieronymo Bardo *in Chronolog. part. 4.* Quod expressius animaduertit Ioannes Stephanus Ferrarius *in vit. S. Euseb. & Episcopor. Vercellens. a pag.* 181. Ad quod etiam stabiliendum Marini Sanuti Torselli ante 300. annos scriptoris, & rerum Terrę Sanctę indagatoris soliciti, authoritas accedat, qui *in tabula chronographica* Patriarcharum, ac Regum Regionis illius post Heraclium Patriarcham Albertum constituit vnum, & de ipso *in lib. secretorum fidelium Crucis lib. 3. par. 11. cap. 5.* inquit, *eodem anno 1214. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus in processione mortuus est, cui successit Rodulphus.* Quo clarius innuit solum vnum Albertum Vercellarum Episcopum successorem Heraclij fuisse, cum ea in processione ipse interierit, vt inferius loco suo dicemus. Id præterea suadet, quod cum huius Alberti Bethlehemitani Antistitis

tistitis memoria pro his annis non inueniatur, neque in Rogerio sæpius relato, qui diligentissimè Prælatos, ac viros insignes Terræ Sanctæ eo tempore describit, neque in alio eius æui, quem viderimus, authore, cum tamen ipse insignis valde, vtpote Episcopus, Concilij Lateranensis Pater, S.Crucis vexillifer vt *sub anno* 1176. vidimus, ac ad componendum amicitias inter Principem Antiochenum & alios, anno 1180. vel circiter destinatus, prout *sub ann.* 1185. scriptum reliquimus; profectò diem suum eo tempore clausisse credendus, vel in captione Sanctæ Ciuitatis Hierosolymæ, vel Bethlehem, cuius ipse Episcopus fuit, vel in obsidione Acconis. Quibus consentit Dom. Monachus Episcopus Acconensis, dum in *lib. de recuperata Ptolemaide* prolixè lamentatur, testis ipse oculatus, de morte Prælatorum, qui in ea obsidione perierunt. Quin & Ioannes Heroldus, dum *in lib. 2. continuationis belli sacri capit. 11.* ait. *Pestem apud nostros ita grassatam fuisse eo tempore, vt intra paucos dies plus quam quinquaginta Pontifices, Comitesque, perierint.* Quo sane elicitur, haud leui fundamento à nobis affirmari, hoc tempore è vita cessisse Albertum Bethlehemitanum Antistitem; ac perinde Heraclij successorem esse non potuisse. Ad quod etiam suadendum non leuiter iuuat, quod, cum ex prædicto Rogerio nomina habeantur eorum Prælatorum, qui Ecclesijs Acconis post Vrbem captam reconciliandis astiterunt, & inter eos nulla prorsus mentio de hoc Alberto, alias inter Episcopos magna nota celebri, fiat, innui certè datur, eo tempore superstitem non fuisse, & multo minus Patriarchæ dignitatem obtinuisse.

5 Credendum ergo in Alberti nomen offendisse Authores relatos, vnum Albertum cum alio confundentes, vel pro alio vsurpantes. Cum enim de illo Bethlehemitico illustria multa in Vuillelmo Tyrio gesta reperissent, in Terra Sancta Prælatum nossent, & Albertum quemdam circa id tempus Solymorum Patriarcham legerent, illum Bethlehemitanum, rem tractim inspicientes, ad eam dignitatem euectum falso crediderunt. Hallucinatos porro fuisse vnum Albertum cum alio confundentes, vel pro alio vsurpantes, constat in Balæo, Onuphrio, Ciaconio, Aquicintino, Myræo, & Dempsterio partis contrariæ fautoribus. Balæus enim, etsi *Bethlehemitanum* illum Albertum Patriarcham dixerit, mortuum tamen anno 1214. scribit; quod sane soli Alberto Vercellensi contigit. Onuphrius, & Ciaconius, cum sub anno 1204. Accone à Sarracenis occisum dicunt, verum Albertum odorantes, qui etsi non eo anno, nec à Sarracenis, eadem tamen Ciuitate occisus est. Imo & Onuphrius *in chronolog. Ecclesiast.* Hierosolymitanorum Antistitum seriem texens, solum Albertum, doctior factus, sub anno 1205. reponit. Similiter Aquicintinum Auctuarium quamuis ea quæ retulimus de Alberto scripserit, in margine tamen habet, *alij anno* 1204. certi Alberti veritatem adumbrans, qui circa id tempus, anno videlicet sequenti ad eam Sedem obtinendam ab Innocentio tertio assumptus est, vt eo anno, ex legitimis, & indubi- Erroris causa

tatis monumentis Vaticani, quæ nos, & non hi Authores, vidimus, dicetur. Pariter de Myrçο iudicandum, cum de eo Alberto, quem ex Episcopo Bethlehemitano Patriarcham Hierosolymorum vocat, obiisse dicat anno 1213. quo Albertum verum designat, qui vno post anno diem suum clausit. Dempsterius autem, præterquam ex aliorum placito loquitur, cum tamen dicat verius sibi esse eum Albertum pro anno 1206. fuisse, quasi digito indicat Albertum Vercellensem, qui, vt omnino certo constat, eo anno Patriarchatum gerebat.

Heraclij successor.

6 Quis ergo (inquiret aliquis) Heraclij successor fuit, & post illum proxime ad Patriarchæ dignitatem euectus? Sanè facilius nobis est, probare Albertum præfatum *Bethlehemitan* talem non fuisse, quam quis alius fuerit pro certo saltem asserere; cum in historicis altum silentium, & in registris Vaticanis nihil de hac re reperiatur. Verumtamen, quia ex epistola Innocentij Tertij, quam vidimus in Archiuio Vaticano, habetur (nisi nos memoria fallit) Albertum Vercellensem Episcopum in Patriarcham Hierosolymitanum intronizatum ob obitum M. quod etiam habent Ciaconius *in Vita Lucij Tertij, pagina nobis* 597. & Stephanus Ferrerius *in vit. Episcop. Vercellen. pagina* 180. & ex alia parte in Codice quodam Mechliniensi manuscript. pervetusto, de quo nobis per litteras mentionem facit perdoctus P. Petrus Vvastelius, cui titulus est: *Liber de peculiaribus gestis Carmelitarum*, vbi extat Cathalogus Patriarcharum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, inter eos ponitur vnus *Michael* nomine post Heraclium, etsi non immediate, sed duobus alijs, *Sulpicio* videlicet, & *Polymitano interiectis*, ideo facile credi potest hunc Michaelem esse illum immediatum Alberti Vercellensis prædecessorem, ac proinde eum, vel vnum ex illis duobus: Sulpicium scilicet, vel Polymitanum, proximè post Heraclium sedisse. In quo, etsi haud leuem diligentiã pro veritate inuestiganda apposuerimus, doctiorum tamen sententiam libenter auscultabimus.

De Cyrillo nostro.

7 Id tamen prætermittere fas non est, quod Ioannes Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 4. de Beato Cyrillo nostro, qui hoc anno proximè ex Armenia, quo prædicandi Euangelium gratia contenderat, recessisse videtur, scripsit, videlicet. *Cælestinus vero Papa anno Domini* 1191. *anno suo primo, audita eius fama admonitum habuit, vt Patriarchatum susciperet Hierosolymitanum. Quod ille omnino renuit, sic rescribens: Beatiss. Patri Cælestino pedum oscula, Cyrillus famulus Christi, sufficit mihi thesaurum Domini mei, id est animam, pro qua magnus ille mercator aduenit, proprium sanguinem fundens, portare in hoc vase fictili. In Monasterio nempe Carmeli terrestes Angelos reperi, quorum veraciter in cælis conuersatio est.* Hæc Ille. Quibus id, quod diximus de morte Heraclij magis elucidatur, & ad nostræ historiæ intentum, quanta sanctitatis, & doctrinæ fama Beatus Cyrillus eo temporis claruerit, ob præclara ab ipso in Armenia gesta, vt credimus, facile innotescit.

Bostij sententia.

8 Verumtamen ea in re audiendus Arnoldus Bostius Palæonydoro vetustior author, qui *in lib.* 7. sui Speculi historialis *cap.* 8. hæc scripsit.

Porrò

Porro Cælestinus Papa Tertius audiens famam Sanctitatis viri eiusdem anno suo primo adhortatus est eum; vt Episcopatum susciperet, promittens ei Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcham se facturum, quod Pater Sanctus omnino renuit inter cætera ita scribens: Sufficit mihi paupertas mea, sufficit mihi praeesse duntaxat corpori meo, vt non regnet in me peccatum, sufficit mihi thesaurum Domini seruare in hoc vase fictili, animam meam dico, pro qua ille magnus mercator sanguinem suum fudit. Video enim in hoc Monasterio Montis Carmeli cælestes homines, aut potius terrestres Angelos, quorum conuersatio in cælis est, qui quadam nobili superbia, despiciunt honores sæculi, & diuitias huius mundi contemnunt.

9 Interea Beatus Brocardus Ordinis nostri Generalis, cum Terræ Sanctæ, & Christianorum negotia, Accone recuperata, alijsque quibusdam Syriæ Ciuitatibus à Saladino iam pridem oppressis sub fidelium dominio constitutis, fælicius procederent, pro sibi commisso grege custodiendo, & ad altiora Spiritus provehendo, vario doctrinæ genere excultus, ac vitæ sanctimonia conspicuus, haud segniter in Carmelo laborabat. Quia tamen bellorum turbinibus, Sarracenorum insultibus, & Eremitarum nostrorum ex vno ad alium locum persecutionis fugiendæ causa diuersionibus, non modice forsan aliquos tepuisse, & alios, tyrones præsertim, instructione, & vitæ Regularis methodo indigere, nosset, ideo ex Basilij Regula, Ioannisque Hierosolymitani Patriarchæ libro, aliqua mutuatus, sui Ordinis Canonem, seu statuta quædam, quæ obseruare deberent eisdem Latine composuit. Sic habemus ex Ioanne Balæo relato; qui, etsi à nostris, vel nominari indignus sit, quod fidem cum Religione Apostata deseruerit, quia tamen in nostrarum Historiarum (præsertim Beati Brocardi vitæ, quam inter Catholicos scripsit) notitia peritus valde fuit, multum eidem in hac parte fidendum. In Cathalogo ergo *Scriptorum Britann. centur.* 3. post Gualterum de constantijs *in Appendic.* sic habet: *Brocardus igitur Hierosolymitanus secundus eorum Præses anno Domini* 1171. *composuit eis Regulam ex Basilij dogmate, quædam mutuatus; vt secundum illam viuerent. Hanc anno Domini* 1199. *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus abreuiauit, confirmauit, atque obseruandam ipsis tradidit.* In eo, quod dicit de annis 1171. & 1199 corrigendus est, iuxta dicta, & dicenda à nobis sub eo tempore, in alijs autem admittendus. Quo etiam sensu in eadem *centur.* 3. *in Appendic. ad Henricum Plantagenet* scripsit de Alberto *abreuiasse Carmelitarum Regulam*, eamque propterea *Centur.* 7. in Richardo Nothal *Alberti methodum* vocat. Quasi diceret Carmelitarum Regulam a Brocardo compositam, deinde ab Alberto breuitati, ac methodo redactam fuisse. Eadem fermè referunt Magdeburgenses Auctores simili hæreticorum nota signati *Centur.* 13. *cap.* 6. *de Caremonijs*. Eisque similia Gesneri Bibliotheca per hæc: *Brocardus patria Hierosolymitanus, Palæstinorum Doctor, Hebræus, ac Latinè scripsit canonem sui Ordinis lib.* 1. *statuta in Carmelo lib.* 1. *exhortationes pias lib.* 1. *atque alia.* A quibus parum dissentit,

De B. Brocardo.

quasi similia scribens Antonius Posseuinus in *Apparatu Sacro littera* B, *in Appendic.* ad præfatum suum Apparatum. Hoc autem tempore id accidisse non solum propter dicta haud leuiter coniectamur, sed ex numero illo annorum 1171. qui parum per mutatus numerum 1191. conflat, elicimus. Imo propterea credimus errorem illum in Ordinem inuectum de Regula data sub anno 1171. increbuisse, quia scilicet huiusmodi Brocardi institutiones sub anno 1191. scriptas alicubi repererunt, ex quo, alicuius incuria, ann. 1171. paulum alterato numero creditus est.

Qualia hæc instituta.

10 Hæc porrò instituta Brocardi, viuendique methodus ab ipso Ordini tradita, Regula nostri Ordinis sunt, quam postea sub anno 1205. vel sequentibus, vt ibidem dicemus, Albertus Patriarcha abreuians, compilans, & ad meliorem normam reducens, Ordini obseruandam tradidit, vt propterea eiusdem Ordinis Legislator communiter æstimetur.

Ann. Christi 1192. Cœlestini 3 Rom. Pontif. 2. Henrici Imperat. 2. Isaaci Angeli Imperat. Orient. 7. B. Brocardi General. 5.

Annus memorabilis.

1 IS annus memorabilis sæculis erit propter captiuitatem Regis Angliæ Ricardi. Cum enim ex Terræ Sanctæ expeditione rediens (cum prius Francorum Rex eam dereliquisset) Imperatoris terras incognitus transiret, captus est, & ad Imperatorem ductus. Papa autem Cœlestinus Sancti Vualdi Eugubinensis Episcopi Canonizationi, & Terræ Sanctæ à duobus Regibus destitutæ subueniendæ per litteras intendebat. Rogerius in *Annalibus* Baronius *sub hoc anno*.

Quę tunc contigerint.

2 De eo anno præfatus Rogerius in Annalibus Anglorum sic habet: *Rex (scilicet Angliæ) cum quibusdam fecit equitationem ante Hierosolymam, & perrexit inde ad capellam Sancti Eliæ, quæ distat ab Hierosolymis per tres leucas, & inuenit ibi Crucem quandam de ligno Domini, sigillatam infra murum Capellæ, quæ vocabatur Crux Syriorum, & expectauit eam.* Quæ autem fuerit hæc Eliæ Capella nobis incompertum. Etsi dubitari possit an sit eadem cum Ecclesia quadam, quam in eo loco vbi Propheta Elias natus perhibetur, quasi ad tria milliaria à Hierusalem versus Bethlehem consecratam, vocat Bernardus Breindenberch in *Itinerar. Terræ Sanctæ*. Ex ijs saltem lector eliciat id, quod probauimus Tom. 1. & in nostris Consultis, Consulto 3. videlicet, communissimũ in Ecclesia Dei fuisse vt nostro primo Patriarchæ Eliæ Prophetæ Templa, Sacella, & Capellæ nuncuparentur.

Epitaphium

3 Extat Epitaphium supra sepulchrũ marmoreum in nostro Genuensi Cœnobio, quod est huiusmodi: *Anno Domini 1192. Ioannes Argyrophus fecit fieri hoc sepulchrum, in eo, cum à Christo vocatus fuerit, quietem habiturus.* Ex quo suspicari, datur, iam eo tempore Fratres nostros Genuæ Sedem habuisse. Sed hoc incertum: potuit enim hoc sepulchrum intuitu Capellæ cu-

læ cuiusdam, quæ olim sub Benedictinis Patribus fuerat, & in qua nostrum postea cæptum est Cœnobium, 1192. extructum esse. Vide dicenda anno 1258. Sed nec hoc omnino certum; potuit enim ibi proximè aliquod nostrorum Eremitorium fuisse, in quo primum morabantur, & ex quo postea ad nouum Cœnobium transierunt; quod non semel nostris alijs in locis contigisse constat.

4 Celebris valde annus iste 1192. Carmeli Religioni est, propter mirabilem visionem, quam Beatus noster Cyrillus à prædicatione Euangelij in Armenia Carmelum reuersus, inter Missarum solemnia, à Deo, cælesti medio Paranympho, habuit; post decem annos in ea Prouincia consumptos: qua toti mundo celebre suæ sanctitatis, & spiritus prophetici specimen dedit, & sui clarissimam notitiam ad posteros transmisit. Angelus enim virgineo aspectu, dum Sacra faceret in commemoratione Sancti Hilarionis Tabulas duas argenteas Græcè conscriptas, futuri sæculi mysteria continentes, ipsi tradidit; præcipiens, vt conflato Tabellarum argento, Calicem, & thuribulum ad sacrificandum Domino efficeret, & scripturam membranis commendaret. Sic ferunt innumeri ferme exteri Authores. Maurolicus, & Molanus *in suis Martyrologijs die 6. Martij*, Petrus de Natalibus *in Cathalogo Sanctorum* ad finem sub titulo *de Sanctis nuperrime canonizatis cap. 3:* Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Bartholomæus Pisanus Minorita *in lib. Conformitat. § Francisci ad vitam Iesu Christi*, Iacobus Græcus Silaneus Cistertiensis *in Chronolog. Ioachim Abbatis*, Thelesphorus de Cusentia Presbyter, & Eremita *in libro de magnis tribulationibus, & statu Ecclesiæ*, Nicolaus Catalanus de Sancto Mauro in libro, cui titulus *Fiume del terrestre Paradiso pag. 145.* & alij inferius referendi. Habemus tamen firmius, & cui magis attendendum, fundamentum, Ecclesiæ nempe testimonium, quo sæpius in Lectionibus Officij eiusdem Sancti Cyrilli hæc visio approbata est. Accidisse autem hoc anno narrat Balæus *in Cathalogo Scriptorum Britanniæ Centur. 2. ad Thomam Monemutensem* his verbis, quibus se, & hæreticum, & veridicum historicum æquè demonstrat. *Huius tempore* (scilicet Cœlestini Tertij) *Cyrillus prædictus Eremita anno Domini 1192 post decem Papisticæ* (nota Acatholicum) *prædicationis annos, ex Armenia ad Carmelum est reuersus; vbi statim Oraculum valde prodigiosum inter Missandum habuit, de quo Mantuanus 5. fastor. eius sæculi mysterijs cæcatus* (o nebulo) *sic scribit:* Visio B. Cyrilli.

Cyrillus diuinus homo, cum Sacra litaret
Mane sub aurora sacra vestitus ab olla
(Res miranda) puer fulgenti splendidus ore
Astitit ante virum liquidis suspensus in auris:
Argentumque docens annorum fata sequentum
Protulit: & manibus pronis demisit in Aram.
Adijciens: Deus ista tibi secreta reuelat.
Sancte Pater: tu fac populis ea nota Latinis.

Continuò

Continuò mutans Romanis attica verbis
Nomina ad Abbatem Siculum transmisit: & ille
Confestim in Latium scholijs ad singula iunctis
Quæ superant, & habentur adhuc, passimque leguntur.

Sub eodem etiam Cœlestino post alia de ipso Cyrillo, sic ait, aliquibus expunctis, quibus serpentinum venenum contra Ecclesiam euomit. *Tria prodigia magna, atque miranda suscepit illa ætas, vt in magna admiratione Mendicantium Ordinum sectas tunc mundus haberet, &c. Scilicet, Lateranensis Templi corruentis sustentationem in visione Romæ per Dominicum; quinque Francisci vulnera Seraphica in quodam Lauerniæ monte, & huius Cyrilli cæleste oraculum, dum in Carmeli solitudine missaret.* Item Cētur. 3. in Ranulpho Glannuyle in Appendic. post alia de Cyrillo sic scribit. *Hunc dicunt, tam Moysis, quam Ioannis Euangelistæ exemplo, nouam Apocalypsim è cælis circa ann. Dom. 1192. accepisse, Dei ipsius digito in argenteis tabulis Græcè scriptam super futura Ecclesiæ statu.* Subdit: *Et per hanc nitebantur impostores quidam priorem illam Ioannis auferre, vel potius delere, & in nihilum redigere.* Sed credendum, calumniosa hæc esse, & falsò affincta. Quis enim Apocalypsim Ioannis, quæ est Scriptura Canonica, delere, aut auferre voluisse credi potest? Omitto nęnias, & nugas alias huius hæretici, dum infra confert Cyrilli oraculum cum Ioannis Apocalypsi. Sed alios quoque audiamus. Theatrum etiam vitæ humanę *volum. 5. lib. 4. pagina nobis* 1347. sic loquitur. *Anno Domini 1192. Cyrillus Eremita post decem prædicationis annos ex Armęnia ad Carmelum est reuersus, vbi statim oraculum prodigiosum inter sacra habuit, de quo Mantuanus &c.* Item eodem *volum. 5. l. 4. pag.* 1337. sic habetur: *Cyrillus natione Græcus Carmelita reuelationem habuit futurorum. Persuasit Regi Armęniæ vt se se Romano Pontifici subijceret, quod ille fecit anno 1181. decemque annos in Armenia Euangelium propagauit.* Reuersus *ad locum suum visionem habuit inter Sacra pueri elegantissimi, qui de futuris rebus eum instruxit.* Eadem repetunt huius libri Authores *volum. 27. l. 3. pagina* 4126. & 4169. Vide & alios sub anno 1181. adductos. Qualiter autem, quoque modo hæc Sacra visio B. Patri facta fuerit, inferius ex ipsius, testis fidissimi, verbis in epistola ad Abbatem Ioachimum damus.

De hac visione i

4 Ergo visione habita, pius, ac deuotus Pater, ad prædictum Abbatem Ioachimum ea tempestate apud Siclos Prophetę opinione conspicuum scriptam Græcè transmisit. Tradunt Trithemius Abbas *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemento Chronicarum l. 12. circa ann.* 1199. Bartholomæus Pisanus superius relatus, Iacobus Græcus Sylaneus etiam *vt supra*, Baptista Mantuanus, & alij quamplures cum historicis Ordinis, & constabit ex prædicta ipsius epistola. Causa autem mittendi hæc fuit, tum vt prædictum Angelicum Oraculum, Latinum faceret, tum vt prophetiæ lumine quo censebatur fulgescere, notis, aut glossis pro fidelium vtilitate exponendo illustraret. Notat autem supra relatus Iacobus Græcus Sylaneus Cisterciensis *in chronologia Ioachim Abba-*

tis

tis quod, etsi sanctus Dei Cyrillus Tabellarum sensum optime teneret, fratribusque (spiritu Prophetico quo clarum fuisse inferius demonstrabimus) ipsum enodaret, humilitatis tamen intuitu ad Ioachimum direxisse. Epistola ergo eiusdem B.Cyrilli ad prædictum Abbatem Ioachimum, ex ea, quæ in Vaticana Bibliotheca simul cum ipso Oraculo Angelico inter opera eiusdem Ioachimi manuscripta, & a nobis fideliter extracta, reseruatur, hæc est.

6 *Domui totius sapientiæ diuinæ, septiformi columna Sancti Spiritus, qui à Patre luminum ineffabiliter promanat, suffultæ; Abbati Ioachim, pauper Cyrillus Presbyter Eremita Montis Carmeli seipsum in Domino cum obsecratione orationum, &c. Quod mihi detruso pauperculo Dominus meus Christus dignatus est aperire tibi meo Priori* (Patri forsan) *& Domino, quem Deus multa sapientia perlustrauit, referam pleno verbo, vt secundum scientiam tibi datam transmittas ad posteros Deo deuotos, & Sanctos tibi charissimos, illos potissime, qui Sacrarum Scripturarum scientiam deuote, & dulciter amplectuntur, & margaritas norunt à porcis subtrahere, quæ futuris temporibus Deo permittente occurrent, prout inferius annotata prætendunt, vt iuxta solatia sanctorum librorum quibus Ecclesia indesinenter reficitur, & hunc carius secum habeat codicillum, ab illo magistro, qui cathedram habet in Cælo dignanter demissum. Hæc itaque mea verbula quodammodo necessaria, vt sum ratus, his sermonibus Omnipotentis a Regalibus sedibus mihi directis præmisi, vt quæ cælitus missa sunt clarius quid sint per hæc præcedentia elucescant. Diligenter autem caueas, lectorum doctissime, ne eloquiorum breuiter traditorum veritas aliqualiter corrumpatur, aut calami prauitate dematur, sed sicut diuinitus, & ordinatissimè missa sunt, ita a peritis Scriptoribus conseruentur. Supplico quoque tibi, venerande Pater, cui caulas ouium suarum prouidè credidit Rector Orbis, vt tu, qui ex fonte purissimo pectoris Iesu Christi spiritum futurorum & intelligentiam Scripturarum hausisse cum Ioanne videris (sicut relatione multorum, & eloquiorum tuorum inspectione percepi) super hoc Sancto Oraculo Commentariolum digneris conficere, quid excelsus Cœlorum Rex hoc compendiose tractatulo voluit intelligere; quatenus abscondita producas in lucem, & nubem vmbrosam profundissimam afflatu, conuertas in Solem splendentem clarissimi intellectus. Igitur cum pro veneranda celebritate B.Hilarionis Coeremitæ nostri quondam sacrarum Missarum solemnia inchoassem, cum fratre Eusebio Comite meo charissimo, & ad illum locum Canonis peruenissem,* Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, *nubecula densa cerulea mihi astitit stupescenti. Protinus Angelus aspectus virginei distans binis cubitis, & semisse in ipsa nubecula visus est, capillis flauis, & crispis geminis alis ornatus, ab humeris vsque ad talos partim virentibus, partim nitentibus pennis, alba lata, talarique amictus, labijs rubicundis coccineo strophio cinctus, sandalibus aureis, rubrisque pedalibus calceatus, afferens virgam liliatam, & tabulam argenteam pendentem in dextera, & aliam tabulam argenteam in sinistra litteris Græcis descriptas, & dixit: Cum Sacra compleueris has scripturas transcribes membrana, & post hæc conflans Tabellas conformabis in calicem, & thuribulum ad libanda, &* Epistola B. Cyrilli.

adolen-

adolenda in hora Sacrificij matutini. Mansit autem Angelus in Ara vsque ad gratias post Missales; descendens vero ad mensæ posterius pauimentum Tabellas deposuit, & in ictu disparuit. Hæc ibi.

Ioachimi gesta.

7 Hoc vero Angelicum Cyrilli Oraculum recipiens Ioachimus, latore Thelesphoro, vt ipse in epistola ad Cyrillum testatur, ab Easto interprete, quem ipse ibidem *fidelem*, & *deuotum* commendat, Latinitati donatum breui Commentario illustrauit, epistolæ etiam Cyrilli alia respondit, vbi summatim, præcipua, quæ in Oraculo ipso reperiebantur, enuncleauit. Quam sequenti anno reponimus; vix enim sub anno præsenti hæc omnia contigisse credi potest.

Oraculi authoritas.

8 Prædictum vero B. Cyrilli oraculum magni semper fuit in Ecclesia, vt propterea duo ipsius exemplaria manuscripta in S. Vaticana Bibliotheca reseruata viderimus, operibus Abbatis Ioachimi scholiastis inserta. Illud vero Comentarijs illustrarunt, Ioachimus, vt diximus, Gilbertus Monachus Cystertiensis, teste Balæo *in Catalogo Scriptorum Brittan. Centur. 3. in appendic. ad Ranulphum Glaunuyle*, & Ioannes de Rupescissa Franciscanus, eodem etiam Balæo *ibid. & Centur. 5. in append. ad Gualterum Burlei* testante. Item Ioannes Erghon Anglus Eremita Augustinianus, eodem affirmante Balęo, B. Cyrilli Oraculum cum alijs in vnum corpus collegit, quod appellauit *Compilationes vaticiniorum*. Insuper Thelesforus de Cusentia Pręsbyter, & Eremita *in lib. de magnis tribulationibus, et statu Ecclesiæ*, qui inter aliqua opera Ioachimi Abbatis Typis traditus est Venetijs anno 1386. plura de prædicto B. Cyrilli Oraculo, & scholiaste Ioachimo descripsit; vbi à Spiritu Sancto illud acceptum sæpius refert. Bartholomæus quoque Pisanus Minorita *in lib. Conformitat. vitę B. Francisci ad vitam Iesu Christi*, magnam partem Oraculi nostri cum expositione Ioachimi, præsertim quoad totum cap. 11. refert.

B. Cyrillus vt Propheta habitus.

9 Prædicti quoque Angelici Oraculi occasione B. Cyrillus vt Propheta à pluribus, nec incongrue, celebratur. Ioannes enim Molanus *in additionibus ad Martyrolog. Vsuard. die 6. Martij* de eo: *Cui Deus tanquam fideli amico de futuro mundi statu quamplura reuelauit*. Hermannus etiam Schedelius in Chronic. 6. mundi ætate, *Prophetiæ spiritu conspicuum* dicit. Idem & eisdem verbis, Vvernerus Rouelinch author libri *Fasciculus temporum*, & historia addita Speculo historiali Vincentij. Paulus Langius *in chronic. ann. 1250*. Ioannes Rioche *in Compend. temporum tit. de sacris Doctorib. cap 53*. Trithemius quoque de Scriptoribus Ecclesiasticis illum vocat; *Prophetico spiritu illustratum* quod etiam habet Iacobus Philippus Bergomensis *in supplement. Chronic. l. 2. circa ann. 1199. & lib. 13. §. 2*. Item Bartholomæus Pisanus & Nicolaus Catalanus *vt supra* Oraculum hoc *Prophetiam* appellant. Theatrum vitæ humanæ fere idem *volum. 3. l. 4. pag. 1337.* Fauet Martinus del Rio *lib. 4. disquisit. mag. cap. 1. quæst. 2. sect. 2*. Præterea Carolus de Tapia *in authent. ingressi verb. Monaster. cap. 17.* & Paulus Morigia *in histor. Religionum* B. Cyrillum *Prophetam* compellant. Nec de hoc,

aut

aut de huiusmodi Oraculo Scriptorem aliquem dubitantem reperimus, nisi vnum Balæum. Etsi enim rei veritate conuictus Cyrilli gesta, & Oraculum sæpius inculcauerit, *præsertim Centur. 4. in Gilberto Theologo, & Centur. 2. in Cælest. 3. in Laurentio Anglico, in Eugenio 4. Item Centur. 1. in Ranulpho Glanuyle*, quin, & fateatur Cyrillum ab Eugenio 4. in Sanctorum numero relatum; an vero Angelicum hoc Oraculum ipsius à Sancto Spiritu, an ab Angelo Sathanę, profectum sit, in dubium hic fori tabula vertit: eo quod Cyrillus *Monachus fuerit, Carmeli Incola*, & *dum Missæ sacrificium perageret*, illud à Deo medio cælesti Paranympho accepisse dicatur. Sed ò pulchra propudiosi apostatæ cauillatio! Quæ veritatem extorquere poterant, nugas, & scurrilia ab impuro pectore exhauriunt. Numquid, ò hæretice, *Monachismus*, deserti *incolatus*, aut *Eucharistica synaxis* Dei reuelationibus obsistunt, ne dum iuuant? O infęlices Antonius, Paulus, & Hilarion cum sexcentis alijs, qui similibus addicti, diuinis illustrationibus obicem talem ponebant: Sed abeat Balæus, & de Summis Pontificibus, Ecclesiæ Sacramentis, sacris ritibus, cœlibatuque sæpius blasphemè obloquentem contra Oraculum quoque Cyrilli, Spiritumque Diuinum, per ipsum futura prænunciantem, latrare sinamus. Habemus enim nos firmissimum Propheticum sermonem, Ecclesiæ nempe auctoritatem, quę sæpius prædictam Sacram visionem decretis approbauit. Quater enim à Sede Apostolica Officium ipsius, vbi de hac visione fit mentio, robur accepit, & grauissimorum calculum virorum, apud quos in offenso pede, Catholico nullo musitante, in veneratione fuit.

Ann. Christi *1193*. Cœlestini *3* Rom Pontif. *3*. Henrici Imper. *3*. Isaaci Angeli Imperat Orient. *8*. B Brochard. General. *6*.

1 LAborabat hoc anno Pontifex Cœlestinus, litteris Aleonorę Anglorum Reginę maximè permotus, vt filium Regem captiuum apud Imperatorem libertate donaret. Pax ergo & concordia inter ipsos hac lege firmata est, vt liber Rex recederet magna soluta summa marcharum puri argenti. Rogerius, Sigonius, & Baronius *sub hoc anno*. Moritur eo tempore Tancredus Rex Siciliæ, relicta Sybilla vxore, & Gulielmo filio vnico; cuius morte audita, Henricus expeditionem parat in Siculos, & Neapolitanos. Gordonus, et alii. Licet in redemptionis pretio discrepare videantur. Papæ gesta.

2 Obijt etiam eodem anno, singulari Dei prouidentia inimicus ille Christianæ Religionis, Saladinus, qui tot mala Terræ Sanctę, nostrisque commorantibus Religiosis influxerat. Cum autem inter filios, & fratrem ipsius maxima dissensio exorta esset, spes bona erat, si Deo placuisset, recuperandi perditas Ciuitates, & ad pristinum splendorem Christianitatem Saladini obitus.

in illis partibus redeundi. Rogerius *sub hoc anno*, Marinus Sanutus *de secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 10. cap. 9.* Illud celebre valde de hoc Saladino refertur, quod qui totius fere Orientis Princeps extiterat, testamento iussit, vt indusium lineum ante funus gestaretur, & voce praeconis diceretur: *Hoc tantum ex hoc mundo Saladinus magnus asportauit.* Blondus, Sabellic. Historia Hierosolymitana, & alij.

Cypri Regnum. 3 Prædicto etiam anno vel circiter, Guido iam pridem Hierosolymorum Rex proprio statu à Turcis spoliatus, cum Cypri Regnum à Ricardo Anglorum Rege, qui illud dum Palæstinam accederet à Græcis abstulerat, suscepisset, illuc præfectus est possessionem capturus. Cum eoque ex omni natione Christiani venientes Cyprum appulerunt. Stephanus Lusignanus *in Chronograph. Cypri fol. 34. & 49.* Ex nostris etiam plures cum ipso aduenisse, ex fundationibus Monasteriorum, quæ in ea Insula fuerunt à tempore primorum Regum ipsius, vt *sub anno sequenti* dicemus, facile colligitur. Accedit quod pia & sancta conuersatio tum illorum, tum præsertim Beati Brocardi Hierosolymitani Ordinis Generalis eidem Regi proculdubio cognita, rem solicitare, ac perficere poterat.

Ioachimi Epistola. 4 Ad eumdem quoque annum prudenti coniectura ducti referre duximus litteras ab Abbate Ioachimo ad B. Cyrillum missas, simul cum Commentario in Oraculum Angelicum ei a Cyrillo transmissum. Cum enim anno proxime præcedenti B. Cyrillus eidem præfatum Oraculum, latore Thelesphoro, destinauerit, iure hoc præsenti litteras responsiuas simul cum Oraculi expositione ad eum transmisisse existimandum. Extracta ea sunt ex S. Vaticana Bibliotheca, vbi tam Oraculum, quam ipsius expositio cum mutuis litteris Cyrilli ad Ioachimum, & Ioachimi ad Cyrillum inter eiusdem Ioachimi Abbatis opera habentur. Quorum etiam copiam pro nostra Transpontina Bibliotheca extrahendam curauimus, vbi etiam reseruantur. Epistola porrò Ioachimi, ad B. Cyrillum, demptis quibusdam, quæ consultò à nobis prætermittuntur.

Qualis fuerit. 5 *Stellæ manenti in ordine sanctitatis, in formula honestatis, in nidulo parcitatis, orbem opacum, deformem, & squallidum, virtutibus illustranti, moribus informanti, exemplis ornanti, Cyrillo Presbytero in Monte Carmelo, Monte Sancto, Monte vberrimo, pauperi quidem superfluis opibus huius mundi; quod bonum est, sed diuiti gratia Iesu Christi, quod optimum est, Ioachim Abbas solo nomine, sed scurra & ethnicus opere, gratiam & gloriam &c. Charisma cæleste recipiens latore Thelesphoro, quem misisti; & Easto fideli ac deuoto interprete, quem inueni, quanto gestiuerim gaudio, ipse tibi litteris explicare nequirem. Quis ex insolito munere à Rege Regum, & Domino Dominantium pie porrecto non duceret medullitus exultandum? Et, si foret possibile in immensum? Puto autem hunc stylum nouellæ, ornatæ, compendiosæ scripturæ à Cælesti Doctore demissum, vt in se primum ostenderet diuitias plenitudinis scientiæ, tam futurorum quam præteritorum (quod & in multis alijs scripturis collegimus) & nos qui eius miranda scripta deuotione amplectimur, deuotiores ad se ipsum, & sacrorum voluminum*

luminum

luminum nexus quodammodo inextricabiles enodandos, solicitiores efficeret, & profundum eloquiorum nobis per ipsum detegi, feruentiores redderet ad petendum. Quod autem tibi diuinum Oraculum glossulis declarari postulasti, quippe cum intellectus tui perspicacitatem, & eloquij venustatem intuear, ex transmissa epistola, hoc percepi, te posse disserere, si disseri potest humana indagine. Sed vt referem tibi quod reor, hoc non puto posse per hominem plenariè, nisi forte clauem Dauid super humerum deferens de gratia speciali sensum alicui aperiret, vt intelligeret hanc scripturam. Quis namque poterit explicare quid terra periurij, *&* terra gulosa, *&* egens? *Quid* Sol in vtero Scorpionis, *&* extra effugiens? *Quid* detrusus ergastulo plagis septem, & quatuor coram se vili aculeo punctus? Ros tepidus; hircus, & apis; anser, & ouis, nigrum & piscis, lapis, saxum, & stimulus, nouus radius, crux non comitans, etas annorum, cornu, vel cornulum *& alia multa designent? Sana si per* Solem *aliquem hominem famosum & nobilem intellexerimus nasciturum in aliqua rebelli, atque, perfida, siue proditoria regione, quid* viscera Scorpionis, *&* Scorpionitæ furentes *designant? Fortasse intelligemus aliquem alium præpotentem cum filijs fautoribus, quibus amicabiliter ipse nobilis coniungetur in propria Regione, quem tandem, & bellantes contra eum praualeant, & eumdem in se, vel in prole detineant. De* corona superbię *satis patet clarè quod significet Ecclesiæ ministros nonnullos, multa crassedine, et torpedine prolapsuros, et ad vitia carnalia, et simoniaca ruituros.* De Regulo, *et eius sobole, eorumque complicibus* [illegible], cauernam, *hoc est, matricem Ecclesiam, deuastantibus, Romanum Imperium, et eius fautores diuersorum locorum, et temporum successores insinuat. De* Colubro tortuoso frigescente foras cauernam, *Regnum Græcorum intelligit ad vnitatem Ecclesiæ fictè per modicum ingressurum. De duobus sæuissimis animalibus,* Leone *videlicet, et* Dracone, *duos Reges intelligit ad inuicem expetituros. Et quod sequitur exinde* de Thau erecto, ac geronica cum cocco, ac rude arente per diem, & semis, arctatoque pomario Virginis, *et aliquibus alijs notabilibus quæ sequuntur; potissime* de vnione virgarum, et diade rutilante, Vrsoque mirabili cum rete, & grano, infulisque volantibus, & Aquila nigra magna pennata, cum arida siccitate *diademanda, tangit postmodum Ecclesiam ruinam aliquam perpessuram. Deinde, Clerum, qui facinoribus simoniacis collapsus iniuriam passurus est ferme irreuocabilem, pro vt autumo, significat. De* antiqui serpentis germine *se* latenter contra Crucem & duas columnas vetustas, *scilicet Enoch, et Eliam, aliosque electos ad prælium properante, quod tantæ potentiæ, astutięque futurum est, vt ad tempus videatur Dei virtutem, potentiam, et ingenium superare, Antichristum, in huius mundi senium aduenturum. De* mulieribus & puellis, & bestijs, *quas* hasta ferit bicornis, *non vsquequaque lucescit. Quamquam sit certum summariè intelligere etc.* Hic omittimus partem illam epistolæ, de qua supra. Sequitur Ioachimus. *Denique sermonem texere ordinatum super totum Oraculum non est meum, cum altam Scripturæ profunditatem quis nequeat inuenire. Et maximè in primo huius libri capite, volo etiam, vt alij litterati in hac tenebrosa aqua nubium aerearum experian-*

periantur. Et hoc proculdubio in locis aliquibus erit aliquando necessarium. Quoniam temporibus, quibus hæc impleta patebunt, acuti lectores quodammodo arctabuntur videre, & quod legendo perceperint indicare, & interlineales, seu glossales deforis scriptitare. Veruntamen aliquas eius particulas in marginibus pergamineis, quas † punctatas signabo prout sciuero, elucidabo, eo dictante, qui scripsit. Ipse enim Spiritus multiplex multiplices suggerit suæ scientiæ intellectus, quibus glossularij sæpius autumantur se errasse cum non ita occurrat, vt in glossulis expresserunt; sed spiritus, qui est vere Deus absconditus vt memorat Isaias, ita diuidit singulis prout vult sermonum suorum interpretationes, teste Apostolo, vt sit semper absconditus, in se totus, non pallificans quidquid intenderit, ne gloriam suã alteri tradere totaliter videatur. Nec tamen ex hoc fraudantur a suo desiderio glossatores, cum et Spiritus Sanctus vltra eius intentum, quod in sua posuit potestate, id ipsum intenderit, quod ipsi descripserint. Vale millesies Christi miles.

Ioachimi Commentarium.

6 Commentarium autem hoc Ioachimi in eiusdem B. Cyrilli Angelicum Oraculum, quod ipse appellat *particulas † punctatas*, habetur, vt diximus, tum in præfata Vaticana, tum in Transpontinæ Bibliothecis. Magnaque ipsius pars inserta est operi Thelesfori de Cusentia Eremitæ *in lib. de magnis tribulationibus*; & statu Ecclesiæ, de quo sub anno præcedenti diximus; & etiam apud Bartholomæum Pisanum Minoritam; & Nicolaum de S. Mauro relatos. Illud vero hic non transcribimus, quia in eo aliqua continentur quæ aliquibus, pusillis saltem, scandali occasionem, a quo longissime abesse desideramus, afferre possent.

Ann. Christi *1194*. Cœlestini *3*. Rom. Pontif. *4*. Henrici Imperat. *4*. Isaaci Angeli Imper. Orient. *9*. B Brocardi Gen. *7*.

Huius temporis gesta.

1 HOc anno Ricardus Anglorum Rex a captiuitate, qua apud Imperatorem erat detentus, Aleonoræ Reginæ matri traditus est. Constat autem ex vera plurium relatione, ac visione cuidam peregrino facta, diaboli opera factum fuisse, vt inter Reges Franciæ, & Angliæ discordia exorta esset, ne opus Dei in terra promissionis prosperaretur. Imperator interim magnam cladem Siculis infligebat; quæ nec Episcopis, aut Archiepiscopis pepercit, vt patet ex epistolis Innocentij lib. 1. epistola 24. & 25. Nec etiam nostris fratribus in Conuentibus Messanæ, & Leontini existentibus pepercisse facile creditur. In his autem Cœnobijs Carmeli Eremicolas hoc tempore fuisse ex dictis de Leontinensi tomo 3. sub anno 827. & de Messanensi supra ad annum 1173. haud obscure elicitur.

Gesta in Terra S.

2 Circa id tempus, cum Imperator ad Terræ Sanctæ subsidium Alemmannorum multitudinem misisset, treguas cum Turcis soluere iubens, Beriti Ciuitatem ab ipsis abstulit. Iacobus de Vitriaco *in histor. Hierosolymit. cap. vlt.* Marinus Sanutus *de secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 10. cap. 8.*

cap. 8. Huius autem Vrbis recuperatione nostros Eremitas in ipsa olim commorantes, vt diximus, etsi sub dubio, & secundum aliquos ann 1151. ad proprias Sedes in ea occupandas, sollicitante pio zelo B. Brocardi Generalis, iterum redire potuerunt.

3 In eiusdem etim B. Brocardi sanctitatis præmium à Deo prouisum est, vt in Insula Cypri non paruam sui Ordinis propagationem eo tempore factam videre meruerit. Cum enim Hugo primus Rex, eiusque post obitum successor Almaricus frater, Regni administrationem suscepissent, Eremitæ nostri eis ob vitæ religiosæ famam satis noti in Ciuitate *Nicosia* Ordinis Monasterium fabricarunt: hoc autem anno vel circiter id contigisse clare elicitur ex Stephano Lusignano Ordinis Prædicatorum *in Chronographia*, seu historia *Cypri fol.* 52. dum inquit quod in principio Regum (hoc scilicet tempore) Carmelitæ Nicosiæ Cœnobium extruxerunt. Et colligitur ex eo quod *fol.* 34. subiungit, videlicet Regem Guidonem cum Cyprum aduenisset cum multis, diuersarum nationum locum eisdem in Ciuitate Nicosiæ pro Ecclesiarum, & domorum ædificatione destinasse. Quibus si iungatur, quod, eodem Lusignano teste fol. 49. anno præcedenti Rex Guido Cyprum se contulerit, pro comperto habebitur sub hoc anno, vel circiter, id accidisse. Est autem *Nicosia* alias *Letra* Vrbs totius Cypri primaria ab ora Boreali aliquantisper distans à Constantia, & ab Hamacosto altera Vrbe præclara 12. leucis. Philippus Ferrarius *in lexicon Geographico*. Huius porro Nicosiensis Cœnobij Ecclesiam tituli S. Crucis fuisse elicitur ex litteris Reuerendiss. D. Petri Vespa Ordinis nostri Episcopi Paphẽsis ad Reuerendiss. P Theodorum Stratium missis, datis Nicosiæ 8. Sept. an 1636. In quibus etiam id refert quod sub eius Eccl. Choro repererit Ordinis Constitut. a 300. annis editas, item Cęremoniale, a 150. cum Imagine pallio albo cooperta. Hæc Reuerendiss. hic Dominus scribebat, cum esset Visitator Apostolicus Regni Cypri.

Ordinis propagatio in Cypro.

4 Alia etiam in eadem Cypri Insula seq. tempore, eodem Lusignano testante, construxerunt nostri fratres Ordinis Monasteria; videlicet in *Neapoleos* Oppido eiusdem Insulæ apud *Amathuntẽ*, cuius meminit Metaphrast. apud eumdẽ Philip. Ferrar. Item in *Famagusta*, seu *Arsenoe* vrbe hac tẽpestate primaria post Nicosiam, eodem Ferrar. teste. Hoc Monast. Famaugũstę augustę famę apud nostros est, quod in eo B. Petrus Thomas Patriarcha Cõstatinop. nostri Ord. decus, sepultus, multis miraculis claruerit, vt suo tẽpore dicemus. In *Limisio* etiã, alias *Amathio*, altera eiusdẽ Regni Episc. Vrbe in ora Australi, ex qua Cyprus *Amathusa*, dicta est, aliud quoq; Cęnobium extruxere. Insuper extra *Limisium*, seu *Amathũ*, ad vnam leucam versus casale *Apelemidia*, aliud Ord. exiguũ erat Eremitorium. Pręter quę *Cagliana* ingens Oppidũ, seu casale nostrorum fratrum possessio fuit. De ijs omnibus pręfatus Steph. Lusignanus *in chronograph. Cypri fol.* 9. 11. 15. 19. 32. 33. *et* 34 De alia quoque nostrorum mansione, Eremitorio scilicet, in eadem Insula, & in Eremo *Fortaniæ*, dicens cum Gullielmo de Sanuco sub anno 1238.

Alia Cœnobia.

Ad

Conuentus Brundusinus

5 Ad hunc etiam annum refertur prima fundatio Conuentus nostri, Deiparæ Virginis Carmelitarum articulari in antiqua, & celeberrima Italiæ, & Appuliæ Vrbe Brundisina. Ita enim constat rescriptum esse ex ea Prouincia ad præceptum Innocentij X. quo omnibus in Italia existentibus Monasterijs præcipiebatur, vt de ipsorum fundatione relationem Sanctissimo darent. Occasio autem eius fundationis potuit esse, quod cum sub hoc tempore totum Neapolitanum Regnum in Imperatoris dicti potestatem deuenisset, ipseque Imperator expeditionem pro Terræ Sanctæ defensione pararet, Classisque maritima apud Brundusium esset; Ecclesia quædam cum Hospitali ibi extructa est sub nomine *S. Mariæ Germanorum* iuxta Castellum eiusdem Ciuitatis, cuius etiam vestigia modo extant. Forsan etenim in illa aliqui ex nostris Eremitis Carmeli montis adessent; prout suspicari possumus ex eo quod diximus in superioribus de aduentu ipsorum in Italiam & fundatione Conuentum; ac ex eo, quod in eodem ferme loco Cœnobium postea habuerunt sub anno 1221. Etsi autem, vt diximus, pro hoc anno huius Conuentus prima, & veluti inchoata fundatio assignari possit, perfecta tamen ipsius Institutio non nisi ad præfatum annum 1221. ascribenda videtur. Fundatore nostro Sancto Angelo Martyre, qui eo tempore velut nubes imbrifera per Italiam, & Siciliam Euangelium prædicans, Brundusium venit. Cui traditioni fidem confert fons surgentis aquæ dulcissimæ ibi conseruatus, & hodie nuncupatus, *Fontana di S. Angelo Martire.* Ex quo latices deuotè receptos hominum infirmitatibus medendis proficere, ex Dei gratia, & eiusdem Sancti intercessione, perhibetur. Hanc igitur ob causam ista Brundusina Domus primum, & vetustiorem locum inter alia Appuliæ Prouinciæ Monasteria possidet. De mutatione porrò huius Monasterij, quæ circa annum 1529 ob bella, & ruinam Ciuitatis contigit, sequenti tomo, si Deo placet, dicemus. Consuli interea potest Ioannes Maria Moncinus eius Ciuitatis Cronologus *lib. 3. cap. 10. & lib. 5. cap. 6.*

Ann. Christi 1195. Cœlestini 3 Rom. Pontif. 5. Henrici Imperat. 5. Alexij Angeli Imperat. Orient. 1. B. Brocardi General. 8.

Gesta huius temporis.

1  Lexius Angelus frater Isaaci Imperatoris Græcorum, eum captum, oculis, & Imperio priuat. Nicetas, Gordonus, & alij. Vicissim Henricus Imperator causatus quandam in se conspirationem Siculorum, Sybillam Reginam carceri mancipat, filium Guilelmum oculis priuat, & Tancredi amicos acerbe mulctat. Blondus, Sigonius, Gordonus, & alij.

S. Angeli, & fratris gesta.

2 Eodem tempore, ab anno scilicet 1193. quo Sanctus Angelus, & Ioannes compar, ad annum septimum attigerunt, vsque ad 18. ætatis annum

num qualiter in litteris, linguis, artium peritia, & bonis moribus profecerint, sic narrat eorum vitæ Historiographus Enoch Patriarcha *cap.* 4. eius operis. *Sepultis parentibus, Angelus, & Ioannes in domum Nicodemi adducuntur, vbi crescente firmiori ætate, linguarum, & artium peritia, ac moribus informari cœperunt. Hæbraicas primo, Græcas proximo, Latinas postremo loco litteras paucis annis tanto studio didicerunt, vt à septimo ad 18. suæ ætatis annum trium linguarum peritissimi censerentur. Verumtamen cum linguis non mediocriter, & artibus, & scripturis profecerunt adeo, vt eruditam eorum adolescentiam, & optimis informatam moribus, nemo satis admirari posset.* Hæc ibi. Quod primo loco Hæbraicas litteras, secundo Græcas, & tertio Latinas didicerint, indicat eos ex Hebræis, & Syris natos sub Græco ritu, Syrorum more, vere tamen Latinæ Ecclesiæ filios reuerentes fuisse.

3. Inter eos, qui hoc tempore in Religione florebant, præter Beatum Brocardum Generalem, Beatum Cyrillum Carmeli Eremitam, & Eusebium eius socium, quos alibi recensemus, numeratur etiam *Eastus* Oraculi Angelici ab eodem Cyrillo ad Ioachimum delati *fidelis*, & *deuotus interpres*, prout idem Ioachimus *in Epistola ad Cyrillum* eum vocat. Erat enim eiusdem Montis Carmeli Eremita, vt habet Posseuinus *in Apparatu Sacro littera E.* Ex eo autem, quod de eo dicat præfatus Ioachimus eum inuenisse elicitur è Carmelo Siciliam, vbi & nostri tunc erant, iam pridem aduenisse, & propterea ad Oraculi ex Græco in Latinum idioma versionem ab eo fuisse vocatum. De Telesphoro illo eiusdem Oraculi à Cyrillo latore designato, quem memorat Ioachimus in præfata Epistola, qui Græcus homo, vt vel nomen ipsum indicare videtur, etsi nihil certi habeatur, credibilius tamen est ex eiusdem Montis Eremitis fuisse. Neque enim rem magni momenti, & quæ secretè peragi debebat, extraneis, vir prudens Cyrillus commisisset. Eastus.

Ann. Christi 1196. Cælestini 3. Rom. Pontif. 6. Henrici Imperat. 6. Alexij Angeli Imper. Orient. 2. B. Brocardi Gen. 9.

1 Vigebat bellum hoc tempore inter Francos, & Anglos. Cum autem victoria penes Anglos inclinasset, Episcopus Bellouacensis, qui Franci partes gerebat, cum alijs pluribus captus, Pontificem Cęlestinum pro sua libertate interpellabat. Cui Pontifex digne respondit, ipsum, & in eo quoscunque Episcopos, seu Ecclesiasticos, arma contra fideles pręter fas, iusque Ecclesiasticum sumentes, his verbis redarguens. *Sinistrè licet tibi euenerit, nec mirum, cunctorum enim meretur odium, qui omnium se in commune approbat inimicum. Præsulem enim pacificum exuens, militem Religiosum induisti, clypeum pro infula, gladium pro stola, loricam pro albâ, galeam pro mitra, lanceam pro baculo pastorali, ordinem rerum,* Bellum inter Reges.

& seriem

& seriem peruertens. Rogerius *in Annalibus*, Baronius *sub hoc anno*; Quamuis litteræ sub anno sequenti referantur à Rogerio. Legant eas, qui hanc Summi Pastoris sanam doctrinam exequi nolunt.

De B. Angela.

2 Inter ea, quibus etiam in hoc sæculo Beati Brocardi eo tempore Generalis, sanctitatem, Deus honestare voluit, illud computandum, quod eius æuo primum post Aymericanam reformationem fæminæ etiam Ordini nostro nomen dederint. Inter quas insignis valde est B. Angela *filia Regis Bohemiæ* dicta; quæ ab ipso Brocardo Carmeli velamen accipiens, Anachoreticam post vitam duxit, miraculis, reuelationibus, & libris editis claram. Quia tamen huius Virginis historia diuersimode satis ab Authoribus etiam nostris refertur, ideo singulorum placitis relatis, quid magis veritati, quam sectari profitemur, cohęreat, enodabimus. Primo ergo Ioannes Balæus, & Centuriatores Magdeburgenses, vt sub anno 1164. retulimus, inter eos, qui visiones, reuelationes, seu prophetiæ spiritum, à Deo eo tempore accepisse ferebantur, Angelam nostram recensent, quod vero filia Regis fuerit, nihil de eo promunt. Gesneri autem Bibliothecæ Authores, & Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro in Appendic. littera A.* filiam Raimundi Regis Bohemi eam vocant, à Beato Brocardo Carmeli velamen in Tyro Palæstinæ accepisse dicunt, & claruisse, seu vixisse sub anno 1190. Gesneri Bibliothecæ hæc sunt verba, quibus similia prorsus Posseuinus. *Angela virgo Raimundi Bohemorum Regis filia in Tyro Palæstinæ, post mortem Genitoris sub Doctore Brocardo Hierosolymitano, Carmeli velamen accepit, & Anachoreticam vitā ducens, scripsit Contemplationes de Christo lib. 1. de Eucharistia lib. 1. Item Reuelationum lib. 1. claruit anno 1190. Corpus eius Pragæ in Carmelitarum Monasterio conditum est*. Eadem cernet lector in Ioanne Iacobo Frisio in sua Bibliotheca Tygurina aucta & edita. Consonat Martinus del Rio *in disquisitionibus Magic. lib. 4. cap. 1 quæst. 3. sect. 4.* quæ est de *Prophetijs seu reuelationibus Virginum, quæ Canonizatæ &c.* vbi sic incipit: *Fuerunt multæ huiusmodi, quarum extant reuelationes vt Sancta Angela Virginis filia Regis Bohemiæ Ordin. Carmelitar. quæ scripsit librum reuelationum ante annos* 400. De nostris quoque antiquis Scriptoribus Balduinus Leersius Belga, Supprior Carmeli Atrebatensis in suo Collectario cap. 5. sic proloquitur: *Similiter & S. Angela filia Regis Bohemiæ, quæ à pueritia Deo, & Virgini gloriosæ in castitate & deuotione seruire studuit, ipsum sanctum habitum Ordinis ob reuerentiam Virginis gloriosæ induit, in quo multis fulgens miraculis sancte, & piè obijt, cuius corpus in Ecclesia Pragensi honorifice est sepultum*. Arnoldus etiam Bostius in Patronat. Mariæ Carmel. cap. 9. hęc scripsit: *Angela filia Regis* Bohemiæ *quæ Pragam illustrat, & Anna Tholosana sacratæ Virgines prædignæ Regalis Mariæ pedissequæ, Domini Iesu Christi Augustæ formosissimæque sponsæ, plenis oleo lampadibus, virtutum scilicet fertilitate corrusca*.

Quas licet inferior sexus discriminet Ordo
Non tamen inferior virtutum carde sequestret:
Quas condunt rutilis lilia mixta rosis;

Sub

Sub Elia clamyde copiosa sanctitate, miraculosisque prodigijs late claruerunt. Ioannes Currifex in Cathalogo Sanct. sui Ordin. *S. Angela filia Regis Bohemiæ, quæ illustrat Pragam, ibique sepulta.* Præterea Philippus Metius Germanus in Cathalogo, seu opusculo, de Scriptoribus Ordinis sui. *S. Angela filia Regis Bohemiæ, virgo deuota, & sanctissima, familięque Carmelitanæ lux, & decor, scripsit librum Reuelationum doctum, & valde pium; scripsit eadem contemplationes de Christo, lib. 1. de Eucharist. lib. 1. claruit anno 1190.* Item in alio tract. de Sanct. eiusdem Ordin. *B. Angela Raymundi Regis Bohemiæ filia, in Tyro Palæstinæ post mortem patris sub S. Brocardo secundo Priore Generali Ordinis habitum suscepit, in quo ita vixit, vt Deus eam multis clarificauerit miraculis.* Illis adhæret Ioannes de Cartagena Minorita tom. 2. homil. lib. 17. homil 4. sic loquens: *Postmodum vero, vt obseruauit D. Thomas 2. 2. q. 174 non defecit spiritus hic propheticus in Ecclesia Christi, etiam in fœminis Etenim dono prophetiæ floruerunt* B. *Angela Monialis Carmelitana filia Regis Bohemiæ, S. Birgitta, &c.* Sed Ioannes Palæonydorus Ordinis author percelebris libro 3. cap. 7. solum de hac Virgine id scripsit quod Ordinis scapulare a Beatissima Dei Genitrice B. Simoni concessum susceperit, gestauerit, & se Religioni nostræ obtulerit; quo eam non tam Monialem, quam Tertiariam, seu Ordinis oblatam, credidisse videtur. Filiam tamen Regis Bohemiæ eam vocat. Cum autem id accidisse credat post visionem sanctiss. Dei Matris B. Simoni factã, quæ ad minus post anu. 1145. quo ipse ad Ordinis Generalatum fuit euectus, contigit ideo pro eo tempore B. Angelam claruisse putasse constat. Extat tamen huius Sanctæ Virginis vita, Anonymo Authore, in Manuscript. à Reuer. P. Vvastelio ad nos è Belgio missa, in qua plura, ipsaque eximia de ipsa conscripta reperiuntur. Et primo, Author ipsius à ducentis circiter annis eam descripisse videtur, cum solum mentionem faciat hæresis Pragensis, quæ sub anno 1410. cõtigit, & vt ipse inquit (*quæ etiam nunc adhuc durat*) non autem Lutheranæ, quæ postea fuit, & idcirco hac vetustior credendus. Natione Alemannum se insinuat, dum prædicta Pragæ hæresi relata quasi suæ Patriæ statum deplorans subiungit *Deus prouideat*. Ordinis nostri Alumnus ostéditur, dum loquitur de Priorissa Hyerosolymitani Cœnobij, quæ ad habitum Angelam admisit, iuxta dicenda *sub ann.* 1200. Ipsa autem historia, licet satis simplici stylo scripta sit, etiam hoc ipso maiorem fidem meretur, quod Monasterium Monialium nostrarum Brugis in Belgio constitutum (in quo eadem in duobus diuersis exemplaribus reperta est) ante tempora Guessiorum semper pro Patribus Confessarijs aliquem ex doctissimis habuerit ejusdem nostri Ordinis, atque honoris sui Ordinis zelantissimos magistros; scilicet Adrianum Ecclantium, nominatissimum Arnoldum Bostium, Liuinum de Vos, & alios. In hac porrò historia, sicut in simili alia ex eodem Brugensi Monialium Cœnobio extracta, quam notis illustrauit noster Segerus Pauli Coloniensis diligens vetustatum Ordinis indagatór, & apud me habeo, non solum Angela *filia Regis Bohemiæ*

nuncupatur, sed etiam de ea sequentia, & his verbis, habentur. *Ciuitate Praga in Regno Bohemiæ tenella Virgo Angela filia Regis Bohemiæ, pulchra quidem, & casta vultu, sed multo ipsa in fide castior, ortu nobilis, sed multo vita, sanctissimaque vitæ usu nobilior: ac primum quidem, iuxta Patris Regis voluntatem in Monasterio habitans, vt vna cum Latino sermone etiam bonos mores addisceret, eosque a teneris imbiberet. Vsque adeo profecit, vt sicut ferrum ferro limatur, & exacuitur, & charitas charitate fouetur, ita & ipsa virgo aliarum virginum eruditione, bonisque ac laudatissimis operibus sedulò ædificata, pro suæ mentis fœcunditate plurimum fructum fecerit in Sacræ Scripturæ intelligentia, ac diuino amore: iuxta id quod patri suo Regi ea de re attestata est dicens, se in Monasterio vidisse S. Hieronymum inter Moniales, & cum illo S. Eustochium. Contigit, vt quadam die sub noctem supplex ad Deum coram Altari summo preces faceret, prostrataque somno paulatim vinceretur: quo in somno vidit gloriosam Virginem Mariam stipatam multitudine Angelorum suauissimum concentum facientium; quo ex somno ad se reuersa cognouit eos canere,* Aue Regina Cœlorum, Aue Domina Angelorum. *Hoc cantu finito, præmonita est ab Angelo ad se misso, patri in animo esse ipsam ad se accersire, eamque connubio iungere;* qua propter proficiscere, *inquit,* Hierosolymam ad Monasterium Beatiss. Virginis Mariæ de Monte Carmelo. *Hoc ipso tempore Pragam appulerat Regis Vngariæ filius, & Regni hæres, adolescens insignis pulchritudinis, visurus, atque alloquuturus Regis filiam de futuro coniugio: at Angela noctu se amiciens amictu virili, reiecto habitu bissino, maiusculo charactere epistolam scripsit in hunc modum* Ego: Angela assumo mihi vestes tuas, & togam meam admodum pretiosam tibi pro eisdē relinquo: hanc vendes, vt tibi pro ea alias vestes cōpares. *Facto ergo mane adfuerunt Regis Nuncij, qui filiam domum reducerent, sed frustra: fuga enim ante elapsa erat. Inde turbatum fuit omne Monasterium, & Rex ipse indignatus, Monasterium, atque ipsum cubiculum filiæ suæ Angelæ ingressus est, in quo manu filiæ epistolam reperit conscriptam Latinè:* Quæretis me, & non inuenietis &c. *Propterea consilium meum tibi aperiam, & animi mei propositum hoc scripto manifestabo. Super omnia solum Christum diligo, cui fidem meam ac meipsam despondi. Propterea hinc sum egressus quod cor meum nimio desiderio teneatur videndi cubiculi, vbi post meridiem ipse cubauit. Ecce nunc scis vbi ego sim. Si ergo mihi meus esse pater cupis, ac me tibi habere filiam, ne præsume, obsecro, me separare à vero meo cælesti Patre. Fateor tu meus es pater, & ego filia tua sum: sed alium habeo Patrem in Cælo, qui Rex est Regum, & Dominus Dominorum: ipsius ad me missa nuncia audiui, Audi, inquit, dilecta filia, & inclina ad me aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Rex itaque ob hæc stupefactus, inquirit an nemo sit in Monasterio, qui sciuerit huiusmodi illius propositum, sed cum omnes se se excusarent, causamque decessus dicerent se ignorare, domum suam reuersus est Rex grauiter ferens, quod ipsam aliquando eius instituendi causa collocasset in Monasterio. At, qui cum eo erant viri nobiles ipsum consolabantur, aiebantque, Domine Rex pone mærorem: Si enim Dei voluntas sit vt agat vitam religiosam, non licet, neque potes resistere*

sistere Deo: si autem hoc faciat ipsa suo tantum arbitratu, breui te ipsius præsentia solabitur: varium & mutabile semper fœmina: pecuniam non habet, nec paupertati assueuit, neque ad labores apta est quæ totam ætatem detriuit in scholis. Tantum mitte ad vniuersa Monasteria, atque Hospitia, facile eam rehabebis. Atque ita pacatior reddebatur Regis animus; nobilium interea consiliū exequens. Hæc ibi etsi simpliciori stylo. In antiquo etiā Calend. Ecclesiast. de SS. Ord. nostri, quod ante tempora Eugen. 4. descriptum videtur ad 28. diem Febr. sic legitur, *S. Angela filia Regis Bohemiæ Ordinis nostri.* Item Ioannes Gillemanus Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in Rubra Valle prope Bruxellam in suo breui Martyrologio, quod compositum dicitur tempore Sixti Quarti, tantum habet illud, *Angela Virgo Ordinis Carmelitarum in Praga filia Regis Bohemiæ.* Præterea in Catalogo quodam M. S. ad calcem libelli Reuerendiss. Ioannis Grosii Generalis de Sanctis Ordinis num 25. sic scribitur. *S. Angela filia Regis Bohemiæ 28. die Februarij,* & pagina versa in tabella rationis pingendi Sanctas Ordinis sic inuenitur, *S. Angela corona in capite cum ciborio in manu.* In libello etiam de nostri Ordinis Sanctis anno Domini 1510. impresso Spiræ hæc habentur: *S. Angela virgo filia Regis Bohemiæ, quæ illustrat Pragam, ibique sepulta.* Præterea in Choro Ecclesiæ Carmeli Francfortensis sub eius integra depicta imagine hæc leguntur: *B. Angela virgo, Regis Bohemiæ filia.*

Lux noua quid manibus portas ò Angela? Solem
Iustitiæ: Angelicis Angela iuncta choris.

Tandem in picturis peruetusti Refectorij Colonien. opera magistri Ioannis Vbach, qui illas fieri curauit ante centum ab hinc, & triginta octo circiter annos, inter reliquos Sanctos Ordinis etiam ipsa depicta fuit, vel adhuc est, cum ista subsciiptione. *S. Angela filia Regis Bohemiæ, quæ a pueritia Deo, & Virgini gloriosæ in castitate, & deuotione seruire studuit. Vnde coram suo Confessore votum castitatis emisit, & sanctum habitum Ordinis ob reuerentiam Virginis gloriosæ induit, in quo multis clarens miraculis sanctè, & piè obijt, cuius corpus est in Ecclesia Pragensi honorificè sepultum.* Hæc & nos ex relatione fidissimi Patris Petri Vvastellij è Belgio Romam missa.

3 Visis iam tot, & tā diuersis de huius Virg. incerta, & dubia historia, testimonijs, illud nobis restat enucleare, quid de illis sentiendum, quidue magis veritati conformius iudicandum. Et primo, hanc Angelam extitisse, tot, tum nostrorum, tum exterorum, monumenta adducta, rem euincunt: esto Pragæ, aut Bohemiæ Regno, vnde ipsa prognata dicitur, nulla his temporibus memoria reperiatur: hoc enim prudens quisque merito tribuere potest innumeris, ipsisque grauissimis, quas ea Regio, ob bella, hæreses, & similia incommoda, mutationibus, passa est, inter alias Europæ nationes. Secundo, errasse credimus Balæum, & Centuriatores Magdeburgenses, si velint pro anno 1164. hanc Virginem claruisse, vix enim hoc congruere potest cum eo quod de ipsa scribunt relati authores, maximè Palæonydorus, dum ait, sumpsisse, vel gestasse Ordinis scapu- *Iudicium de relatis.*

lare post visionem Sanctæ Dei Genitricis B. Simoni factam, hæc enim cum non contigerit nisi post ann. 1245, absdubiè iam prouectissimę ætatis, & plusquam octogenaria Angela esset. Proprius ad veritatem accedunt, qui sub anno 1190 claruisse, vel floruisse describunt, vt Gesneri, & Frisij Bibliotheca, & Posseuinus, hoc enim cum alijs quæ in eius historia habentur, satis congruunt; maxime si dicamus, eo tempore in tenella ætate virginem fuisse, vixque pubertatis annos implesse. Cum tamen eo anno ob nouissimam Terræ Sanctæ à Saladino vastationem tota fermè in manus Barbarorum deuenisset, totusque nostrorum exercitus in obsidione Acconis detentus esset, adeo vt nullam fermè Vrbem, in qua secure consistere possent, Christiani possiderent, ideo B. Angelam non eo tempore sed sub hoc anno vel circiter Palæstinam appulisse credimus; eo namque, magna iam pars, maritimarum, præsertim, vrbium, Christianis subiacebat, & ob treguas cum Turcis factas tranquillius degebant, vt propterea etiam Margarita Vngariæ Regis vxor vidua Acconem venire potuisset, vt testatur Rogerius *in annalibus sub hoc anno*.

Quo anno habitum susceperit.

4 Eo ergo tempore vel circiter B. Angelam in Tyro Palestinæ præclara Vrbe, velum, & habitum Religionis à Brocardo, prout Gesneri & Frisij Bibliotheca, & Posseuinus retulere, accepisse autumamus. Congruentius enim hæc temporis ratio cum vitæ ipsius historia, quam in sequentibus referemus cohęrere videtur. Nec contraria est huic nostræ opinioni inscriptio illa Refectorij Coloniensis, in qua coram suo Confessario votum castitatis emisisse, & sanctum habitum Ordinis sumpsisse dicitur. Cum & ipse B. Brocardus eiusdem Confessarius, saltem pro tempore quo in Tyro permansit, esse potuisset, ac proinde contrarietas in præfatis testimonijs non esse. Qualiter autem, quibusque Dei decorata fauoribus, Terram Sanctam peruenerit, indeque Hierosolymam visitandam secesserit ex dicendis compertum erit.

An filia Regis.

5 Id solum in præsenti discusionem meretur, quod tam in præfata historia de ipsius vita, quam apud plures Authores, quorum testimonia in superioribus retulimus, *filia Regis Bohemiæ* sæpius Angela nostra nominetur. Quin & *Raymundi* Regis filia à Gesnero, Frisio, Philippo Metio, & Posseuino relatis supra, expressisque verbis appellatur. Quod sanè non paruam ingerit difficultatem; cum neque in Bohemiæ Regibus aliquis *Raymundus* nomine, aut etiam Rex alius, qui filiam *Angelam* vocatam habuerit, in historijs illius Regni prænotetur: nec eo æuo Reges in Bohemia essent; prout ex eisdem historijs, & Theatro vitæ humanæ Beierlingui *littera M. titulo Magistratus fol.* 102. liquido constat: quin Balæus, & Magdeburgenses relati, hanc Virginem solum Angelam Bohemam, non Regis filiam appellent. Imo quia inter eos, qui eam Regis filiam nuncupant, varietas cernitur, nam etsi plures filiam *Raymundi* Regis dicant; nihilominus in vita eiusdem Sanctæ, quam præ manibus habet Ioannes Bollandus Societ. Iesu celebris Scriptor, vocatur filia *Vladislai* Regis.

Prop-

Propter huius ergo nodi solutionem non incongrue dici posse videtur Beatam Angelam, non Regis, sed alicuius Principis, vel Dynastæ Bohæmi, ex Regia alterius nationis stirpe oriundi, prolem genitam fuisse, vt propterea, incertis vulgi rumoribus succrescentibus (prout crebrius contingere solet, quando Sanctorum vitæ post multa demum tempora conscribuntur) Author anonymus, qui post 200. circiter annos ab Angelæ obitu eiusdem historiam descripsit, ex quo posteriores alij idem suxerunt, Regis filiam eam nuncupauit. Simileque iudicium de filio Regis Vngariæ, cui Angela sponsata à Genitore in eadem historia dicitur, habendum; itavt pro nobili aliquo iuuene clara stirpe orto is accipiatur.

6 Sed ne communi nostrorum placito contrarij videamur, rem enucleatius discutientes, & Segerum Pauli in notis ad vitam Sanctæ Angelæ sectantes, alio modo, nodum propositum soluendum credimus. Dicimus itaque, quod et si constet, solum ab ann. Christ. 1204. quo Præmislaus, qui & Othocarus dictus, primus à Sede Apost. Regis titulum, & confirmationẽ accepit, interrupta serie numerẽtur Bohemię Reges nihilominus, quia certum est, ante pręfatũ Othocarũ, seu Premislium, fuisse aliquot Bohemię Reges ab Imperatoribus creatos; ab an. videlicet Christ. 1086. vt notat Gordonus *eo anno*, vel saltem sequenti, vt vult Verronius *in Chron. lib. 8. cap. 18.* imò, quod, & ipsemet Othocarus ante quam à Sede Apostolica, iam à Philippo Duce Sueuiæ competitore Othonis in Imperio anno 1199. Rex Bohemiæ creatus fuerat; sed cum anno 1202. partes ęquiores Othonis Saxoniæ Ducis sequeretur, ab ipso Philippo Regno priuatus est, substituto ei Theobaldo quodam stirpis Bohemiæ Principe adolescẽte; itavt tunc ambo isti competitores Bohemici Reges dici possent: ex litteris præterea Apostolicis Innocentij Tertij anno 1200. datis (vt videre est apud Spondanum *num.* 1.) à duobus Ducibus Bohemiæ, iam olim interpolatis temporibus, Regium diadema susceptum fuerit: manifestum est, quòd iam pridẽ ante huiusmodi Othocarum plures Bohemici Reges essent, saltem ab aliquibus cognominati; etsi non ab omnibus; quorum vnus Raimundus, vel Vladislaus iste Angelæ nostræ Genitor esse potuerit, qui forsan binomius fuit, sicut & ipse Otocharus. Ac proinde historiæ, quam versamur, veritas illibata manere poterit. Alia solutio.

7 Historiam deinde eandem prosequendo; ex eo, quod B. Angela in ea describat, se in Monasterio illo, in quo à patre collocata fuerat, vidisse Sanctum Hieronymum, & cum illo Sanctum Eustochium; qui ambo olim apud Bethlehem in Palæstinam Monasticum Eliani, seu Prophetici Ordinis institutum sectati fuerant; prout dicta secundo Tomo sub anno 342. num. 9. & sub 382. num. 7. ac tertio Tomo sub anno 419. num. 2. & 3. sufficienter comprobant (accedente etiam egregio Doctore Baptista Mantuano, qui de eodem Hieronymo id clarius fatetur in Apologetico suo opusculo ad Sigismundum Cardinalem Ordinis Protectorem, & lib. 2. de patientia, cap. 27.) credere possumus eorum intentum Historię prosecutio.

in hac

in hac apparitione omnino fuisse idem, quod Beatissimæ Virginis Mariæ in alia, quæ paulò post describitur ipsi facta, quod videlicet Hierosolymam pergeret, & eundem Elianum Ordinem ibi intraret. Notat hoc Segerus Pauli relatus *in annotationib. ad vitam S. Angelæ*.

Notatio. 8 Noto vlterius, quod cum in hac Beatiss. Virginis Mariæ in apparitione, de qua modo, fit mentio de Antiphona illa *Aue Regina Cælorum* Deiparæ Virgini ab Angelis decantatę, non videri esse illam communem, & familiarem in Ecclesia, videlicet: *Aue Regina Cælorum, Aue Domina Angelorum; Salue radix sancta; Ex qua Mundo lux est orta, Salue valde decora, Et pro nobis Christū exora*. Hanc enim Angelos coram Beatiss. Virg. non cantasse ex illa vltima clausula *pro nobis Christum exora*, elici videtur; cum in ea Angeli Sancti petant Virginem pro se orare Christum; cum tamen, & ipsi nedum in gratia confirmati sint, sed, & beatitudine cælesti condecorati. Sed esse illam veluti specialem Carmelitis antiphonam, quā diebus singulis per annum, semel, ac iterum publicè, & communiter recitare solent post prandium, & cœnam in gratijs tunc recitari solitis, quoties illæ extra Chorum dicuntur, quæ talis est.

Aue Regina Cælorum
Mater Regis Angelorum,
O Maria flos Virginum
Velut Rosa, vel Lilium
Funde preces ad Filium
Pro salute fidelium.

De Monasterio isto. Etenim Angeli etiam sancti, & beati, rectè possunt à Deipara Virgine postulare, vt preces fundat *pro salute fidelium*. Aliqua ex istis notata etiam video in Segero Pauli relato.

9 Cœterum, quodnam fuerit Monasterium hoc Virginis Mariæ de Monte Carmeli, ad quod ab Angelo monita est Angela proficisci, prout in eius historia iam relata cernitur, operosius, etsi valde in lubrico res sit, inuestigandum. Et quidem Segerus Pauli vitæ Sanctæ Angelę Scholiastes putat fuisse illud S. Mariæ de Latina, de quo Tomo præcedenti dictum manet, cum de Gerardo laico Ioannitarum Ordinis existimato sermo esset. Verumtamen, quia vix vllum fundamenti fulcrum pro se affert, nec authorem, qui id dicat, ideo relinquendus videtur. Existimandum forsan ergo Monasterium hoc esse illud Sanctæ Annę dictum, Ordinis nostri, in quo postea, prout sub anno 1204. dicemus, sancti Angelus, & Ioannes germani fratres habitum Ordinis susceperunt. Credi enim potest illud, virorum pariter, & fœminarum fuisse, prout quamplurima extitisse in Orientalibus, & Occidentis partibus, ad imitationem Essenorum, qui simul mares, & fœminæ, ea tamen seruata distantia, quam honestas exigit; conuiuebant, tota historiarum antiquitas fatetur. Et constat ex ijs, quæ *quarto Tomo Summæ Quæstionum Regularium, verbo Monasteria Regular. num.* 13. diximus, vbi etiam, quod adhuc hoc tempore in partibus

Leo-

Leodicensi, & Harmacensi Monasteria hæc ex viris, & fœminis mixta, duplicia appellata, reperiantur. Aliquo etiam tempore, de quo loquitur Ambrosius Morales lib. 14. cap. 7. id cernebatur. Dicit enim: *Hic notandum est, in omnibus Monasterijs tunc temporis, Monachos, & Moniales simul habitasse. Dico simul, quia nunquam reperiebatur Monasteriorum virorum, quin simul esset, & fœminarum, & hi, prout ait S. Eulogius, solo muro distinguebantur.* Tale videbatur esse Monasterium S.Birgittæ, prout ex Regula Saluatoris *cap. 12. Reuelat. lib.* 8. Tale etiam erat Monasterium illud S.Mariæ de Latina, quod Segerus commemorat Tale ergo sit & Monasterium hoc S.Annæ. Accedit congruentia, quod cum hoc S.Annę Cœnobium antiquissimum Ordinis post Carmeli mansionem Collegium fuerit, & toti Religioni deuotissimum, eo quod in ipso Beatiss. Virgo crederetur concepta, & nata, prout ea quæ *tom.2. sub ann. Christ.40. num.4.* scripsimus, ostendunt, proculdubio ab Eliadibus alumnis, siue viris, siue virginibus fœminis, semper coli debuit, & pro cunctorum habitatione ab omnibus desiderari. Nec dicatur, S. Vrbis deuastationibus, quas varijs temporibus passa est, penitus perijsse hanc nostrorum, etsi charissimam, mansionem. Quia in contrarium obstant dicta eo tomo secundo sub ann. 326. numero quinto, vbi ex Bostio, Palæonydoro, Coria, & alijs diximus, Sanct. Helenam Constantini matrem in suo illo accessu ad Terram Sanctam, fundasse, seu renouasse Monasterium hoc *Hierosolymis in porta aurea ad honorem S. Annæ*: poterat igitur hoc tempore durare, & à S.Angela habitari, sicut in sequentibus annis à S.Angelo, & Ioanne eius fratre habitatum fuisse dicemus. Sed, vt ab huiusmodi angustijs liberemur, dicere possumus, Monasterium hoc *Beatiss. Virgin. Mariæ de Monte Carmeli* in hac historia dictum, alterum, fuisse ab illo *S. Mariæ Latinæ*, & ab illo *S. Annæ* in S. Ciuitate situm iuxta locum S. Sepulchri, vel Caluariæ. Nec sine fundamento loquimur, propter dicta eo *tom.2. sub anno 308. num.4. & 326. num.5.* ex Arnoldo Bostio, & Ioanne Palæonydoro. Vt enim conceptis verbis ait Bostius ibi relatus loquens de aduentu S. Helenæ in Hieroso lymorum Vrbem, hæc S. Regina Hierosolymam veniens. *Quæsiuit in primis Sepulchrum Domini nostri Iesu Christi, quod primo inuenire non potuit. Tandem inuenit illud reuelatione duarum Sanctimonialium Carmelitæ Religionis in spelunca quadam latitantium, ob graues Tyrannorum præcedentes persecutiones. Habuerunt enim prædictæ Sanctimoniales pacis tempore suas mansiones prope præfatum locum in humili structura, sed feruente persecutione passæ fuerant tam deuastationem loci, quam dispersionem consororum suarum.* Et rursus: *Fundauit etiam dicta Regina Regale Monasterium in loco Dominici Sepulchri locans in eodem loco plures deuotas virgines, secundum modum Monachorum Montis Carmeli viuentes, quas velari procurauit. Huicque Monasterio præfecit duas prædictas Sanctimoniales, quarum auxilio inuenerat, vt dictum est, Dominici Sepulchri locum, quarum vna earum, Maria nomine, aliarum mater effecta est. In eodem itaque Monasterio ipsa S. Helena adeo perseue-*

rauit donec Sanctimonialium adunatio in magno numero surgeret, seruiens eis ad mensam proprijs manibus cum omni humilitate: de qua humilitate Rufinus sic scribit: Reliquit enim hoc indicium religiosi animi Regina venerabilis tempore quo Hierosolymam visitarat, & Crucem Domini repererat; virgines quas ibi reperit Deo sacratas ad prandium inuitauit, & tanta eas veneratione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famulorum vterentur officijs, sed ipsa manibus suis ancillæ habitu succincta cibum apponeret, & poculum porrigeret, aquam suis manibus ministraret, & Regina Orbis, ac mater Imperij famularum Christi se famulam deputaret. De Monasterio autem in Caluariæ loco ab eadem Helena cóstructo sic scripsit Palæonydorus lib. 2. cap. 4. *Hinc Helena Christianissima in eodem loco, scilicet Caluariæ, mirificam construxit Ecclesiam, statuens ibi Monasterium virginum secundum Carmelitanæ Religionis institutum, ordinans Sanctimonialem nomine Mariam earum matrem & Abbatissam.* In vno ergo ex his virginum Monasterijs, etsi temporis & persecutionum malitia valde aut fere dirutis, Dei iuuante prouidentia, Angela nostra commorari potuit.

Angelæ gesta 10 Iam ergo qualiter diuinis sulta fauoribus, longum, valdeque periculosum ex Praga Tyrum vsque, ac Palæstinam Angela adolescentula iter peregisset, ex præfata historia de vita ipsius sic damus: *Sancta vero Virgo Angela diu ibat ad vastas solitudines, vesperi in domum quampiam se recipiebat hospitis infidelis, quem in sacris litteris erudiebat, conuertebatque ad fidem. Antequam autem se quieti dabat secum ipsa locuta, noua prælia, inquiebat, Dominus elegit, & portas inimicorum suorum subuertit, atque ita se Deo, & Beatæ Virgini Matri eius benedictæ commendans, parumper somni indulsit, corpusculo longo itinere fatigato. Prima vero luce apparebat ei B. Virgo Maria, filia, inquiens: Surge, quieti tuæ præparaui locum. Atque ita isthinc decedens in abditam solitudinem perrexit, cui haud facile quis solus se audebat committere. In qua cum confecerat aliquantum via obuios habuit aliquot, qui ipsa ex illa silua fugabant, veriti ne in illud horrendum nemus desperatum venisset.* Rogabatur quid *artis nosset: cumque intelligerent ipsam accuratè, ac nitidè scribere, singuli eam habere gestiebant in Scribam. Inter alios miles erat, qui iter meditabatur Constantinopolitanum, & inde in Terram Sanctam. Hic subinterrogabat, quod ipsi nomen esset. Dicam, inquiebat, Domine, cum è Bohemia excesserimus, nam nomen meum gloriosum est, & admirabile. Miles quid id rei esset non intellexit: emit ei nihilominus equum, eamque secum abduxit, ex illis terris. Interea cum simul colloquerentur, ad illam conuersus miles: Dic mihi, inquiebat serio, vnde tibi rudes istæ vestes, nec vultui, nec manibus tuis cum istis vestibus conuenit. Audi, aiebat, dignissime mi Domine, sermonem meum, rem enim omnem tibi enarrabo. Parens meus me in Monasterio erudiri fecit. Interea animo ibi concepi ob Dei amorem videre Terram sanctam; sed quoniam Monasterio egredi non audebam proprijs indutus vestibus, veritus scilicet ne à quopiam agnoscerer, vni è famulis vestes meas dedi, & quibus indutus sum erant ipsius. Miles vero ad ista nihil vlterius addidit, neque quid aliud est suspicatus præter id, quod ex ipsa audierat.*

dierat. Siquidem Iesus ipsius sponsus suam ipse sponsam conseruabat, nec sinebat militem quidpiam indecens de ea cogitare. Peruenerunt itaque Constantinopolim, & ingressi sunt Ecclesiam Sanctæ Sophiæ, vbi ipsa in spiritu Iesum loquentem audiuit ipsi in corruptas promittentem diuitias: quod ipsum cum Virgo Christi in spiritu intellexerat, Christum vidit Grece dictum Sophian, *idest, æternam Sapientiam, cuius honori principalis Ecclesia Constantinopoli existit dedicata. Apparebat autem ei Iesus in forma pulcherrimi pueruli porrigentis ipsi latinum librū precum horariarum Ordinis Fratrum Nostræ Dominæ, quo Deum precando vteretur.* Hunc latinum librum precum Horariarum prudenter credit Segerus fuisse Breuiarium Ordinis huic Sanctæ Virgini à Christo concessum.

11 Postquam autem Terram Sanctam peruenit, Tyrum primo appulisse, ibique cum B. Brocardo, pio Religionis zelo communicato, ab ipso velum virgineum, & habitum Ordinis suscepisse ex præfatis autoribus Gesnero, Posseuino, & Frissio habetur. Postque ibi per aliquod tempus Anachoreticam duxisse vitam, diuinis à Deo, vt credimus, charismatibus decoratam, ex eisdem etiam elicitur. Profectam tandem suo virili habitu cum fideli comite milite illo, de quo supra, peregrinationis gratia S. Hierosolymam, ibique per 35. annos permansisse in ipsius historia continetur. Quo autem tempore ex Tyro S. Ciuitatem perrexeri, cum historia id taceat nobis incompertum, sed quid magis arrideat sub an. 1200. afferemus. Terram S. aduenit.

Ann. Christi *1197.* Cælestini 3. Rom. Pontif *7.* Henrici Imperat. *7* Alexij Angeli Imper. Orient. *3.* B. Brocardi Gen *10.*

1 HOc anno Henricus Romanorum Imperator Siciliam veniens, Regni Magnates cepit; ex eis quosdam incarcerauit, alios autem diuersis pœnis afflictos vltimo tradidit supplicio. Constantia autem eius vxor aduersus virum rebellans exercitum armauit, singulos animosiores reddidit, Alemannos deuicit, & maritum fugere, & in forti munitione recludi coegit. Is vero facta reconciliatione cum vxore, & Siciliæ Magnatibus, ægrotauit, & mortuus est in Sicilia, a Papa excommunicatus propter captionem, & redemptionem Ricardi Anglorum Regis; pœnitens tamen damnorum, quæ Romanæ Ecclesiæ intulisset; Chronic. German. Sigonius, & Baronius *sub hoc anno.* Henrici gesta.

2 Res, & negotia Terræ Sanctæ ac perinde nostrorum fratrum ibidem præcipue commorantium, in melius procedebant. Cum enim Imperatoris exercitus eo appulisset, ac treguas, quæ inter Christianos, & Sarracenos erant, dissoluisset, commissoque prælio cum illis ipsos valide expugnasset, Sydonem, & alias Ciuitates Christianorum ditioni, Sarracenico iugo exploso, subegit. Rogerius, Blondus, Sigonius, & alij *sub hoc anno.* Terræ Sanct. negotia.

no. Quo facto spes bona nostris esset loca deperdita ob barbarorum furorem in illis Ciuitatibus recuperare.

De B. Simone.

3 Circa hoc tempus Simon Stochus, de quo superius circa annum 1178. arboris truncum egressus, in quo per viginti delituit annos, miræ suæ virtutis, & sanctitatis specimen Christi gregi præbebat; donec postmodum circa annum 1212. in Angliã ingressis Carmelitis, vt ibidem dicemus, eisdem Collega adiunctus est. Colligitur ex Officio eiusdem B. Simonis, quod à multis annis in vsu Cœnobij Burdegalensis est, vt diximus, & ex dicendis suo loco.

Ann. Christi *1198*. Innocentij *3*. Rom. Pontif. *1*. Imper. Occident. vacat, Alexij Angeli Imperat. Orient. *4*. Beati Brocardi. General. *11*.

Innocentij Tertij electio

1 Nnus iste vltimus fuit vitæ Summi Pontificis Cęlestini Tertij, qui 6. Idus Ianuarij viam vniuersæ carnis ingressus, successorem mox habuit Cardinalem Lotharium, virum doctissimũ, Innocentium Tertium vocitatum, ad octauum tamen Kalen. Martij sacro diademate inauguratum. Ciaconius de *vit. Pontific. in Innocentio 3.* Abraham Bzouius *tom. 13. Annalium*, & Odericus *sub hoc anno*. Quos duos posteriores, Annalium Baronij continuatores, in posterum, quoad exteram historiam frequenter sequemur.

Coloniense Cœnobium.

2 Hunc annum 1198. clarum Ordini nostro fecit fundatio Coloniensis Cœnobij, quæ eo tempore contigit: prout tom. præcedenti ad annum 1088. diximus; relinquentes opinionem Ezhardi Vvinheim Carthusiani, qui anno 1098. contigisse describit. Quia tamen plura de huius grauissimi Conuentus erectione, ampliatione, viris Illustribus, Reliquijs, Confraternitatibus, & similibus dici possunt; eaque viderim scripsisse exterum authorem Ægydium Gelenium Sac. Theologiæ licentiatum, Coloniæ ad S. Andream Canonicum, Consiliarium Ecclesiasticum, & Historiographum Archiepiscopalem, in libro, quem composuit *de Colonia Agrippinæ magnitudine*; ideo ea hic transcribere ad litteram operæpretium duximus. Quæ talia sunt:

Aegidius

Ægidius Gelenius S.T. Licentiatus, Coloniæ ad S. Andream Canonicus, Consiliarius, & Historiographus Archiepiscopalis, in opere, quod scripsit de Coloniæ Agrippinæ magnitudine, quod est diuisum in quatuor libros, in ipsorum tertio hæc habet de Carmelitis.

SYNTAGMA XLIII.

Monasterium B. M. Virginis de Monte Carmelo Regularis Obseruantię.

§. 1. *De Ordinis Carmelitarum initio.*

DE Carmelitarum Ordinis, seu fratrum B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carm. origine scribens Sixtus Papa IV. in Bulla, quæ incipit, *Dum attenta meditatione pensamus.* Sub dat. Romæ 28. Nouemb. 1476. asserit istius Religionis professores Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei & aliorum Patrum, qui Montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt *successionem hereditariam* tenere. Quam assertionem ijsdem plane verbis in suis litteris Apostolicis confirmarunt Innocentius VIII. 30. Ian. anni 1485. Iulius II. 14. Iulij 1506. Gregor. XIII. 18. Sept. 1577. & manifestius Clemens VIII. 5. Octob. 1604. scribens ad Abax Persarum Regem his verbis. *Habuerunt olim Religionis huius professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, memoria proditum est, sui Instituti auctores Sanctos Prophetas Eliam, & Eliseum omnibus nationibus & gentibus notos.* sic ipse. Et idcirco eorundem amborum Prophetarum festi dies 14. Iunij & 20. Iulij annuè in eodem Ordine sub duplici maiori Officio proprio, cum solemni octaua ex ordinatione diuersorum Romanorum Pontificum coluntur. Hic igitur Ordo Propheticus, sub Rechabitarum, Assideorum, & Essenorum continentium nomine (quos inter non pauci ex sanctis Prophetis, & propheticis viris claruerunt) perduransque vsque ad tempora Christi & Apostolorum, a S Ioanne Baptista ad Christi fidem comparatus (vt legitur in moderno huius Ordinis Breuiario) atque ab Apostolis baptizatus, vna cum ipsis, ac ceteris Christi discipulis per varias Orientis, & Occidentis Regiones ipso nascentis Ecclesiæ tempore transplantatus fuit. Quod inter alios veteres historiographos testatur Luitprandus Cremonensis Episcopus annis ab hinc amplius septingentis, clarus, ac notus in Ecclesia Scriptor; dum in suis aduersarijs, seu Collectaneis num. 194. ait: *Magna pars eorum, qui dispersi in persecutione S. Stephani ad varias partes traiecerunt, & ad Hispaniam plurimi* Ordinis initio.

peruenerunt, erant ex Monachis montis Carmeli: prædicationibus Christi, & Apostolorum ad fidem conuersi, in quibus Elpidius, & socij Pontifices a S. Iacobo creati, & post martyres facti, & rursus infra num. 286. de ijsdem Religiosis Carmelitis nominatim ait, qui in Hispania, & per alias regiones Monachatum introduxerant: istos vocat lib. 2. cap. 3. Eusebius *Prophetici Ordinis.* Sic Luitprandus.

Persecutiones. Et licet idem Ordo temporibus persecutionum Imperatorum Ethnicorum variè exagitatus at nequaquam suppressus sit (vnde Eijsengrenius *in suo Centenario primo*, contra Centuriatores Magdeburgensis, hunc quoque titulum ponit post alios, *de Monachis Carmelitis tempore martyrum*) per magnum tamen Antonium in Ægypto anno 307. eiusque discipulum Hilarionem in Palestina anno 329. ab anno 362. in alijs Asiæ regionibus, rursumque per sancti Hilarionis successores Hesichium, Euthimium, Sabam, Theodosium & huiusmodi cęteros viros sanctissimos (quos nominatim ac numeroso ordine recenset R. P. Thomas à Iesu Carmelita Discalceatus vir suis scriptis in Ecclesia clarus in libro particulari de origine, & progressu huius Ordinis, anno 1599. Salmanticæ Typis vulgato) mirificè auctus, atque per Orbem transplantatus fuit, vsque ad tempora Cosroe Persarum, ac Humar Arabiæ Regum: quorum posterior anno Christi 636. (alijs 639.) capta Hierosolyma, totam Syriam, atque Ægyptum subiugauit. Vnde tametsi ex tunc pauci in Palęstina, ac præsertim in monte Carmeli huius Ordinis professores sub iugo Saracenico remanserint, teste S. Cyrillo Constantinopolitano presbytero, apud Philip. Ribotum *lib. 8. capit. 1. De peculiaribus gestis Carmelitarum*, plurimi tamen eorum ex Ægypto, & Syria, tam præteritis sæculis, quam & nunc quam maximè hac vrgente persecutione, in vtramque Armeniam, ac cęteras Asiæ regiones, per multas Ægei maris Insulas, in Græciam vsque transmigrarunt; ibidemque nobiliter floruerunt (dicente Palæonidoro lib. 1. cap. 2. sui Chronici tripartiti: *Antiquis nempe temporibus, dum Carmelitæ tam Græci, quam Iudęi in Orientali, & in Asiana maximè Ecclesia, floridissime clarerent, &c.*) donec & ibi per Imperatores hæreticos Iconoclastas ab anno præsertim 726. varie afflicti, at plurimi eorum destructis ipsorum Cœnobijs martyrio affecti sunt: ideoque, & ex tunc nonnulli eorum in Europam transmigrantes, potissime in Italiam noua illic loca inquisierunt. Ex quibus vnus fuisse existimatur vir sanctitate, & doctrina clarus Zacharias nomine, qui tandem anno Christi 741. exeunte Romanus Pontifex creatus fuit: hunc quippe vnum ex Græcis Monachis fuisse, de quibus Palæonydorus vbi supra, patet ex Onuphrio Panuino in Chronico ad eum annum. Et de Carmelitarum Cœnobio Senensi eodem Seculo, anno Christi 797. fundato, sic scribit Petrus Lucius in suo Apologetico pro libro Thrithemij de laudibus Carmelitarum: *Annales inclytæ Ciuitatis Senarum Etruriæ apertè docent Carmelitas anno 797. sacellum S. Nicolai, quod adhuc hodie incolunt, piorum Ciuium liberalitate possidendum accepisse*

cepisse. Sic ipse. Præfata tamen persecutione Iconomachorum in Asia, ac Græcia cessante, mox Romani Pontifices à tempore S. Leonis Papæ IV. (qui sedere cępit anno 847.) suorumque successorum, per singula subsequentia sæcula amplis Indulgentijs, ac gratijs cunctos Christi fideles inuitarunt ad eorum Cœnobia reædificanda, seu restauranda, siue ad eleemosynas ijs erogandas.

Ac demum ex innumeris Sanctis huius Ordinis nonnulli magis illustres quotannis sub duplici Officio, atque sub titulo istius Ordinis auctoritate Sedis Apostolicæ ab ijsdem Carmelitis celebrari solent, quorum non pauci plus mille ab hinc annis claruerunt, quos hic nominatim recensere nimis operosum, & extra nostrum Institutum fuerit, qui in istius Ordinis Breuiarijs, ac Officijs proprijs videri poterunt. Sufficiat ad laudem dicti Ordinis, quod is inter alios Diuos sic præclaros, ac Sanctos agnoscat Romanos Pontifices Clementem, Telesphorum, Dionysium, Syluerium, Zachariam, ac Benedictum istius nominis quintum. De quo sancto Syluerio, vide Trithemium *lib. 4. cap. 20. de viris illust sui Ordin.* vbi eum expressè à Benedictina sua familia reijcit, sicuti nec S.Zachariam agnoscit. Et hæc quantum ad præfatum Ordinem priusquam is ad hanc Vbiorum Coloniam introduceretur: nec enim breuiori compendio, de tam antiqua, ac copiosa Religione loquentes, vti potuimus.

De SS. Ordinis.

§. 2. *De origine Carmelitani Ordinis in Agrippensi Colonia.*

CVm sub annum Christi 1197. filius Saladini Tyranni in gentem exercitum ductaret in Christianos, qui patri suo nobiliorem Asiæ partem, Hierosolymorum Regnum, extorserant; cum etiam Henricus 6. Imperator obijsset, & plerique Crucesignati milites timore percussi patriam repeterent, quidam ex Vbijs nobilis miles Bruno de Bonnerhoff anno Christi 1198. Religiosos Carmelitani montis incolas, B.M. Virginis cultores, secum in Agrippinensem Coloniam deduxit. Docent hæc versus in camera, quam Hospitum dicunt

De Conuētu Coloniēsi

Victores Asiæ patriam plerique petentes.
E sacro secum monte tulere viros,
Miles Agrippinam deductis Bruno reuersus
Atria fundauit, auspice, nostra, Deo, &c.

Deductis in Coloniam eo modo Religiosis anno Christi 1219. temporibus S.Engelberti Archiepiscopi, B.M. Virgini extructa est eis Ecclesia, non ea tamen amplitudine, quam modo videmus, sed longe minore: gerebantque fratres vestem alternis nigro, & albo coloribus virgatam, quem habitum assumere coacti fuerant ne incurrerent inuidiam Tyrannorum, qui quondam Palæstinæ dominantes candore trabearum prænitebant. Anno 1290. die Annunciationis B.M.V. Nicolaus Papa amplas indulgentias indulsit

dulsit visitantibus Ecclesiam fratrum Ordinis B.M.V. de Monte Carmeli, & excreuit paulatim Monasterium, vt circa annum Christi 1363. sub Godscalco Magistro Prouinciali Carmelitarum Alemaniæ inferioris ad modernam amplitudinem excresceret. Potissimum splendorem addidit circa annum 1550. Euerardus Billicus eruditione & authoritate præstantissimus de cuius laudibus mox alius erit dicendi locus. Anno 1606. 7. Feb. magna Ecclesię pars præ vetustate satiscens humi procubuit, & piorum larga munificentia mox integrior resurrexit. Anno 1642. liberalitate Eminentissimi D. Franc. Mariæ Cardinalis Marchiaut, Constantinopoleos Patriarchæ, Ferrariensisque Episcopi, aliorumque benefactorum splendidissime instaurari cępit, & facies Ecclesiæ ad commodiorem populo æque ac Religiosis vsum est commutata. Siquidem olim Chorus in Occidentali parte Templi constitutus, Summa Ara Chorum respiciente secernebatur a populo, & populus ab Ara, & Choro auersus adorabat, vt pote in Orientem: at modo Altaris summi facies ad populum conuersa est, & populus ad eam toto Templo conuersus ad ipsum quoq; Chorum, laudesque diuinas se conuertit: præterquam quod Templum illustri scamnorum serie recens ad populi vsum, alijsque præclaris ornamentis est auctum, & tribus portis elegantis operis populum è via publica ingredientem excipit. Eodem etiam tempore aliud ornamentum Cœnobio accessit, siquidem studia humaniora non solum tractari priuatim, sed etiam ludo aperto publice tradi cęperunt, Summo amplissimi Senatus consensu, quæ functio non solum isti parti Ciuitatis vtilis, & necessaria, sed etiam Ordini perquam honorifica, & apta est ad maius Deo obsequium præstandum in salute animarum procuranda.

§. 3. *Viri clari ex Carmelo Coloniensi.*

Viri illustres

MOns Carmeli Beatæ Mariæ Virg. Fratrum Coloniensium fęcundus fuit, duodecim ex eo enatorum Episcoporum germine: quorum

Primus.

1 Henricus Sedis in Thracia Redostonensis, sub Metropolitano Heracliensi Præsul, cuius mentio est in Staurologia mea, & in libello de Suffraganeis Coloniensibus: nam sub Vvichboldo Archiepiscopo Suffraganeam operam Diœcesi Coloniensi impendit, & videtur is esse, qui anno 1287. 22. Iulij Prouincialis Ordinis per inferiorem Alemaniam interfuit Generalibus Carmelitarum Comitijs in Monte Pessulano, vbi recepta fuit alba Vestis Fratrum.

Secundus Daniel.

2 Daniel vir nobilis de gente dicta à Vvichterich, siue Victoriaco, quondam Episcopus Verdensis, cuius prolixa fit mentio in Syntagmate Suffraganeorum Coloniensium ex meis Lucubrationibus; me ægroto, & permittente, edito per nepotem meum Ioannem Henricum Heister.

Tertius Mathias.

3 Mathias de Colonia Parisiensis, & ignotę Sedis Episcopus, scrip-

tis,

tis eruditè libris, obijt Pruxellis 1359.

4 Eberhardus ex patritia apud Vbios familia de Musgen, id est de Musculorum gente, Episcopus Caronensis sub Metropolitano, & Patriarcha Antiocheno, Suffraganeus verò Coloniensis, obijt 11. Kalend. Februarij 1397. sepultus Coloniæ in Choro Carmelitarum. Vide de ipso in Syntagmate de Suffraganeis Coloniensibus, &c. Quartus Eberhardus.

5 Simon de Spira cum Ioanne de Brammart Sac. Theol. Magistro ex Ordine Carmelitano, inter tredecim primos Vniuersitatis Coloniensis Doctores, & restauratores censetur; postea Episcopus Suffraganeus Coloniensis perhibetur fuisse. Obijt 1403. die 7. Ianuarij, sepultus in choro Carmelitarum Coloniæ. Quintus Simon.

6 Conradus illustris ex domo Arnsbergica Episcopus Venecomponensis, obijt in die S. Germani Episcopi anno 1433. Vide de ipso in Syntagmate Suffraganeorum Coloniensium. Sextus Conradus.

7 Henricus BocK Episcopus Myrrensis Suffraganeus Spirensis. Obijt anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, die Sancti Calixti Papæ. Septimus Henricus.

8 Hilgerus à Burgis Episcopus Buduanensis, prius Coloniæ, deinde Leodij Suffraganeus ibidem, obijt anno 1452. sepultus in Conuentu Carmelitarum Leodiensium, ante Principem Aram. Octauus Hilgerus.

9 Conradus ab Heiden Episcopus Nicopolitanus, Suffraganeus Metensis, obijt 1532. Nonus Conradus.

10 Ioannes de Arena, alius Bomelius, Episcopus Basilitanus, Proepiscopus Metensis, & Virdunensis, obijt anno 1549 Decimus Ioannes.

11 Euerhardus Billicus, patria, & Ordinis professione Agrippinas, Consiliarius Ecclesiasticus, & designatus Suffraganeus Coloniensis, vigesimo ante consecrationem die obijt anno 1557. die 11. Ianuarij. Eius laus integrum potius commentarium requirit, quam, vt possit hoc loco breuiter perstringi. Vide Syntagma de Suffraganeis Coloniensibus, & vitam eius editam à Gasparo Gennepæo. Vndecimus Euerhardus

12 Gaspar Munsterus Episcopus Aureleopolitanus, anno 1630. prima Aprilis consecratus, Osnabruggi Suffraganeus, quem laudibus viuum honorari, tam verecundia eius prohibet, quam meritum iubet. De eo quędam vide in Syntagmate de Suffraganeis Coloniensibus. Duodecimus Gaspar

§. 4. *Alij Coloniensis Carmeli Viri Illustres.*

1 VEnerabilis Alanus Brito, de quo Philippus Metius in Illustribus Viris Ord. Fratrum Carmelitarum *cap. 5. de Prioribus generalibus num. 5.* hoc refert: *Alanus Brito natione, vir Religiosissimus, & Deo deuotissimus fuit. Hic multis pro suo Ordine exantlatis laboribus, cum à Saracenis fuisset pulsus ex Terra Sancta, magno Fratrum suorum agmine stipatus Europam petens, tandem in Angliam venit. Vbi multos ad Ordinem suscepit.* Alij clari Viri.

scepit. Transiens inde in Germaniam, Coloniam Agrippinensem suis miraculis fecit clariorem. Testimonia ibi extant penes eius sepulchrum in Conuentu Carmelitarum ante Altare maius. Præfuit Ordini annis quinque. Ex Archiuio Carmelitarum.

Petrus de Æmiliano. 2 Petrus de Æmiliano natione Gallus, patria Rutinensis, nonus Prior generalis totius Ordinis, quem scribitur cum magna sanctitate rexisse, nec minori opinione sanctitatis decessisse, sepultus Coloniæ ante Principem Aram.

B. Theodoricus. 3 B. Theodoricus natione Alemannus, Venetijs miraculis coruscans à Patribus Carmelitanis Coloniensi Conuentui adscribitur: Obijt, iuxta Philippum Metium anno 1310. & iuxta Molani Martyrologium, die 15. Octobris.

Sibertus. 4 Sibertus de BecKa Gelder Conuentui Coloniensi adscribitur, & à Guilielmo Eysengrinio in indice Testium veritatis *Sancti* titulo honestatur. Obijt Coloniæ anno 1333, 29. December. Sepultus ante maiorem Aram Carmelitarum. De alijs illustribus Viris vsque ad hæc tempora sub Religiosi Patris Calamo specialis est lucubratio.

§. 5. Thesaurus Sacer Ecclesiæ Carmelitarum.

Reliquiæ huius Conuentus. 1 INsigniores Ecclesiæ huius sacras Reliquias in tres classes partior. Recensentur in Sacrario Agrippinensi Ehardi Vveinheimij Carthusiani.

De ligno S. Crucis. 1 Duæ partes iustæ magnitudinis Ligni Sanctæ, ac viuificæ Crucis Domini Nostri Saluatoris Iesu Christi, cruci argenteæ inauratæ, per trãsuersum inclusæ. Quæ crux trium circiter cubitorum longa, cum anno 1627. cuidam obsessæ Virgini in sacello Deiparæ huius Ecclesiæ exorcismo subiectæ proponeretur, nulla vi adduci demoniaca potuit, vt partes superiores, quibus præfatæ Reliquiæ Sanctæ Crucis inclusæ erant, in manus sumeret, licet partem inferiorem, seu pedem vltro arriperet: ipsamque puellam dæmon turbulente, vltra cubitum è terra, Religiosis spectantibus, & Stola Sacerdotali collo eius iniecta, ad terram retrahentibus, euaret.

Aliæ reliquiæ. 2 Mandibula Sancti Laurentij Archileuitæ, & Martyris inclyti cum aliquot dentibus eidem adhuc infixis, & alijs minoribus eiusdem Sancti Reliquijs in herma, vel statua pectorali argentea antiqua.

Aliæ. 3 Mandibula Sanctæ Dorotheæ Virginis, & Martyris hermæ argenteæ inclusæ. Hanc Carmelo Coloniensi dono transmisit R. Ordinis Generalis Magister Bartholomæus Raccolius, seu Roquellus, Tolosanus, filius Comitis de Roquallis, qui postmodum circa annum 1430. factus est Episcopus Massiliensis.

Aliæ. 4 Partes notabiles de S. Apollonia Virgine & Mart. in statua pectorali deaurata.

Quatuor

5 Quatuor capita ex ſocietate decem millium martyrum, quæ in totidem ſtatuis pectoralibus deauratis quondam aſſeruata fuere. Aliæ.

6 Quatuor indem capita ex ſocietate SS. Vrſulæ & vndecim millium VV. & MM. (vt teſtatur Georgius Garneſcedt Carthuſianus Colonienſis in ſuis Collectaneis manuſcriptis) totidem ſimiliter hermis deauratis olim incluſa. Quæ octo hermæ, etſi adhuc præ manibus ſint, ſacra tamen capita ijs non amplius ſunt impoſita, ſed alijs quamplurimis Sacris Capitibus ex eadem Vrſulana ſocietate decenter adornatis, certas ob cauſas intermixta. Aliæ.

7 Duo brachia ex præfata decem millium martyrum ſocietate, duobus brachijs deauratis ſeorſim incluſa. Et antedictæ Reliquiæ omnes recenſentur in Vvinhemij ſacrario Colonienſi *fol.* 176. Aliæ.

8 Præter has in ſacrario prędicto memoratas Reliquias in eadem Eccleſia aſſeruantur alia quamplurima capita innominata, ac ſacra oſſa ex præmemorata ſocietate SS. vndecim millium VV. & MM. quæ ſiue integra, ſiue per partes in ſericis cooperturis diſtributa ſunt, potiſſimum in ſummo altari per tres ordines, ſummum, medium, & infimum: in altaribus S. Alberti, Deiparæ V. S. Annæ, & alijs inque ſuppedaneis eorum, prout receptacula ipſa in præſens demonſtrant. Cætera porro oſſa ſacra eiuſdem ſocietatis hactenus per poſteriorem partem Odęi ante Chorum antiquum diſtributa, nunc ex quo Eccleſia alio modo diſponi cepit, ſubmota, & vnam in capſam impoſita, in Sacriſtia ipſius Eccleſiæ aſſeruantur, donec poſt eiuſdem Eccleſiæ renouationem conſummatam opportunus locus eiſdem deſignetur. Aliæ.

9 Notabiles inſuper Reliquiæ de S. Sebaſtiano martyre hermę auratę olim incluſę cum adiunctis alijs Reliquijs nominatis, quarum inſcriptiones ſub vitro pectorali, ob ornatum vitro ſuperinductum, legere nequiui. Aliæ.

10 De ſunibus ſacris, quibus Chriſtus Dominus ad columnam ligatus, dum flagellis cęſus eſt. Qui aſſeruantur in maiori monſtrantia argentea aurata, cum adiunctis reliquijs de SS. Huberto, Seruatio, & Syluestro. Aliæ.

11 Digitus vnus S. Alberti Drepanenſis Carmelitæ, ſimili maiori monſtrantiæ argenteæ inauratæ incluſus, cum reliquijs de ſanctis Vrbano, Nicolao, & alijs. Aliæ.

12 De S. Maria Magdalena reliquię, cum dente pendulo, nec non de S. Gregorio Papa reliquiæ in monſtrantia cubito maiore argentoaurea triangulari. Aliæ.

13 De S. Victore & S. Mauritio, &c. in monſtrantia argentoaurea paulo minori. Aliæ.

14 De S. Matthæo Apoſtolo, & Euangeliſta, &c. cum laguncula olei in monſtrantia argento-aurea rotunda. Aliæ.

15 De S. Philippo Apoſtolo, S. Materno, & s. Barbara in monſtrantia argentea auro illita, & inſtar turris faſtigiata. Aliæ.

16 De S. Laurentio Reliquiæ (præter eas de quibus ſupra, in inuolucro Aliæ.

quodam, ac speciali monstrantiæ incluse: dono Iacobi Detenhouen: qui & procurauit monstrantiam præcedentem.

17 Linteum decollationi S. Catharinæ substratum: in monstrantia cum quatuor suppedaneis & ternis fastigijs.

18 De S. Andrea Apostolo, in pixide christallina quaternum pedem argentea.

19 De S. Simeone & S. Cosma mart. in monstrantia minori auro-argentea.

20 De S. Thadeo in pixide vitrea argento reiuncta.

21 De S. Bonifacio Papa & S. Pancratio, in monstrantia argento-aurea simili opere.

22 De S. Hippolito mart. in monstrantia paruula.

23 De S. Materno Episcopo cum ipsius imagine argentea vitro inclusa in monstrantia minore argentea: secundum oras inaurata.

24 De S Vdalrico, seu Hulderico Episcopo in pixide eburnea cum operculo argenteo.

25 Diuersæ aliæ reliquiæ in monstrantia argentea.

26 Adhuc reliquiæ in pixide continenter argentea deaurata sexangulari.

27 Octo c stulæ plenæ reliquijs tam nominatis, quam innominatis.

28 Tabula lignea vtrimque incrustata Sanctorum cineribus, seu exuuijs.

Aliæ. 29 Vas ligneum, vitris orbicularibus in circuitu distinctum continens varias reliquias notabiles, & nominatas, præsertim duo lintea, quæ notabilia symbola infantiæ Christi, & puerperij B Virginis, ac vitæ aliorum Sanctorum, & Sanctarum exhibent. Præmemoratæ omnes reliquiæ ex ordinatione Conuentus registratæ sunt ante annos circiter viginti, *per* F. Ioannem Seinerum Carmelitam Coloniensem, postmodum eiusdem Vniuersitatis Theologum Doctorem, ac professorem, ex cuius manuscripto registro, hæc descripta accepi, omissis ornamentis diuersorum altarium quæ & ibidem enumerantur. His addi possent: De virga Aaronis, & rosa (vt vocant) ierichuntina, quæ ibidem extant.

3 Classis sint *Reliquiæ recentiores SS. Martyrum Treuerensium, hoc est, ex societate S. Palmatij & sociorum, quorum memoria est in Romano Martyrologio die 5. & 6. Octobris sub titulo innumerabilium pæne Martyrum, &c.*

Ex his sanctis Martyribus Treuirensibus obtinet hæc eadem Ecclesia ab anno Christi 1622. infrascriptas reliquias. Aliæ.

Mandibulam vnam cum sex dentibus eidem inhærentibus.

Duo ossa oblonga æqualis magnitudinis.

Duo ossa oblonga inæqualis magnitudinis.

Cranium vnum, & tres costas. De his omnibus extant testes litteræ, quas subiungo.

Nos

Nos Guilielmus Brexius Berncastellanus Decanus

COllegiatæ Ecclesiæ S.Paulini extra muros Treuirenses, notum facimus omnibus, & singulis has litteras visuris, lecturis, aut legi audituris, quod anno Incarnationis 1622. Pontificatus S.D.N. Gregorij XV. anno secundo, Indictione 5. die vero mensis 16. Martij in quem incidit feria quarta post Dominicam Iudica. Reuerendus in Christo Pater, Pater Henricus Mulhemius Sac. Theologiæ Baccalaureus formatus, & Prior Carmelitarum Treuirensium, humiliter petens, & obnixè rogans supplicauerit, vt pro Ordine Carmelitarum, ad maiorem Dei gloriam, & sanctorum martyrum honorem, ex thesauro nostrarum Reliquiarum aliquot particulas comunicare dignaremur. Nos igitur Reuerendi Patris supranominati desiderio satisfacere cupientes, de comuni consensu Reliquias ei aliquas communicauimus, nominatim autem mandibulam vnam inhærentibus ei sex dentibus. Quatuor ossa oblonga, ex quibus duo eiusdem magnitudinis & æqualitatis, duo vero non. Vnum cranium, 3 tres costas, quas pro Reliquijs SS. Martyrum Treuirensium ab immemorabili tempore, ab omnibus Christifidelibus semper habitas, & veneratas fuisse a maioribus nostris accepimus. Et sicuti nos pro huiusmodi tenuimus, & venerati sumus, ita pro ijsdem omnes Templa visitantes semper coluerunt, & venerati sunt. Rogantes Deum Opt. Max. vt sicuti prædictorum Sanctorum animas prętiosas habet in Cęlis, istas has eorum Reliquias vbicumque post hac veneratæ fuerint omnes Christi fideles venerentur in terris. In quorum omnium fidem, & testimonium hasce nomine nostro subscripsimus, & sigillo Decanatus muniuimus. Actum anno, mense, die, loco, quo supra. Litteræ.

§. 6. *Quatuor miraculosæ Imagines Ecclesiæ Montis Carmeli.*

1 PIcta Christi in Cruce pendentis vetus Imago translata huc ex arte Saffenbergica. Hæc olim ter pugione puncta sanguinem stillauit, cuius clara indicia in valuis Tabulæ extant. Quidam enim *Helluo*, cum infęliciter aleę lusum exercuisset, impatiens detrimento, educto pugione Imaginem inuadens, desperata, & blasphema voce: *Si Deus ipse eßes tibi genas discinderem*, inquit, & vultum Imaginis punctim ferit; vnde prodigiosus cruor prosilijt. Imaginis facies annorum plurimorum ætatem sapit. Christi imago.

2 Christi Saluatoris nostri, quæ dicitur Imago *misericordiæ Domini*. Extat in ambitu Cœnobij, & quondam concursu, ac peregrinationibus populi frequentabatur: ideoque plurimas Indulgentias eam colentibus concesserunt 12. Episcopi diplomate dato Auinione 6. die mensis Iunij anno Domini 1333. Pontificatus S.D.N. Ioannis Papæ XXII. anno 17. Alia.

3 Statua B.V. Mariæ, quam *Vespertinam*, & *dolorosam* compellant, Alia B.Virg.

 quod

quod Christum è Crucis patibulo, in Matris sinu depositum repræsentat: adpositæ sunt eidem aliæ sanctarum mulierum statuæ; & quia olim fama miraculorum celebris fuit, 5. Episcopi eandem Indulgentiarum largitione accumularunt, litteris datis Romæ anno Domini 1298. Pontificat. S.D.N. Bonifacij Papæ Octaui, anno quarto.

Commemorare solebant Seniculi Patres Carmelitani, quędam miracula, quæ hic contigerunt temporibus *Euerardi Billici*, celeberrimi Præsidis huius Conuentus.

Alia Imago B. Virginis. 4 Imago B.M.V. Gaudiosæ in Throno sedentis, & sinu gestantis Christum puerulum Saluatorem nostrum, quondam clara miraculis, testantibus litteris magistri Generalis Ioannis Grossi scriptis anno 1411. 15. Octobris. Eiusdem Imaginis cultus restauratus est nostro sæculo, teste R.P. Antonio de Balinghem Societatis Iesu in Kalendario Deiparæ Virginis hæc scribente. *Anno 1606. cepit hodie (id est 6. Feb.) magna hominum frequentia celebrari B. Virgo Coloniæ in Templo Fratrum Carmelitarum huiusmodi ex causa. Cum media huius Templi pars in seipsam collabescens columnas euertisset, & contriuisset, columna tamen illa, cui appensa erat statua B.V. Mariæ, licet cum alijs euersis esset eiusdem rationis, ac non minus quam cætera ruinæ exposita, integra nihilominus, illæsaque permansit, videlicet ab integra atque illibata Virgine, (vt pie ab omnibus creditur) sustentata.*

§. 7. *Fraternitates Coloniensis Montis Carmeli.*

Sodalitas B. Mariæ. 1 Sodalitas B.V. Marię Assumptæ, cui adscriptus flos Cleri, & nobilitatis Vrbis, & Regionis Coloniensis, & Dominica infra octauam Assumptionis B.M.V. intersunt solemni supplicationi. Erecta est anno Christi 1433. agente Senatu Coloniensi, & Promotore *Conrado de Arnsb rg* ex Ordine, & Conuentu hoc Episcopo Venecomponensi, Coloniensi Proepiscopo. Confirmata est fraternitas anno 1480. ab *Hermanno de Hassia* Archiepiscopo Coloniensi, anno Christi 1502. à Cardinale Raymundo Apostolicæ Sedis Legato a Latere, anno Christi 1611. a Paulo 5. Christi supremo Vicario.

SS. Sacramenti. 2 Venerabilis Sacramenti dicta puellarum, confirmata anno 1502. a Cardinale Raimondo Legato.

S. Crucis. 3 S. Crucis: videtur instituta cum duo segmenta Dominici Ligni in hanc Ecclesiam illata sunt. Confirmata est autem anno Christi 1502. a Raymundo Cardinale Legato.

S. Georgij. 4 S. Georgij Fraternitas ab eodem Cardinale Raymundo approbata, Victorum tribui attributa, in tutelaris Sancti solemnitate tres cereos toto anno lucentes offert V. Sacramento, & illud in publica supplicatione venerabundè deducit.

S. Annæ. 5 S. Annæ, confirmata anno 1502. a Raymundo Legato Apostolico.

Anno

Anno 1517 die 7. Maij, testãte Archiuio suscepta est a Tribu Coriariorum, qui pridie patronalium tres cereos toto anno lucentes offerunt, quot hebdomadibus feria 3. votiuum Sacrum de S. Anna celebratur.

6. S. Dorotheæ V. & Martyris Sodalitas initia sua debet Bartholomæo Roqual lo seu, Raccollio Tholosano illustri viro ex Magistro Generali Ordinis, Episcopo Massiliensi, qui dictæ Sanctæ mandibulam Coloniensi Carmelo submisit circa annum 1425. Confirmata est Sodalitas ann. 1464 a Reuerendissimo Ordinis Generali Ioanne Soretho, doctrina, & pietate, ac sanctitate, præcellenti viro, & in album Sodalitij huius eminentes personæ, atque plus quam decem hominum millia inscripta sunt. S. Dorotheę

7 Non minus populosa Sodalitas est B. Apolloniæ, quam etiam sępedictus Cardinalis Raymundus confirmauit. S. Apollonię

8 Sodalitas ss. Iosephi, & Ioachimi patris Deiparæ instituta quondam in sacello S Annæ per Ordinis Generalem magistrum Pontium Raynandum anno 1483. 25. Aprilis. Deinde circa annum 1500. promouente Ioanne Vvyrico magistro Prouinciali, exstructo nouo S. Iosephi sacello illata est, addito socio tutelari S. Ioachimo, sub quorum titulo confirmata est a Cardinale Raymundo Legato Apostolico. SS. Iosephi, & Ioachim.

9 S. Matthiæ Apostoli Fraternitas cum præsente quo viuimus sęculo cępit à viris Treuericę peregrinationis voti reis. Hi cõsueuerunt quotannis feria 3. ante Pentecosten in Templo Carmelitarum congregari, & audita diluculo Missa, præcedente Cruce populosa cum supplicatione Treuiros adire ad honorandas Christi, & S. Matthiæ Reliquias, atque in itinere magna multitudine auctos excipiunt honorifice obuij Carmelitani Treuirenses. Eadem Sodalitas pridie S. Matthiæ solet cum solemnibus cerę monijs tres ingentes cereos offerre, & ipso die festo cum patroni sui statuã Venerabilis Sacramenti deportationem in hac Ecclesia comitari. S. Mathiæ.

10 Celeberrima Beatæ Mariæ Virginis Fraternitas, Scapularis dicta à vestimenti genere, quo sicut ab Elia pallij munere Elisæus donatus est, ita istius vestis argumento in Deiparæ familiam, & certatum consuetudinem legum, orationumque viri, & fęminæ adsciscuntur. Et quidem pijs orationibus Scapularis illa vestis benedicitur, quam Carmelitæ asserunt cum ipsis sui instituti initijs cœpisse, quæ repetunt à veteris testamenti Religiosis Carmeli Montis incolis, Elia, & Elisæo, & Cinæis, Rechabitis, Essenis, Nazaręis, &c. Docentque ijdem Carmelitæ vsum benedicti gestaminis fuisse temporibus Theodosij Magni anno 385. cui imperanti B. Senuphius sui Ordinis Sectator, superhumerale precibus dedicatum, deuotum, monitumque transmisit, *vt ipse* (Cæsar) *sit illo Terribilis, & sine sanguine gloriosam referat victoriam*. Vide apud Surium 31. Ian. Simeonem Metaphrasten in vita SS. Cyri, & Ioannis cap. 16. & 17. Et Benedictum Gononum *in vitis PP. Occidentis, & Orientis, par. secunda fol.* 84. Quomodo etiam Diua Virgo singularis Ordinis istius protectrix apparuerit Sancto Simoni StocKio, & quam filio suo, sibique grata sit illius Vestis, & Fraterni- Beatiss. Virginis.

ternitatis professio, maximis promissionibus explicauerit, cum alijs Sodalitij, & Ordinis Antiquitatibus breui vulgaturum spero Reuerendum, & Eruditum Patrem Fr. Segerum Pauli Studij Carmelitani Coloniæ Regentem. Hucvsq; de Ordine nostro Ægidius Gelenius. Nos ad alia.

Gesta Innoc. Papæ.

3 Solicitare cepit eodem anno pro subsidio Terræ Sanctæ ferendo Principes Christianos litteris missis Papa Innocentius. Mortuo enim Henrico Cæsare, vt anno præcedenti vidimus, Germanorum Principes, qui aduersus Asiaticam barbariem Palæstinam profecti fuerant, nullis precibus ibi retineri potuere. Barbaris ergo magna Cruce signatorum cæde, Ioppem statim expugnatam, euerterunt; vix Tyro, ac Ptolemaida, in potestate Christianorum relictis. Bzouius *sub hoc anno num. 23.* In eis ergo Ciuitatibus magna nostrorum Eremitarum pars sub obedientia B. Brocardi, doctrina Beati Cyrilli, & Societate Beatæ Angelæ eo tempore, vt credimus, in Tyro existentis, Deo, & proximorum saluti procurandæ vacare poterat.

B. Simonis.

4 De S. Simone autem nostro, StocK cognominato, de quo in superioribus nonnulla, & in sequentibus plura dicimus, hæc pro isto tempore in sua Sancti Simonis Chronologia sub hoc tēpore Segerus Paulus Coloniensis sæpe citatus. *S. Simon Stock post 20. annos ab inhabitata quercu, à Deipara præmonetur aduenturos aliquando in Angliam Carmelitas, quorum, & ipse instituta amplecteretur. Vnde alijs 16. annis partim solitarius ibidem degit, partim studia litterarum complet, Sacerdotio decoratur, & diuini Verbi prædicationi sedulo incumbit.*

Ann. Christi 1199. Innocentij 3. Rom. Pontif. 2. Imper. Occid. vac. Alexij Angeli Imper. Orient. 5. B. Brocardi General. 12.

Gesta huius temporis.

1 PRo rebus Syriæ iuuandis, quæ viris, & viribus expoliatæ manebant, Summus Pontifex Innocentius, Reges Galliæ, & Angliæ ac Germaniæ Proceres litteris datis hoc anno compellauit. Item Homobonum Cremonensem albo Sanctorum inscripsit. Ordo etiā Sanctissimæ Trinitatis sub Ioanne Mattensi, & Fælice Anachoreta Authoribus felicibus auspicijs sumpsit exordium, in magnum profecto Christianæ Reipublicæ incrementum, cum hæc Sacra Religio redimendis captiuis de Infidelium manibus piè incumbat. Bzouius, Odericus, & alij sub hoc anno.

De Petro Ioannis.

2 Eadem tempestate Petrus Ioannis multa contra sanam doctrinam cum discipulis docebat, vt credit Bzouius num. 39. Etsi non rectè, cum non nisi post plures annos hic Petrus natus fuerit, vt habet Dormitius Thadæus *in Nitela Franciscan. sub hoc anno.*

De Ecclesia S. Chrysog.

3 Hoc etiam anno Summus Pontifex Innocentius Tertius scribens

Clericis

Clericis Ecclesiæ S.Chrisogoni de Vrbe, quæ nostro postea Ord. vt in seqq. dicemus, felici contigit sorte, & modo est sub regimine Patrum Mantuanæ Congregationis, non solum priuilegia, illis, & eidem Ecclesiæ à Summis Pontificibus suis prædecessoribus concessa, de quibus sub annis 1141. & 1155. diximus, confirmauit, sed etiam ea, & ampliora his verbis dedit, quæ in gratiam Sacræ huius nostræ, ac deuotissimo Martyri Chrisogono dicatæ Ecclesiæ, placuit referre: *Nos igitur eorundem prædecessorum nostrorum Ioannis, Vrbani, Calixti, Honorij, Innocentij, Lucij, Adriani, & Alexandri vestigijs inhærentes, eamdem sententiam auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Vobis etiam, vestrisque successoribus, & per vos eidem Ecclesiæ vestræ Sancti Grisogoni in perpetuum confirmamus, Ecclesias, & Cappellas, quæ infra eiusdem* B. *Chrisogoni Parrochiam continentur, videlicet sæpe dictam Ecclesiam Sancti Saluatoris de Curte: quæ etiam fælix Aquila nuncupatur: Ecclesiam Sanctæ Bonosæ, Ecclesiam Sanctæ Agathæ cum pertinentijs earum: Ecclesiam S. Stephani, quæ vtroque iure, parochiali videlicet, & proprietatis ad vestram dignoscitur Ecclesiam pertinere; vt quicquid dignitatis, quicquid reuerentiæ, quicquid parrochialis iuris Matrix Ecclesia in suis habet Ecclesijs, & Capellis, hoc vos in istis per Dei gratiam habeatis, tam in ordinationibus Clericorum per easdem Ecclesias collocandorum, siue ad Ecclesiasticos Ordines promouendorum, quam in scrutinijs, baptismatibus, processionibus, capitulis, & in criminalium, quæ publica sunt, iudicijs. Nullus ergo Episcopus, nullus Cardinalis, nullus Abbas, nullus Archipresbyter in prædicti Beati Chrisogoni titulo, in Capellis, & territorijs earum, parrochialia sibi iura audeat vendicare, nec Abbatum alicui facultas sit Parochianos vestros, nisi forte ab eis deliberatum sit, in suis Ecclesijs sepelire. Quod si viuentes adhuc* Religionis *intuitu apud eos sepeliri deliberauerint, cum vestra quoque præsentia, salua Matricis Ecclesiæ iustitia tumulentur. Ad hæc adijcientes vobis, vestrisque successoribus, & per vos Ecclesiæ vestræ, perpetuo confirmamus Ecclesiam Sancti Iuliani cum domibus, cellis, cryptis, hortis, vineis, & arentrijs suis, cum terris cultis, vel incultis, syluis, pantanis, & pratis suis, cum suis aquiniolis, in riuo, qui vocatur Arcon: quæ quidem Ecclesia sita est iuxta Castrum, quod vocatur de Guid. Casale de Maliana, cum turri, vineis, agris cultis, & incultis, pratis, syluis, aquis, & aquarum decursibus. Vineas, quas in Marcello, in Rosario, & in pratis Papæ possidetis, cum pratis, & alijs pertinentijs suis: Vineas etiam, & terras in Virgine: Molam quam in flumine Tyberis habetis, & quartam partem alterius molæ: Casale in campo de Merulis, terras in Marcello, terras in Ventrebublo, cum alijs omnibus, quæ in præsentiarum iustè, & canonicè possidetis, vel in futurum, largiente Domino, poteritis adipisci. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat honores, & bona sæpe fatæ Ecclesiæ vendere, in feudum dare; aut ab eadem Ecclesia modis quibuslibet alienare, ipsam Ecclesiam temerè perturbare, &c. Salua Sedis Apostolicæ auctoritate.* Hæc Innocentius Tertius in epistola, quæ habetur in secundo libro epistolarum decretalium eiusdem in impressione Veneta pagina 476.

4 Volunt

Quorundã opinio.

4 Volunt multi, ipsique doctisimi, ex nostri Ordinis alumnis; hoc anno ab Alberto Hierosolymitano Patriarcha traditam nobis Regulam; quam videlicet hoc tempore profitemur. Ex quibus grauiores sunt Guillelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicatione Ordinis*, prout apparet in Speculo Ordinis *lib. 9. cap. 2.* Fuit autem hic Pater Prouincialis, ac Deffinitor Terræ Sanctæ, & ipsius Montis Carmeli Incola. Idem tenet Ioann. de Vineta Prouincialis Franciæ *in Chronico Ordinis*, quod sine nomine Authoris extat in volumine *Speculum Ordin.* nuncupato; *fol. 57.* vbi *cap. 7.* pro prædicto anno 1199. Regulam nostris scriptam dicit. Sic etiam Sibertus de Beka *in Tract. de considerat. super Regul.* statim in initio, in eodem Speculo Ordinis *lib. 8. cap. 5.* Sic quoque Philippus Ribboti Prouincialis Cataloniæ in eodem Speculo Ordinis *lib. 10. cap. 6.* referens se ad id quod dixerat præfatus Sibertus loco relato. Eumdem annum tradit, & docet Thomas Scropus dictus Bradlæus *cap. 3. sui tract. De fundatione, intitulatione &c.* Sic Balduinus Leersius *in Collectar. exemplorum, ac miraculorum &c. cap. 3.* Sic Petrus Brunius cap. etiam 3. sui Tabularis circa ann. Dom. 1474. Sic tandem accuratissimus Scriptor Arnoldus Bostius (ad cuius iudicium tanquam ad lapidem Lydium probari volebat Abbas Trithemius ea quæ de Ordine nostro in publicum ederentur) *in lib. de Illustribus viris Ordinis nostri cap. 7. in Siberto de Beka*. Quibus iunge inter recentiores diligentissimum Petrum Vvastellium *in Apologet. pro Ioann. Hierosolymit. cap. 22.*

Reijcitur.

5 Verumtamen, licet multum horum Patrum venerandæ antiquitati, & doctrinæ deferendum sit, quia tamen plus veritati, quam auctoritati fidendum, illis acquiescere non possumus. Cum enim, iuxta dicta sub annis 1171. & 1191. constanter inter Historiographos liqueat vnicum tantum Albertum Hierosolymitano Patriarchatui Præfectum fuisse; illumque certissime ex Registris Archiuij Vaticani a nobis recognitis constet anno 1205. ad hanc dignitatem ab Innocentio 3. euectum, nullus dubitandi locus relinquitur, vt dicamus Albertum aliquem Hierosolymitanum Patriarcham pro anno 1199. legislatorem nostrum esse potuisse. Ostendant hi Patres, vel duos Albertos Hierosolymitanos Antistes fuisse, vel saltem vnum ante 1205. & ipsis fidemus; sin autem nullum alium præter Albertum Vercellensem, & pro prædicto anno (prout credimus) designauerint, nobis potius fidendum quam illis. Sanè, vt credimus, ipsis erroris ansam prębuit, quod cum continuis Barbarorum incursibus, magnis illius temporis angustijs, Originarij Carmeli montis Monasterij combustione, & Fratrum ibi commorantium nece, nostri à Syriæ partibus exules profligarentur, certum annum Regulæ datæ etiam antiquiores nesciebant: quia vero aliunde illis per traditionem compertum sub tempore Innocentij 3. id contigisse, ideo prædictum annum 1199. qui primus, vel secundus Pontificatus eiusdem Innocentij erat, sibi elegerunt. Accedit quod quemadmodum eo tempore scripsimus, si aliquis Albertus sub hoc anno Hierosolymorum Patriarchatum gerebat, fuisset ille Albertus *Eremita* Beth-

lehemi-

lehemitanus Antistes à pluribus nominatus: at tunc istum è vita cessisse, nec vnquam ad hanc Patriarchalem sedem euectum fuisse, quæ ibi adduximus sufficienter suadent. Non ergo is sub hoc anno Patriarcham agebat. Quod maximè corroborat, quod ille ob cuius mortem Albertus Vercellensis Hierosolymorum Antistes fuit electus, vocabatur M. quæ littera non Albertum, sed Michaelem, vel similem alium, cui littera initialis sui nominis M. esset denotat.

6 Vrgentius tamen premit in contrarium auctoritas B.Cyrilli, qui in *lib. de processu sui Ordinis*, seu epistola *ad Euseb. in Speculo Ordinis fol.28.lib.8. cap. 2.* Alberti Regulam Carmelitis traditam dicit prædicto anno 1199. quod nullatenus ignorare poterat sanctus Doctor, tempore, & loco Alberto, & datæ Regulæ præsens. Sed nec hoc conuincit, quia *magis amica veritas*, & facilè credimus opus hoc B. Cyrilli, etsi magna nobis veneratione dignum, posteri tamen alicuius è Græco Interpretis, vel Latine Scriptoris, inscitia, in quibusdam (proh dolor) vitiatum. Constat enim in eodem capitulo haberi Aymerici Antiocheni Patriarchæ opera anno 1121. Carmeli Eremitas sub vno Beato Bertholdo congregatos, cum tamen ante annum 1137. vt in superioribus dictum, Aymericum Antiochenam Sedem non ascendisse, Historici communiter tradant: Omitto alia eiusdem capitis, vt, quod ante mortem Beati Bertholdi, quæ iuxta illius operis computum, contigit circa ann. 1166. prædictum Aymericum obijsse indicet, quod etiam Annalibus fide dignis repugnat; cum pro anno 1187. quo Sancta Ciuitas Barbarorum præda fuit, extent ipsius Aymerici litteræ ad Regem Angliæ Henricum enixè postulantis subsidia in summo Terræ Sanctæ discrimine apud Rogerium *in Anglorum Annalibus*, & Baronium *tom.* 12. *anno* 1187. Mendum etiam sciolorum vitio in Beati Cyrilli librum irrepsit. Nec mirum, quod ab hac iniuria immunem illum non credamus, qui simili næuo etiam præstantissimorum Doctorum scripta non caruisse nouimus. Rectè ergo Segerus Paulus in sua illa Chronologia Sancti Simonis StocK de hac nostrorum Patrum existimata sententia sic dixit sub hoc anno 1199. *Traditam fuisse Carmelitis hoc anno Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano vetus error est, qui irrepsisse creditur in exemplaria aliquot, primum Manuscript. inde impressa: quia Albertus iste Patriarcha non fuit ante Annum Christi 1204. quo electus est, & in sequenti confirmatus. Patriarchā vero existentem Carmelitis Regulam tradidisse asserit vetus, & insignis Scriptor Sibertus de Beka Doctor Parisiensis, & vtriusque Alemaniæ Prouincialis electus anno 1317. in opusculo suo de considerandis super Regul. Carmelitarum.*

B.Cyrilli auctoritas.

7 Id tamen hoc loco non pretermittendum, quod esto sub hoc anno Albertus aliquis nomine, Hierosolymitanum Patriarchatum gessisset, quod non admittimus, adhuc tamen non ab illo, sed ab eius successore Vercellensi Alberto Regulam nobis traditam fuisse fatendum nobis esset. Id conuincitur primo ex ijs, quę trademus in sequentibus. Sicut enim ea

Animaduersio.

V directè

directè probant pręfatum Vercellensem Albertum nostrę Regulę compilatorem extitisse, sic quoque à nullo alio prædecessore id effectum. Secundò, quia fermè constans est, vt ibidem probamus, historicorum assertũ, Regulam nobis ab eo Alberto traditam, qui Apostolicæ Sedis Legatus eo tempore in Syrię partibus erat. Quorsum enim Ordinis per totum Orbem magna ex parte eo tempore diffusi, & proximè diffundendi, Regula postularetur, nisi ab eo, qui auctoritatem, iurisdictionem que veluti vniuersalem haberet? Atqui Hierosolymitanum sub hoc anno Patriarcham Legatum non fuisse, vel ex Epistolis Innocentij Tertij ad ipsum sub hoc eodem tempore, quę Typis mandatę sunt, id constat manifestè; cum talis ei titulus in ipsis non tribuatur: è contra vero Vercellensem Albertum Sedis Apostolicæ Legatum fuisse euidens est, & ex ipso Registro Vaticano, vt eo loco afferemus. Accedit tertiò, quod Albertus ille nostrorum legislator vir doctrina, & sanctitate celebris dicitur, quod solum Alberto Vercellensi congruit, vt clare constabit ea, quæ de eodem in sequentibus dicemus, inspicienti. Eum autem, qui sub hoc tempore ante Albertum Patriarchæ munus gerebat, talem non fuisse (quod bona ipsius venia dicatur) vel ex epistola quadam Innocentij Papę ad ipsum inter epistolas eiusdem Papæ lib. I. in impressione Veneta pag. 328. *habetur* Ibi enim adeo acriter & minaciter Pontifex ipsum de doctrina, ac male gestis redarguit, vt vix credi possit eum, vel mediocriter probum, aut sapientem esse, qui talia a pijssimo, & prudentissimo Innocentio meruerit audire.

8 Facilius credimus, quod alij prædicto anno 1199. in Ordine accidisse commemorant, ipsum nempe ab Innocentio Papa confirmationem obtinuisse; quod intelligendum est eo modo quo superius diximus de confirmatione ab Alexandro facta. *Confirmatio Ordinis.* Id tradunt pro mille vnus grauissimus Cardinalis Bellarminus *in sua Chronologia* adiuncta libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis: Ordo*, inquit, *Carmelitarum confirmatur ab Alexandro 3. anno 1180. item ab Innocentio Tertio anno 1199. item ab Honorio Tertio ann. 1216.* Author præterea Anonymus in manuscripto vetusto Bibliothecæ Ducis Altemps Innocentium anno primo sui Pontificatus Regulam nostram (forsan pro Ordine Regulam accipiens) confirmasse etiam scripsit. Fauent quamplures alij, qui affirmant eundem Innocentium Tertium Regulam, vel Ordinem confirmasse. Sed cum expresse pro hoc anno nó loquantur, & forsan de confirmatione facta in Concilio Lateranensi sub eodem Papa sermonem instituant; ideo ipsorum testimonia non afferimus; in sequentibus tamen afferentur. Hoc tamen anno id contigisse ex nostris tenent Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 2.* Ioannes Pintus de victoria *in Hierarchia Carmelit. in Concione de B. Simone Stock.* Et sanè huius Pontificis pietas, nostrorum illis temporibus, pręsertim Brocardi, & Cyrilii sanctitas, & fidelium erga ipsos deuotio, satis prædictam confirmationem suadent, etsi authenticis testimonijs ob ipsorum, cum Monasteriorum ruina, è Syria expulsione, comprobari non possit?

Ann.

Ann. Christi 1200 Innocent. 3. Roman. Pontif. 3. Imperat. Occident vac. Alexij Angel. Imperat Orient. 6. Beati Brochardi General. 13.

1 INter ea, quæ hoc anno Innocentij Pontificis magnanimitatem exercebant, præcipuum erat Terræ Sanctæ à Barbaris vexatæ, subsidia præbere. Propter quæ decimam partem redituum Romanæ Ecclesiæ, & quadragesimam aliorum Ecclesiasticorum contribui præcipit. Insuper cum controuersia de Imperio esset inter Ottonem, & Philippum Sueuum, Ottoni diadema per Legatum imponi curauit. Bzouius sub hoc anno numero 1. & 3. De pace autem inter Anglum, & Francum Reges, plura Mathæus Paris, Rogerius, & alij. Papæ gesta.

2 Syriæ, & Terræ Sanctæ, in qua nostri Eremitæ cum Beato Brocardo Præsule morabantur, res sic erant; vt cum inter Sarracenos vsque modo bellum, & discordia, post Saladini mortem vigerent, de pace tractaretur, magnus timor omnes inuaserat, si inter ipsos firmaretur concordia. Propterea Pontifex duos Cardinales Legatos illuc destinandos decreuit, videlicet S. tituli Sanctæ Praxedis Presbyterum, & Petrum Sanctæ Mariæ in Via Lata, qui, Cruce assumpta, exercitum Domini vices ipsius exequendo, præcederent. Constat hoc ex epistola eiusdem Innocentij apud Rogerium *in Annalibus Anglorum sub hoc anno*. Nostri ergo inter spé, & metum ambulantes, iuxta sui Ordinis institutiones à Beato Brocardo illis traditas incedebant. Terræ Sanctæ negotia.

3 Prope hoc tempus (vel aliquot post annis) Fratres nostros in Vrbe Sacca inter Siciliæ Ciuitates digna, Sancti Saluatoris Templum pro Ordinis Cœnobio habuisse à Comite Siciliæ Rogerio conditum, cum Eremiticam ducentes vitam in eas partes fratres nauigauere; ex Ægidio Leone Indelicato *in Viridar. Carmelitarum par. 3.* & Rocho Pirrho *in Notitijs Ecclesiæ Agrigentinæ*, dum de Sacca loquitur *num.* 9. habetur. In hoc Conuentu aliquando vixisse Sanctum Albertum, ex ipsius vita etiam constat: vt propterea merito post ipsius obitum eiusdem Reliquijs, sicut & Sancti Angeli perfruatur. Hic claruerunt Nicolaus de Riczo doctrina, ac pietate insignis, de quo sub anno 1425. Ægidius Leo Indelicatus, qui edidit Viridarium Carmelitarum Panormi anno 1600. & Magister Paulus Pilussus Prouincialis, & vir doctissimus, ac vitæ candore conspicuus; Item Mag. Pacificus Maringus vir haud absimilis. Sic ferme Pirrhus relatus, alia etiam de hoc Cœnobio referens. Conuentus Saccæ.

4 Idem quod diximus de huius Saccensis Cœnobij prope hoc tempus erecti fundatione, etiam sentiendum de Agrigentino Monasterio, prout dicemus sub anno 1220. etiam ex Rocho Pirrho. Agrigent.

Leocatæ. 5 Qui etiam Pirrhus *in notitijs Ecclesiæ Agrigentinæ* loquens de Leocáta, seu Alicata Vrbe, ait ex eodem Ægidio Leone, anno circiter 1200. nostrá Carmeliticam Familiam ibi Cœnobium habuisse, & ibi postea Sáctum Angelum circa ann. 1220. extitisse: afferens etiam alia ad hoc Cœnobium spectantia, de quibus eo anno 1220. dicemus.

Drepani. 6 Quin de celebri, & Regali Cœnobio Drepanensi in eodem Siciliæ Regno deuotissimo, ait idem Pirrhus *in notitia sexta Eccles. Mazaren.* id referens ex eodem Ægidio, ab hoc tempore initium habuisse in Ædicula attitulata *Sanctæ Mariæ de Partu*, cuius vestigia, cum Fratribus in pariete depictis vestimentis oblongis subnigri coloris indutis cernebantur. Sed de hoc Cœnobio plura damus sub anno 1230. & 1250.

Lilybæo. 7 De Lilybęo quoque Monasterio, quod hoc tempore adquisitum nostris Carmelitis sit, habet idem Pirrhus, ex eodem Ægidio, & in eo conseruari digitum, & baculum Sancti Alberti, ac simulacrum marmoreum Beatæ Virginis, ac habere titulum *Annunciatæ*.

Melitæ. 8 Pariter etiam de Melitensi Cœnobio in ea inclyta Insula, hoc anno, vel circiter inchoationem accepisse, sub titulo *Mariæ Annunciatæ*, & in Ædicula quadam in quodam antro extra mœnia, titulo Sancti Leonardi, in nemore opaco arboribus consito, iuxta *Boschetum* hodie, habet relatus Pirrhus *in notit. Eccles. Melitens.* Etsi postea ad ann. 1570. amplificatum, & dotatum dicat. Notet lector, qualiter eo tempore Carmelitę locis suo Carmelo similibus potiri ambiebant.

Ferulæ, & Motycæ. 9 An Ferulensis Conuentus in Sicilia, & Diœces. Syracusana in Oppido *Ferula* vocato, qui, iuxta eundem Pirrhum *in notit. Eccles. Syracus.* antiquissimus est, huic tempori, an vero alij, sit adscribendus, hæreo. Sicut & de Conuentu Motycæ, de quo idem Author eodem ferme modo loquitur.

De B. Angela 10 Circa quod tempus, vt putamus, Angelam nostram post veli susceptionem à B. Brocardo, quam anno 1196. commemorauimus, Hierosolymam, habitu virili sexum simulante, milite fideli iam probato sociatam, profectam fuisse; ibique Monialis habitum induisse, ex eius historia, de qua in superioribus sic habetur: *Postquam igitur S. Angela Hierosolymam appulit, visitauit cum dicto milite Sancta loca, at cum etiam venissent in Ecclesiam Sororum nostræ Dominæ secreto cuidam deuotæ ibi mulieri conditionem suam aperuit, atque animi item propositum. Mulier mox eam amiciuit amictu fœmineo, ipsam ducens ad Priorissam rogatam, vt in Monialem reciperetur. Verum ipsa Priorissa in visu noctis aduenire quamdam viderat, quæ sibi ad pedes aduoluebatur preces horarias latinas habens. Visa ergo Beata Angela coram, visionis ipsa haud immemor, librum eius inspexit; & cognito, quod preces illæ vere essent nostri Ordinis, Angelam rogat hunc librum vnde nacta sit; quæ cum responderet Dei esse opus, & donum, atque cuius esset filia aperiret, amicè ab omnibus suscepta est. Vbi vita sanctitudine, quam ducebat, adeo excelluit, vt postea succedere digna fuerit in Monasterii Præfecturam.* Quale autem, vel in

quo

quo loco sanctæ Ciuitatis hoc Monialium Cœnobium fuerit diximus sub anno 1196. Illud procul dubio credendum, vt quemadmodum nostrorum Eremitarum in eadem Sancta Ciuitate commorantium Monasteriũ, ex solis Syris, vel Græcis tunc erat (Latinis enim à Saladino inde expulsis habitatio negabatur) vt propterea Sanctus Angelus, & Ioannes eo loci Ordinis habitum susceperint, vt dicemus sub anno 1204. sic ex Virginibus earumdem nationum hæc Sanctimonialium domus esset. Ad eam ergo Sanctam Virginem Angelam ex Latinis ortam admissam fuisse speciali Dei prouidentia tribuendum. Qualiter porro in eo Cœnobio, tempore peracto, Virginum præfecturam Angela adepta sit in sequentibus dicemus.

Ann. Christi 1201. Innocentij 3. Rom. Pontif. 4. Imperat. Occid vacat. Alexij Angeli Imperat. Orient. 7. B. Brocardi Gen. 14.

1 OTto Dux Saxonum, & Philippus Sueuorum, pro Imperio Occidentali obtinendo, acriter decertabant. Papa fauebat Othoni, Rex autem Galliæ Philippo. Genebrardus, Æmilius, Gordonus, & alij. In partibus autem Syriæ, qualiter Christianitatis negotia se gererent ex literis Magistri Hospitalis Hierusalem Priori; & Fratribus suis per Angliam constitutis extraximus ista: *Vestræ Fraternitati declaramus, quod ille Christianorum hostis nequissimus Damasci Dominus Saphadinus Babilonis effectus est Dominus, quia nepotem suum, & alios quorum successionem timebat, de Regno Babilonis, vt perfidus, & periurus eiecit. Viget adhuc inter ipsum, & Soldanum Aleph, & plures alios nimia discordia, quæ fine careat, & nunquam decidat, vel arescat. Ipse quoque Saphadinus suis odibilis, & infestus domesticas timet insidias, & in nullo loco tutum se credens (vt potè qui nepotibus suis proditor extitit, & periurus, quos etiam funditus quotidie exhæredare conatur) Babiloniam exire non audet. Quæ res nobis hoc anno munimen præstitit, & tutelam*. Hęc Rogerus in Annalibus Anglorum. Imperatorũ contentio.

2 Contigit hoc anno (teste magno Chronico Belgico) clarissimi Ioachimi Abbatis Florensis mors, cuius memoria nobis indigna non est. Ipse etenim Beati Cyrilli Oraculi, vt visum est, preco, & scholiastes extitit, & de Eliana Religione plura haud obliuioni tradenda posteris commendauit. Huius Auctoris librum, quem contra Petrum Lombardum de vnitate, siue essentia Trinitatis scripserat, Innocentius Tertius cum Concilio Lateranensi reprobauit. Quia tamen ipse in epistola, cui manu propria subscripsit, firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, vt constat ex epistola Honorij Tertij ad Episcopum Lucaniæ ex Bibliotheca Vaticani extracta, quam refert Posseuinus in *Apparatu Sacro, verbo Ioachimus*, ideo persona ipsius, vt pia, & religiosa, nec hęresis labe fœdata, habenda. Beatum quidam compellant. *Prophetam* plu- Ioachimi Abb. mors.

res,

res. Guillelmus tamen Parisiensis acerrimi Iudicij Theologus in libro *de virtutibus*, Spiritu intelligentiæ, non prophetiæ donatum credit. Vtcũque res sit, verum Prophetam fuisse, fama passim percrebuit, idque plura ipsius exarata monumenta testari videntur. An id verum, Ecclesiæ iudicio mittendum, nostrum solum erit, quæ de Ordine ab Eliæ instituto dixit in medium afferre.

Ioachimi testimonia.

3 Ergo Ioachimus iu Commentarijs super Apocalypsim, sæpius mundum in tres status distinguit, quorum primus sit ab Abraham vsque ad Christum: secundus, à Christi aduentu vsque ad conuersionem Israel: tertius ab Israelis conuersione in futurum. Legatur circa illud cap. prim. *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis.* Ætates etiam mundi sex enumerat plurium in hoc Patrum sensum sequutus. Deinde Ordinem quẽdam, quem modo *virginalem*, modo *monasticum*, aut *contemplantium* appellat, sæpius inculcat; extollit, commendat. Hunc ergo Ordinem illum eumdem esse; qui ab Elia, & Prophetis initium sumpsit, modoque sub Carmeli nomine in sæculo viget, paucis, lectore iudice, ostendimus. Primo etenim illum, *Quartum in numero Sanctorum Ordinum* vocat, vt videre licet circa illud Apocalypsi. 2. & *Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe.* Quartum vero locum inter Mendicantium Sanctos Ordines ob Confirmationem, Carmeliticum (etsi iure institutionis primum) tenere, omnibus compertum. Ad hæc secundo, hunc Ordinem *quarto tempore Ecclesiæ claruisse*, affirmat ibidem. Quod autem sit quartum tempus Ecclesiæ explicat in principio quartæ partis libri, fuisse tempus Eliæ, Elisei, & Discipulorum. Dicit enim: *Quarta mundi ętate claruerunt in Israel Elias, & Eliseus, & filij Prophetarum.* & *cap.* 2. circa illud. *Habeo aduersum te pauca, quia permittis mulierem Iezabel* sic habet: *In tempore Sigilli quarti, quo Elias, & Eliseus clamuerunt in Israel, & filij Prophetarum in Hierico, & Bethel, &c.* Et rursus: *Eodem tempore apertionis quartæ inuentę sunt Reliquię in populo Grecorum, & viri probatissimi habitatores Eremi, quorum alij, qui in imitatione Elię ante processerant, omnino iam arescere incipiebant. Alij vero, qui successerant in imitatione Elisei cœperunt fieri Patres Monachorum, & Virginum, quorum imitatio vsque ad Latinos peruenit.* Ac tandem infra circa illud, *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem &c.* sic inquit: *Liquet, quod in quarta ętate sæculi reuelatus est Elias.* Cum igitur Eliæ, Elisęi, & Prophetarum tempore, nullus nisi Carmelitanus Ordo extiterit, cuius ipsi Principes fuerunt, absdubiè intelligi datur ipsum esse, de quo Ioachimus in præsenti sermonem habet.

Aliud

4 Tertio, hunc Ordinem *Virginalem* appellat loco citato circa illud, *& Angelo Tiatyræ Ecclesiæ*, &c. quod quasi explicans inferius dicit: *Quoniam à Virgine Matre Christi inchoatus est.* Quæ verba Carmeliticæ Religioni aptari compertum est. Is enim Ordo est, de quo Sixtus Quartus in Bulla *Dum attenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum, de ann. 1476. dixit: *Virgo Dei Genitrix gloriosissima &c. quę florem pretiosissimum, immarcescibilem, & æternum, Dominum nostrum Iesum Christum &c. genuit, produxitq;*

Sacrum

Sacrum Ordinem B. Mariæ de Monte Carmeli. Propterea Ioachimus inferius circa illud cap. 3. *Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe*, sic habet: *Ecclesia contemplantium designata in Matre Domini Maria ab ipsa gloriosa Virgine inchoata est. Unde, & nonnulli Monachorum in omnibus Cœnobijs suis eius sacrũ vocabulum generaliter assumpsisse noscuntur, vt se ad illam Ecclesiam pertinere demonstrent, quam ipsa Mater Dei sacra Virgo designat*. Quibus, quasi indice manus, Carmeliticam indicat familiam, quæ in maxima saltem parte Cœnobiorum titulum Mariæ Virginis conseruat.

5 Ad hæc quarto, sæpius hunc Ordinem, de quo loquitur, designari, aut prænotari per Eliam dicit. Circa illud enim Apocalypsis 6. *Stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos*, sic scripsit. *Ioannes, qui de tribu Leuitica ortus est, Ordinem Clericorum designat; Elias, cuius prosapia incerta est, Ordinem prænotat contemplantium*. Et inferius: *Designatur autem per Ioannem sicut per Lunam, Clericorum Ecclesia, propter defectum actiuæ vitæ, per Eliam vero sicut per Solem Ordo Monasticus*. Et rursus circa illud c. 15. *Et vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phyalas*, sic habet: *In quibusdam locis iam dixisse me recolo, Eliam Prophetam Contemplantium Ordinem, hoc est Eremiticum designasse*. Quis autem Ordo, quæve Religio congruentius per Eliam designari potest nisi Carmeliticus noster, qui, vt tomo primo vidimus, grauissimo fundamentorum pondere, & Ecclesiæ authoritate ducti, ipsum vt Patrem, Ducem, & Antesignanum agnoscit? Alia insuper

6 Specialiter Sacram nostrorum Patrum Discalceatorum Religionẽ à Ioachimo in scriptis suis commendatam fuisse, ex duplici ipsius testimonio non incongruè elicimus. Primum, ex Commentarijs super Ieremiam cap. 1. vbi sic habet. *Licet enim nouus Ordo Prædicantium Ecclesiæ ordiatur, tamen Ordo ipse initiatus est à Prophetis, Apostolis, & Doctoribus tertij temporis Ecclesiastici; charus, & cognitus, & electus, & acceptatus à Deo, signatus in Isaac, & Ioanne Baptista*. Quæ omnia aptissime adaptantur horum Patrum Cętui, qui merito *nouus Ordo* dicitur, cum prope hoc nostrũ sæculũ, quando hæc scribimus, à S. Virgine Theresia sub Pio IV. Sũmo Pontifice *initiatus* fuerit. Et si antiquitus, à Prophetis Elia, & Eliseo, & filijs Prophetarum. Insuper *Apostolis charus, & cognitus, & acceptatus*, cum ipsi Apostolicam vitam per Religionem puram, mortificationem strictam, cæterasque monastices dotes, profiteantur. *Signatus in Isaac, & Ioanne Baptista* dicitur, quia sicut illi steriles matres habuerunt, sic etiam sacra ista progenies, Virginem mundo sterilem, sed Cœlo fęcundissimam Parentem Theresiam adepta est. Secundum eiusdem Ioachimi testimonium, super illud Apocalypsis 14. *Vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem &c.* non minus aptè Illustrissimę PP. horum Congregationi aptatur. Dicit enim: *Surget Ordo, qui videtur nouus, & non est: induti nigris vestibus, & accincti desuper zona. Hi crescent, & fama eorum diuulgabitur, & prædicabunt fidem, quam & defendent vsque ad mundi consummationem, in* Pro PP. excalceatis.

spiritu

spiritu Eliæ: Qui erit Ordo Eremitarum æmulantium vitam Angelorum. Illis enim *Eliæ, qui videtur nouus, & non est*, hunc sacrum Ordinem præmonstrari ex præmissis constans est. *Induti nigris vestibus* dicuntur, quia grisseus color huius & nostræ religionis proprius cum fusco seu nigro colludit. De quo erudite Leo à S. Ioanne *in Typo, seu pictura vestis Religiosæ sect. 5*. Accinctos desuper *zona*, Eliam parëtem ęmulantes, omnibus obuiű. Illa *hi crescent, & fama eorum diuulgabitur* absdubiè singulariter illos exprimit, qui intra non multos annos Orbem vtrumque fama sanctitatis impleuerunt. Prædicaturos fidem, misiones ad Persidem, & alia infectæ gentis loca, vbi id munus exercent, testantur. Illam porro vsque *ad mundi consumationem propugnaturos*, quæ dicemus inferius in vita B. Petri Thomæ suo tempore confirmabunt. Illud *in spiritu* Eliç theseram huius Sacræ familiæ propriam esse quis abnuet? Demum, *Ordinem Eremitarum æmulantium vitam Angelorum* iure compellari posse, sanctæ huius Congregationis exercitia, carnis mortificatio, silentium, iugis, & assidua meditatio, abunde confirmant. Scimus alios, hoc vltimum Ioachimi testimonium quibusdam alijs Sacris Religionibus appropriare. Sed an nos cum fundamento nostro Ordini adaptauerimus, prudentiorum trutinæ relinquimus iudicandum. Fatemur nihilominus, nec incongruè hæc etiam omnia nostris hac tempestate, cuius historiam teximus, in Carmeli Ordine Eremitis degentibus applicari posse. Bertholdus enim, Brocardus, Cyrillus, Angelus, Ioannes frater, Simon, ac ex fęminis Angela, vt alios huius æui prætermittamus, iure ob sanctimoniæ præclara gesta, à Ioachimo designari potuerunt in testimonijs adductis, prout de illis intelligenda scripsit Michael Munozius *in Propugnaculo Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 3.*

Eccl. SS. Syluestri, & Martini.

7 Sub eodem etiam anno ss. Syluestri, & Martini in Montibus Vrbis sita Ecclesia, quæ fęlicissima nostrorum sorte illis post id tempus tanquam pretiosa margarita inuenta fuit, vt sub anno 1296. dicimus, ab Hugutio Bobo Romano eiusdem Ecclesiæ Cardinali titulari marmoreis vmbonibus ornari meruit. Id hæc inscriptio posteritati indicat:

Hugutio sumens à Cardine nomen honoris
Presbiter hæc sponsæ dedit ornamenta decoris:
Tempus habes operis venientis Saluatoris
Annum millenum primum coniunge ducentis.

Ciaconius de vitis Pontificum *in Cælestino 3.* & Florauante Martinellus *in additionibus ad eumdem Ciaconium sub Innocentio 3.* Vmbones hi marmorei olim in medio Ecclesiæ erant, prout in Ecclesijs S. Laurentij extra muros, & S. Clementis de Vrbe cerni potest, in quibus Euangelium, & Epistola decantari solita. Ex eis tamen postea è Templi medio sublatis Altare maius quod modo extat, fabricatum a senioribus audiuimus. Hæc est illa *S. Martini in Montibus* vulgo nuncupata, nostri Ordinis celebris Ecclesia, de qua plura, ipsaque egregia tomo secundo, ac maximè tertio horum Annalium, referimus. Ea præsertim, quæ S. Syluester, Symachus,

Sergius,

Sergius, & alij Pontifices circa eam gesserunt, innumeris ss. Reliquijs, & memorijs exornantes. Quam etiam Reuerendiss. Generalis Ioannes Antonius Philippinus mire decorauit, vt suis locis scribimus.

Ann. Christi 1202. Innocentij 3. Rom. Pontif. 5. Imper. Occid. vac. Alexij Angeli Imper. Orient. 8. B. Brocardi General. 15.

1 NIhil magis Innocentium Papam hoc tempore angebat, quam Terræ Sanctæ a Sarracenis barbaris inuasoribus iusta vindicatio. De duobus ergo Cardinalibus Legatis pro ea expeditione designatis Principes Christianos monebat, & Andream Hungariæ Regē; emisso voto iter detrectantem, & dispensationem postulantem, de voti adimpletione exhortabatur; eius interim Regnum, vt securus pergere posset, sub Sedis Apostolicæ protectione relinquendo. Præterea D. Kunegundem Virginem, & Henrici cognomento Pij Imperatoris coniugem Sanctarum tabulario ascripsit. Bzouius sub hoc anno, & alij. Papæ solicitudo.

2 Magnum Terremotum eo anno die 30. Maij in Terra Sancta accidisse aliqui referunt, inter quos est anonymus quidam à Bzouio sub hoc anno num. 21. relatus. Si autem res ita fuit, magnum certè nostris Eremitis damnum attulisset, vtpote in eis Vrbibus, quæ illum passæ sunt mansionem habentibus. Dicitur enim magnam Vrbis Acconensis partem, cum Palatio Regis corruisse, Tyrum penè subuersam esse, Tripolim maxima ex parte ruisse, & magnam hominum multitudinem suffocatam esse. Terræmotus in Terra Sancta.

3 Inter viros in Ordine nostro hoc æuo virtute præstantes merito recenseri potest Hieronymus Prior Monasterij S. Annæ Hierosolymorum Vrbis pro annis sequentibus. Vt enim sub anno 1204. dicemus, sub eius disciplina Religioni nostræ nomen dedere Angelus, & Ioannes iuuenes eximiæ sanctitatis viri, de quibus ibidem; vt propterea si alia deessent, magni nominis apud nostros hic Pater esse deberet. Vocatur autem in historia horum Sanctorum à Beato Enoc ho descripta: *Vir vita integritate, ac innocentia singulari* (intellige) præditus. De eo alia sub anno 1204. dicentur. Hieronimus Prior.

Ann. Christi 1203. Innocentij 3. Rom. Pont. 6. Imp. Occid. vacat. Alexij Angeli iunior. Imperat. Orient. 1. B. Brocardi Gen. 16.

1 ACcidit hoc anno, vt cum Cruce signati pro Terræ Sanctæ subsidio ferendo in Syriam progrederentur, Constantinopolim peruenientes, Alexium iuniorem filium Isaaci Angeli in Imperium Græcorum Gesta Constantinopoli

restituerent, Alexio seniore eius patruo, qui fratrem Isaacium excæcauerat, & in vincula conieceraț, ac nepotem occidere curauerat, & ad minus fugere coegerat, fęliciter superato. Nicetas, & post ipsum moderni Annalistæ.

Mors Patriarchæ Hierosolymit.

2. Contigit eodem anno mors Hierosolymitani Patriarchæ, de quo in superioribus diximus. Ob cuius obitum Albertus Vercellensis Episcopus ad Patriarchalem Cathedram euocatus fuit, prout dicemus sub anno 1205. Quæ autem ante Alberti electionem acciderint, cum ad historiæ veritatem de vero Alberto nostrorum Regulæ Compilatore conducant, ex vita, & gestis Innocentij Tertij in Vaticano reseruatis, & quæ post Typis etiam mandata sunt opera Francisci Bosquetti Narbonensis inter epistolas eiusdem Innocentij sic habetur: *Ex duobus videlicet Cardinalibus Legatis, quos ad Terram Sanctam Pontifex destinauerat, Soffredum* (alijs Soffridum) *primum transfretasse, ac Patriarcham Hierosolymitanum in vltimis laborantem inuenisse, quo post aliquot dies ex hac luce migrante, idem Legatus à Clero fuit in Patriarcham electus, & à populo expetitus cum Regis assensu, & Suffraganeorum fauore. Missis ergo Nuncijs de communi consilio ad Apostolicam Sedem, vt eũm in Patriarcham concederet, & pallium destinaret, deliberauit Summus Pontifex, vt idem Legatus induceretur, si posset, sed non cogeretur si nollet, Patriarchatum recipere, mittens pallium alteri Cardinali, vt illud ei, si consentiret, conferret. Cum autem ille consentire nollet, de alterius electione tractatum est, & conuenerunt omnes in Vercellensem Episcopum, virum vtique vita, & scientia, & fama præclarum.* Hæc ibi; quorum magna pars, etsi sequenti anno acciderit, hic tamen simul referenda, ne eadem sæpius repetere pro historiæ serie texenda astringamur.

Ann. Christi 1204. Innocentij 3. Rom Pontif. 7. Imp. Occid. vacat. Balduin. Imp. Orient. 1. B. Brocardi Gen. 17.

Imperij Cõstantinopol. mutatio.

1 Lexius iunior, Isaaci Angeli filius, à Cruce signatis in Imperium Constantinopolitanum, vt anno præcedenti vidimus, restitutus, ciuium motibus exagitatus prudenti responsione tumultum sedat: sed postea à Myrtillo quodam perfidissimo sicario, crudelissimè trucidatur sub hoc anno. Propterea ab eisdem Cruce signatis Tyrannus, & Constantinopolis oppugnantur, præsidium Vrbi impositum, & loca inter Latinos distributa. Actum etiam est de Imperatore eligendo, & cum quindecim Electores essent, ex eis vnus Balduinus Flandriæ Comes, Augustus fuit renunciatus, & Thomas cognomento Maurocetus ex Venetis in Patriarcham Constantinopolitanum electus. Nicetas, Annales Flandriæ, & alij.

De Episcopo Bethlehemitico.

2 Vnus ex quindecim designatis viris, qui Balduinum Flandrię Comitem

mitem in Imperatorem elegerunt. Episcopus Bethlehemiticus communiter numeratur, In hoc enim Authores concordant. Subiungunt alij hunc Bethlehemitanum Episcopum fuisse Albertum Hierosolymitanum Patriarcham, & nostræ Regulæ compositorem. Ita enim habet Aubertus Myræus Bruxellensis, vir alias inter Historicos opinione clarus, in elogio eiusdem Alberti, inter Icones illustrium virorum belli sacri incisas. Sed sine fundamento id scripsisse facili negotio demonstratur. Primum, quia Albertum illum Bethlehemiticum Antistitem iam pridem ab anno scilicet 1191. diem vltimum clausisse valde credibile est propter dicta à nobis sub eo anno. Deinde, esto in viuis superstes vsque ad hoc tempus esset, quod omnino incertum, Patriarcham non fuisse euidens est, nam qui tale fulgebat dignitate anno præcedenti è vita cessit, vt eo anno vidimus; & eius successor Albertus Vercellensis Episcopus ex Italia missus fuit; qui non nisi sequenti anno Syriam peruenire potuit, vt etiam ibidem dicemus. Quando ergo, vel qua tempestate iste Bethlehemitanus Antistes Patriarcha Hierosolymitanus nominari meruit? Abscedant hæ tenebræ, & veritatis historicę lux effulgeat. Fatendũ sanè hunc Bethlehemitanum Episcopum virum insignẽ fuisse, vtporè, qui Dux, & auctoritate Apostolica Delegatus pro ista expeditione Constantinopolitana vocatur à Balduino Imperatore electo in epistola, quam affert Bzouius sub hoc anno num. 8. Patriarcham tamen Hierosolymitanum fuisse omni caret fundamento.

3 De vero autem Alberto Vercellensi, qui ad Patriarchalem Hierosolymorum dignitatem ascendit, verusque nostrorum Carmeli Eremitarum Legislator extitit, hoc anno ad id munus electum quidam astruunt, præsertim Ioannes Stephanus Ferrerius *in vit. Vercellen. Episcoporum* affirmans ex ipsa Bulla in Vaticana Bibliotheca id extraxisse. Verumtamen etsi parui momenti quæstio hęc sit, cum parum referat an hoc, an potius sequenti anno id contigerit, nihilominus, nos, qui etiam Bullam promotionis in Registris Vaticanis legimus, estque *num.* 222. *pag.* 175. inter Bullas anni 7. Innocentij Tertij, elicimus eam anno sequenti datam fuisse. Quod etiam agnouisse videtur Bzouius, cum sub anno etiam sequenti *num.* 6. rem factam referat. Erroris autem ansa prædicto Ferrerio fuit, quod cum Bulla, vt diximus, data sit anno septimo Innocentij, qui anno 1204. correspõdet, ideo sub eo anno comprehendi credidit; non animaduertens, quod cum data fuerit 13. Kalendas Martij, qui est in fine prædicti anni septimi, necessario correspondere debet anno 1205. nam initium Pontificatus Innocentij fuit octauo Kalendas Martij anni 1198. quo die Coronationem accepit, ac proinde dies 13. Kalendas Martij anni 7. ad annum 1205. spectat, vt computum facienti notum erit. De Alberto Vercellensi.

4 Sub hoc anno, vel circiter; SS. Iuuenes Angelus, & Ioannes, de quibus superius circa ann. 1190. decimumoctauum ætatis attingentes, Nicodemo Solymorum Antistite (de quo ibidem) à quo moribus, & fide instructi erant; suadente, vt deuotam aliquam Regulam, & Religionem Angelus, & Ioannes.

eligerent, sub cuius iugo Deo seruire possent, ipsisque respondentibus, velle Eremitarum Montis Carmeli institutum amplecti, habitum Carmelitanum post modum in Conuentu Sanctæ Annæ Hierosolymitano à Hieronymo ipsius Priore receperunt. Ita habetur ex vita Sancti Angeli ab Enocho Hierosolymitano Patriarcha descripta, de qua superius. Notandum cœterum, notabile irrepsisse mendum, quod quibusdam veluti scandali petra fuit, in prædictam Sancti Angeli vitam, prout in Vaticana Bibliotheca manuscripta seruatur, & Typis mandata fuit à Benedicto Gonono Cœlestino *in vitis Patrum Occidentalium*. Illa etenim verba SS. Angeli, & Ioannis ad Nicodemum rogantem, vt deuotam Regulam religiosè viuendi eligerent, videlicet: *Regula Sancti Patris Basilij perfecta est, & laudabilis, sed nos animo nostro statuimus Regulam obseruare, quam Sanctus Albertus fecit Carmelita Patriarcha prædecessor vester annis iam elapsis 412. vbi habitant Fratres Eremitæ Montis Carmeli*, falsam, imo & absurdam continent sententiam. Cum enim hæc dixerint Adolescentes ante Regulam ab Alberto præscriptam, vt ex dicendis liquescet: & esto, quod iam Ordini Regula ab eodem Alberto data esset, non tamen à tot elapsis annis, ideo omnino reijcienda; & scioli alicuius historiæ transcriptoris inscitiæ tribuenda. Veritas ergo, ex vera, & legitima Sancti Angeli vita ab Enoch prædicto conscripta, & quasi cælitus, vt dicitur, ante annos centum reperta, & ad Nicolaum Audeth Ordinis Generalem, à Thoma Bellorosò Panormitano missa; quid Sancti Iuuenes dixerint, quidue eo tempore acciderit, prout ibidem capitulo quarto habetur, talis est, *Regula Sancti Basilij miris modis nostrum animum diù iam inuitauit: sed Deo denique inspirante, animo statuimus vitæ normam seruandam suscipere, quam annis supra quadringentos, pluribus iam euolutis, Prophetarum successores diù in Monte Carmelo, nunc vero plerisque in locis, seruare susceperunt. Hæc enim, vel ex eo mirificè nostrum inuitat, & commouet animum, quia præcipuo Dei Genitricis titulo dicata, vberrimas in Sancta Dei Ecclesia virtutum omnium fruges proferre videtur. In hac ipsa* Religionis *professione, Te patre, filijs benedicente, Deo, & Virgini Deiferæ seruire decreuimus: oramusque, ac precamur filij Patrem, vt antequam ad Dominum migraturus tuæ æternitatis iter suscipias, in Monasterio Sanctæ Annæ Cænobitarum Carmeli Montis, vbi quiescunt ossa parentum, filios reponas, in Dei, & Beatæ Virginis obsequio vitam mortalem acturos. Exploratis itaque adolescentium, & cognitis, animis annuit benignissime eorum votis vir Sanctus, & quibus potuit verbis hortatus ad confirmandum propositum eos induxit, ac paucis tandem interiectis diebus, re prius opportunè discussa cum Hieronymo expressi Monasterij Priore, viro, vitæ, integritate, ac innocentia singulari, habitoque Fratrum consilio, et assensu, ipsum Monasterium ingrediendi propositum, et diem statuunt.* Hæc in genuina, ac legitima historia vitæ S. Angeli; de qua alia in sequentibus.

Ann.

Ann. Christi *1205*. Innoc. 3. Rom. Pont. *8*. Imp. Occid. vacat. Balduini Imperat. Orient. *2*. Beati Brocardi General. *18*.

1 BAlduinus Flander nouus Constantinopolitanus Imperator, cum contra rebelles Græcos Hadrianopolim profectus esset ab eis victus, & in vincula coniectus, non multò post diem clausit extremum, eidem succedente Henrico fratre à Gallis, & Venetis Imperatore salutato; Innocentio Papa pro ipso conseruando contra Theodorum Lascarim à Græcis Imperatorem etiam acclamatum, ope, & consilio laborante. Nicetas, Gregoras, Bzouius, & alij. Græci Imperij Imperatores.

2 Hoc igitur, vt diximus, anno, sub 13. Kalendas Martij, Pontifex Innocentius Tertius, Albertum Vercellensem Episcopũ ab Almerico Hierosolymitano Rege, assensum præbentibus Archiepiscopis, & Episcopis, in Patriarcham Hierosolymorum expetitum, litteris suis datis monuit, induxit, imo & coegit, præfatam dignitatem acceptare, his verbis, alijs prętermissis. *Igitur pro Deo, & propter Deum, hoc mandatum Apostolicum exequaris, quod manum districtioris seueritatis nos non oporteat adhibere. Nam etsi secundum statuta Canonica nullus inuitus crescere compellatur, iuxta tamen legitimas Sanctiones aliqui ad publica munia trahuntur inuiti. Interest autem tam Apostolicæ Sedis, quam Ecclesiæ generalis; imo, & generaliter omnium, & singulariter singulorum fidelium Crucifixi, vt eidem Ecclesiæ persona præficiatur idonea in Pastorem. Nec tu tam ad honorem aßumeris, quam ad onus; cum Ecclesia illa hodie plus habeat oneris quam honoris. Nec turberis in aliquo, aut causeris, quod prædictus Cardinalis Sanctæ Praxedis factam de se postulationem à Canonicis Sepulchri Dominici non admisit: quia forsan sicut Sarra Tobię, sic & ipsa viro fuit alij diuino iudicio reseruata, &c.* Quibus, & alijs, quæ adducimus circa annum 1214. constat, Innocentium Papam nedum induxisse, sed, & coegisse Vercellensem Albertum ad Patriarchatum Hierosolymitanum oblatum acceptandum. Albert Hierosolym. Patriarch.

3 Ipse vero Vercellensis Episcopus humiliter acquiescens ad Apostolicam Sedem accessit, & in Patriarcham promotus, non solum Pallij ornamentum accepit, verum etiam officium Legationis promeruit, per quadriennium in sua Prouincia exercendum. Constat hoc ex prædicto manuscripto Vaticano. Extat etiam Bulla Legationis hoc eodem anno 1205. Kal. Iulij 16. sub numero trigesimo secundo in anno octauo eiusdem Innocentij, prout etiam vidimus in Archiuio Vaticano. Additur præterea in prædicto Manuscripto Vaticano dictum Albertum postea Ianuam profectum; inde in Syriam nauigasse. Ex quo conijcitur hoc eodem an. 1205. Palæstinam, & Acconem, quo tunc Sedes erat Patriarchalis è Hierosolymis translata, peruenisse. Ite Legatus Apostolicus.

De quinto Ordinis statu, qui est de Regula primitiua à Beato Alberto Patriarcha Carmelitis data.

Quintus Ordinis status.

4 PEruenimus iam, Deo duce, ad quintum Ordinis nostri statũ, ex octo illis, in quos veluti in ætates, totũ ipsius cursum Tomo primo horum Annalium post Apparatum in Operis diuisione, dissecandum diximus. Quia tamen ille totus de primitiua Ordinis Regula est, ideo primum de Auctore, deinde de loco, & tempore, quibus data, ac demum de alijs ipsius qualitatibus disquirere debemus.

Albertus Author Regulæ

5 Auctorem ipsius, Albertum illum esse, qui ex Vercellensi Episcopo Hierosolymitanus Patriarcha sub hoc anno factus est, præter quam id sufficienter confirmatum manet, ex ijs, quæ sub annis 1191. & 1199. dicta manent (cum ibi ostensum sit, vnum solum Albertum Vercellensem primo Episcopum Patriarchatum Hierosolymitanum ascendisse, ac proinde eum vnicum fuisse nostræ Regulæ compilatorem) nihilominus id etiam ex alijs capitibus efficaciter comprobari potest. Primo, ex authoribus historicis, qui id expresse confitentur, quales sunt Honuphrius Panuinus diligentissimus inter alios historiæ Ecclesiasticæ indagator *in Chronica Ecclesiastica circa ann.* 1204. Hieronymus Romanus 1. *par. Repub.* agẽs de Ordine Carmelitarum; Ioannes Stephanus Ferrerius *in vita Vercellensium Episcop.* dum loquitur de Alberto; Philippus Ferrarius *in Catalogo generali Sanctorum sub* 18. *kalend. Octobr.* licet is prout ab alijs relatum id afferat, *hic* (inquiens) *Carmelitis Regulam præscripsisse fertur*. Et ex nostris Didacus Coria *in Chronic. Carmelitarum lib.* 10. *cap.* 4. Petrus Cucius *in compend. Histor. cap.* 12. Emanuel Romanus *in lib. de antiquitat. & Scriptoribus Carmelit. fol.* 200. Michael Munozias *in Propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *art* 2. His iunguntur alij ex nostris vetustiores, qui etsi non expresse, implicitè tamen id fatentur, dum de Alberto Legislatore nostro ea referunt, quæ solum Alberto Vercellensi conuenire certò constat. Inter eos est Ioannes de Vineta *in Tract.* qui incipit: *Cum quidam fratres nostri*, in Speculo Ordinis *fol.* 57. dum *cap.* 7. eius Tractatus, eum Albertum nobis Regulam præscripsisse ait, qui ante Concilium Lateranense sub Innocentio 3. per annum, & dimidium occisus interijt, quod soli Alberto Vercellensi competit, vt dicemus sub anno 1214. & Sibertus de BeKa, qui *in Tractatu de consideratis super Regulam* in Speculo Ordinis *lib.* 8. *cap.* 5. eum Albertũ eiusdem Regulæ authorem cognoscit, qui antecessor fuit Radulphi, & qui paulo ante Concilium Lateranense ab Innocentio ipso ad Concilium inuitatus, morte præuentus venire non potuit, quæ etiam Vercellensi Alberto, non alij, competunt, vt ex dicendis constabit. Quibus accedit Venerabilis Pater Ioannes Soreth Ordinis Generalis, dum Alberti Regulam exponens, Authorem ipsius vocat eum, *qui non rapinam arbitratus assumpsit sibi dignitatis honorem, sed vocatus à Deo est tanquam Aaron*, quæ maximè

xime Vercellensi Alberto aptantur, cum ipse, vt vidimus supra, monitus, inductus, & quasi coactus ab Innocentio Papa, Patriarchalem dignitatem ascendit.

6 Deinde id quoque neruosè suadetur, nam constans omnium fermè Auctorum assertio est, illum Albertum Hierosolymitanum Antistitem Eremitis Carmeli Regulam tradidisse, qui tempore Innocentij Tertij Patriarchatum gerebat, vel qui tempore eiusdem Innocentij talem Regulam eisdem præscripsit. In hoc enim conspirant inter plures alios Sabellicus *Æneid. 9. lib. 5.* Naclerus *tom. 2. generat.* 41. Continuator belli Sacri *lib. 5. cap. 3.* Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Philippus Bergomensis *in supplement. historiarum lib. 12. & 13.* Sixtus Senensis, *in Bibliotheca sanct. lib. 4.* Illescas *in Histor. Pontific. in vita Innocentij Tertij*, Garibai *in Histor. Hispan. lib. 12. cap. 28.* Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Petrus Maturus super D. Antonin. *3. par. tit. 20. cap. 5.* Theatrum vitæ humanæ *volum. 27. lib. 3.* Henriquus Pantaleon *in histor. Ordin. Ioannitarum Rhodior. lib. 3. ann. 1285.* Nomenclator Ciaconij *in Innocent. 3. in addit.* Villegas *in vita Sancti Alberti*, & Ægidius à Præsentat. *in prærog. Ordin. S. Augustin. lib. 1. cap. 3.* Atqui tum ex dictis sub anno 1199. & sub anno præcedenti, tum ex dicendis, certum est Albertum ex Vercellensi Episcopatu ad Patriarchalem Hierosolymæ Sedem euectum tempore Innocentij 3. vixisse, & eo tempore Carmelitis Regulam præscripsisse, ille ergo solus, & non alius est eiusdem Regulæ author. Cōfirmatio.

7 Id quoque ęque confirmat, nam in hoc etiam Auctores fermè cōmuniter conspirant, quod nostræ Regulæ præscriptor is Albertus fuerit, qui Sedis Apostolicæ in Syrię partibus Legatione fungebatur. Ita enim astruunt Antonius Sabellicus, Continuator belli Sacri, Petrus Maturus, Henriquus Pantaleon, & Theatrum vitæ humanæ relati, cum pluribus alijs, quod molestum esset referre. At ex dictis sub annis 1191. & 1199. nullus alius Albertus inuenitur Sedis Apostolicæ Legatus, nisi is Albertus, Vercellensis quondam Episcopus, qui, vt supra vidimus ab Innocentio Tertio sub hoc eodem anno Legatus in Terra Sancta constitutus fuit, ille ergo solus, non alius Ordinis nostri Regulæ, pręscriptor existimandus. Aliud.

8 Quo ad tempus datæ Regulæ, cum neque in ea, quæ in Speculo Ordinis *lib. 8. cap. 3.* vel in Bulla Vaticana sub Innocentio Quarto, quam vidimus, talis data subijciatur, nihil certi affirmari potest. Quod enim plures dixerunt sub anno 1171. scriptam fuisse, tanquam vanum, & commentitium assertum sub eo anno reiecimus. Similiter, quod alij (maiori sanè cum fundamento) eam sub anno 1199. designauerint, etiam ibidem reprobauimus. Id ergo dumtaxat compertum, Regulæ datam ab hoc anno 1205. vsque ad 1214. mendicandam, hoc enim solo tempore superstes fuit in Patriarchatu Albertus. Nihilominus satis credibile est hoc eodem anno aduentus Alberti in Acconem, vel paulò post Regulam nostris ab De tempore datę Regul.

ipso

ipso datam fuisse. Ita enim intelligendi Honuphrius Panuinus *in Chronic. Ecclesiast. sub hoc anno*, Hieronymus Bardus *in Chronolog. par. 4.* Reuardus Florentinus à quibusdam relatus, Henricus Spondanus *in Auctuario Chronologico*, Iacobus Gualterius *in Tabula Chronographica seculo decimotertio*, & ex nostris Petrus Lucius Belga *in Compend. histor. cap. 12.* Quibus iunguntur Vvernerus RouelincK *in Fasciculo temporum*, & magnum Chronicon Belgicum, dum id accidisse referunt circa ann. 1205. Nec deest grauis huius rei coniectura; cum enim Beatus Brocardus Ordinis Pastor supremus animaduerteret Eremitas suos, quos iam pridem Statutis, & Ordinationibus ex Regula Sancti Basilij, & libro Ioannis de institutione Monachorum extractis, imbuerat, iuxta dicta sub anno 1191. desiderare, vel saltem illis congruentius esse prædicta Statuta, seu Ordinationes ad breuem methodum reduci, & compilari, Albertumque Patriarcham eo tẽpore Acconem peruenisse, virum sanè inter Latinos etiam, vita, scientia, & fama præclarum, vt propterea à Rege, Episcopis, & Clero expetitus, & à Papa Innocentio ad id munus acceptandum, veluti coactus fuerit, congrua occasione nacta, ad ipsum eodem anno, vel paulò post, vt diximus, quo ex Italia peruenerat, cũ aliqnibus senioribus, & grauioribus Fratribus recurrisse existimamus, Ordinationes, & Statuta præfata illi ostendentem, dubia aliqua proponentem, requirentem insuper, vt ea omnia ad methodum, breueque compendium, authoritate, qua fungebatur Legati, & Patriarchę, redigeret, ac confirmaret, provt factum esse inferius dicetur.

Segeri opinio. 9 Video Segerum Pauli Coloniensem, diligentem Ordinis nostri historiarum indagatorem, in sua illa Chronologia vitæ Sancti Simonis StocK, contendisse, Regulam non hoc anno, sed 1209. nostris Eremitis ab Alberto traditam fuisse; quia eo anno, & non præsenti 1205. Sedem Patriarchalem Hierosolymitanam Acconem translatam fuisse credit. Cæterum fundamentum hoc non magni ponderis est: cum enim Hierosolymorum Vrbs iam ab anno 1187. sub Sarracenorum iugo esset, vtique ab illo tempore necessum fuit, quod ipsius Antistites Acconem, Vrbem munitissimam, maritimam, & pro subsidio Occidentalium partium recipiendo commodiorem, & viciniorem, Sedem suam transtulerint. Cur ergo ad annum 1209. id distulissent? Ex alio autem capite mihi Segeri opinio hæc credibilis apparet, quod, cum iuxta dicta sub anno 1199. plures, ac grauissimi ex nostris vetustioribus Scriptoribus dixerint Regulam eo anno datam fuisse, ex eo suspicari potest in eum errorem incidisse, quod numerus ille anni M.C.XC.IX. seu 1199. valde affinis sit numero M.CC.IX. seu 1209. & ita ille pro isto suppositus ab Scriptoribus, vel per inaduertentiam, fuerit. Et quia Sacræ Rotæ decisio, quam afferimus Tom. 5. Summæ Quæstionum Regularium in Mari Magno Carmelitarum circa §. 7. num. 30. Regulam nostram datam dicit anno 1208. vel circiter. Hoc enim denotat annum 1209.

Acconem

10 Acconem porrò, siue Ptolemaidem, locum præscriptæ ab Alberto Regulæ fuisse, eoque ad ipsum conuenisse Brocardum cum socijs; indubitatum, vt credimus, omnibus erit. Sic enim data in aliquibus exemplaribus Regulæ reperitur subscripta. Eò etiam Sedes Patriarchalis Hierosolymitana translata erat, vt ex numismate ipsius Alberti nomine descripto de quo sub anno sequenti dicimus, innotescit. Et sanè cum Ciuitas hæc inter paucas illas, quæ Christianitati in Syriæ partibus relictæ erant, & immunes à Sarracenico iugo, fortissima, munitissimaque esset, ac commodissima Christianitati, vt diximus (vt propterea, Regis, & aliorum Principum aula foret) meritò etiam pro Patriarchali post captam Hierosolymam deligenda erat. In ea ergo existens Albertus Brocardum Generalem, sociosque ad ipsum accedentes exaudiens, benigneq; excipiens, iuxta eorum placitum, vitæ formulam eisdem tradidit. Accon locus datæ Regulæ.

11 Quæ autem Brocardus cum Coeremitis ab Alberto petierint, quæuè illi dubia præcipuè proposuerint, ex verbis Beati Cyrilli *in epistola ad Eusebium* in Speculo Ordinis *lib. 8. cap. 2.* sic damus: *Quo* (scilicet Brocardo) *eis præsidente, Patriarchæ Hierosolymitano Domino Alberto proposuerunt, quod à tempore, quo prædictus Patriarcha Aymericus eos omnes sub cura Prioris, per Obedientiæ vinculum colligauerat, ipsi desiderauerant viuere inclusi in Monasterio sub obseruantia Religiosæ vitæ solitariæ per Eliam Prophetam institutæ, qui licet per eorum institutionem essent certi qualiter vnusquisque eorum singulariter degens deberet ad perfectionem, & finem vitæ Solitariæ tendere. Quia tamen proponebant in hoc Carmelo includi in Monasterio, in quo nequaquam fuerant adhuc inclusi, ideo priusquam in eo includerentur, obnixè requirebant à prædicto Patriarcha Alberto, vt iuxta propositum eorum traderet eis, de quibusdam articulis per eos tunc sibi oblatis conuersationi Monasteriali necessarijs breuem vitæ formulam, quam tenere in posterum deberent. Et primo, qualiter Prior, cui promittenda erat ab alijs obedientia, esset deinceps in suo officio instituendus. Secundo, vt describeretur eis figura Monasterij ædificandi apta, & commoda ad vitam solitariam in eo obseruandam, & qualiter ipsi deberent conuersari ibi. Tertiò, qui psalmi essent maximè ab eis in singulis horis Canonicis dicendi, & qualiter ab eorum Laicis deberent horæ dici. Quarto, an eis in Monasterio inclusis liceret aliquid habere in proprio, vel saltè in communi: & qualiter deberent superuentura eis bona distribui. Quintò, in qua parte Monasterij potius deceret Oratorium collocari. Sextò, si culpæ in aliquo eorum fratre essent deprehensæ, an illas possent & qualiter corrigere ipsi. Septimò, quanto tempore anni deberet ieiuniũ ob eis obseruari, & quando esset ab esu carnium abstinendum, vel quando eis liceret carnibus vesci. Octauò, quibus armis, quam maximè essent ipsi specialiter muniendi contra Diabolum pugnaturi. Nono, an liceret eis proprijs manibus corporaliter operari, aut cessare totaliter ab opere corporali. Decimo, quibus horis diei esset præcipuè silentium ab eis tenendum, & quando liceret eis loqui. Nam quamuis ipsi essent in cæteris bene instituti, de præmissis tamen decem articulis dubietas, & opinionum diuersitas apud eos exorta fuerat, de qua nequibant per institutionem eorum determinatè certificari.* B. Brocardi postulatio.

Y Subiungit

Alia ex Cyrillo.

12 Subiungit præterea dictus Beatus Cyrillus, quod Patriarcha Albertus, *lecta primo institutione eorum antiqua in prædicto Ioannis libro descripta, & viso, quod nullus prædictorum articulorum pleue per eum determinabatur, annuit eorum simili requisitioni, & de prædictis decem articulis certam vitæ formulam continentem statuta decem, secundum quam viuere deberent Latino eloquio eis scripsit*. Quamuis autem in eiusmodi verbis nullam Beatus Cyrillus de statutis, seu ordinationibus à Beato Brocardo pro eorumdem instructione editis, ex quibus, vt diximus cum Balæo sub anno 1191. Albertus Regulam methodicè concinnauit, mentionem faciat, nihilominus, quia Balęus iste, etsi alias nequissimus Apostata, Ordinis tamen (præsertim Beati Brocardi, cuius vitam ipse conscripserat) historias optimè callebat, ideo ipsi quoad hoc credendum; maximè cum Cyrillo non contradicat, quin optimè omnia cohęreant, si dicamus, Brocardi institutiones, seu instituta ab eo pro Carmeli Eremitis facta, præsertim fuisse circa prædictos decem articulos, ex quibus statutis, seu institutionibus, Albertum ea abbreuiando, & ad methodum, breueque compendium redigendo, aliaue forsan immutando, Regulam composuisse. Nulla autem, vel pauca inseruisse Albertum, quæ non essent iam per Ioannem in libro Institutionis huius Religionis Fratribus, vel verbis suasa, vel exemplis Sanctorum Patrum pręcedentium eis monstrata, prudenter animaduertit Philippus Riboti *in Speculo Ordinis lib. 8, cap. 4.* Ex quo magis roboratur, tum id, quod diximus in superioribus, videlicet, Regulæ Alberti præcepta iam pridem ante ipsum, saltem magna ex parte, in vsu Ordinis fuisse; tum id, quod modo dicebamus de Institutionibus, seu statutis à Beato Brocardo pro suis Fratribus factis. Nihilominus propter dicta, Albertus, & non Brocardus *Regulæ* Author, & institutor à nostris iure nominandus. Etsi nos, vt historicæ veritati omnino satisfaciamus aliquando ipsum Authorem, seu Institutorem, aut Compositorem, aliquando vero non nisi Compilatorem, seu abreuiatorem nuncupemus. Quo enim sensu hæc intelligenda ex dictis compertum manet.

Regulæ primitiua.

13 Regula porrò ipsa in sua puritate, & provt illam post aliquot annos ad Eusebium Beatus Cyrillus transmisit, est, quæ sequitur, ex epistola eiusdem Cyrilli ad eumdem Eusebium *in Speculo Ordinis lib. 8, cap. 3.* extracta, *Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha Dilectis in Christo filiis Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem in Monte Carmeli morantur in Domino salutem, & Sancti Spiritus benedictionem. Multifarie, multisque modis Sancti Patres instituerunt qualiter quisque in quocunque Ordine fuerit, vel quemcumque modum Religiosæ vitæ elegerit in obsequio Iesu Christi viuere debeat; & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis. Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel maioris, & sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam*

etiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare. Praeterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis; singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eadem cellulae cuique fuerint assignatae. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eumdem locum primus occurrat, & de arbitrio, ac dispositione ipsius post modum, quae agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte in Lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur. Hi qui litteras norunt, & legere Psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesiae approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati. Qui vero litteras non norunt, vigintiquinque vicibus, Pater noster *dicant in Nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigilijs praedictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur* Pater noster *vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis. In alijs quoque horis, septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, praeter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis. Nullus Fratrum dicat sibi aliquod esse proprium, sed sint vobis omnia communia; & ex his quae vobis Dominus dederit distribuatur vnicuique per manum Prioris, idest, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout cuique opus fuerit, inspectis aetatibus, & necessitatibus singulorum. Ita tamen, vt, sicut praemissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quae sibi distributa fuerint singulariter viuant. Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, vbi mane per singulos dies, ad audiendum Missarum solemnia conuenire debeatis; vbi hoc commodè fieri poterit. Dominicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus, & culpae Fratrum, si quae in aliquo deprehensae fuerint, charitate media corrigantur. Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruetis, à festo Exaltationis Sanctae Crucis vsque ad diem Dominicae Resurrectionis, nisi infirmitas, seu debilitas corporis, aut alia iusta causa, ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem. Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, & nimiae debilitatis remedio sint sumendae. Quia vero tentatio est vita hominis super terram, & omnes, qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur. Aduersarius quoque vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quaerens quem deuoret; omni sollicitudine studeatis indui armatura, Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis; muniendum est pectus cogitationibus sanctis: Scriptum est enim: Cogitatio Sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitię, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximos vestros tanquam vosmetipsos. Sumendū est in omnibus Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim est impossibile*

placere Deo: & hæc est victoria fides nostra. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Saluatore speretis salutem, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & cordibus vestris; & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquod operis, vt semper Diabolus vos inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc B. Pauli Apostoli, Magisterium pariter, & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur, qui positus est, & datus à Deo Prædicator, & Doctor Gentium in fide, & veritate, quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos nocte, ac die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi nos non haberemus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos hoc denunciabamus vobis; quoniam, si quis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim inter vos, quosdam ambulantes inquiete nihil operantes. His autem, qui huiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Hæc via Sancta, & bona: ambulate in ea. Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta attestatur. Cultus iustitiæ silentium est. Et rursus in silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, vt ab hora vespertina, vsque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris, silentium interrumpant. Alio vero tempore licet silentij non habeatur obseruatio tanta; diligentius tamen à multiloquio caueatur, quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum; & qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala. Item: qui multis verbis vtitur, lædit animam suam; & Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frenos rectos ori suo, ne forte labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus eius ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas, vt non delinquat in lingua sua, & silentium, in quo est cultus iustitiæ, diligenter, & caute studeat obseruare. Tu autem Fr. Brocarde, & quicunque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & seruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: Quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister; & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum humiliter honorate, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit illum super capita vestra: & Ecclesiarum Præpositis ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de vestra obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis; Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Regulæ cõmendatio.

12 Hanc autem nostrorum primitiuam, seu primæuam Regulam, eis

eis ab Alberto, vt diximus, præscriptam, breuitate, claritate, & perfectione præstantissimam esse, & cum alijs sanctissimarum Religionum Regulis collatam, nulli secundam, vel eas legentibus, vel cum ipsis hanc conferentibus manifestum erit. Breuitate autem eam præfulgere liquido constat, cum solum decem, vel duodecim (iuxta aliorum diuisionem) breuissimis Capitulis contineatur. Claritate etiam excellere ex eo perspicitur, quod nullis tropis, figuris, symbolis, aut metaphoris, sed verbis in propria, & vsitata significatione sumptis, componatur. Perfectione etiam præstare pariter noscitur, cum omnia ad perfectionem Religiosam media, & instrumenta, virtutes scilicet, mortificationis exercitia, & immoderatarum passionum refrenatio in ipsa reluceant. Alia omittimus, nedum Regulæ nostræ præstantiã commendare cupimus aliorum Ordinum Regularum dignitati, vel quid minimum, detrahere velle videamur. Lectorem interim ad Thom. de Iesu de varijs Regulis Carmelitarum *par. 2. dub. 7.* de eo tractantem remittimus. Et ad ea, quæ in 5. Tomo nostræ Summæ Quæstionum Regularium circa Mare Magnum Ordinis nostri, §. late diximus.

15 Esse autem hanc nostram Regulam ex Sancti Basilij dogmate, seu Regula, extractam, vel compilatam pluribus arrridere videtur. Ex quibus sunt de nostris Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap. 6.* Ioannes de Cimineto *in Speculo Ordinis cap. 5.* Ioannes Grossi *in Viridario*. Palæonydorus *lib. 3. cap. 2.* Didacus Coria *in Chronic. Carmelit. lib. 2. cap. 14. & 15.* & alij plures, quibus iungitur is qui ex nostris primum, postea Diaboli satelles fuit, Ioannes Balæus *in Catalogo Scriptorum Britanniæ Centur. 3. in Appendic. ad Gualtherum de Constantijs*. De exteris quoque id ipsum tuentur Antoninus *3. par. histor. tit. 20. cap. 5.* Sabellicus *lib. 5. Ænead. 9.* Cassaneus *in Cathalogo gloriæ mundi par. 4. considerat. 70.* Polydorus *lib. 7. de Inuentoribus rerum cap. 3.* & plurimi alij. Quorum aliqui, etsi omnino reijciendi si velint Carmelitas immediatè sub Regula Basilij viuere, cum non nisi sub propria, peculiari, & speciali Alberti norma degant; vt probat Thomas de Iesu *supra par. 2. dub. 6.* Admittendi tamen, si solum intendant, eos sub Basilij dogmate militare, quatenus eorum Regula ex pluribus Basilij institutis, quæ vel in regulis ab eo descriptis, vel in institutionibus ab ipso Ponti Eremitis, siue voce, siue Scripto traditis, reperiebantur, ab Alberto collecta est. Quod confirmat, tum quia præfata Alberti Regula, ex Ioannis Hierosolymitani libri institutionibus absdubiè deprompta est; hic autem liber multa habet de Basilij institutis; prout tom. 3. sub ann. 412. numero 17. scripsimus. Vbi etiam num. 15. alia ad intentum. Tum quia ex Beati Brocardi etiam institutionibus, & statutis extracta quoque fuit, vt etiam diximus, quæ ex Basilij dogmate mutuata fuisse habet Balæus *supra relatus*, & diximus sub anno 1191. In quibus autem Regula nostra Basilij Regulis similitudinem referat, habet Coria *vt supra cap. 15.*

An ex D. Basilio sumpta

Maxime

Regula extracta ex libr Ioannis.

16 Maxime vero ex Ioannis Hierosolymitani libro *de Institutione Monachorum* hanc Alberti Regulam concinnatam fuisse certius, & manifestius constat. Id enim tradunt Beatus Cyrillus loco superius relato; Philippus Ribboti *in Speculo Ordinis lib.* 8. *cap.* 4. vbi etiam ostendit, quod nulla, aut pauca in Regula Alberti reperiantur, quæ Ioannes prius, etsi confusius in dicto libro non scripserit. Thomas VValdensis *de Sacramentalibus titulo* 9. *cap.* 89. qui propterea Alberti Regulam ex præfato Ioannis libro *plene digestam* vocat, Palæonydorus, Thomas de Iesu superius relati, & plurimi alij, præsertim ex nostris. Quemadmodum ergo Philosophus quidam dixit Dialecticam, & Rhetoricam solum differre sicut *manum contractam à se ipsa explicatam*, ita de libro Ioannis, & Regula Alberti phylosophandum, cum ea præcepta, quæ in illo solum implicitè continebantur (etsi quantum ad historiam apertè loquatur) in Alberti Regula expressa sint.

Non ex Regula S. Aug.

17 Inscitiæ ergo, vel incogitantiæ argui possunt pauci aliqui, nec magni nominis Authores, qui Ordinem nostrum sub Sancti Augustini Regula militare scripserunt. Cum enim luce clarius sit, vel ex ipsis Summorum Pontificum diplomatibus; quorum plura suis locis referemus, ipsaque perpeti, ac constanti Ordinis, & etiam extraneorum traditione, & historia, Regulam Alberti propriam, & peculiarem viuendi formulam nostris Fratribus ab hoc æuo fuisse; eamque, vt vidimus, extractam ex Basilij institutionibus, & ex libro Ioannis Patriarchæ, qui ipsis antea semper pro norma conuersationis fuit (vt propterea ab Aymerico è Græco sermone Latinus fuerit pro eisdem effectus, vt sub anno 1142. diximus) quomodo Sancti Augustini Regula Ordini nostro attribui potest? Quando, vel quo tempore data? Qualiter vel vnus solus ex Ordinis authoribus huius Augustinianæ Regulæ mentionem non fecit? facessat ergo huiusmodi commentú, & animaduertant bene librorum Scriptores, quæ litteris exarata posteritati committunt. Etsi enim Carmelitis gloriosum valde esse possèt sub Sancti Doctoris Augustini vexillo militare, sub quo grauissimè aliæ Religiones in Ecclesia florent, veritas tamen ipsa est, non sub illo, sed sub Beati Alberti Patriarchæ Regula, ex Sancti Basilij, & Ioannis Hierosolymitani institutionibus concinnata, à sæculis vixisse. Vt vel vnus ex ipso Augustiniensi Ordine; isque doctissimus, Magister Ioannes Marquez in *lib. de orig. Ordin. Eremit. Sancti August. cap.* 20. §. 3. profitetur.

Approbata ab Alberto.

18 Prædicta autem ab Alberto nobis tradita Regula eo ipso ab eodem simul approbata, & confirmata appellari debet. Primò, propter potestatem extraordinariam Legati Sedis Apostolicæ, qua Albertus fungebatur, vt vidimus superius. Ratione cuius etiam ab ipsa Sede Apostolica Regula approbata, & confirmata dici posset. Ea enim, quæ à Legato Sedis Apostolicæ, vt tali, fiunt, ab eadem Sede facta esse dicuntur. Iuxta Regulam Iuris, *ea nostra fiunt, quibus authoritatem nostram impartimur*. Thomas de Iesu *de Regul. Carmel. par.* 2. *dub.* 3. § *ex quibus sequitur*. Secundó, propter pote-

potestatem ordinariam Patriarchæ, qua etiam fungebatur Albertus. Vnde Philippus Bergomensis *in supplement. Histor. lib. 13.* dicit de illo: *Regulam iure suo confectam obseruandam primò obtulit, & confirmauit.* Et Chronicon Chronicorum *in 6. ætate fol. 207.* sic: *Ordo Carmelitarum in Syria apud Carmelum Montem ab Alberto Hierosolymorum Patriarcha excitatur, atque eidem Regulam suo iure confectam obseruandam primo obtulit, & confirmauit.* Episcopos enim ante Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio, vbi hæc potestas illis ablata est, *iure suo* potuisse Religiones, & Regulas approbare, ac confirmare, communis est Theologorum sensus. Id specialiter tuentur, noster Ioannes Bacco *in compend. Historiarum*, quod incipit: *Beatus Bernardus* in octaua particula, Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 4.* Ægidius à præsentatione *de prærogatiua Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, lib. 1. cap. 3.* & Thomas de Iesu *vt supra* post alios: constatque ex duplici iuris principio, quorum primum est, quod id quod non est superiori reseruatum, nec inferiori prohibitum, præsumitur ipsi inferiori esse concessum; vt patet ex cap. nuper *de sentent. excommunicat c. cum apud de sponsalibus.* Secundum est, posse Episcopum in sua Diœcesi omnia facere, quæ Papa in toto Orbe, præter ea, quæ sibi Pontifex reseruauit. Quod docent Abulensis *in cap. 16. Math. quæst. 87.* Dominicus Sotus 10. *de Iust. & Iure quæst. 1. à 3.* Nicolaus Cusanus *lib. 2. de Concord. Catholic. cap. 3.* cum alijs pluribus. Cum ergo nullo iure ante prædictum Concilium Lateranense constet, Episcopis prohibitum Religiones, aut Regulas in suis Diœcesibus approbare, credendum est hoc illis fuisse concessum, sicut Papæ in tota Ecclesia: cum dependentia tamen ab ipso, cui subordinantur, vt supremo Christi Vicario, & Ecclesiæ Capiti. Quod etiam confirmat praxis, & vsus. Constat enim Antonium, & Basilium, Augustinum, & Benedictum Religionum Authores fuisse, nec tamen vsquam legitur ab aliquo Summo Pontifice illarum comprobationem quæsiuisse, prout tractant Bellarminus, & Thomas de Iesu relati, ac Trithemius *de Laudibus Carmelitarum*. Signum ergo id illis temporibus necessarium neutiquam fuisse, sed satis superque fuisse Episcoporum approbationem. Vnde rectè ad intentum Philippus Ribotti *in Speculo Ordinis lib. 10. de institut. & peculiar. gestis, c. 6.* Religionem nostram iure canonico approbatam dicit, quod ab Alberto Patriarcha Regulam potestate ordinaria acceperit ante Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio, per hæc verba: *Religio quoque ista censetur etiam iure canonico approbata. Primo, quòd Albertus Patriarcha Hierosolymitanus Monachis Carmelitis in eius Patriarchatu, scilicet in Monte Carmeli morantibus Religionem eorum approbando tradidit sua potestate ordinaria Regulam antequam per Dominum Innocentium Papam Tertium celebraretur Romæ Generale Concilium Lateranense, vt patet supra lib. 8. cap. 5. Quod vtique dictus Patriarcha tunc secundum ius canonicum licite fecit, & facere potuit. Nam Regularum editio, vel Religionum institutio, aut approbatio, non fuit Ordinarijs prohibita*

hibita, nec reseruata Sedi Apostolicæ ante dictum Generale Concilium Lateranense. In quo prædicta fuerunt primo prohibita, & Sedi Apostolicæ reseruata, vt patet extra de Religiosis domibus Cap. Ne nimia, ergo ante illud Generale Concilium licuit de iure dicto Alberto Patriarchæ sua potestate ordinaria Carmelitis Regulam tradere; & eorum Religionem approbare, ac institutionem confirmare. Idem sequitur, & confirmat intentum Ioannes Bacco doctissimus Doctor *in compend. Historiarum* superius relato.

Dubij enodatio.

19 Circa hæc tamen nodus, cuipiam forsan difficilis, soluendus superest, qualiter scilicet Albertus nobis Regulam iure proprio tradidisse dicatur, cum non Hierosolymis, vbi propria Sedes Hierosolymitani Patriarchę erat, sed Accone data sit, propria Episcopi Acconensis Sede: eo vel præcipuè, quod, vt testatur Vuillelmus Tyrensis *lib. 13. sua Historia* in fine, Ptolemais, seu Accon sub Tyrensi Archiepiscopatu, & Tyrus sub Antiochena Sede sunt. Nullatenus ergo Acconensis Ciuitas Hierosolymitano Patriarchæ subdita erat, ac perinde in illa existens Carmeli Montis Eremitis, qui sub Acconis Diœcesis, vel forsan Cayphæ, vel Porphyriæ, proximioris Carmelo Vrbis, erant, Regulam iure proprio, sed Solum Sedis Apostolicæ Legati auctoritate dare potuit. Ad quæ tamen primum quis dicere posset, etsi Carmeli Montis Cœnobium, ad quod veluti ad caput Ordinis Regula immediatè dirigitur, sub ditione Acconensis Episcopi, vel, vt credibilius est, propter maiorem vicinitatem, Cayphæ, vel Porphyriæ Episcopi esset, magna verò (forsan maior) Ordinis Monasteriorum, seu Eremitoriorum pars, ad quæ etiam mediatè Regula dirigebatur, sub Hierosolymitana Sede erant. Quemadmodum de Monasterio Sanctæ Annæ in ipsam Solymorum Ciuitate sito, de quo in vita Sancti Angeli, id certum erit, & de alijs Ordinis Cœnobijs, de quibus in superioribus diximus, & in sequentibus dicemus, id quoque facile affirmari potest. Sed dicimus secundo, consequenter etiam ad dicta in superioribus, quod ab anno 1187. quo Sancta Ciuitas à Saladino Turcarum Duce capta fuit Hierosolymitana Sedes Acconem translata erat: hinc propterea Hierosolymitani Patriarchæ propria Sedes ab illo tempore Ciuitas Acconensis erat; itavt ipsius Episcopus (quod idem credimus de Cayphæ, seu Porphyriæ Episcopo) Patriarchæ subditus esset: ac perinde proprio iure Acconi existens Eremitis nostris Regulam tradere potuit. Adijcimus tertio, quod quamuis iure antiquo Ptolemais, siue Acconensis Ciuitas, seu etiam Cayphas, aut Porphyria, sub Tyri Archiepisc. & hic sub Antiochena Sede essent; ex voluntate tamen, & priuilegio Paschalis Papæ, Balduino primo Hierosolymorum Regi, & Gibellino Patriarchę concesso, Tyrensis Archiepiscopatus sub Hierosolymitano Patriarcha erat, vt late affert idem Vuillelmus *lib. 14. sua Histor. cap. etiam* 14. malè propterea de Ecclesia Romana loquens: quod clarè supponit Iacobus de Vitriaco *in Histor. Hierosolymitan. cap. 55.* vbi inter Metropolitanos Hierosolymitanæ Ecclesiæ Tyrensem refert; huiusque suffraganeum Acconensem Episcopum. Cum autem

autem ipse Vitriacus Acconis Episcopus esset, ipsi summopere in hoc negotio fundum. Quare ad intentum cum Acconensis Episcopus, sub Tyrensi Archiepiscopo, & hic sub Hierosolymitano Patriarcha esset, non rapinam arbitratus, sed iure proprio potuit Albertus Regulam nostris Carmelitis tradere Accone. Inter priuilegia namque Patriarcharum, hoc vnum iure recensetur (vt patet ex *cap. Antiqua de priuilegijs lib. 5. decretalium*) quod in omnibus Prouincijs eorumdem iurisdictioni subiectis ad eos (cum necesse fuerit) prouocetur. Hoc est, vt Ioannes Azorius *par. 2. Institution. moral. lib. 3. cap. 36.* explicuit, quod ad Patriarchas, Episcopis Metropolitanis (multo magis Diœcesanis) prætermissis, iure primum subditi appellare queant. Sine læsione ergo iuris Acconensis Episcopi, Brocardus, & cœteri Eremitæ Montis Carmeli, viri sanctitate, & doctrina noti, ad Albertum accurrere possent pro Regulari institutione. Quod ipse Albertus in principio Regulæ exprimit dicens: *Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.* Addimus præterea, quantum colligi potest ex Iacobo de Vitriaco *in Historia Hierosolymitana cap. 56.* Sub hoc tempore, de quo loquimur, Vrbem Cayphæ, seu Porphyriæ, sub cuius ditione videtur fuisse Carmelus, cum ea Ciuitas in ipso Montis pede sita sit, caruisse Episcopo, & subesse immediate Archiepiscopo Cæsariensi. Cum autem Cæsariensis Archiepiscopatus sub Hierosolymitana Sede esset, vt constat ex præfato Tyrio *in fine lib. 23. relati*, ideo in Carmelum veluti in propria, iurisdictionem ordinariam exercere potuit Albertus Patriarcha, Eremitis ibidem commorantibus viuendi Regulam præscribens. Addendum vltimo, aliquibus visum fuisse ex Papæ commissione id fecisse Albertum, quod si ita fuit tollitur omnino difficultas. Id autem sic videntur tenere Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Sixtus Senensis *in* Bibliotheca *Sancta, verbo Albertus*, Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro, littera A.* & Gundisaluus Illescas *in Histor. Pontifical. par. 1. in vita Innocentij Tertij*. Vtcumque tamen id fuerit, iure proprio nobis Regulam tradidisse Albertum nullus refragabitur, propter dicta. Vnde idcirco titulum Legati in Regula præscripta tacuisse censemus: ad denotandum videlicet authoritate, & facultate ordinaria id fecisse. Ad quod accedit, quod cum hoc tempore, de quo loquimur, lis, & controuersia esset inter Patriarchas Antiochenum, & Hierosolymitanum super Archiepiscopatu Tyrensi, quem vterque ad se pertinere asserebat, & sub quo Acconensis Episcopatus erat, vt colligitur ex epistola Innocentij Tertij, de qua Bzouius *sub anno sequenti 1206. num. 4.* ideo Albertus ad firmandum magis ius quod illi in prædictum Archiepiscopatum competebat, in titulo præfixo Regulæ Legati dignitatem omisit, vt videlicet ostenderet, iure ordinario, Accone posse Regulam Fratribus nostris præscribere.

20 Sunt vero quidam, qui Albertum nostrum propter Regulam ab ipso latam, nedum Legislatorem, sed & Ordinis primum Auctorem, ap- Quorundã existimatio i

Z pellan-

pellandum scripserint. Horum primus Sanctus Antoninus videtur esse, dum 3. *par. tit. 20. cap. 5.* inquit. Hi, scilicet Carmelitę, *habuerunt initium sub quodam Patriarcha Hierosolymitano, cum in Syria habitabant Christiani Hierosolymis.* Subscribit Bartholomæus Cassaneus *in Cathalogo glor. mund. par. 4. considerat. 7.* Antonini referens verba. Adstipulatur Sabellicus *Æneid. 9. lib. 5 in fine, & lib. 6. in principio*, & Hieronym. Rom. *in 2. par. Defensor. Ord. Sancti Augustini, cap 7. & in Cathalogo eorum, qui Regulam Sancti Augustini profitentur.* Fauere etiam videntur Vvernerus RovvelincK, & magnum Chronicon Belgicum, dum circa ann. 1004. Albertum Ordinem nostrum *instituisse* scribunt. Sed tamen quantum à veritatis tramite, qui ita senserint, deuient, cuncta, quæ in superioribus adduximus, vel apices eorum, quę de Aymerico, Bertholdo, Brocardo, Cyrillo, Angelo, & Ioanne dicta sunt, facile euincunt. Vanumque in eo multum immorari. Dicere satis sit, vel ex ipsius Regulæ verbis constanter innotescere, viris iam primum Religionem professis datam fuisse. Illa enim *Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia, iuxta fontem in Monte Carmeli morantur, &c.* manifestè concludunt, ante Alberti Regulam, sub Brocardo Priore, & ipsius obentia Eremitas illos vixisse. Deinde illud, *quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis,* clarè etiam supponunt Eremitas prædictos vitam Religiosam antea egisse, sed desiderasse *breuiorem Regulam, aut vitæ formulam.* Liber namque Ioannis Patriarchæ *de institutione Monachorum*, quem prius pro Regula habebant, Brocardique Leges, & Constitutiones non sic erant ad methodum redacta, vt iure compendiosiorem desiderare non possent. Illud præterea *audiuimus inter vos quosdam inquietè ambulare*, quid ostendit, nisi defectus quorumdam ex illis, qui non rectè, iuxta antiquas Ordinis sanctiones viuebant? Rectius ergo alij, Albertum *excitasse, sublimasse, reformasse*, aut *restituisse* Carmeli Ordinem dixerunt. Ex quibus Bergomésis in supplement. Histor. lib. 13. *Ordo Carmelitarum per hoc tempus in Syria apud Carmelum Montem ab Alberto supradicto Hierosolymitano Patriarcha excitatur, & multis priuilegijs ab eodem sublimatur.* Et Nauclerus *generat. 41.* sic. *Albertus Hierosolymitanus Patriarcha labantem in Syria Religionem restituere conatus Carmeli Montis incolas fratres disciplina, & Regula coercuit.* Item Honuphrius Panuinus *in Chronic. Ecclesiast. circa ann. 1205.* scripsit; *Regula Fratrum Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano scribitur. Ordo restituitur, & reformatur.* Idem affirmat Burdegalensis *lib. 2. Chronograph. circa ann. 1198.* his verbis. *Sub Innocent. Tertio Ordo Carmelitarum à alberto Hierosolymitano Patriarcha instauratur.* Quibus subscribit Chronicon Chronicarum *in 6. ætate fol. 207.* sic. *Ordo Carmelitarum in Syria apud Carmelum Montem ab Alberto Hierosolymorum Patriarcha excitatur, atque eidem Regulam suo iure confectam obseruandam primo obtulit, & confirmauit.* Fauet & Gualterus *sæculo 13.* dum sub hoc tempore Ordinem reformatum dicit; licet cum Honuphrio hallucinetur, sub Bertholdo secundo Generali id

acci-

accidisse scribens; sane pro Brocardo secundo Generali Bertholdum accipiens. Idem ferme Ægidius à Præsentatione in lib. cui titulus *Primas Augustinianeus lib. 1. cap.3. §. 2.* Idem etiam habet Henricus Spondanus *in Auctuario Chronolog. sub anno 1205.* Nec omittendum, Sanctum Antoninum, & Casaneum in contrarium adductos facile redargui posse. Si enim Patriarcham illum Hierosolymitanum, sub quo Carmelitas initium habuisse credunt, Albertum putant, quomodo dicere possunt, tunc temporis habitasse Christianos Hierosolymis. Cum iampridem sub Sarracenorum manu Ciuitas Sancta esset? Ipsi sanè pro Antiocheno Patriarcha, Aymerico videlicet, Hierosolymitanum inaduertenter dixerunt. Porrò Hieronymum Romanum etiam relatum multa falsi conuincerent, nisi ipse, re melius inspecta, sententiam retractasset, prout fecit in secunda editione *Rerum publicarum 1. par. lib.6. cap.10.* vbi à tempore Sancti Basilij Carmelitarum originem trahit. Sabellicus etiam in initio prædicti *6. libri*, non sibi constans est, an prædicto tempore Alberti Religio cęperit, an vero solum in lucem magis prodierit. Vvernerus vero, & Chronicon Belgicum verbum *instituit*, pro *institutiones fecit* Alberto tribuunt, vt luce clarius constat ex ipso Vvernero, qui ante hæc tempora, pro anno 1184. Carmelitas fuisse commemorat. Teneamus ergo ex dictis, Albertum nostri Ordinis Legislatorem, reformatorem, propagatoremque, non primum Institutorem, si veritatem sequimur, appellandum fore.

21 Sunt etiam alij, quos minus peritos vocat Bacconius in *Compend. historiarum, quarta particula*, asserentes hanc Alberti Regulam non esse Regulam, sed *viuendi formulam* appellandam. Sed discant prius quam loquantur (inquit Bacco) quia forma viuendi à Regula non differt. Vnde *dist. 3. can. 2.* Regula dicitur ea, quæ *normam rectè, & bene viuendi prabet*. Idem ergo est *Regula*, ac *norma*, seu *forma benè viuendi*. Quod maximè confirmant Summorum Pontificum Bullæ Regulam nostram approbantes, vbi modo *Regulam*, modo *normam viuendi*, modo *formam* appellant. Etenim Honor. 3. *normam viuendi regulariter*. Gregorius Nonus eius successor *Regulam*. Innocentius Quartus modo *Regulam*, modo conuersationis nostrę *formulam*, eam vocat. Alexander autem Quartus, Vrbanus Quartus, Nicolaus Quartus, & Bonifacius Octauus, *Regulæ* sub nomine de ipsa loquuntur, vt patet ex Speculo Ordinis *l. 8. cap.8.* Alios posteriores Pontifices prætermittimus, qui eo etiam modo loquuntur. Maneat ergo inconcussa veritas, Pontificum approbata applausu, hunc viuendi modum ab Alberto nostris præscriptum, verè *Regulam, normam, formulamque rectè viuendi* appellari posse. Aliorum placitum.

22 Datæ Regulæ fęlicissimum omen, nec sine speciali Dei prouidẽtia, fuit, quod eodem anno, vel circiter, SS. Fratres Angelus, & Ioannes, expleto probationis anno Ordini professione facta nomen suum dederũt. Quo illos veluti primas columnas, primique primitiuæ Regulæ fundamenti lapides, ex quibus futuris temporibus totius nostræ Religionis ædificij Angelus, & Ioannes.

machina, mundo eluxit, compellare possumus. Ipsorum ergo in Ordine tyrocinium, vitæ sanctitas, & Regulæ Alberti obseruantiæ perfectissima idea, ad quam posteri, si Carmelitæ Sancti esse volumus, aspicere debemus, ex vita ipsorum ab Enoch Patriarcha descripta *cap. 5.* sic erat e *Die igitur, scilicet festo Natiuitatis Beatæ Virginis omni solemnitate seruata, Adolescentes moribus, & vita conspicui, incredibili humilitate, & deuotione habitum Carmelitanæ perfectionis suscipiunt; nec solum Religionis ingressu virtute, & probitate proficiunt, sed & interim sanctimoniæ, & humilitatis quotidiana exempla proferunt, sicque tandem, peracto probationis anno, & ex more solemni professione emissa, decreto Patrum in Cœnobio Carmeli Montis constituuntur, vbi abstinentia maiori, quam Regula instituto tenerentur, viuere cœperunt. Nam cū à festo Sanctæ Crucis, quod mense septembri celebratur, vsque ad Dominicæ Resurrectionis læta solemnia Carmelitis ieiunia continuari soleant, ipsi ardentiori animo corpus abstinentia premere cupientes, impetrata humiliter à Priore venia, eadem ieiunia simplicis, & solius panis, & aquæ modica refectione contenti peragebant. Feria tamen secunda, quarta, & sexta, nihil penitus aliud, nisi crudarum, & mollium fabarum modicum sumebant. A festo quoque Resurrectionis ad Pentecosten, quarta, & sexta ferijs solo, & eodem modico pane, & aqua contenti erant. Alijs vero diebus parum Caulium modico oleo conditarum edebant. A Pentecoste autem ad festum Sanctæ Crucis, Dominico, & Iouis die coctis, tum oleribus, tum leguminibus vescebantur; Cæteris autem diebus solius panis, & aquæ simplici cibo viuebant. Nunquam denique, aut carnes, aut lac, aut oua comederunt, nec vinum biberunt, sed neque solum ciborum abstinentia, & ieiunij corpus premere, sed & ferè intolerabili vestium duritie, & asperitate illud ad seruitutem spiritus redigere satagebant. Ferrea namque camisia nudam carnem tenentes, laneam desuper albam, grisseamque deinde, seu canusinam natiui coloris cucullatam, Cœnobitarum more gestabant. Cæterum diuinis in Choro vacantes, aut extra Monasterium iussu Prioris prodeuntes, candidam insuper chlamidem canusinis; seu virgulis, distinctam, & virgulatam gerebant. Lecti eorum nuda humus, & cum spiritus quandoque languidior esset, tabula, seu (quod maius mente concipi leuamen non poterat) mediocris fæni manipulus, cubile festis, plusquam mollissimum videbantur. Duabus tamen lodicibus; inferius altera, altera superius, vti solebant; denique induti semper, & orationibus inhærentes dormiebant. Nunquam visi sunt in lecto iacentes, & erat tanta eorum vigilantia, tanta sollicitudo, vt quotidiano officio ex debito persoluto, die singula totum genibus flexis, Psalterium legem Domini meditando perlegerent, nec vnquam orationibus vacare desisterent, nisi ad alia obedientiæ salutaris monita vocarentur.*

Notatio. 23 Circa quæ id notandum, quod chlamidis virgulatæ, seu barratæ vsus, qui in Ordine erat ab anno 642. vel circiter, prout in tertio Tomo sub anno 639. & 642. diximus, hoc maximè æuo reformationis à Beato Alberto factæ inoleuit, vt constat ex verbis relatis. Quo sensu aliqui Authores accipiendi sunt, qui harum capparum vsum ab eodem Alberto initium sumpsisse existimasse videntur; quales sunt, Ioannes Heroldus

in

in *continuatione belli sac. l. 5. cap. 3.* Henricus Pantaleon in *Histor. Ord. Ioannitarum Rhodiorum l. 2. circa ann.* 1187. non enim Albertus primus fuit, qui hunc pallij gestandi modum in Ordinem inuexit, sed qui iampridem increbuerat, ab ipso cum Ordine excitatus, promotus, & confirmatus fuit. Quod idem dicimus de grisseo, seu natiuo colore habitus, quo Sanctos hos iuuenes visos fuisse superius describitur, vt vel ab isto æuo damnatus fuisse credatur color niger artificiatus.

Gesta alia Alberti.

24 Reliqua porro, quæ à Beato Alberto in nostrorum Eremitarum gratiam sub hoc tempore effecta sunt, in sequentibus commodius referemus.

Ann Christi 1206. Innoc. 3. Rom. Pont. 9. Imp. Occid. vacat. Henrici Imperat. Orient. 1. Beati Brocardi General. 19.

Imperium Orientale.

1 EO anno Orientale Imperium, quod gubernabat Henricus in plura diuisum erat dominia. Theodorus enim Lascaris Bythiniam, aliasque Prouincias Asiaticas; Alexius Comnenus Colchidem; & Michael Comnenus Epirum obtinebant. Gregoras, Gordonus, & alij.

Gesta B. Alberti.

2 Laborabat eo tempore Albertus Patriarcha pro commisso sibi grege, doctrina, & exemplo pascendo. Pacem etiam, & concordiam inter Regem Cypri, & Comitem Henricum Regni Hierosolymitani Dominum, auctoritate Summi Pontificis confirmabat. Bzouius *vt supra num.* 4 Pro peregrinis etiam subueniendis nummum cudebat, qui etiam modo extat, cuius hæc est inscriptio ex vna parte: *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus anno* 1206. ex parte autem aduersa sic: *Hierosolyma à Saracenis capta, Sede Acconem translata, nummus Peregrinorum.* Hoc peruetustum numisma dono à Philippo Secundo Hispaniarum Rege Catholico datum Ioanni Eremitæ Antuerpiensi testatur Thomas Dempsterus *in notis ad Benedictum Accoltum de bello Sacro lib.* 1. Sed Ioanni Carmelitæ Antuerpiensi datum, & sibi Bononiam Colonia Agrippina transmisum, scribit Petrus Sarracenus in *Menolog. Carmelitarum in vit.* B. *Alberti Patriarchæ*, cui consonat Petrus Vvastelius in litteris ad nos missis scribens, Ordini nostro ab eodem Philippo Secundo donatum esse.

Numisma Alberti.

3 Ex præfato autem numismate clare colligitur hunc Albertum esse, quem illustris familia Eremitarum modo in Belgio celebris, à Petro illo celeberrimo, re, & nomine Eremita, originem trahens, pro suo agnoscit. Nam nummus ille insignia, & gentilitia exhibet huius Eremitanæ domus, quæ sunt tres flosculi quinque foliorum, cum corona precaria, cuius primus author ipse Petrus Eremita à multis censetur, de quo nos tertio Tomo non pauca diximus. Vnde antiquum est in dicta nobili Familia, quod

multum

multum ipsi, nomine illius Alberti Eremitani, debeat Ordo Carmelitani, tamquã sui Legislatoris. Sed cum is Albertus in præfato numismate descriptus, sit ille Vercellensis Episcopus, vt euidenter constat ex dictis: solum enim ille sub hoc anno 1206. Patriarchatum gerebat Hierosolymitanum, non autem ille alter Albertus Bethlehemitanus Episcopus, ideo male huic Bethlehemitano tribuitur, Patriarcham fuisse, aut nostrum Legislatorem; vt sępius in pręcedentibus inculcauimus. Possibile quidem est hunc Bethlehemitanum, ex eadem etiam familia fuisse; sed non propterea hic alter Vercellensis primo Episcopus ab ea excludendus. Sicut enim Eremitarum hæc Domus primum in Gallia, deinde in Belgio propagata est, potuit etiam in Italia, & Lombardia, vnde hic alter Albertus oriundus erat, posteros, vel consanguineos habere, & inter eos Albertum ipsum. Fauet maxime, id, quod hæc nobilis Familia habet in suis libris: quod sic Latinè reddi potest. *Sedes Patriarchalis Hierosolymitana vacabat per mortem Heraclij, quæ accidit anno 1203. Dictum autem Albertus substitutus est anno sequenti: sed eo, quod Sanctus ille locus occupatus erat per Sarracenos, gaudere nequiuit titulo, coactusque fuit in Ciuitate Ptolemaida. Fuit etiam a Papa Innocentio Tertio Legatus Apostolicus factus pro toto Regno Hierosolymitano, & anno 1209. consecrauit Regem Hierosolymitanum.* Subtexitur etiam ibidem, datam esse per eundem Albertum Regulam, & modum viuendi Fratribus nostris. Quæ omnia, licet non omnino pura sint ab omni errore historiæ, vt constat ex dictis in superioribus, propius tamen ad veritatem accedunt. Vt minimum tamen ex eis elicitur, Albertum Legislatorem nostrum fuisse illum, qui sub hoc anno Patriarchatum gerebat, Vercellensem videlicet; & ad præsens intentum, hunc eumdem Albertum esse, quem Eremitarum nobilis Familia pro suo agnoscit.

Monasteriũ Carmeli.

4 Eodem etiam anno 1206. Beato Cyrillo testante *in libro*, seu *epistola ad Eusebium* in Speculo Ordinis *lib. 8. cap. 2.* idem Albertus Monasterium Carmeli in melius erexit, ac intra ipsum includi, ac renouari Cappellam Beatæ Virginis, iam olim à primogenitoribus, Christi tempore ibi existentem, & in prædicto Monasterio sub obseruantia Religiosæ vitæ Fratres congregari, fecit. *Quibus post modum* (inquit Cyrillus) *eodem anno Monasterium in hoc Monte Carmeli iuxta fontem Eliæ Prophetæ ædificari fecit, infra cuius septa includi, ac renouari iussit Capellam quam ad honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ prædecessores eorum post ascensionem Christi construxerant, & eos omnes in antris, & cellis distantes per hunc Montem Carmeli habitantes ipse Dom. Albertus, tunc congregauit, & in dicto Monasterio sub obseruantia Religiosæ vitæ solitariæ per Eliam Prophetam instituta eos inclusit, vt ibidem conuersarentur, secundum Regulam eis per ipsum nouiter institutam.* Idem prosequitur intentum Guillelmus de Samuco fermè eiusdem tempestatis scriptor, *in Chronica de multiplicatione Ordin.* in Speculo Ordinis *lib. 9. cap. 2.* sic habens: *Tempore autem procedente cum dicti Religiosi à Domino Alberto Patriarcha Hierosolymitano Regulam viuendi Monasticè suscepissent, dictus Patriarcha Albertus,*

tus, anno Domini 1199. *In Monte Carmeli prope fontem Eliæ Prophetæ Monasterium eis ædificauit secundum formam figuræ in dicta Regula descriptæ*, Beati Cyrilli sensum, & verba sequitur Ioannes de Vineta author opusculi, quod habetur in Speculo Ordinis à fol. 57. ferè idem Petrus Lucius *in compend. Histor. Carmelit. cap.* 12. & plures alij Historici Ordinis.

5 Huius autem Monasterij Carmeli erectio aliqua historia nostra digna, nec prætermittenda, continet. Primum, quod licet Beatus Cyrillus, ex quo etiam alij id desumpserunt, asserat eodem anno datæ Regulæ, factã esse, non tamen id est intelligendum de eodem anno Christi, quo Regulam datam diximus, scilicet 1205. vix enim id possibile pro temporis breuitate videtur. Sed de anno ab ipsa Regula data computando, quod propterea huic præsenti 1206. ascribimus; vel saltem alij ex sequentibus, si Regula non credatur data hoc anno, sed alio ex proximè subsequentibus, iuxta ea, quæ in superioribus scripsimus. Id præterea iungendum, Monasterium hoc Carmeli Montis, Aymerici primum Antiochensis Patriarchæ opera inceptum fuisse, vt sub anno 1141. dictum manet; ab Alberto tamen sub hoc tempore, secundum formam Regulæ ab ipso præscriptæ, consumatum. Maximè prænotandum, quod cum in Alberti Regula, quam sub præcedenti anno retulimus, expressè haberetur figura Monasteriorum, in quibus nostri habitare deberent, videlicet, quod in eis *singuli singulas haberent cellulas*, non quidem cum alijs coniunctas, sed ab eisdem *separatas*, in quibus, vel iuxta eas, Fratres *die, ac nocte in legis Domini meditatione*, & orationum vigiliis, nisi *alijs iustis occasionibus occuparentur*, detenti manerent: & quod Prioris cellula *iuxta introitum loci* esset, vt venientibus ad Monasteria *primus occurreret, & de arbitrio, ac dispositione ipsius cuncta procederent*: insuper, quod in Monasterijs, seu cellularum medio Oratorium construeretur, vbi *per singulos dies ad audiendum Missarum solemnia conuenire* Eremitæ nostri *deberent*. Ideo Albertus præfatum Monasterium iuxta hanc formam ab ipso præscriptam in Regula construi, seu ædificari curauit. Constat ex verbis Beati Cyrilli, & clarius ex Guillelmi de Sannico testimonio supra relatis. Ad eumdem ergo modum, & secundum eamdem formam, & figuram alia Monasteria eo tempore ædificata fuisse, ex eodem Guillelmo loco relato, & Ioanne de Malinis *in Speculo Historiali, cap.* 6. habetur. Historia Monasterij.

6 Eodem quoque anno (quod non in exiguum Hispanæ Carmeliticę Familiæ cedit) primum Ordinis Cœnobium ex his, quæ nobis authenticè constare possunt, post Alberti Regulam datam in Cataloniæ partibus, & Castro, Castello, seu Oppido (Hispanè Villa) *Petrelatæ* extructum est. Constat hoc ex Archiuio dicti Conuentus in vetustissimo libro, vbi hæc expressa memoria legitur: cui multum, valdeque deferebat Pater Franciscus à Sancta Maria nostrorum Patrum Discalceatorum insignis Historicus: *Sit notum omnibus, & aduertendum, quod die quarta Aprilis anno à Natiuitate Domini Millesimo ducentesimo sexto fuit fundatus, & constructus in Villa* Petrælatæ Monasterij.

la Petralatæ Conuentus Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, extra muros de Petralata per Reu. Fr. Antonium Gabrielem Nouerum eiusdem Ordin. Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli ad hoc specialiter missum, & Dominus Arnaldus de Nauata, Dominusque Villæ Petralatæ, simul cum Consulibus dictæ Villæ assignauerunt locum, & territorium pro Monasterio ædificando, & construendo, & dictus Dominus Arnaldus charitate, & deuotione motus pro fabrica dedit fundatori magnam pecuniæ quantitatem, ac etiam Consules, & Consiliarij de bonis Vniuersitatis emerunt totam illam terram, quæ fuit opus ad Monasterium ædificandum. Hæc ibi. Ex quibus conijcitur causa quare inter Prouincias Hispaniæ, Catalonia secundum locum teneat, post Castellam; quia videlicet post Toleti Cœnobium, quod antiquissimum esse in Castellæ Prouincia constat ex ijs, quæ Tomo secundo, & tertio dicimus, hic *Petralatę* Conuentus ad Cataloniam spectans cæteris alijs totius Hispaniæ antiquitate præstat. Quis porrò fuit is Antonius Gabriel Nouerus huius Cœnobij fundator, & vnde *ad hoc specialiter missus*, vt in præfata memoria habetur, adhuc incompertum. Forsan etenim ex Toletano Cœnobio in Castella, Burdegalensi in Vasconia; vel ex Italiæ partibus illuc missus fuit. Nec incongruè dici potest ex Syriæ Carmelo à præfato Arnaldo Petrælatæ Domino, eò cum Cruce signatis pro Terrę Sanctæ recuperatione pergente, & Beato Brocardo Generali annuente, Hispaniam vectum. Ea enim pietas, & Sancta conuersatio nostrorum, quæ Sanctum Ludouicum Galliarum Regem, nobilesque alios, tum Anglos, tum aliarum Nationum Equites, secum in patriam eos ducere coegit, vt ex dicendis constabit, potuit, & Dominum præfatæ Petrælatæ ad idem faciendum præmouere. Habuit hic Conuentus claros plures alumnos, & inter eos Franciscum de Baccone perillustrem Doctorem, de quo sub anno 1372. dicimus. Inter alia quoque præclara huius Cœnobij, de quibus in sequentibus dicemus, illud iure computandum, quod cum illud primum in Hispaniæ Regnis post Regulam primitiuam Alberti, eam obseruauerit, quasi Religiosæ obseruantiæ Seminarium factum ad ipsum plures eius Prouinciæ graues, & venerandi Patres, post multorum annorum litteraria exercitia; vt melius Deo viuerent, & mundo mori possent, ætate iam prouecta recurrebant. De varijs huius Cœnobij mutationibus in sequentibus, præsertim sub 1293 & 1346. ann. dicere possumus. Sunt quoq; qui dicant, hoc anno Carmelitas fuisse in Lusitania; etsi locum determinatum eis non asignent, & ita pro re dubia horum placitum relinquimus, donec clarius veritas innotescat.

Venetiarum Conuentus.

7 Extat etiam antiquitatis Inclytæ Vrbis Venetiarum Cœnobij sub hoc anno memoria. Publicum videlicet instrumentum conuentionis Fratrum cum Plebano, & Clericis Sanctæ Margaritæ circa recognitionem Parrochialium iurium per Bonifacium de Inuiciaco. Quod postea sub anno 1208. ab eo confirmatum est alio instrumento per Andream Mudacium. Ratificatum tandem anno 1321. ad controuersias sepulturæ sedandas.

dandas. De hoc Michael Munoz in Propugnaculo Eliæ *lib. 2. tit. 3. cap. 1. art. 2. §. sed cum Carolus*, & relatio Conuentuum Italiæ facta iussu Innocentij Decimi. Quo tamen tempore primum Venetiarum Cœnobium à nostris habitum fuisse credi posit dicimus *tom. 3. sub ann. 1024. num. 6.* Hic solum iungendum, quod Venetus iste Conuentus sub Dei Genitricis de Monte Carmelo protectione vigens, nobilissimum, grauissimorum virorum, qui ex eo prodierunt, vel in eo commorati sunt, emporium fuerit. Et, vt prætermittamus ex posteriotibus virum nôn satis pro meritis commendatum, Gregorium Canalium Ordinis totius Generalem Antistitem, de quo Tomo sequenti, si Deus concesserit, non pauca dici possunt; Leonardus Priolus, ex clarissima Priolorum familia oriundus, & ipse inter claros eius Cœnobij alumnos iure recensitus, *in præfat. ad 4. lib. sentent Doctor. Michael de Bononia*, vulgo *Incogniti* dicti, præfatos insignes viros connumerans hæc scripsit. *Fuerunt enim pro temporum curriculo Patres de hac nostra Veneta familia (præter alios, quos silentio inuoluo) aliqui omni laude digni; qui suo tempore, & in Religione Carmelitica, & extra, in maximo sunt honore habiti. Et quia occasio id exposcit, ne vana scripsisse videar, atque fictitia, currenti calamo quosdam recensebo. In primis 1307. Reuerendiss. Pat Zenum Venetum Episcopum. 1310. Reuerendiss. Pat. Marcum Contareno Archiepiscopum Corriphiensem. 1321.* Reuerendiß. *Pat. Ioannem Magno Venetum Episcopum Æquilinum. 1345. Reuerendiss. Pat. Iacobum Venetum Episcopum Euellonensem. 1347. Reuerendiss Pat. Nicolaum Sorbolo Venetum Episcopum Scarpatensem. 1368. Reuerendiss. Pat. Ioannem Lombardo Venetum Priorem Conuentus, & Episcopum Parentij. 1374. Reuerendiss. Pat.* Bonifacium *Venetum Episcopum Venecopenensem. 1417. Reuerendiss. Pat. Christophorum Venetum Abbatem Ostrau censem. 1462. Reuerendiß. S. Theologiæ Magistrum Natalem de Venetijs Episcopum Hoensem, & Apostolicæ Sedis Legatum. Denique 1592. eximium Theologum, maximum virum Magistrum Laurentium Lauretum Venetum, totius Ordinis Procuratorem Generalem, & Gregorij Decimiquarti Pontif. Maximi Theologum, Episcopum Adriensem.* Hęc ipse Priolus Ordinis quoque Generalis Procurator.

Ann. Christi 1207. Innocent. 3. Roman. Pontif. 10. Imperat. Occident. vac. Henrici Imperat. Orient. 2. Beati Brochardi General. 20.

1 Ottonis Imperatoris partes tuebatur sub hoc anno Papa Innocentius, magnam adhibens diligentiam, vt Principes omnes in fide ipsius contineret, nutantes conciliaret, & Philippum Suecum aduersarium cum eo componeret, prout actum est. Quo etiam tempore Albigenses Hæretici, Raimundo Comite Tolosano Duce, Galliã Nar- Huius temporis gesta.

bonensém multis errorum spurcitijs labefactantes Catholicorum patientiam exercebant. Bzouius *sub hoc anno.*

Ordinis propagatio. 2 Ab hoc an. 1207. vt coniectamur, magna illa in Syriæ partibus Ordinis nostri propagatio sub Alberto Protectore cepit, de qua illius sæculi Author Guilhelmus de Sannico *in Chronica de multiplicatione Ord.* in Speculo Ordinis *lib.* 9. *cap.* v. prout in nostro Conuentu Transpontinæ Archiuio correcta seruatur, sic scribit: *Tempore autem procedente, cum dicti Religiosi à Domino Alberto Patriarcha Hierosolymitano Regulam viuendi Monasticæ suscepissent, dictus Patriarcha Albertus anno Domini* 1199. *in Monte Carmeli prope fontem Eliæ Prophetæ Monasterium eis ædificauit secundum formam figuræ in dicta Regula descriptæ. Propter quod ex tunc, iuuante magnificentia virorum nobilium, & largitate hominum fidelium, ceperunt dicti Religiosi in diuersis Eremis, & Vrbibus Syriæ Monasteria suæ Religionis similiter constituere apta, & commoda ad vitam solitariam in eis obseruandam secundum memoratam Regulam. Horum autem Monasteriorum nobiliora nunc exprimam. Quippe in Prouincia Syriæ, quæ appellatur* Phœnix *à Monte Carmeli procedendo versus partem mundi aquilonarem ad quatuor miliaria est* Accon *Ciuitas magna supra mare sita, quæ alio nomine in Sacra Scriptura vocatur* Ptolemayda, *in qua dicti Religiosi ædificauerunt Monasterium suæ Religionis. De Ptolemayda vero procedendo vlterius ad decem leucas est* Tyrus *Ciuitas munitissima in corde maris sita, cuius exterior planities rigatur riuis procedentibus ex puteo aquarum viuentium, cuius meminit Salomon in Canticis Canticorum, qui nec per leucam distat à Tyro. In hac Ciuitate ædificauerunt etiam dicti fratres, & habuerunt Monasterium suæ Religionis. Porrò de Tyro procedendo vlterius ad quinque leucas est* Sarepta *Sydoniorum super mare sita, Ciuitas quondam gloriosa; nunc autem vix habet octo domos. Ante cuius portam Australem fratres huius Religionis olim ædificauerunt* Capellam, *quandam ad honorem Virginis Mariæ, quæ adhuc extat in eodem loco, in quo Elias obuiauit Mulieri viduæ, apud quam in Sarepta mansit, & cuius filium Ionam à mortuis resuscitauit. Vlterius autem procedendo de Sarepta, ad* 26. *leucas est* Tripolis *Ciuitas nobilis in corde maris sita, cuius planities rigata est flumine procedente de fonte hortorum, cuius etiam meminit Salomon in Canticis Canticorum. Est enim Paradiso voluptatis assimilata. In hac similiter Ciuitate ædificauerunt dicti fratres, & habuerunt suæ Religionis Monasterium. Sed de Tripoli procedendo vlterius, quasi contra Orientem ad tres leucas occurrit Mons* Libani, *in cuius pede ibidem oritur abundanter fons hortorum fluens impetu de Libano; ex quo fonte subitò nascitur inualescens flumen magnum, quo rigantur horti, & tota planicies Ciuitatis Tripolitanæ, cuius aquæ sunt limpidæ, dulces, frigidæ, & optimæ; & ibi in solitudine prope Montem Libani, ædificauerunt dicti fratres, & habuerunt iuxta fontem hortorum Monasterium appellatum* Belli loci *propter pulchritudinem dicti loci. Prædicta autem omnia Monasteria fuerunt ædificata in Prouincia Syriæ Phœniceę. In Prouincia autem Syrię, quę Cęlestis Syria dicitur, est* Antiochia *Ciuitas nobilis, & gloriosa distans à Mõte Carmeli per duodecim dietas versus Aquilonem, in qua Professores huius* Religionis *ædificauerunt*

solemne

solemne Monasterium sui Ordinis, & habuerunt. In eadem quoque Prouincia ab Antiochia procedendo versus Aquilonem occurrit Mons dictus Neroi, *idest,* aquosus, *qui è riuis, & fontibus totus irriguus.* Meros *enim Graecè dicitur* aqua *Latinè. Sed quia vulgares* Neros *interpretantur* Neyre, *idest* nigra, *ideo dictus Mons vulgariter appellatur* Montana nigra. *In huius Montis solitudine ædificauerunt fratres nostri Ordinis, & habuerunt suæ Religionis Monasterium. Quoniam autem hæc Prouincia Cælesyria est extra terminos Terræ Sanctæ, ideo fratres nostri plura Monasteria non ædificauerunt, neque prædicta ædificassent, nisi quod Aymericus Patriarcha Antiochenus aliquos eorum duxisset in solitudinem Montis* Neroi. *Nam professores huius Ordinis nunquam hactenus proposuerunt extra Sanctam Terram habere ad inhabitandum aliquam mansionem Religionis suæ. In Prouincia autem Syriæ, quæ Palestina nominatur habuerunt dicti Professores antiquitus omnes penè mansiones suæ Religionis. Sed duplici ratione non potuerunt hoc nouissimo tempore Monasteria construere in locis, & Vrbibus, in quibus solebant olim habitare. Primò, quia propter dissipationes crebras huius Prouinciæ aliquæ dictarum Vrbium sunt funditus euersæ, vt Samaria, & aliæ sunt quasi ad nihilum redactæ, vt Bethel, & Galgala, & Hierico, quæ vix habet octo domos modo. Secundo; quia Saladinus genere Turcus Rex Syriæ, & Ægypti nuper, scilicet anno Dom. M.C.LXXXVII. post celebrē victoriam, quam de Christianis obtinuit in bello apud Cephorum commisso, in quo fuit Sancta Crux ammissa, & Rex Hierusalem Guido captus cum Magistro Templi, & innumeris Christianis, occupauit fere omnem Palestinam auferendo à Christianis eius dominium. Propter quod ex tunc difficile fuit dictis Religiosis in hac Prouincia ædificare Monasteria suæ Religionis. Verumtamen iuuantibus deuotis Peregrinis Christianis sepulchrum Domini visitantibus ædificauerunt ipsi in eadem Prouincia in Regione Iudeę, & habuerunt Monasterium suæ Religionis in Ciuitate Sancta Hierusalem, quæ à Monte Carmeli distat per triginta duas leucas versus Austrum. In eadem quoque Prouincia in Regione Samarie inter Galgalam, & Hierico est desertum* Quarentenæ *distans à Monte Carmeli per viginti leucas versus notum, vbi dicti Religiosi ędificauerunt prope fontem Elisei, & habuerunt Monasterium suę Religionis, quod fuit appellatum Domus in Eremo* Quarentenæ. *In eade etiam Prouincia in Regione Galileę ad duodecim leucas de Monte Carmeli contra Orientem est Eremus illa, in qua Christus frequenter prędicauit. De qua dictum est supra, vbi prędicti Religiosi ædificauerunt, & habuerunt Monasterium sui Ordinis, quod fuit appellatum Monasterium* Valijm, *quia fuit constructum sumptibus cuiusdam nobilis viri qui dicebatur* Valijn. *Omnia autem prędicta Monasteria sumpserunt institutionem, & Regulam à Monasterio Montis Carmeli, & fuerunt subiecta dicto Monasterio, & eius Priori.* Hæc ille.

5 Circa quæ, & pro ipsorum luce aliqua prænotari oportet; primū id, quod Author asserit de Regula data sub anno 1199. corrigendum esse veluti errorem Scriptorum incuria insertum, iuxta dicta à nobis sub eo anno. Deinde, id, quod scribit de Montis Carmeli Cœnobio ab Alberto Notatio.

Patriarcha constructo pro anno præcedenti id accidisse credimus, prout ibi diximus. Quoad Monasteria autem Acconis, Tyri, Sareptæ, Tripolis, Belli loci, Antiochiæ, & Montis Neroi, non sic accipienda, quæ hic Au ctor dicit, quasi sub eo tempore ea cęperint ædificari, aut à fratribus nostris primum inhabitari. Constat enim ex dictis sub anno 1141. iam pridem in illis locis, multis ante Alberti Regulam retroactis annis, Eremitas nostros mansiones habuisse; vt etiam indicat idem Guillelmus, dum de Sareptæ Capella loquens dicit, *olim à nostris ibi ędificatam esse*. Id ergo solum intendit, quod huiusmodi Cœnobiorum, seu Monasteriorum constructio *iuxta modum in Regula præscriptum*, videlicet, quod in eis *singulæ cellulæ ab alijs separatę*, nec illis coniunctæ, essent, & *cellula Prioris iuxta introitum loci*, ac *in medio cellularum Oratorium* post datam Regulam ab Alberto cępisset fieri; cum tamen alio modo primitus ante Regulam datam constructa essent. Colligitur id primo ex illis verbis eiusdem Guillelmi: *ex tunc iuuante magnificentia virorum nobilium, & largitate hominum fidelium cæperunt dicti Religiosi in diuersis Eremis, & Vrbibus Syriæ Monasteria suæ Religionis similiter construere apta, & commoda ad vitam solitariam in eis obseruandam, secundum memoratam Regulam*. Quasi diceret, etsi alias iam fuissent prædicta Monasteria constructa, cepisse tamen ex tunc construi secundum figuram in Regula præscriptam. Id etiam habetur secundo ex eo, quod dicit idem Author de constructione Monasterij Carmeli factam, scilicet *secundum formam figurę in dicta Regula descriptę*. Quemadmodum ergo hoc Carmeli Cænobium iam primitus à tempore Aymerici constructum fuit, nihilominus ab Alberto ædificatum dicitur, quia *secundum formam figuræ in Regula pręscriptę* fuit fabricatum; ita etiam de alijs relatis Cœnobijs idem asserendum. Quod item tertiò euidentius constat de alijs Monasterijs Montis Neroi, Deserti Quarentenæ, & deserti Maris Galilææ, in quibus eodemmet Guillelmo *cap* 1. testante, à multis retro annis Carmelitæ Sedes habuerant. In Monte Neroi à tempore Aymerici, & in alijs desertis etiam à tempore restauratæ Terræ Sanctæ per Godifredum. Solum ergo eo sensu post tempora Alberti constructa fuisse, intelligendum; quatenus tunc iuxta modum præscriptum in Regula accommodata, & aptata fuerint.

Capella Sareptæ.

4 Similiter id, quod asserit idem Guillelmus de Capella à nostris in Sarepta ædificata concinne corroborat Brochardus de Monte Sion *in descript. Terrę Sanctę*: loquens enim de præfata Ciuitate, inquit, quod ante portam ipsius *ostenditur locus, vbi Elias venit ad Viduam Sareptanam. Deinde est etiam quędam Capella ædificata, vbi eius filium suscitauit, & vbi erat Cænaculum, in quo quieuit*. Ex quo habetur etiam tempore huius Brochardi permansisse Capellam Sareptæ à nostris constructam in honorem Beatæ Virginis, in loco vbi Elias mulieri Sareptanæ obuiauit, & filium eius Ionam à mortuis suscitauit, quemadmodum Guillelmus scripsit.

Hierosolymitan. Cœnob.

5 De Hierosolymitano Cœnobio, cuius præfatus Guillelmus memoriam

riam fecit, dubitari poteſt an idem ſit cum Monaſterio Sanct. Annæ, quod, vt ex hiſtoria Sancti Angeli ab Enoch Patriarcha ſcripta, conſtat, noſtrorum Eremitarum erat, an diuerſum. Et ſanè cum iſtud Sanctę Annæ Cœnobium vetuſtum valde in Sancta Ciuitate, ac celeberrimum fuerit, & ab alijs Religioſis primitus habitatum, noſtriſque Græcis, vel Syris, expulſis Latinis, conceſſum, poſt captam Hieroſolymam à Saladino, vt ſub anno 1187. diximus, non videtur qualiter dicere potuerit Guillelmus, *iuuantibus deuotis peregrinis Chriſtianis ſepulchrum Domini viſitantibus*, ædificatum fuiſſe. Huic tamen nodo duplex adhibenda occurrit ſolutio. Prima quidem, Guillelmum non de hoc Cœnobio Sanctæ Annæ fuiſſe locutum, ſed de alio nouo noſtrorum pro Latinis fratribus, & ex Latinorum Peregrinorum eleemoſynis extra Vrbem (provt eo tempore extruebantur noſtrorum manſiones) extructo Eremitorio. Niſi placeat ſecundo aſſerere, illud idem Sanctæ Annæ Monaſterium ad vitam ſolitariam aptatum, & accommodatum iuxta præſcriptum Regulæ ab Alberto traditæ, ita vt in eo fratrum cellulæ ab inuicem ſeparatæ, Prioris manſio in introitu loci, & Oratorium in medio cellularum eſſent, vocari à Guillelmo Monaſterium Hieroſolymitanum, peregrinorum eleæmoſynis à noſtris fratribus ædificatum. Quid iſtorum verius monumentorum huius temporis paucitas ignorantiæ noſtræ in cauſa eſt.

6 De Eremitorio tandem illo appellato *Domus Eremi Quarantenę*, vbi Chriſtus quadragenarium diù, noctuque pertulit ieiunium, de quo loco relato, & in capitulo etiam primo meminit idem Guillelmus, proculdubio affirmandum eſt fuiſſe in deſerto illo, quo Sanctus Angelus noſter, Dei Angelo comite, ductus eſt, vt per quinquennium deliteſceret, vt ex hiſtoria eiuſdem Sancti Angeli habetur. Etſi ibi eo tempore tam ab alijs noſtris Eremitis ibidem commorantibus, quam à quorumcunque aliorum conſortio omnino ſeiunctum, & ſeparatum, in abditiori forſan Eremi vaſtę loco, vixiſſe, ex eadem habeatur hiſtoria, vt ſuo loco dicemus. De Eremitorio Quarentenæ.

7 Præter relata à Guillelmo Ordinis Cœnobia plura quoque alia in Eremis Terræ Sanctæ, & Inſularum circumadiacentium eo tempore extructa fuiſſe, grauis Author Ioannes de Malinis peruetuſtus Ordinis Pater *in Speculo hiſtoriali cap. 6.* quod eſt cum Speculo Ordinis à fol. 41. ſic habet: *Suſcepta itaque hac Regula fratres ipſi in diuerſis Eremis Terræ Sanctæ, & Inſularum circumadiacentiũ plurima Monaſteria ſui Ordinis fundauerunt; cum ſimplicitate cordis in eiſdem Deo, & Beatæ Marię humiliter ſeruientes*. Similia fermè in eiuſdem libri *cap.8. in principio*, quibus nedum in Terræ Sanctæ Eremis, ſed Inſularum quoque adiacentium Monaſteria alia Ordinis, iuxta modum videlicet in Regula præſcriptum, fundata eſſe demonſtrat. Vnde Cypri Conuentus, eſto ſub anno 1194. vel circiter, vt ibidem diximus iam primo conſtructi fuerint, poſt Alberti tamen Regulam, & iuxta figuram in ea inſinuatam complementum accepiſſe exiſtimamus. De alijs.

Omnia

8 Omnia porrò præfata Monasteria, non in Vrbibus (etsi iuxta illas quandoque) sed in desertis, & à populi tumultibus dissitis locis, seu Eremis, constructa eo tempore fuisse, ita præcipiente Legislatore, & Protectore nostro Alberto, præfatus Ioannes de Malinis dicto *cap. 6.* sic scripsit. *Vt autem à modo viuendi fundatorum eorum Prophetæ Dei Eliæ, ac prædecessorum suorum non discreparent, districte eis prohibuit, ne Monasteria in Villis, vel Ciuitatibus fundarent, concedens tamen eisdem, vt in Eremis Conuentus suę Religionis habere possent.* Quod etiam intentum clarè supponit Nicolaus Gallicus Ord. nostri futurus Generalis, qui propterea, quod fratres nostros viderat post mitigationem Innocentij Quarti in Vrbibus, & Oppidis mansiones habere, acriter, & aculeate contra eos scripsit in libro, cui titulus *Sagitta* sub anno 1270. ab eo descripto. Credimus tamen, vt supra diximus, hanc Alberti legem eatenus solum receptam fuisse, vt circa Vrbes, & Oppida, etsi extra illa, ipsorumque mœnia, plura nostrorum Eremitoria erigerentur. Hinc in descriptione Acconis, quæ inter opera Marini Sanuti habetur Carmelitanorum Cœnobium extra portam Ciuitatis *S. Lazari* vocatam, nec procul ab ea collocatum conspicitur, quod idem de Conuentibus Tyrensi, Tripolensi, Antiochensi, & alijs autumamus.

B. Brocardi mors non pro hoc ann.

9 Credunt plures sub hoc anno Beatum Brocardum ad cælestem Patriam è vita migrasse. Petrus Lucius in *Compend. Carmelitano cap. 12.* Franciscus Cherascus in *Cathalogo General. Ord. adiuncto* Vitæ Henrici Siluij. Claudius Robertus in *Gallia Christiana in Tract. de General. Carmelit.* Petrus Sarracenus in *Menolog. Carmelitar. in vit. B. Brocardi.* Verumtamen in Chronologia errasse hos Auth. ex dictis in superioribus circa ann. 1188. facile euincitur. Ibi enim ostensum B. Brocardum ante illum annum ad Generalatum Ordinis vocatum non fuisse. Cum vero, vt ibidem etiam præmonstrauimus, per trigintatres annos Ordinem rexerit, proculdubio nisi post plures annos fęlix ipsius mors non cōtigit. Pro his antesignanum habemus Beatum Cyrillum *Epist. ad Euseb.* eo loci relatum, vt mirum sit Neothericos nostri Ordinis historicos tanti Patris Sanctitati, & auctoritati in Chronologia Beatorum Bertholdi, & Brochardi, quibus Synchronus, & coæuus extitit, contrarios esse gratis voluisse.

Ann. Christi *1208.* Innoc. 3. Ro. Pont. 11. Imp. Occid. vacat. Henrici Imperat. Orient *3.* Beati Brocardi General. *21.*

Imperatoris successio.

1 Xtincto sub hoc anno Philippo Sueuo Imperij Competitore Innocentius Pontifex pro Ottone stabiliendo litteris datis ad Reges, & Germaniæ Principes diligentiam adhibebat. Narrabat etiam eidem Ottoni quanta pro ipso ad Imperium promouendo fecerat, Ipseque Otto summas gratias Papæ referens, negotium suæ assumptionis

ptionis Sedi Apostolicæ adscripsit. Pontifex præterea per Legatum suum publicè in Francia Crucem contra Albigenses hæreticos prædicari fecit. Author histor. Albigens. Gordonus, Bzouius, & alij.

2 Interim circa idem tempus Angelus, & Ioannes fratres in Carmeli Montis Cœnobio, vbi decreto Patrum constituti erant, iuxta dicta sub anno 1205. duo primitiuæ Regulæ fidelissimi Professores facti, varijs coruscabant signis, & miraculis, vt vel sic ostenderet Deus quantum sibi præfata viuendi forma placuisset, qui eiusdem imitatores talibus gratijs decoraret. Porro quæ de Angelo ipso scripta, socius ipsius Enoch Patriarcha in historia de eius vita reliquerit cap. 6. sic damus. *Die quadam iussu Prioris nomine Hieremiæ viri senio venerabilis Angelus, & Ioannes lignatum mittuntum, vbi cum Ioannes arboris stipitem scindere niteretur, forte manubrio egressa securis, in profundissimum, qui iuxta erat, fontem Eliæ decidit. Quo casu perculsus iuuenis animus tristari cœpit. Angelus vero, hoc viso, bono fratrem animo esse iubet; & lignum manu accipiens, dixit: Nunc frater, quanta in Deum fide erigamur facile cognoscere est. Orandus quippe nobis est Deus; Virgo etiam, ac Eliseus Pater noster, vt nunc quoque securim hanc nostram supernatare faciant, veluti, tempore Prophetarum supernatasse non dubia fide creditur. Quo dicto, aquæ lignum apposuit, & feruenti oratione habita, agedum frater, inquit, securim cape, & surgens Ioannes ferrum inuenit, vt prius erat ligno coniunctum medio in fonte quasi natans; & accepta securi, ingentissimas Deo, & Virgini, ac Patri Eliseo gratias egerunt. Tunc Angelus ne hominum viuenti cuipiam Dei donum huiusmodi reuelaret, fratri præcepit; Deo inquiens soli acceptum, & Sanctis eius, ac sinceræ fidei referendum, & nihil Deo magis placere, quam maiori semper humilitate Dei seruum proficere ad memoriam reuocauit.*

3 Quamuis autem Sanctus Angelus hoc primum à se factum miraculum humiliter celari curauerit, Deus autem, qui suorum seruorum egregia facta reuelare solet, vt frigidi alij ad ipsius amorem accendantur, hoc Angeli facinus Hieremiæ Montis Carmeli tunc locali Priori manifestare voluit. Oratorio quippe senex clausus, & diuinorum meditationi intentus, quasi raptus Angelum Iuuenem feruentissime orare agnouit; & orationis virtute ferrum natasse. Enoch Patriarcha in *vita S. Angeli cap. 5.* Hinc conijcimus hunc Hieremiam Sanctæ vitæ, & probæ conuersationis fuisse, vtpote qui tali reuelatione à Deo donatus, & Carmeli Cœnobio à B. Brocardo totius Ordinis Generali (qui, vt credimus, eo tempore à Carmelo absens erat, visitationi forsan, vel propagationi Ordinis intentus) Prior præfectus fuit.

4 De alijs quoque ab ipso Sancto Angelo patratis mirabilibus, & ab eius germano Ioanne pluribus miraculis, sic loquitur oculatus testis ipse Enoch Patriarcha *cap. 7.* historiæ, seu vita ipsorum. *Ipse quoque à primis (quod aiunt cunabulis) fere semper in domo superius expressi Nicodemi Patriarchæ versatus, prædicta omnia ab eo ipso pluries accepisse in conspectu Dei, & hominum*

De SS. Angeli & Ioan.

Miraculi manifestatio.

Alia ipsorũ gesta.

num attestari non vereor: cæterum postea quam Religionem ingressus sum, vidi, & alia multa ipsius Angeli opera mirabilia, quibus quantum diuinæ bonitati ardentissima fides cum spe, & charitate, atque cum abstinentia nunquam intermissa oratio, ac deniquè sinceræ probitati coniuncta humilitas, acceptæ forent, facile perspectum est. Silentio nunc praterirem quæ plurima meritis Ioannis Deus operari dignatus est. Sed decet glorificari Deum in operibus Sanctorum, qui semper est mirabilis, & facit mirabilia magna solus in Cælo, & in terra. Vidi ego qui vita penitus functi, ad suæ resolutionis corruptionem accedebant, orationis virtute, & lachrymis Ioannis, vitæ officium resumpsisse. Vidi non modo paralysi, & lepra, sed & morbis alijs fere incurabilibus laborantes, ad sanitatem reuocatos fuisse, vt taceam plurimos oculis captos, qui faciem Cæli videre non poterant, oculorum beneficio restitutos: vt omittam dæmonibus vexatos, & denique liberatos: hæc enim, vt factas facilia sunt Sanctis in virtute illius, in quo sanctificantur; sic, & vere credentibus non difficilia quæ facta fuerint videbuntur.

Ann. Christi 1209. Innocentij 3. Rom. Pontif. 12. Othon. Imperat. Occid. 1. Henrici Imp. Orient. 4. B. Brocardi Gen. 22.

Gesta Innocentij Papæ

1 INnocentius Papa sub hoc anno Erronum Albiensium peruicaciam omnino euertere contendens, bellum Sacrum in eos indixit, & vt Crucesignati alacrius pugnarent, multis præmijs eos decorare studuit. Hi ergo, Simone Comite Montis Fortis Duce Biterensem, & Carcassonensem Ciuitates cęperunt, ac Rogerium Principem in carcerem coniecerunt, multis præterea hæreticorum millibus iustè igne, gladioque interemptis. Historia Albigens. Æmilius, & recentiores alij. Interea Otto electus Imperator postquam Sedis Apostolicæ priuilegia confirmauerat, & ab Innocentio Papa in Basilica Sancti Petri Imperij diadema recepisset, erga eamdem Sedem ingratissimus Roma egressus contra Pontificem sese conuertit, nullaque eius, ac Sacramenti habita ratione, Oppida plura Ecclesiæ occupauit, & Fridericum Siciliæ Regem Papæ confederatum à Regno exturbare contendebat. Sigonius, Bzouius, Gordonus, & alij.

Terræ S. negotia.

2 Terræ Sanctæ negotia, quæ ijs annis pacificè gerebantur ob treguas cum infidelibus factas, vt proinde Beatus Brocardus Ordini reformationi, & propagationi sub Protectore Alberto intendere posset, sub hoc tempore turbata sunt. Primo enim in Antiochia Illustrissima Syriæ Ciuitate bella domestica inter Patriarcham, & Principem erant. Sarraceni etiam, expirante tregua cum Christianis, Iordanem transierunt. Marinus Sanutus de *Secretis fidel. Crucis lib. 3. par. 11. cap. 3. & 4.* Quo non exigua nostrorum Eremitarum Antiochiæ, & Montana Nigra ei proxima, ac in Iordanis desertis, cômorantiû, perturbatio exorta proc uldubio credenda.

Per

3 Per id tempus, vel circiter, si coniectari licet, credimus Radulphũ Fresburni in Northumbriæ Comitatu oriundum in Palęstinam venisse cõtra impios Sarracenos Christianæ fidei hostes egregiè dimicaturum. Vbi post aliquod tempus, mutata militia, cum sanctum Institutum Carmeli Incolarum inspexisset, sub tutela Beatæ Mariæ Virginis, se totum diuinis mancipauit obsequijs; ijsdem adiunctus, eorumque habitum, & Regulam Alberti suscipiendo. Donec postea in Angliam redeuntibus Baronibus Ioanne Vesco, & Ricardo Graio cum assumpto sibi socio Yuone Armorico Britanno, in patriam reuersus, prima Ordinis fundamenta ibidem iaceret; provt fecit anno 1240. vt ibidem dicemus. Colligitur hoc ex Balæo in *Cathalogo de Scriptoribus Britanniæ Centur* 4. Ioanne Pitseo in *Cathalogo Scriptorum Angliæ*, & alijs. Radulphus Fresburnus

Ann Christi 1210. Innocentij 3. Roman. Pontif. 13. Othonis Imper. Occid. 2. Henrici Imperat. Orient 5. B. Brocardi Gen. 23.

1 INnocentius Papa sub hoc anno summam ingratitudinem Ottoni Imperatori exprobrabat, quod cum eum Sedes Apostolica ad tantam dignitatem sublimasset, nihilominus Beati Petri Patrimonium inuadere, & vsurpare præsumpsisset. Qui tantum abest, vt precibus, & exhortationibus Pontificijs flecteretur, vt magis obduratus ad imminuenda Ecclesiæ Romanæ iura, & bona, totis viribus, & armis intenderet, datis primo ad Innocentium acrioribus litteris. Quod scelus non dissimulandum anathematis gladio animaduertit Pontifex, Othonem Imperij dignitate puniendo. Principes etiam Germaniæ propterea Francforti congregati Friderico Siciliæ Regi Regnum Romanorum obtulerunt, Nunciosque ad Papam miserunt, eam electionem significantes, ipsumque Fridericum in Germaniam inuitantes. Honuprius, Nauclerus, Æmilius, & noui Annalistæ. Quid Papa cum Imperat. agebat.

2 In Sacra Palęstinæ Regione eo tempore dum Ioannes Brenensis Comes in Regem Hierosolymitanum apud Tyrum coronabatur, Corradinus; qui & Melec Mahadan vocabatur, Acconensem Ciuitatem aggressus est; magnusque idcirco Christianos omnes timor concussit; Marin. Sanutus *de secret fidel. Cruc. l. b. 3. par. 11. cap. 5.* Cuius calamitatis nostri, Acconis, & Carmeli Incolę Eremitę participes effecti precibus pro populo Dei, ipsorumque Ordine, piè dimicabant. Terrę S. casus

3 Hoc anno ad Cælestem patriam, hoc sæculo relicto, migrasse Beatum Cyrillum, credunt aliqui. Petrus Lucius in *Compend. histor* Franciscus Cherascus in *Cathalog. General. Ordin.* & Petrus Sarracenus in *Menolog. Carmelitar. in vita S. Cyrilli*. Verumtamen cum B. Cyrillus post Beatum Brocardum Ordinis Præsulatum possederit, cum constet ex dictis Brocardum De B. Cyrillo

ante annum 1221. ex hoc sæculo non migrasse, absdubiè elicitur Beatum Cyrillum vsque ad annum 1224. superuixisse. Authores vero, qui oppositum scripserunt non animaduertisse videntur id quod nos in superioribus diximus, videlicet Beatum Bertholdum ante annum captæ Hierosolymæ à Saladino, scilicet 1187. non fuisse mortuum, & quod illi per 33. annos in Generalem Ordinis Brocardus successerit, prout ex Epistola eiusdem Beati Cyrilli ad Eusebium vtrumque elicitur. Maneat ergo sub hoc anno vita superstitem fuisse, vt cum Brocardo Generali, Angelo, & Ioanne fratribus, Alberti Regulæ professor effectus, toti Ordini Sanctitatis radijs illuxerit.

B. Cyrilli miraculum.

3 In id temporis referendum coniectamur miraculum à Beato Cyrillo in absentia Beati Brocardi patratum, quod refert Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 4. his verbis; *Dum quadam vice cæco eleemosynam tribuisset, denarium cæcus oculis applicuit, & protinus vidit. Tunc, & mente illuminatus, recipi ad Religionem postulauit. Cyrillus vero propter absentiam Patris Brocardi, acceptare illum distulit; & factum est post triduum quod sic illuminatus spiritum exalaret. Cum autem die quarta Brocardus aduenißet, Fratribus occupatis obsequijs funeralibus, surrexit viuus, & ait: Per Cyrillum à morte sum resuscitatus, cuius meritis pridem fui à cæcitate mentis, & corporis liberatus.*

Ex Bostio.

4 Hæc verò Palæonydorus ex Bostio mutuata accepit, qui similia etiam affert in suo *Speculo Historiali lib. septim. cap. octau.* vbi etiam singularia hæc de eodem Beato Cyrillo leguntur. *Porrò, vna dierum prope Montem Carmeli inuentus est piscis tam quantitatis immensæ, quam qualitatis inusitatæ: & cum plures interrogarent de piscis futuro prodigio, Beatus Cyrillus ait: Omnipotens Creator Deus sua voluntate creauit, sicut figulus ex luto quæcunque vult fabricat; imo longe præcelsius operatur quàm exprimi, vel excogitari poßit: qui nimirum omnia quæcunque voluit fecit, qui dixit, & facta sunt, quæcunque mandauit, & creata sunt: à quo omnes sapientiæ thesauri tanquam à Fonte originaliter emanant, vltra Angelici intellectus capacitatem. Cum igitur Angelica naturæ tanto inferior sit humana conditio, qua fronte, & qua temeritate homo ea scrutari præsumit, & ad vnguem exprimere laborat, ad quorum indagationem ipsi se reputant Angeli longe minores; & homines contendunt illum comprehendere, & verbis explicare, quæ nulla arte, vel capi poßunt, vel ingenio comprehendi: sicut enim incomprehensibilis est ipse, cuius maiestatem adorant Dominationes, tremunt potestates, sic & incomprehensibiles viæ eius.*

Ann. Christi 1211. Innocentij 3. Roman Pontif. 14. Friderici Imperatoris, vel Reg German. 1. Henrici Imper. Orient. 6. B. Brocardi General. 24

1 PLurium rerum varietate annus iste turbulentus valde describitur. Etenim Papa contra inuasores Patrimonij Sancti Petri classem submisit. Fridericus Imperator nominatus iuramentum fidelitatis Ecclesiæ fecit, priuilegia quoque illi concedens: Romam præterea, deinde Germaniam se contulit. E contra Otto, cum Appuliam, & Calabriam inuasisset, à Suffrido Moguntino Archiepiscopo excommunicatus, & ab Imperio depositus declaratus est. Excommunicatus etiam Ioannes Angliæ Rex à Papa fuit, quod Sacras ædes spoliauerat, beneficiorum Episcoporum, & Monachorum vectigalia exegerat, & Cantuariensem Archiepiscopum non reciperet. Sic fermè Annalistæ iuniores post vetustiores. Anni istius turbulentia.

2 Quæstio erat hoc tempore inter Templarios, ex vna parte, ac Teutonici Ordinis fratres ex alia, super gestatione palliorum alborum. Cum enim ea ab initio suæ institutionis Templarij detulerint, Teutonici nihilominus ea deferre gestiebant. Propterea Pontifex, Templariorum causam tuens, Teutonicis præcepit, vt suo habitu contenti prædicta alba pallia non portarent, Alberto Patriarchæ causam delegans. Innocent 3. epist. 125. & 126. ann. 13. Hæc nostris Annalibus annotatu digna sunt, vt inde perspiciatur, non nostrorum negligentia, aut desidia, factum esse, quod pallia alba, barratis dimissis, hoc tempore, prout sub Honorio Quarto fecerunt, deferrent; cum propria nostræ Religionis etiam ab Elia primo parente essent; sed id gessisse ne cum his militibus Templarijs, & Teuthonicis potentioribus litem excitarent. Controuers. inter milites.

3 Eodem insuper anno 1211. natiuitas fuit pro die tertia Decembris Franci Senensis nostri post Ordinis Sanctissimi cultoris, in Villa *Grotti* nuncupata sub Senensi dominio, nec procul ab ipsa Senarum Vrbe: parentibus, etsi humilibus, honestis tamen, & timoratis. Quem cum eniteretur parens Calidonia, sex ante partum horis, in somnijs quasi monstrum ex vtero egrediens, quod postea paulatim humanam resumebat figuram, cernere videbatur. Futurorum sanè præsagium, quod Francus primo horribilis bestia, ob fœditatem vitiorum, deinde homo speciosus, ob pœnitentiæ; & operum mirabilium venustatem futurus esset. Sic rei euentus comprobauit. Gregorius Lombardellus Dominicanus in *vita eiusdem B. Franc. cap. 1.* B. Franci ortus.

Ann. Christi *1212.* Innocentij *3.* Rom Pontif. *15.* Friderici Imperat. vel Reg. German. *2.* Henrici Imperat. Orient. *7.* Beati Brocardi Gen. *25.*

Victoria insignis. 1 Ræcipuum Catholicæ Ecclesiæ sub hoc anno negotium insignis victoria fuit, quam religiosissimi Hispani sub Alphonso Castellæ Rege contra Mahumetanos, Deo mirabiliter adiuuante, obtinuerunt. Cum enim Alphonsus damna Christianis à Sarracenis illata resarcire vellet, magno conflato exercitu, Summi Pontificis Innocentij fauoribus confortato, Paganorum ditionem inuasit, & acriter contra eos pugnans ducenta millia Maurorum vno prælio occidit, cum ex nostris viginti quinque solum desiderati fuerint. Hæc est celebris illa victoria *Triumphus Crucis* propterea nuncupata, pro qua solemne festum Catholica Hispania quotannis concelebrat. Mariana, & alij Hispaniarum Chronologi. Extat etiam huius Sarracenicæ cladis historia in epistola eiusdem Alphonsi Regis ad Papam, quæ est 180. inter epistolas Innocentij sub ann. 15. eiusdem. In qua tamen numerus occisorum ex Sarracenis minor describitur. Talis tamen saltem fuit, vt ab illo tempore Maurorum res semper in Hispania in peius processerint, donec, Deo dante, à Regibus posterioribus omnino ex ea eliminati fuerint. Ex Africa quoque eliminari potuissent, nisi Diaboli industria bella inter Christianos mota, impedimentum præstasent.

Ann. faustus. 2 Sicut autem hic annus toti Ecclesiæ ob præclaram, insignemque de Christi hostibus ab Hispanis reportatam victoriam, fælix, faustus, & boni ominis fuit, sic etiam Carmelitanæ Religioni gloriosus, & memorabilis iure censeri debet. Eo enim tempore, cum aliqui ex Carmeli Eremitis in Angliam venissent, Illustrissimæ illius Prouinciæ, qui postea innumeros virtute, doctrina, & generis claritate alumnos eiusdem Ordinis fæliciter produxit, prima principia, & fundamenta iecerunt. Balæus aliàs impius author in *Cathalogo Scriptorum Britanniæ, Centur. 3. in Appendic. ad Rogerium Crolandiensem*, & Thomas Scropus ab ipso relatus.

Monast. in Anglia. 3 Credunt etiam aliqui prima Ordinis Monasteria in Anglia hoc anno cepta, videlicet Alneuici, Aylesfordiæ, & Nevvedeniæ, per Dominos Ioannem de Vesci, Ricardum de Graye, & Thomam de Albuger, prædictis fratribus eò confluentibus exhortatoribus. Ita enim indicari videtur in Tabula Monasteriorum Angliæ, quæ extat in volum *Speculum Ordinis* nuncupato *fol. 60.* & fauet Thomas Dempsterius Scotus in *Apparatu ad Histor. Scotic. lib. 1. cap. 15.* Quia tamen alij, qui diligenter Anglicarum historiarum inuestigatores sunt, Balæus scilicet, & Ioannes Pitseus, primam Ordinis nostri Cœnobiorum constructionem non nisi ad annum 1240. referunt,

referunt, vt ibidem dicemus, ideo magis illis standum. Credimus tamen Eremitas nostros hoc annoin Angliam ingressos, ijs, vel alijs locis Eremitoria aliqua, aut humiles mansiones in Eremis sibi construxisse; formata autem Cœnobia vsque ad præfatum tempus non fuisse, ob varios præsertim Regis, & Regni, qui sub hoc anno grassabantur, tumultus, prout ex Balæo, & Scropo ab eo relato colligitur.

4 Etsi autem Monasteria sub hoc tempore primum ab his nostris Carmeli Eremitis Angliam accedentibus constructa non sint, non tamen propterea ipsorum aduentus inutilis, sed valde proficuus, imo & pretiosus toti Ordini merito æstimandus. Cum enim illorum piam, sanctamque viuendi rationem Simon ille StocK natione Anglus, & patria Cantius, de quo sub anno 1165. diximus, audire, & videre potuerit, eisdem diuino monitu coniunctus, & ab illis informatus, ipsorum institutum amplexatus est. Iamque ex caua quercu à qua StoKij cognomen accepit, egressus, Dei verbum annunciare, & plebis scelera taxare prosequebatur. Thomas Scroppus relatus, Balęus in *Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centuria secunda*, Munozius in Propugnaculo Eliæ *pag.* 315. Segerus Pauli in *Chronolog. vita S. Simonis.* B Simonis ingress. in Relig.

5 Quorumdam etiam Germanorum testimonio hoc eodem anno Herbipolensis Conuentus in Prouincia Germaniæ superioris primum exordium habuit. Sed anno 1252. id contigisse digniori testimonio Bartholomæi Hiselin eiusdem Prouincialis standum credimus. Nisi dicamus, hoc anno cæpisse Fratres nostros Herbipoli sine mansione certa commorari; anno tamen 1252. extructum ipsorum Monasterium. Herbipolen. Cœnobium.

6 De Conuentu quoque Perpiniani testimonium habeo R. P. Francisci à Sancta Maria, quod pro hoc anno initium habuerit. Quod idem refert de Conuentu Sanguessæ in Prouincia Aragoniæ. Perpinianen. & Sangossen.

7 Ecclesia etiam, & Monasterium, quod Fratres nostri Paduæ obtinent, hoc anno incępta, à Paduana Republica; concessa tamen primum quibusdam Monialibus sub titulo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis; cursu etsi temporis sub anno 1300. Monialibus sublata, & nostris Religiosis donata, habetur ex Angelo Portenario *de Paduæ fælicitate, lib.* 9. *c.* 29. Cum etiam adhærere videtur Segerus relatus. Vide alia sub anno 1300. Paduanum.

8 E contra vero in Terra Sancta Montis Thabor Elianum Monasterium ruinam perpessum valde timeri potest; Sarraceni enim eum Montem Castro firmauerunt, eo tempore, quo nedum ipsi Monasterio molesti esse poterant (nisi forsan, quia Græcæ Nationis ibi morantes essent tolerarentur) sed etiam Acconi, Carmelo, & alijs Christianorum habitationibus crebris incursionibus damna inferrent. Marinus Sanutus *de Secret. fidel Crucis, lib* 3. *par.* 11. *cap.* 5. epistola Innocentij Tertij apud Bzouium *sub anno* 1213. *num.* 18. Mót. Thabor

Ann.

Ann. Christi 1213. Innocentij 3. Roman Pontif. 16. Friderici Imperat. vel Reg Germ. 3. Henrici Imperat. Orient 8. Beati Brocardi General. 26.

Negotia Imperij.

1 Mperij negotia sub hoc tempore curam, & sollicitudinem ab Innocentio Papa exigebant. Cum enim Otto ea dignitate priuatus esset; ac Friderici Siciliæ Regis filio concessa, in Germania existens, de Principum consilio, priuilegia, & iuramentum fidelitatis Ecclesiæ præstitit. Vt propterea Aquisgranum profectus diadema Regni Romanorum ex formula solemni acceperit. Quia tamen aliqui Principes ipsi contradicebant, Pontifex eos per censuras Ecclesiasticas compescuit, vt Ottone relicto, Fridericum reciperent. Albigenses interea insolentiores erant, Petro Aragoniæ Rege illis fauente, vt propterea in prælio quodam occisus diem suum clauserit. Mariana, Bzouius, Gordonus, & alij.

Concilij indictio.

2 Indixit etiam eodem annô Summus Pontifex Concilium Generale Romæ apud Lateranum celebrandum pro anno 1215. in quo, & deprauati mores corrigerentur, Hæretici damnarentur, & Principes, ac Populi ad Sacram expeditionem pro Terra Sancta recuperanda adducerentur. Nuncios, & litteras per vniuersam Europam, Asiam, & Palæstinam destinans. Specialiter epistolam, quæ est *num. 36.* inter epistolas anni 16. ad Albertum Patriarcham misit. Primo admonens illum de proposito subueniendi Terræ Sanctæ in Concilio Generali ab ipso indicto. *Pium* (inquit) *& Sanctum propositum, quod de subuentione Terræ Sanctæ pro communi salute Deo inspirante concepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus literis ad vniuersas penè Christianorum Prouincias destinatis, quarum tibi transcripta dirigimus, intelliges manifestè.* Monet secundo, qualiter circa detestabilem nefandorum quorundam conuersationem curandam se gerere deberet. *Ne vero* (inquit) *detestabilis conuersatio quorumdam inhabitantium terram istam huius salutaris executionem propositi, aut impediat, aut retardet, cum Deum suis nefandis operibus non ad Indulgentiam prouocent, sed ad iram, charissimam nobis tuæ Fraternitatis prudentiam obsecramus in Domino, quatenus more prudentis medici ad lethalem eorum plagam curandam diuersis experimentis vtaris, eosque studeas ad veram pænitentiam reuocare.* Quæ quidem ideo exscripsimus, quia putamus aliquem ex his nefandis hominibus, quem de suis excessibus Albertus correxerat, ipsum gladio peremisse anno sequenti, vt ibidem dicemus. Scribit ipsi præterea, vt cum Nuncijs Apostolicis à se missis ad Soldanum Damasci, & Babiloniæ destinaret etiam alios viros prouidos, & prudentes, qui apud illum Papæ mandatum de Terræ Sanctæ restitutione promouere possent, his verbis. *Licet autem Saracenorum perfidia non consueuerit humilibus Christianorum precibus commoueri*

vt tamen

vt tamen ille nostram humilitatem respiciat qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; de virorum prudentum consilio diuinum præ cæteris timorem habentium, Soldanum Damasci, & Babiloniæ, qui hereditatem Christi detinet occupatam, Apostolicis prouidimus litteris humiliter præmonendum, secundum formam quam in ipsis litteris videbis expressam. Nam ex dispositionibus nostris auditis (quæ vtinam eum possent omnino latere) fortassis Omnipotens Deus suum in eum terrorem immittet, & benigne rogatus ostendet facere se spontaneum, quod durè compulsus facturum se putaret inuitum. Vnde volumus quatenus cum nuncijs nostris viros prouidos, & fideles ad eum facias destinari, qui apud ipsum nostrum studeant promouere mandatum. Quia tamen ex historijs Ordinis habetur, Beatum Brocardum ab Alberto in Damascum missum fuisse, vt habent Arnoldus Bostius in *Specul. histor, lib. 7. cap. 2.* & Palæonydorus *lib. 3. cap. 2.* & ante eos Thomas Bradlæus, alias Scropus *in oratione panegyrica*, nec tempus commodius appareat, ideo sub hoc tempore accidisse credimus. Præsertim, quia vt iste Bradlæus affirmat, Albertus ad Beatum Brocardum scripsit, *qualiter in Damascum pergeret ad Regem Syriæ, & postea pergeret cum eo Romam ad Lateranense Concilium*. Hallucinantur quidem Bostius, & Palæonydorus dum credunt hunc Soldanum *Saladinum* fuisse, cum tamen non fuerit nisi *Saphidinus*; cum iam ab aliquot annis Saladinus è vita migrasset. Cuius erroris illis causa fuit, errasse quoque in Alberto illo, à quo Brocardus mittebatur. Hallucinati quoque videntur tam Bradlæus, quam ipsi, cum pro treguis componendis missum fuisse Beatum Brocardum ab Alberto asserunt, cum Pontificis litteræ, quas inferius adducemus, non de treguis essent, sed de restitutione Terræ Sanctæ facienda; etsi possibile sit Albertum, qui ad Concilium Lateranense Romam venire desiderauerat, ne cum dispendio Terræ Sanctæ eius absentia esset, treguas interim componi, Brocardo, & alijs ad hoc missis, procurasse. Prout colligitur ex eadem epistola Innocentij, in qua concludit Pontifex ipsum monendo, quod si fieri posset absque graui dispendio Terræ Sanctæ, quantocius veniret ad Concilium; *tecum*, inquit, *ducens aliquos viros in consilio prouidos, & in commisso fideles, qui plenè nouerint circumstantias rerum, temporum, & locorum, quibus vndique circumspectis ad liberationem hereditatis dominicæ vtilius intendere valeamus.* Viderunt iam olim Patres nostri hanc Innocentij Tertij epistolam ad Albertum, ex ea coram Gregorio Nono probantes Regulam nobis datam esse ante Concilium Lateranense, si quidem qui illam tradiderat Albertus, ante ipsum Concilium, ad illud tamen ab Innocentio Papa vocatus, morte præuentus erat, & pro ipso Radulphus ipsius successor interfuerat Concilio. Tradit hoc Sibertus de BeKa in Tractatu de *considerat sup r Regulam* in Speculo Ordinis *lib. 8. cap. 5.*

3 Litteræ porro eiusdem Innocentij ad Saphadinum Soldanum Damasci, & Babylonis, quas Nuncij ipsius ab ipso missi, & Beatus Brocardus ab Alberto destinatus, ad ipsum detulerunt, sunt huiusmodi, ex Registro ann. 16. Pontificatus Innocentij epistola 36. *Nobili viro Saphadino* Litteræ Pap.

Soldano

Soldano Damasci, & Babyloniæ, timorem diuini nominis, & amorem. Deinde Propheta testante didicimus, quod est Deus in Cœlo, qui reuelat mysteria, mutat tempora, & transfert Regna, vt vniuersi cognoscant, quod dominatur Excelsus in Regno hominū, & cui voluerit dabit illud. Hoc autem euidenter ostendit quando Hierusalem, & fines ipsius in manus fratris tui tradi permisit, non iam propter eius virtutem, quam propter offensam populi Christiani Deum ipsum ad iracundiam prouocantis. Nunc autem ad illum conuersi speramus, quod ipse miserebitur nostri, qui secundum Prophetam cum iratus est non obliuiscitur misereri. Vnde illum imitari volentes, qui de se dicit in Euangelio: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, magnitudinem tuam humiliter obsecramus, quatenus ne, propter violentam detentionem præfatæ Terræ plus adhuc effundatur humani sanguinis, quam hactenus est effusus, saniori vtens consilio restituas ea nobis, de cuius detentione præter inanem gloriam forte plus tibi difficultatis, quam vtilitatis accrescit; ipsaque reddita, & dimissis vtrinque captiuis, quiescamus a mutuis impugnationum offensis. Ita quod apud te non sit deterior conditio gentis nostræ, quam apud nos est conditio gentis tuæ. Latores ergo præsentium ad tuam præsentiam destinatos rogamus, vt benignè suscipias, & honestè pertractes, dignum illis responsum tribuens cum effectu.

Quis effect. Legationis.

4 Quem tamen effectum sortita fuerit præcedens Legatio adhuc incompertum, tum ob mortem Alberti, quæ sequenti anno contigit, tum quia in historijs nihil de eo reperimus. Cum tamen per aliquot, etsi paucos, annos proximè sequentes, nihil notabile Turcas Syriæ contra Christianos egisse ex Marino Sanuto *de Secret. fidel. Crucis lib. 3. par. 11. à cap. 5.* colligi videatur, elici potest, Deum in Soldanum *suum immisisse terrorem*, provt Innocentius prædixerat, ac proinde per id tempus ab inferendo Christianis mala cessasse. Quæ tamen Bostius, & Palæonydorus, vt supra, eo tempore accidisse commemorant; cum maximè Beati Brocardi Sanctitatem commendent, omittenda non sunt. Videlicet: *Postulatus à Mamaluco Soldani, idest Vice Principe, leproso, & manibus contractione corrosis, pro remedio opportuno, perductum ad fluenta Iordanis, & baptizatum, fidelemque Christi nominis defensorem factum, duxit secum in Carmelum, vbi in habitu, & obseruantia Ordinis perseuerans migrauit ad Christum.* Idem habet ex B. Brocardi vitæ Scriptoribus Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmelitarum in vita ipsius*.

Perpiniani Conuentus.

5 Erat iam sub isto anno (vt videtur) Perpiniani in Cathalonia Ordinis nostri Cœnobium. Constans enim nostrorum traditio est Sanctum Franciscum Minorum Patriarcham Hispaniam peregrantem, ibi Hospitio exceptum extitisse; quem tamen sub hoc anno eò venisse testatur Vvadingus *Tom. 1. Annal. Minor. sub anno 1213. num. 60.* Nec mirum ab aliquibus etiam primum annis Conuentū iam erectum fuisse proferamus; cum Prior pro tempore ipsius, reliquos aliquos alios Cathaloniæ Prouinciæ in Capitulis præcedat, maioris antiquitatis Monasterij (provt moris in Ordine est) causa; atqui Petrælatense Cœnobium sub anno 1206. vt

ibi

ibi diximus, primò constructum esse authenticè constet. Haud leui ergo fundamento coniectari licet ante prædictum tempus Perpinianum Eremitas nostros iam excepisse. Vtut res fuerit (quæ ob crebras bellorum incursiones, quibus Archiuia perierunt, incomperta adhuc) Perpiniacensis hæc Domus, sicut vetustate, sic etiam nobilitate valde præstans est. Sub titulo enim Immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptionis, veluti sub fœlicitatis vexillo inter alia Ordinis Cœnobia Illustri nomini præfulget. Primum, sub eiusdem Sanctissima Conceptionis stemmate Scapularis Ordinis Confraternitas à multis in ea Ecclesia annis erecta Confratrum numero ex vicinis etiam populis, concelebratur. Originem sub anno 1344. Hermanagaldo Gubernatore, & Iacobo Abbate (Martino Aragoniæ Rege sub anno 1397. & 1401. confirmante, legesque, seu statuta condente) habujsse constat. Est in Ecclesia Sacellum Beatæ Virginis de *Vita* nuncupatæ, sacrum, pia deuotione à fœminis eius Prouinciæ, & Galliæ etiam post puerperium Virgini Matri fœtus, & denaria offerentibus frequentatum. Varijs etiam priuilegijs, & gratijs Summorum Pont. Ioan. 22. prętensi Benedicti 13. Greg. 13. & Pauli 5. decoratur. Maxime Martini Quinti priuilegio, instantibus Perpiniani Consulibus concesso, & Alphonsi 5. Aragoniæ Rege assensu præstito, fidelium cadauera in ea tumulantur. Inter alias quoque Sanctorum Reliquias, quæ in ea reuerenter coluntur, corpus Sancti Honorati Arelatensis Episcopi in subterraneo Sacello pretiosa Theca conditum, & caput in argentea alia à Benedicto Decimotertio in sua obedientia Fratribus grati animi ergo ob hospitij gratiam receptam donatu, miraculis, & populi frequentia, ac deuotione corruscant. Vnde pluribus tum sæcularium Societatibns, tum Nobilium sepulchris, ex familijs præsertim Castelnou, Cavelbell, Homs, Llupianes, Albertos, Pelliceres, Joude, Villaclara, Saragut, Banes, Baget, Ortasanes, & alijs, Templum mirificè illustratur. Regum quoque fauoribus, & gratijs, præsertim Iacobi Maioricæ, Petri Aragoniæ, Iacobi Aragoniæ, & Ioannis etiam Aragoniæ. Plures proinde, eosque sanctitate, doctrina, aut dignitate præclaros filios sacra hæc Perpiniacensis Domus enutriuit. Quorum clariores, & de quibus suis locis dicetur, sunt, Guido de Terrena, totius Ordinis Generalis, Episcopus postmodum Elnensis, & Maioricensis, Ioannes de Campolongo Elnensis Episcopus, Iacobus Barral, Bartholomæus Payrus, Iacobus Fabra, & Hieronymus Ochon; etiam Episcopi, Petrus Riu, & Antonius Pusol, doctrina Illustres, Angelus Alimon, Angèlus Ros, & Petrus de Prietibustortis Conuersus, vita, & meritis insignes.

Ann. Christi *1214.* Innocentij *3.* Rom Pontif. *17.* Friderici Imperat. vel Reg. German. *4.* Henrici Imperat. Orient. *9.* Beati Brocardi Gen. *27.*

Gesta Innocentij Papæ

1 Nter præcipua Innocentij Tertij sub hoc anno gesta illud referendum, quod Iacobum puerum Aragoniæ Regem Petri occisi filium, quem Simon Mons fortius educandum susceperat, Aragonijs reddi fecerit, vt propterea in Regem solemni cœremonia inaugurari potuerit. Imperatorem etiam Constantinopolitanum coercebat Pontifex, qui Patriarcham ex loco suo excluserat, & in partem sinistram ad pedes eiusdem Imperatoris collocari statuerat. Expertus etiam est hoc eodem anno Otto Imperator Occidentis, quantum sibi mali attulit à Pontifice reprobatum fuisse; contra Philippum enim Francorum Regem pugnans infęliciter magna cum suorum clade aufugere cum suis proceribus fuit coactus. Fridericus autem Romanorum Rex suis rebus constabiliendis non deerat, & Philippi victoria contra Ottonem vsus, Vrbes sibi rebelles ad deditionem, & Ottonem ipsum ad veniam petendam coegit. Bzouius, & alij recentiores post veteres Chronologos.

Obitus B. Alberti.

2 Accidit hoc anno pretiosa Beati Alberti Patriarchæ Hierosolymitani mors. Tradunt Marinus Sanutus Torsellus in *lib. Secretorum fidel. Crucis lib 3. par 11. cap. 5.* Bernardinus Corius *in historia Mediolanensi sub hoc anno*. Ioannes Balæus in *Cathalogo Scriptorum Brittann. Centuria 3. in Appendic. ad Gualterium Morganium*, &, quod magis, Tabulæ Ecclesiæ Vercellensis hisce verbis: *Decimo octauo kalendas Octobris 1214. Indict. xj. præsenti die de carnis ergastulo egressus est fęlic. memoriæ Venerabilis Pater, & Dominus Albertus Hierosolymitanus Patriarcha, huius Ecclesiæ quondam Episcopus, Deo, & hominibus dilectus, &c.* Vbi etiam inferius quo genere mortis interierit, sic exprimitur: *Diabolicus quidam vir de loco Caluxij Epondiensis Diœcesis, quem idem Pater de suis excessibus corrigebat, eumdem venerabilem virum Pontificalibus indutum, & in hac die gloriosæ Exaltationis Sanctæ Crucis in Ecclesia Sanctæ Crucis Ciuitatis Acconensis, processionem cum Clericis solemniter agentem, cultello petijt, & occidit, & sic gloriosus Pater per Martyrij palmam ex hac vita migrauit.* Ex quo haud temerè, vt supra, elicimus, propterea ab isto nequam percussum Albertum, quod ipsum, iuxta Innocentij Pontificis monita, ob sui execrabilem, & nefandam conuersationem, reprehenderat. Hinc eumdem Albertum, vt Christi Martyrem, celebrant Tabulę Vercellarum Ecclesiæ verbis relatis, & Philippus Ferrarius in *Cathalogo Sanctorum* sub eadem die.

Cultus an illis debitus.

3 Cultum tamen Sancti, vel Beati, eidem Alberto debitũ multa suadent. Id constat primó, ex immemoriali vsu Religionis. Cuius euidens testimonium

nium habetur ex antiquo Missali Carmelitano in Bibliotheca Transpontinæ de Vrbe reperto, & anno 1509. Venetijs Typis excusso, in cuius Kalendario 8 die Aprilis sic habetur: *Alberti Episcopi, & Confessoris Hierusalem, Ordinis Carmelit.* In quo primo notandum, verbum *Hierusalem*, quo denotatur ex vsu Hierosolymitanæ Ecclesiæ hoc Officium, seu Missam celebrari, sicut ad idem denotandum, idem verbum *Hierusalem* additur in eodem Kalendario Sanctis Mathiæ Episcopo, Alexandro Episcopo, & Martyri, & Marco etiam Episcopo, & Martyri. Secundo, quod in eodem Missali in principio Rubricarum sic dicitur: *Incipit Ordinale Missarum Fratrum Sacri Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, extractum, & excerptum de approbato vsu Dominici sepulchri Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, in cuius finibus dictorum Fratrum alma Religio sumpsit exordium.* Ex quibus habet videtur Missam, seu Officium de Beato Alberto Patriarcha, desumpta ex vsu Dominici sepulchri Hierosolymitani: & cum Missale hoc à 145. annis fuerit impressum, elicitur vsu immemoriali (qui centum annis comprobatur) Ordinem nostrum Beatum Albertum vt Sanctum, seu Beatum Missa, & Officio coluisse. Idem, & eodem modo habetur in alio Missali nostro in eadem Transpontinę Bibliotheca reseruato, & anno 1551. Venetijs impresso, quod etiam ex vsu Ecclesiæ Hierosolymitanæ depromptum dicitur. Idem dicimus de alio quoque Missali Lugduni 1556. In Breuiario etiam peruetusto Ordinis membranis manuscripto in eadem Transpontinæ Bibliotheca habetur in Kalendario pro septima dio Februarij festum Sancti Alberti Episcopi, & Confessoris. In Constitutionibus quoque antiquis Ordinis sub ann. 1524. Venetijs impressis in Regula ab Alberto nostris data *Beati* titulus eidem est præfixus.

4 Secundò, ex Capitulo generali Romæ in Conuentu Sancti Martini in Montibus celebrato anno 1564. vbi in §. de *Cultu Diuino* statutum est hoc Decretum: *Sancti Ordinis nostri redigantur in Catalogum, seu Kalendarium Sanctorum, & de illis fiat Officium duplex.* Ex vi cuius Decreti, & ad normam ipsius Romæ eodem anno formatum est Kalendarium Ordinis, & impressum apud Impressorem Cameralem, in quo die octaua Aprilis sic habetur: *Alberti Episcopi, & Confessoris Carmelitæ duplex.* Additurque *Hierusalem*, quo, vt diximus, verbo, absdubiè ferè notatur ex antiquo vsu Hierosolymitanæ Ecclesiæ Officium S. Alberto ipsius Patriarchæ celebrari. Cum autem prædictum Kalendarium, Romæ, & apud Cameralem Typographum, vt dictum est, Typis mandatum sit, proculdubio, sensu, & assensu Sedis Apustolicæ; auspicijs maximè Sancti Caroli Borromæi tunc temporis Ordinis Protectoris, & Pij Quarti regnantis Nepotis, id factum credi potest; quod tacitam Apostolicæ Sedis facultatem importat. Ex Capitulo Romano.

5 Tertiò, nam sub fœlic. recordation. Vrbano Octauo, Sacra Rituum Congregatio anno 1628. die 12. Iunij approbauit Officia Sanctorum Ordinis nostri ab Eminentissimo Cardinali de Torres recognita, Ex S. Congregatione.

 & sub-

ſcripta: inter quæ pro eadem die octaua Aprilis feſtum eiuſdem Beati Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani habetur. Ex quibus conſtat prædictum Beati Alberti Officium, præter immemorialem vſum Religionis ſupra cétum,& quadraginti annos,ex antiquiſſimo Hieroſolymitanæ Eccl. vſu, vt diximus, pro ſui etiam firmitate, & confirmatione habere, tum tacitum Sedis Apoſtolicæ conſenſum ſub Pio Quarto ex Decreto Generalis Capituli Romæ anno 1564. celebrati; tum expreſſam ipſius Sedis Apoſtolicæ facultatem ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum ſub præfato Vrbano.

Ex communi Eccl. ſenſus. 6 Quibus accedit quaſi communis ſenſus Eccleſiæ, qui prædictum Beatum Albertum noſtræ Authorem Regulæ, vt Sanctum veneratur. Quod conſtat primò,ex Martyrologio Ioannis Molani in additionibus ad Vſuard. ex nouiſsima editione Antuerpiæ anno 1583. vbi 6. Idus Aprilis habetur. *Item Beati Alberti Patris Ordinis Carmeli Epiſcopi, & Confeſſoris Hieroſolymitanæ Eccleſiæ*. Vbi aduertendum Curſiuo, & Italico Charactere, & ſine vlla nota, aut ſigno hæc ſcripſiſſe Molanum; quo denotatur indubiæ apud ipſum authoritatis eſſe, vtpotè *ex veterum Scriptorum, & Sanctarum Eccleſiarum Martyrologijs*, vt ipſe loquitur in *Epiſtola ad Lectorem* §. 9. addita. Quæ enim minimo Charactere, non Curſiuo, & Italico hic Author adiunxit (vt & ipſe teſtatur in eadem Epiſtola §. 11.) grauioris authoritatis, vel dignitatis non ſunt, ſed aliena fide appoſita.

Ex Ferrario 7 Hinc conſequenter ſecundo, Philippus Ferrarius Ordinis Seruitarum Generalis, ac de Sanctorum vitis optimè meritus *in Cathalogo generali Sanctorum* ſub decimo octauo Kalendas Octobris, ſic de noſtro Alberto, ſub Epiſcopi, & Martyris titulo loquitur. *Ptolemaide in Palæſtina Sancti Alberti Epiſcopi, & Martyris*. Et in annotationibus ſic habet: *Primum Epiſcopus Vercellenſis fuit, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus, hic Carmelitis Regulam præſcripſiſſe fertur. Cum Ptolemaide autem Sacris indutus, vt celebraret, à quodam quem reprehenderat occubuit, &c.* Quibus nedum vt Confeſſorem, & Epiſcopum,ſed vt Martyrem etiam noſtrum veneratur Albertũ.

Ex Ginio. 8 Hinc etiam tertio, Conſtantinus Ginius Senenſis Canonicus Regularis Sancti Saluatoris in libro, cui titulus *Sanctorum Canonicorum natales*, in fine, ex Ioanne Nigravalle refert Albertum noſtrum Patriarcham Solymitanum inter ipſos. Dicit tamen ex eo in corpore libri,de ipſo,ſicut de alijs non feciſſe mentionem, quia dies, & acta ipſorum ignorabat. Nos autem, qui Alberti geſta, diemque mortis nouimus, cum Conſtantino Sanctum credimus, & in corpore noſtri libri, reponere non recuſamus.

Ex Manerbi. 9 Hinc quoque quartò, in Kalendario appoſito legendæ Sanctorum Nicolai Manerbij, nomen, & feſtum Beati Alberti inter alios Diuos reponitur.

Ex Summis Pontificibus 10 Accedunt teſtimonia Summorum Pontificum Beati Alberti Sanctitatem probantia, ex quibus Innocentius Tertius mira de Alberto viuente in

re in Diplomatibus ad ipsum directis, de quibus inferius, dixit. Clemens 8. deinde *in Epistola ad Scihabam Regem Persarum*, missionem Pauli Simonis, & Ioannis Thadæi Regi commendans, hæc inter alia pro Beati Alberti sanctitate exarata descripsit. *Habuerunt olim Religionis huius Professores, sicut à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui instituti Authores Sanctos Prophetas Eliam, & Eliseum, omnibus nationibus, & gentibus notos, & à Beato Alberto Patriarcha Hierosolymitano magni nominis viro, proprias Regulæ Constitutiones acceperunt.* Habetur hæc Epistola in *Historia Pontificali* Doctoris Babiæ, & in *Historia Prophetica* à Reuerendo Patre Francisco de Sancta Maria *lib. 1. cap 10.* Ex ea autem infertur nomen Beati iure Alberto nostro competere, vtpotè à Summo Ecclesiæ Capite, & Christi Vicario, concessum.

11 Mira tamen sunt, & singularia, quæ Summus Pontifex Innocentius Tertius Alberto nostro scripsit, vt eum ad accipiendum Hierosolymitanum Patriarchatum induceret. Constant ex Bulla eiusdem Innocentij anno septimo Pontificatus, quam vidisse testatur Ioannes Ferrerius, nosque vidimus in Registro anni 7. *pag.* 175. *Bulla* 222. Et ex vita eiusdem Innocentij Tertij in Manuscripto Vaticani Bibliothecæ seruato, ex Archiuio Auenionensi, ex quibus aliqua referimus, quorum partem etiam Ferrerius descripsit: *Illustris Rex Hierosolymitanus consensum præstitit, & Archiepiscopi, & Episcopi consenserunt per suas nobis litteras supplicantes, vt te non solum inducere, sed & cogere dignaremur, vt postulationi eorum humiliter consentires.* Pontifex his verbis satis ostendit, quanti apud Regem, & Prælatos Palæstinæ Alberti sanctitas fuerit: quanti vero apud ipsum Innocentium, sic: *Licet autem valde nobis necessarius sis in partibus Lombardiæ, vtpotè cui securè in arduis etiam negotijs committimus vices nostras, propter vrgentem tamen Ecclesiæ necessitatem, non solum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed etiam totius Orientalis Prouinciæ, &c.* Et paulò post: *Nec tu tam ad honorem aßumeris, quam ad onus, cum Ecclesia illa hodie plus habeat oneris, quam honoris.* Insuper quã piè, & sanctè, pium, & sanctum Albertum, pius quoque Pontifex ad subeundum onus Patriarchale alliciat ex ipsis verbis demonstratur. *Numquid ergo tuo te factori negabis, vt recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire, quam ipse suo sanguine consecrauit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, numquid non adibis hæreditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui pro te disposuit forsitan in terra peregrinationis, & prædicationis suæ semen Euangelicum propagare? Absit, vt labores, timores, & dolores euites; paupertates, anxietates, & necessitates effugias, ne subeas onus illud, ad quod es Diuina dispositione vocatus. Absit, vt pro eo labores euites, qui pro te per Prophetam se asserit laborasse dicens in Psalm. Laboraui sustinens; & de quo Euangelista testatur, quod hora quasi sexta sedebat super puteum ex itinere fatigatus. Absit, vt pro eo dolores euites, quem pro te non dubitas doluisse, iuxta quod ipse aßerit in Propheta: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus; & qui de se ipso in Euangelio protestatur; Tristis est*

Ex Innoc.3.

Anima

Anima mea vsque ad mortem. Absit vt pro illo timores euites, qui de se legitur in Psalmo dixisse: Timor, & tremor venerunt super me: & de quo in Euangelio legitur, quod cœpit pauere, & tędere. Absit, vt pro eo effugias paupertatem, qui pro te pauper factus est, iuxta quod asserit in Propheta; Pauper, & dolens sum ego: & in Euangelio; Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Absit vt pro eo anxietates effugias, in cuius persona loquens Propheta, sic ait: Anxiatus est in me Spiritus meus, & in me turbatum est cor meum, & qui asserit de se ipso, Baptismo *habeo baptizari, & coarctor donec perficiatur. Absit, vt pro eo necessitates effugias, qui pro te, vt alia taceamus, se in famis, & sitis necessitatē induxit, iuxta quod legitur in Propheta: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto; & sicut de eo Euangelista testatur: qui cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esurijt, & cui cum clamasset in Cruce, Sitio, acetum, siue vinum myrrhatum, siue etiam felle mixtum Crucifigentium dextera propinauit.* Quæ pia verba interim alia omittentes, pij Alberti Sanctitatis opinionem apud Summum Christi Vicarium satis commendant. Sicut & sequentia, quæ in eodem Manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ de vita Innocentij Tertij sic subiunguntur: *Ipse vero Vercellensis Episcopus humiliter acquiescens ad Apostolicam Sedem accessit, et in Patriarcham promotus, non solum pallij ornamentum accepit, verum etiam officium Legationis promeruit per quadriennium in sua Prouincia exequendum, Ianuamque profectus, inde in Syriam nauigauit.*

Commendatio B. Alberti.

12 Commendat præterea Beati Alberti sanctitatem, & merita, quod in prædicto antiquo valde Manuscripto de vita Innocentij Tertij dicitur, nempe, quod cum Cardinalis Sanctæ Praxedis Legatus in Syria, Patriarchatum, ad quem à Canonicis Sancti Sepulchri postulatus fuerat, non acceptaret, & Summus Pontifex misisset, vt inducerent, sed non cogerent, illo nolente: *Conuenerunt omnes* (sic ibi dicitur) *in Vercellensem Episcopum, virum vtique vita, et scientia, et fama præclarum.*

Alia.

13 Quæ tamen efficacius Beati Alberti insignem Sanctitatem, meritaque præclara demonstrant, vt vel ipsis solis iure Ecclesiam officium Canonicum, & cultum Sancti tribuisse, dici possit, sunt sequentia, ex Tabulis Ecclesiæ Vercellencis, verbis quidem minus elegantibus, fide tamen dignissimis, deprompta; prout retulit Ioannes Stephanus Ferrerius eiusdem Ecclesiæ Episcopus. *Decimo octauo Kalendas Octobris Millesimo ducentesimo quarto decimo, Indictione vndecima, pręsenti die de carnis ergastulo egressus est felic. memoriæ Venerabilis Pater, & Dominus Albertus Hierosolymitanus Patriarcha, huius Ecclesiæ quondam Episcopus, Deo, & hominibus dilectus, cuius suauitatis memoriam eructare, licet minus idonei, et sufficientes simus: ne tamen viri tanti claritudo per taciturnitatis disidiam generationi ventura in obliuionem deueniat, pauca de vita, moribus, actibus, & fine glorioso ipsius summatim perstricta, huic paginæ duximus inserenda. Fuit igitur vir Domini memoratus de Castro Gualterij Parmen. Diœcesis, nobili prosapia ortus; qui ab ineuntis*

ætatis

ætatis suæ primordijs litterali militiæ mancipatus in liberalibus disciplinis, & humanarum Legum scientia coæuos suos breui tempore antecessit. Cæterum ne inquinaretur à pice, si tangeret eam, vale facto mundo, & pompis eius, ad Ecclesiam Mortariensem tanquam ad salutis portum cum parentibus confugit, vbi cum iam Regularibus disciplinis diuinæ legis intelligentia non modicum fuisset instructus, atque in Priorem ipsius Ecclesiæ electus, ne lucerna eius amplius sub modio tegeretur, sed in domo Domini super candelabrum exaltata cæteros illustraret, de ipso Prioratu ad regimen Bobien. Episcopatus fuit violenter adductus. Inde, paucis euolutis annis, antequam consecrationis munus reciperet, cum ingenti alacritate Cleri, & Populi, postulatus est in Episcopum Ecclesiæ Vercellen. Quam per viginti ferè annorum curricula viriliter gubernans, tam spiritualium, quam temporalium profectu, eamdem mirabiliter augmentauit. Cum enim esset humilis in habitu, parcus in victu, corpore castissimus, in eleemosynis largus, in officio Diuino assiduus, in prædicatione faeundissimus, Clericorum, & Laicorum mores verbo, & exemplo miro modo composuit, & ad frugem melioris vitę adduxit. Cumque sensu profundus esset, consilio prouidus, sermone splendidissimus, constans in actu, & vtroque Iure peritus, à grandi alieno ære ipsam Ecclesiam quantocius liberauit, possessiones auxit, ædificia construxit, & iura illibata defendit. Inter sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & Imperium fidelissimus extitit Mediator: vnde tam Summus Pontifex, quam Imperator priuilegio amoris ipsum super alios Episcopos diligebant, præsertim Illustris Imperator Henricus filius inuictissimi Cæsaris, cuius gratiam deuotionis obsequijs in tantum promeruit, vt nobilissimum Castrum Veruchæ huius Ecclesiæ, quod tenebat, sibi liberaliter restitueret, ac sinceram eius deuotionem magnis, & pretiosis muneribus munificentia imperiali donaret. Verum, vt fulgur, quod exit ab Occidente, & paret vsque in Orientem tanti viri gloriam constitueret in excelso ab Orientali Clero, & Populo in Hierosolymitanum Patriarcham fuit vnanimiter postulatus, & per Dominum Papam Innocentium Tertium, vt illo iret coactus. Vbi dum per octo annos tam sanctè, & laudabiliter vixisset, vt non solum à Christianis, qui eum tanquam Patrem sanctissimum diligebant, verum etiam à Sarracenis, & Paganis in reuerentia magna, & veneratione haberetur, diabolicus quidam vir de loco Caluxij Epondien. diœcesis, quem idem Pater de suis excessibus corrigebat, eumdem venerabilem virum Pontificalibus indutum, & in hac die gloriosa Exaltationis S. Crucis, in Ecclesia Sanctæ Crucis Ciuitatis Acconen. Processionem cum Clero solemniter agentem cultello petijt, & occidit. Et sic gloriosus Pater, per Martyrij palmam ex hac vita migrauit. Prius enim huius Ecclesiæ quondam Sponsæ suæ memor pretiosis eam donarijs honorauit, videlicet candidis sericis paramentis ad indumenta Pontificalia facienda, scilicet Planetam, Pluuiale, Dalmaticam, Tunicellam: item Cathedra deaurata ad vsum Episcopi: insuper duobus Vrceolis christallinis auro, argentoque decoratis, & Bacila cum vrceolo magno, & baculis de christallo ornatis ad vsum Cantorum.

14 Demum nostrum Albertum anno 1189. in liberatione cuiusdam Parmensium Dominæ, quæ fuerat à quinque Dæmonibus obsessa, claruisse, Gesta alia B. Alberti.

se,

se, legitur in Kalendario veteri Ecclesiæ Vercellensis, & Tabulis ipsius apud Ioannem Stephanum Ferrerium in vita Sancti Eusebij, & Episcoporum Vercellensium *pag.* 178.

An Martyr. 15 Ex quibus habetur Beati Alberti vitam, sanctitate, & meritis sic præclaram fuisse, vt non modo *Sancti* Episcopi Confessoris, sed & Martyris etiam cultum (prout ex prædictis Tabulis, & Philippo Ferrario in suo Cathal. Sanctorum sub eadem die, elicitur) promeritam fuisse, piè credatur. Causam vero quare ab impio illo occisus sit, non obscurè habemus, cum ex Tabulis prædictis, tum ex Bulla eiusdem Innocentij Tertij Pontificatus anno decimo sexto, quam nos in Registro vidimus *pag.* 144. Bulla 34. vbi sic Pontifex. *Ne vero detestabilis conuersatio quorumdam inhabitantium Terram Christianam huius salutaris executionem propositi, aut impediat, aut retardet, cum Deum suis nefandis operibus non ad indulgentiam prouocent, sed ad iram.* Quo clare innuitur ideo gladio percussum, & occisum à scelerato isto Albertum fuisse, quia eius detestabilem conuersationem, & opera nefanda pius Pastor corrigeret, quod ad Martyrij rationem sufficere posse non incongruè dici potest. Licet in eo Ecclesiæ S. R. responsum iure expectari debeat.

Commendatio ipsius. 16 Hinc ab innumeris alijs penè authoribus *Sanctæ*, vel *sanctissimæ* vitæ, *Sancti*, vel *Beati* titulo, aut simili decoratur. Etenim à Trithemio de Scriptoribus Ecclesiasticis vocatur *Vir doctus, atque Sanctissimus*. A Sixto Senensi in Bibliotheca *Vir Sanctitatis, atque doctrinæ* admirandæ. Garibai in Historia Hispaniæ *lib.* 12. *cap.* 28. eum appellat *Persona de muchas letras, y sanctidad.* Hieronymus Roman. *in Defensorio* 2. *pag. cap.* 9. & in Cathalogo eorum, qui Regulam Sancti Augustini profitentur, Ioannes Carthagena *t.* 4. *homil. lib.* 17. *hom.* 3. Augustinus de Hinojosa *in Concione de Beatificatione Sanctæ Theresiæ*, D. Episcopus Sancius Dauila in *simili concione*. Marcus Antonius Miraual etiam in alia, Manuel Rodriguez 2. *t. quæst. Regular. quæst.* 96. *art.* 7. Ioannes Marquez *de orig. Ordin. Sancti August. c* 20. §. 3. eum nuncupant *Sanctum*. Ioannes Rioche in *Compend temp. tit. de sacris Doctoribus cap.* 52. dicit Albertum fuisse *Virum doctum, & Sanctum*. Didacus de Yepes Episcopus Tarraconen. in vita Sanctæ Theresiæ ipsum *Beatum* appellat; quod etiam facit Abraham Bzouius in *Annalib. ann.* 1217. *num.* 12. cum alijs, quos omittimus.

Cur non colitur à Eccle. Vercell. 17 Si dicatur cur Ecclesia Vercellensis de alijs Episcopis ipsius festum agens B. Albertum non colit? Dicimus huius negligentiæ forsitan causam fuisse quod extra Episcopatum Vercellensem, in Patriarchatu scilicet Hierosolymitano, è vita decesserit. Deinde dicimus, Illustrissimum, & Reuerendissimum Dominum Iacobum Gorium modernum Vercellarum Episcopum prædecessorũ negligentiam corrigere volentem, proximis his annis petijsse à Sacra Congregatione Rituum Eminentissimorum Dominorum Cardinalium, *licere sibi addere officijs proprijs Ecclesiæ, & Diæcesis suæ Officium Sancti Alberti Episcopi, & Confessor. qui de Episcopo Vercellarum factus*

Patriarcha

Patriarcha Hierosolymitanus primam Regulam composuit, & dedit Carmelitis, qui propterea illius Officium de Communi recitant sub duplici ritu. Ad quod respondit Sacra Congregatio: *Doceatur, quod Sanctus Albertus fuerit Episcopus Vercellarum.* Quod cum euidenter constare posset ex dictis, intentum suum idem Illustrissimus habere potuit: etsi an de facto habuerit mihi nondum constat.

18 Sunt qui asserant, præfatum Albertum nostri Ordinis Professorem fuisse. Inter quos primus est egregius Doctor Baptista Mantuanus *in Apolog. pro Carmelit.* quem alij minoris notæ secuti sunt. Verumtamen, cum ex Tabulis Ecclesiæ Vercellensis supra relatis, in quibus ferè ab incunabulis ipsius vita describitur, nihil de Carmelitani Ordinis professione habeatur. nec antiquiores nostri historici, vt sunt Beatus Cyrillus, Guillelmus de Sannico, Sibertus de BeKa, Ioannes de Malinis, Ioannes de Cimineto, Bacconius, Vineta, Grossius, Ribbotus, & Palæonydorus, qui de ipso, & Regula ab ipso data locuti sunt, aliquid de hoc dixerint; ideo in Alberto hallucinatum credimus doctisimum Mantuanum, illum Bethlehemiticum; de quo *sub anno* 1176. diximus, & de quo potiori iure Ordini nostro ascribendum putamus, cum vero Hierosolymitano Patriarcha Alberto, & Regulæ nostræ Legislatore confundentem, vel pro vno, & eodem Antistite vsurpantem. Facilius creditu est post Patriarchatum assumptum, quantum muneris iniuncti occupationes permittere possent, cum Beato Brocardo, eiusque alumnis in Acconensis Cœnobio, vel in ipso Carmelo per aliquod tempus conuixisse Albertum, vigente forsan persecutione illius, seu fautorum ipsius, cuius gladio percussus interijt, iuxta dicta superius, vel cuiusdam intrusi Patriarchæ Græcorum fraude intrusi. Sic enim colligitur ex Munozio in *Propugnaculo Eliæ pagina* 313. & Segero Pauli in *Chronolog. S. Simonis circa ann.* 1210. Ad similitudinem san. Thomæ Cantuariensis, Vldarici Augustini & aliorum.

An fuerit Carmelita:

19 Eodem etiam anno, qui 28. ætatis SS. Angeli, & Ioannis fratrum erat, Hierosolymam Sacros Ordines suscipiendi causa missi, in itinere ea mirabilia patrarunt, quæ Enoch Patriarcha ipsorum vitæ historiographus cap. 8. sic testata reliquit: *Nicodemo vita functo, Honuphrius societatis Cœnobitarum Sancti Basilij Professor, vir Sanctitate eximia, in Patriarcham eligitur. Et interim superuenientibus, quæ celebria sunt Natiuitatis ieiunijs, Hieremias Montis Carmeli Prior, Angelum, Ioannem, Zebedæum, & Tadæum Cœnobitas egregij nominis, & spectatæ Sancticatis ad suscipiendos Ordines Sacros promouet. Et propterea Hierosolymam mittit. Quo circa Prioris benedictione humiliter accepta, sese alacres itineri accingunt, vbi vero ad Iordanis ripam perueniunt, nimia defluentium aquarum excrescentia flumen exundare conspiciunt, adeo vt demersa Schapha, plurimi, qui ad alteram fluuij ripam traijcere cupiebant, frustra ibi morari cogerentur. Quibus in vnum coactis, Angelus sic ait: Viri fratres, vos præcipue, qui regenerationis Charactere signati estis, nunc precor reuocate animos, &*

De SS. Ang. & Ioanne.

Deum vera fide credentibus benignum, & exorabilem sperate. Ipse enim Omnipotens: nec abbreuiata est manus eius, vt mirabilia faciat. Orate igitur fratres, vt diuino digni munere, nunc effici mereamur, & flumen pertrasire valeamus. Quibus dictis, nuda terra apponens genua, atque Orientem versus faciem dirigens, iunctis, & extensis vtrisque manibus, & oculis in cælum eleuatis, tota simul cum multitudine dimidiam horam, vel circiter orauit: post modum ad flumen se conferens, dixit: O flumen verè sanctum, quod Dei mandato meatus tuos retrorsum conuertisti, & populum electum siccis pedibus transire permisisti, ac D. N. I. C, in Baptismo recepisti, per signum, quod in te fecit Sanctus Pater Elias præsente Eliseo ad Paradisum per turbinem, profecturus; & per virtutem Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, atque per merita Sanctorum Prophetarum, necnon per obedientiam nobis impositam, siste, & comprime cursum tuum, vt nos omnes spiritu, & aqua regenerati, illæsi transire valeamus. His dictis, flumen (dictu mirabile, & longe mirabilius visu) parte inferiori cursum velocissimum retrofecit, superiori vero, seu aquarum planities, instar firmissimi montis stetit; atque ita omnes, tuti, illęsique, pedibus siccis, pertransiuere. Hoc miraculum tota Regione vulgatum, multis tum improbis conuersionis ad pœnitentiam tum Agarenis, Habreisque reductionis ad fidem causa fuit. Verum Angelum quanto magis Dei benignitatem erga se, & gratiam cognoscebat, tanto se humiliorem præstabat, tantoque ardentius Christianæ pietati, & orationibus exhibebat. Venit tandem cum socijs Hierosolymam, & à Sancto viro Honuphrio, Sacros Ordines incredibili humilitate, & deuotione suscepit. Erant autem Angelus, & Ioannes tunc Sacerdotij dignitatibus sublimati, vigesimum, & octauum annum nati.

Cur Hierosolymam petierint.

20 Ordines porro Sacros Hierosolymam suscepturi venerunt Angelus, & Ioannes cum socijs; tum deuotionis erga Sancta Christi loca ergo, ea videlicet inuisuri; tum quia proprium ipsorum natale solum; tum quia, vt diximus, eo anno è viuis sublatus fuerat Albertus Latinorum Patriarcha; tum demum, quia cum è Syris essent, Syrorum more à proprijs, licet Catholicis Patriarchis, promoueri iure exigebant. Adeundi autem licentiam à Hieremia Priore acceperunt, vel quia Beatus Brocardus à Carmelo in alijs Ordinis locis, aut negotijs absens esset, visitationis forsan causa, vel quia cum esset solum Generalis Prior Ordinis, non tam ad ipsum, quam ad immediatos Prælatos, qualis Hieremias erat, licentiam pro Ordinibus Sacris suscipiendis dare (provt etiam his temporibus moris est) spectare videbatur.

Anno

Ann. Christi 1215. Innocentij 3. Roman. Pontif. 18. Friderici Imperat. vel Reg Germ. 5. Henrici Imperat. Orient 10. Beati Brocardi General. 28.

1 CElebris hic annus in Ecclesia Dei fuit ob duodecimum Concilium generale Lateranense, quartum Magnum vocatum, sub Innocentio Tertio, celebratum à Patribus, plus mille ducentis octoginta; quorum septuaginta erant Archiepiscopi, quadringenti Episcopi, vndecim, vel duodecim Abbates, & octingenti Priores Conuentuales. Patriarchæ etiam Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, necnon deputati Alexandrini, & Antiocheni, simul cum Legatis, & Oratoribus Imperatorum, & Regum. Genebrardus, Honuphrius, Coriolanus, Gualterus, & alij. Concilium Lateranense.

2 In hac autem Synodo, præter multa fidei dogmata sancita, quorumdam errores damnatos, aliaque pro bono Ecclesiæ regimine statuta, & decreta, specialiter quoad Religionum diuersitatem, quod ad nos spectat, *cap.* 13. sic decretum fuit: *Ne nimia Religiosorum diuersitas grauem in Ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero nouam Religionem inueniat, sed quicunque voluerit ad Religionem conuerti, vnam de approbatis sumat. Similiter qui voluerit domum de nouo fundare Regulam, & institutionem accipiat de approbatis.* Quod Concilij decretum nostri Ordinis institutioni nihil nocuisse, quin potius robur, & firmitatem adiecisse, ex dicendis, etsi breuiter, id constare poterit. Concil. decr.

3 Duo ergo ex hoc decreto ad nostrum intentum elici valent. Primum, ex vi ipsius nullatenus derogatum fuisse Ordini nostro ante ipsum iam olim à multis annis instituto. Axioma namque Iuristarum est, quod *Constitutio de futuro rationem rerum agendarum præscribit, non tamen rem gestam destruit.* Vnde *in cap. Cognoscentes de Constitutionibus lib. 1. tit. 2.* sic deciditur. *Quoties nouum quid statuitur. ita solet futuris formam imponere, vt dispendijs præterea non commendet.* Et Glos. ibid. verbo *futuris: Sic ergo constitutio respicit tantum futura, non præterita.* & cap. final. titulo eodem sic: *Cum Leges, & Constitutiones futuris certum sit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi: nisi nominatim in eis de præteritis caueatur.* Vbi etiam Glossa verbo *futura* hæc habet: *Nota ergo Constitutionem respicere futura tantum, & non præterita.* Cum ergo hoc Concilij decretum solum de futuris loquatur, inquit enim *Prohibemus ne quis de cætero nouam Religionem inueniat*, absque vllo dubio iam de præterito institutas Religiones nullo modo tangebat. Hinc Glossa *in cap. Religionum de Religiosis domibus in 6.* explicans verba illa Lugdunensis Concilij; *Cæterum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale* (hoc scilicet La- Contenta in hoc decreto.

5 Hinc graues Authores huius Concilij tempore Regulam, seu Ordinem nostrum approbatum, & confirmatum fuisse dicunt. Hi sunt Vvernerus RovvelincK author Fasciculi temp. *circa ann.* 1204. Hieronymus Romanus *in noua, correctaque editione Rerum publicarum, tertia par. lib.* 6. *cap.* 10. Bernardinus Corius in *Historia Mediolanen.* 2.*par. fol.* 339. Fauet Ciacconius, qui in *vita Honor.* 4. affirmat Innocentium Tertium in Concil. Lateranen. hunc Ordinem permisisse. Fauent quoque alij, qui affirmant Innocent. Tert. Ordinem nostrum, vel Regulam confirmasse, annum, aut tempus non exprimentes; quo sanè suspicari datur Concilij tempore id accidisse, cum aptius ad id tempus assignari non possit, quam illud, quo de Ordinum confirmatione agebatur ab ipso Innocentio. Hi porrò Authores sunt, Nauclerus *Tom.* 2. *Chronic. generat.* 41. ijs verbis. *Tempore Innocentij Tertij Albertus Patriarcha labantem in Syria Religionem restituere conatus, Carmeli Montis Incolas fratres disciplinæ Regula coercuit. Quæ Regula tunc Romæ probata est.* Sentit idem Trithemius *de Laudibus Carmelitarum, cap.*4. illis verbis. *Postquam fratres huius Religionis in Europam venerunt, multi Summi Pontifices Ordinem hunc confirmarunt, de quibus Alexander Tertius, post quem Innocent.* 3. *idem fecit.* Idem tenent Illescas *in Historia Pontific. in vita Innocentij Tertij*, & Carolus de Tapia *in Authentic. ingressi, verbo Monasteria.* Fauet etiam Ioannes Rioche *in Compendio Temporum in titulo Sacri DD. cap.*24. dum inquit, Regulam nostram probatam ab Innocentio Tertio, teste Trithemio. Clarius *cap.* 32. dum etiam asserit Carmelitas profiteri Regulam approbatam, & modificatam ab Innocentio Tertio. Regulæ, & Ordinis approbatio.

6 Hoc etiam, quod di[illegible]imus, clarè etiam confirmat, quod sequenti anno cum Pontifex ab Vrbe decessisset, vt Pisanos cum Genuensibus Maritimis, & Cisalpinos inter se terrestribus prælijs decertantes, in concordiam redigeret, Perusium deferri voluit, Vrbem veterem appellens, in ea Ciuitate Ecclesiam Carmelitis construi fecit, dotauit, ac priuilegijs muniuit. Author est Petrus Rodulphius Franciscanus *in Historia Franciscanorum, lib.*2 *fol.*259. *in Custodia Vrbeuetana* his verbis: *Habet hæc Custodia locum Vrbeuetanum, qui fuit constructus anno* 1216. *nam Innocentius Tertius Pontifex Maximus, ex Illustri Comitum familia, cum apud Vrbem vetanam moraretur, construi fecit quinque Ecclesias, quas dotauit, videlicet, Ecclesiam Sancti Dominici, Sancti Francisci, Sancti Augustini, Sanctæ Mariæ in Monte Carmelo, &c. easque multis gratijs cumulauit.* Quę accepisse dicere videtur *ex Archiuio Vniuersitatis, & Episcopio.* Vidit hæc Pater Lucas Vvadingus *Tom.* 1. *Annal. Minorum anno* 1216. & dubitat de veritate huius testimonij, quia prædictæ Religiones illo anno approbatæ non erant. Sed, quod ad Carmelitanam, & Augustinianam attinet, sine causa dubitat doctus Author, & supponit contrarium veritati. Cum enim, iuxta Concilij Lugdunensi definitionem in dicto *cap. vnico de Religiosis domibus in* 6. illarum institutio *Concilium Lateranense præcesserit*, nec hoc aliquis refragari possit. [illegible]

possit; cum sit expressum testimonium Gregorij Decimi, & Concilij Lugdunensis: & iampridem, saltem ab Episcopis, & Patriarchis à multis annis approbationem acceperint, dubitandi locus non erat, quo minus Ecclesias, & Cœnobia à Papa habere potuissent. Neque enim, vt Ecclesia alicui Religioni à Papa conferretur, maior approbatio exigebatur. Rectius sanè ex talium Ecclesiarum concessione à Papa factam, tacitam approbationem Religionum, cui concessæ sunt, quod in præsenti intendimus, inferre debuisset. Etenim improbatis, vel non approbatis Religionibus nunquam Pontifices Ecclesias conferre consueuerunt.

Bzouij sententia.

7 Non bene ergo Bzouius *sub hoc anno num.* 6. dum causas assignat, quare Beatus Dominicus Summum Pontificem Innocentium suis votis de Sacro Ordine Prædicatorum confirmando aliquantulum primo reluctantem expertus fuerit, ideo sic se gessisse Pontificem dicit, vt difficultate confirmationis plurimos à nouatione Religionum deterreret, Carmelitanam, & Augustinianam notans, quas credit tunc initiatas sui Instituti à Papa confirmationem postulasse. Nam, vt omittamus Carmeli Religionem, non eo tempore, sed à multis retro sæculis cæpisse, vt cunctafermè, quæ in tribus præcedentibus Tomis scribimus, satis ostendunt; cum ea sufficienter ante Concilium, quod eo anno celebrabatur, sui Instituti confirmationem accepisset, & per ipsum Concilium, & Papam nouum robur firmitatis, & soliditatis obtinuisset, vt ex superius dictis cõstat, nec illi erat simpliciter necessaria talis noua confirmatio, nec impedimentum esse potuit aliorum Ordinum confirmationi. Rectius ergo, & consultius idem Bzouius dilationem confirmationis Illustrissimi Dominicani Ordinis refert in Papę beneplacitum volentis magis probare spiritum Sancti Patris Dominici, etsi egregiæ Sanctitatis viri; quo plenius cõperto, promisit se Institutum approbaturum. Quid pro Augustinianorum Patrum Sacra familia, quam simul cum Carmelitana notabat Bzouius, & quæ etiam ex Concilij Lugdunensis definitione ante Lateranense instituta est, respondendum, doctissimi eius Ordinis alumni in promptu habebunt, nec nostro calamo egent. Sufficiat pro multis vnus, ipseque magnæ doctrinæ, & authoritatis Theologus Magister Ioannes Marquez, cuius in Salmanticensi Licęo quondam auditor fui, in *lib. de Origine Ordinis S. August.* per totum.

8 Erat sub hoc anno noster Sanctus Angelus in Quarantenæ desertis, ab hominum consortia sequestratus; Deo vacans, ieiunijs, & orationibus assiduis, & nulli hominum quantumuis diligenter conquisitus, manifestus. Cum enim Sacros Ordines cum germano suo Ioanne Hierosolymis suscepisset, vt sub anno præcedenti diximus; ibi manere noluit, vt popularem auram, quæ illid eum detinere curabat declinaret. Bethlehem igitur cum Ioanne profectus magnum illud miraculum de Iosephi adolescentis biduani mortui suscitatione, quod his verbis refert Enoch Patriarcha in ipsius vita *cap.* 9. Deo cooperante patrauit. *Transactis itaque*

uata

natalitijs festis, Angelus cum Ioanne Bethlehem proficiscitur: vbi prout loci deuotio exquirebat, Religionis officia complere studet. Cum interim mulier Elisabeth nomine viri sancti Dei nomen celebre, & miracula audiens, deuotione accensa, & spe erecta, natum biduo iam ante vita functum ad Angelum efferri curat, eumque his compellat: Angele serue Dei, Prophetarum imitator, credo firmissime, si filium hunc meum chlamide, quam geris, tetigeris, reuicturum. Cui Angelus, mortuos suscitare peccatori homini, qualem me esse profiteor, non est datum. Munus hoc Dei solius, & vere seruorum eius. At illa, obortis perfusa lachrymis, nunquam, inquit, abscedam, donec chlamyde contexeris Iosephum filium meum, & pro eo orationem feceris. His commotus lachrymis, Vir Dei sanctus; puerum chlamydem cooperuit, & ad Orientem versus in hæc orationis verba prorupit: Deus admirande in omnibus operibus tuis, qui per merita Patris Eliæ Viduæ filium suscitasti; per virtutem Sanctissimæ passionis filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui suscitauit Lazarum quatriduanum à monumento iam fœtidum, quæ tua est infinita potentia, suscitet, & reuocet ad vitam filium Elisabeth ancillæ tuæ. Vix orationem compleuit, & adolescens quasi à somno excitatus reuixit, vbi, multorum cœtu astante, vere, inquit, Dei cultor Angele, quem Deus exaudit, & mortuos reuocat ad vitam, ora pro Iosepho, qui per orationem tuam, à corporali simul, & spirituali morte ad vitam iterum reuocatus sum; conuersus postmodum ad astantes, dixit: Scitote me æternum damnatum tenebris, & sempiternis pœnis destinatum, eo quod sanctissimum Dei nomen blasphemare sum ausus, & Sancti huius viri Angeli meritis, & intercessione, ab vtraque morte liberatus. Fuit autem miraculum huiusmodi notissimum non modo Bethlehemitis, sed his, qui ad festum & conuenerant, decem numero hominum milia excedentibus. Aderant autem cum primis Ioannes Archiepiscopus Nazareth, & Petrus Episcopus Bethlehem, cum alijs Græcorum Præsulibus.

9 Qualiter porrò deinde sequenti nocte, Dei Angelo Duce, idem noster Angelus in præfatum *Quarentenæ* desertum secesserit, idem Enoch in vita ipsius *cap.* 20. sic describit: *Nocte vero sequenti, longa, & feruentissima oratione peracta, iam spectata sanctitatis, & gratiæ extimationem de se concitatam, & honoris reuerentiam omnium consensu passim exhibitam fugare statuit, & humilitati, ac contemplationi in solitudine vacare decreuit: Ob idque locum pœnitentiæ idoneum, mente voluendo, tandem, visione manifesta, apud se Angelum vidit, qui eius propositum confirmauit, locum docuit, & sese ducem exhibuit. Surgens itaque Angelus Angelo Dei dumtaxat comitatus, in desertum abijt, vbi Christus quadraginta diebus, & noctibus pro humano genere cum ieiunio pænitentiam continuauit. Et quamquam loci facies vndecunque squalida situ, nihil non asperum præseferens, horrida solitudo, obuia pericula omnia intentabant; ipse tamen ad deliciarum omnium locum veluti amenissimum peruenisse iudicat, ibiq; firmato permanendi consilio quoscumq; humanarum virium conatus pænitentia, & deuotione, ac continua cælestiũ meditatione assiduus experitur. Quotidie Christi ieiunium ad memoriam reuocatur; quotidie locus Christi contactu venerabilis, cor eius inflammati, quotidie demum Christi passio soluit ad lachrymas, & pro-*

S. Angeli in gesta.

& prouocat in singultus: Atque his studijs eo in loco quinquennium complet. Quo tempore, vbi Angelus esset ad nullius quidem notitiam peruenit, tametsi per nemora, & montes, & vniuersam regionum prouinciam diù quidem quæsitus foret.

Eremus Quarentenæ

10 Erat prædicta Quarentenæ Eremus nostrorum Eremitarum habitatio, vt sub annis 1141. & 1207. vidimus. Quare quod eis, qui hoc etiam tempore (vt credimus) ex eisdem ibidem commorantibus, Sanctus Angelus occultatus fuerit, specialissimæ Dei prouidentiæ tribuendum. Forsan tamen illis absconditus non fuit, vt propterea illud, quod Enoch in vita ipsius vt supra, scriptum reliquit, solum intelligendum veniat de alijs extra illud desertum Quarentenæ habitantibus.

Ann. Christi 1216. Innocentij 3. Roman Pontif. 19. Friderici Imperatoris, vel Reg German. 6. Petri Altisiodorens Imperat. Orient. 1. B. Brocardi General 29.

Annus lethalis.

1 PRorsus læthalis præsens annus Christianis Principibus extitit: cum eo tempore plures illorum è vita cessisse comperiatur. Constantinopoli enim Henricus Græcorum Imperatór diem suum clausit, in cuius locum suffectus est Petrus Altisiodorensis Comes. Æmilius, Gordonus, Bzouius, & alij. In Hispanijs etiam Henricus Castellæ Rex huius nominis casu interijt, & pro eo successit ex Berengaria sorore nepos Ferdinandus eo nomine tertius, filius Regis Legionensis Rodericus, Mariana, & alij Hispani historici. Ioannes præterea Angliæ Rex, eo etiam anno decubuit. Matthæus Paris, Polydorus, Tillius. Gulielmus quoque Scotiæ Rex diem suum clausit. Hector Boætius, Leslæus. Magnus tandem Pontifex Innocentius Tertius Perusij obijt 16. Iulij. Quem hoc *magni* titulo decorandum censemus, quod ipse in redarguendis Regibus, & Principibus Christianis, eorumque vitijs, & defectibus coercendis, nec dissimulandis, veri Pastoris ouilis Christi, quasi idea fuit, & exéplar, vt legenti ipsius epistolas (quarum plures non sine Dei speciali prouidentia Typis mandatæ sunt) manifestè constabit. Alia ipsius magnalia passim inter Historicos reperientur.

Vrbeuetan. Conuentus.

2 Ante mortem autem, vt sub anno præcedenti vidimus nostris Eremitis in Vrbeveteri Ecclesiam, & locum donauit, vnde ab hoc anno illis Vrbis Monasterij antiquitas desumenda est. Quamuis non semper in eodem loco perstiterit. Etenim primo in suburbijs Ciuitatis in Ecclesia Sancti Rochi, vbi Monasterium ædificarunt. Deinde in ipsa Ciuitate ante annum 1536. domos quasdam *Lupicini* ementes. Ibi Capitulum Prouinciale habitũ est anno 1362. Anno autem 1495. lis de præcedentia cũ PP. Seruitis habita est, sed nostris cessit victoria sic iudicante Episcopo.

Suc-

3 Successorem habuit Innocentius Honorium Tertium. Fuit autem hic Pontifex nostri Ordinis, & Regulæ benignus confirmator, & egregius contra æmulos Protector, & defensor, vt propterea memoria ipsius semper nobis in benedictione futura sit. Maximè tamen Regulam nostram confirmasse, præter inferius adducendos Authores, id tradunt Martinus Polonus in *Chronic. sub hoc Pontifice*, Bartholomæus Cassaneus in *Cathalog. gloriæ mundi, quarta par: considerat.* 70. Euernerus RovvelincK in *Fasciculo temporum*. Pineda in *Monarchia lib. 22. capit. 23.* Azorius *Tom. primo Institut. moral. lib. 12. cap. 23.* Miranda in *Man. Tom. 1. quæst. 4. ar. 7.* Ægidius à Præsentatione in *Tractatu*, cui titulus Primas Augustinianæus lib. 1. cap. 3. §. 2. Ioannes Pitseus in *lib. de Illustribus Angliæ Scriptoribus* in Indice Illustrium Scriptorum Carmelitarum, Ciaconius in *vita Honorij Quarti*. Specialiter hoc primo anno id contigisse tradunt multi: ex nostris Palæonydorus *lib. 3. cap. 5.* Didacus de Coria in *Chronic. Carmelitarum, lib. 1. cap. 18.* Thomas de Iesu in *Commentarijs supra Regulam Carmelitarum par. secunda dub. 3.* Et de extraneis Philippus Bergomensis in *supplemento Histor. lib. 13.* Emmanuel Rodriguez *Tom. 1. quæst. Regular. quæst. 2. ar. 5* Garibai in *Histor. Hispan. lib. 12. cap. 28.* Bzouius *sub anno 1217. num. 12.* Bellarminus in *Chronolog.* & Anonymus Bibliothecæ Ducis Altemps in *Opusc. de inceptione Ord. B. Mariæ de Monte Carmeli*, cum alijs. Quomodo autem id factum sit, & quod non nisi sub an. 1226. id contigerit, eo loci dicemus.

4 Hoc etiam Pontifice authore, Chlamydes, seu cappas Virgulatas, aut Barratas, nostris, à tempore Homar Arabiæ Regis in vsu, iuxta dicta *Tom. 3. circa ann. Christi 642.* in albas mutatas fuisse in honorem scilicet Beatæ Virginis, ipsiusque purissimæ Sanctitatis, astruunt multi, specialiter Philippus Bergomensis in *supplemen. Histor. lib. 13.* Alphonsus Villegas in *Flos Sanctorum*, & vita Sancti Alberti. Errant tamen in Honorij nomine, quod enim sub Honorio Quarto, contigit, vt eo tempore dicemus, sub Honorio Tertio accidisse autumarunt. De cappis barratis.

5 Hoc autem tempore, quo in *Quarentena* Eremo Sanctus Angelus noster Deo totus vacabat, chlamydis ipsius, seu barrati pallij apud Bethlehemitas relicti tactu ea mirabilia patrabantur, quæ Enoch Patriarcha ipsius vitæ descriptor *cap. 10.* sic retulit. *Interea vero chlamys ipsius, quæ penes socios relicta erat apud Bethlehem, ingenti, & incredibili deuotione quæsita, eius apud Deum merita, & gratiam multipliciter patefecit. Hoc autem relatione, & stupore dignum videri poterit, quod cum plurimi varijs vexati languoribus, & (quod humani ingenij vires excedit) nonnulli vita functi, deuotione inenarrabili eadem chlamyde contecti, certissimo fidei argumento referantur. Non tamen omnes eiusce chlamydis contactu sanitatis, & vitæ beneficium accepisse dicuntur. Ex his autem, qui non sine Dei gloria reuixerunt, Andreas Ioannis filius Hierosolymitanus; Blasius Antonij, ex Bethania. Thadæa Pauli Samaritana; Stephanus piæ memoriæ Philippi Hierosolymitanus; Lazarus bonæ recordationis* S. Angeli miracula.

Blasij ex hierico, Matthea recolendæ memoriæ Iosephi Nazareni; fideli multorum testimonio memorantur. Ex his verò, qui fuerunt ad vitam reuocati, viri, Cænobitarum, mulieres autem, Sanctimonialium, in Monte Sion, Monasteria, ingressa sunt, Deoque, & Magnæ eius Genitrici semper Virgini, vitæ austeritate, & pęnitentia incomparabili seruiuerunt, & miris modis alios ad Dei obsequium induxerunt. Hæc autem omnia, & singula palam proferri per totam Orientalem Ecclesiam omnibus satis constat. In primis autem in ipsa Hierosolymitana Ecclesia, ab Honuphrio Patriarcha viro certissimæ fidei, ea omnia publicari audiuimus, præsentibus sex, & triginta Episcopis superius expressis, in Synodali Concilio eiusdem Honuphrij Patriarchæ prope Hierosolymas solemniter cōgregatis. Eorum vnanimi aßensu ipse Diuus Angelus in Diuorum numero relatus, debita Martyribus veneratione excolitur. Sed, quod reliquum est vitæ, & gestorum eius memorabilium narrare procedamus. Circa quæ, id solum notandum, hunc Honuphrium Patriarcham, qui de huiusmodi Sancti Angeli miraculis testimonium in ea Synodo Hierosolymitana perhibuisse fertur, non potuisse esse illum Honuphrium etiam Patriarcham, & Monachum Sancti Basilij, à quo, vt sub anno 1214. vidimus, Ordines Sacros Angelus, & Ioannes susceperunt, hic enim mortuus describitur ab eodem Enoch. *cap.* 11. dum illi in Patriarchatum successisse Ioannem commemorat. Alius ergo (licet eiusdem nominis) necesse est sit iste Honuphrius, vt apparet, prælati Ioannis successor, & Enochi huius historię Scriptoris, in eadem dignitate prædecessor, quæ dicta sint ad tollendam ambiguitatem, quæ in hoc puncto videri posset.

Ann. Christi 1217. Honorij 3. Roman Pontif. 1. Friderici Imperat. vel Reg Germ. 7. Petri Altisiodorens. Imperat Orient. 2. Beati Brocardi General. 30.

Honorij PP. gesta.

1 Onebat per id tempus Pontifex Honorius Fridericum Imperatorem Occidentis cognominatum, seu electum, officij debiti erga Romanam Ecclesiam, vt illam velut Matrem coleret. Petrum item Altisiodorensem Imperij Orientalis corona insignire tractabat. Henricum quoque Angliæ Regem Ioannis successorem, de fide, & deuotione erga Sanctam Ecclesiam conseruanda admonuit. Philippum etiam Gallorum Regem, ne Iacobum Aragoniæ Regem in dominio Mōtis Pesulani, & aliorum Castrorum perturbaret, seriò hortabatur. Negotia præterea Terræ Sanctæ non prætermittens, maximas, quas potuit copias, collecta classe à Venetis impetrata, illuc transmittebat. De his Honorij gestis Bzouius, Coriolanus, & Odoricus.

2 Vita, & more nostri Simonis StocK, eo tempore ab eodem Bzouio sub hoc anno *num.* 14. sic describuntur. *Eius Instituti* (Carmelitani scilicet)

licet)

licet) *floruit ea tempestate Simon, natione Anglicus, moribus compositus, charitate feruens, in societate mansuetus, fortis ad patientiam, ad miserendum pronus, tam vehemens Diuini verbi preco, vt Anglorum animos à vitijs ad virtutes mirabiliter commutaret, in iudicio certus, in eloquio modestus, strenuus in agendis; humilibus, & minoribus blandus; pœnitentibus benignus; rigidus superbis; & inflexibilis obstinatis; spiritu denique prophetiæ clarus.* Hæc ille.

2 His annis incolatus Sancti Angeli in Eremo *Quarentenæ*, cum Honuphrius ille Sancti Basilij Monachus pro Syrorum natione Patriarcha Hierosolymitanus diem suum obijsset, Beatus Ioannes noster eiusdem Angeli germanus, meritis, & sanctitate suffragantibus, ad idem Patriarchale munus gerendum euehitur. Sic enim habet Enoch in Historia ipsius Angeli *cap.* 11. vbi etiam qualis eiusdem Angeli in deserto commorantis vitæ conuersatio fuerit; *His vero diebus Patriarcha vitæ diem clausit: cuius loco Ioannes Angeli frater subrogatus, & vnanimi totius Ciuitatis assensu, Spiritus Sancti gratia disponente, in Patriarcham electus, oues contagijs purgare, & ad pascua salutis reducere satagebat. Et non multò post constans fama per ora omnium volare, & vbique increbescere cœpit, Angelum in deserto, vbi Christus ieiunauit quinquennio perstitisse; ibique Spiritali alimonia, & pane Angelico nutritum, ac Beatorum colloquio roboratum, ab officijs corporeis, quasi alienum, soli Spiritui, & diuinorum contemplationi vacare. Et ipsa Christi solitudine toto spiritu, & affectu Christum imitari, Christo adhærere, Christum denique toto mentis ardore momentis omnibus resonare. Huius rei vero constantissimæ famæ, certissimi fuere authores, & plurimi haud dubia sanctitate homines, quibus id ipsum antelucana, & certa visione, & oraculo non obscuro renunciatum fuerat.* Ioannes fit Patriarcha.

Ann. Christi 1218. Honorij 3. Roman. Pontif. 2. Friderici Imperat. vel Reg German. 8. Petri Altisiodorens. Imper. Orient. 3. B. Brocardi Gen. 31.

1 SVpplicationes publicas hoc anno pro Ecclesiæ necessitatibus nudis pedibus in Vrbe Pontifex celebrabat. Vrgebat enim Imperij Constantinopolitani periculum: capto enim, & occiso Petro Imperatore è Roma reuertenti à Græco quodam Theodoro Lascari per fraudem, timor inerat Honorio, ne Imperium iterum ad Græcos Schismaticos transiret. Paulus Æmilius, Honuphrius, Blondus, & alij. Papæ gesta

2 In Syria quoque, ac Carmelo nostro, Christianorum, ac nostrorum Eremitarum ibi commorantium res in periculis erant. Etsi enim propter aduentum Regis Vngariæ, Ducumque Bauariæ, & Austriæ, magna spes foret fæliciorum progressuum; quia tamen Hungarus discedere voluit, Sarracenorum vires adauctæ sunt, Christianorum autem diminuta. Syriæ, & Carmeli peric.

nutæ. Magistri tamen Ordinum Militarium cum alijs Christianis Diuina ope freti, & cum magna Christianitatis vtilitate, promontorium, quod est inter Cæsaream, & Caypham occupauere; & Castrum peregrinorum muniuere, vnde postea pro obsidione Damiatæ aggredienda exercitus profectus est. Marin. Sanut. Æmilius, Blondus, Sabellicus. Cum autem præfatum inter Cæsaream, & Caypham promontorium, Castrumque Peregrinorum, Carmeli nostri pars essent, quas inter præsentes belli turbines nostri Eremitæ, mentis, & corporis angustias paterentur facile suspicari possumus. An propterea Sanctum, & natiuum locum, Tyrum, Tripolim, vel Acconem profecti, pro aliquo tempore deseruerint, incertum, licet veritati conformius sit credere, nunquam originarium, & propheticum solum, etiam ijs instantibus periculis, reliquisse.

3 Vocant iam nos nostræ Beatæ Angelæ Bohemæ in Sancta Hierosolymorum Ciuitate Monialis hoc tempore gesta. Cum enim Monasterij Priorissa diem suum clausisset, anxiæque Sanctimoniales magis idoneam eligere appeterent, Beatum Ioannem Patriarcham consuluerunt. Quid vero acciderit ex historia ipsius Beatæ Angelæ sic damus: *Cum enim Priorissa supremum obierat diem, & Moniales anxiarentur de eligenda maximè idonea (nam facilè sex idoneæ erant ad domus regimen) supplicabant Sancto Ioanni Patriarchæ Hierosolymitano, qui etiam erat Ordinis Carmelitani, vt Deum precaretur pro sufficienda in locum defunctæ bona moderatrice. Ioannes igitur, cum sub Sacrosancto Missæ officio venisset ad primum,* meméto *vidit coram se transeuntes sex dicti Monasterij Virgines, & habebant singulæ lampades ardentes in manibus. Sed quæ illarum postrema erat Sancta Angela gestauit manu sua Ciborium cum obscuro cristallo, simul alias sequebatur, quam Sanctus Ioannes proinde dicebat præ alijs maximè esse idoneam. Sed Angela claritatem suam proferre nolebat in publicum ex animi sui summissione, quæ ipsa significabatur per christallum, sicut loquitur Dauid Propheta: Qui mittit christallum suum sicut buccellas; idest, de virtute humilitatis vni amplius, alteri minus, largitur, pro sua diuersa voluntate, & hominum capacitate.* Ex occasione huius visionis depingi solet Sancta Angela cum Ciborio christallino in manu, vt notat Segerus in *Annotat. ad vitam ipsius.* Sub hoc tempore id credimus accidisse, quo, vt constat ex historia Sancti Angeli per Enoch Patriarcham descripta, Ioannes ipsius Angeli germanus Hierosolymorum Patriarchatum, pro Syris gerebat.

B. Angelæ gesta.

4 Eiusdem etiam Angelæ vita, mores, & gesta, tempore, quo Monialibus præerat, in eadem historia sic describuntur: *Hæc veneranda Dei sponsa Angela 35. annis Monasterio in Hierosolymis laudatissimè præfuit. Nemo inter Moniales ei similis, in pænitentia, vigilijs, ieiunio, ac oratione, &, quod his maius est, in humilitate. Etiam si alijs præerat, non se iactabat, seipsam præ cæteris exaltando. Ordinabat duodecim Moniales ad canendas preces horarias; liberalis erat in pauperes, & afflictorum consolatrix. Sæpe ei sermo erat cum Angelo Dei, cuius erat soror similis nomine, & virginali castitate, qui ipsi etiam prænunciabat,*

ciabat, quod non esset ibi moritura. Accidit item, vt die Sabbati (qui dies semper ei honori erat propter Beatam Virginem) Angelum videret ad se venientem, qui illi loquebatur de Regno Dei, & sermonem finiens addebat, qui perseuerauerit vsque in finem, is saluus erit. Quo dicto, cælestis Hierosolyma diuitias ei ostendit. Qui ipsam vidisset, alteram esse Annam existimasset, de qua in Euangelio. Quæ non decedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens nocte, ac die, ab eo tempore cum flammeum virginalem recepit, consecrataque fuit à Patriarcha Hierosolymitano, qui tum Deum precabatur, vt bonum in ea propositum vsque in finem conseruaret. Hæc Beata Dei Virgo, omni sedulitate, diu, noctuque studebat Sponso suo placere; adeoque in amore eius semper proficere. Quidquid enim, vel ante fecerat bonorum, vel ipso actu adhuc faciebat, videbantur sibi pauca, & exigua præ humilitatis altitudine, qua eam Deus adornauerat. Vnde, & quidquid animus eius desiderabat ipse Sponsus Deus abundè ei præstitit. Reliqua ipsius egregia facta in sequentibus referimus.

Ann. Christi 1219. Honorij 3. Roman. Pontif. 3. Friderici Imperat. vel Reg. German. 9. Ioannæ Imperatricis Orient. 1. B. Brocardi Gen. 32.

1 HOc anno Fridericus, Othone è viuis sublato, Imperii Diadema ab Honorio obtinere curabat. Pontifex autem eum de subsidio Terræ Sanctæ ferendo primitus admonebat. Cum vero ille expeditionem differret, Germania magnis viribus cum Francis, & Anglis in id sacrum bellum gerendum incubuit. Deo ergo propitiante Damiata Ægypti celebris Ciuitas à Christianis, vt sub anno sequenti dicemus, capta est. Sed peccatis nostris ita promerentibus, non per multum tempus retenta. Interim à Corradino Damasci Principe Hierusalem capitur: muri, & omnia prosternuntur, excepto Templo Domini, & Turri Dauid. Marinus Sanutus, Æmilius, Blondus, Sabellicus, ac moderni plures. Huius anni gesta.

2 Quid in ista Hierosolymitanæ Ciuitatis calamitate nostrum Sanctæ Annæ Cœnobium Hierosolymis existens perpessum fuerit, nobis incompertum. Pariter de Monialium Cœnobio, cui Beata Angela Priorissa præerat, affirmandum. Habetur autem ex vita ipsius, quod cum Mamalucha quidam cum Æthiopibus aliquibus nocte quadam venisset, vt Monasterium inuaderet, rem aggressus, vocem hanc audijsset; *Ne pecces in Ciborium meum*: Qua voce perterritus re infecta confusus discessit. Ad hæc, sæpius prophanos Sarracenos conatos esse perdere Monasterium illud, sed illius precibus fuisse semper fugatos. Quo credi datur in hac Sanctæ Ciuitatis oppressione idem contigisse. Cœnobium S. Annæ.

3 Accidit etiam circa id tempus, vt cum pene semianni spatio cęlum Casus:

pluuiam

pluuiam in Hierosolymitana Regione non dedisset, & populus grauiter afflictus ad Ioannem Patriarcham communem deplorans miseriam confluereт, ipse, assumpto secum Eusebio Diacono, ad Monasterium, & Angelam Priorissam venerit, ipsam, & Sorores alias, vt pro vrgenti necessitate Dominum precarentur hortaturus. Cui Angela: Dic, inquit, Hierosolymitanis, vt vesperi confiteantur peccata sua, crastina enim die Deus dabit pluuiæ copiam sufficientem. Eis autem sic facientibus, Angelæ verbum adimpletum est. Ex vita Beatæ Angelæ.

Notatio. 4 Monendus hic lector, quod Eusebius iste hoc loco cognominatus merito creditur à Segero Pauli in *Annotat. ad vit. Sancti Angeli* ille Eusebius valde celebris Sancti Cyrilli Socius in Armeniæ conuersione ad fidem, de quo sub anno 1181. diximus. Ad quem etiam idem Cyrillus, cum Eusebius Prior esset in Monte Neroi, tractatulum de processu sui Ordinis inscripsit. Socius etiam fuit eidem Cyrillo in visione illa Tabularum, de qua in præcedentibus. Ponitur etiam inter Sanctos Ordinis in Kalendario Mechliniensi pro quinto Idus Iunij.

S. Angeli gesta. 6 Hoc etiam anno, qui vltimus quinquennij erat, quo Sanctus Angelus in deserto morabatur, Christum Dominum Angelorum, & Sanctorũ multitudine comitatum videre meruit, eaque loquentem audire, quæ Enoch Patriarcha in vita ipsius Sancti Angeli *cap. 12.* describit sic. *Interea vero quinquennio transacto Christus Sole splendidior, magna Angelorum, & Sanctorum multitudine comitatus, Angelo apparuit, dicens: Satis hic tibi Angele, iam satis hic immoratum est, satis priuato profectui, & contemplationi datum. Ea te nunc celerius præstare oportet, per quæ à Patre Æterno ad gloriam prædestinatus, non dubia adoptione vocaris. Martyrio igitur in Insula Sicilia, & Oppido Agrigentinæ Diœcesis, quod Licata dicitur, Dei amore suscipiendo, & plurimis pro reuelanda Dei voluntate, & veritate tuenda, laboribus perferendis te accingas. Verumtamen primum Hierosolymam, & ad Ecclesias Orientis te transferas, & fideles confirmes, in his omnibus, quæ sunt secundum voluntatem Patris mei; postea cum tempus fuerit Alexandrinus Patriarcha Athanasius iussu meo credet tibi reliquias Ioannis Baptistæ, Hieremiæ, Georgij, & Catharinæ, cum Imagine Matris meæ, quam Tecla virgine Pauli discipula instante, miro deuotionis affectu, Lucas depinxit. Ea enim, vbi sacrilega Barbarorum impietas, omnia contaminare, & furens in Sacra, dehonestate contendit, seruari non decet, quæ Romano Pontifici Honorio Tertio, & Friderico de Claramonte resignabis in Italia apud Vrbem veterem. Quibus peractis, Siciliam versus iter facies, ibi enim euangelizare opus est, ibi pugnare oportet, nephanda ibi Christianorum scelera, impia sacrilegia, crudeles incestus, execranda cordis duritia, nulla Dei reuerentia, nullus timor, infidelitas plurima, nulla legum obseruantia, & ferè nulla fides. Ea nullo censore committuntur, & crescunt, quibus offenditur Pater meus cœlestis. Quamobrem euangelizabis legem meam, increpabis, argues, & clamabis in abominationem, & detestationem impiorum; & nisi conuersi fuerint pronunciabis euaginatum gladium, & manum eius percutientem. Et ita hæc vltio veniet*

super

super eos. Quum vero in Oppido Licatæ fueris, scito ibi hominem scelestissimum, qui propriam sororem, elapsis iam annis duodecim cognouit carnaliter, & tres ex ea filios habuit, quamquam illa maritum habet. Quod nefandissimum scelus inquinat Siciliam totam, & cedit in scandalum populorum, & fidei. Ibi labores tibi, ibi sudores plurimi supersunt; sed Margarita tuis tandem prædicationibus ad pœnitentiam adducta, crimen, quod iam manifestum est, palam pronunciabit, & culpam fatebitur, tres filios in medium producens, & supplex, ac humilis veniam petens. Berengarius vero huius facti causa ira replebitur, & insolescet, ac primum coacta sceleratorum, & consciorum manu, te innocentem gladio perimet; Sororem postmodum, quod pænitens illa crimen proprio ore detexerit, amens, & furijs agitatus, petet, quam tu seruari præcipies. Hoc prædicationis labore in abominationem execrabilium scelerum, & impietatum, ac nephandi incestus; hoc Martyrij medio, more Ioannis Baptistę, ad cæle stem patriam ascendes, ad quam mors pro veritate accepta, spontaneo Martyrij patibulo, viam aperiet; tibi tribus Laureis coronato paratum Regnum inuenies ab initio sæculi, & gaudebis cum Sanctis Angelis in æternum.

5 Angelus verò hac Christi Saluatoris reuelatione habita, ea gessit, & dixit; quæ idem Enoch *cap.* 13. historiæ, seu vitæ eiusdem Angeli, exarata reliquit. *Angelus vbi se Christum clara visione vidisse cognouit, reuerenter prostratus, qua potuit mente purissima adorauit. Atque post piam maximi, & deuotissimi affectus orationem se se obtulit pro eius nomine, & amore moriturum, & pro viribus vbique commissurum, vt eius voluntas omnibus innotesceret. Tu, inquit, fili Dei viui, verè Deus æternè pro me hanc vilissimam carnem induere, tot labores, tot dolores, tot ærumnas pati, mortem etiam subire dignatus es; & ego pro Nomine Sancto tuo non moriar? Moriar certè lætus, & erit dulce mihi pro tua veritate mori. Demum autem vnum, inquit, te oro, ac precor, clementissimè Iesu, vt Ciuitatem istam Hierusalem, immensæ bonitatis tuæ oculo respicias, vbi manus ad Patrem tetendisti in sacrificium vespertinum, vbi contumelias omnes, & quæ hominis lingua exprimi vix possunt, sponte passus, & tandem in Cruce affixus, & spinea coronatus, Sacratissimum Sanguinem tuum pro instauratione, & salute humani generis effundere voluisti: Miserere, Miserere, & propitius esto propter nomen tuum, & libera eam, ne semper in ea glorientur inimici tui.* Alia gesta S. Angeli.

6 Christus autem pia Angeli supplicatione commotus, de Regnis, & Prouincijs Christianorum ab Agarenis occupandis, de Imperij Turcici dilatatione, & alijs futuris euentibus ipsum sic præmonuit, prout ex præfata Enoch historia *cap.* 14. habetur. *Tum Christus, scito Angele; et hanc reuelationem vbique prædicabis, quod Ciuitas Hierusalem diu erit sub ditione Agarenorum; quæ, & ab eis non multo post ferè tota funditus destruetur; ipsa insuper Iudæa, Samaria, Galilea, & tota Terra Promissionis, & Capadocia, & Ægyptus, cum multis Regionibus, & Prouincijs Asiæ, & Africa, paucis interiectis annis, omni ex parte cedent in potestatem Ismaelitarum; & quas nunc vides vbi Diuina celebrantur laude. Sacra Ædes, delubra, & Ecclesiæ destruentur:* Quæ postea contigerint.

& Chri-

& Christiani ritus ferè vbique ad nihilum reducentur. Nec multo post vniuersa illa mundi pars, quę minor Asia dicitur, in ditionem Mahumetis, Othomano Duce, deueniet. Cuius successores Gręciam inuadentes fere totam occupabunt: indeque terra, & mari in dies magis potentia eorum augebitur, et terrebit ferè omnes gentes, et perueniet vsque ad Regnum Epyri, Dalmatiæ, et Rasiæ. Succedente vero tempore Ciuitatem etiam ipsam Hierosolymam, cum vniuerso Ismaelitarum dominio Othomani obtinebunt, et ipsa Christianorum propugnacula expugnabunt. Ipsam etiam Hungariam pluries inuadent, et ferè desolabunt eam, et terrebitur, et infestabitur Europa. Italia vero ipsa, vbi Sedes Petri, diù, et sępe vexabitur, et diuturna, et perniciosa reprehensionis bella sentiet, et videbit ignem, et sanguinem, et ruinam, et quasi desolationem: et erit afflictio, et sæuiet furor, et ira super filios ingratitudinis, et præcedent fames, pestis, et diuisio, et comitabuntur, et non deficient. Venient autem hæc propter abominationes eorum, qui construunt Babylonem; *dissipant Sanctuarium, et sustinent populum iniquitatis, et odij, et rancoris, et conuertunt eum ad impietatem, et turpitudinem omnis immunditiæ, et omnis peccati. Tunc Angelus: Quando hęc futura prænunciabo? Et Christus: Quando Ecclesia nitore deterso iacebit quasi vidua. Quando Romani Pastoris solium, et Regnum auctum plurimi affectabunt, et vnus aduersabitur alteri. Quando surgent hypocritæ populos fraudantes prætextu sanctitatis, et Religionis, et erit plena Ecclesia sectarum, in quibus regnabunt superbia, ambitio, et luxuria, cum cohorte filiarum eius. Quando Principes diuisi disceptabunt, et Rex* Regi, *et Pontifex Pontifici aduersabitur, et quasi tolletur pax de medio gentium, et discordia ferè pariet interitum: Quando hęreses præualebunt, et erit fermè extincta fides, et populi, et qui dominantur eis, ad vanitates, et insanias conuertentur. Tunc Pater meus Æternus mittet furorem, et iram, ac permittet ingratitudinis filios vbique torqueri ab hostibus, et inimicis nominis mei. Hæc omnia constanter, et intrepidè prædicabis, et annunciabis populo Christiano: quæ ventura sunt propter scelera eius.*

Alia reuelatio.

7 Postea Angelo pro Ecclesiæ necessitatibus supplicanti, Regem quemdam futurum prædixit Christus, qui populum suum, & sanctam Ciuitatem Hierosolymam à Turcarum iugo liberaret, prout ex verbis eiusdem Enoch in vita ipsius Angeli *cap.* 15. sic habemus. *Et Angelus, miserere, inquit, Ecclesię tuæ, et auerte iram tuam à populo tuo, qui clementer passus es pro eo; et liberentur dilecti tui, quos effusi sanguinis pretio redemisti: et da tandem, qui liberet Ciuitatem Sanctam tuam, et eripiat eam à captiuitate, et manu hostium. Cui Christus: Quum contritus fuerit populus meus, et cognoscet vias meas, et suscipiet iustitiam, et custodiet eam, veniet tandem qui liberabit, et ponet pacem in gentibus, et erit consolatio iustorum. Quis, inquit Angelus, iste erit, qui liberabit Ciuitatem tuam? Et Christus: Surget tandem Rex antiqua de gente, et stirpe Francigena, insigni in Deum pietate, et suscipietur à Regibus Christianis, et fidei Orthodoxę p[illegible]ffis, et erit dilectus eis: et recta, [illegible] crescet potentia eius. Hic, rebus Ecclesię quasi ad intentionem*

redacti

& terra, ac mari crescet potentia eius. Hic, rebus Ecclesiæ quasi ad internitionem redacti, subueniet; & Pontifici Romano iunctus, purgatis Christianorum erroribus, & Ecclesia ad statum bonis optatum restituta; copias transmittet, quas sequetur multitudo vltro militantium. Et magna eorum turma, qui pro meo nomine eo prælio cadent, effusi cruoris præmia suscipiet, & Trophæis gloriosis cælum ascendet. Ipse vero instructa classe fretus transfretabit, & perditas restituet Ecclesias, & liberabit Hierusalem. Et his dictis, ab oculis Angeli Christus candidissima nube circumfusus abijt.

8 De reditu vero Sancti Angeli à deserto in Hierosolymam, ibique plurium ad fidem Christi conuersione, alijsque eiusdem egregiè gestis sic prosequitur Enoch *cap.16.* eiusdem historiæ; *Hac Christi visione confirmatus Angelus, & consolatione repletus, Hierusalem versus iter arripuit, vbi propter magnam diuturnæ inediæ abstinentiam vix cognitus, Priorem petijt: quem vbi vidit, Religioso more in terram prouolutus, humiliter salutauit. Prior cognito Angelo, omni coacto fratrum cætu, gestiens, ingentes Deo gratias egit; ipsumque complexus suauissimè recepit. Audiens Angeli aduentum Ioannes Patriarcha eius frater venit ad Monasterium Sanctæ Annæ plurima lætitiæ signa ostendens. Angelus vero Ioanni ipsi Patriarchæ fratri, & simul Priori, ac fratribus, eum, vt Hierosolymis remaneret, orantibus, Christi iussa exposuit; eiusque apparitionem, & reuelationem narrauit. Deinde prædicare cæpit, & sæpius vniuerso totius Ciuitatis populo congregato, sexaginta ferè millium hominum numerum excedenti, Christi reuelationes, tanto feruore, tantoque spiritus ardore manifestauit, vt non modo Christianorum plurimi, alij quidem, abstersis prioris vitæ maculis, ad vitæ integritatem sese contulerint, alij vero Religioni, & Regularibus Claustris perpetuò sese addixerint. Sed etiam ex Agarenis multi, & ex Iudæis non pauci, Mahumetica spurcitia, & Iudaica perfidia relictis, ad Christi fidem conuersi Sacramentum Regenerationis susceperint. Quibus peractis, multis alijs in Oppidis, & Vrbibus, Christi iussa executus incredibilem laborem subijt, & vitæ non pepercit.*

Alia eiusdē Angeli.

9 Ex Hierosolyma deinde Alexandriam profectus, & ibi ab Athanasio Patriarcha benignè exceptus, Reliquias præfatas, & Litteras ad Federicum de Claramonte Patriarchæ germanum, ab eo, nocte sequenti à Deo instructo, accepit, teste eodem Enoch in vita ipsius *cap.17.* illis verbis. *Post hæc autem, assumptis fratre Iosepho ex Oppido, quod Emaus nuncupatur, F. Petro ex Bethlehem, & me F. Enoch, Alexandriam versus iter facere cæpit; quo vbi peruenimus, illius Ciuitatis Patriarcha Athanasius; vir sanctitate, & fama nemini postferendus, quod iam Sanctissimi viri Angeli virtutem, et sanctimoniam percepisset, incredibili charitate nos suscepit. Cui Angelus post ardentissimā ad populū habitā concionē, Christi visionē, et mandata exposuit. At ille de Reliquijs designandis nihil penitus accepisse respondit, vltro tamen sese vir Sanctus obtulit diuinis se monitis obsequentem præstiturum. Nocte vero sequenti manifestissima visione, et certissimo Oraculo habito, Reliquias Angelo credidit, eiq; ad Federicum de Claramonte litteras dedit, atq; quo Christi præcepta exequeretur, omni eum humanitatis officio affectum dimisit.*

Profectus Hierosolymam.

Athanasij litteræ.

10 Litteræ autem eiusdem Athanasij Alexandriæ Antistitis ad Federicum fratrem, eidem Angelo hoc anno datæ, in quibus de reuelatione, seu visione sibi facta, reliquijs ipsi traditis, & sanctitate ipsius memoria, habetur, sunt istæ, ex præfata Enoch historia *cap. vlt.* extractæ, quibus similes habet Bzouius *sub hoc anno num.* 19. ex Bibliotheca vaticana.

11 *Athanasius de Claromonte Panormitanus Ordinis S. Basilii miseratione diuina Patriarcha Alexandrinus Dei seruorum minimus: Spectabili Viro, & nobili Federico de Claromonte Panormitano fratri suo salutem, & pacem. Frater Angelus Carmelita, vir doctrina, & sanctitate singularis, ac Spiritu Dei, ad diuina opera excitatus, tuæ spectabilitati voce viua renunciabit, quod præsentibus nos scriptis significamus. Nuper enim festo die Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, quum post matutinas noctis quasi circa horam nonam orarem in Basilica S. Ioannis Baptistæ ante sacratissimas eiusdem reliquias, vidi apud me hominem annorum triginta, vel circiter, cui aspectus nitens, & lucidus tanquam Sol totam Basilicam illustrare videbatur. Is indutus pellibus camelorum, & tenens manu vexillum sanctæ Crucis, ter vocauit me dicens: Athanasi, Athanasi, Athanasi, scito, & sis certus quod voluntas Dei est, & desiderium meum, vt Imago gloriosæ Virginis Mariæ, & reliquiæ quæ in hac conduntur Basilica, in Italiam mittantur. Non enim diù, quæ huic populo imminet diuinæ vltionis ira, differetur. Has fratri Angelo Ierosolymitano, qui in Insula Sicilia, pro veritate dicenda, Martyrium sustinebit, sicut & ego sustinui, credes, & resignabis: qui eas magna fide, & deuotione cum Socijs Petro, Iosepho, & Enoch portabit. Qua apparitione territus, & non mediocriter tremebundus, demum resumptis non nihil animi viribus, interrogaui quisnam esset; & ille, Ioannes, inquit, sum Baptista, præcursor Domini Nostri Iesu Christi. Cuius reliquiæ sunt in ista Basilica eas ad Federicum de Claromonte fratrem tuum deuotum, & timentem Deum mittas, qui cum Honorio Pontifice eas suscipiet, & vbi diuina voluntas disposuerit, honeste reponet. Et his dictis non amplius apparuit. Huius igitur oraculi præcepto moniti, habita prius oratione; et firmato nobis proposito, per ipsum Reuerendum fratrem Angelum præsignatum, et Socios eius ipsas reliquias tuæ spectabilitati mittimus. Reliquiæ autem hæ sunt: Imago gloriosæ Virginis Mariæ: Brachium, et tibia S. Ioannis Baptistæ: Caput Hieremiæ Prophetæ: bracchium Sanctæ Catherinæ Virginis, et Martyris, Tibia S. Georgij. De quibus, pro vt Dominus dispposuerit, consulto Sancto Patre Honorio Pontifice Romano, dispones piè, et religiosè, vt te præstare solitus es erga Deum. Audies autem plura ab eo ipso Reuerendo fratre Angelo, cuius colloquio mirificè delectaberis; quem, vt optimè dignoscas, et omni studio complectaris, hortamur. Est enim non minus opere quam sermone mirabilis, et præcipuus veritatis amator, ac fidei Catholicæ Defensor acerrimus. Cætera quę de ipso referri possunt admirandę sanctitatis opera, quod ipse, breuibus scriptis aßequi non possum, et tu (vt spero) facile cognosces, silentio prętereo. Vale in Domino Nostro Iesu Christo et orationibus S. Honorij Papę nos commenda. Datę Alexandrię anno Domini nostri Iesu Christi 1219.*

Hi

12 His litteris acceptis, Angelus cum Socijs Italiam pergens, & à Sarracenis captus, orans tamen mirabiliter liberatus, ea mirabilia patrabat, quæ in vita ipsius *cap.* 18. idem Enoch Patriarcha gestorum oculatus testis sic narrat; *Alexandria relicta, Kalendis Aprilis, Ianuensi nauigio freti, inde Siciliam versus soluimus: & prospera vsi nauigatione, quindecim dierum spatio ad Portum Siciliæ propinquum peruenimus. Forte autem ibi triremes quatuor infidelium latebant, quæ Ianuensium nauem de improuiso aggressæ capiunt: eamq; sexaginta, vel circiter Sarraceni ascendunt, & Christianos ferè omnes compedibus ferreis deuinciunt: Quibus Angelus dixit: Nolite Dei seruos, & amicos Christi offendere: Illi vero ira perciti in Angelum ruunt, quem dum ligare volũt, ille iunctis manibus hac voce orare cœpit: Libera nos Deus de manibus inimicorum nostrorum, & da gloriam nomini tuo, vt gloriemur in laude tua, & liberentur dilecti tui. Et his dictis, subitò ignis de cœlo descendere visus est, quo septuaginta, qui nauim ascenderant Sarraceni exusti, quasi in fauillas, & cineres conuertuntur. Alij vero, qui triceni in triremibus erant, omnes oculis capti, voce humili misericordiam petebant. Tunc Angelus ad triremes primus pertransijt, & Christianis, vt sequerentur animatis, hoc sermone vsus est. Quicumque vestrum, ò viri Ismaelitæ, corde sincero credet in Iesum Christum filium Dei, dicto citius, spiritus, & corporis lucem suscipiet, & denique æterna vitæ gaudia consequetur. Qua Angeli oratione omnes Sacri Fontis lauacrum susceperunt, & lucem obtinuerunt. Inde vero soluentes in Siciliam peruenimus.*

Profectio S. Angeli in Italiam.

13 Pergit deinde idem Enoch *cap.* 19. aduentum Sancti Angeli in Messanam, & miraculum ab eo ibi patratum, sic referre. *Primum itaque Messanam profecti Cœnobium Carmelitanæ professionis adiuimus. Prioriq; ex more obedientia præstita, & Cœnobitis salute dicta, hospitia charitatis accepimus, atque ipsa in Vrbe solemnia sacra peregimus, tota Ciuitate gestiente, spectaculo eorum, qui nuper Sacramentum fidei receperunt. Mulier tunc nobilitate insignis, nomine Constantia, filium mutum, vt eum sanum faceret, ante Viri Dei Sancti pedes constituit, à quo, Deo oratione facta, linguæ beneficium infans recuperauit. Tribus post modum religiosis sermonibus habitis ab oculis multorum tenebras effugauit.* Quod in hoc loco de Messanensi Cœnobio memoria fiat; confirmat id quod supra sub anno 1173. de illius antiquitate diximus, & qualiter Bonfiglius ibi relatus non bene dixerit pro anno 1267. primum eo Carmelitas aduenisse.

Aduentus in Messanam.

13 Ex Messana ad Vrbem veterem, quo Honorius Papa casu diuerterat, Sanctum Angelum cum Socijs peruenisse, Summum Pontificem, & Federicum de Claramonte conuenisse, eisque Reliquias, quas detulerat resignasse, cum alijs ipsius gestis, sic narrat idem Enoch vnus ex Socijs, *cap.* 26. historiæ. *Post hac, Messana relicta, ad Portum Vrbis veteris peruenimus. Erat autem ibi Honorius 3. Romanorum Pontifex, & Federicus de Claramonte. Angelus Christi Vicarium prius ex more salutat, & summa cum prosequitur reuerentia. A quo benignissimè suscipitur, ac de multis primùm Terræ Sanctæ mirabilibus deuotissimè interrogatur, & post mutui, & prolixi sermo-*

In Vrbem veterem.

nis colloquium, libero, et facili aditu sponte dato, quod sæpè redeat requiritur. Demum benignè Pontifice relicto, Federicum de Claramonte conuenit, et eum Patriarcha Athanasij fratris nomine valere iubet. Qui quanta humanitate, et quibus officijs nos cumulauerit, longum esset referre. Multis denique cum eo colloquijs habitis, opportunitate data, ipsis Pontifici, et Federico Sanctorum Reliquias resignauit: Sancti brachium, et tibiam Ioannis *Baptistæ, caput Hieremiæ Prophetæ, brachium S. Catharinæ, tibiam Sancti Georgij, et* Imaginem *B. Virginis. Eas honore incomparabili, et incredibili deuotione suscepit Honorius, et Angelum mirificè complexus, omnibus eum officijs humanitatis prosequitur. Et, vt ibi remaneret omni studio hortatur. Ille vero candidus, et humilis ingentes Pontifici gratias egit, & se ad Christi mandata vocari affirmat. Cui suæ professionis Cœnobitas Carmeli Montis commendat. Verum Pontifex, vbi eum quinquies publicè prædicantem audiuit, in eum mira deuotione accensus, et sanctitate, ac doctrina eius incredibiliter permotus, modis omnibus ipsum detinere nititur. Et mœstus tandem abeundi sollicitum, et inuitus, dimittit. Federicus B. Virginis* Imaginem *à Pontifice impetrat, et Angelo Panormum præferendam commendat.*

Quæ Romæ gesserit.

14 Post quæ Romam venisse, & cum SS. Viris Dominico, & Francisco, colloquio habito, mutuis sanctitatis, & prophetiæ signis effulsisse, ex eodem vitæ ipsius Authore Enoch Patriarcha *cap.* 21. sic exscribimus: *Relictis Honorio, et Federico, Romam venimus, vbi loca Sanctorum omnia deuotè lustrantes, mane primo, maxima tum Cleri, tum populi multitudine coacta, in Basilica Sancti* Ioannis *Lateranensis Sanctus Dei Angelus magno spiritus feruore prædicare cæpit. Aderant ibi Sancti Dei viri Franciscus, et Dominicus, quos quum nunquam antea vidisset, supernæ claritatis splendore mens illustrata cognouit, et nouas, sed solidissimas Eccles. columnas adesse prædixit. Sermone tandem finito, Sanctus Dominicus spiritu eleuatus dixit Sancto Francisco, hic est Angelus Hierosolymitanus, Christi, et fidei Cathol. defensor, et declamator ardentissimus, qui doctrina, et sanctitate vitæ incredibiliter Christianæ fidei profuit. Cui Sanctus Franciscus respondit: Hic ille est Ciuis cælestis, qui in Sicilia Martyrio coronabitur. Et ambo simul animo hilari ad Sanctum Angelum veniunt, et eum incredibili humilitate salutant, ac mutuo pacis osculo prosequuntur. Tunc Angelus, Saluete, inquit maximi Christianæ Militiæ Doctores, dominicæ impugnator hæresum strenuissime; et Francisce Christi præcipuè imitator, qui virtute humilitatis vera portabis stigmata Christi. Dominicus verò, tu, inquit, Angele, gaude, et letare; tibi enim Christi priuilegio datum est, mortiferam hæreticorum rabiem compescere, Christianum nomen defendere, & Ecclesiam augere, & illustrare. Et Franciscus subdit: Tibi, Angele, veritatis defensor, merito gestiendum est: breui namque in Sicilia Martyrio vita militiam terminabis; & triplici Laurea coronatus diuinæ fruitionis, & sempiterni gaudij præmia suscipies. Ad hæc Angelus: Vobis, sanctissimi viri, vobis magis gaudendum; quibus Christianam Rempublicam fælicibus cæptis meritis, & doctrinis amplificare concessum est. His, & alijs vltro, citroque inenarrabili charitatis*

ardore

ardore dictis, seorsum cedentes, de multis, & magnis Scripturarum, & fidei Mysterijs humiliter inter se aliquandiu locuti sunt. Quibus ita agentibus fœlicem qui aderant diem, & rarum, ac singulare spectaculum dixerunt; quo simul tria mundi lumina in vnum conuenerint. Inde verò simul procedentes, quum prope ad Sanctam Sabinam peruenissent, homo genere nobilis leprosus offert se obuiam eis, dicens: Orate Sanctissimi Viri, vt Deus fœdo hoc morbo vestra intercessione me liberet, quem illi in pacem abire iubent; & subito sanus effectus dat gloriam, & honorem Omnipotenti Deo. Angelus autem cum Dominico, & Francisco, diem illam, & noctem diuinis sermonibus, & oratione transegit.

15 Hoc SS. Dominici, Francisci, & Angeli colloquium referunt, præter Enochum, huius historiæ Authorem, alij graues Authores, præsertim Franciscus Maurolicus *in Martyrologio*, Thomas de Truxillo *Tom. secundo Thesaur. Concionatorum ad 5. Maij*, Petrus de Natalibus *in vita Sancti Angeli* post librum duodecimum de Sanctis nuper canonizatis *cap. 10.* Bzouius *Tom. 13. Annal. circa ann. 1220.* Lucas Vvadingus *Tom. 1. Annal. Minor. circa ann. 1216.* Petrus Rodulphus Fossinianensis *lib. 1. pag. 12* apud Petrum Sarracenum in vita Sancti Angeli. De quo etiam egregiè Baptista Mantuanus *lib. 4. Fastorum* in mense Maij sic canebat. Colloquium celebre.

Cum Mare transisses, cupiens inuisere Romæ
Reliquias, Sacros cineres, monumentaque Patrum,
Et Lateranensis stares in limine Templi,
Contigit æternis res memoranda diebus.
Nam Minor Æstruscæ veniens de Monte Lauernæ
Ad tua Franciscus sese vestigia flexis
Prostrauit genibus, sacris dedit oscula plantis.
Insuper adiecit, salue Pater Angele montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta; Christi
Testis erit: tibi Rex diuum decus annuet istud.
Te quoque Francisco memorat responsa dedisse
Talia, soluendę tanto pro munere grates,
O Francisce, Deo: sed erit tua gloria nusquam
Inferior: tibi Christus enim sua vulnera quinque
Imprimet, & fies Christi patientis Imago.
Dominicus, Hispanis, qui tunc veniebat ab oris
Forte aderat tam mira notans præsagia Patrum,
Et tulerat casus mundi hæc tria lumina in vnum.

Et lib. 10. sic idem factum, solito sibi lepore commendat.

Et quasi mente tulit Deus apparere figuras
Illius in membris voluit: nam vulnere pectus
Vulnere signauit, palmas, & vulnere plantas.
Sicque sigillato Christus se expreßit in illo,
Sicut ab Aßyria veniens regione futurum
Angelus admonuit Laterani in limine Templi.

Hinc

Hinc idem Author *in Apologia pro Carmelitis*, non habere Minores pro S. Francisci Stigmatibus testimonium aliud magis idoneum prophetica hac B. Angeli prædictione scripsit. Quod sanè accipiendum de purè humanis testimonijs, vt primum cedamus locum Ecclesiæ, quæ præfatam Stigmatum impressionem in corpore S. Francisci Diplomatibus comprobauit. De quo Sacræ huius Religionis monumenta copiosè loquuntur.

Conuentus S. Iuliani.

16 Hoc autem tempore, quo Romæ B. Angelus commoratus est, pro vt, ex maiorum traditione accepimus, in Ecclesia S. Iuliani ad Trophæa Marij in Montibus habitauit. Ex tunc etenim Honorij Summi Pontificis gratia, & in prædictum S. Angelum deuotione S. Iuliani præfata Ecclesia Ordini concessa fuit. Idque testatur antiqua Almæ Vrbis consuetudo qua constat Religiosos nostros in publicis processionibus sacros Minorum, & Eremitarum S. Augustini Ordines antiquitate præcedere; prædicti S. Iuliani Monasterij maximè causa, & Sedis Apostolicæ voluntate, ac decreto. Fauet etiam Octauius Pancirollus in lib. cui titulus *Thesori nascosti dell'Alma Città di Roma*. anno 1625. Romæ impresso; loquens de prædicta Ecclesia S. Iuliani, quam inter Ecclesias in Montibus sitas *num*. 17. describit. Vnde sub anno 1289. Pontifice Nicolao Quarto, pro vt constat ex memoria & manuscriptis R.D. Pauli de Angelis, pro venditione cuiusdam domus positæ in Regione Montium, quam quidam Processus de Capuccinis vendebat Theodino de Nomana, testes referuntur quidam Salustius, & *Frater Andreas Prior fratrum Sancti Iuliani*. Quo prædicta traditio corroborari videtur, præsertim cum alio tempore quo primum hæc Ecclesia sub nostro Ordine fuerit, memoria non extet.

Ann. Christi 1220. Honorij 3. Roman. Pontif. 4. Friderici Imperat. German. 10. Roberti Imperat. Orient. 1. B. Brocardi General. 33.

Gesta hoc anno.

1 Fridericus Secundus Imperator hoc anno Romæ, quo vna cum vxore Constantia venerat, coronatur ab Honorio Papa. Honuphrius, Nauclerus, & alij neotherici. Capta etiam Damiata magna præda Christianis contigit diuidenda, magnaque cædes, Barbaris deploranda, cum ex 70. millibus puberum (nam infirmior ætas, ac reliqui omnes fame, pestilentiaque consumpti sunt) tantum tria millia intra Ciuitatem sunt inuenta. Robertus etiam Petri Imperatoris Græcorum filius Constantinopolim veniens, Imperatoris nomine ab omnibus salutatur. Bzouius, Gordonus, & alij.

S. Angeli.

2 Sub hoc eódem anno, qui vltimus fuit fæliciſſimæ vitæ S. Angeli, Roma relicta, Italiam peragrabat, Dei verbum seminando: aliqua etiam nis Monasteria suscipiendo; donec vltimo Siciliam, & Panormum perue-

niens

niens, in ea Insula signis, & virtutibus effulgens plures Deo, & Carmeli Ordini animas lucrifecit. Quæ Enoch huius itineris socius cap. 22. Vitæ eiusdem Sancti Angeli, sic scripsit: *Benigna tandem à Summo Pontifice Honorio 3. venia impetrata, & sanctis Dominico, & Francisco in Christo valere iussis, ab Vrbe profectus cum socijs per superiorem Italiam iter longum faciens, vbicunque moram trahere oportuit, Euangelizando, & verbo, ac opere in fide construendo, multa, & admiratione dignissima fecit miracula. Et aliqua, tum in Appulia, tum in Campania suæ professionis Cænobitis loca suscepit, ac tandem in Siciliam peruenit, vbi prima Panormus ei hospitium dedit, in Monasterio S. Mariæ cognomento de Grotta Ordinis S. Basilij, vbi Athanasius monasticam duxit vitam, antequam in Alexandrinum Patriarcham aßumptus foret: quoniam nondum ibi domus Carmeliticæ profeßionis eßet. Hic spiritus feruore incomparabili, diebus quadraginta quotidianis sermonibus vacat Angelus, & incomparabilia conuersionis opera, & fructus incredibiles protulit. Nam & Iudæorum septem supra ducentos, conuersi sunt, & de Ismaelitis plurimi, Christiani vero fere omnes ad pænitentiam redacti. Infirmi quoque non pauci diuersis ægritudinibus vexati, ad sanitatem restituti. Quibus peractis, eisdem assumptis socijs, maiorem Insulę partem, vbi Sanctus sua prædicatione opus esse, Christo inspirante, cognoscebat, verbum Dei seminando peragrat, plurimisque interim Carmelitanæ profeßionis habitum concedit, & loca aliqua Carmelo addit, ac denique Agrigentum, vt illius Vrbis Antistitem reuerenter salutaret, proficiscitur.*

3 Circa quæ id primo animaduertendum, quod etsi in hoc cap. 22. quo primum Aduentus Sancti Angeli in Panormum describitur, nihil dicatur de Imagine Beatissimę Virginis Marię à sancto Luca, instante Tecla Virgine Pauli Discipula, depicta, quam e Roma a Pontifice impetratam Federicus de Claromonte per ipsum Angelum deferendam Panormum miserat, pro comperto tamen est eam Ciuitati, vel potius Ecclesiæ, delatam consignasse. Constat enim eam in Metropolitana Panormi Ecclesia adhuc reseruari, prout in speciali discursu de hac re, & in eadem Ciuitate sub anno 1597. typis edito, Canonicus Ioannes Baptista de la Rossa testatur; & ex fide dignis testimonijs confirmauit decreto illustrissimus D. Didacus de Haedo Panormitanus Archiepiscopus eodem anno, affirmans eam Imaginem in thesauro dictæ Metropolitanæ Panormi Ecclesiæ reseruari, & pro pace danda Archiepiscopis afferri, ac in Processionibus per Hebdomadarium ante pectus gestari solitam. Plaudat ergo inclyta Ciuitas tanto dono decorata, & S. Angelo Carmelitæ ex Alexandria Panormum deferenti gratias reddat. Notatio.

4 Ordinis porro Cœnobia, quæ testante Enoch in præfata historia, in Appulia, & Campania, S. Angeli è Roma Siciliam petentis industria Carmelo addita sunt, duo præcipuè numerantur. Brundusinum nempe in Appulia, & Grotta minardense in Campania, seu Neapolitana Prouincia. Brundusij autem Conuentum ex eis fuisse, anno 1194. diximus, & in sequenti etiam dicemus. De Conuentu etiam Grottaminardæ, fuisse, Ordinis Cœnobia.

vide-

videlicet S. Angeli opera Ordini datum testatur Franciscus Cheraleus *in tractatu de Prouinc. Ordin.* loquens de Neapolitana. Consonat & relatio Conuentuum Italiæ ad Innocentium Papam X. facta; quatenus in ea dicitur, esse valde antiquum; ac credi fuisse supra 400. annos, vel circiter. Dicitur quoque ex assensu Patronorum Domus de Aquino erectum fuisse.

De Conuentu Capuano.

5 Sunt etiam qui credant, eo etiam tempore, S. Angeli doctrina, & prædicatione, Ordini fuisse adiectum Conuentum Capuanum. Quod ex eo sibi persuadent, quod sub anno 1317. in scriptis authenticis habetur fuisse in eo non solum Priorem, sed etiam Lectorem, quod arguit iam Monasterium perfectum fuisse; cum Lectores solum in similibus Conuentibus assignari soleant. Res quidem vsque modo sub dubio est, donec clariora suppetant monumenta. Illud pro comperto videtur ex relatione Conuentum Italiæ facta Innocentio X. ipsum esse valde antiquum. Ex relatione quoque, seu notitia Ecclesiarum Capuæ D. Michaelis Monachi Canonici Capuani, vidimus eum esse Conuentibus aliorum Mendicantim coæuum, & nostros Carmelitas ea in Ciuitate duos habuisse Conuentus, alterum circa flumen in Suburbio Pontis sub inuocatione S. Mariæ de Constantinopoli; alterum, qui nunc extat, in Ciuitate, qui & numeratur in instrumento Thesauri anno 1317.

De Panormi Cœnobio.

6 Id autem quod præfatus Enoch Patriarcha verbis relatis *cap. 22. hist. S. Angeli* adiunxit, videlicet, dum primum Panormum peruenisset in Monasterio Sanctæ Mariæ cognomento de Grotta Ordinis S. Basilij hospitio fuisse receptum; quia nondum ibi domus Carmeliticæ professionis esset, difficile apparet, propter ea, quæ tomo præcedenti diximus de nostri Ordinis Monasterio Panormitano sub anno 1118. *habito*. Quod corroborat Reuerendissimus Dominus Abbas Roccus Pirrhus Ecclesiarum Siciliæ diligentissimus historicus, qui in litteris ad Generalem Stratium sub anno 1637. quas vidimus missis, ingenuè fatetur sub præfato tempore anni 1118. Carmelitas fratres, & Moniales Panormi sedem habuisse, & S. Angelum id circo solum apud præfatum Basilianorum Cœnobium hospitem diuertisse, quod Athanasius de Claromonte Alexandrinus Patriarcha, qui ipsum Angelum pro Reliquijs portandis Italiam miserat, eiusdem Monasterij Cœnobita fuisset. Adhuc tamen difficultas restat in illis Enochi verbis, quibus astruit, eo tempore aduentus Sancti Angeli in Panormum, Carmeliticæ professionis domum in ea Ciuitate non fuisse. Ad quæ nec incongrue responderi facile potest quod, cum iuxta dicta sub anno 1206. & 1207. propterea quod in regula nuper à B. Alberto nostris tradita prçciperetur quod in locis quæ inhabitare proponerent, Cœnobij structura talis esset, vt singuli fratres singulas haberent ab alijs cellulas separatas, in quibus, noctu, diuque in legis Dominicæ meditatione iugi manerent, & in cellularum medio Oratorium construeretur, Priorisque cellula in introitu loci semper esset, necessarium illis foret non solum Cœnobia, quæ de nouo accipiebant

bant, iuxta prædictam formam construere; sed etiam, quæ jam primitus Ordinis essent mutare, seu innouare conformiter ad præscriptum Regulæ. Panormitanum autem istud Cœnobium propterea quod in ipso Ciuitatis veluti medio situm esset vix posset tantam mutationem sustinere, idcirco eo relicto ad aliud proximum desertum, vbi commode iuxta Regulæ institutionem viuere possent, diuertisse fratres illius autumamus: licet postea, cum sub Innocentio IV. loca habendi vbicunque illis data essent facultas concederetur, ad pristinum locum habitandum redijsse. Hæc ergo, vt putamus, causa fuit quod S.Angelo Panormum perueniente, in ea Ciuitate Ordinis Monasteria eo tempore non fuisse in vita ipsius describatur. Quia videlicet ad eremum aliquam, vel proximum Panormo desertum locum per aliquod tempus Eremitæ nostri Regulæ obseruantiæ zelatores diuertissent. De hoc etiam Monasterio, & alijs, quæ Panormi sequentibus temporibus fundata sunt, scribit idem Pirrhus *in notitijs Ecclesię Panormitanæ pag. 218.*

7 Huic peruetusto Panormitano Cœnobio subijciebatur olim, ab anno 118. vel circiter, quo erectum est, alterum Monialium in ea inclyta vrbe, sub titulo *S. Mariæ vallis viridis*, quod commemorat idem Pirrhus supra pag. 221. Etsi (quod valde mirum, & singulare est) de eo dicat, quod Priorissa ipsius Cænobij in cœteras Moniales siculas nostri Ordinis, tanquam Prouincialis ius diceret, & quod ipse legerit sententiam quandam ab ea ratam contra Flaminiam de Buffalis è Monasterio Messanensi. Forsan hic vsus ex Orientis partibus ad istas Carmelitanas Virgines deriuatus. Alia de ipsis idem Pirrhus *vt supra.* Quę confirmat in alijs litteris ad Generalem Stratium anno 1637. missis, in quibus scribit Adelasiam Ierosolymitanam Reginam è Ierosolymis, Siciliam, vbi ipsius filius Rogerius regnabat, reuersam, secum aliquos Religiosos portasse, & vt creditur, etiam Carmelitanos nonnullos, ipsisque fundasse Panormi domum, aliamque Messanæ. Monialium Cœnobium.

8 Et Panormo deinde Agrigentum profectus, interim per balnea Cephalitana Angelus transiens, septem mundauit leprosos, & postea Panormitanum Antistitem ab incurabili infirmitate liberauit, prout eius vitæ historicus Enoch Patriarcha *cap.* 23. sic descripsit: *Porro transeunti per balnea Cephalitana, in ipso thermarum loco inuenti sunt septem viri leprosi, videlicet Ioannes Drepanensis, Pinus Thermensis, Franciscus Pactensis, Andreas Nothensis, Lazarus Randacensis, Antonius Calatanixensis, Manfredus Sutheranus.* Quibus cum aliquandiu balneorum custos contenderat, prohibens ne balneum intrarent, ipsum leprosorum non esse attestans; Tum ille, eorũ controuersiam audiens dixit: Pacẽ habete precor Viri Christiani, & audite obsecro: creditis ne balnei virtute sanitatem vobis restitui posse? At illi; credimus, inquiunt. Tunc Angelus, error certè vester est, viri Christiani: alia enim via sanitas vobis quærenda est: pœnitere vos peccatorum oportet, contritione præuia, confessio vestra est medicina, qua si- S.Angeli mirabilia.

ne balnei ingressu iam liberati eritis. His auditis, Sancti viri monitis parent,& pœnitentiæ Sacramentum perficiunt: quos Angelus proximi fontis aqua proprijs manibus lauat, & oratione præhabita per virtutem Iesu Christi lepram abire iubet; subitoque eorum carnes mundissimæ visæ sunt, ac si nunquam lepræ contagio laborassent. Sanatis vero Angelus dixit: cauete ne in aliam peccando grauiorem ægritudinem incidatis: scelus enim infirmitatis causa est,& peccatum in Deum, & proximum. Fecit autem vir Dei Sanctus hoc miraculum palam, quod manifestum fuit viris centum, & triginta præsentibus, præcipuè verò Gotfrido Panormitano Archiepiscopo, qui doloribus pressus, in balneis morabatur; & Deum magnificans in Sancto viro Angelo, subito & ipse sanus fuit. Ita Enoch.

Agrigenti gesta. 9 Quæ vero Agrigenti egerit, ipse Enoch *cap. 24.* sic declarauit, alijs quoque præmissis. *Discessurum Angelum Antistes Panormitanus multis precibus detinere nititur, quem vbi conformato animo abiturum videt Agrigentum vsque comes sequitur, vbi quinquaginta dierum spatio quotidianis prædicationibus Angelus ipse operam dedit, et populum ad pænitentiam, et deuotionem, vsqueadeo conuertit, vt ferè tota Ciuitas opera pietatis, et Religionis complexa, vberrimas salutis fruges proferret, Summo Dei, et Catholicę fidei cultu, iustitia obseruantia, et pacis, fidelibus restitutis. Illuc paralytici, dęmonibus vexati, cæci, surdi, leprosi, alijsque infirmitatibus varijs oppressi, à diuersis Insulæ partibus confluentes; meritis Sancti Angeli recuperatæ sanitatis beneficium receperunt.*

Agrigentinũ Cœnobium. 10 Extat in hac Agrigentensi Ciuitate vetustum Ordinis Cœnobium quod ante hoc tempus, quo per ipsam Sanctus Angelus Leocatā tendens, iter faciebat, primitus extasse comprobatur. Constat enim in huius Monasterij Ecclesia, Altare quoddam pia fidelium deuotione coli; quod in ipso S. Angelus Missā celebrasse traditione feratur. Similiter Roccus Pyrrhus *in notit. Ecclesiar. Siciliæ,* loquens de Ecclesia Agrigentina hæc habet. *Beatę Marię de Monte Carmelo antiquissimum Cœnobium est circiter annum salutis* 1200. *vt notat Ægidius lib. 3. cap. 3. in viridar. Carmel. Vt primum Eremitæ Carmelitani in Siciliam traiecere, hìc incoluisse, atque pluribus ægrotis sanitatem restituisse D. Angelum Carmelitam Hierosolymitanum tradit historia ab Enoch conscripta cap. 25. deinde forte à Claramontis viris pręcipuis ampliatum, ac nouis nobilitatum ædificijs. Ex Facello dec. 1. lib. 6. fol. 137. Id extra Vrbis mœnia in Regione Sarracenicæ dicta* Rabatellum *visitur. fratr. 10. vnc. 210.* Hæc Roccus Pyrrhus de hoc Conuentu loquens. Ex quibus elicitur circa ann. 1200. primo erectum fuisse, prout eo loco diximus.

Gesta Leocatæ. 11 Gesta porro ipsius Sancti Angeli Leocatæ iam manentis, sic prosequitur idem qui supra Enoch *cap. 24.* historiæ eiusdem Sancti. *Kalendis martijs dimisso Agrigento dicatam peruenimus quos præcipuè Christi Domini nostri præcepto ad prædicandum missus fuerat Angelus, venit, & nobiscum Panormitanus Antistes Angeli Sanctissimi diuino colloquio mirifice delectatus, in*

cuius

cuius domo hospitari; & cum eo diebus aliquot permanere, antequam nostrę professionis locum, qui non multis ante annis ibi constructus fuerat, ingrederemur, multis eius precibus coacti fuimus, misso ad Priorem loci Fratre Iosepho, & venia impetrata. Denique, Religionis domum ingredimur, & omnibus iuxta professionis morem peractis, haud multo post cępit Angelus vehementissimo sui spiritus fervore prædicare, vitia arguere, peccata detestari, incestum damnare, sacrilegia, stupra, & id genus facinora, quibus ira Dei prouocatur, taxare, pœnas & supplicia, quæ subituri sunt obstinati proponere, Dei vltionem ad memoriam reuocare, iustitiam docere, scripturarum dogmata aperire, & alia huiusmodi declamationibus quotidianis agere: quibus plurimi, licet maximis inuodati sceleribus & malis malorum artibus irretiti forent, ad cor rediere, gemitu, & lachrymis cordis dolorem præseferentes, & Dei misericordiam implorantes. Quos Belingarius Tyrannus ore impudenti ridens subsanabat, quem S. Angelus, seruato charitatis & fraternæ correctionis ordine, quamsæpissimè monuit, vt Deum metueret, incestum dimitteret, Christi legationem audiret, & ita quidem monuit, vt nihil pretermissum relinqueret, quod ad eius reductionem attineret. At ille in dies insolentior effici, in malitia gloriari, & obdurato, ac inflammato animo, iura, leges, & diuina oracula detestari, iustitiam contemnere, Deum execrari, aliaque huiusmodi factiosa tyrannide fretus agitare cepit, Angelo denique metum incutere, vt prædicare desisteret, minis, & multis modis tentauit: namque homini perditissimo, aliorum etiam resipiscentia, & ad Deum conuersio mirum in modum displicebant, omnesque suæ perditionis participes fieri cupiebat. Verum Angelus Christi præcepto intentus, Spiritu ardentissimo quotidianæ prędicationi incumbebat, donec tandem, eo prædicante mulier nomine Margarita, cum tribus filijs, quos ex fratre Belingario carnaliter cognito conceperat, pænitentia adducta, quinto Maij die, quo maior Litania est, coram toto populo flens amare, & magno cordis dolore incensa in medium processit, vbi: Precor, inquit, Angele Sancte, pro nostra salute a Deo misse, vt ores pro me miserrima muliere, quæ diabolicæ potestati subiecta diu vix expiabili peccato detineor. Iam enim transiguntur anni duodecim, quibus cum fratre meo Belingario, de quo hosce concepi filios, in nefandissimo scelere persiti. Cui Angelus: Deus clemens, & misericors, qui te conuertit ad pænitentiam, peccatis tuis parcere dignetur. Hoc crimine sic manifestè a muliere pronuntiato, Belingarius *spiritu diabolico magis agitari cæpit, & Sanctum Dei Angelum, cuius prædicatione mulier ad pænitentiam conuersa, peccatum protulit, interficere disposuit.*

12 Ex hac autem historia habetur, primum & antiquiorem Ordinis Leocatæ Conuentum ante S. Angeli in Siciliam aduentum fuisse cum in relatis verbis dicatur illuc missum ad Priorem ipsius Fratrem Iosephum eiusdem Sancti Socium, & quod is nostrorum locus non multis ante annis constructus fuisset. Quibus consonant ea quæ anno 1200. de eo diximus ex Ægidioleone, & Rocho Pirrho. Est autem hoc Cœnobium extra vrbem, sed ipsi proximum. Vt enim sæpius vidimus, antiquis temporibus nostri Patres in locis desertis, seu eremis, prout commodius poterant Leontinense Cœnobium.

Cœnobia construebant, & post datam ab Alberto Regulam iuxta formam in Regula præscriptam, videlicet, quod *cellulæ ab inuicem separatæ sint; in medio ipsarum Oratorium; & cellula Prioris iuxta introitum loci.* Mari quoque proximum cum sit Infidelium rapinis expositum manet. Contigit autem aliquando, vt cum Mahumetani quidam Piratæ huius Monasterij hortum prædandi causa ingressi essent, & campanam, quam fratres ibi, vt in Campanili mox reponerent, collocauerant, Turcæ secum ad galeas in mari efferre tentarent, apum numero impetuosè ex horti alueari-bus egresso, nimio pauore exterriti sunt, vt relicta præda, fugam capere, Deiparæ Virginis, & S. Angeli intercessione à fratribus instanter postulata, coacti essent. Mirabilem, ac pro miraculo habitum casum refert Franciscus Cherascus *in tract. de Prouincijs Ordin.* loquens de Prouincia S. Angeli in Sicilia, quem paucis ante annis accidisse commemorat. De alia autem in eadem Leocatæ vrbe recẽtiori Ordinis Monasterio, vbi S. Angeli corpus conditum erat, sequenti tomo dicemus. Interim autem legendus Rocchus Pirrhus *in notitijs Sicilien. Ecclesiarum*, dum loquitur de Ecclesia Agrigentina, & Leocata, seu Alicata, vbi etiam casus aliquot, qui in hoc Cœnobio, & circa illud contigere.

Leontinense Monasterium.

13 Leontinense etiam Cœnobium in eadem Siciliæ Insulæ hoc eodem tempore prædicationis S. Angeli, & ipsius industria, Ordini additum refert idem, qui vt supra Cherascus *in præfato Tract.* dum loquitur de Neapolitana Prouincia, quod authenticis scripturis constare affirmat. Verum tamen in ea Ciuitate à multis etiam sæculis fratres nostros primitus mansionem habuisse ex ijs quæ tomo tertio præcedenti ad ann. 827. afferimus, comprobatur. Credimus tamen S. Angeli prædicatione, & Martyrio maiora incrementa, sicut & totum Ordinem, hoc Leontini Monasterium sumpsisse. Idem iudicium habendum de eo quod Rochus Pirrhus *in notit. Eccles. Syracusana*, de hoc Cœnobio dicit ex Ægidio *in suo Viridar. lib. 3. cap. 3.* Videlicet, anno 1200. incepisse, & extra Vrbem, ac sub titulo *D. Mariæ Annuntiatæ*, quia capita eiusdem Beatiss. Virginis, & Angeli annunciantis elegantissime sculpta è Hierusalem eo transtulerunt fratres nostri. Omnia etenim ista admitti possunt, eo excepto, quod dicitur de fundatione huius Cœnobij (intellige prima) sub anno 1200. Subdit etiam ibi adfuisse SS. Angelos, & Albertum; ac quod ex priuilegio Mariæ Reginæ Siciliæ tempore quadragesimæ Concionator Ciuitatis in eo Templo sermonem ad populum habet.

S. Ioannis Baptistæ apparitio.

14 Ad ipsius S. Angeli passionem iam reuertentes, qualiter pro ipsa fortiter, & strenuè sustinenda à S. Ioanne Baptista per visum confortatus fuerit, & alia, quæ eo tempore acciderunt, ex eius historia per præfatum Enoch descripta *cap. 26.* sic habemus: *Nocte itaque sequente Angelo Ioannes Baptista apparuit, quem Domini Iesu verbis hortatus dixit: scito Angele, humilitatem, obedientiam, castitatem, constantiam, aliasque, quibus te dotauit Altissimus virtutes tuas, ipsi Domino Iesu Christo, & magnæ eius Matri sem-*

pro Virgini mirificè placuisse, quo circa gaude, & letare, mortem breui gloriosam recepturus; quia exultant Angeli te simul cum Sanctis in patria expectantes. Accingere igitur sancto operi, & quinto die Maij sanguinem tuum pro veritate effundens, intrepidus Christi miles, qui commisso prælio, & victoria parta, victor trophęo perducaris ad gloriam. His auditis, gratias Deo immensas egit; & Ioannem Baptistam veneratus, eius intercessionibus apud Deum & Virginem se plurimum commendauit. Manè vero primo Dominicis expletis officijs, vocat Angelus fratrem Iosephum, fratrem Petrum, & me Enoch, quibus Sancti Ioannis Baptistæ visionem recitat; & quinta Maij die se amore Christi gladio peremptum iri affirmat. Cui Petrus, euitanda inquit, hęc mors est, & hinc nobis sine dubio secedendum. Nec defuerunt persuasiones, tum ab eo, tum ab alijs adductæ vt inde abiremus. Cęterum omnibus auditis, tandem ipse, orate inquit, obsecro filij, vt quod ordinatum est Deo Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, hoc martyrium intrepido, & constanti animo pro Christo patiar. Iam enim, vt Apostolus cupiebat, et ipse nunc maximè cupio, dissolui, et esse cum Christo: mox vero subiunxit sæpius repetens sufficit, sufficit, sufficit mihi, Domine tolle animam meam.

15 Prosequitur deinde idem author *cap.27.* præfatæ historiæ felicissimum S. Angeli pro Christo, & veritate agonem, ipsiusque preciosissimam mortem, & passionem, cum alijs mirabilibus, quæ eodem tempore acciderunt. *Adueniente quinta die Maij, re diuina peracta in Basilica Apostolorum Philippi, et Iacobi prope mare coacta populi multitudine quinque hominum millia excedente Angelus prędicare cępit tanta Diuini furoris efficacia, vt omnibus de Cęlo missus Nuntius iudicaretur, qui hominum mentes, neglectis mortalibus curis ad cęlestia subleuaret. Mirabatur iam vniuersus populus vultum eius, et suspiciebat faciem quasi candentem, vt fulgur. Quo sic prędicante, superuenit Belingarius furijs plusquam cerbereis agitatus, magna sceleratorum, et suę coniurationis coborte comitatus, et populo spectante, Pulpitum ascendit, atque Angelum diuino operi innixum, tanquam agnum mansuetum sanguinolentus inuadens, quinquiesque pugiore percutiens, quinque lethalibus plagis transfodit. Quod sacrilegum, et nefandum facinus contra innocentissimum, et vere Angelicum virum impiè, et nequissimè commissum, Populus non sustinens, sanguinarium Tyrannum interficiendum insequitur. Angelus vero lętalibus affectus vulneribus iugiter eius corpore sanguinem effundente, nullo dolore percitus, nullo percussus metu, sed vultu hilari, et alacri voce Populum hortatur, vt Belingarium dimitteret, eiusque sororem potius ad pęnitudinem conuersam, ne à furente trucidaretur seruaret. Positis deinde genibus Crucifixi imaginem versus iunctis manibus, et oculis eleuatis pro vniuerso Populo, et obitus sui memoriam agentibus, orauit, Crucifixum deprecatus, vt, qui pro omnibus passus esset, suis etiam persecutoribus ad pęnitentiam conuersus veniam concederet, et diei illius, ac obitus sui memoriam agentibus optatam omnem gratiam impertiret. Qua oratione peracta, psalmum cantare cæpit, Beatus vir, qui non abijt in consilium impiorum; & psalmum, In te Domine speraui, non confundar in ęter-*

S. Angeli mors.

æternum, & vbi peruenit ad illum versum: In manus tuas commendo spiritum meum, audita vox est de cælo: Veni Angele ad Regnum tibi, & electis meis paratum à constitutione mundi, vt gaudeas cum Sanctis, ac inter Angelos in Cælis colloceris, & cum Martyribus in æternum viuas, qui in superna Hierusalem, triplicem iam tandem aureolam meruisti. His auditis, felix anima, seu columba candidissima è corpore exiens visa est, & lux Sole splendidior, supra Sanctissimi Martyris corpus videri, & cantus suauissimi, ac mirabiles audiri cœperunt. Odores insuper de corpore illo ineffabiles exierunt, quorum fragrantia incomparabili Oppidum impletum est. At Belingarius domum accurrens, cum sororem interficere nequiuerit, conscius tanti sceleris, suique impotens, ac desperatione (sic diuina vltione permittente) superatus, laqueo se (vt Scarioth olim Iudas) suspendit; cuius corpus locis profanis Populi vniuersi decreto expositum, atque insepultum feris relictum est dilacerandum.

Visio eiusdē 16 Qualiter etiam eiusdem Sancti Angeli gloriosa anima Panormitano Archiepiscopo absenti apparuerit, corpus suum sepeliendum commēdans, sic narrat idem Enoch Patriarcha, *cap.* 28. vitæ Sancti Angeli: *Ea die Gotfredus Antistes Panormitanus, prædicationi Martyris Angeli, prout consueuerat, alijs impeditus interesse non potuit, domique cum lectionibus Sancti Bernardi vacaret, clarissima luce refulgens ipsius Martyris Anima thalamo clauso commoranti apparuit dicens: Gotfrede Antistes vale, & quod facis, Deum time. Ego vero Christum pro te orabo ad Cælestium patriam profecturus. Tunc Gotfredus non mediocriter territus. Quis obsecro es? Ille vero: Ego sum Angelus Carmelita, hodie gladio peremptus in Basilica Apostolorum Philippi, & Iacobi. Vade, & sepelias corpus meum in loco ipso, vbi Iesu Christi amore Martyrium sustinui, & pro iustitia, & veritate morti traditus fui.*

Sepultura. 17 De sepultura tandem, & alijs miraculis eiusdem Sancti Angeli sic prosequitur idem sæpius relatus Enoch *cap.* 29. Vitæ ipsius: *Tristi hoc accepto Nuntio, incomparabili Antistes dolore conficitur, nec potest se lachrymis temperare, tanti viri iacturam ex corde deplorans. Quumque non multo post multi insigni pietate viri, imo de pectore suspiria trahentes; ipsique præcipuè Carmelitici Cœnobitæ, luctu, & amissi tanti Patris dolore, & gemitu ducti ad Antistitem illum tanquam præcipuum Martyris amatorem conuenissent, Præsul ipse alios consolaturus consolatore indigere videbatur, casum lugubrem miseratus amici, cuius virtutem nouerat, cuius Sanctitatem satis laudare non poterat. Procedit itaque cum tota familia Populi lamentationes, quibus Oppidum complebatur audiens, & vbi tandem peruenit ad Sanctam Basilicam, odoris fragrantia, & cantu Angelorum mellifluo, quasi raptus, non nihil sistere iubet. Mox Sanctum corpus reuerenter veneratus, & voce lamentabili minus audientem, sic est affatus amicum. O Angele veræ pietatis amator, Christi Athleta fortissimè, quæ tanta erynnis furentem illius exciuit animum, qui te vnicum Sanctitatis exemplar, crudelibus his vulneribus fœdauit. O mentem sacrilegam! O pectus efferum! O impiam manum! quæ temporis nostri specimen, firmissimam Ecclesiæ columnam, fidei Catholicæ clypeum sustulit. Digna Belingari te manent supplicia, cui instam Dei vltionem*

nem mors peperit Martyris innocentis? At tibi, Angele, velut Baptistæ Ioanni pro redarguto incestu morienti æternam comparauit gloriam, & immortalem coronam. Istis, & alijs pluribus piè, & amicè prolatis corpus honorificè solemni apparatu sublimi in loco, constitui curauit, & diebus octo cereis faculis circumquaque accensis, & iuxta Ecclesiæ morem, Officijs pro Martyre celebrari solitis, horis omnibus celebratis custodiri fecit. His autem diebus, quot quantaque gloriosus Dei Martyr miracula fecerit explicare difficile esset: nam surdis auditus; lumen cæcis; claudis gressus, mundities lepra vexatis, Paralyticis sospitas, & denique quauis esset incurabili ægritudine pressis, qui per ipsos dies octo sacratissimum illud corpus tetigere, sanitas restituta est. Orta autem fuit pia admodum controuersia inter Carmeleos Cœnobitas, & eos, qui Ecclesiæ præerant Philippi, & Iacobi, de Martyris sepultura, quam Archiepiscopi auctoritas diremit, attestantis Martyrem, vt eo in loco sepeliretur, vbi fuit Martyrio coronatus, petijsse. Cui accessit, et fons eodem in loco miraculosè scaturiens, vbi sanguis Martyris sanctissimi profusus fuerat, cuius liquore omnis languoris solet curari infirmitas, festo præcipuè die, et festi vigilia eiusdem Sanctissimi Martyris. Fuit itaque sepultus eodem in loco, vbi fuit Martyrio coronatus, manibus proprijs eiusdem Archiepiscopi Panormitani, et in his omnibus frater Petrus, frater Ioseph, et ego frater Enoch Socij fuimus anno Domini nostri Iesu Christi M.CC.XX. Obijt die 5. Maij, die vero 13. fuit sepultum corpus eius.

18 Id, quod dicitur de fonte scaturiente eo in loco, in quo gloriosus Martyr Angelus sanguinem pro Christo effudit, alia etiam testimonia confirmant. Primò etenim in antiquo Ordinis Breuiario sub anno 1495. Venetijs edito, ex quo in alijs posterioribus idem desumi potuit, sic habetur in sexta Lectione Officij eiusdem Sancti Angeli: *Fons quidem, in eo loco scaturiens, in quo iste Martyr gloriosus sanguinem pro Christo impendit, singulis annis à primis vesperis vsque ad secundas inclusiuè, oleum cunctis ministrat. Qui ipso die vncti fuerint meritis Sancti Martyris, multis diuersis grauati laboribus sanantur, ad laudem Omnipotentis Dei.* Fermè similia habet Benedictus Gononus *de vit. Patrum Occident. lib. 4. in vita Sancti Angeli*, ex Breuiario Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, & Petro de Natalibus in *Catalogo de Sanct. nuper Canonizatis*, & Ludouicus Zacconus Pisauren. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini *in Compend. vit. Sanctorum*, apud Petrum Thom. Sarracenum *in Menolog. Carmelit. in vit. Sancti Angeli*. Expressius tamen Thomas Bellorosus Panormitanus, & Prothonotarius Apostolicus *in Epistola ad Nicolaum Audeth* Ordinis Generalem, quæ habetur simul cum vita eiusdem Sancti Angeli, huius fontis historiam sic describit. *Ex loco vero vbi prius iacuerat corpus, fons viuus aqua nitidissima, & suauissimi odoris emanauit: ex ea vero parte, qua caput Martyris requiescebat, cæpit fluere medicinalis olei liquor, vbi postea manu artificis aqua illa per gradus operis lapidei circumdata est, quæ tertio nonas Maij anniuersario die Martyrij, plus solito excrescit, & tunc etiam oleum effluit incipiens pridie ab hora vespertina vsque ad Solis occasum diei sequentis, quod solertissime à plebe colligitur ad sa-*

De fonte S. Angeli.

nandos infirmos; multique ægroti illo die solemni descendunt per gradus fontis lo-turi corpus eorum, implorantes Diui Martyris auxilium; & sensim, populo spectante, recipiunt sanctitatem, præsertim hernici, et paralytici. Plura quoque efficiuntur miracula, si die illo celeberrimo Vir doctus Carmelitanæ familiæ, et non alterius Ordinis Professor, more declamatorio habebit sermonem ad Populum de vita, miraculisque, et Martyrio, prædicti Martyris gloriosissimi. Non videtur mihi profectò hac de causa opus esse, vt quærantur antiquæ attestationes de vita Sancti Martyris, quandoquidem viui fontis scaturigo, et effluentis olei liquamen testantur omnia, quæ tradita sunt litterarum monumentis de cælesti beatitudine Diui Angeli, verissima esse, et Sole meridiano clariora. Hæc ille. Temporibus autem sequentibus ex hoc fonte non iam oleum, sed aquam solum emanasse, refrigescente forsan deuotione erga Sanctum Martyrem, refert Didacus de Coria in *Chron. Carmelit. lib.* 10. *cap* 5. ex testimonijs Ioannis Rubei, & Ioannis Stephani Chyzolæ Generalium, ac Bartholomæi Ragusij, & Alphij Mathioli Procuratorum Generalium Ordinis. De eadem quoq; re Mantuanus noster *in lib. Fastorum in mense Maij* sic egregie.

Insigni posuere loco venerabile Corpus.
Cum vero iniectis vellent occludere glebis,
Os tumuli, subitò turbis mirantibus, vnda
Eluxit, & in vitreum versa est humus arida fontem:
Qui quotiens reddit ista dies licet areat imbre
Omne solum, crescit, summis que dat oscula ripis
Tunc cadit in sacrum (Siculas res ista per urbes
Cognita iam dudum) virtus diuina liquorem:
Fitque salutaris, dictu mirabile, morbi
Omne genus, cui ferre nequit medicina salutem
Soluit, & abluitur tactis angustia Lymphis.
Præstat idem circa fontem manantis oliui
Ex tellure liquor. Sanctos ita curat olympus.

De Lãfrãco 19 Id etiam quod Enoch superius relatus dixit de Socijs S. Angeli in ipsius sepultura, quos dicit fuisse Fr. Petrum, Fr. Iosephum, & ipsum Enochum, difficile reddit id quod Philippus Metius Strabigensis in *vit: illustr. Viror. Ordin. Carmelitar.* & ex eo Segerus Pauli *in Chronolog. S. Simonis* scribunt, videlicet, quo tempore S. Angelus à Berengario occisus est, ab eodem quoque interfectum fuisse Lanfrancum quendam eiusdem Angeli socium, quem Segerus *Siculum* vocat, & Metius ait, *propter morum probitatem, insignem eruditionem, & maximam erga Catholicam fidem zelum, à S. Angelo in socium peregrinationis assumptum.* Talis enim, ac tantus vir nullatenus debebat ab Enocho in sua historia præteriri. Nihilominus, quia iste Lanfrancus Siculus erat, vt Segerus ait, & Enoch forsan suorum Orientalium, vel Surianorum gesta texere dumtaxat intendebat,

ideo

ideo illum prætermisisse credendum. De eo igitur, vt cum Metio relato loquamur, *cum publicè contra Berengarium hæreticum protestaretur, atque exclamaret, quod S. Angelum impiè, & iniustè interfecisset, eum vsque adeo irritauit, vt illum pari modo, quo Angelum ipsum impijssime necauerit. Sicque Christi Martyr factus Laurea Martyrij trabeatus cælos conscendit. Ex Archiuio Carmelitarum*. Hæc Metius, qui simul cum titulo *Sancti* vocat.

20 Cultum porrò Sancti, Angelo iure tribuendum indubitatum est, primo ex Martyrologijs Romano, Maurolici, Bardi, & Molani, & annotationibus Cardinalis Baronij, & Petri Galesini *ad Martyrolog. Roman. pro die 5. Maij*, necnon Heriberti Rosvverdi Iesuitæ *in Fastis Sanctorum*; vbi, vt Sanctus, vel Beatus Angelus cunctis proponitur. Secundò, ex perpetua corporis ipsius, ac fideli populo veneratione, vt propterea Leocatæ Ciuitas insignior semper habita sit. De qua Thomas Fazelius *de rebus Siculis decad. 1. lib. 5. cap. 3.* hæc: *Nobilitatur autem sepulchro Angeli Carmelitæ Hierosolymitani pij viri, qui de Turcarum exortu incrementis, ac demum excidio multa vaticinatus est*. Corporis autem eiusdem veneratio ex eo primum propagata est; quod, referente Thoma Belloroso in epistola ad Nicolaum Audeth Carmelitarum Generalem, quæ habetur simul cum vita eiusdem Sancti Angeli, ex loco vbi sepultum primo fuit, Lilium exurgebat, quoties intercisum, toties de nouo succrescens. Quo miraculo, & sua uissimo effossi corporis odore Ciues moti, honorificentiori loco, & theca piè condiderunt. Tertio, prædictum sancti cultum Angelo tribuendum suadet constans Scriptorum, nedum Ordinis nostri, sed aliorum etiam traditio, quæ ipsum pro Sancto veneratur. Ex quibus vnum pro mille Euerneri RouelincK *in Fasciculo temporum circa ann.* 1224. testimonium non omittendum. *S. Angelus Ierosolymitanus Carmelita vir sanctioribus annumerandus, & vt paucis multa dicam, nominis sui vere speculum, velut nubes imbrifera prædicando circumquaque discurrens, innumeras Christo lucrifecit animas, cui etiam tandem post multa miracula proprij sanguinis mortis vicem reddidit.* Cultus Sancti debitus Angelo.

21 Hinc in Hierosolymitana Græcorum Episcoporum Synodo, de qua sub anno 1222. ab Athanasio Alexandrino Patriarcha cum triginta sex alijs Episcopis, ritu Græco, & pro Orientalium Ecclesia in Sanctorum numero relatus est. Cultum etiam Sancti illi concessum ab Antistite illo ipsius funeri assistente, ex dictis in præcedentibus compertum est. Et notat Fortunatus Scacchus Apostolici Sacrarij Præfectus *in lib. de cult. & venerat. Seruor. Dei sect. 1. cap. 7. §. vetus quoque*. Teste etiam Balæo *in Catalogo Scriptorum Brittaniæ Centur. 8. in Guillelmo Bottoner*. Pius II. *Angelum Hierosolymæ natum Carmelitam Martyrem Canonizauit, sollicitatore Ioanne Soreth*. Quod qualiter accipiendum circa id tempus dicetur. Cum autem solemniorem S. Angeli Canonizationem ab Ecclesia Ordo desideraret, in Capitulo generali Brixiensi ann. 1478. cautum est, *quod quilibet Prouincialis, dum ad propria redierit, procuret summa cum diligentia* Synodus Hierosolymitana.

Hh à Re-

a Regibus, & à Principibus pro Canonizatione S. Angeli Martyris, & S. Andreæ.

Officium eiusdem. 22 Hinc etiam eiusdē S.Martyris officium habetur in Breuiario antiquo Ordinis Venetijs edito sub anno 1495. & designatur in Kalendario alterius vetustioris Breuiarij M.S. sub anno 1462. Decretum etiam est à Capitulo Generali S. Martini de Montibus anno 1564. sub Pio IV. & S.Carolo Borromæo Ordinis Cardinali Protectore.Insuper Gregorius XIII. & Sixtus Quintus, in Breuiario Carmelitano, ille, & iste in Quinterno Patrum Discalceatorum, S.etiam Congregatio Rituum sub Paulo V. & sub Vrbano VIII. eiusdem S.Angeli officium pro nostris Religiosis approbarunt. Ordinatum insuper erat in Capitulo Generali Neumacensi Prouinciæ Narbonæ anno 1498. in lib. Ordinis fol. 80. *Quod per totum nostrum Sacrum Ordinem in Vesperis,& Matutinis fiat quotidie,nisi impedimentum euenerit,memoria de SS.Alberto,& Angelo.* Extant etiam Missæ propriç eiusdem Sancti nedum in recentioribus post prædictas officij approbationes impresis Missalibus,sed in antiquioribus etiam,vt ex duobus in Bibliotheca Transpontinæ Monasterij reseruatis,quorum alterum Venetijs ann. 1509. alterum 1551. impressum est, conspici potest.

Titulus Martyris. 23 Titulus etiam Martyris iure etiam Angelo nostro tribuendus,prout communis Ecclesiæ sensus tenet. Fuit etenim non modo pro fidei, & veritatis confesione à Berengario interfectus,sed vt credi fas est,in odium fidei. Prædictum namque Berengarium hæreticum fuisse, testantur Benedictus Gononus *de vitis Patrum Occidentis lib. 4. in annotat. ad vitam S. Angeli*, Abraham Bzouius *tom. 13. annal. circa ann.* 1220. & colligitur ex Enoch Patriarcha in vita eiusdem S. Angeli *cap.* 25. Supponiturque in Martyrologio Romano, & Petri Galesini, dum eum ab hæreticis trucidatum scribunt.

Propheta. 24 Prophetiæ quoque Spiritu Angelum nostrum insignem fuisse ex prædictione stigmatum S.Francisci, de qua superius, & ex ea futurorum notitia, quam à Christo habuit, de qua etiam præmissum est, manifestè conijcitur. Imo Angeli prophetias populo enūtiatas Ordinis exaltationem promeruisse testatur Ioannes Ballęus Cent.3. Cathalogi Scriptorum Brittan. in appendice ad Richardum Eligensem his verbis: *In quodam Kalendario historico reperi,quod anno Domini* 1220. *Carmelitæ per Europam celebrari primum cæperint, postquam Angelus Ierosolymitanus eiusdem Ordinis eremita Romæ prædixisset Christianorum Rempublicam breui affligendam esse.* Hæc autem S. Angeli prophetia fuit de dilatatione Imperij Turcici, vt approbat, idem Balæus ex Mantuano *Centur.* 4. loquens de tempore Bonifacij 8. & *Centur. 8. in Append. 2. ad Dauidem* Boisum, & de qua à Christo edoctus fuerat,dum esset in deserto Quarentenę,vt in superioribus visum est.Quam iam his temporibus adimpletam fuisse, & quæ per ipsam enunciata fuerunt,plus iam facta cerni,quam futura formidari compertum est.Vnum solum desiderandum, quod potens,& sanctus ille de domo Franciæ Rex alijs

Regi-

Regibus, & vere Catholicis amabilis, Deo dante, veniat, qui terram Sanctam bello, & armis è barbarorum manibus ereptam Christo, & Ecclesiæ subijciat. Hæc eadem egregius Baptista Mantuanus *lib. 5. fastorum* hisce versibus cogitabat, S. Angeli prædicationem extollens.

Præterea quantum poteras sermone, fluebant
Ad te turmatim velut ad spectacula Romæ
Scænica dicentem populi, tu corda mouebas,
Vt mouisse ferunt lapides Amphiona quondam
Præterea quod te superi monuere Scytharum
Hoc infame genus Turcos tunc temporis vltra
Caucaseos montes positum trans Bosphoron esse
Venturum excidio Graijs, finesque aditurum
Ausonios, quod nos hac tempestate dolentes
Vidimus impletum, quando per Iapidis agros
Atque per Hydruntis colles, ea turba profusa est.
Atque vtinam veniat tua, quem dixere futurum
Rex nouus ex Francis, oracula, qui fuget istam
Progeniem: peste hac totum qui liberet orbem:
Nec sinat ærumnis homines tabescere tantis.

25 Quemadmodum autem Martyrum sanguine sicut semine Segetes, Ecclesia propagata est, sic S. Angeli deuotione plura Monasteria Ordinis aucta, vel comparata sunt, prout de S. Iuliano Romæ, Grotaminardæ in Regno Neapolis, Brundusino in Appulia, & alijs in Sicilia Cœnobijs dictum est. Inter quæ etiam numerandum videtur vetus Deiparæ Virginis Transpontinæ apud Pontem & Castrum S. Angeli quondam situm Monasterium, quod pia Honorij III. in Angelum nostrum deuotione ab aliquibus nostris creditur concessum; illisque ab eodem donata Christi Crucifixi Imaginem, quæ Apostolis Petro, & Paulo allocuta traditur, duasque lapideas columnas, in quibus ijdem Apostoli flagellati dicuntur, & forsan corpora Sanctorum Martyrum Basilidis, Magdali, & Tripodis, quæ omnia in veteri Transpontina inuenta, in noua modo Ecclesia etiam Transpontina vocata, reperiuntur, pari videlicet gratia referendo sacra Reliquiarum munera à S. Angelo illi oblata. Sic enim credidisse visus est Octauius Pancirollus Canonicus Regiensis *in lib. cui titulus Tesori nascosti di Roma*. Loquens enim de eadem S. Mariæ Transpontinæ Ecclesia, Honorio III. & Carmelitis nostris in impressione Romæ anno 1625. pag. 504. hæc dicit: *E da credere, che seco portassero da quelle parti qualche degne memorie da offerir' al Papa, & egli non solo gli concedesse di far la sudetta Chiesa, e Monasterio presso del ponte, ma in ricompensa delle cose riceuute da Terra Santa gli donasse per la Chiesa loro quelle due colonne, & Crocefisso, che doueuano stare nel Vaticano, per quello che si è detto alla Chiesa de'* Transpons Cœnobium.

SS. Cosimo e Damiano in Campo vaccino. Di più, hebbero tre Corpi de' SS. Basilide, Magdalo, e Tripodio. Addit postea Imaginem B. Virginis, quæ in prædicta veteri Transpontina erat, nunc vero in noua religiosè colitur, propter ipsius antiquitatem ex Orientis partibus à nostris Romam delatam credi posse. Verumtamen huius grauissimæ Ecclesiæ historia; tempus quo nostris concessa; Imagines, & Reliquiæ, quæ in ipsa coluntur; Capellæ, Sacella, seu Altaria, quibus mirificè decorantur, commodius enarrari possunt, dum de Ecclesia noua Sanctæ Mariæ Transpontinæ, quam modo Ordo posidet, sermo erit, tomo videlicet sequenti; idcirco ad eum locum rem tractandam remittimus.

Ann. Christi 1221. Honorij 3. Roman. Pontif. 5. Friderici Imperat. German. 11. Roberti Imperat. Orient. 2. B. Cyrilli General. 1.

Gesta huius temporis.

1 DE Terræ Sanctæ negotijs præcipuè agebatur hoc anno. Cum enim Christiani Damiatam perdidissent, & ab Ægypto recederent, Honorius Papa Fridericum Imperatorem, amaro corde, vt in Christianorum subsidium transfretaret, admonebat. Is vero Principibus Imperij imposuit, vt ipsi quam primum traijcerent, & Sedis Apostolicæ Legato, qui in illis partibus erat, in omnibus obtemperarent, Regno etiam Siciliæ se abdicauit, & filio concessit, quem etiam diademate Regni Romanorum insigniuit, & Margaritam Leopoldi Austriæ Archiducis filiam ei in matrimonium collocauit, Marinus Sanutus, Bzouius cum alijs.

B. Brocardi mors.

2 Pro hoc anno 1221. iuxta computum nostrum contigit pretiosa B. Brocardi mors, secundi ex Latinis nostri Ordinis Præsulis. Cum enim pro anno 1188. eius electio in Generalem acciderit, vt ibi dictum est, & ex D. Cyrillo in epist. ad Eusebium in Speculo Ordinis lib. 8. cap. 2. per triginta tres annos Ordinis regimen tenuerit, recta supputatione sub hoc tempore ex hac vita migrasse credendum. Quod enim Segerus Pauli in sua Chronolog. pro ann. 1213. B. Brocardi obitum referat, eo quod & in membranis M. S. Carthusiæ Coloniensis, solum 23. non 33. annis Ordinem rexisse scribatur, parum me mouet, eo quod in Speculo Ordinis, quod Archiuium Transpontinæ conseruat, valde correctum est; & in eo dicitur, vt scripsimus, per 33. annos Ordinem gubernasse; ipsi magis standum, quam Codici illi M. S. Coloniensis Bibliothecæ Carthusianorum. Quid in eius acciderit morte Palæonydorus lib. 3. cap. 2. sic describit: *Porrò idem Brocardus veniente 80. ætatis suæ anno, constitutus in agone, ait fratribus suis: Filioli, vocauit nos Deus ad Ordinem, & numerum Eremitarum suorum fidelium. Insuper appellati sumus singulariter, fra-*

tres

tros B. Mariæ Virginis: videte ergo ne post meum decessum hoc nomen falsum inueniatur in vobis. Igitur perseuerate constanter in bono, odite diuitias, mundum contemnite, & vitam rectam ad Eliæ, & Mariæ formam componite. Quibus dictis Spiritum emisit ad supera, secunda die Septembris. Addit hoc contigisse anno Domini 1197. & eodem anno, quo Innocentius tertius ad Papatum fuit assumptus, errat tamen in temporum Chronologia, vt ex superioribus liquet. Addit vlterius, Albertum Patriarcham cum defunctum Brocardum audisset, dixisse: *Iam flos Carmeli decedit, iam securus est, tutus est, inter Principes Ecclesiæ sublimatus, Cathalogo Sanctorum inscribendus.* In quo etiam errat, dum Alberto hoc tribuit, cum hoc anno non Albertus, sed Radulphus Patriarchatum gereret Hierosolymitanum. In quo etiam grauiter defecerunt Historici moderni, Genebrardus, Honuphrius, Pineda, Bardus, & Gualterus, dum post Albertum Patriarcham Thomam, vel Robertum constituunt, & Albertum volunt per viginti tres annos in Patriarchatu vixisse. Sed non nisi per octo annos Patriarcham egit, vt constat ex Tabulis Ecclesiæ Vercellensis, quas circa annum 1214. attulimus, & illi successit Radulphus, vt antiquior ipsis Marinus Sanutus Torsellinus ibidem relatus dixit, quod etiam sequitur noster Sibertus de BeKe *in tractatu de considerat. super Regulam cap.* 1. in Speculo Ordinis *lib.8.cap.* 5. author sanè supra trecentos annos egregiè clarus. Idem etiam tenet Bernardinus Corius *in Historia Mediolanensi circa ann* 1214.

3 Cultum autem Sancti, vel Beati Brocardo nostro debitum esse ex multis conuincitur. Primo enim, perpetua, & constans Religionis traditio id docet. Cuius signum est, quod teste Molano in Additionibus ad Martyrolog. Vsuardi sub die 2. Septembr *Brocardi vita eo anno capta est scribi, quo obijt.* Eam vero licet non viderimus, facile tamen creditu, quod Apostata Baixus, qui eius vitam etiam, vt infra videbimus, scripsit, hanc antiquiorem apud se habuerit, & omnia cum ipso perierint. Prædictæ vero traditionis testes sunt primus, Beatus Cyrillus, Brocardo coæuus, qui *in epistola ad Eusebium* relata de ipso Brocardo loquens eum vocat *virum perfectum.* Secundus est Ioannes Grossi Ordinis nostri Prior Generalis, & ante annos 230. iuxta Trithemium *de Scriptoribus Ecclesiast. magnificè clarus, qui in libro, cui titulus Viridarium* in speculo Ordinis à fol. 101. de Beato Brocardo in Generalem post Bertholdum electo sic loquitur. *Quo mortuo, & in prædicto Monte Carmeli sepulto, fratrem Brocardum virum Sanctum, & religiosum in Priorem vnanimiter præfecerunt, ei obedientiam promittentes.* Clarius in sequentibus, Ordinis Sanctos recensens sic dicit: *Septimus fuit* B. Brocardus *secundus Generalis Ordinis, cui Albertus Patriarcha Regulam Ordinis signanter direxit, & scripsit, cuius siquidem gloriosum corpus multis clarens miraculis in Monte Carmeli quiescit.* Eadem fermè habet tertius testis Baptista de Cataneis in tabula annexa Speculo Ordinis. Quos communiter Scriptores Ordinis sequuntur, specialiter Ioannes

Cultus illi debitus

Palæo-

Palæonydorus *lib. 3. cap. 2.* Didacus de Coria *in Chronic. Carmelit. lib. 10. cap. 3.* Petrus Thomas Sarracenus *in Menolog. Carmelitarum* B. Brocardi vitam, & miracula scribentes. Quibus iungitur Anonimus Manuscript. Bibliothecæ Excellentiss. Ducis Altemps, cui titulus *Origo Montis Carmeli*, vbi in fine inter Sanctos Ordinis, quos dicit depingendos cum cappis barratis recenset *S. Brocardum secundum Generalem*.

Ex Martyrologijs.

4 Secundò id suadetur ex Martyrologio doctissimi Ioannis Molani, seu Additionibus ad Vsuardum, ex impressione Antuerpiæ anno 1583. vbi pro secunda die Septembris sic habet: *Eodem die B. Brocardi Presbyteri, & Carmeli Prioris Generalis magnæ Sanctitatis viri.* Accedit Philippus Ferrarius, qui *in Cathalog. generali Sanctorum* 29. Martij sic dicit: *In Monte Carmel. B. Brocardi Secundi Prioris Generalis Carmelitarum.* Et in annotationibus; *Fuit patria Hierosolymitanus* B. *Bertholdi primi Generalis successor.*

Ex miraculis.

5 Tertiò, quia claruisse miraculis ex omnibus ipsius vitæ Scriptoribus constat, & aliqua nos retulimus supra circa ann. 1188. & 1213. Pro quo egregium extat Vverneri RouelinK in Fasciculo temporum testimonium circa annum 1204. his verbis: *Albertus Hierosolymitanus Patriarcha fratrum eremitarum S. Dei Matris in Carmel. Monasterium in melius erigit, sanctoque loci illius tunc Priori* Brocardo *mortui suscitatione, quam pluribus miraculis corrusco, & suis confratribus Regulam iure suo ordinario tradidit, &c.*

Ex authoribus.

6 Quartò, quia de externis etiam authoribus titulum Sancti, vel Beati Brocardo nostro tribuũt Siluester Marulus *in Mari Oceano Religion. lib. 4.* Morigia *in Historia Religion. Venetijs* 1590. Ioannes Carthagena *Tom. 4. lib. 17. homil. 3.* Claudius Robertus Lingoniens. *in Gallia Christiana lib. de Abbat. & General.* loquens de Generalibus Carmelitarum, Prosper Stellartius *in lib. de fundament. et Regul. Ordin. cap* 34. celebris author P. Rainaudus in *Scapul. Carmelit. p.* 88. Inter quos Pseudo Episcopus Balæus, qui etsi ex nostris quondam, Diaboli postea assecla fuit, censetur. Ipse enim *in Cathalogo Scriptorum Brittan. Centuria* 8. libros à se editos, dum esset inter Catholicos, commemorans, dicit vnum scripsisse sub hoc titulo: *Historia Beati Brocardi lib. 1. incipit Hostis antiqui validus conatus.*

Ex Officio.

7 Hinc propterea Beati Brocardi officium Ecclesiasticum in vsu Ordinis habetur ex Decreto Capituli generalis Romæ in Conuentu Sancti Martini de Montibus ann. 1564. celebrati, quod adduximus supra circa *ann.* 1214. Vnde ex vi illius in Kalendario tunc etiam Romæ apud Impressorem Cameralem impresso pro secunda die Septembris sic dicitur: *Brocardi Confessoris Carmelitę Duplex.* Quæ omnia satis indicant, tacito saltem consensu, & approbatione Pij Quarti tunc Romani Pontificis, auspicijs maximè Sancti Cardinalis Borromæi, Ordinis Protectoris, id factum fuisse. Vnde etiam postea decreto S. Congregationis Rituum, sub Summo Pontifice Vrbano Octauo anno 1628. idem Officium appro-

probatum, & confirmatum pro Ordine apparet. De communi quidem Confessorum, etsi cum Oratione propria.

De B. Cyrillo Tertio Generali ex Latinis.

8 POst decessum B. Brocardi Sanctus Cyrillus Constantinopolitanus, de quo in superioribus multa diximus, in tertium Priorem Generalem Ordinis ex Latinis, omnium Fratrum electione creatus est. Ioannes Grossi *in Viridario*, Ioannes Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 4. & alij Ordinis Historici. Credimus eodem anno mortis Beati Brocardi Cyrilli electionem contigisse, & propterea sub hoc tempore eam referimus, locum tamen, & alias ipsius circumstantias ob monumentorum penuriam nescientes. Nec mirum in vnum Cyrillum pro Pastore habendo omnes Carmeli Patres illico conuenisse. Ipsius enim Sanctitas miraculis, & diuinis reuelationibus comprobata id iure exigebat. De ipso, adhuc viuente Brocardo, miraculum illud patrasse, quod nos sub anno 1210. adduximus, refert Palçonydorus vt supra. De B. Cyrillo.

9 Cum autem illustrationibus à Deo Cyrillus visitaretur, contigit vna die, vt de sui Ordinis per Orbem dilatatione Beatæ Virginis intercessione sic diuinitus edoceretur (Palæonydoro vt supra testante) *Certificatus diuina reuelatione Cyrillus ob Christianorum scelera Carmeli Religionem à Terra Sancta eradicandam, pijssimam Virginem Mariam, vt Carmeli gregem conserseruaret, sedulis precibus rogitauit. Nec defuit zeloso Dei Matris amatori diuina consolatio: Diuinitus enim edoctus est, quod diuersarum Regionum Viri Mariæ Religionem profiterentur, qui eam in suis Regionibus copiosissimè multiplicarent. Et maiori incremento Monasteriorum, & personarum tam numero, quam priuilegijs Apostol. roborati per totam Europam transplantarent.* Huius etiã reuelationis memoriam facit grauis, & antiquus author Gulielmus de Samuco fermè huic tempestati coæuus in lib. de multiplicat. Ord. cap. 3. in Speculo Ordin. lib. 9. cap. 3. Arnoldus Bostius in *lib. de Patronatu Virgin. in Carmel. cap.* 5. & in *specul. hist. lib.* 7. *cap.* 9. ac alij posteriores. Viso ipsi facta.

10 Sunt qui putent hanc Beatæ Virginis reuelationem Beato Cyrillo factam sub anno 1215. contigisse, forsan, quia sub eo anno iam Generalatum ascendisse credunt. Nos tamen, qui maturiori computo existimamus Beatum Cyrillum vsque ad præsens tempus, quo Beatus Brocardus finem fecit, Generalis munus non assumpsisse, consequenter etiam, credimus eam apparitionem, quæ Ordini Generali Præsuli fieri debebat, ante hunc annum non fuisse factam. Quo tempore.

11 Eius autem reuelationis causa, & vt commissi sibi gregis veluti bonus Pastor Beatus Cyrillus curam gereret, quem sciebat in Europę partibus omnino transferendum, Beatum Simonem StocKum Anglicum, de quo in superioribus diximus, Generalem Vicarium pro negotijs Ordinis cum potestatis plenitudine in eisdem Europæ Prouincijs constituit. Nec B. Simon.

melior,

melior, aut prudentior prouisio fieri poterat, cum B. Simon, sanctitate, doctrina, ac zelo suæ Religionis apud Deum, & homines valde præfulgeret, vt ex dictis in superioribus constat, & ex dicendis dilucidè innotescet. Hanc porrò Vicarij Institutionem in personam B. Simonis StocK specialiter commemorat Segerus Pauli in Chronologia vitæ ipsius Simonis: etsi anno 1215. contigisse autumet, vt vel sic saluet, quod Ioannes Grossus *in viridario* de eo dixit, rexisse Ordinem per 50. annos; incipiendo videlicet ab anno 1215. vsque ad 1265. quo mortuus est.

Liber B. Cyrilli.

12 Nec solum de Europæ fratribus curam solicitam gerebat B. Pater Cyrillus, sed & de eis præcipuè, qui in Syriæ partibus morabantur, prouide, & prudenter curare non desistebat. Hinc pro ipsis magis, & magis de virtute in virtutem promouendis, & ad veterum Carmeli Patrum vestigia sectanda per Regularem obseruantiam excitandis, librum, seu epistolam de sui Ordinis progressu ad Eusebium antiquum ipsius in prædicatione Euangelij in Armænia commilitonem, & socium, ac eo tempore Conuentus Montis Neroi prope Antiochiam Præsulem, destinauit. Cuius finis, & scopus est, ei indicare qualiter prisci huius Religionis Professores primitus Sacram Scripturam pro Regula habuissent; deinde librum Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani ad Caprasium (qui propterea postea ab Aymerico ex Greco idiomate Latinitati est donatus, propter eos scilicet, qui ex Europa Carmelitis adiuncti erant) ac demum hoc nouissimo tempore Regulam ab Alberto ex eiusdem Ioannis Patriarchæ libro extractam, & eisdem auctoritate qua fulgebat traditam, quam idcirco eo modo, quo ab Alberto edita fuit, ad Eusebium transmisit. Extat autem hoc breue Opusculum, seu Epistola ad Eusebium in Speculo Ordinis *lib. 8. à cap. 1.*

Brundusinũ Cœnobium

13 Brundusini Conuentus fundatio huic anno adscribitur, iuxta dicta supra sub anno 1194. Transiens enim per eam patriam noster S. Angelus, sancta sua conuersatione, ac prædicatione, hunc fœtum Deo, Ecclesiæ, & Religioni edere potuit, iuxta dicta etiam anno præcedenti.

Ann. Christi 1222. Honorij 3. Roman. Pontif. 6. Friderici Imperat. vel Reg. German. 12. Robert. Imperat. Orient. 3. B. Cyrilli General. 2.

Gesta Frid. Imperat.

1 Circa id tempus Fridericus Imperator cum Ioannem Brenum Regem Hierosolymitanum, & Magistrum Hospitalis, Italiam venire fecisset; vt cum eis deliberaret de auxilio Terræ Sanctę præstando, eos ad Honorium Papam deduxit. Quia autem hoc eodem anno Constantia eiusdem Friderici vxor diem suum obierat, ideo acceptcurum promisit in vxorem filiam eiusdem Hierosolymitani Regis, prout

factum

factum est post aliquot annos. Quam ob causam Reges Siciliæ Hierosolymitani quoque appellari cœperunt. Marinus Sanutus, Æmilius, Nauclerus, ac alij posteriores.

2 Post mortem Sancti Angeli, socijs eius Enoch, & Petro Bethlehemita in Syriam reuersis, Iosepho autem de Emmaus altero socio forsan in Sicilia manente, cum nulla de ipso postea mentio fiat, coram Alexandrino Patriarcha Athanasio de Claramonte, alijsque triginta sex Episcopis, Gerasimus Archiep. Nazarensis præfati Angeli Martyris etiam socius, Ioannes Archiepiscopus Cæsariensis, & Petrus Episcopus Hastilonensis, quę est Bethlehem (quem eumdem esse credimus cum Petro Bethlehemita eiusdem Angeli in Italiam venientis socio) & alij Eremitæ Montis Carmeli, eiusdem Sancti Angeli vitæ testimonium præbuerunt Synodo prædictorum Prçlatorum Hierosolymis congregatæ; Quæ graui censuræ iudicio relata primo examinans, deinde confirmans, Sanctum Angelum Cælitum adiunctum consortio declarauit, & quatenus potuit in Diuorum numerum retulit. Rem gestam scribit Enoch Patriarcha in vita Sancti Angeli *cap.* 1. Videtur autem hanc Synodum nationalem fuisse, ex SyroGræcis solum Episcopis adunatam, nec propterea contemnendam, sed potius venerandam. Etsi enim vera, & legitima Diuorum Canonizatio, Solum ad Sedem Apostolicam Romanam pertinere dignoscatur, non tamen propterea Orientalis Ecclesię Catholicorum Antistitum (quales hos fuisse credimus) iudicium spernendum pro Sancti Angeli sanctitate comprobãda. Prout etiam sentit Fortunatus Scacchus Apostolici Sacrarij Præfectus in *lib. de cultu, et veneratione seruor. Dei sect. 1. cap. 7. §. Verum quoque.* Horum autem Antistitum nomina Enoch, vt supra relatus, sigillatim recenset. Quia vero annus huius quasi Canonizationis ibi non exprimitur, certum illius tempus designari non potest. Sed non multo post mortem S. Angeli accidisse ex dicto cap. 1. habetur. E ideo dum clarior non suppetat notitia, pro hoc anno gestam credimus.

Synod. pro S. Angelo.

3 Cum autem in prædicta Episcoporum numeratione de Beato Ioanne Patriarcha Sancti Angeli fratre nulla mentio fiat, suspicari datur, tunc temporis vita superstitem non fuisse. & Sedem Patriarchalem pro Græcis vacasse, vt propterea ad electionem faciendam Athanasius cum alijs Episcopis Græcis Hierosolymam venerit. Forsan etiam cuidam arridebit, viuente eodem Ioanne hanc synodum celebratam, sed locum sibi debitum Athanasio tribuisse; tum hospitij, & honoris gratia, tum ad omnem suspicionis ansam amputandam, quæ esset, si ipse Ioannes Sancti Angeli frater in ea Synodo Præsidis munus exerceret, vbi ipsius Angeli vita, & miracula matura discussione librabantur. Veritas tamen est, iam eo tempore è vita cessisse Beatum Ioannem, & Patriarchalem Sedem pro Syris tenuisse Honuphrium, vt testatur præfatus Enoch in dicta historia Sancti Angeli cap. 10. Hic porro Honuphrius diuersus ab eo fuit eiusdem nominis Patriarcha, sub quo Ordines sacros Angelus, & Ioannes susceperunt, vt in su-

B. Io. Patriarchæ mors.

perioribus vidimus, Hic enim ipsius Ioannis in Patriarchatu Prædecessor fuit, alter vero Successor. Non referri autem hunc Honuphrium in synodo præfata tribui facile potest, quod ipse Athanasio antiquiori, Ecclesiæ nempe Alexandrinæ Antistiti, seniori, & hospiti locum cedere voluerit.

Ioan. Patriarch. obitus

4 Proculdubio ergo hoc anno celebratæ synodi Beatus Ioannes Patriarcha superstes non erat, vt facile credendum, eodem fermè tempore, vel circiter, quo ipsius germanus Angelus pro Christo sanguinem fudit, ipse quoque ad cælestem patriam fruendam ascenderit. Ipsius enim præclara gesta, singularium virtutum merita, ac in vita patrata miracula, de quibus sub annis præcedentibus diximus, id sufficienter suadent. Vnde inter Sanctos Religionis nostræ prædictum Ioannem Patriarcham Sancti Angeli fratrem enumerant, nedum Historici Ordinis, sed extranei etiam; specialiter Ioannes Carthagena *tom. 4. homil. lib. 17. homil 3*: Quibus iungitur Anonymus Manuscript. Bibliothecæ Ducis Altemps sub titulo *Orige Ordinis Montis Carmeli*: in fine enim Sanctos Ordinis referens, quos cum cappis barratis dicit depingendos, post Bertholdum, Brocardum, Cyrillum, Hieronymum Priorem S. Annæ, & Angelum Martyrem, Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum describit, quo clarè notatur hunc modernum Ioannem Angeli fratrem commemorari voluisse, non illum antiquiorem D. Hieronymi, & Epiphanij Synchronon. Dubitari autem potest, an is Ioannes Patriarcha sit ille, quem in Martyrologio Romano cum annotationibus Petri Galesini, Martyrologio etiam Molani, ac Cathalogo generali ss. Philippi Ferrarij sub die duodecima Ianuarij refertur, & cuius festum eadem die antiquitus in Ordine nostro, præsertim post Capitulum Generale Sancti Martini de Montibus sub anno 1564. colebatur. Sed negatiue respondendum videtur. Illa enim solum vetustiori Ioanni aptantur, vt diximus *Tom. 3, sub ann. 415. num. 9.* Cuius signum est, quod Ioannes, cuius memoria fit in præfatis Martyrologijs, sub 12. Ianuarij colebatur; Ioannes autem, de quo in præsenti, Sancti Angeli frater, colitur mense Iulij, prout ex peruetusto Kalendario manuscripto Mechliniensi innotescit.

Ann. Christi 1223. Honorij 3. Roman. Pontif. 7. Friderici Imperat. seu Reg German. 13. Robert. Imperat. Orient. 4. B. Cyrill. Gen. 3.

Honorij Papæ gesta.

1 Vius anni initio Honorius Pontifex supplicationes publicas Romæ in Basilica S. Spiritus instituit, ea intentione, vt fœlicem successum rebus Christianorum à Diuina clementia implorarret, præsertim, quia dissidium exortum erat inter ipsum Honorium, & Fridericum Imperatorem, & propterea Sarraceni in Palæstina contra fideles

deles

deles Christi audaciores, & potentiores fiebant, Bzouius post alios.

2 Clari erant circa hoc tempus ex Ordine nostro ad dignitates inter Græcos assumpti, plures. Primus est Hierasimus Archiepiscopus Nazareth, quem Enoch Patriarcha in vita Sancti Angeli *cap.* 1. vocat *hominem Diuinum*, & Angeli ipsius socium. Vnde in synodo Hierosolymitana, de qua sub anno præcedenti diximus, de Sanctitate eiusdem Angeli testimonium perhibuit, vt ibidem scribit idem Enoch. Alia eiusdem gesta, & virtutes refert Philippus Metius *in Compend. vit. Sanctor. Ord. cap. 4. num.* 24. sic scribens: *B. Gerasimus Archiepiscopus Nazarethi virtutum gloria gloriosus, miraculis copiosus, patientia in aduersis fortis, atque in omni morum honestate conspicuus: luto, & sputo, exemplo Christi oculos cæci nati aperuit, Turcas multas conuertit, baptizauit, eosdemque Christo Martyrio genuit: adhibitus fuit à Sancto Angelo socius peregrinationis, cui fidelem operam etiam impendit. Moriens sepelitur Nazareth miraculis clarus: Ex Archiuio.* Hæc ille. Refertur etiam in Kalendario Conuentus Mechliniensis pro 31. Augusti, inter Diuos, & à Segero Pauli in notis ad illud. Author etiam Anonymus manuscript. Bibliothecæ Ducis Altemps inter Sanctos Ordinis nostri cappis barratis depingendos hunc Gerasimum recenset. Alia de ipso nos latent. Viri clari.

3 Secundus est Ioannes Archiepiscopus Cæsariensis, qui teste eodem Enoch *cap.* 9. *vitæ Sancti Angeli*, testis adfuit miraculo suscitationis Iosephi Bethlehemitæ iam biduo vita functi eiusdem Sancti Angeli meritis patrato. Vnde etiam præfatæ Synodo de ipsius sanctitate testimonium protulit, eodem Enoch *cap.* 1. attestante. Numeratur etiam à præfato Anonymo manuscript. Bibliothecæ Ducis Altemps inter Sanctos Ordinis nostri cappis barratis depingendos. Ioannes Archiepisc.

4 Tertius est Petrus, quem Episcopum fuisse Hastilonensem, quæ est Bethlehem, testimonium quoque perhibuisse de sanctitate Sancti Angeli synodo præfatæ Hierosolymitanæ testatur Enoch in vita eiusdem Sancti Angeli *cap.* 1. Hic Præsul, vt credimus, idem est cum Petro de Bethlem socio eiusdem Sancti Angeli cum è Syria in Alexandriam, & postea in Italiam venit; hac enim de causa videtur testis vocatus pro informatione sanctitatis illius in præfata Synodo, quia scilicet oculatus testis tum Martyrij, tum Martyris, tum miraculorum ipsius, extiterit. Alexandriam ergo cum eodem Sancto Angelo Athanasium inuisurus venit, deinde iciliam, & propterea mirabili Sarracenorum conuersioni eiusdem Angeli oratione facta, quam *in superioribus* retulimus, affuit. Item Messanam, Vrbem veterem, Romam, Panormum, Agrigentum, & Leocatam, vbi imminentem mortem Beato Angelo vti alter Petrus Christo auertere curans, repulsam passus est. Eius tandem passioni, & funeri, alijsque mirandis signis, quæ eo tempore acciderunt, socius adesse potuit. Postque patriam reuersus Bethlehemitani Episcopatus dignitatem ascendisse videtur. Eum refert Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 3. inter Prælatos, qui tempore B. Brocardi Petr. Episc.

 floruc-

floruerunt, licet, iuxta computum nostrum vix potuit eiusdem Brocardi tempore Episcoparum præfatum ascendere. Author etiam ille Anonymus manuscript. Bibliothecæ Ducis Altemps, inter Sanctos Ordinis cappis barratis depingendos eum connumerat. Et in Kalendario Mechliniensi relato ponitur pridie nonas Iunij sic: *Petri Episcopi Bethel.* Philippus autem Metius superius relatus *num.* 25. sic habet de ipso. *Beatus Petrus Episcopus Bethlehemitanus in Monasterio Bethlehem dicto, aliquot annis sancte, & religiose vixit. Inde Sanctum Angelum in Siciliam comitatus, in prædicando Euangelio ei fidelis coadiutor fuit. Angelo Martyrio coronato in Bethlehem reuersus paulo post ob nimiam eius sanctitatem inde vi tractus est in illius Ecclesiæ præfecturam. Quam cum labore, & sudore tribus annis rexisset, miraculis clarus obdormiuit in Domino, testamento fratres rogans, vt in Monasterio Bethlehem sepeliretur, quod & factum est. Ex Archiuio, & Enoch Patriarcha.* Hæc ille. Quæ fermè refert Segerus Pauli in annotat. ad dictum Kalendarium. Nos autem alia ipsius gesta non nouimus.

Iosephus. 5 Pariter in idem tempus referre possumus alterum eiusdem Sancti Angeli cum Petro relato, in vita, peregrinatione, prædicatione, signis, miraculis, ac pretiosa morte comitem, Iosephum scilicet de Emmaus, prout constat ex superioribus. Hunc idem Sanctus Angelus, cum venisset Leocatam, ad Priorem Cœnobij eius Ciuitatis salutandum pro se misit, vt ex dictis suo loco liquido innotescit. Quamuis autem in Sicilia, vel Italia per aliquod tempus permansisse videatur, ex eo præcipuè, quod in informatione pro sanctitate eiusdem Angeli in Synodo illa Hierosolymitana non nominetur (cum re vera vocandus esset pro testimonio reddendo, vt potè qui testis adfuisset) nihilominus postea in Syriam redijsse ex eo suaderi potest, quod Palæonydorus vt supra, eum vocat Præsulem Emmaus: denotans ipsum eius Vrbis Episcopum fuisse. Alia ipsius gesta nota non sunt: nisi quod in præfato Kalendario Mechliniensi idib. Iunij dicatur *Ioseph Episcopi Ordin. nostri*. Ibi etiam de eo Segerus relatus.

Ann. Christi 1224. Honorij 3. Roman. Pontif. 8. Friderici Imperat. seu Reg. German. 14. Roberti Imperat. Orient. 5. Berthold. 2. General. 1.

Honorij Papæ gesta. 1 ERant sub hoc tempore aliqua, quæ Honorij Pontificis prudentiam, & dexteritatem in agendis deposcebant. Primo enim Fridericus Imperator, cum in Episcoporum electionibus se immisceret, admoneri à Pontifice debuit, vt à similibus negotijs omnino abstineret. Deinde cum Robertus Constantinopolitanus Imperator grauia incommoda, tum à Latinis, tum à Græcis perpessus fuisset, Honorius Papa eidem auxilia promisit, & pro ipso adiuuando apud Ludouicum Gallorum

lorum

lorum Regem intercedebat. Præterea, cum bellum, quod inter Francorum, & Anglorum Reges ea tempestate vigebat, distraheret vires Christianorum, ne contra Sarracenos, & Tholosanos hæreticos iungerentur, eumdem Galliæ Regem Ludouicum monebat, vt saltem inducias Anglo statueret, & vires contra Albigenses præpararet. Bzouius.

2 Sub isto anno fælicissimus Sancti Cyrilli transitus ad cælestia Regna contigit. Cum enim pro anno 1121. Generalis electus fuerit, & tribus tantum alijs superuixerit, absdubiè huic tempori mors ipsius ascribenda. Nec multum discordat Ioannis Balæi testimonium. In Cathalogo namque Scriptorum Brittanniæ *Centuria* 3. *in Appendic. ad Ranulphum Glaunuyle* ex Authore, & Chronicis Carmelitarum refert Sanctum Cyrillum Græcũ tertium Carmelitarum Præsidem obijsse anno Domini 1234. credibile enim sanè pro anno 1224. Typographi incuria annum 1234. positum fuisse. Vtcumque res sit, accuratissimam computandi rationem, nos, vt credimus, secuti sumus sub hoc anno sanctum ipsius transitum reponentes. Qualiter autem eius pretiosa mors acciderit, sic habet Arnoldus Bostius lib. 7. Specul Histor. cap. 8. *Morbo grauari cœpit. Ordinatis itaque rebus Monasterij sui, & Ordinis; atque Sacramentis Ecclesiasticis deuotissime susceptis, ex hac luce migrauit, Prophetarum, & Confessorum Ordinibus in Cælo coniunctus. Obijt autem anno salutis Dom.* 1203. (Error in chronologia) *prid non Martij.* Similia ferme Palæonydorus lib. 3. cap. 4. Qui etiam addit: *Est verò sepultus iuxta corpora SS. Bertholdi, atque Brochardi, vbi S. Trinitatem tres miraculis prædicantes* (forsan *corruscantes*) *diem Resurrectionis præstolantur in pace* Subiungit Bostius: *Dum quidam claudus corpus eius tangeret, sanitatem integram consecutus est.* Insuper Palæonydorus Bostium secutus sic. *Eodem mense obitus Sancti Cyrilli Nautis de Cypro nauigantibus, quidam in mari defunctus, ad littus Montis Carmeli proiectus est. Corpus autem à fratribus collectum, dum ad sepulturam portaretur super tumulum Sancti Cyrilli erat collocatum quousque fouea pararetur. Statim vero Mortuus surrexit, dicens, se à B. Cyrillo vita meliori reseruatum. Ob id habitu Ordinis sumpto* 12. *annis superuiuens laudabiliter dormiuit in Domino.*

S. Cyrilli obitus.

3 Vt Sanctum, vel Beatum, quin, vt inter Sanctos, vel Beatos, insignem, Cyrillum nostrum habendum demonstrant multa. Primum, Historicorum plurium consensus. Inter quos Historia addita Vincentio Beluacensi *in Speculo Historiali lib.* 31. Hermannus Schedelius *in Chronica sexta mundi ætate*, & Vvernerus RovvelincK Author lib. *Fasciculus temporum* nuncupati hoc de Beato Cyrillo egregium testimonium dederunt: *Sanctus Cyrillus Græcus melliflui Carmeli Prior, Doctorque tum vita sanctitate, tum prophetiæ spiritu conspicuus, multa posteris sæculis profutura conscripsit, & copiosis miraculis Deo procurat gloriam, mundoque stuporem.* Deinde Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemento Chronicarum lib.* 12. *circa annum Christi* 1199. hæc de Cyrillo scripsit. *Cyrillus, natione Græcus, eiusdem Ordinis Montis Carmeli Generalis Prior, & ipse hac tempestate, &*

Cultus Sancti.

doctrina, ac prophetico spiritu illustratus insignis multum fuit. Qui cum esset admodum doctus scripsit quædam ingenij sui opuscula, &c. Insuper viros insignes Carmelitarum referens *lib. sequenti* §. 2. sic loquitur. *Habuit Præterea hæc sancta Religio Cyrillum Græcum virum doctissimum, atque sanctissimum, de quo supra dictum est.* Item Ioannes Rioche *in Compendio temporum titulo de sacris Doctoribus cap.* 53. sic. *Cyrillus Monachus Montis Carmeli Græcus spiritu prophetico illustratus multa docta scripsit, vt de Oraculo Angelico ad Abbatem Ioachim &c.* Præterea Paulus Langius *in chronico Citizensi circa annum Domini* 1250. hæc de Sancto Cyrillo protulit eodem anno, & tempore: *Sanctus Cyrillus Montis Carmeli Prior, Doctorque, tum vitę sanctitate, tum spiritu prophetiæ conspicuus claruit, qui multa de futuris sæculis memoranda conscripsit.* Vide Trithemium *de Scriptoribus Ecclesiasticis in eodem Cyrillo.*

Ex Martyrologijs.

4 Secundò, id suadent Martyrologia, seu Cathalogi Sanctorum, ex quibus Maurolicus die 6. Martij sic: *Item sancti Cyrilli Carmelitæ, cui in duabus tabellis argenteis Græcè scriptis multa cælitus sunt reuelata.* Deinde doctissimus Ioannes Molanus *in Addition. ad Martyrolog. Vsuardi* pro eadem 6. Martij. *In Monte Carmelo Beati Cyrilli Presbyteri Carmeli Eremicolæ perdeuoti, cui Deus tanquam fideli amico de futuri mundi statu quamplura reuelauit.* Item Philippus Ferrarius *in cathalogo generali Sanctorum*, etiam 6. Martij: *In Monte Carmelo Sancti Cyrilli Presbyteri, & Anachoritæ.* Deinde *in Annotationibus* ex Molano in Additionibus, & Maurolico. *Hic patria Constantinopolitanus diuinis reuelationibus illustratus traditur, ac Ordinis Carmelitarum tertium Generalem sub Cælestino Tertio Pont. Max. floruisse.* Iungitur illis Heribertus Rosvveidus Iesuita *in Fastis Sanctorum.*

Ex vita, & miraculis.

5 Tertio, egregia ipsius Sancti vita, miracula, reuelationes, prophetiæ spiritus prædicatio, &c. de quibus nos in superioribus, & innumeri alij authores, specialiter præter relatos, Petrus de Natalibus Episcopus Aquilinus *in Cathalogo Sanctorum ad finem, sub titulo de Sanctis nuperrimè canonizatis cap.* 3. Legenda Sanctorum Nicolai Manerbij Veneti *Venetijs anno* 1630. Bartholomæus Pisanus Minorita *in lib. Conformitatum Beati Francisci ad vitam Iesu Christi*, Theolosphorus de Cusentia Presbyter, & Eremita *in lib. de magnis tribulationibus, & statu Ecclesię*, qui habetur inter aliqua opera Abbatis Ioachim Venetijs, Iacobus Græcus Sylaneus Cistertiensis *in Chronologia Ioachim Abbatis*, Theatrum vitæ humanæ *volum.* 5. *lib.* 4. *pagina* 1347. *&* 1337. *& volum.* 27. *lib.* 3. *pagina* 4126. *&* 4169. Gilbertus Anglus, cognomento Magnus, in manuscript. Bibliothecæ Vaticanæ *num.* 3820. Nicolaus Kenton Anglus *in vita ipsius Cyrilli* apud Balæum *in Cathalogo Scriptorum Brittann*, Ioannes Erghom Anglus Eremita Augustinianus *in lib.* quod appellauit *Compilationes vaticiniorum* apud eumdem Balæum, Antonius Sabellicus *Æneid.* 9. *lib.* 5. Franciscus Rosieres *in Stemmatibus Lotharingiæ tom.* 4. *in fine*, Raphael Volaterranus *in Antropolog. lib.* 21. Gilbertus Genebrardus *lib.* 4. *Chronolog. circa ann. Dom.* 1216. Ciaccon. *de vic. Pontific. sub Clemente Tertio ann.* 1191. Antonius Posseuinus

nus *in Apparatu sacro, verb. Cyrillus, & verb. Eastus*, Paulus Morigia in *Histor. Religion.* Siluester Marulus *in Mari Oceano Religion. lib.* 4. Ioannes Carthagena 4. *tom. homil. lib.* 17. Iacobus Gualterus *in Chronolog.* Carolus de Tapia *in Authent. ingressi, verb. Monasteria*, Leander Granata *in vita S. Getrudis prohemio*, Martinus del Rio *lib.* 4. *Disquisition. Magic. cap.* 1. *quæst. secunda, sect.* 2. Franciscus Viuar. *in Apologetic. pro Abbate Ioachim*. Domesticos testes omittimus, dum de extraneis tot pro nobis loquuntur. Quibus etiam ex improbis authoribus iunguntur Conradus Gesnerus in *Bibliotheca*, Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, sæpius, & Centuriatores Magdeburgenses *Centuria* 12. *cap.* 10.

6 Cyrilli Apotheosim commendant Petrus de Natalibus Episcopus Aquilinus *ut supra* relatus, dum eum *in Cathalogo Sanctorum, qui nuper canonizati sunt* commemorat, & Ioannes Balæus in prædicto *Cathalogo Scriptorum* Brittann. *in Eugenio Quarto*, dum fatetur ab ipso in Sanctorum numerum relatum fuisse Cyrillum. Qualiter tamen id accipiendum sub eodem Pontifice dicemus. S. Cyrilli apotheosis.

7 Hinc Sancti Cyrilli officium Canonicum ordinatum fuit in Ordine celebrari in Capitulo generali Conuentus Siluarum Prouinciæ Thusciæ anno 1399. prout patet ex *lib Ordinis fol.* 23. vbi habetur hoc decretum. *Item ordinarunt, quod eodem modo fiat omni anno Officium de Sancto Cyrillo Doctore Montis Carmeli, & Confessore, cuius festum celebratur septimo Idus Martij, scilicet die sexta eiusdem mensis, mandantes Prioribus Prouincialibus, quatenus dicta festa* (scilicet Sanctorum Elisei, & Cyrilli) *faciant inseri in Kalendarijs suarum Prouinciarum*. Idem ordinatum fuit in Capitulo generali Bononiensi anno 1411. prout patet ex eodem *lib. Ordinis fol.* 28. Vnde consequenter in perantiquo Ordinis Breuiario in membranis manu scripto, & in Bibliotheca Transpontinæ, reseruato festum eiusdem Sancti Cyrilli habetur. Item in Missalibus Ordinis antiquioribus, vt patet ex duobus Venetijs impressis altero anno 1509. altero autem 1551. quæ etiam in eadem Transpontinæ Bibliotheca reperiuntur, eiusdem Sancti Cyrilli Missæ extant. Præterea, cum ex decreto Capituli Generalis ann. 1564. Romę in Conuentu Sancti Martini de Montibus, Kalendarium Sanctorũ Ordinis confectum fuerit, in illo pro eadem sexta die Martij festum eiusdem Sancti Cyrilli habetur. Creditur autem prædictum Kalendarium auctoritate Apostolica Pij Quarti Summi Pontificis auspicijs, maximè S. Cardinalis Caroli Borromæi, tunc Ordinis Protectoris, editum fuisse. Postea tamen expresè approbatum fuit idem Officium à Gregorio Decimotertio anno 1584. in Bulla *vt Breuiarij*, quæ habetur in principio Carmelitani Breuiarij, & à Sixto Quinto in Bulla *Eximium* anno 1589. quę est *tom.* 2. *Bullarij* inter Bullas Sixti *num.* 96. & à Sacra Congregatione Rituum, tum sub Paulo Quinto anno 1609. tum sub Vrbano Octauo anno 1628. Officium.

De

De Bertholdo secundo huius nominis, & quarto inter Latinos Generales.

Bertholdi 2. Generalat. 8 QVæ porrò hoc tempore in Religione contigerint post Beati Cyrilli obitum, sic habet noster Bostius *lib. 7. sui Speculi historialis capit. 9. & 10.* magna ex parte sequutus Gulielmum de Samnico *in Chronic. de multiplicatione Ordinis cap. 3.* quos Palæonydorus, & alij posteriores sequuti sunt: *Præsciens autem Dominus Deus propter demerita nephandorum Christianorum totam Terram Sanctam à Christianis auferendam, & Sacram nostram Religionem ab eadem Terra eradicandam, prouidit, dictam Religionem nō delere, sed eam alibi transplantare: propterea quidem voluit Deus, sicut prædicto Sancto Cyrillo reuelauerat, quod viri diuersarum nationum hanc Sacram Religionem in Monte Carmeli profiterentur, vt cum persecutio, propter quam oporteret eos de Terra Sancta fugere, adueniret, tanto patientius dictam Religionem de Terra illa eradicari tolerarent, tantoque leuius ferrent, quanto in suis proprijs nationibus copiosius multiplicari viderent. Igitur, propter recessum Philippi, & Riccardi Regum Franciæ, & Angliæ de Terra Sancta ad Papam, eadem Terra ex tunc non habuit consuetum succursum à Sede Apostolica propter Europa Principum discordias, & factiones: quare Pagani, seu Sarraceni, cœperunt Terram Sanctam crudelius solito inuadere: qua propter aliqui inferiores huius* Religionis *Professores conturbati, & perterriti, desiderabant Terram Sanctam deserere, & ad Regiones proprias, vnde venerant, in Europam redire. Optabant enim in suis natiuis Regionibus, Monasteria sua Religionis construere, vt in eis possent seruire Domino Deo, & eius gloriosissimæ Matri. Super qua re an esset licitum, aggregatum fuit generale Capitulum statim post mortem Sancti Cyrilli supradicti in Monasterio Montis Carmeli, & quamuis essent ex Fratribus, qui dicerent nullo modo hoc tempore Terram Sanctam ab aliquo Fratre deserendam, neque extra eam mansionem aliquam esse construendam, quoniam prædecessores eorum nunquam Terram illam dimiserant. Oppositum tamen horum licitum fuit tunc in consilio ostensum, tam Christi præcepto, & exemplo, quam huius etiam Religionis Fundatoris exemplo. Præcepto quidem, quo Christus ait: Si vos persecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam: bonum enim est persecutionem fugiendo, Catholicam fidem seruare incontaminatam; & malum valde est in persecutionem incidendo, ex timore persecutionis fidem Christianam negare. Exemplo etiam Christi: nam Christus, qui non erat missus, nisi ad oues qui perierant domus Israel; dum Herodes eum persequeretur, Terram Sanctam deseruit, in Ægyptum fugiens. Exemplo insuper Fundatoris dictę Religionis: Elias namque timore Iezabel Reginæ Terram Sanctam dereliquit, & ad Montem Dei Oreb fugiens, illic in spelunca absconditus mansit. Venerandus itaque Pater Monasterij Montis Carmeli, attentis prædictis allegationibus, & Paganorum persecutionibus, orationibus assidue cum suis deuotis fratribus insistebat. Tunc Regina Cælorum eidem in somnis apparuit, & vt fratres aliquos ad natiuum solum pro Monasterijs*

nasterijs multiplicandis redire permitteret, admonuit. Quibus auditis, omnes qui ad dictum generale Capitulum conuenerant, immensas gratias Deo, & gloriosæ Genitrici eius retulerunt. Quia ergo vacabat propter mortem Sancti Cyrilli Generalatus Officium, eodem tempore ad electionem noui Prioris Generalis accesserunt: & quia dicta Religio in Europæ Regionibus transplantanda erat, mox inuocato Spiritu Sancto, religiosum, & deuotum virum, nomine Bertholdum, natione Longobardum, in quartum Priorem generalem eiusdem Ordinis elegerunt, virum vtique scientia, & probitate præclarum. Is itaque venerandus Pater, quia de Europæ Regionibus fuit progenitus, ideo alijs aptior repertus est ad transplantandum Ordinem suum in cismarinis partibus. Nam eius tempore aliqui ex dictis fratribus, natione Cyprij, ad Insulam Cypri transfretauerunt: alij vero Siculi natione, ad Siciliæ Insulam nauigauerunt. Hi enim ea intentione, de licentia præfati Prioris Generalis Terram Sanctam deserebant, & ad dictas Regiones accedebant, vt Religionem istam in illis Regionibus plantarent, & nouos Conuentus inciperent.

9 Circa hæc porrò, primo animaduertendum occurrit, reuelationem illam Beato Cyrillo factam eam videri, de qua sub anno 1221. locuti sumus. Aliā vero, quæ in hoc loco facta refertur Superiori Montis Carmeli sic describi à Palæonydoro *lib. 3. cap. 5. Omnibus igitur ad vigiliam noctis, & ad orationem hortatis, apparuit superiori Montis Carmeli Virgo gloriosa ingenti lumine dicens: Hic sermo filij mei est, vt non solum Palæstinam, & Syriam, sed etiam vniuersum Carmeli Ordo Orbem Christianum illustraret.* Secundo, quod quamuis Bostius, & Palæonydorus nō explicent quis fuerit ille Prior, seu Superior Montis Carmeli, cui prædicta reuelatio facta est, dici tamen potest, eum fuisse, qui primus Præses talis Capituli erat: vel quia incertum est quis is fuerit, suspicari possumus fuisse eundem Bertholdum, qui electus in Generalem fuit: eo præsertim, quia Bostius eum vocat virum *scientia, & probitate præclarum*: & quia electio ipsius post talem reuelationem facta describatur. Qualis reuelatio.

10 De alijs gestis in hoc Capitulo hæc refert Palæonydorus supra. *In hoc Capitulo erat ordinatum, quatenus in omnibus obseruantijs vniformes inuenirentur; tum in Officio Ecclesiastico; tum in vestimentis, & huiusmodi.* Videtur autem Palæonydorus legisse hoc decretum; siquidem illud refert sic. *Cuius Ordinationis est initium. Quoniam ex præcepto Sanctorum Patrum iubemur habere cor vnum, & animam vnam in Domino. Et quia iustum est, vt sub vna Regula viuentes vniformes in necessarijs nostræ vitæ obseruantijs inueniamur*, &c. Reliqua huius decreti, & alia gesta Capituli non vidimus, nec legimus. Gesta in Capitulo.

11 Bertholdo ergo ad Generalatum assumpto, dum studiosè Ordinem regere, pro iniuncto sibi onere curaret, illud in primis (vt credimus) pro votis fuit, vt gregem commissum ab aduersarijs tueri, in bono confortare, & ad ampliora promouere posset. Quia tamen pro tam pijs desiderijs exequendis conueniens valde erat, vt aliquem sui loco in Euro- Bertholdi gesta.

pæ, & Occidentis Prouincijs Generalem Commissarium constitueret, qui in Curia, & coram Summo Pontifice, comparere; aduersantium calumnijs se opponere, & Ordinis negotia pertractare posset, ideo ad hoc munus exequendum Beatum Simonem Anglicum, cui simile onus à Beato Cyrillo iniunctum erat, vt sub anno 1221. dictum manet, destinatum fuisse autumamus. Nullus enim ipso aptior in Occiduis partibus, pro eo munere gerendo inueniri poterat. Sic ergo quasi diuisum Imperium Bertholdus, & Simon habentes, Bertholdus Generalis Syriæ, Palæstinæ, ac Cypri Monasteria gubernabat; Simon autem Vicarius Generalis Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, & Angliæ Cœnobia.

Ann. Christi 1225. Honorij 3. Roman. Pontif. 9. Friderici Imperat seu Reg. German. 15. Robert. Imp. Orient. 6. Berthold. 2. General. 3.

Ecclesiæ negotia.

1 Nihil magis Honorium Pontificem sub hoc tempore premebat, quam Terræ Sanctæ liberatio. Friderico autem Imperatori tribuitur ne subsidia tanta quanta pro tali negotio necessaria erant, mitterentur; maximè cum contra priuilegia Ecclesiarum, & Sedis Romanæ aliqua agere videretur. Contra Hæreticos etiam Tholosates, & Albigenses Militiam Crucesignatorum conscribi faciebat Honorius. Bzouius *sub hoc anno*.

Ordinis tribulatio.

2 Inter quæ Ecclesiç communia negotia graue aliud, & magni ponderis Generalem Bertholdum, & alios nostri Ordinis Fratres non leuiter premere poterat, quod scilicet non obstantibus ijs, quæ sub anno 1215. diximus, de eiusdem Ordinis in Lateranensi Concilio sub Innocentio Tertio ratihabitione, seu confirmatione; vel saltem, quod per præfati Concilij decreta nihil ipsius firmitati, & soliditati derogatum esset; nihilominus Ecclesiarum plures Prælati, vel parum Virginis Ordini deuoti, vel nimis scrupulosi, fratres nostros infestare cœperunt, ac si contra prohibitionem dicti Generalis Concilij nouam Religionem inuenissent, vel Regulam approbatam non haberent. Quid tunc agerent pauperes, & humiles Eremitæ, quibus magis Deo placere, quam litibus immorari in votis erat? Sane post plures ad Deum, & Deiparam Virginem Ordinis Tutelarem preces (vt par credere est) deuotè effusas, ad Hierosolymitanum Patriarcham, eo tempore Radulphum, Alberti successorem, qui eidem Lateranensi Synodo interfuerat, pro consilio capiendo recurrere decreuerunt. Is vero dum primum Religionis antiquissimam institutionem perspexisset, & Regulam à prædecessore Alberto ante præfatum Concilium Carmelitis traditam, & confirmatam legisset, & propterea, quod iniustè à Prælatis Ecclesiarum fratres nostri vexarentur, considerasset, eos à Fratrum infestatione

ne, pius Ordinis fautor, & Protector compescuit. Ad maiorem tamen cautelam, maiusque robur eidem Regulæ præstandum, consuluit fratribus, vt eam peterent à Sede Apostolica expressius, & clarius confirmari. Sic fermè Sibertus de BeKe *in tractatu de considerat. super Regul. in Specul. Ordin. lib.8. cap. 5.* Palæonydor. *lib. 3. cap.5.* Quamuis in eo differant, quod Sibertus de Prælatis tantum Terræ Sanctæ loquatur, Palæonydorus vero cum Europæ Prælatis id contigisse fratribus nostris dicit. De vtrisq; tamen credendum.

3 Iuxta Radulphi ergo Patriarchæ consilium nouam Ordinis, & Regulæ confirmationem ab Honorio Pontifice obtinere nostri Patres curabant. Distulit id primum Pontifex facere, Curiæ forsan negotijs distentus, vel Curialium quorumdam nequitia, qui Ordinem extingui potius, quam confirmari moliebantur, quasi contra Lateranensis Concilij iussa nouiter adinuentum. Postea nihilominus singulari Virginis Matris in Ordinem suum protectione, reuelatione, ac miraculo confirmata, factum est, vt sub anno sequenti, quo Bulla Confirmationis data est, dicemus.

Noua Ordinis confirmatio.

Ann. Christi 1226. Honorij 3. Roman. Pontif. 10. Friderici Imperat seu Reg. German. 16. Roberti Imp. Orient 7. Bertold. 2. General 4.

1 Xcommunicationis gladium hoc anno contra Fridericum Imperatorem Summus Pontifex Honorius Tertius exemit, eo quod contra iurisdictionem Ecclesiasticam in Episcopatuum prouisione plus æquo se ingereret. Item Sanctum Laurentium Archiepiscopum Dublinensem, & Sanctum Vuillelmum Archiepiscopum Eboracensem Diuis ascripsit. Bzouius, & alij. Eo etiam tempore, mortuo Ludouico Gallorum Rege, in Regnum Patris successit Sanctus Ludouicus annum duodecimum ætatis agens. Annal. Franci, Æmilius, Gordonus cũ alijs. Sancti huius Regis memoriam nostris Annalibus extraneam non esse, ex ijs, quæ suis locis dicemus, dilucidè constabit. Fuit etenim Ordinis nostri nedum insignis Benefactor, & Propagator, sed, & habitus Virginis, quem gestauit deuotus venerator.

Honorij Papæ gesta.

2 Eodem etiam anno cum Regulæ nostræ confirmatio ab Honorio Papa difficile obtineri posset, quod Curiales duo, quos Pontifex nostrorum Patronos designauerat, aduersariorum potius officia gererent, Beatissima Dei Genitrix Maria Ordinis singulare tutamen, Honorio Papæ noctu astitit, eique iussit, vt institutum, & homines benignè complecteretur. Curiales Ordinis æmulos Deo vltore occubuisse denuncians. Litteris id consignarunt prisci Ordinis authores, specialiter Arnoldus Bostius in *lib. de Patronatu Virgin. in Carmel. cap. 5.* Balduinus Leersius Atrebatensis

Beatiss. Virg. visio.

in Collectan. exempl. & miraculorum cap. 3. Verumtamen verbis Palæonydori *lib.* 3. *cap.* 5. sic Historiam describimus. *Venientes autem Reatæ ad Vrbem fratres Honorium Tertium cum Cardinalibus suppliciter orant, vt antiquam Propheticam Religionem, Ordinem, Albertique Regulam, sua etiam confirmationis munimine roboraret. Distulit autem Matris Dei milites exaudire Vicarij Christi Curia. Quapropter Sacratissima Dei Mater Maria tenebris noctis interruptis, æthereo cum lumine adueniens, Summum Pontificem admonuit, ad petentium vota animum dare. Nec est (inquit) aduersandum in his dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoueo. Insinuauitque eidem duos de Curialibus suis dictæ Religionis æmulos, Deo vltore esse plexos, dispari exitu, sed discessu pari.* Casum referunt post Palæonydorum, Petrum Lucium *in Compend. historial. cap.* 12. & alios Historicos Ordinis, Bzouius circa ann. 1217. Ioannes Fridericus Matenesius Protonotarius Apostolicus etiam *ibidem*, Flauius Cherubinus *in Compend. Bullarij circa Bullam octauam Honorij Tertij, Scholio secundo*, Hieronymus Platus *de bono statu Religionis lib.* 2. *cap.* 22. Emmanuel Rodriguez 2. *tom. quæst. Regul. quæst.* 96. *artic.* 7. Georgius Coluenerius *in Kalendar. Sacratiss. Virgin. die* 30. *Iunij*. Et, quod magis, approbata est, saltem ex parte, historia, à Sacra Congregatione Rituum, primò, sub Paulo Quinto anno 1609. recognita, & subscripta ab Eminentissimo Cardinali Bellarmino. Secundò, sub Vrbano Octauo anno 1628. recognita etiam, & subscripta ab Eminentissimo Cardinali de Torres; in Solemnitate, sub titulo *Commemorationis solemnis Beatæ Mariæ Virginis*, decima sexta Iulij; vbi in quinta Lectione sic legitur. *Ac demum, cum olim in Europa Ordo esset ignotus, & ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione instarent, adstitit Honorio noctu purissima Virgo Maria, planèque iussit, vt institutum, & homines benignè complecteretur*, Imo huius miraculi occasione Religionem permotam, vt prædictum festum Commemorationis Solemnis ritu perpetuo quotannis celebrandum instituerit, ex eodem Officio à Sacra Congregatione approbato in sexta Lectione illius infertur. Et tradunt Petrus Lucius in *Compend. Histor. Carmel. cap.* 12. ac Segerus Pauli Coloniensis in Summario historiæ Solemnitatis Mariæ Carmelitanæ causa 15. vbi inter eas, per quas hoc festum in Ordine introductum est, hanc refert. *Quod tandem anno Christi* 1226. *die* 30. *Ianuarij, præstantissima, & clementissima Cæli Regina Virgo Maria, hunc eumdem Ordinem suum potentissime propugnans contra eius inimicos, ex ipso potius Clero, quam populo prodeuntes, duos ex primarijs eorum in* Romana Curia *(quos Pontifex frustra Patronos Ordinis constituerat, cum ipsi è contra aduersarijs fauerent) mortali, subitaque vna nocte pæna plexerit: & ipsum Papam Honorium Tertium ad ipsius Ordinis, seu Regulæ, eiusque tituli Mariani approbationem, ac defensionem serio per visum nocturnum admonuerit. Quapropter sine mora idem Pontifex eodem die, & anno, dato diplomate, seu Breui Apostolico Fratrum petitioni satisfecit.* Vnde in vetusto eiusdem solemnis Commemorationis Officio, hæc posita erat Oratio, qua eiusdem festi institutionem, ex prædicto

dicto miraculo ortum habuisse demonstratur, prout liquet ex antiquioribus Missalibus Ordinis anni 1509. & 1551. in Transpontinæ Bibliotheca seruatis, & alijs antiquis Breuiarijs, quale est vnum Venetijs impressum 1495. *Deus, qui Excellentissimæ Virginis, & Matris Mariæ titulo Ordinem humilem tibi electum singulariter decorasti, ac pro defensione eiusdem, miracula suscitasti, concede propitius, vt cuius Commemorationem deuoti veneramur, eius in præsenti, auxilio muniri, & in futuro, gaudijs sempiternis perfrui mereamur.* Per Dominum, &c.

3 Anno ergo præsenti, Vrbe Reatæ, sub tertio Kalendas Februarij, in Ordinis, & Regulæ confirmationem, huius tenoris Bullam expediri Pontifex fecit. *Honorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis de Monte Carmelo, salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt viuendi formam Regulariter à bon. memor. Hierosolymitano Patriarcha editam, quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse, in posterum vos, & successores vestri, quantum cum Dei adiutorio, poteritis obseruetis, in remissionem vobis iniungimus peccatorum. Dat Reate 3. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri Anno decimo.* Ita habetur ad verbum *tom. prim. Bullarij* Laertij Cherubini *in Honorio Tertio Constitut.* 8. vnde hoc anno Regulæ, vel Ordinis Confirmationem ab hoc Pontifice factam, agnoscunt Honufrius Panuinus *in Chronologia sub hoc anno*. Aubertus Myręus *lib. 3. de Origine Carmelitani Ordinis, & in Chronico sub hoc anno* 1226. dicens: *Honorius Tertius Regulam Fratrum Eremitarum in Monte Carmelo ab Elia Propheta olim frequentato, & quarto milliaria Ptolemaide, siue Accone celebri olim Syriæ Vrbe sito, habitantium adprobat, quam etiam successor eius Gregorius Nonus confirmauit.* Et Ciaconius in Honor. 3. dicens: *Idemque Honorius Regulam Fratrum in Monte habitantium Carmelo, quem Elias frequentasse legitur ann. 1226. protegendam suscepit.* In margine ponitur. *Honorius Carmeli Ordinis Protector*, absdubiè propter casum relatum. Alludit Balæus in *Cathalog. Scriptorum Brittann. in Honor.* 3. dum de illo dicit: *Carmelitas, & Augustinianos antea protegendos suscepit.* Clarè etiam sequitur Gordonus hoc sub anno aiens: *Ordo, & Institutum Carmelitarum approbatur à Pontifice.* Honorij Bulla.

4 Huius autem diplomatis impetrato, Beato Simone StocK eo tempore in Europæ partibus Generalis Vicarij munus gerente solicitatore facta est, prout habetur ex Officio, & Legenda ipsius. Ibi enim Lectione sexta sic dicitur: *Regulæ confirmationem ab Honorio Tertio, & Gregorio Nono Summis Pontificibus impetrauit.* Qualiter autem nec his contenti aduersarij noua bella contra Ordinem nostrum moliri non cessarent, ex dicendis in sequentibus liquido innotescet. B. Simonis diligentia.

Ann.

Ann. Christi 1227. Gregorij 9. Roman. Pontif. 1. Friderici Imperat. seu Reg. German. 17. Roberti Imperat. Orient. 8. Berthold. 2. General. 5.

Gregor. ix. creatio.

1 Ic annus vltimus fuit vitæ Honorij Tertij, & primus Pontificatus Gregorij Noni. Cum enim Honorius humanis rebus exéptus esset, in Pontificatum successit Gregorius Nonus, Innocentij Tertij ex consobrina nepos. Platina, Honuphrius, Vrspergensis, Gordonus, & alij; etsi differant in die, & mense. Statim autem, atque insignia Pontificatus Gregorius accepit, Fridericum Imperatorem ad amorem, & beneuolentiam Ecclesiæ recurrere hortatus est. Bzouius *sub hoc anno*.

Ordinis cōfirmatio.

2 Fuit hic Pontifex Gregorius benignus Ordinis nostri, vel Regulæ Confirmator, prout agnouerunt Martinus Polonus *in Chronic. in Honor. Tert.* Ciacconius *in Honorio Tertio*, Aubertus Myræus *lib. 3. de Orig. Carmelit. Ordin. & in Chron. circa ann. 1226.* Ludouicus Miranda in *Manual. Prælatorum, tom. 1. quæst. 4. artic. 7.* Quo anno id contigerit inferius dicimus.

Gregor. Diploma.

3 Ad instantiam etiam Generalis Bertholdi, qui vt prouidus sui Gregis Pastor, & de morbidarum ouium salute solicitus, pro eis fratribus dispensandis, qui apostasiæ crimen commiserant (bellorum enim turbines, armorum strepitus, & infidelium insultus quandoque hæc mala in Terræ Sanctæ partibus parturiebant) authoritatem à Papa postulauerat, præsens Diploma concessit, quod habetur *in Speculo Ordinis fol. 63.* Gregorius Episcopus *seruus seruorum Dei. Dilecto filio Priori Eremitarum Sanctæ Mariæ de Carmelo, salutem, & Apostolicam benedictionem. Prouidi more pastoris de morbidarum ouium suarum salute sollicitus, & vagas reducere cupiens ad ouile, nobis humiliter supplicasti, vt cum Fratribus tuis retrorsum abeuntibus, manus ab aratro, ad quod illas miserant, retrahendo, si autem ad cor, fauente Domino reuertantur, & abijcientes, quæ quidem retro sunt, ad anteriora se velint extendere, ac reddere Domino vota sua, seipsos in iugi sacrificio offerendo, de nostra tibi permissione licet dispensare, prout saluti eorum videris expedire, super eo, quod in apostasia celebrare diuina, & suscipere præsumpsere Ordines in eadem: cum difficile nimis esset, & graue, illos propter hoc de vltramarinis partibus ad Sedem Apostolicam destinare. Nos ergo attendentes, quod, non quæ tua sunt quæris, sed potius quæ sunt Christi, auctoritate tibi præsentium licentiam concedimus postulatam, ita tamen, vt sic ea vtaris prouidè, ac modestè, quod in abusum conuertisse non videaris eamdem, ne facilitas veniæ incentiuum prębeat delinquendi. Nulli ergo, &c. Datum Perusij non. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.*

Nouæ

3 Nouæ quorumdam calumniæ contra Ordinem nostrum, circa id tempus exoriri videbantur: occasione namque illorum verborum Diplomatis Honorij Tertij sub anno præcedenti relati. *Quam ante Generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse*, insultabant quidam dicentes, assertioni Fratrum nostrorum affirmantium se suscepisse dictam Regulam ante præfatum Concilium standum non esse, nisi id legitimis documentis comprobassent. Verumtamen istorum placitum vanum omnino fuisse dilucide demonstrarunt nostri coram Summo Pontifice Gregorio ex Registro anni 16. Innocentij Tertij probantes Innocentium scripsisse Alberto Regulæ nostræ compositori, cum ad Concilium Lateranense vocando (epistolam anno 1213. retulimus) insuper eidem Concilio Radulphum Hierosolymitanum Patriarcham pro Alberto iam defuncto affuisse. Ex hoc enim manifestè fiebat Regulam nobis ante illud Concilium fuisse datam, cum, qui eam dederat Albertus, ante Concilij celebrationem diem suum obijsset. Ita habet Sibertus de BeKe *in Tractatu de considerat. super Regulam* in Speculo Ordinis *lib. 8. cap. 5.* Ex eo autem maximè corroboratur id, quod sæpius inculcauimus, Albertum scilicet nostræ Regulæ Compilatorem alium non fuisse nisi eum, qui ex Vercellarum Ecclesia ad Patriarchalem Hierosolymorum Sedem ab Innocentio Tertio promotus est. Is enim fuit, ad quem ipse Innocentius scribebat, & qui morte præuentus Lateranensi Synodo, ad quam vocatus fuerat, adesse nequiuit. Contra Ordin. calumn

4 Quo etiam anno Enochus eo tempore Hierosolymitanus Patriarcha ex nostris Montis Carmeli Eremitis assumptus vitam Sancti Angeli, cui commilito, & socius fuerat, describebat. Habetur hoc ex fine ipsius vitæ per Thomam Bellorosium, quasi miraculosè repertæ circa annum 1523. & Panormi Typis mandatæ, instante Nicolao Audethio Cyprio Ordinis Generali anno 1527. vt ibidem dicemus, vbi sic. *Vitæ Sancti Angeli Hierosolymitani Martyris Ordinis Dei Genitricis de Monte Carmelo per Reuerendissimum Dominum Enoch Patriarcham Hierosolymitanum scriptæ anno Domini 1227. & per Reuerendum Dominum Thomam Bellorosium Canonicum Panormitanum, & Prothonotarium Apostolicum correctæ, & in 37. capita digestæ finis.* Enochi Patriar. gesta.

5 Huius porrò Enochi vita, quantum ex authoribus varijs, præsertim ex ipsa historia Sancti Angeli ab eodem scripta, haberi potest, hæc est. Fuit hic Pater natione Palæstinus, quod & fuisse Sancti Angeli eiusdem nationis socium, & in Patriarchatu Hierosolymitano, Nicodemi, Honuphrij, & Beati Ioannis successorem pro SyroGræcis, clarè demonstrat: cum & ipsi tales fuerint, nec alterius nationis homines Palæstini pro Antistibus acceptarent. An patria Hierosolymitanus esset, res est incerta, licet satis historiæ conforme; cum ipse *capite septimo vitæ Sancti Angeli* asserat se à primis cunabulis fuisse semper in domo Nicodemi eiusdem Vrbis Patriarchæ versatum, & ita eum *Hierosolymitanum* compellat Palæonydorus *lib. 1. cap. 3.* Ordinem nostrum ingressum, ex prædicti Sancti Angeli Enochi vita

vita

vita dicto *capite septimo* habetur, & expressè asserit Thomas Bellorosius inferius referendus. Socius eiusdem Martyris cum Iosepho de Emmaus, & Petro Bethlehemitano pro itinere in Alexandriam, Siciliam, & Romam peragendo ab eodem electus, totius eius sanctæ conuersationis, & mortis testis oculatus adfuit, vt & ipse testatur *cap.* 19. eiusdem historiæ. Vnde postea in Hierosolymitana Synodo, de qua sub anno 1222. diximus, & in qua Angelum Diuorum numero Græci illi Antistites, quatenus possent, ascripsere, ipse Enoch testimonium perhibuit, prout habetur *ex capit.* 1. eiusdem historiæ. Ad dignitatem Patriarchalem Hierosolymitanam, pro Syris videlicet, & Palæstinis, assumptus videtur post Patriarcham illum, qui vt anno eo diximus, Synodo eidem factæ pro Sancti Angeli sanctitate comprobanda affuit. Reliqua ipsius gesta temporum incuria latent. Id non prætermittendum, ab Anonymo illo Manuscript. Bibliothecæ Rom. Ducis Altemps inter Sanctos Ordinis nostri Cappis barratis depingendos recenseri. Titulo etiam Beati eum vocat Thomas Bellorosius Panormitanus *in Epistola Dedicatoria vitæ Sancti Angeli ad Generalem Audethium.* Quo sanctæ vitæ virum fuisse non obscurè demonstratur. Et ita inter Sanctos Ordinis refertur in Kalendario Mechliniensi notis illustrato per Segerum Pauli pridie Idus Augusti, qui idem facit.

Ann. Christi 1228. Gregorij 9. Roman. Pontif. 2. Friderici Imperat. vel Reg. German. 18. Robert. Imperat. Orient. 9 Berthold. 2. General. 6.

Honorij gesta.

1 SOllicitè curabat hoc anno Pontifex Honorius, vt Fridericum Imperatorem, diuina, & humana iura violantem, ad frugem meliorem reuocaret. Quare, missis Legatis, de vita mutanda, præsertim de expeditione pro Terræ Sanctæ recuperatione sub anathematis pœna eum paternaliter admonebat. Contempsit Fridericus, nec Pontifici, vt par erat, auditum præbuit. Propterea ipsum in die Cœnæ Domini anathemate perstrinxit, & loca ad quæ diuerteret interdicto subiecit. Ipse ergo tot malis pressus, & aliorum imminentium timore percussus in Syriam traiecit; Acconem copias misit; Nunciosque ad Pontificem pro beneficio absolutionis impetrando destinauit. Bzouius *sub hoc anno.*

Bertholdi Generalis.

2 Agendum interim circa id tempus erat nostro Generali Bertholdo, tum cum exteris quibusdam Ecclesiarum Prælatis, tum cum domesticis Ordinis professoribus. Illi enim in alienam messem falcem mittere cupiētes, contendebāt contra Regulæ nostræ intentum, quæ præcipit vnum pro Priore habere, *qui ex vnanimi Fratrum assensu, vel maioris, vel sanioris partis ad hoc Officium eligeretur*, ipsum Priorem instituere. Viderant iam post Beati Brochardi mortem, tum Beatum Cyrillum, tum eius successo-

rem

rem Bertholdum, Fratrum suffragijs assumptos, & ex eo forsan insultandi occasione accepta, non Fratribus, sed ipsis hoc munus incumbere succlamabant. Nostri autem Carmeli Montis, & Monasterij ipsius Eremitæ, bono zelo Regularis obseruantiæ ducti, dubitare cœperunt, an possessiones, domus, redditus, & loca, quæ pro sustentatione vitæ eorum à Christi fidelibus in dies ex deuotione offerebantur, ab ipsis sine Regulę præiudicio teneri, & acceptari possent. Quidam enim ipsorum animaduertentes, quod etsi ex Regula nulli eorum aliquid habere proprij licitum esset, in communi tamen id non esset prohibitum, propterea possessiones, & prædicta omnia licitè retinere, & acceptare posse putabant. Alij autem Fratres attenta prima Religionis institutione, & exemplari vita Fundatorũ Patrum, qui in eodem Monte, ac alijs Eremis possessionibus, & alijs terrenis facultatibus abdicatis, conuersati fuerant, dicebant, huiusmodi loca, redditus, domos, & possessiones obtinere ipsis licitum non esse, sed neque caprarum, aut ouium greges, aliavè animalia officio arandi apta. Cum autem Bertholdus, nec Prælatorum placito sufficienter obuiare, nec altercationi inter nostros exortæ, maximè cum esset de puncto Regulæ toti Ordini communi, satisfacere omnino propria auctoritate posset, ideo ad Summum Pontificem Gregorium pro cunctorum quiete recurrendũ putauit. Quid autem Pontifex decreuerit sub anno 1230. dicemus. De hac nostrorum altercatione, aduersantiumque ęmulatione Sibertus de BeKa *in Tractatu de consid. super Regulam* in Speculo Ordinis *lib.* 8. *cap.* 5. erudite pertractat.

3 Sub hoc anno, vel circiter, Xenodochium Beatæ Virginis Consolatricis nuncupatæ, Viluordiæ in Belgio in Pago Putijâ Sophia vxore Henrici Secundi Brauantiæ Ducis filia Sanctæ Elisabethæ, Landgrauiæ fundatum est. In eo etiam Sanctissimæ Deiparæ Imago de Consolatione nuncupata, miraculis clarissima, collocata. Cum enim Sophia ad Maritum suum bellicis negotijs circa Coloniam detentum, pergere debuisset, quo ex decessu pauperes mulieres ibi morantes admodum contristatæ fuissent, eas varijs beneficijs consolari satagens, cæleste hoc donum à pia Matre ipsi collatum, eisdem donauit dicens: *Accipite hanc Imaginem in solatium absentiæ meæ. & omnium vestrarum miseriarum; ad quam in omni tribulatione vestra confugite, & estote certæ, Consolationem vos ab ea recepturas, sicut Ego ea nunquam frustrata fui in quacunque afflictione.* Hinc Virginis, *Consolatricis* nomen Imagini inditum. Quæ in exiguo Sacello reposita miraculis clarere cœpit. Ita ferè Augustinus Vvichmanus *in Brabantia Mariana lib.* 3. *cap.* 74. Quæ nostris Annalibus inseri debuerunt, quod præfatum Xenodochium, & Sacerrima Deiparę Imago ad nostri Ordinis Moniales Viluordienses tractu temporis, sub anno scilicet 1468. fœlici sorte deuenerunt, prout eodem anno, ex eodem Vvichmano, & Archiuijs eiusdem Cœnobij dicemus. Xenodoch. Viluordię.

4 Circa id tempus, Francus ille, de quo anno 1211. noster postea De B. Frãco

futurus alumnus, post scholas relictas, & coriariæ artis exercitium: cui minus ineptus cernebatur, mortem patris, omniumque vitiorum colluuiem cum militia exceptam, vt alter Saulus, Paulus post factus à Deo cæcitate corporali per id tempus miraculose euentu percussus est. Cum enim post ludi iacturam, nec nummi, nec vestes sibi superessent, Diaboli instinctu, in desperationem actus oculis manus iniiciens, *hos* (inquit) *adhuc ludere placet, etsi Creatori displiceat*. Extemplo autem Deus blasphemiarum certissimus vindex talem oculorum dolorem, ignem, aut similem cæcitatis morbum ipsi inflixit, vt circunstantes, aut quidquam aliud cernere vix posset. Quo euentu, egestate, & alijs ærumnis ad meliorem frugem, & vitæ sanctitatem, Deo, qui in Sanctis suis mirabilis est, operante, redactus, egregia virtutum opera, pænitentiæ præsertim, & mortificationis, mundo, cælo dedit. De quibus in sequentibus. Gregorius Lombardellus *in vita Franci capite quarto*.

Ann. Christi 1229. Gregorij 9. Roman. Pontif. 3. Friderici Imperat. seu Reg. German. 19. Balduini Imperat. Orient. 1. Berthold. 2. General. 7.

Friderici gesta. 1 EO tempore Fridericus Imperator, de cuius aduentu in Palæstinam plura eaque præclara sperari possent, nonnisi turpem pacem cum Soldano Ægypti Sarracenorum Principe inire voluit. Pacis enim hæ erant conditiones, quod scilicet Sultanus quicquid inter Hierusalem, & Maris littora vsque ad Acconem vna cum castris Ioppem, Sidone, Cæsarea, Torone, & Nazareth, eidem redderet, sibi tamen sanctissimum Christi sepulchrum cum Mahumetanis in eo relictis, & Templum Domini reseruando. Eis propterea neque Patriarchæ, neque Templarij subscribere voluerunt, & quod magis est, neque Pontifex assentiri voluit: Imperator nihilominus Hierosolymam ingrediens coronam Hierosolymitani Regni ex Altari Ecclesiæ Sancti Sepulchri, quia nullus Antistes eam ipsi excommunicato tribuere volebat, proprijs manibus accepit, & in Italiam post redijt. Marinus Sanutus, Vrspergensis, Æmilius, & alij.

Quid de nostris Eremit. 2 Interim, quoad nostros spectat quantum gaudij, & lætitiæ ipsis, Angelæ maximè, quæ, vt credimus, Hierosolymis tunc manebat, & alijs Cœnobijs Sanctę Annæ fratribus, afferre poterat, quod Sancta Ciuitas in Christianorum Principum potestatem venisset, tantum eisdem mæstitiæ causa esse posset, quod vilibus pactis, nec firmis (vt experientia confirmauit) id factum esset. Generali etiam Bertholdo, alijsque coeremitis, tum Carmeli, tum aliorum Palæstinæ locorum per gaudij, & tristitiæ occasio occurrere posset ob recuperationem Ciuitatis Nazareth, antiquæ Ordinis

dinis possessionis, iuxta dicta sub anno 1165.

3 Circa id tempus Francus Senensis, de quo sub anno præcedenti, noster postea alumnus, re familiari vendita, pretioque partim creditoribus, partim pauperibus distributo, voto facto, ad Sancti Iacobi in Compostella Corpus visitandum, multis Dei gratia tentationibus superatis deuotè perrexit. Ibi orationibus, corporisque austeritatibus vacans, à cæcitate mentis, & corporis, meruit à Deo liberari. Vt propterea in corde suo statuerit semper, dum per ætatem liceret in peregrinatione ad loca Sancta inuisenda viuere, vtpote qui in vtroque homine sanitatem impetrasse peregrinus fuerat expertus. Gregorius Lombardellus *in vita B. Franci cap. 5. 6 & 7.* Franci gesta

4 Ea tempestate clarus sanctitate, & miraculis describitur Blasius, natione quoque Senensis, nostræ Religionis alumnus. De quo, quia pauca, & incerta reperiuntur; temporum sane, & bellorum iniuria, placuit ea fideliter referre, ipsorumque clariorem notitiam, diuinæ prouidentię, qua cuncta, tempore à Deo perscripto, nota fiunt, committere. Primo ergo ex manuscripto incerti Authoris pro præsenti anno 1229. hæc extraxit Reuerendus Pater Dominicus Guillelmus Dominicanus. *Blasius vir Religiosissimus, & sanctitate vitæ præfulgens, ex Ordine Carmelitarum floruit, qui post multa sanctitatis opera hinc ad annos multos Senę moriens in Carmelitanorum æde sepultus est, clarens miraculis. Eius tumulus intus in Ecclesia pariete conditus est, vbi nunc tempestate mea Crucifixi Capella est ad intrantium dexteram.* Similis ferme alia memoria de hoc sancto viro ab eodem Dominicano Authore extracta habetur in Archiuio Transpontinæ. Ex historia autem alia manuscripta vetusta apud nobilem quemdam reperta, sic habemus per manum Notarij publici de anno 1601. extractum: *In detto anno* (scilicet 1228.) *fiorì il Beato Biagio Frate di Santa Maria del Monte Carmelo, era Senese.* Et rursum dum est sermo de eodem anno 1228. *In detto tempo fiorì il Beato Biagio Frate di Santa Maria del Monte Carmelo.* Item, in alio manuscripto opera, vt apparet D. Sigismundi Titij in Senarum Vrbe Parochi, sic habetur de eodem Blasio s. *Questo Santo fiorì in questa Santa Religione nel 1229. il quale essendo illustre per molti miracoli, essendo vecchio morì in Siena, hauendo fatte, & operate molte cose sante; il quale fu sepolto trà il muro della Chiesa doue adesso è la Cappella del Crocefisso, all'Altare priuilegiato à mano destra.* Eius etiam vitam summariè tamen scripsit Alexander Calossis Senensis Carmelita, vbi ipsum Senis natum descripsit anno 1228. & Episcopum factum, ac post multos annos obijsse, ac sepultum in nostro Senarum Cœnobio, ipsiusque Caput, cum Effigie sub maiori Altari ad cornu sinistrum reuerenter haberi. De quo etiam multa refert miracula. Hinc Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap. 29. in additionibus*, hunc Blasium Beatum, & Episcopum appellat, quem æmulatur Carthagena *tom. 4. homil. lib. 17. homil. 3.* eum vocans *Episcopum Cremonensem*. Plura de ipso habet noster Philippus Metius *in Compend. vit.* Blasius.

Sanct. Ordin. sic scribens *cap. 4. Beatus Blasius Episcopus Cremonensis ex nobilissima familia Cantorum puer annum septimum agens, more Sancti Ioannis Baptistæ fugiens paternam domum antra deserti petiuit. Inde post annum tertium consilio P. Michaelis Angeli Carmelitæ Confessarij sui Cremonam veniens Carmeliticæ Religioni se sacrauit. In qua mira sanctitate omnibus præfulgens, & lucerna ardens positus est super Ecclesiam Cremonensem. Cui cum annis viginti septem sanctissime præfuisset multos abusus sustulit, sacrosanctis decretis populum, & Clerum reformasset, leprosos mundasset, etiam absens mulieres prægnantes fecisset in partu faciles; mortuum etiam ad vitam reuocasset, sancto fine quieuit, Cremonæ sepultus in Ecclesia Cathedrali, vbi eius ossa, carne, & pellibus vestita, magna populi frequentia, & deuotione honorantur. Eius dies solemnis agitur primo Maij. Fuit hic Episcopus ita liberalis, & beneficus in pauperes, vt propterea adhuc viuus appellaretur Pater Pauperum. Ex Archiuio Carmelitarum, & Annalibus Cremonensibus.* Hæc ille, dubia sine, saltem, quoad Episcopatum, quia non Cremonensem, sed Suaonensem in Thuscia Episcopum fuisse, diligentia facta in ea Prouincia verosimilius cristimamus. De eius autem sanctitate propter antiqua monumenta relata non videtur dubitari posse. An propterea titulus *Sancti*, vel *Beati* ipsi iure tribuendus, & quæ de ipso afferantur miracula, vt talia habenda, aut publicanda non affirmamus. Sufficiat nobis quæ de ipso graues per Auctores relata vidimus hic apponere, donec maiora de ipsius vita suppetant monumenta.

Ann. Christi 1230. Gregorij 9. Roman. Pontif. 4. Frideric Imperat. seu Reg German. 20. Balduini Imperat. Orient. 2. Berthold. 2. Gen. 8.

Frider, acta. 1 Ridericus Imperator sub hoc tempore, siue censuris Ecclesiasticis, quibus irretitus erat, siue armis contra ipsum confederatorum obstrictus, reconciliationem, & absolutionem pro excessibus commissis supplex postulans quibusdam conditionibus præmissis, eam à Papa meruit obtinere. A quo illi præceptum vicissim iniunctum fuit, vt Terræ Sanctæ rebus in discrimen adductis subsidia ferret, & bona, quæ Templarijs, & Hospitalitarijs, quorum armis, et viribus defendebatur addicta erant, restitueret. Bzouius hoc anno. Interim Hispaniæ Catholici Reges contra Mauros fœliciter pugnantes plures obtinuere victorias. De quibus Rodericus, Mariana, et alij.

Greg. Pap. 2. 2 Benignum se, et beneuolum Ordini nostro ostendebat Pontifex, hoc tempore; siquidem instante Generali Bertholdo propter dubia circa Regulam exorta, de quibus in superioribus, an scilicet aliquis præter fratres nostros de Priore ipsis præficiendo se intromittere posset, et an ipsis

posses-

possessiones, redditus, & loca tenere licitum esset; Litteras Perusij agens sub octauo idus Aprilis anno tertio Pontificatus dedit: quibus, nulli præter fratres, Priorem instituere posse; & possessiones, domos, seu redditus habere illis non esse permissum declarauit, Regulamque iampridem ab Honorio probatam, ipse quoque Pontificia authoritate confirmauit. Diploma autem est huius tenoris. *Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremi Montis Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex officij nostri debita circumspectione tenemur sollicitam adhibere cautelam, ne ij, qui ascendentes in Montem orare cum Domino, pedes suos lauerunt, iterum eos coinquinent, à contemplationis specula descendendo, & ne resumendo terrenas facultates abiectas, quasi quadam indumenta corporis habeant, vnde teneantur ad casum, cum spiritualibus nequit ijs pugnaturi. Hinc est, quod cum lotis pedibus speculam Domini ascenderitis vacaturi contemplationibus cælestium, & assumpseritis contra spiritus malignos luctamen, terrenis omnibus abdicatis, Nos vestro profectui aspirantes; & volentes vobis coinquinandi pedes iterum, & succumbendi materiam amputare, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne in proprietatem de cetero Eremi vestræ, loca, vel possessiones, seu domos, aut redditus alios recipiatis, vllo modo, vel præsumatis habere, præter asinos, mulos, & aliquod animalium, seu volatilium nutrimentum. Quieti quoque vestræ prouidentes, & paci adijcimus, vt nullus in eadem Eremo Priorem instituere absque fratrum, vel maioris, & sanioris partis ipsorum aßensu præsumat. Ad hæc etiam Regulam approbatam à bon. mem. Honorio Papa prædecessore nostro, & ab eo vobis traditam in remissionem peccatorum obseruandam, auctoritate Apostolica confirmamus, & in eodem loco perpetuis temporibus præcipimus obseruari.* Referunt Bullam Sibertus de BeKe *in Tractatu de considerat. super Regulam Carmelit.* in Specul. Ordin. *fol.* 32. Palæonydor. *lib.* 3. *cap.* 5. Balæus etiam *in Cathalogo Scriptorum Brittann. Centuria* 3. in Gregorio Nono dicens. *Carmelitis preter asinos, mulos, & aliquod animalium, siue volatilium nutrimentum, hoc est, lac, & oua, ann. Domini* 1230. *nihil poßeßionis admisit, cætera omnia ostiatim petere iussit, &c.*

3 Ex quo habetur, Ordinem nostrum omni iure inter Mendicantes numerari. Mendicantes enim dicuntur hi, quibus ex Regula, vel Constitutionibus interdictum est habere in communi redditus, & possessiones. Glossa *in cap. ex eo, verb. Mendicantes, de excess. Prælat. in* 6. Azor. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 12. *cap.* 23. Sanchez *lib,* 6. *in Dec. cap.* 7. *numero* 113. Constat autem ex Regula nostra, iuxta expositionem Summi Pontificis Gregorij Noni adductam, redditus, & possessiones etiam in communi prohibere, nec permittere, nisi asinos, & mulos, aut comestibilia ad nutrimentum. Constat etiam minus bene dixisse Azorium loco citato Ordinem nostrum, non ex Regula, sed ex Constitutionibus Mendicantem nuncupandam. Quod enim à Summo Pontifice Regula declarante præcipitur, secundum Regulam appellari debet, cum Pontifex nouum præceptum non imponat, sed, quod in Regula implicite latebat, clarius exponat, Ordo Carmeli inter Mendicãtes

quod

quod in proposito accidit, dum Gregorius Nonus dubiam Regulam circa possessionem reddituum, & aliorum huiusmodi modo dicto explanauerit. Alia de hoc dicimus *Tom. 2. Summ. Quæst. Regular. cap. 1. num. 1.* & *Tom. 4. verb. Mendicantes.*

Alius Greg. Diploma.

4 Eodem etiam sui Pontificatus anno tertio pro quinto idus eiusdem mensis Aprilis, Perusij etiam agens, Ordinem sub Beati Petri, & Pauli, & Apostolica protectione suscepit, ac indultum pro tempore interdicti generalis fratribus nostris concessit, his verbis; prout in Speculo Ordinis *folio 63.* sic habetur. *Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremi de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ meretur honestas, vt vos in Christi visceribus amplexantes supplicationibus vestris, quantum cum Deo possumus annuamus. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris precibus inclinati, personas vestras, & locum, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri, & Pauli, & nostra protectione suscipimus, & ipsius scripti patrocinio communimus. Auctoritate vobis præsentium indulgentes, vt cum generale fuerit terræ interdictum liceat vobis clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina Officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici.* Nulli ergo.

B. Simonis industria.

5 Hæc autem Gregorij Diplomata Beati Simonis StocKi opera, & industria impetrata fuisse, facile conijcitur, tum ex eo, quod, vt in superioribus diximus, Ordinis Vicarius Generalis in Europę partibus erat, tum quia in Officio eiusdem Beati Lect. 6. habetur, ipsum Ordinis confirmationem à Gregorio Nono impetrasse. Si autem confirmationis Diploma ab eo obtentum est, idem erit dicendum de alio posteriori loco Diplomate adducto, quod tribus tantum diebus post primum editum fuit.

Imago B. Marię Drepanensis.

6 Constat authenticis instrumentis sub hoc anno 1230. pretiosissimam illam nostræ Religionis gemmam, Imaginem videlicet Beatæ Virginis, vulgo *Madonna di Trapani* nuncupatam, à nostris Religiosis obtineri. Qualiter autem cæleste munus nobis à Deo collatum fuerit, sic traditum habemus. Dum Sacra Palæstinæ loca in Barbarorum manus, propter pupuli crimina cadebant, nobiles quidam Pisani Ioannitarum Ordinis, Sacram hanc Deiparæ Imaginem ex quodam ipsorum phano Europam, vt Turcarum rabiem effugerent, naui fideliter vexere. Drepani Portum appellens nauis, nulla vi inde discedere potuit, donec Sacrum pignus, quod in patriam deferre in votis erat, ibi nostris Carmelitis iampridem è Carmelo translatis vicino commorantibus tradidissent. Hinc postea facilè nauis portum soluit, nostris Patribus, qui tunc in Ecclesia Beatæ Virginis, vulgo *Madonna del Parto* morabantur, cælesti thesauro relicto. Quot porrò mirabilia Beatissima Virgo, sub hac Sacra Imagine venerata temporibus sequentibus patrauerit, narret Sicilia, Italia tota, magnaque totius Europæ pars; sed numeret, qui multitudinem Stellarum. Fidelium concursus tantus quandoque visitur, præsertim 15. Augusti die, vt quadraginta millia numerentur. Sed, & Sarracenorum Xenijs, ac donarijs, ipsis etiam

sub

sub saluo conductu vicissim ad Templum sanctum pro gratijs, & lampadum oleo, quo vngantur, obtinendis, properantibus, Sacram hanc Virginis Ædem nostris commissam gaudere receptum est. De his Franciscus Cherascus *in vita Henrici Siluij Generalis in informatione Prouinciarum, & Conuentuum Ordinis*. Et in libro, cui titulus *Giardino de' Tesori spirituali*, *pagina 265*.

6 Quamuis autem hæc, quam retulimus ex Cherasco de aduentu huius Sacri Simulacri Virginis Drepanum opinio creditu digna sit, quod ipse diligens rerum. & historiarum Ordinis scrutator rei veritatem indagare non segniter quæsierit; nihilominus, quia res incerta, vtpotè, quia illius Cœnobij monumenta omnia igne combusta tempore pestis, annis posterioribus fuerint, quod in Cœnobio ipso Xenodochium pro contagio infectis curandis institutum fuerit, vt asserit Ioannes Mannus *in descriptione huius Sacræ Imaginis*; Ideo aliorum placita hic referre lubet, vt vel ex plurium coniunctim testimonijs, quid vērius, vel verosimilius sit teneatur; de quo Antonius Portus, Ioannes Franciscus Pugnator, Nicolaus Orlandinus, Octauius Caietanus Iesuita, & prædictus Ioannes Mannus scripserunt. Aliorum placita.

8 Quidem ergo huius Sancti operis auctorem vocant Guerrerium in Syriæ Præfectura Equitem Templarium, apud quem hæc Sanctissimæ Virginis effigies habebatur, vt Orlandinus testatur, qui secum unimo reputans, Orientalem totam Ecclesiam sæuis hostibus in vltionem tradendam, ne Religiosissimum simulachrum Victori barbaro traderetur, naui imponit fœliciores in terras iturum. Pisas Vrbem Italiæ, vnde Equitis origo, iter dirigebat. Sed, Deo aliter disponente, ventorum vi iam prope naufragium nauis Drepanitam ad oram defertur, haud Drepano procul in mari, quod indito nomine ex reperta in eo effigie, *Sanctum* appellant. Super fluentem arcam aduertere piscatores, plenamque mercium existimantes, traxere in littus, quod Ædem iuxta DD. Cosmæ, & Damiani effringunt, auidi; aspectoque Dei Matris Simulachro marmoreo, lætum id Regno, Vrbique gratantur, multo ditiores opes inuenisserati, quam sperassent: exinde Drepanum fama, & miraculis clamantibus deuectum plaustro. Vbi ventum ad Ædes Virginis, boues effigiem sistunt, nulla vi loco moueri permittentes; sicque Carmelitarum Templo, & Ordini cessit. Quorundã sententia.

9 Alij sic rem enarrant. Effigiem aduersa tempestate à nauicularijs in mare præcipitatam, hinc in littus à piscatoribus tractam, è littore in Ædem Carmelitanam vehiculo aduectam. Quod testari videntur eiusdem Templi antiqua monumenta, nam subter epistilia columnarum nauis intentis velis, & plaustrum à bobus retractum supra 300. annos sculpta conspiciuntur. Cui sententiæ adhæret Octauius Caietanus Iesuita *in Historia Virginis Drepanitanæ in Siciliam aduentu*, adhuc Typis non edita, alijs aliorum placitis, quæ ibi refert, non admissis. Aliorum.

10 Ioannes autem Mannus Carmelitanus noster Drepanita in breui Ioannis Manni.

huius

huius Imaginis descriptione ad Theodorum Stratium Generalem nuncupata anno 1634. affirmat nauim prædictam Sacro hoc pignore fœtam, & ventis agitatam, Lampidosam Barbariæ Insulam miraculosè appulisse, & inde Drepanum, quo discedere conantem regredi coactam, donec Equites, & nauicularij id animaduertentes in domo *Munitionis* nuncupata, loco depositi reposuerunt. Consul vero, cui commendata Effigies, Pisas mittere decernens, bouum plaustro imposuit, at ipsi non mare versus, quo dirigebantur, sed ad terram procedentes, ad Ecclesiam Sancti Leonardi, primum huius facti memoria fabricatam, deinde ad Carmelitanorum Ecclesiam peruenientes, stimulis, flagellis, aut vi nullatenus, cum inde dimouerentur Fratribus, cessit Pretiosus Thesaurus.

Octauij Caietani. 11 Cœterum honestæ curiositati pernoscendi simulachri figuram, sic satisfaciendum, ipsis verbis à relato Octauio Caiet. Iesuita *in Hist. prædicta* mutuatis. *Drepanitana Virginis effigies in pedes stantis, & basi nixa nobilissimum opus è marmore Cyprio. Læuo bracchio diuinum Infantem sustinens, leuam eius altera manu sublatam defixa miratur. At Puer ora in Matrem intendens dextro brachiolo supra pectus reiecto, totam haurit. Tunica Virginis in muliebrem morem fluxa, etiam pedes tegit. Vestis exterior floribus ex auro pictis modice spargitur, nec perstringente nodo, sed Filio incumbente, collecti, vestium sinus retinentur decore candentes. Crepidinibus palliorum, Infantis, Matrisque Chaldaica littera auro illinuntur. Hæ diutius in obscuro Chaldæorum litteraturæ rudibus, donec fama Virginis Drepanum traxit, qui patrium sermonem interpretarentur, Armenios, quique terras Babiloniæ contiguas colunt. Quibus auctoribus reddita Imagini lux. Cognitum est enim in margine pallij, quo Puer obuoluitur, cingulo renum in hanc sententiam circumscriptum:* Deum magnum, specie paruulum, atque iucundum salutate. *Ad pectus Virginis Orbis est ornatu pulcherrimo, inscriptis intra verbis:* Ecce Ancilla Domini. *In eiusdem læuæ vestis ora hęc incisa:* Hanc credo Dei Matrem magnam esse. *Dexteraque ex parte,* anno D.CC. XXX.... Augusti . . . *numerorum notas, quo annus supra DCC. XXX. designabatur, diesque mensis proprius, vetustas oblitterauit, tenui damno. Haud ambigitur, absoluti simulachri ann. ad DCC.XXXIX. protendi summum potuisse. Diem Orlandinus vt certam prodit, quo assumpta in Cælum Virgo ad XVIII. Kalend. Septembris Argumentum ex eo, quod isto die plurima miracula patrantur. Haud tanto securitatis firmandum, quod non nisi in incerto piæ coniecturæ nititur, & alia miraculorum causę, neque exequi nostrum est. Adnotauere seniores curiosi rerum, ac temporum, Augusti mensem percharum Virgini Genitrici, quem multis euentis insigniuisset. Quo facta statua, quo in Siciliam vecta, quo Ædes Carmelitis permissa, eodemque simulachrũ in Ædem illatum, principiumque miraculorum ortum, & plura patrari solita. Ad seriem redeo. Pene tergum ima statua legitur;* Absolutam, sculptamque in Endithet Cypri oppido. *Cætera quę sequens ętas vulgauit, nec omittendum, interius palliũ à tergo his inscriptum:* Ego Dei seruus Sacerdos: *quę gladio recens incisa à Sacerdote Armeniorum, qui huc peregrinatum venisset.* Hæc Octauius.

Nec

12 Nec contemnenda alia, quæ in eadem historia de huius admirabilis Imaginis forma sic scripsit idem Octauius. *Cæterum effigies admirabili candore alabastrum anteiens, decore eximio, & maiori, quam humano opere, manuque addi quiuerit, omnino non sine ope cęlestium facta. Atque eo oris habitu, vt quoquo versum flexeris in te oculorum obtutus intendi sentias, siue aduersam, siue ex Ara cornibus aspicientem. Illud admirabilius, videri humanorum affectuum præferre signa: gaudij, tristitiæ, iræ, vt læti, tristesvè Reginam salutatum adierint, læto ipsa vultu, seu tristi, quasi gratiæ, & misericordiæ matrem, lætitia, aut nostrarum fortunarum mæror afficeret. Sed atrocior in scelestos; infixis acriter oculis, flagitia, conscientiamque obiectans, aspernare, ac pellere procul aspectu eius indignos. Nec desunt qui moneant Simulachri speciem, candoremque cæli instar, violari non posse. Tot enim ante lampadibus, lychnisque ardentibus, nihil hactenus miraculo infectum; cum longiora marmorum, quibus Sacrarium Virginis adornatur fumum bibant. Hic non prætermiserim raram vocem Henrici Henriquez Comitis Aluæ de Aliste Siciliam pro Regis obtinentis, præconium de Virgine Drepanitana. Qui cum Drepanum venisset visendæ Virginis spectans effigiem decore cælesti, vixque credendo, permouente animum pietate, lætitiaque. ita prolocutus est*: Cupientibus videre pulchriorem in Cælum abeundum est. *Ex in vt Imperio perfunctus in Hispaniam reuertitur, sacra illius Ædis gloria, miraculisque commemoratis, Reginam talium auidam opere maximo inflammauit, quæ grauidum dein vterum, partumque Drepanitanæ Virgini commendauit, & eius ope iuta, beneficij memor, enixam post stirpem, Aloysium, cui cognomento* de Soto maior *militia olim inclytum Drepanum misit, qui potiori Reginæ grates exsolueret.* Hæc Pater Octauius, à quo non multum abest Franciscus Cherascus *in vita Henrici Siluij*. Alia de ea historia.

13 Ex quibus colliget Lector, quod quamuis annus certus, quo nostri primum, è Carmelo, vel alijs Siciliæ locis Drepanum aduenerint, non reperiatur, haud tamen ambigitur quin sub hoc tempore in ea Vrbe mansionem habuerint, vel in Ecclesia Beatæ Virginis *de Partu* nuncupata, prout diximus *sub anno* 1200. vel in alio iuxta Ciuitatem deserto loco, prout nostris tunc moris erat. Id vero constat circa annum 1250. vt eo tempore dicemus, locum in quo modo sunt inhabitare cœpisse. De alijs etiam ad hoc illustre Cœnobium spectantibus, & pretiosa supellectile, qua sacerrima Virginis Imago ibi existens à nostris sacro cultu honoratur, alio oco dicere poterimus. Corollariū.

Ann. Christi *1231.* Gregorij *9:* Roman. Pontif. *5.* Friderici Imperat. seu Reg. German. *21.* Balduin Imper. Orient. *3.* Alani General. *1.*

Gregorij Papæ gesta.

1 Gendum erat sub hoc tempore Pontifici Gregorio contra factiosos quosdam, qui Romæ post eius abscessum seditionem mouerunt. Imperator etiam Fridericus Romanis fauere videbatur, animum eisdem contra Viterbienses Gregorio addictos adijciens. Facile postmodum Papa audaciam Romanorum repressit, & damna illata resarciuit. Cœterum cum Fridericus bona omnia Templarijs, & Hospitalarijs erepta restituere renuisset, Pontifex pro eis restituendis laborabat, & ipsum monebat, vt opportuna auxilia pro Terra Sancta defendenda submitteret. Nauclerus, Blondus, Platina, & Bzouius.

Berthol. General. obitus

2 Hic annus, qui vltimus vitæ fuit plurium Sanctorum; eo etenim tempore diem suum clauserunt Sanctus Antonius de Padua, & Sanctā Elisabetha Hungariæ Regis filia, & Ludouici Thuringiæ, & Hassiæ Lantgraui vxor; vltimus quoque fuit Generalatus Bertholdi, iuxta computum nostrum. Cum enim Ordinem studiosè, & laudabiliter septem annis (teste Palæonydoro *lib. 3. cap. 5.*) rexisset, & sub anno 1224. ad Generalatum post B. Cyrillum euectus esset, non sine fundamento credimus hoc anno, vel paulo post diem clausisse extremum.

Variant Authores.

3 Variant sanè nostri Auctores in hoc, ita vt vix vnus alij cohęreat, sed nos sicut Latinorum Generalium Chronologiam vsque ad Beatum Cyrillum ex ipsius libro accipiendam credimus, sic in alijs successoribus vsque ad Beatum Simonem obscuro tramite, prout tamen veritati conformius esse apparebit, incedendum existimamus. Commendatur à nostris Bertholdus, vt vir eximiæ sanctitatis, & eruditionis, diuinæ scripturæ studiosissimus, morumque honestate conspicuus, & quod præclara sequacibus suæ pietatis exempla præbuerit. In Carmelo ipso mortuum, & sepultum fuisse colligitur, ex Petro Lucio *in Bibliothec. Carmelit. & in Compend. histor. cap. 12.* ac ex Cherasco *in Cathalogo Generalium*. Vitæ sanctitate, diuinis reuelationibus, ac miraculis clarum eum compellat Segerus Pauli *in Chronolog. vit. S. Simonis Stock ad ann.* 1240.

De Alano quinto Generali Latinorum.

Alanus Generalis.

4 IN eo autem conueniunt Historici omnes nostri, quod post Bertholdi obitum, Alanus Britto in Generalem Ordinis à Fratribus suffectus sit. Comitijs ergo in Carmelo (vt credimus celebratis, & Eremitarum consensu, cum iam Pontifex Summus (vt anno præcedenti visum est) declara-

clarauerit ad eos ſolummodo hoc munus ſpectare, Alanus prædictus in Ordinis Paſtorem fuit electus, & ſanè non mediocris prudentiæ credendus hic Pater eſt; qui in tanto Terræ Sanctæ diſcrimine, totque calumniantium Ordinem turbinibus, is ſolus præ alijs Director, & Moderator vocatus fuerit. Vnde *ſapientia, atque morum honeſtate præditus* vocatur à Boſtio *lib. 7. Specul. hiſtor. cap.* 11.

5 Credimus etiam (cum nihil de hoc hiſtoriæ noſtræ loquantur) in partem regiminis Ordinis ſocium ſecum adhibuiſſe Beatum Simonem Stockum in Europæ partibus Vicarium Generalem eum conſtituendo, quemadmodum ipſius prædeceſſores feciſſe diximus: cum & viri ſanctitas, & Religionis neceſsitas, id iure poſtulaſſent, vt propterea hoc etiam titulo eius ſucceſſor in Generalatus munere ab Ordine fuerit vocatus, pro vt contigiſſe dicemus *ſub anno* 1245. Geſta Alani

Ann. Chriſti 1232. Gregorij 9. Roman. Pontif. 6. Friderici Imperat. ſeu Reg. German. 22. Balduini Imperat. Orient. 4. Alani General. 2.

1 HOc anno Fridericus Imperator Patauium veniens, præſentibus Cardinalibus Legatis, in gratiam redijt cum Ciuitatibus confœderatis Lombardiæ, cum quibus iamdiù, multoque Chriſtianitatis damno, contenderat. Pacis etiam conditiones nonnullæ à Gregorio Pontifice per Legatos ſtabilitæ ſunt. Interim, cum laborantibus in Syria Chriſtianis ſubuenire Pontifex deſideraret, Patriarcham Hieroſolymitanum, & Magiſtros Templariorum, Hoſpitalariorum, atque Theutonicorum Militum, vt cum eis de remedio ageretur Romam euocauit. Cum autem fama eſſet, quod Imperator Turcis conniueret, pro tanto ſcelere (ſi verè fuit) à Papa reprehenſus, errorem correxit, & pro libertate Eccleſiaſtica Diploma vulgauit. Bzouius *ſub hoc anno*. Friderici Imp. geſta.

2 Diſponebatur interim à Deo magnus ille inter Pœnitentes; imo verò Pœnitentium rarum exemplar, Francus Senenſis, de quo ſub anno 1211. diximus: varijs pietatis, & mortificationis operibus; vt aptior fieret ad habitum Virginis, ac Religioſum Ordinis ſtatum amplexandum, provt feciſſe, in ſequentibus dicemus. Hoc enim tempore totus in peregrinatione Sanctorum, & piorum locorum poſt redditum è Compoſtella Francus erat. Romæ enim, Neapolis, & Siciliæ Sancta Templa, ea maximè, vbi Sanctorum memoriam piè veneratur Eccleſia, deuotè viſitabat. Eremitoria dum reperiebat cum illic degentibus pijs hominibus, quod poterat morabatur, varios patientiæ, humilitatis, mortificationis, ſilentij, ſimiliumque virtutum flores, vt ſibi Sanctitatis ſertum conficeret; excipiens. Donec Senarum Vrbem patriam rediens, quæ ſedulus didice- B. Franci geſta.

rat cum magno Ciuium exemplo feruidus exequebatur. Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap. 8. & 9.*

Ann. Christi 1233. Gregorij 9. Roman. Pontif. 7. Friderici Imperat. seu Reg. German. 23. Balduini Imp. Orient. 5. Alani General. 3.

Frider. quę tentabat.

1 SVb hoc tempore, quamuis pacis conditiones inter Fridericum, & Ciuitates confęderatas Lombardiæ auctoritate Apostolica firmatæ essent; nihilominus Imperator maiora ab illis desiderabat; & propterea pro æqua sibi reddenda satisfactione instantiam faciebat. Pontifex verò ei pleno iure satisfactum esse arbitrabatur; nihilominus, vt omnem ei criminationis occasionem præriperet, maiorem satisfactionem, si opus esset, offerebat. Quo Fridericus contentus pacis conditiones factas se seruaturum spopondit. Bzouius *sub hoc anno*.

Bellum in Italia.

2 Florentini interim, & Senenses, occasione montis Politiani, quem Florentinis fęderatum Senenses armis occupauerant, tumultuabantur. Propterea exercitu comparato ad quadraginta tria castra Senensibus eripuerunt, & sanguine fędauerunt. Ioannes Villan. *lib. 6. cap. 9.* Idcirco nostris Carmeli Eremitis Senarum, & Florentiæ Vrbium antiquis incolis, iuxta dicta in præcedenti Tomo, damna, & incommoda, qualia bella parturire solent, òbuenisse credibile satis: quæ illa fuerint temporum distantia sustulit.

Capella Insulæ Lampidosę.

3 In hunc annum 1233. inferenda videtur historia de Capella, seu parua Ecclesiola Deiparæ Virgini Drepanitanæ nostrorum Cœnobio, Dei speciali gratia concessæ, dedicata, in insula *Lampidosa* (alijs Lopadusa). Insula hæc est Africi Maris, nullo hominum cultu, prædantium nauigijs opportuna. Illic cum Virginis Simulachrum è Syria Pisas veheretur, vt Ioannes Mannus, de quo *anno* 1230. diximus, notauit, tempestate concussum requiem inuenit; & inde Drepanum appulit, vt eodem anno scriptum. Illic etiam Sacellum Dei Genitrici sacratum, Drepanitani nostri Cęnobij veluti vectigal, mirabile cunctis sanè, sicut incertum, quo primum anno cęperit. Sed quia facile còniectari datur post aduectam eiusdem Dei Genitricis Drepanum Iconem, fidelium deuotione paulo post extructum; ideo huic anno rem ascribimus, certius tempus ignorantes. Vtvt fuerit, huius Sacelli mirabilia, sic refert Octauius Caietanus Iesuita in *Manuscript.* de historia Virginis Drepanitanæ. *Illic Sacellum Dei Genitrici Sacratum, quo vecti diuinam Parentem venerantur, aucta donis adicula. Vetus ea Religio non modo Christianis, sed alienis recta à fide Turcis, Maurisque, neque nostrorum, aut hostium quisquam, has, illas vè oras, per latrocinia incursantium, spoliare Templum ausint, vel iniuriam inferre. Neque inde*

exin-

extulerint ausi, renitente numine; donec sacrilegiam restituatur. Eiectis in Insulam naufragijs, profugisque id solum fas commeatu à transmeantibus illic relicto famem tolerare. Reliqua Templi dona, vestes, arma, pecunia ex argento, auroque, Virgini Drepanitanæ seposita (quod animos audientium admiratione impleuerit) ea transuehere solis Melitæ triremibus permittitur, prohibito cæteris. Ille statuto tempore Lopadusam petunt. Ingressis Ædem, vbi collectum quidquid donorum foret, nomen Annunciatæ Drepanitanæ inuocantibus, egressus datur, vt insula, cui Dominæ tributum quotannis pendat, intelligeretur. Exin aduecto Drepanum ad Virginem munere, triremium Præfecto ab eo, qui Cœnobio impositus Chirographi cautio datur. Hæc ille. Quæ si mirabilia cuiquam videantur, mirabiliora de Dei Parente verè prædicari animaduertat.

Ann. Christi 1234. Gregorij 9. Roman. Pontif. 8 Friderici Imperat. vel Reg. German. 24. Balduini Imperat. Orient. 6. Alani General. 4.

1 RΕcuperationi Terræ Sanctæ intentus Pontifex Gregorius, Concilium Romæ de ea causa hoc anno celebrari fecit. Intererant cum Imperatore Friderico, Archiepiscopis, & Episcopis, Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, ex quorum iudicio decreta est expeditio Generalis ad subueniendum Christianis in Syria commorantibus, & Legatus cum magna potestate ad id munus à Papa destinatus, Theodoricus Archiepiscopus Rauennas. Vt autem maiora auxilia Crucesignatis exhiberi possent, Regibus, & Principibus Christianitatis ad tam sanctam expeditionem iuuandam litteris commonebat. S. quoque Dominicum sacræ Prædicatoriæ familiæ conditorem Sãctorum. Albo ascripsit, sperans proculdubio tanti Diui meritis fidei caussam fore promouendam. Bzouius *sub hoc anno*. Concilium Romæ.

2 Nostrorum Eremitarum in Palæstinæ partibus consistentium is status sub hoc tempore Alani Generalis gubernij erat. Reuelauerat quidem Deus Beato Cyrillo Montis Carmeli Eremitæ diuersarum nationum viros Virginis Religionem sacram professuros, per quos, in diuersis mundi Regionibus, in eorum maximè proprijs nationibus, cum adinueniret persecutio, propter quam oporteret eos de Terra Sancta fugere, copiosius multiplicanda foret. Sic enim testatur huius temporis fermè coæuus, & in eodem Carmelo Coeremita Guillelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicat. Ordin. in Speculo Ordin. lib. 9. cap. 3.* Quia ergo non obstante Papæ Gregorij anxietate pro Palæstinæ recuperatione, ob lentam, & pigram Christianorum Principum ad tam pium opus exequendum sollicitudinem, plurium discordias, & bella, desideratus finis non habebatur, quin potius Turcæ fortiores, & insolentiores in Christianos effecti, minas, & terrores maiores Nostrorum status.

iores reliquijs Christianitatis in Syria manentibus incutiebant,ideo nostri, præfatæ Cyrilli reuelationi, veluti innitentes, plures ex diuersis Occidentalium Europæ partium nationibus ad habitum Ordinis receperunt. Deo sic prouidente, vt Matris Virginis Religio, quæ paulatim in illa Regione, quæ proprium, & natiuum ipsius solum erat, decrescere cernebatur, amplius, & copiosius in exteris propagari posset. Quod præcipuè accidisse credimus sub regimine Bertholdi, & Alani Præsulum, qui cum in Europæ partibus orti essent, facilius ad ipsos Europæ viri accedere possent, habitum, & Religionem eorum postulantes.

S. Ludouici sancta vita.

3 In ipsis quoque Occidentis partibus, ad id opus promouendum, veluti à Deo eo tempore parabatur, Sanctus Gallorum Rex Ludouicus, ea sanctitate, & perfectione præditus, vt vitam ab omni mortiferi peccati contagione purissimam exegisse diceretur; piæ Matris Blanchæ verba tenaciter retinens: *Malim, charissime fili, te extinctum cernere, quam lethali alicui peccato obnoxium*. Is etenim Rex pijssimus nostræ Religionis eximius in Gallijs Propagator fuit, aliquos ex Carmelo Fratres secum Parisios ducens, Ædem ad habitandum ipsis concedens, Ordinis similem habitum gestans, & eorum in illis Prouincijs multiplicationem, & propagationem promouens, vt ex dicendis suo loco constabit.

Ann. Christi 1235. Gregorij 9. Roman. Pontif. 9. Frideric Imperat. seu Reg German. 25. Balduini Imperat. Orient. 7. Alani Gener. 5.

Syriæ status.

1 TImor, & tremor nostrorum Eremitarum in Syriæ partibus habitantium, per id tempus augeri iure posset, quod & Christiani ipsi tumultuantes, & inter se digladiantes, Turcorum vires, armaque contra ipsos roborabant. Cum enim Germani quidam in præsidium Christianorum ab Imperatore relicti corradendis pecunijs, temulentiæ, & libidinationibus intenti, ipsos maximè afflixissent, contra illos multi tumultuati vix sedari poterant, Pontifice, & Imperatore etiam pacis, & concordiæ pacta procurantibus. Quo, & infirmiorum nostri Ordinis professorum plures conterriti, & conturbati Terram Sanctam relinquere, & ad proprias Occidentalium partium nationes aduenire desiderare potuerunt, prout in sequentibus accidisse videbimus.

Conuent. Valencenensis.

2 Hac etiam forsan de causa, sub eodem anno, teste Petro Doulterman *in Histor. Vrbis, & Comitat. Valencenar. par. tertia, capit. 9.* noster Valencenensis Conuentus primo fundatus est. Quod etsi mirum aliquibus videatur, quod nostri Carmeli Eremitæ non nisi post aliquot annos Angliam, & Galliam aduenisse scribantur; verisimile

mile tamen satis est huius Authoris assertum: quamuis enim celebrior, & solemnior nostrorum ad Europam transmigratio ante illud tempus non contigerit, quosdam tamen ex eis sæpius à Crucesignatis Syriam confluentibus ad Occidentis partes ductos aduenisse, variaque Ordinis Cœnobia in Hispania, Italia, Germania, & Gallia fundasse, ex dictis tum in hoc, tum in præcedenti Tomo compertum est. Cur ergo ab aliquibus ex nostris in prædictis Cœnobijs commorantibus, nouus Conuentus hic Valencenensis erigi, aut fundari non potuit? Nec dictis fidem adimit, quod is non primis Belgicæ Prouinciæ in Capitulis Prouincialibus numeretur, sed post Iprensem, Brugensem, & Gandensem, quos constat post hoc tempus fundatos fuisse. Hæc enim Conuentuum numeratio, sæpius non ratione antiquitatis, sed propter alias causas contingere solet in Ordine. Sunt in veneratione in hoc Conuentu pars Ligni Sanctæ Crucis, Brachij Sanctæ Barbaræ, & de Reliquijs Beati Simonis StocK. Celebratum in ipso Capitulum Generale fuit anno 1330. & in eo in Generalem electus Petrus de Cæsis. Illustriores, qui in ipso floruerunt, sunt, Ioannes de Condeto, Ioannes Barath, & Ioannes Brisselotus Carolo Quinto Imperatori à Confessionibus & secretis Consilijs, Episcopus Beritensis, Archiepiscopus Arborensis, & Sardiniæ Primas, quem multi vnum è Luminaribus Ecclesiæ vocauerunt. Alia alibi dicentur.

Ann. Christi 1236. Gregorij 9. Roman. Pontif. 10. Friderici Imperat. seu Reg. German. 20. Balduini Imperat. Orient. 8. Alani General. 6.

1 LOmbardiæ Ciuitates confœderatas turbabat hoc tempore Fridericus cum Eccelino Tyranno, hinc Ciuitatem Vincentiam occupauit. Nauclerus, Blondus, Auentinus. Græci autem Constantinopolim obsidentes ope Venetorum repelluntur, qui inde digressi Rhodum capiunt. Blondus, Gordonus. Interim Fridericus Henricum filium iampridem Romanorum Regem à se inauguratum, catenis oneratum in Apuliam misit, vbi carcere teterrimo, inedia, & pœdore mori coactus. Bzouius. Orbis gesta

2 Accidit hoc anno B. Iordanis Sacræ Prædicatorum familiæ post Sanctum Dominicum Generalis, beata mors, quæ eo nostris Annalibus inserenda fuit: quod eius gloria cuidam ex nostris Carmeli Eremitis cælitus patefacta est. Erat hic noster Religiosus in Ordine Tyro, seu nouitius, forsan ex illis, de quibus sub anno 1234. diximus. Cum autem B. Iordanis obitum, quoad homines quidem infaustum, & infœlicem, vtpote qui prope Acconem non longe à Carmelo, maris tempestate quassatus naufragio interierat, audisset, hac Diaboli tentatione tactus est, vt Ordinem, & habitum B. Iordanis visio.

bitum

bitum desereret, quia illi per tentationem suggerebatur, vanum esse Deo seruire, siquidem Iordanis ille pius, & bonus, tam misera, vt videbatur, sorte perierat. Iam ergo sequenti die propositum exequuturus ea nocte in visu Iordanem gloriosum vidit de propria salute annunciantem, & quod omnis qui Deo vsque in finem seruiens perseuerauerit, saluus sit futurus, proferentem. Quo visu consolatus Frater in Ordine Carmeli perseuerauit. Casum referunt Annales Dominicanorum, præsertim Thomas de Maluenda *sub anno* 1237. ex Humberto, Antonino, Leandro, & Castillo his verbis: *Frater quidam de Ordine Carmeli ad recedendum tentatus, audito quod Frater Iordanis summersus fuisset, magis, ac magis turbatus, hac apud se dicebat. Vanus est omnis, qui seruit Deo; aut iste bonus homo non fuit, qui sic perijt, aut Deus non bene remunerat eos, qui seruiunt sibi. Cum igitur ad mane recedendum firmasset animum, ipsa nocte apparuit ei persona pulcherrima cum luce immensa circumiens ipsum; tum tremulus, ac stupens orabat dicens: Domine Iesu Christe adiuua me, & ostende mihi quid hoc sit, & statim respondit: Ne turberis frater charissime, quia ego sum Frater Iordanis, de quo tu hesitabas, & saluus erit qui vsque in finem seruit Domino Iesu Christo; & disparuit, ipso in omnibus consolato. Hoc ipse Frater, & Prior eiusdem Ordinis Frater Simon vir Religiosus, & verax, nostris Fratribus narrauerunt.*

Quis hic Simon.

3 Circa hunc porrò casum, illud animaduertendum. quod etsi incertum sit, quis fuerit Frater ille, cui ea reuelatio contigit; nihilominus, quod *Simon* iste vocatus *Prior*, fuerit B. Simon StocK, pro comperto videtur, prout nomen, tempus, locus, & signa sanctitatis denunciant; & tradit Segerus Pauli *in Chronolog. Beati Simonis ad ann.* 1236. & 1237. post Arnoldum Bostium *in Tract. de viris illustribus Ordin. cap.* 3. Qui etiam addit, Petri Sunaningtoni testimonio nixus, eundem Simonem, cum præfato Iordane, amicitiæ sibi necessitudine coniuncto, suam profectionem in Palæstinam instituisse, vt sui Carmelitici Ordinis Generali Capitulo sequenti anno in Carmelo celebrando, vt nos dicemus, interesset. Et quod, cum Iordanus ipse naufragio perijsset, eidem quoque Beato Simoni apparuisset gloriosus, sicut & Fratri Carmelicolæ relato. Quod verò B. Simon appelletur *Prior eiusdem Ordinis* in ea historia mirum non sit, cum postea, vt dicemus in sequentibus, Prior Generalis Ordinis fuisset, quo tempore ea narrare poterat Dominicanis PP. Vel etiam, si ea ad hoc tempus referantur, quia tunc erat Generalis Vicarius Ordinis in Europæ partibus, vt nos diximus in præcedentibus; & ita *Prior* vocari poterat.

Ann. Christ. 1237. Gregorij 9. Roman Pontif. 11 Friderici Imperat. seu Reg German. 27. Balduini Imp. Orient. 9. Alani General. 7.

1 TVrbata cuncta in Orbe Christiano hoc tempore erant; cum Fridericus Imperator Italiam, Lombardiam maximè, vexaret; Crucesignatos per Prouincias Imperij transire non permitteret; ac Græca Ecclesia cum suo Constantinopolitano Patriarcha, à Latina discessionem iterum molire præsumeret; & hoc anno induciæ in Palæstina cum Barbaris ruptæ essent. Bzouius, Gordonus ex alijs. Turbines in Orbe.

2 Nouerant absque dubio nostri Eremitæ in Palæstinæ partibus existentes Friderici Imperatoris mora, subsidij ferendi dilationes, & bella, quæ inter ipsum, & alios Principes Christianos in Italia gerebantur, vt propterea quidam ipsorum, infirmiores sanè, & ex illis, qui ex Europæ Regionibus habitum, & Ordinem in Carmelo receperant, perterriti, maximè de frequentibus Paganorum incursibus, quos in Monasterijs, illis præcipuè quæ erant in Eremis, patiebantur, optabant Terram Sanctam deserere, &, si licitè possent, ad Regiones proprias, vnde venerant, redire. Desiderabant enim in illis Monasteria Religionis construere, in quibus possent securè Deo, & eius Matri Virgini iugiter famulari. Et quamuis aliqui ex Fratribus, firmiores forsan, vèl ex illis, qui in ea Terræ Sanctæ Regione originem habuerant, oppositùm contenderent, suorum Prædecessorum, & primorum Parentum exemplo ducti, qui nunquam Terram illam, veluti primariam eorum Originem, in magnis etiam persecutionibus deseruerant, nihilominus, quia vtrinque rationes militabant, Fratresque in diuersas trahebantur sententias, quæ Religiosam quietem perturbare possent, congregatum Capitulum fuit in Montis Carmeli Monasterio, & ibi matura discussione, prout decebat, negotium resolutum. Guilelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicat Ordin.* in Speculo Ordinis *lib. 9. cap. 3.* Nostrorum curæ.

3 Accidit autem huius Capituli tempore, vt cum res sub trutina, & Patrum discussione versaretur, Prior Carmeli (quem iuxta computum nostrum, Alanum fuisse credimus) à Beata Virgine Ordinis Tutelari, de licentia Fratribus quibusdam ad propria redeundi concedenda in somnis admoneretur. Inspectis ergo, tum Christi præcepto Matth. 10. *Si persequentur vos in Ciuitate ista; fugite in aliam*, tum ipsius exemplo; qui etsi missus non esset nisi ad oues domus Israel, dum tamen eum Herodes persequeretur, Terram Sanctam deseruit, & in Ægyptum fugiens, ibidem vsque ad Herodis obitum morabatur, tum denique Patris Eliæ, qui etiam Achab, & Iezabel persecutionem fugiens, Terram, in qua erat, deseruit: Visio B. Virginis.

accedente etiam diuinitus Alano facta reuelatione, ex decreto Capituli licentiam præfatam aliquibus Fratribus ad propria redeundi, illicque Ordinis Monasteria ædificandi, concessit. Ex Cypro autem, Sicilia, & Gallia, ea præsertim parte, quæ Prouincia vocatur, hos Fratres fuisse, ex ijs, quæ sub anno sequenti dicemus, constabit. Guillelmus de Sannico, vt supra.

Ex Bostio.

4 Hanc porrò historiam, & plura nostræ contextum concernentia ex celebri Authore Arnoldo Bostio in *lib. de Patronat. Virginis, cap. 6.* libens audiat Lector. *Succedente vero tempore, anno videlicet Christianæ salutis Millesimo ducentesimo, & trigesimo septimo, cum solito fortius à Sarracenis oppugnaretur nobilis, sancta, & desiderabilis, diuinæ repromissionis Terra, domina gentium, princeps Prouinciarum, paradiso amenissima, fertilitate ferè consimilis, possessio Patriarcharum, Prophetarum mater, & Apostolorum Sedes, gratiæ nunciatrix, & gloria populi Christiani, quam olim in carne præsens visitauit, & incoluit, miraculis illustrauit, & proprio sanguine dedicauit Oriens ex alto. Et vt clarissimi Clarauallensis Abbatis Sancti Bernardi verbis vtar; Terra bona, & optima, quæ in fecundissimo illo sinu suo ex arca Patrum, cordis cæleste granum suscipiens, tantos ex superno semine Martyrum segetes protulit, & nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructuum fertilis gleba, trigesimũ, & sexagesimum, & centesimum super omnem terram multipliciter procreauit: ac præpediente Imperatore Federico secundo, qui aduersus Romanam Ecclesiam grassabatur, solitum non haberet ab Apostolica Sede succursum, deuoti complures superamabilis Marię Fratres natione Occidentales (qui dum Sanctum Domini Sepulchrum visitare venerant, Sanctæ conuersationis Mariæ filiorum attracti fuerunt, adeo, vt in Carmelo, Horto Liliorum Domini, Fonte Religionum, portu Paradisi, Mariæ Saluatoris Matri, omnis tribus, lingua, & natio, quę sub Cœlo est, benedicerent) propter frequentes, quos patiebantur Sarracenorum insultus, & hi prę cæteris, qui in Eremis Monasteria habuerunt, partes Occiduas petere decreuerunt, vt quietius ei, Natoque suo seruire valerent. Multis denique grauiter ferentibus, quod tam dilectis vnanimis vitæ socijs ex tunc iugiter frustrarentur, facta est Capitularis Congregatio in Ecclesia Mariç primarę in Monte Carmelo, prope fontem Eliç, in originali totius Religionis Mariæ Monasterio, in Sanctuario Mariç, quod firmauerunt manus eius, quod & Beatus Martyr Antoninus libro de Sacris locis Orientis, Elisei prophetæ Monasterium appellato. Et conuenerunt Patres discretiores omnium Ordinis Mariç Conuentuum, seu Cœnobiorum, quæ Carmelus in Terra Sancta pepererat, videlicet 2. de Domo desiderabilis Eremi Quarentenę prope fontem Sanctissimi Patris Elisei, qui sic appellatus est, eo quod aquas eius steriles, & amaras, salis iniectione sanauit, virgineo flagrans Elisæus flore Propheta. In qua etiam Eremo Dominus Saluator quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit. Cuius loci Eremitas Dominus Iacobus de Vitriaco in historia Orientis singulari laude commendat. 3. De Monasterio Vrualdi à cognomine Fundatoris sic appellato, in Eremo, quę adiacet mari Galilæo sito, in qua Dominus Iesus frequenter turbis prædicauit, & de* quin-

quinque panibus, & duobus piscibus tantum satiauit hominum multitudinem; varijs quoque miraculis coruscauit. 4. De Conuentu Ptholemaide, seu Acconensi. 5. De Conuentu Tyri. 6. De Conuentu Sareptano, qui eo loco (videlicet ante portam Oppidi) in honorem gloriosissimæ Virginis Mariæ constructus est, vbi Sanctus Elias venit ad mulierem viduam, apud quam diuina ordinatione hospitium accepit, cuius & filium a morte fecit reuiuiscere; quapropter & à Ludolpho vocatur Ecclesia Sancti Eliæ. 7. De Conuentu Tripolitano. 8. De Conuentu Montis Libani, qui & Bellus locus, ob situs amænitatem, dictus est. 9. De Conuentu Sanctæ Ciuitatis Hierosolymitanæ, qui Portę Aureæ vicinus dicebatur Domus Beatæ Annæ, eo quod Sanctissima Mater Anna (quæ cunctis astris longè splendidior, per preces, & repromissionem diuinam nobis Stellam maris peperit) & Sanctissimus Pater Ioachim suus Maritus pudicissimus (cuius & præcelsa gloria meretur esse in æterna præclarę laudis memoria) deuotissimi parentes, suauissimæ, & incomparabilis Virginis (quos ille, qui cognitor est vniuersorum, velut optimos omnium, elegit ad conceptionem, generationem, atque educationem suæ prębenedictæ Genitricis) signo diuinitus accepto sibi inuicem obuiauerunt ibidem, de promissa prole Dei Matre, Reginaque Cœli futura assecurati. Et ex hac domo prodiere clarissima illa duo mundi Sydera, Sanctus Angelus Martyr vitæ merito sanctioribus annumerandus, Prædicator Christo plurimum fructificus, innumeris miraculis coruscus, & Sanctus frater eius vterinus Ioannes Hierosolymitanus Pontifex, instar maiorum Cęli luminarium longè, lateque refulgens. 10. De Conuentu Antiocheno. 11. De Conuentu Montis Neroi, seu Montanæ Nigræ, cuius loci Eremicolas Frater Thomas de Cantiprato Ordinis Prædicatorum, in suo libro Apum eximia laude commendat, & de cæteris alijs Conuentibus, qui Institutionem, & Regulam à Montis Carmeli Monasterio tanta professionis fonte sumpserant, & Priori Carmelitano fuere subiecti. Inter cætera, quæ in eo Capitulo tractata fuerant, proposuere Fratrum multi recessum aliquorum à terra illa (quę incolarum peccatis exigentibus indies amplius oppugnabatur) expedire; ne tanta Religio inter Turcas impudicos euanesceret, sed in partibus Occidentis transplantata iugiter floreret, fructumque faceret abundantem, præsertim cum iam permulti eorum Sarracenorum gladio forent absumpti. Contradixere plures, non esse dicentes fortis militis tergum ostendere, sed viriliter persistere, & ad mortem vsque bellando perseuerare. Cumque sic dubia Patrum fieret sententia, singulare totius sæculi propitiatorium, pijssimaque suorum semper consolatrix Virgo Maria, decus Orbis, Sydus hominum, speculum Angelorum, dulcis eloquio, & facie gratiosa sancto Priori Carmeli ad dandam scientiam salutis plebis suæ clementer apparuit, & admonuit, vt petitioni Fratrum, qui Orientale lumen tenebris Occiduis inferre vellent, nequaquam obsisteret, innuens ei a se, & à filio suo hunc egressum esse sermonem, quatenus Carmeli flores non solum Palæstinam, & Syriam, sed & Orbem adornent vniuersum, & Terra repromissionis, quæ olim fluxit lac, & mel, suis duntaxat habitatoribus, ex nunc vniuerso Orbis remedia salutis, & vitæ porrigeret alimenta, sicque Ecclesia ab vnitate, nec mari, nec terrarum spacio disiuncta, pia incolarum communicatione, & pignorum susceptione

Nn 2 osten-

ostenderetur sociata. Hoc itaque Reginæ præpotentis edoctus oraculo diuinitus inspiratus, Prior annuit ædificandi in Regionibus proprijs Monasteria Sacra Religionis diuinissimæ Mariæ, licentiam eis impartiens; retenta adhuc secum firmorum Fratrum, qui animas quotidie pro Christo ponere parati forent, multitudine copiosa.

Qualis fit hæc visio.

5 Hæc autem Beatæ Virginis Alano Generali facta reuelatio, à Bostio recensita, ab ea est diuersa, quam sub anno 1224. retulimus. Ea namque Bertholdo post obitum Beati Cyrilli contigit, hæc Alano Bertholdi successori; illa obscurior, hæc clarior, & expressior: illa disposuit huius transmigrationis resolutionem, hæc vltimo perfecit; maioremque, vt credimus, Fratrum numerum ad Occiduas Regiones adduxit.

Translatio celebris.

6 Fuit porrò celebris adeo, & solemnis hæc nostrorum è Terra Sancta ad cismarinas Europæ partes translatio, vt veluti omnium prima à quibusdam ex nostris historicis censeatur. Licet enim tam ante Aymerici tempora, quam post Ordinis ab ipso inceptam reformationem varijs temporibus plures Carmeli Eremitæ Europæ Regiones aduenissent, vt constat ex Monasteriorum fundationibus, de quibus tum in hoc, tum in præcedentibus Tomis dicimus (neque enim illæ per alios, quam per prædictos Eremitas fieri potuerunt;) nihilominus hæc huius temporis transmigratio, Ordinisque translatio, ob eas, quæ ipsam comitatæ sunt circunstãtias, celebrior, vniuersalior, & quasi omnium prima iure censeri debet. Primo enim facta hæc fuit ex cælestis, & supernaturalis Beatæ Virginis visionis instinctu; aliæ autem (ea excepta, de qua *sub anno* 1224. dictum manet) ex priuato Fratrum, seu Superiorum iudicio. Hæc ex Capituli Generalis, matura discussione præmissa, decreto, illæ ex mero beneplacito Fratrum, & Prælatorum assensu. Hæc, ad plures mundi Regiones (vt in sequentibus dicemus) illæ autem ad vnam, vel etiam Ciuitatem. Quare ad istam, maturioris consilij, strictioris obseruantiæ, & maioris perfectionis fratres assumptos esse, quamuis nomina, numerum, aut qualitates ipsorum ignoremus; facile credendum est, de prudentia Generalis Alani, qui non nisi strenuos operarios ad id perficiendum transmigrare permitteret.

Ann. Christi 1238. Gregorij 9. Roman. Pontif. 12. Frideric Imperat. seu Reg German. 28. Balduini Imperat. Orient. 10. Alani Gener. 8.

Italiæ Rerus miser.

1 IN misero statu Italia fermè tota hoc anno posita erat, omnia namque ferro, & flammis ab Ezelino Tyranno, & Friderico Imperatore vastabantur. Patauium sub iugum misit, Brixiam obsedit, Papiam sui iuris fecit, Ferrariam, & alias Terras ad Ius Ecclesiæ spe-

ſpectantes eripuit, atque Sardiniæ Inſulæ Regem impoſuit. Gregorium quoque Pontificem monentem non audiebat, quin quos illi partiales nouerat crudeliſſimè vexabat. Deo ergo, Papæ, Epiſcopis, & Templis iniurioſus, Sarracenis ſolis ex Africa euocatis, amicus, & beneuolus Fridericus conſpiciebatur. Curante nihilominus Pontifice, vt eum à tot ſceleribus absterreret. Bzouius.

2 Quoad noſtri Ordinis Eremitas ſpectat, cum Terræ Sanctæ negotia in peius quotidie cederent, nec ſubſidia illi neceſſaria tribuerentur, maximè ob mortem Ioannis Brenni Hieroſolymitani Regis, quæ per id tempus contigit, omnia in turbatione poſita erant. Proinde ergo illi ex noſtris, qui, iuxta dicta ſub anno præcedenti, à Generali Capitulo in Monte Carmelo celebrato, facultatem in patriam ſuam redeundi, ibique Cœnobia Ordinis fundandi, habuerant, ſub hoc anno ad propria transfretarunt. Quidam enim natione Cyprij ad eam Inſulam peruenerunt; alij in Sicilia nati, eo etiam nauigarunt; alij quoque natione Galli, Galliam, & Prouinciam, vnde oriundi erant, appulerunt. Guillelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicat. Ordin.* in Speculo Ordinis *lib. 9 cap. 3.* Ioannes de Vineta *in Tractat.* qui incipit *Cum quidam Fratres noſtri*, in Speculo Ordinis *fol. 57.* dum àgit de mutatione Capparum tempore Honorij Quarti. Ac de ceteris Abbas Trithemius *lib. 1. de laudibus Carmelitarum cap* 8. ſic ſcribens. *Anno Domini Milleſimo ducenteſimo trigeſimo octauo coacto in vnum Concilio totius Ordinis in Monte Carmelo, multi, de Prioris licentia, & conſilio Fratrum Paleſtinam egreſſi ſunt, & cum Regula, Ordinario ſuo, ac ſtatutis in Europam, vnde venerant, reuerſi. Venerunt ergo aliqui in Cyprium, alij in Franciam, & Angliam, nonnulli vero in Germaniam; ſinguli vbi ſe locum pro conſeruando Ordine putabant inuenire. Remanſerunt autem, et plures in Monte Carmeli, qui tamen ipſi per Sarracenos breui poſt expulſi ſunt.* Ordinis ſtatus.

3 Ex quibus ij, qui Cyprum transfretarunt, etſi in ea Prouincia Ordinis Cœnobia conſtructa iampridem à multis annis reperiſſent, iuxta dicta ſub anno 1194. quia tamen ea forſan ad vitam Eremiticam, quam tunc ipſi profitebantur, ſatis congrua non erant, vel ſi eſſent, ipſi nihilominus Carmeli ſolitudini aſſueti, Eremum quantum fieri poſſet, illi ſimilē exquirebant, manſionem huic Religioni congruam in Eremo Fortaniæ conſtruxerunt, inquit Guillelmus *vt ſupra*, Addit Palæonydorus *lib. 3. cap. 5.* in Famaguſta etiam Ordinem inſtituiſſe. Quia tamen in ea Ciuitate Fratrum habitationem primitus fuiſſe, iuxta dicta eo anno 1194. credibilius ſit, ideo de noua Cœnobij reformatione, vel alio loco commodiori conſtructione intelligendum author iſte venit. De Cypri Conuentib.

4 Siculi autem Siciliam nauigantes, habitationem etiam *commodam* (inquit idem Guillelmus) *in Suburbanis Meſſanæ crexerunt*. Cum autem, iuxta dicta ſub anno 1154. & 1173. in ea Ciuitate à multis retro annis Fratres noſtri manſionem habuiſſent, vnum de duobus affirmandum erit vel illud de nouo, iuxta præſcriptum Regulæ, & modum vitæ Eremiticæ

quam profitebantur, construxisse; vel alio loco commodiori in prædictis Messanæ Suburbijs nouum Eremitorium ædificasse. Quid autem horum verius sit vsque modo nobis incompertum: etsi verisimile satis id posterius: præsertim, cum constet ex dictis eo loco; ex testimonio Rocchi Pyrrhi ibi relati; ac ex relatione eius Conuentus ad me transmissa per Reuerendum admodum Patrem Magistrum Laurentium Selliti, illius Regentem, quod varias mansiones, diuersis temporibus, in ea inclyta Vrbe, vel prope illam nostri Eremitæ tenuerint. Quod etiam constat ex alijs monumentis. Habetur etiam ex dicta relatione ad me transmissa, in hoc Messanēsi Cœnobio reuerenter seruari, frustrum quoddam Ligni Sanctæ Crucis, ad mēsuram quasi medij digiti; brachium Corporis Sancti Alberti, argento ornatum; pallium, seu cappam ipsius, quod ad infirmos portari solet; lapidem Sancti Stephani; & alias Reliquias. Est in eo quoque celebris, deuotissima, & antiquissima Imago Deiparæ Sanctissimæ, cui astant Parentes nostri Elias, & Eliseus, pallium, sub quo Reges, & Principes proteguntur, subleuantes: ad quam etiam, ferijs quartis, est magnus populi concursus.

Alia de hoc Cœnobio.

2 Hæc dumtaxat de hoc nostro Messanensi Lycęo hucusque scripseramus, quando, Deo sic prouidente, opus quoddam Reuerendi Patris Placidi Samperi Iesuitæ, eius Ciuitatis alumni, cui titulus est, *Iconologia della Beata Vergine Maria Protettrice di Messina*, videre licuit; Messanæ Typis editum ann. 1644. Vbi *lib. 2. cap. 9.* nonnulla, ipsaque præclara de Ordine toto, & hoc Cœnobio leguntur, huic loco merito adijcienda, pro historiæ nostræ elucidatione. Quæ sic ex Thusco Idiomate Latine ad vnguem versa sonant. *In vetusto Carmelitanorum Fratrum Templo, quod in lignatorum via, Pontem Leonem versus, vbi quondam nobilitatis Messanensis flos morabatur, situm est, vetustæ plures, ac etiam modernæ Beatæ Virginis Icones, varijs Sacellis, ac titulis, cognominatæ, honorificè coluntur. Cum verè tum Templum, tum Ordo ipse Deiparæ Virginis de Monte Carmelo nomenclatura. & protectione potitur, operæpretium est, vt ante quam de Iconibus ipsis historiam texam, de horum piorum Religiosorum in Messanam aduentu, mansionibus, & progressu, breui compendio sermonem instituam. Florebat maximè vetustissima hæc Religio in Carmeli monte; & numerosis, ac locupletibus Monasterijs totius Palæstinæ deserta incolebat; Christianoque zelo legitima hæc magni Eliæ Prophetæ proles Vrbibus adiumenta præstabat; quando circa Christi annum 1200. post Sarracenicam in Sacra loca inundationem, Comitijs Ordinis Generalibus in primario Carmeleo Cœnobio, Deiparæ Sacro, celebratis, mirabilis illa eiusdem Virginis cælesti fulgore circumdatæ in Carmeli vertice apparitio contigit, suis Fratribus indicantis, quod ea esset ipsius voluntas, vt eorum Ordo nedum Palæstinam, & Syriam, sed & vniuersum Christi Orbem illustraret; vt propterea ea Deiparente auspicante, Cyrilli prædecessoris loco Bertholdum Lombardum in Generalem Antistitem elegissent. Qua occasione Europęi nonnulli Cyprū, Siciliam, Messanam maxime, aduenientes, ijs in locis Cœnobia sibi noua adquisierunt.*

runt:

runt: sed quia vita Eremitica tranquillitati in Monte Carmelo assueti erant, idcirco ad duo milliaria ab Vrbe Messana solitarium quoque locum, collem videlicet, seu paruum, etsi amænissimum, montem, Septentrionem versus, quem etiam Carmelum cognominarunt, selegerunt, vbi pauperem habitationem cum Ecclesia sub titulo Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, sicut & Ordinis primæuam, in Sancti Michaelis Torrente ædificarunt. Etsi multo ante hoc tempus locum Messanę habuisse videatur: prout ex descripto in Sancti Placidi Monasterio reseruato de anno 1173. pro mense Decembri, ac sexto Guillelmo Regis, conspicitur: in eo namque refertur quod Regius quidam Siniscalcus prædia multa Carmelitanis Messanensibus concesserit pro anima Rogerij Regis, ac eius vxoris. Manserunt in hoc loco boni isti Religiosi per sexaginta circiter annos, magno cum Sanctitatis odore; donec ad Ciuium preces, qui ob loci distantiam non facile poterant eos conuenire, & ipsorum pijs documentis, ac exemplis in Christianis moribus instrui, Vrbi viciniorem locum iuxta mare vbi præfatus Torrens ingreditur, & duę visuntur Turres, & olim totidem molendina, ac modo vetustus puteus Carmelitarum *appellatus, habitare cœperunt. Erat tunc huius Conuentus Prior, imo & Prouincialis, quidam Fr. Richardus; qui Montis Carmeli relatam mansionem Dominæ cuidam* Soror Frisa *dictæ, quæ mater erat cuiusdam Religiosi eius Ordinis, & ipsius Tertiaria, 108. circiter scutis vendidit. Ergo non longe à Maris littore breui tempore amplum Cœnobium extruxere, talis sane capacitatis, vt in eo totius Ordinis, iussu Nicolai Gallici Generalis, ann. 1208. Generalia Comitia congregari potuerint. Etsi autem hoc in loco aliquot per annos manserint; quia tamen, vel non salubris ob Torrentis vicinitatem esset, vel bellorum, quę Siciliam tunc temporis infestabant, periculosus, prout in Bulla quadam Nicolai Quarti circa ann. 1291. indicatur, Ciuitatem ingredi decreuerunt, & domos cuiusdam Martini Maiotti in fronte Palatii Principis de Monforte in Magistrali via, quæ ad Argentarios descendit; sicut ex Breui Nicolai Quarti pro prima Februarij, & tertio Pontificatus anno, constat, recepere. Sed nec hoc in loco diu commorati sunt, ob cleri grauem contradictionem, quia Cathedrali Ecclesiæ valde vicini erant: vnde recursu ad Benedictum II. Papam habito, ille ann. 1304. ad ipsorum instantiam 19. Maij anno primo sui Pontificatus Perusij decreuit, quod ex domibus præfati Maiotti Cathedrali Ecclesiæ vicinis, ad Ecclesiam Sancti Cataldi in contrata Pontis Leonis sitam transferrentur. Sic etiam factum, & in eodem loco ad præsens magno cum Ciuium fructu, morantur Fratres, habitationem, & Ecclesiam satis capacem habentes:* Hæc relatus Placidus Samperi. Adiungit deinde Bullam præfati Benedicti II. Latè etiam, ac deuotè pergit referre, varia Sacella, ac Imagines, Deiparæ maximè, quæ in ea Ecclesia in veneratione sunt; populi deuotionem erga ipsam; Confratrum sodalitatem in eiusdem Sanctissimæ Virginis obsequia institutam; ac sigillatim vnam eiusdem Iconem *Sancta Maria de Floribus* cognominatam, ad quam sæpius Sanctum Albertum orasse dicitur, quin aliquando vicissim eandem cum ipso allocutam. Refert quoque eius Ecclesiæ Reliquias, conformiter ad ea, quæ ex relatione huius

Conuen-

Conuentus supra recitauimus. Habuisse præterea Cœnobium hoc viros sanctitate, & doctrina insignes scribit: inter eos maximè afferens Sanctum Albertum, quem vocat *Messanæ Titularem*, ipsiusque vitam, ac miracula, atque votum ipsi à Senatu Messanensi de anno 1629. emissum, describens. De quibus nos suo tempore, & loco.

Epistola B. Virginis ad Messanéses.

3 Speciatim verò, hac occasione expendenda ea quæ idem author suo Thusco idiomate sic scribit. *Ma quello che mi reca molta merauiglia, è il vedere l'vniuersale deuotione de' Messinesi in dedicare da* 440. *anni in quà tante Cappelle sotto titoli così diuersi nel tempo di questi Religiosi, alla gran Madre di Dio. D'onde s' argomenta l'antico, & innato sentimento negli animi loro del culto, e riuerenza verso la loro Protettrice, comunicato da Padri, e figli, e da vna generatione ad vn'altra.* Cum enim ius hoc Protectionis Dei parentis in inclytam hanc, & exemplarem Vrbem permaximè fundamentum iecerit in Sancta illa Epistola, vt piè creditur, per Legatos eiusdem, qui è Messana ad Christi fidem Pauli prædicatione nuper conuersa, Virginem Matrem Hierosolymis agentem, venerandam conuenerant, transmissa; haud leuiter conijci datur tam solicitam nostrorum Fratrum diligentiam in procuranda mansione in ea Ciuitate, ex eius Epistolæ traditione, quam ex partibus Hierosolymorum, & circumuicinis locis aduecti noscere poterant, ac forsan nouerant, auspicia tenuisse: Messanensium quoque piam deuotionem in ipsorum Templo Capellis, Iconibus, & Imaginibus exornando, ex ea, quam in illis erga communem Matrem, & Protectricem, etiam agnoscebant, mutuo veluti fœdere, mendicatam esse. Sed vtvt res hęc fuerit, id magis pro comperto, hanc huius Sacræ Epistolæ Deiparæ digitis consignatæ historiam magnifaciendam esse inter humanas traditiones, vt omnibus pensatis haud facilè ab aliquo reijci queat. Eam namque perplures tum noui tum veteris æui scriptores vltro recipiunt. Concinunt ipsæ Sacræ Paginæ Actuum Apostolicorum, dum nihil aduersi afferunt prædicationi Pauli ea in Vrbe; vnde huius Virginei Chirographi occasio sumpta est. Adstipulantur Ecclesiæ Apices, Paulus Quintus, & Vrbanus Octauus plenarias Indulgentias elargientes Capellam Christi Parentis *della lettera* cognominatam, die, qua eius solemnis memoria Messanæ agitur, inuisentibus. Concurrit & Innocentius Decimus Vaticanæ Petri Cathedræ proximus prædecessor, dum pro ipsius approbatione requisitus alacriter annuit eam mereri, qua, iuxta PP. & DD. mentem dignæ sunt traditiones, *quæ non sunt contra fidem, nec contra bonos mores, sed pietatem fouent.* Adiecit quidam dignitate, & doctrina Eminentissimus, quia est pinio pia, & deuota, *quæ potest prodesse, & non obesse.* Nonnulla de ipsa nostris his in Annalibus scripsimus, Tomo secundo, videlicet, sub anno Christi 42. quo Magnam Dei Matrem Mariam Epistolam signasse fertur, & tertio Tomo ad ann. 1125. dum de varijs donarijs, quibus munificentissima hęc Virgo sibi deuotos decorare solita est, censebamus: ex eo etenim piè intulimus, hac quoque pretiosissima Epistola cohonestare voluisse Vr-

se Vrbem, quæ inter Europæ alias ad ipsam, Orbis velut, & cæli Reginam, Legatos, obedientiæ, & subiectionis præstandæ causa, destinare decreuit. Alia locis relatis scripsimus.

4 Hac tamen occasione (parcet Lector digressioni) vix cohibere me possum, quin casum referam, qui hoc anno 1655. quando hæc scribo, contigit; ipso etenim traditio hæc de Epistola Sanctissimæ Virginis ad Messanenses missa valde roboratur. Is porrò talis est. Ioannes Patriarcha Antiochenus suis litteris datis in Monasterio Sancti Malchi prima die Nouembris 1654. Romam ad Summum Pontificem Innocentium Decimũ mittebat D. Iacobum Esronitam Archipresbyterum Antiochenæ Ecclesiæ, eum testans esse Sacerdotem Maronitam, & Catholicum Romanum, nullisque impedimentis prohibitum quominus posset Missam celebrare, & alia Sacerdotis ministeria obire. Cum autem Messanam perueniret, & hospes moraretur in Domo probationis, seu Nouitiatu PP. Iesuitarum, casu contigit, vt cum à P. Francisco Foti eiusdem Societatis interrogaretur, an in sua Patria notitia aliqua extaret de Messanensi Ciuitate, ipse, mediante suo interprete Georgio Aranio Diacono Antiochensis Ecclesiæ, respondit; quod in partibus illis Antiochiæ esset talis notitia: imo esse librum quendam antiquum, manu scriptum Arabicè, in quo scripta erant itinera Apostolorum per Antiochiam; ac in eo (quem videtur sæpius legisse, quia apud se erat, sibi à Patre suo Ioanne Auodin Sacerdote, qui Romæ fuerat sæcularis in Collegio Maronitarum, relictus) haberi, qualiter Sanctus Paulus Apostolus Melitæ, & Messanæ extiterat; & quod eius prædicatione Messanenses ad fidem Christi conuersi erant; ac quod cum iam non potuissent eum in carne mortali videre, desiderium ostenderunt Matrem ipsius aspicere; Apostolumque se illis pro itineris socio obtulisse. Subiunxit vlterius idem Iacobus, se eo in libro legisse, quod nobiles alij Messanenses cum Paulo iter accipientes per Antiochiam transierunt, & Hierosolymam peruenerunt, visuri, & reuerentiam exhibituri eidem Sanctissimæ Virgini Christi Matri; ac quod ab ipsa benignè recepti, & interrogati de causa, propter quam Hierosolymam aduenerant, ipsis respondentibus, quæ ab Apostolo Paulo de filio ipsius benedicto audierant, & quod cum ipsum videre eis concessum non esset, Hierosolymam venerant, ipsam veluti Matrem tanti filij adoraturi, & sub eius protectione Messanæ Ciuitatem subiecturi: ipsam Sanctissimam Virginem quæcunque ab Apostolo audierant approbantem, dixisse se esse Matrem Iesu Christi, eumque in ventre gestasse, & natum lactasse: & quod ipse à mortuis resurrexerat, & in Cælum ascenderat. Cumque præfati nobiles instanter à Virgine Sanctissima suam benedictionem, & aliquod suæ protectionis signum postulassent, ipsam respondisse, quod dum in sui filij fide perseuerarent, eorum protectrix in omnibus suis necessitatibus esset, etiam manifestando se ipsam illis præsentialiter. Adiecit insuper, in eo libro legisse, quod prædicti nobiles Legati Messanenses plures essent, quam duo, etsi non rei

Casus pro eadem Deiparæ litteris.

cordaretur præcisè quo numero; ac in illo itinere vnius anni ſpatium occupaſſe. Quæ omnia ſub iuramento, tacto pectore, more Sacerdotali, conteſtatus eſt: quo etiam iuramento interpres aſſeruit ſinceriter retuliſſe, quæ ex ore dicti Iacobi intellexerat.

Authentici instrument.

5 Hæc porrò omnia ex authentico Inſtrumento Notarij Regij publici, & Apoſtolici die 11. Februarij currentis anni 1655. ad me tranſmiſſo conſtant. Ad maiorem autem ipſorum euidentiam, cum audijſſem præfatum Iacobum, & ipſius ſocium Romam veniſſe, & in Collegio Maronitarum manſionem habere, ipſos conueni, & ab eis, mediante etiam alio interprete, qui, quæ Arabico idiomate audiebat, Italico ſermone mihi referebat, ſimilia intellexi.

Traditio roborata.

6 Dixi autem ex huiuſmodi caſu traditionem hanc de Beatiſſimæ Virginis Epiſtola ad Meſſanenſes tranſmiſſa, valde roborari; quia & ſi expreſsè in hac relatione non habeatur talem Epiſtolam à Deipara traditam illis fuiſſe, nihiloſecius tamen credibiliſſimum eſt id egiſſe. Quæ enim *exemplar, norma, magiſtra, & Sacrarium omnium virtutum* à Patribus, & Doctoribus compellatur, grati animi & ſanctæ vrbanitatis ergo (in qua *nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum*, iuxta Quintilianum, *poteſt reprehendi*) erga Meſſanenſes, qui ſingulariter inter Europeos (quod ſciam) Legationem hanc ad ipſam miſerunt, ſingulare hoc gratiæ pignus, ac monumentum eis conceſſiiſſe par credere eſt. Et quid ni hoc dicamus de ea, quæ *Mater gratiarum, donarium omnes lætificans, & donatrix bonorum*, etiam à Patribus dicitur? Sanè quoque ſi Chriſti Mater *Virgo fidelis* paſſim ab Eccleſia canitur, congruè ſatis Ciuitas illa, quæ ob ſui præ alijs *fidelitatem Vrbs exemplaris* à Monarcha Hiſpano cognominari meruit, ſacro iſto Epiſtolio cohoneſtari decuit. Abſcedat igitur zelus, & æmulatio, & traditionem hanc omnimodæ probabilitatis armatura cinctam nullus temerare auſit.

Historiæ nostra filum.

7 Ad filum iam hiſtoriæ vnde digreſſi ſumus de multiplicatione videlicet Ordinis ſub hoc tempore in Europę partibus loquentes, annectimur; pari etiam modo de fundatione Panormitani, Drepanenſis, & Leontinenſis Conuentuum, quam ab ijs, qui Siciliam appulerunt factam ſcribit Palæonydorus *vt ſupra*, credendum eſt, propter dicta de ipſorum antiquiori fundatione tam in hoc, quam præcedentibus Tomis.

Aquelatarũ Cœnobium

8 Eos autem, qui ex Gallia Carmelum venerant Galliam redeuntes, in Prouincia, in qua oriundi iuxta Maſſiliam ad vnam Leucam in Eremo *Aquelataram* nuncupata, iuxta fontem Beatæ Mariæ Magdalenæ, Ordinis Cœnobium extruxiſſe conſtans eſt noſtrorum aſſertum. Gulielmus *vt ſupra*, Ioannes de Malinis *in ſpeculo hiſtoriali cap. 8.* Credit Malinis hunc Aquelatarum Conuentum primum fuiſſe partium Occidentalium. Sed turpiter errat; cum ex ijs, quæ tam in hoc, quam in præcedentibus Tomis dicimus, plura Ordinis Cœnobia à multis decurſi annis in Hiſpania, Italia, & Germania; imo, & ipſa Gallia, fuiſſe liquidò conſtet. Credibilius, quod

alij

alij dicunt hoc Aquælatarum Eremitorium ante annum 1244. erectum non esse. Sed neque hoc certum, & facilius creditu est, quod quam primum ex Carmelo Massiliam peruenerunt Prouinciales isti, huius Eremi mansionem sibi vendicasse.

Ann. Christi 1239. Gregorij 9. Roman. Pontif. 13. Friderici Imperat. seu Reg. German. 29. Balduini Imperat. Orient. 11. Alani General. 9.

1 EXcommunicauit hoc anno Pontifex Gregorius, Fridericum Imperatorem, misso exemplari formulæ excommunicationis ad Principes Christianos, ne ignorantia ab illo, vel aliquo alio prætendi vllo modo posset. Fridericus autem anathemate irritatus, & nihilo melior effectus, in contumelias Pontificis, & Ecclesiasticorum indecore prosilijt. Diuus Antoninus, Blondus, Platina, Sabellicus, & recentiores. Gesta Papæ cum Frider.

2 In Palæstina etiam Crucesignatis infausta omnia euenere. Cum enim Theobaldus Rex Nauarræ, alijque Principes in magno numero Acconi applicuissent, apud Gazam à Turcis superati, occisis multis, aut captis, Acconem fugientes redierunt. Marinus Sanutus *de secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 11. cap. 15.* Quo casu, ingens timor, & tremor nostros Eremitas eis locis vicinos afficere potuit. Sed & alia historia nostra valde digna, quæ iam referimus. Crucesign. Palæstinæ.

3 Accidit enim hoc eodem tempore, quo Christiani Acconem à Turcarum facie fugientes redierant, & vbi veluti obsessi manebant, vt impij Sarraceni incursiones plures in locis vicinis facientes, Carmelum etiam ascenderent, Eremitas nostros inde fugarent, & ad eamdem Ciuitatem cum alijs Christianis refugij causa venire compellerent. Ex qua nostrorum persecutione, Deus, qui in Sanctis suis mirabilis est, sui Nominis, & ipsorum gloriam, & exaltationem, & Sanctissimæ Matris Ordinis in Angliæ partibus magnam propagationem, mirabili, & miraculoso modo benignissimè elicuit. Casum refert Ioannes de Vineta grauis, & antiquus Ordinis Author *in Tractatu* qui incipit, *Cum quidam Fratres nostri*, & habetur in Speculo Ordinis *fol. 57. cap. vlt. eius Tractatus*, vbi sic: *Benignus Deus, qui omnes vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, istos Fratres Carmelitas Matris suæ tanquam in vltimis mundi partibus disposuit dilatari, per quos ad laudem sui Nominis, & gloriosæ Virginis Mariæ Matris eius, populus vtique posset ardentius excitari. Anno igitur Domini 1238. Domini Papæ Gregorij Noni anno septimo, & Illustrissimi Regis Angliæ Henrici Tertij anno vigesimo tertio, venerunt ad Terram Sanctam ad Ptholemaydam, quæ alio nomine dicitur Accon, à Paganis defensuri, etsi fauisset Deus, à terra Tur-* Casus celebris.

cos expulsuri, multi Christiani, in quo tempore Pagani multas fecerant equitationes in terris Accon vicinis. Experti autem, quod in Monte Carmeli distante ab Accon quatuor miliaribus erat aqua scaturiens de fonte Eliæ, qui est in ipso Monte iuxta cellas, & Oratorium, quod Fratres construxerant in honore Virginis Mariæ, non abundauit aquis, nisi Fratribus ibidem assistentibus. Scientes insuper, quod fons ille, cui non erat similis in terra, multum posset proficere usui Christianorum, qui fuerant vicini quasi obsessi, non permiserunt Fratres in Monte sedere, sed ipsos fugabant. Fratres vero venientes Ptholemaydam, idest Accon, manserunt inter Christianos, vt Sacerdotes peregrini. Postmodum vero tempore æstiuo, vt quantumcunque possent Sarraceni nocerent Christianis in Accon existentibus, proiecerunt in fluuium de Accon, qui dicitur belum, *qui tunc præ feruore Solis, & æstus aquis attenuatis cæpit desiccari, cadauera bestiarum, & Christianorum, quos occiderunt, vt sic fætorem pestiferū, & aquas redderent mortiferas. Christiani vero fugati pro defectu aquæ dulcis, quæ non erat in fontibus, pro eo quod omnes fontes infecerant Turci, cæperunt infirmari, præcipue prę calore vini Cretensis, & Cypri, quod pro sui fortitudine nonnisi lymphatum solet hauriri. Inquirentes ergo Christiani, si aliquis fons relictus esset intoxicatus dicerunt à Fratribus de Carmelo, quod Sarraceni non infecerunt illorum fontem, qui vocatur* Fons Eliæ *in Monte Carmeli, quia sciebant ipsum non solere scaturire in absentia Fratrum. Ideoque videbatur Turcis sufficere fontem illum à Fratribus deseri illius loci. Missus ergo excitus armatorum ad Carmelum, vt veritatem scirent, regressi renunciauerunt se inuenisse Montem amænum, cellas defossas, sed desertas, & in rupibus fontem desiccatum. Vnde vere poterant verba*
Hier. 48. *recipere Hieremiæ desolationem locorum Terræ Sanctæ plangentis.* Predo irruit, ablata est lętitia, & exultatio de Carmelo. *Quoad fontem dicere poterant verba Amos primo dicentis:* Luxerunt speciosa pastorū, & exiccatus est vertex Carmeli. *Accersitis igitur Fratribus quæsierunt Proceres, si fons ille ipsis in Carmelo existentibus abundaret aquis, responderunt, quod sic. Mirantes ergo, ducunt Fratres cum exercitu ad Carmelum, qui locum tam sanctum, & Patrum Prophetarum habitaculum, Genitrici* Dei *dedicatum, ita desertum, in tantum plangebant, vt etiam adstantes ad fletum prouocarent. Tandem vnus illorum Fratres piè confortans ait. Viri fratres ista desolatio erat antiquitus prophetata, quando etiam, & misericordia fuit promissa per Hieremiam dicentem:* Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes Vrbes eius destructę à facie Dñi, & à facie furoris eius. Hęc enim dicit Dominus: Desertą erit omnis terra, sed tamē consumationem non faciā: *Et alibi*: Reducā Israel ad habitaculum suum, & pascetur Carmelus. *Cum dicit,* Consumationē non faciam, *promisit misericordiam: & restitutionem per Sarracenos destructorum, cum subiunxit,* Reducam Israel, *&c. Confortati ergo Fratres adiuerunt verticem, ad illum scilicet locum, vbi Elias Propheta Ordinis Pater post tres annos, & sex menses siccitatis, sua prece pluuiam impetrauit. Et flexis genibus adorauerunt Deum, & Dominam loci Matrem Iesu Christi, & Sanctos suos prædecessores, vt fontis aqua more solito Seruis Dei scaturiret. Antequam ergo ab oratione surgerent, inundabant*

dabant

dabant aquæ largifluæ de fonte. Quod multi Christiani diuersarum nationum videntes propter miraculum, quod Christo placuit facere ad preces Fratrum Genitricis suæ in diuersas mundi partes secum adduxerunt, fundantes eis mansiones in honorē suæ Aduocatæ Virginis Mariæ. Inter quos Christianissimi milites Dominus Ioannes de Vesci, & Dominus Ricardus de Grei natione Anglici post multos actus bellicos in Palæstina contra Infideles strenuè peractos, de Terra Sancta ad Angliam remeantes quosdam huius Religionis Fratres Anglicos de licentia Prioris Monasterij Montis Carmeli secum ex deuotione ad Angliam duxerunt, videlicet anno Domini 1240. in festo Natiuitatis Domini. Horum autem Fratrum vnus vocabatur frater Yuo, cui Dominus Ioannes de Vesci mansionem dedit in Sylua Deholim iuxta Aluelbicum in confinibus Scotiæ. Alter vero Frater vocabatur Radulphus, cui Dominus Ricardus de Grei dedit mansionem apud Eylisfordiam in Cantia. Vbi sanctissima conuersatione Deo, & Virgini gloriosę continuè famulantur, crescunt, & multiplicantur, atque per diuersa loca in eiusdem Regni partibus deuotissimè sunt fundati. Sapientia siquidem Patris Altissimi attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suaui, et Carmelitas Fratres Matris suæ præparatos, ac calciatos pedes in Euangelium pacis per varias mundi partes honorificè voluit dilatari, ad dandam scientiam salutis plebi eius. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Iesus Christus per infinita sęcula sęculorum. Amen.

4 Casum etiam versibus suis insignis Poeta noster Baptista Mantuanus *lib.* 8. *Fastorum in mense Augusti* sic celebrauit. Mantuani Carmina.

Cur apud Anglorum populos ita creuerit, audi,
Anglicus in Syrias veniens exercitus olim
Achonem Tyrij positam prope littora ponti,
Quæ prius occurrit subitis oppreßerat armis.
Accurrere Syri, se proni puere Sabæi
Ocyus extremum annixi propellere matrem,
Mox belli torrentis aquam; qui mœnia præter
Labitur obsessis aliquem ne redderet vsum
Corripuere graui, iumentorumque, hominumque
Tabe; cadaueribus saniem per flumen odorem
Pestiferum per vicinas mittentibus auras.
Et quia Carmeli fontem, qui proximus Vrbi est
Audierant, Patribus nostris absentibus imbrem
Non dare, quo facerent lymphas arescere, facto
Impete mactarunt quot sunt in Monte reperti.
Et subito fons clausit aquas: sed maior eorum
Barbaricę perculsa metu feritatis in Vrbem
Pars ierat. Deus hos rubida subtraxit ab ira
Nec tulit ex toto genus auanescere nostrum.
Isti igitur cum iam nostros penuria dulcis

Afflu-

Afflictaret aquæ, puteis, & fontibus haustis,
Atque venenatis passim intra mœnia, & extra,
Talibus affati verbis languentia castra,
Ne trepidate viri, nec desperate salutem:
Fidite cælitibus. Montis vicina repente
In iuga tendamus, manare videbitis illinc
Innocuos latices. & amœni pocula fontis.
His dictis, armati omnes per barbara castra
Impune elapsi Montem subiere: & in alto
Vertice congestis saxorum molibus arcem
Construxere nouam læti: sed fonte reperto
Funditus exhausto. Nam post crudelia Patrum
Funera nostrorum defecerat omnibus ingens
Incubuit mæror: flexo, tum poplite sancti
Orauere Patres: lymphas mox flumine facto
Fons vitreas effudit aquas, quæ tempora belli
Aspera perpetuò fecere salubria fluxu.
Ista Duces tanta intuiti miracula secum
In patriam duxere viros, quibus arma negabant
In laribus Sedem Assyrijs: & Templa; domosque
Construxere nouas.

Animaduersio. 5 Circa quæ animaduertendum, errorem illum Chronologiæ in Vinetę relatione, quod scilicet hic casus *sub anno* 1238, & 7. Gregorij Noni acciderit, Typographi incuriæ, non docto viro esse tribuendum. Deinde, id, quod asserit idem Vineta de Carmeli Eremitis Acconem fugientibus, mansisse scilicet eo tempore inter Christianos peregrinorum more, arguit sanè etiam nostrorum Acconis Monasterium, quod extra Ciuitatem erat, vt credimus, in hoc Turcicæ inuasionis periculo à Fratribus quoque derelictum fuisse, & propterea tam ipsos, quam Carmeli Incolas apud exteros mansisse. Præterea in hac Barbarorum incursione, non solum nostros, qui in Carmelo degebant fugatos fuisse, sed & aliquot eorum occisos manifeste habet Mantuanus versu illo:

Impete mactarunt quot sunt in Monte reperti.

Licet maior ipsorum pars, prout idem Mantuanus subiungit, in Vrbem. Acconem scilicet, iuisset. Quo Vinetam, & Mantuanum contrarios non fuisse in huius casus narratione elicitur. Ille enim solum fugatos fuisse eos, qui in Monte manere volebant scripsit, hic autem alios ex illis peremptos esse canit.

Roboratio. 6 Huius præterea prodigiosi fontis Eliani, de quo Vineta, & Mantuanus loquuntur, pro Infidelibus interruptos latices habentes, præter nostros, alij etiam historiam describunt. Ex quibus Bartholomæus de Saligniaco Prothonotarius Apostolicus *in Itinerario Hierosolymæ tom. 10. cap. 6.* sic:

Prodi-

Prodigium visitur in Monte Carmelo, qui est in inferiori Galilęa situs ad Occidentem. Montem enim hunc olim Prophetæ Sancti Elias, & Eliseus incolere soliti erant cum filijs Prophetarum, quorum successores sunt Fratres, qui Carmelitæ vocantur. Horum Cœnobium est in Monte Carmelo, vbi fons scaturit, non quidem perpetuis aquis, sed temporaneis. Nulla enim ibi est aquarum copia, nisi transeuntibus Fratribus peregrinis Christianis, ita vt nunquam Infideles bibant ex eo, vt verificetur illud Prophetæ, deriuentur foris in plateis aquæ eius, sed non bibat alienus ex eis. Qualiter autem huius miraculi occasione, prout prædicti Vineta, & Mantuanus retulerunt, Ordo noster in Angliæ partibus propagari cœperit sub anno sequenti damus.

7 De hoc anno loquens Balęus *in suo Cathalogo, in Appendic. ad* Gualterum de Euecham inquit. *Natus dicitur hoc anno Albertus Drepanensis in Sicilia magnorum prodigiorum filius*. An vero hoc cohęreat cum reliqua eius historia valde est incertum.

Ann. Christi 1240. Gregorij 9. Roman. Pontif. 14. Frideric. Imperat. seu Reg German. 30. Balduini Imperat. Orient. 12. Alani Gener. 10.

1 FAcinoribus Friderici Imperatoris, quod scilicet Longobardos Ecclesiæ Romanæ filios oppressisset, Pontificem contempsisset, Sedis Apostolicæ Legatorum consilia spreuisset, Romanorum animos à Papa alienare tentasset, seditiones in Vrbe excitasset, & Ecclesiasticas personas afflixisset, motus Pontifex Gregorius Concilium generale Romæ contra ipsum celebrandum indixit, Legatos in varias Orbis Prouincias destinans, vt quo maiori numero fieri posset Synodus haberetur. Quod intelligens Fridericus, classe congregata, Cardinales, & Prælatos ad Concilium venientes in suam potestatem redegit, comprehendit, duris carceribus quosdam includens, alios autem in Regum gratiam liberos dimittens. Bzouius. Facinora Friderici.

2 Qui annus nostro Ordini iure celebrandus in æternum erit. Eo enim Illustrissima Angliæ Prouincia, quæ etiam aliarum, Hiberniæ videlicet, & Scotiæ, mater fuit, initium fęliciter sumpsit. Vt enim Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ* in Indice scripsit: *In Anglia splendidius, quam in quacunque alia Europæ parte hunc Ordinem floruisse constat, magisque abundasse, & numero Monasteriorum, & Doctorum virorum copia*. Cuius id signum est, quod ex nostris Scriptoribus in prædicto Cathalogo 140. circiter referat idem Pitseus, multo plures (absit inuidia, & æmulatio) quam ex Sacris alijs Mendicantium Ordinibus. Hoc ergo anno grauissima hæc Angliæ Prouincia fausto Sydere propagari cœpit. Etsi enim, iuxta dicta *sub anno* 1212. iampridem ad eam Insulam pauci aliquot ex Fratribus nostris appulerint, qui Beato Simoni adhærentes cum eo Eremiticè vixerint: Celebris nostris hic annus.

Cœnobia

Cœnobia tamen vsque ad hoc tempus fundare non cæperunt. Ductoribus ergo nobilibus Baronibus Ioanne Vesci, & Ricardo Graie Anglis, qui cum Ricardo Comite Cornubiæ Henrici Regis Angliæ frater per id tempus ad Terram Sanctam transfretauerant, multaque contra Turcas strenuè peregerant, post miraculum de fonte scaturiente, de quo sub anno præcedenti diximus, duo ex nostris Carmeli Eremitis; quorum vnus vocabatur Frater Radulphus Fresburne Northumbriensis, de quo *sub anno* 1209. dicere cæpimus, & alter Frater Yuo Armoricus Brittannus, in eam Prouinciam, de licentia Alani Generalis fęliciter venerunt. Ab eisque Ordinis Cœnobia primitus ibidem erigi cęperunt. Guillelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicat. Ordinis* in Speculo Ordinis *lib. 9. cap. 3.* Ioannes de Vineta sub anno præcedenti relatus, Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittannia, Centur. 4. in Radulpho Fresburne*, Ioannes Pitseus *de Scriptoribus, Anglia in Indic. de Carmelitis.*

Cœnobium Holnense.

3 Primum autem Ordinis Cœnobium, quod in ea Patria, & Prouincia numeratur, fuit Holnense, in Sylua scilicet de Holne Northumbriæ prope Alneuuicum in confinibus Scotiæ; solitudine quidem, & Eremo Carmelo non dissimili. Eo enim loco præfatus Dominus Ioannes Vesci mansionem dedit, & spatium pro construendo Cœnobio Fr. Yuoni Armorico, qui cum ipso, & Ricardo Graie ex Syria pro Ordinis propagatione procuranda Angliam aduenerat. Sic tradunt Authores relati. Subiungitur in Speculo Ordinis *fol.* 60. Dominos de Perci fuisse secundos eiusdem Conuentus Fundatores. Auxerunt forsan, vel suis eleemosynis pro fabrica construenda stipem contulerunt. Sic indicatur in versibus de fundatione Ordinis nostri in Anglia postea referendis. Adeo deuota, vtpote Carmelo similis, huius Holnensis Sylua habitatio nostrorum erat, vt ad ipsam Radulphus Alemannus Ordinis Generalis, officij onere deposito, Deo vacaturus, & contemplatiua vita exercendus, se transtulerit, vt *sub anno* 1273. dicemus: eoque loco quatuor fere annis vitam fęliciter gesserit, vt *sub anno* etiam 1178. dicetur.

Aylesfordiæ

4 Secundum Ordinis Cœnobium in ea Prouincia in nemore Aylesfordiæ in Cantia auspicijs Domini Ricardi de Graie Domini de Codenore fundatur, & præfato Fratri Radulpho Fresburne, qui cum ipso, & Ioanne de Vesci ex Carmelo Angliam venerat, conceditur. Ita etiam habent relati Authores. Subiungitur in eodem Speculo Ordinis fol. 60. *huius Domini Ricardi corpus vna cum corporibus posteriorum suorum in Choro Conuentus sepultū requiescere.* Quod ibidem etiam additur de Fratribus nostris primo ab huiusmodi DD. Ioanne de Vesci, & Ricardo de Graie *sub ann.* 1212. primum Angliam vectos, falsum continere ex dictis habetur. Horum porro Conuentuum Holnensis, & Aylesfordiensis fundationes sic pingui Minerua quibusdam antiquis versibus notabatur.

Anno Milleno ducenteno quadrageno
Olim Carmelita capiunt ad tempora vita

Carinis

Carinis concessi primis in Borea loca Vesci,
Caruus in Claustro Grei primo fixit in Austro.
Quæ loca concessi Carmelitis ego Vesci:
Perci firmauit: Deus huic sibi nos sociauit.

5 Habeo apud me curiosam quandam, & diligenter elaboratam, etsi incerto Authore, relationem Conuentuum, quos noster Ordo in Regno Angliæ, à primo illius solemni ingressu, qui circa hunc ann. 1240. contigit vsque ad omnium Religionum subuersionem sub Henrico 8. circa ann. 1536. & 1537. factam, habuit; simul cum titulis, & Fundatoribus ipsorum, ac annis Regum Angliæ, sub quibus contigerunt; & ànnuis reditibus, quibus aliqui ipsorum potiebantur. Cui in fine additur: *Fuerunt in Anglia ex nostris 32. Prouinciales, quorum vltimus fuit* Ioannes Brid, *qui fuit Prouincialis per annos 16. & assumptus a Rege Henrico 8. tempore schismatis ad Episcopatum Penriensem, deinde ad Bangorensem, ac demum ad Cestrensem, vbi mortuus est anno Domini 1556 qui fuit annus secundus Catholicissimæ Reginæ Mariæ filiæ Henrici 8. prædicti: Itaque quamuis prædictus Prouincialis fuerit aliquandiu in schismate, mortuus est tandem in pace Ecclesiæ.* Additur etiam: *Manserunt nostri PP. in Anglia annis 300. circiter. Ex quibus numerantur 140. Scriptores doctissimi.* Ex hac igitur relatione quædam mutuabimus pro elucidatione eorum, quæ de Conuentibus Angliæ dicturi sumus. Relatio Cōuentuum Angliæ.

6 Sed in limine offendimus. Etsi enim in ea pro primis duobus eius Prouinciæ Cœnobijs referantur Holnense, & Aylesfordiense, quæ & nos retulimus; nihilominus primo loco recensetur Aylesfordiense, & secundo Holnense; cum tamen, nos ex opposito dixerimus, primum fuisse Holnense, secundum Aylesfordiense. Quia tamen nos antiqua Ordinis monumenta secuti sumus, & Authorem huius relationis ignoramus, nostris potius standum videtur, quam illi. Hac tamen prætermissa controuersia, in alijs cum ipso conueniendum. Ait ergo, vtrumque Conuentum *Beatissimæ Virgini Mariæ* attitulatum fuisse, & ann. 1240. qui erat 25. Regis Angliæ fundatum. Circa titulum porro *Beatissimę Virginis Mariæ* pius annotet Lector, omnia fermè eius Prouinciæ Monasteria, quæ 40. fuerunt, vno, vel alio excepto, cognominata fuisse eodem titulo *Beatissimæ Virginis Mariæ*; vt vel hinc eliciamus primo, qualiter PP. nostri eius tituli, quo Carmeli Ecclesia vocabatur, obliuisci noluisse; ac secundo, deuotionem erga Sanctissimam Dei Parentem ipsorum animis impensè infixam fuisse; ac tandem tertio, quod fęlicissimi progressus huius Anglicæ Prouinciæ Deiparæ singulari Patronatui adscribi debeant. Circa hunc quoque titulum Ecclesiarum, seu Conuentuum Ordinis nostri recolat etiam pius Lector, quæ sub anno 1201. notauimus ex Ioachimo Abbate Propheta nuncupato. Annotatio.

7 Notatur præterea in præfata relatione, reditus annuos præfati Conuentus Holnensis, iuxta computum Anglicanum, fuisse 7765. scutorum De redditib.

Italicorum. Quod tamen non sic accipiendum, quasi ab hoc tempore suę fundationis hos reditus habuerit; cum certum sit Regulæ hoc esse contrarium; quam primi Eremi Carmeli cultores adamussim obseruabant: sed quia temporis cursu eos adquisierit.

Ann. Christi 1241. Gregorij 9. Roman. Pontif. 15 Friderici Imperat. vel Reg. German. 31. Balduini Imperat. Orient. 13 Alani General. 11.

Annus funestus.

1 FVnesta multa annus iste videre potuit. Primo etenim Terræ Sanctæ negotia, cum infęlici marte Crucesignati pugnassent, & turpibus conditionibus inducias cum Sarracenis pepigissent in misero statu erant. Tartari etiam supra, quam credi potest, Christianarum Terras vastauerunt; cædibus, & incendijs nemini parcentes. In Italia, ac Occidente, occasione Friderici Imperatoris adeo turbata erant omnia, vt Gregorius Pontifex ad 10. Kalendas Septembris animi afflictione oppressus decesserit. Successor illic datus est Gaufridus Castilioneus Cardinalis Sabinus, qui Cælestinus Quartus nuncupatus fuit. Illi tamen vita breuissima fuit, quippe 18. die postquam assumptus erat, tum senio, tum ægritudine, tum animi mœrore confectus, quia ipsi mala à Friderico Ecclesiæ illata valde tristia erant, Pontificatum cum vita reliquit. Post cuius obitum Sedes vacauit annò vno, & mensibus fermè octo. Marinus Sanutus, Ciaconius, & Bzouius.

Conuentus fundati.

2 Interim, Deo sic mirabiliter prouidente, Virginis Ordo, qui paulatim cum Terra Sancta in Oriente deficere videbatur, in Occidenti, Anglia scilicet, valde propagatur. Etenim præter Holnense, & Aylesfordiense prima eius Prouinciæ Cœnobia, de quibus sub anno præcedenti diximus, sub hoc etiam tempore alia duo Cœnobia in ea Insula condita sunt. Videlicet Neuuendeniæ, Fundatore Domino Thoma Albuger milite, & equite aurato: & Brunhamiæ; authore Domino Radulpho Nēpnale. Speculum Ordinis *fol. 60.* Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Britanniæ, Centur. 4. in Radulpho Fresburne,* Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ in Indic. de Carmelitr* Huius Brunhamiensis Cœnobij alumnus erat Petrus Suanintonus, de quo *sub anno* 1270. dicemus.

Londini Cœnobium.

3 Prædictus etiam Ricardus Graie Alesfordiensis Cœnobij Fundator hoc anno 1241. Londinense Cœnobium bonarum litterarum, & sapientissimorum Doctorum postea Emporium, erexit. Speculum Ordinis prædicto fol. 60. Erat autem Monasterium hoc in suburbio Ciuitatis situm, vt constat ex litteris Innocentij Quarti, quas sub anno 1254. referimus; quibus etiam Pontifex loci huius, & Aylesfordiensis donationem à præfato Ricardo, vxoris suæ accedente consensu (vt ibi dicitur) factam confirmauit,

firmauit, & pro Fratrum defensione Episcopum Helyensem admonitum voluit. Celebratum est in hoc Cœnobio Generale Capitulum anno 1281. sub Petro Æmiliano Generali.

4 Porro, circa trium horum Cœnobiorum in Anglia fundationem, nobiscum consentit Relatio illa incerti Authoris, de qua sub anno præcedenti diximus. Hoc præterea adiungens, quod omnia illa sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ extructa essent; & sub eodem Angliæ Rege Henrico tertio; ac quod Cœnobium Burnamiense 90. scuta Italica pro annuis reditibus habuisset, sicut & Londinense 1542. Pro quo videnda, quæ sub anno præcedenti annotata reliquimus. Notet insuper Lector, quatuor illa prima Cœnobia in Anglia erecta; videlicet Aylesfordiense, Holnense, Neuuendienense, & Burnamiense in nemoribus, siluis, seu locis desertis, extructa fuisse, iuxta Regulæ Alberti rigorem, & Carmeli vsum. Relatio Cœnobiorum Angliæ.

Ann. Christi 1242. Sed. Roman. Vacat. Friderici Imperat. seu Reg. German. 32. Balduini Imperat. Orient. 14. Alani General. 12.

1 Ecclesiæ Romanæ Sedem nullus Pontifex obtinebat hoc anno, nolentibus Cardinalibus ad Papæ electionem procedere, propterea quod Fridericus Ecclesiam opprimeret, & aliquos illorum in vinculis haberet. Interim Tartari Poloniam populabantur, & magnam cladem Polonis attulerunt. Hispani autem contra hæreticos Valdenses, qui in Aragoniæ Regnum irruperant, in Concilio Tarraconensi armis spiritualibus agebant. Ciaconius, Bzouius, & alij. Gesta in Orbe.

2 Florere incipiebat sub hoc tempore in Angliæ partibus noster Sacer Ordo, qui iam quinque Cœnobijs, scilicet Holnensi, Aylesfordiensi, Neuuendeniensi, Brunhamiensi, & Londinensi propagatus breui tempore erat. Viros plures ad habitum Fratres recipiebant, & Beato Simoni eius nationis, de quo in præcedentibus diximus, adiuncti, Deo, & Virgini Matri sanctissima conuersatione iugiter famulabantur. Cum autem B. Simon patria Cantius esset, & in ea Prouincia Aylesfordiense Monasteriũ in nemore auspicijs Ricardi de Graie conditum iam fuisset, eũ locum præsertim sua præsentia decorasse facile credi potest. Cum vero duo, qui ex Carmelo venerunt primi Eremitæ, Ordinis in Anglia fundatores, Yuo, & Radulphus animaduerterent Sacrarum litterarum studia apprimè Religiosis necessaria esse, nec sine illis Regularem Congregationem recte consistere posse, Simoni suaserunt, vt Oxonium Clarissimum eius Regni Gymnasium, studij, & gradus litterarij suscipiendi causa pergeret. Quod ipse Fratribus morem gerens opere compleuit, licet ob humilitatem qua præ cæteris eminebat, inuitus inferiorem tantum Theologiæ gradum (Bacca- Florescit in Anglia Religio.

laureatum credimus) admittere voluit. Hic primus Theologiæ gradus humilitate, ac charitate à Beato Simone susceptus, plurium Illustrissimorum Doctorum, qui eam Prouinciam, Ordinem, & Ecclesiam totam suis postea scriptis decorarunt, origo, & Seminarium fuit.

Tholosani Cœnobium

3 Tholosani Conuentus in Gallijs nobilissimi sub hoc tempore primordia designanda. Constat enim Raimundum iuniorem Tholosæ Comitem sub hoc anno licentiam concessisse Hebræis quibusdam ad vendendum nostris domos quasdam pro ædificatione Monasterij, ad quod transferri possent. Vnde iam primitus, à tempore quod ignoramus, in suburbijs Ciuitatis in loco qui dicitur *Castrum Narbonense*, primitus erant, in Capella, quæ vocatur hodie Sanctæ Mariæ de Feretra. Quia tamen ibi plura à Beatissima Virg. miracula patrabantur, Ciues, qui commodè illuc accedere deuotionis causa non poterant, Monasterium in Ciuitate extrui desiderabant. Prout factum est, vt dicemus circa ann. 1264. Hæc, & alia, quæ ibi nos, affert Gulielmus Decatelus *in hist. antiquitat. linguæ Occitanæ lib. 2. tit. Carmelitæ de Tholosa.*

Drepanitana Imago.

4 Quidam etiam sub hoc anno 1242. Sacerrimam illam Virginis Drepanitanæ Imaginem ad nostros aductam autumant, dicentes eo anno Simulachrum Pisas è Syria missum nauim qua vehebatur secundo cursu Drepanitanum in portum mense Augusti appulsam, & cum ex in nautæ procedere vellent aduersis ventis fuisse repulsos, & sæpenumero id factitatum, donec aduersæ tempestatis causam Effigiem esse suspicantes, Pisanorum rebus Præfectum eo in portu existentem conuenisse, effigiem consignasse, fęliciori nauigio Pisas transmittendam. Quod cum ipse facere voluisset, & Simulachrum vehiculo ferri iuberet, boues vsque ad *Sacellum* quoddam Sanctæ Catharinæ antiquitus sacratum, & exinde Cœnobium nostrum traxisse, & ad fores consistentes animantes nulla vi loco potuisse dimoueri; sicque Carmelitanis pretiosum thesaurum diuina sorte contigisse. Sed etsi historia quoad substantiam à vero forsan non longe absit, ad ea tamen, quæ sub anno 1230. diximus, Lectorem remittendum dicimus. Eam ex aliorum placito refert Octauius Caietanus Iesuita *in Manuscript. Historię de Virginis Drepanitanæ in Siciliam aduentu.*

Ann. Christi 1243. Innocentij 4. Roman. Pontif. 1. Friderici Imperat. seu Reg. German. 33. Balduini Imp. Orient. 15. Alani General. 13.

Innoc. Papę electio.

1 PRecibus tandem Balduini Constantinopolitani Imperatoris, qui petiturus auxilium venerat in Italiam, Fridericus Imperator flexus, Cardinales tres, quos in vinculis habebat, dimisit, vt propterea electioni noui Pontificis sub hoc anno interesse potuerint. Ana-

gniæ

gniæ ergo congregati sub octauo Kalendas Iulij Cardinalem Sinibaldum Genuensem, gente Flisca, ex Comitibus Lauaniæ, Pontificem denunciarunt, Innocentium Quartum vocatum. Is quam primum litteris de sua assumptione ad omnes Principes datis, tres Cardinales ad Fridericum misit, pacem, & absolutionem ab excommunicatione offerens, si tamen Ecclesiæ pro illatis iniurijs satisfaceret. Ast ille cum Pontifice colloqui in quadam Ciuitate se velle dixit, quod (vt quidam credunt) faciebat, vt Pontificem è Roma euocatum facilius comprehenderet, & in suam potestatem redigere posset. Bzouius.

2 Fuit hic Pontifex Innocentius Quartus, siquis alius, Ordinis nostri benignissimus Protector, Conseruator, & Propagator. Primo enim ad instar Gregorij Prædecessoris Regulam Ordinis ab Honorio Tertio approbatam confirmauit, domos, seu possessiones præter aliqua animalia, & eorum nutrimentum habere prohibuit; ac quod aliquis præter Fratres in Prioris electione se ingereret interdixit. Deinde litteras commendatorias pro omnibus fidelibus, indulgentias eis, qui eleemosynas nostris elargirentur, concedens, dedit. Specialiter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per literas Fratres nostros commendauit. A decimarum solutione exemit. Facultatem absoluendi excommunicatos ob manuum iniectionem, & recipiendos ad Ordinem, à quacunque censura, tribuit. Ab onere etiam cognoscendi de causis à Sede Apost. committendis eos liberauit; & Sanctorum Petri, & Pauli patrocinio suscepit, & facultatem tempore Interdicti celebrandi concessit. Regulam præterea quod in Europæ Prouincijs dura, ac rigida videretur, declarari, corrigi, & mitigari fecit. Loca plura Ordini concedi præcepit, & quæ concessa erant, rata, & grata habuit. Licentiam præterea Generali tribuit Fratres ad concionandum, & audiendum confessiones fidelium admittendi. Aliaque concessit, de quibus in sequentibus. Qualis hic Pontifex.

3 Hinc Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ, Centur.*4. *post Laurentium Somercote*, loquens de ipso Innocentio, hæc protulit, scō. mate hæretico interiecto, vt moris semper fuit impudenti Authori. *Carmelitas, & Augustinianos in adoptionis filios admisit, & ex Professis Christianis per nouam formationem suas Creaturas fecit. Ab Eremis ad Vrbes pertraxit. & in otio suum mendicare panem docuit; Carmelitarum Regulam ab Alberto Hierosolymorum Patriarcha prius eis traditam correxit, mitigauit, & declarauit.* Psallere, orare, meditari, studere; concionibus, ac confessionibus assistere, hæreticis otia mendicantium sunt. Alia de ipso

Ann

Ann. Christi *1244.* Innocentij *4.* Roman. Pontif. *2.* Friderici Imperat. seu Reg. German. *34.* Balduin. Imper. Orient. *16.* Alani General. *14.*

Frid. gesta. 1 NOn cessabat per id tempus Fridericus Imperator, per suos præsertim ministros, Ezelinum, & Sardiniæ Regem Entium Ecclesiam persequi, iura Ecclesiastica debellare, & plures, immaniter etiam, innocentes occidere. Noluit etiam cum Innocentio Pontif. ad congressum apud Ciuitatem Castellanam destinatum accedere. Pontifex propterea non diutius sibi expectandum putans, in Gallias, quo à Sancto Ludouico Rege inuitatus erat, transire decreuit, vt ibi Concilio Generali conuocato, vniuerso Orbi ostenderet iustè Gregorium Prædecessorem Fridericum anathemate strinxisse, iniustè autem illum in Ecclesiam, & Ecclesiastica iura arma sumpsisse. Genuensi ergo classe cum septem Cardinalibus, primo Genuam, deinde Lugdunum vectus est. Bzouius.

Status Ord. 2 Ordinis nostri status in Syria per id tempus lugubris satis, & lamentabilis erat. Cum enim Terræ Sanctæ negotia in deterius quotidie tenderent, ob defectum succursus, qui propter bella à Friderico in Italia excitata multo minor erat, quam necessitas peteret, idcirco Chorasmianorum equitum 20. millia (hominum natio è Perside per Tartaros eiecta) in Hierosolymam proruperunt, plures occiderunt, & magnam cladem Christianis attulerunt. Marinus Sanutus, Mathæus Paris, Æmilius, Gordonus. In hac autem Christianorum clade, quæ circa id tempus contigit, aliqui ex nostris in Monasterijs Eremorum, & maximè in Monasterijs Quarentenæ, & Valijm, à Paganis trucidati, cælestem Patriam ascendere meruerunt. Alij autem videntes, quod ibi secure non possent habitationes habere, loca, & Monasteria deseruere, quæ postea ab Infidelibus penitus diruta sunt. Fratres quoque Monasterij Sanctæ Annæ Hierosolymorum necessitate compulsi, fami, cædi, & persecutioni Tyrannorum cedentes, ac ad Monasteria Phænicis, Acconis videlicet, Tyri, & Tripolis se cum alijs trāsferentes, tam illud, quam alia Palæstinæ Regionis Cœnobia penitus reliquerunt. De his Guilelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicat. Ordin.* in Speculo Ordin. *lib. 9. cap.* 8. His ergo de causis plures ex nostris, qui in partibus Occidentalibus orti erant, ad illas, vt diximus in superioribus, transfretarunt. Propterea etiam Generalis Alanus, & ipse in eisdem Europę partibus ortus, Carmeli, et Palæstinæ Cęnobiorum curam alij committens nouę Ordinis propagationi in Occiduis partibus faciendę prouisurus, ad propria reuersus est. Quamuis autem tam ipse, quam alij Fratres animaduerterent, Regiones, ad quas peruenerant, aptas, & idoneas esse ad sui Ordinis multiplicationem, vt propterea plures ad habitum Religio-

gionis admisissent, & aliquot Conuentus in Anglia, vt vidimus, recepissent; nihilominus prius quam ipsam notabiliter Cœnobijs multiplicassent prudenti ducti cõsilio ad Summum Pontificem Innocentium accedere decreuerunt, rationẽ suæ transmigrationis expo situri, & Ordinis nouam confirmationem, priuilegia, ac fauores pro ipsius ampliatione postulaturi. Prudens consilium fælix exitus secutus est, vt in sequentibus dicemus.

3 Iuuare maximè potuit hunc sanctum erga suam Religionem Generalis Alani zelum Beatus Simon, cum ipso, è Carmelo, quo Comitiorum Generalium celebrandorum causa aduenerat, ad Europæ partes rediens, postquam per sexennium, vel septennium circiter Carmeli Anachoresis, diuinis refectus pabulis, cultor fuit. Sic fermè Segerus Pauli in *Chronologia* ad ann. 1239. testimonio Martini del Rio nixus, de quo nos alibi. B.Simonis gesta.

4 Hoc quoque anno nostrum Gulielmum de Sannico fratres nostros primum in Scotiam inuexisse habet Thomas Dempsterius *in Nomenclat. Scotorum Scriptorum littera S.* licet in Apparatu ad Histor. Scoticam *libro 1. cap.* 15. anno 1246. id accidisse referat. Incuria forsan Typographi error in numeros irrepsit. Veritas enim est, quod etsi forsan aliqui ex nostris eodem Guilelmo Ductore in Scotiam sub hoc anno, vel 1246. vecti fuerint, Ordinis tamen Cœnobia eo anno cępta non sunt. Ipso enim Guilelmo *in Chronic: de multiplicat. Ordin.* in Speculo Ordin. *lib. 9. cap.* 4. testante, Ordinis dilatatio per Scotiam facta non fuit vsque dum primum Ecclesiæ Pastor Innocentius à nostris conueniretur, ratioque eidem de aduentu in Europam traderetur. Vnde cum alijs primam Cœnobiorum Scotię erectionem sub anno 1258. numeramus. An Fratres in Scotum venerant.

Ann. Christi 1245. Innocentij 4. Roman. Pontif. *3.* Friderici Imperat. seu Reg. German. *35.* Balduini Imperat. Orient. *17.* B. Simon. General. *1.*

1 HOc Anno Pontifex Innocentius Lugduni summa cum veneratione à Sancto Ludouico Rege exceptus, Concilium Generale ibidem celebrandum indixit, ad illud cocuocans Imperatorem Fridericum (pro cuius causa discutienda præcipuè indicebatur) Reges, Principes, & Ecclesiæ Prælatos. Cum autem pluribus ex vniuerso Orbe aduenientibus, Fridericus adesse recusasset; quinimo ad Principes litteras sui purgatorias misisset, & in Conuentu à se indicto coram illo Innocentium grauiter accusasset, Pontifex, creatis primum 12. Cardinalibus ex diuersis nationibus, quibus galeri rubri gestandi potestatem fecit in signum, quod vsque ad sanguinis effusionem capita sua pro Ecclesia offerre deberent, Indictio Cõcilij Lugdunensis.

rent, in Concilio eum imperio priuauit, omnique honore, ac dignitate indignum, ac priuatum declarauit. Honuphrius Æmilius, Platina, & alij.

Alani Generali gesta. 2 Vltimum clausisse diem circa hoc tempus, hoc videlicet anno, vel præcedent. Generalem Alanum Ordinis nostri Præsul. Coloniæ existentem, postquam è Syria, & Carmelo venerat, primum omnium Generalium extra Carmelum sepultum, Petrus Lucius *in Compendi histor. cap. 12.* & Franciscus Cherascus *in Cathalogo General.* testantur. Quibus etiam fauet quod electio Beati Simonis Stock in Generalem Ordinis sub hoc anno, Alano defuncto, à Balæo, & Pitseo rerum Angliæ, vnde Simon oriundus, & vbi eius electio celebrata est, Scriptoribus, notetur. Quorum testimonijs in hac causa præ alijs standum videtur. Quia tamen Segerus Pauli in sua illa iam relata *Chronolog. Sanct. Simon. ad ann.* 1245. eundem Alanum astitisse Generali Capitulo, de quo postea; & ibi suum resignasse Officium; ac deinde, Anglia relicta, Coloniam Agrippinam diuertisse; ibique apud Fratres suos conuixisse; ac tandem sancto fine quieuisse; & in Choro Fratrum ante summum Altare sepulchrum obtinuisse, & miraculis corruscasse, affirmat; & Author iste diligentissimus nostrarum historiarum indagator extitit; & in suo Coloniensi Conuentu, quo Alanum perrexisse, & vbi obijsse asserit, congrua de hoc monumenta reperisse, credibile valde est; ideo ipsi assentimur; conformiter etiam ad ea, quæ de eodem Alano in sequentibus annis superstite dicemus. Cursum ergo nostræ historię prosequamur,

De Beato Simone sexto Generali Latinorum.

B. Simonis electio. 3 Contigit ergo hoc an. 1245. vt Alano Generali, iuxta quorundam placitum defuncto, iuxta id autem, quod nos sequimur, officio suo renunciante: quod B. Simon, omnium votis in locum ipsius, Aylesfordiæ, in Capitulo Generali ibidem celebrato, in sextum Generalem suffectus esset. Ita habent Officium eiusdem Beati Simonis, Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centur.* 2. Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ ætate* 13. qui hoc anno id accidisse commemorant. Qualiter vero post assumptam dignitatem bonarum virtutum exercitio addictus fuerit ex eodem Officio eiusdem Beati hæc transcribimus: *Addidit tantæ dignitatis oneri frequentiores vigilias, vberiores lachrymas, & acutiora cilicia, & seuerior in se factus, mitis in omnes, nouo flagrorum genere corpus afflictabat.* En noua meritorum incrementa ex Præsulis dignitate producta. Quando enim Viri Sancti à Deo ad munus regiminis subeundum vocantur, tales virtutum producunt fructus: sicut è conuerso, quando ambitiosi eliguntur, nonnisi in noua vitiorum germina erumpere soleant.

Capituli gesta. 4 Quamuis autem ex huius Capituli gestis, temporum iniuria; nihil amplius præter electionem Beati Simonis in Generalem habeatur, nihilominus ex ijs, quæ proximè acciderunt, elici potest, diligenter in eo de

Ordinis

Ordinis conseruatione, ac dilatatione, ac proinde de Regulę confirmatione, & declaratione, alijsq; Priuilegijs à Summo Pontifice postulandis actum esse. Id etiam circa idem tempus Capituli accidisse videtur, quod refert Palæonydorus *lib. 3. cap. 6.* his verbis: *Hinc post prædictorum Pontificum confirmationem Fratres Ordinis Carmelitarum, dum in diuersis Europæ partibus fuissent multiplicati, præsertim in Eremo Aquilegiensi apud Marsiliam; in Auenione quoque, & in Arelata; & in pluribus alijs locis, per deuotorum fidelium subsidia Monasterijs fundatis, plures Ecclesiarum Prælati diuersas eis molestias intulerunt. At Beatissima Dei Mater Virgo Maria à suis Fratribus humiliter inuocata apparens Priori Carmelitici Ordinis Generali, ait, Vade ad Innocentium Quartum intrepide, qui iuxta sui nominis interpretationem partem innocentum fouere consueuit. Igitur Virginis Christiferæ consilio, Innocentium accedentes, ab eo mira humanitate tractati, pia vota sua consecuti sunt.* Eadem refert Bzouius *sub hoc anno num. vlt.* Religionibus Mendicantibus, similem calamitatem accidisse commemorans, quod in partem ministerij Ecclesiasticæ Hierarchiæ adiunctæ essent, vt propterea Carmelitæ Diuæ Deiparentis Mariæ intercesionem implorassent, & ab ea eorum Prior Generalis in visu modo assignato instructus esset. Hunc Generalem Beatum Simonem fuisse tum vitæ ipsius sanctitas, tum quod similibus reuelationibus à Beata Virgine decorari mereretur, tum temporis chronologia iuxta computum nostrum, valde suadent.

5 Ergo ad summum Pontificem Innocentium Lugduni pro celebratione Concilij commorantem Fratres nostri recurrentes, Regulæ confirmationem, & declarationem circa possesiones, & redditus non obtinendos, & quod nullus præter ipsos in electionem Prioris se ingerere præsumeret, obtinere meruerunt, Diplomate dato, & eisdem fermè verbis, quibus Gregorius Nonus id fecerat bulla relata à nobis *sub anno* 1230. Data autem fuit 6. Idus Iunij. Accessus ad Papam.

6 Deinde secundo, hoc eodem anno Idibus Iunij Ordinem sub Sedis Apostolicæ, & Apostolorum Petri, & Pauli protectione, personas, & locum Carmeli suscepit, ac priuilegium celebrandi tempore Interdicti generalis concesit, eisdem verbis, quibus Gregorius Nonus prædecessor idem fecerat, Diplomate relato *sub anno* 1230. Hoc autem Innocentij Diploma extat in Speculo Ordinis *pag. 67.* Aliud Diploma.

7 Eodem etiam die, & anno idem Pontifex manus charitatis nostris Eremitis porrigentibus decem dies Indulgentiæ concesit, Bullæ hic tenor Aliud.
Innocentius Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos litera ista peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quoniam, vt ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, siue bonum, siue malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino multiplicato fructu recolligere debeamus in Cælis; firmam spem, fiduciamq; habentes, quoniã qui parce seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionib.

de benedictionibus & metet vitam aeternam. Hinc est, quod, sicut accepimus dilecti filij Prior, & Fratres Eremitæ de Monte Carmeli abdicatis sæculi opibus, titulũ elegerunt paupertatis, vt mente, & corpore expediti, liberam, & acceptam valeant impendere Domino seruitutem, nullas possessiones, neque proprium, per quod sustentari valeant possidentes. Propter quod vestrum est sibi subsidium opportunum. Vniuersitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur, attentè per Apostolica scripta mandantes, quatenus de bonis à Deo vobis collatis pias eis ad eorum sustentationem eleemosynas, & grata subsidia charitatis erogetis, vt per subuentionem vestram eorum necessitatibus succurratis, & vos per hæc, & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad ęternę possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos enim, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere pænitentibus, & confessis, qui eis manum porrexerint charitatis, decem dies de iniuncta sibi pænitentia misericorditer relaxamus. Datum, vt supra. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *folio 61. pag. 1.*

Litteræ aliæ Papales.

8 Sub eodem etiam anno (teste Guillelmo de Sannico *in Chronic. de multiplicat. Ordin.* in Speculo Ordin. *lib. 9. cap. 4.*) cum Fratres nostri ad Pontificem recurrent causam aduentus eorum ex transmarinis partibus narrantes, fauoremque pro Ordinis propagatione in Occiduis Regionibus exposcentes, Pontifex aduersitatibus eorum compatiens, & de multiplicatione Religionis per cunctas fidelium partes complacens, litteras eis 12. Kalend. Iulij concessit, per quas vniuersis Christi fidelibus scripsit, vt eos benignè reciperent, & ipsis de opportunis locis, in quibus possent securi Domino famulari, liberaliter, & charitatiuè prouiderent. Litterarum copia hæc est ex loco relato, & registro secundi anni deprompta: *Innocentius Papa Quartus. Vniuersis Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum dilecti filij Prior, & Fratres Ordinis Eremitarum de Monte Carmeli securè nequeant, sicut accepimus, propter frequentes Paganorum incursus in mansionibus quas habent in transmarinis partibus, commorari, & ob hoc oporteat ex ipsis aliquos se transferre ad Regiones varias, & remotas, Vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur, attentè per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsos, si ad vos eos aduenire contigerit, benignè recipientes, ac tractantes, honeste eis de opportunis locis in quibus securè possint famulari Domino, pro diuina, & nostra reuerentia liberaliter, & charitatiuè prouidere curetis.*

Quæ postea euenerint.

9 Quid vero tanti Pontificis fauoribus cumulati Fratres nostri egerint, in sequentibus referimus. Nunc dumtaxat addendum, quod occasione forsan horum Papæ Diplomatum, Balæus *in suo Cathalog. Centur. 4.* in Appendic. ad Nicolam Fernehaum, hæc dixit. *Anno Domini 1245. Eremitæ Montis Carmeli mendicitatem primo in Europa post Dominicanos, & Minoritas profitebantur. Inde permissi sunt prędicare, & confessiones audire; nam multi ex eis tunc erant in Theologiæ facultate instructi.*

Ann.

Ann. Christi 1246. Innocentij 4. Roman. Pontif. 4. Friderici Imperat. seu Reg. German. 36. Balduini Imp. Orient. 18. B. Simon General. 2.

1 Continuabat hoc tempore Fridericus exauctoratus scelera multa patrare; Parmam obsidione cingere, amicitiam cum Sarracenis gerere, & libidinosæ vitæ opera nimium exercere, vt propterea Pontifex ad eligendum alium Imperatorem Principes Germaniæ, præfracta hominis audacia cognitá, per Nuncium inuitaret. Hi Francfordiæ gregati, ex mente Apostolicæ Sedis Henricum Lantgrauium Thuringiæ in Regem Romanorum, & futurum Imperatorem elegerunt; quem Pontifex ritu solemni inaugurari, iniungi, atque coronari, præcepit, simulq; Principibus, vt ipsi tanquam legitimo Regi obsequerentur. Eum tamen Fridericus, & sequaces Regem Ecclesiasticorum per ludibrium, & contumeliam appellabant. Naucler. Auentin. Honuphr. & alij.

Friderici scelera.

2 Interim Fratres nostri pijs Innocentij Papæ fauoribus, de quibus anno præcedenti diximus, suffulti, per omnes Europæ Regiones, ad quas peruenerant, sub Sancti Generalis Simonis regimine, & iuuantibus Christi fidelibus, valde dilatari, ac propagari cœperunt. Rem narrat Guilelmus de Sannico *in Chronic. de multiplicat. Ordin.* in Speculo Ordinis *lib. 9. cap.4*: his verbis: *Obtentis itaque à Summo Pontifice Innocentio Quarto litteris præmissis, cœperunt dicti Fratres per Regiones, ad quas peruenerant, iuuantibus eos Christi fidelibus, loca Religioni eorum opportuna in diuersis Ciuitatibus, & Villis per incrementa temporum construere, in quibus possent Domino Deo, & eius Matri Virgini, sicut desiderabant, securè deseruire. Qui enim ex eis ad Cyprum accesserant, in quibusdam Ciuitatibus, & locis Cypri Monasteria huic Religioni commoda ædificauerunt. Qui vero ad Siciliam perrexerant, non solum per Ciuitates Siciliæ hanc Regionem plantauerunt, sed inde per Apuliam, & per cæteras Regiones Italiæ sensim in diuersis Ciuitatibus, & locis Religionem auxerunt. Qui autem ad Prouinciam profecti fuerant, nedum per Ciuitates, & loca illius Regionis, sed per Narbonensem Prouinciam, & Aquitaniam, atque Hispaniam, in diuersis Ciuitatibus, & locis, Religionem istam paulatim multiplicauerunt. Illi vero, qui ad Angliam secesserunt, non tantum per Insulam Angliæ, sed per Scotiam, & Hyberniam in multis Ciuitatibus, & Villis, ac locis Religionem istam pedetentim dilatauerunt.* Quæ autem fuerint huiusmodi Cœnobia de nouo constructa, in sequentibus, quantum nobis licuerit, differemus.

Fratrũ multiplicatio in Europa.

3 Quia hoc vnum inter alia, de quibus postea, quieti conscientiarum nostrorum Fratrum in eis partibus, ad quas incolendas de nouo diuerterant, aduersari cernebatur, quod sæpius Religiosi cogerentur Apostolicas

Aliud Pont. Diploma.

commissiones circa diuersas negotiorum occurrentium causas suscipere, & quod exinde sequi poterat sæcularium, & extraneorum commercio, quod valde Regulari perfectioni contrarium est, immisceri, vitare hæc mala desiderantes, ad Innocentium Benefactorem recurrerunt, & ab ipso Lugduni adhuc commorante sub 3. Idus Iulij has litteras impetrarunt.

Innocentius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Priori, & Fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotionis vestræ precibus inclinati auctoritate præsentium indulgemus, ne de causis aliquibus de cætero vobis à Sede Apostolica committendis inuiti cognoscere teneamini, nisi litteræ Commissionis huiusmodi plenam de hac Indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Celebris visio Beatiss. Virg.

4 Celebris illa Beatissimæ Virginis Mariæ visio Beato Simoni StocK tunc temporis Generali facta, qua liberalissima, & benignissima Carmeli Domina, & Patrona, ad promouendum, & exaltandum Ordinem suum, singularissimum illud, & merito admirandum Sacri Scapularis Carmelitani priuilegium eidem concessit, de qua Historici nostri, & extranei sæpius loquuntur, hoc anno 1246. & 16. die Iulij (qua idem Ordo eiusdem Virg. Commemorationem solemnem celebrat) contigisse habet Segerus Pauli Coloniensis *in Summ. hist. eiusdem solemnitatis*. Verumtamen quia Segerus ipse *in Chronolog. B. Simon.* ad ann. 1251. casum refert, idque sequimur in Tractatu de Patronatu Virginis *cap. 5. num.* 10. & adhærere videtur Pat. Irinęus à Sancto Iacobo in Tractatu de singulari Immaculatæ Virginis protectione pag. 22. conformiter ad Epistolam Petri Suuanygtonis, qui Synchronus, imo socius eiusdem Beati Simonis fuit, in Epistola, quam eodem anno referimus, ideo ad id tempus visio hæc congruentius referenda. Id solum in præsenti annotantes, quod huiusmodi Chronologicorum diuersitas, ne quid minimum historiæ afferre potest detrimentum. Notissimum namque est cuicunque in historiarum, Ecclesiasticarum etiam, & maioris momenti, quam ista, de qua in præsenti, vel mediocriter versato, sæpissimè, & frequentissimè huiusmodi controuersias esse sine vlla læsione historicæ veritatis. Alioquin, vt benè Irenæus relatus dixit, *è fastis delenda fermè infinita essent*, cum in illis historiæ non cohæreant, quoad tempus, vel annum, quo contigerunt.

Ann.

Ann. Christ. 1247. Innocentij 4. Roman. Pontif. 5. Friderici Imperat. seu Reg. German. 37. Balduini Imp. Orient. 19. B. Simon. General. 3.

1 FVgatus hoc anno fuit Fridericus a Parmæ obsidione, per Sedis Apostolicæ Legatum Gregorium Monte longum. Henricus autem Rex Romanorum electus Sagitta veneno illita confixus in expugnatione Vlmę Vrbis interijt. Vnde procurante Capotio Cardinali Guillelmus Comes Hollandiæ ab Electoribus Imperij Cæsar electus est contra Fridericum. Bzouius, & alij sub hoc anno. Frider. casus

2 Terræ Sanctæ Christianitatem, & Principatum Antiochenum, in quo duo saltem Ordinis nostri Cœnobia erant, Antiochiæ scilicet, & in Montana Nigra, Turchemani sub hoc tempore depopulationibus affligebant. Marinus Sanutus *de Secret. fidel. Cruc. lib. 3. par. 12. cap. 1.* quo damnum, & formidinem nostris Religiosis attulisse pro comperto est. Terræ Sanctæ negotia.

3 Quam porrò calamitatem, & persecutionem à Rectoribus Ecclesiarum hoc tempore Fratres nostri passi sunt, Guillelmus de Sannico in *Chronic. de multiplicat. Ordinis* in Speculo Ordinis *lib. 9. cap. 5.* sic describit, *Interea dum hæc prædicta à Fratribus agerentur inuidens Diabolus bono eorum operi, & huius Religionis multiplicationi, nisus fuit eam impedire. Quamobrem incitauit Rectores, & Curatos Parrochialium Ecclesiarum aduersus Fratres prædictos. Qui, Fratres non permittebant in eorum Monasterijs diuina celebrare, nec sepulturam Fratrum sui Ordinis habere. Cumque Fratres ad Dominos Diocæsanos pro compescendis Rectoribus, & Curatis à grauaminibus prædictis recurrerent supplicantes eisdem, vt de licentia eorum, & gratia possent in locis suæ Religionis diuina celebrare, & sepulturam Fratrum sui Ordinis habere. Respondebant Prælati, quod cum hæc Religio esset eis ignota, gratiam postulatam non concederent, donec super præmissis intentionem Summi Pontificis scirent. Ea propter dicti Fratres iterum ad Summum Pontificem Innocentium Quartum accesserunt, cui humiliter supplicauerunt, vt dignaretur Prælatis scribere sibi non esse displicibile, sed placibile, si licentiam Fratribus concederent, celebrandi diuina in eorum locis, & habendi liberam sepulturam Fratrum sui Ordinis. Pontifex autem prædictus humili Fratrum petitioni annuens, super præmissis sexto Kalendas Augusti anno Domini 1246. Archiepiscopis, et Episcopis scripsit. Innocentius Papa Quartus, in Registro sui Pontificatus anni quarti sui Pontificatus. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ad quos præsentes litteræ peruenerint, salutem, et Apostolicam benedictionem. Paganorum incursus dilectis filijs Fratribus Eremitis Sanctæ Mariæ de Monte Cormeli necessitatem induxisse dignoscitur, quod se ad has cismarinas partes non sine afflictione multa spiritus contulerunt, cum eis contemplationis dulcedine recreari solitis, ex* Ordinis persecutio.

huius-

huiusmodi transitu turbata non modicum fuerit quies mentis. Cum itaque ipsorum ad hoc aspiret affectio, vt per Apostolicæ pietatis auxilium statum consequi valeant, in quo sibi, & proximis, Deo propitio, ad salutem proficere hilarescant, fraternitatem vestram rogandam duximus, & monendam per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsos, dum ad vos peruenerint, benigno suscipientes affectu, & pij fauoris gratia prosequentes ipsis vt in locis opportunis, de quibus iam est eis in vestris prouisum Diœcesibus, vel in posterum contigerit prouideri, celebrandi diuina, & habendi liberam Fratrum sui Ordinis sepulturam, licentiam, si expedire videritis, sine iuris alieni præiudicio concedatis. Eadem Innocentij litteræ habentur in Speculo Ordin. *fol.* 61. licet datæ dicantur non quidem anno 4. Pontificatus, qui anno præsenti correspondet, sed anno 5. qui correspondet sequenti.

Quæ Alia contigere.

4 His literis visis quidam ex Diœcesanis obstinatiores effecti præfatam licentiam concedere renuebant, alij verò benigniores, & clementiores Fratribus nostris à Deo facti fauorabiliter eorum postulationibus acquiescentes eam concesserunt. Guillelmus de Sannico *vt supra*.

De sexto Ordinis statu, qui est de Regulæ Correctione, & aliquali mitigatione per Papam Innocentium Quartum.

Fratres ad Papam missi

5 ORdinis propagationi Beatus Simon Generalis intentus, ea quæ ipsi aduersari videbantur totis viribus obuiare curabat. Quia ergo Dei maiorem gloriam, honorem Virginis Matris, deuotionis augmentum, & Ecclesiæ Sanctę exaltationem concernere animaduertebat, si eiusdem Virginis Sanctissimæ Religio, quæ eo tempore Infidelium feritate è proprijs Sedibus Palæstinæ eijciebatur, fidelium pietate in Europæ partibus dilataretur, ideo in eam rem promouendam totus omnino aderat. Cum autem in Aylesfordiensi Generali Capitulo, quo ipse Simon in Generalem Ordinis Præsulem fuit vocatus, accuratè de huiusmodi negotio tractaretur, viderentque Diffinitorij Patres multum illi præiudicij afferre, quod sæcularium plures ob nimiam Regulæ arctitudinem, & naturæ fragilitatem, habitum Ordinis suscipere recusarent, & inter Fratres ipsos plura circa eius intelligentiam dubia crebrius exorirentur; ideo re maturè discussa, & vt credi par est, cum Deo in orationibus, & Missarum sacrificijs communicata; decretum, & statutum fuit, vt ad Romanum Pontificem Innocentium, tunc Lugduni pro Concilio celebrando agentem, duo Patres mitterentur, qui cum ipso de Regulæ mitigatione, correctione, ac declaratione, prout magis expediens videretur, pertractarent. Duo ergo prouidi, prudentes, & graues Fratres, Reginaldus, & Petrus nominati, pro tanto negotio gerendo destinati sunt. Illi ergo Lugdunum ad Papam accedentes, post pedum oscula humiliter supplicarunt, vt pro benigni-

benignitate Apostolica circa præmissa prouidere dignaretur, Pontifex autem eorum precibus annuens, rem vice ipsius faciendam Hugoni Cardinali tituli S. Sabinæ ea tempestate clarissimo, & Gulielmo Anteradensi Episcopo commisit. Speculum Ordinis *lib. 8. cap. 6.*

6 Quæ autem, qualia, quauè causa, aut ratione prædicti duo Apostolici Commissarij ex Regula declarauerint, correxerint, aut mitigauerint ex eodem Speculo Ordinis dicto *lib. 8. cap. 6.* erudite sic habetur. Quid actum à Papę Commissarijs.

Isti duo Domini in Sacra Theologia Magistri prædictam Regulam anno Domini 1248. Corrigendus est numerus, & mutandus in 1247. vt inferius dicemus. *Authoritate Apostolica declarauerunt, correxerunt, & mitigarunt, prout sequitur. Nam in primo Regulæ statuto vbi dicitur,* & promissam studeat operis veritatem seruare *dicti Commissarij declarando immediate addiderunt,* cum castitate, & abdicatione proprietatis. *Quæ verba fuerunt ideo per eos Regulę addita, quia licet alibi in Regula pręcipiatur Fratribus castitas, vbi dicitur,* accingendi sunt lumbi cingulo castitatis, *& alibi etiam in ea prohibeatur cuilibet Fratri habere proprium, vbi dicitur,* nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, *omnis tamen professio Regularis astringit suos professores principaliter ad hæc tria, scilicet ad obedientiam, castitatem, & proprietatis abdicationem, quæ sunt de substantia professionis: ideo visum fuit dictis Commissarijs esse æquum, vt vbi in* Regula *fit mentio de obedientia Priori committenda, siue promittenda, ibidem etiam de cæteris duobus fiat mentio, scilicet de seruanda castitate, cum proprietatis abdicatione. Item quidam Ecclesiarum Prælati renuebant Fratres huius Religionis admittere ad habitandum in eorum Diœcesibus: dicebant enim, quod cum Albertus Patriarcha dictam Regulam solum Fratribus Eremitis morantibus in Monte Carmeli scripsisset, & tradidisset, non licebat dictis Fratribus secundum eorum Regulam habitare alibi, quam in Monte Carmeli. Alij autem ex Prælatis, quamuis in eorum Diœcesibus admitterent Fratres ad habitandum, tamen non sinebant illos extra Eremos in villis, vel Ciuitatibus loca habere. Nam dicebant, quod cum Fratres essent* Eremitæ *non debebant nisi in Eremis habitare: Fratres autem prædicti per institutionem huius Religionis ostenderunt dictis Commissarijs, quod ab antiquo, scilicet à tempore Prophetæ Eliæ, & cęterorum Patrum Legis veteris, licuit Professoribus huius Ordinis habitare extra Montem Carmeli in alijs Eremis, & Ciuitatibus, ac villis. Propterea dicti Commissarij post verba illa per eos principio Regulæ statuto addita,* cum castitate, & abdicatione proprietatis, *immediate declarando vlterius addiderunt*: Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint ad vestrę Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire. *Quæ clausula ideo fuit per dictos Commissarios Regulæ addita, vt per Regulam manifestè appareat, quod Fratribus huius Ordinis liceat loca extra Montem Carmeli habere, ac in alijs Eremis, & in Ciuitatibus, vel villis habitare. Item, licet quilibet* Fratrum *ante quam in Monasterio includerentur defferrent ad suam cellulam victum sibi necessarium, vt ibi singulariter viuerent, postquam tamen fuerunt in Monasterio*

rio inclusi, victus secundum Regulam distribuebatur vnicuique per manus Prioris, vel per hominem per eum ad hoc officium deputatum; *cui erat graue discurrere per cellulas singulorum separatas; Fratribus etiam erat graue pulmenta ex mora titulo discursus effecta frigida, sumere: ideo propter hęc, & alia inconuenientia, quę inde sequebantur, fuit per dictos Commissarios de Regula totaliter deleta sequens clausula in quarto Regulę statuto posita, quæ dicebat:* Ita tamen, vt sicut præmissum est in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his quæ sibi distributa fuerunt, singulariter viuant. *Et quia antiqui huius Religionis professores filij Prophetarum, dum Conuentum faciebant, refectionem communiter sumebant, ideo loco dictæ clausulæ de dicto quarto statuto deletę prædicti Commissarij in secundo statuto Regulæ, vbi dicitur:* Eædem cellulæ, cuique fuerint assignatæ, *mitigando immediate addiderunt:* Ita tamen, vt in communi refectorio, ea quæ vobis erogata fuerint communiter sumatis, aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo, vbi commode poterit obseruari.

Item in tertio Regulæ statuto, sic in principio scribebatur. Hi qui litteras norunt, & legere psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati: *hac autem dicta clausula fuit de Regula per dictos Commissarios ideo deleta, quia generabat Fratribus dubium, an ipsi tenerentur ad alias horas Canonicas, præter quam ad psalmos dicendos. Loco autem dictæ clausulę fuit in Regula per dictos Commissarios corrigendo, & declarando sic scriptum.* Hi qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundum institutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem.

Item in quarto Regulæ statuto inter cætera sic scribebatur: Et ex his quæ Dominus vobis dederit distribuatur vnicuique per manum Prioris, idest per hominem ab eo ad idem officium deputatum. *Hæc autem dicta clausula generabat fratribus dubium an ista solum vnicuique essent eorum per manum Prioris distribuenda, ea quæ Dominus eis daret, quod non illa, quę ipsi ex opere licito, vel aliter iustè acquirerent. Graue quoque erat fratribus, quod homo à Religione eorum extraneus posset à Priore deputari distributor bonorum Religionis, quia per hoc poterant dicta bona defraudari, facilius quam si frater aliquis deputaretur ad distribuendum illa. Ideo dicta clausula fuit de Regula per dictos Commissarios deleta, & prædictum quartum Regulæ statutum fuit per eos declarando corrigendo sic formatum.* Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuantur vnicuique per manum Prioris, idest per Fratrem ab eo ad idem officium deputatum, prout, cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Item post illa verba quarti statuti Inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum *dicti Cõmissarij immediate declarando vlterius addiderunt.* Asinos autem, siue mulos pro vt vestra expostulauerit necessitas, vobis habere liceat, & aliquod animalium, siue volatilium ad nutrimentum. *Quæ clausula fuit per dictos Commissarios ideo Regulæ addita, quia licet dudum inter fratres fuisset dubitatum, an habere prædicta esset eis licitum, necessitas tamen vrgebat eos habere mulos, vel*

asinos

asinos pro lignis, atque cibis, & cæteris victui Fratrum necessarijs portandis ad Monasteria in Monte Carmeli, & alibi sita, & à Villa remota. Nutrimentum vero animalium; & volatilium erat Fratribus expediens ad vitam pro ouis, & lacticinijs inde sumendis, quibus vesci non est Fratribus prohibitum. Item in septimo Regulæ statuto inter cætera sic scribebatur. Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ. *Hæc autem prædicta clausula erat Fratribus grauis, vt semper ab esu carnium, nisi in casu* infirmitatis, aut nimiæ debilitatis *abstinerent, & ideo petebant hanc dictam clausulam de* Regula *totaliter deleri, quia ex primaria institutione eorum non erat eis prohibitum, immo concessum carnibus vesci, quibus Fundator huius Religionis Elias, postquam eam instituerat vsus fuit. Dicti vero Commissarij attenderunt, quod licet antiquis Professoribus huius Religionis esset concessum carnibus vesci tempore Legis veteris, quando & phase erat ab eis obseruandum, ipsis tamen tunc fuit prohibitum vino vti, quod Albertus in Regula modernis Fratribus ideo non prohibuit, quia de eo conficitur Altaris Sacramentum, quod est à Fratribus sumendum, & frequentandum. Considerantes ergo Commissarij, quod tempore nouæ Legis suadetur Monachis abstinere potius à carnibus quam à vino, noluerunt Fratribus interdicere penitus esum carnium, nec eis prohibuerunt vini vsum, quo Apostolus suum concessit vti Discipulum. Sed quia Fratres proponebant, quod difficile erat nimiam debilitatem discernere in Fratre antequam esus carnium sibi concederetur, & quod aliqui Fratres interdum fuerant prauenti de nonnullis debilibus, qui decesserant, quia esus carnium non fuerat eis concessus, quos Fratres non putabant adhuc deuenisse in nimiam debilitatem, ideo dicti Commissarij prædictam clausulam de Regula deleuerunt, & mitigando eam, aliter formauerunt ipsam sic.* Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur. *Verum quia Fratres ad hæc instabant, quod propter ingruentes necessitates oportebat aliquos eorum interdum de domibus eorum exire, & propter penuriam in itinere mendicare, quos cum difficultate hospites colligebant, quia illis se in cibis, non conformabant, & nihilominus oportebat eos aliquando mare transire, vbi propter ciborum penuriam & occurrentia pericula erat graue à carnibus abstinere. Ideo dicti Commissarij post verba illa,* nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur, *immediate mitigando addiderunt:* Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit.

Item in decimo Regulæ statuto inter cætera sic scribebatur. Ideoque statuimus, vt ab hora vespertina vsque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat. *Hæc autem dicta clausula ideo erat Fratribus grauis, quia ob ortu diei vsque ad horam tertiam, & ab hora vespertina vsque ad occasum occurrebant frequenter multa Fratribus vtilia, quæ bono modo non poterant cum silentio expediri, præsertim ea, quæ ad eruditionem Fratrum pertinebant. Cum etiam in illis interuallis quandoque interrumperetur à Fratribus silentium*

vertebatur in dubium qualis esset necessitas, aut causa rationabilis interrumpendi illud, & super hoc ad inuicem interdum dissentiebant, ideo dicta clausula fuit per eos aliter sic formata. Ideoque statuimus, vt dicto Completorio silentium teneatis vsque ad primam dictam sequentis diei. *Cætera autem omnia comprehensa in Regula prædicta remanserunt per dictos Commissarios intacta. Quam ipsi, vt præmittitur, declaratam, correctam, & mitigatam, ac sigillis eorum sigillatam miserunt Priori Generali, & Capitulo Generali nostræ Religionis, vt fratres eam firmiter obseruarent, & instar eiusdem alias Regulas eorum corrigerent.*

Ad libitum Fratrum.

8 Hanc vero Regulæ correctionem, mitigationem, & declarationem ad libitum Fratrum nostrorum, vt habet Ioannes de Malinis in *Speculo historiali cap. 7.* ab huiusmodi Dominis Apostolicis Commissarijs sub hoc anno 1247. Kalend. Septemb. factam approbauit, & confirmauit Pontifex Innocentius Diplomate dato sub hoc eodem anno 1247. Kalend. Octob. vt constat ex ipso Registro Archiuij Vaticani, vbi habetur anno quinto Innocentij fol. 465. Bulla 239. annus enim quintus Innocentij pro Kalend. Octob. vt numeranti patebit, huic anno correspondet. Vnde nec audiendi sunt author Speculi Ordinis *lib. 8. cap. 8.* Palæonydorus *lib. 3. cap. 6.* & alij qui dicunt anno 1248. id contigisse, cum ille pro prædictis Kalend. Octob. non quintus, sed sextus esset Innocentij Papatus. Melius ergo Ioannes de Malinis in dicto *capitulo secundo Speculo historialis*, & Ioannes de Cimineto *in paruo Opusculo* etiam Speculum Ordinis vocato *cap. 5.* & Segerus Pauli *in Chronolog. Sancti Simonis*, sequens Bullam vltra 400. annos Coloniæ reseruatam pro præsenti anno 1247. Bullam datam dicunt. Absurdius errant alij, qui cum hac Innocentii Bulla Regulam etiam ponunt cum Data illa fictitia ex Accone anno 1171. ex quibus eam hoc modo transcripsit Laertius Cherubinus *tom. 1. Bullar.* inter constitutiones Innocentij Quarti *num. 6.* Talis enim Regulæ data sub illo anno 1171. merum figmentum est à nobis propterea exsufflatum sub eodem etiam anno, & alijs sequentibus, & propterea in Registro Vaticani ea, aut alia Regulę Data non assignatur; nisi solum correctionis, declarationis, & mitigationis à Papæ Commissarijs, & ipsius vice factarum, ac eiusdem Papę confirmationis, & approbationis. Quę omnia ex eadem Pontificis Bulla, quæ inter Bullas Ordinis in Speculo Ordinis *fol. 74. pag. 2.* habetur, quam hic etiam ad verbum transcribimus manifestè constant.

Innocentij Papæ Bulla.

9 *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis de Monte Carmeli, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quæ honorem conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidio sunt fulcienda perpetui, sed illa præcipuè, super quibus Apostolicæ Sedis authoritas salubris prouidentiæ studium noscitur habuisse. Cum itaque Nos ad vestrę supplicationis instantiam per dilectum filium nostrum Hugonem tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & venerabilem Fratrem Guillelmum Anteradensem Episcopum quædam Regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi, ac*

etiam

etiam quędam ipsius grauia misericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Nos vestris pijs desiderijs annuentes, declarationem, & correctionem, ac mitigationem huiusmodi auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum facimus præsentibus annotari, qui talis est: Frater Hugo, miseratione Diuina, tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, & Frater Guillelmus, eadem miseratione, Anteradensis Episcopus; Charissimis in Christo Viris Religiosis Priori Generali, & Diffinitoribus Capituli Generalis, Ordinis Fratrum de Carmelo salutem in omnium salutari. Accedentes ad Apostolicam Sedem fratres Clerici Reginaldus, & Petrus, Ordinis vestri, ex parte vestra à Domino Papa humiliter postularunt, vt quędam, quæ in priuilegio vestro, & Regula, olim vobis à fælicis memorię Alberto Hierosolymitano tradita continentur dubia declarare, corrigere, ac quędam grauia mitigare misericorditer dignaretur. Cum igitur Dominus Papa eorum deuotis supplicationibus annuendo nobis commiserit, vt declarationem, correctionem, ac mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius, secundum quod bono statui Ordinis, & Fratrum saluti expediens videremus, Religioni vestræ qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, mitigatam, prout expedire vidimus, deuotè recipientes, eam firmiter obseruetis, & ad instar eiusdem vestras alias Regulas corrigatis, quam vobis per eosdem fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma. Albertus, Dei gratia, Hierosolymitanę Ecclesię vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo filijs Brochardo, & cęteris Eremitis, qui sub eius obedientia, iuxta fontem in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & Sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multisque modis sancti Patres instituerunt, qualiterquisque in quocunque Ordine fuerit, vel quemcunque modum Religiosę vitę elegerit, in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conscientia bona deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitę formulam, quam tenere in posterum debeatis, illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem, qui ex vnanimi omnium aßensu, vel maioris, vel sanioris partis ad hoc Officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate, & abdicatione proprietatis. Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint, ad vestrę Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire. Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis, eadem cellulæ cuiquam fuerint assignatæ, ita tamen, vt in communi refectorio ea quæ vobis erogata fuerint, communiter, aliquam lectionem Sacræ Scripturę audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis. Nec liceat alicui Fratrum nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eumdem locum primus occurrat, et de arbitrio, et dispositione ipsius post modum quæ agenda sunt cuncta procedant.

 Maneant

Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur. Hi qui horas Canonicas cum Clericis dicere nouerunt, eas dicant secundum constitutionem sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non nouerunt, viginti quinque vicibus Pater noster *dicant in nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigilijs prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur* Pater noster *vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in Laudibus Matutinis. In alijs quoque Horis septies similiter eadem sigillatim dicatur Oratio, præter Officia Vespertina, in quibus quindecies ipsam dicere debeatis. Nullus Fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique per manum Prioris, idest per Fratrem ab eodem ad id officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Asinos, siue mulos, prout vestra expostulauerit necessitas vobis habere liceat, & aliquod animalium, siue volatilium ad nutrimentum. Oratorium prout commodius fieri poterit construatur in medio cellularum, vbi manè per singulos dies ad audienda Missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri potest. Dominicis quoque diebus, vel alijs, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus, & culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensę fuerint, charitate media corrigantur. Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis, obseruetis à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa solui suadeat, quia necessitas non habet legem. Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, nè sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit. Quia verò tentatio est vita hominis super terram, & omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur, aduersarius quoque vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt cingulo castitatis: muniendum est pectus cogitationibus sanctis, scriptum est enim, Cogitatio sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Saluatore speretis salutem, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris, & quæcunque agenda sunt in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli magisterium, pariter, & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur, qui positus est, & datus à Deo prędicator, et Doctor gentium in fide, et veritate, quem si*

secuti

secuti fueritis non poteritis aberrare. In labore, inquit, et fatigatione fuimus inter vos nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, non quasi nos non habeamus potestatem, sed vt nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes. His autem qui eiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Hac via bona est, & sancta, ambulate in ea. Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo pracipit operandum; & quemadmodum Propheta testatur, Cultus iustitia silentium est, & rursus, In silentio, & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis usque ad primam dictam sequentis diei. Alio uero tempore, licet silentij non habeatur obseruatio tanta, diligentius tamen à multiloquio caueatur, quoniam, sicut scriptum est, & non minus experientia docet, in multiloquio non deerit peccatum, & qui inconsideratus est ad loquendam sentiet mala. Item, qui multis utitur uerbis lædit animam suam, & Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram uerbis suis, & frenos rectos ori suo, ne forte labatur, et cadat in lingua, et insanabilis sit casus eius ad mortem, custodiens cum Propheta uias suas, ut non delinquat in lingua sua, et silentium, in quo cultus iustitiæ est, diligenter, et cautè studeatis obseruare. Tu autem Frater Brocarde, et quicunque fuerit post te Prior institutus, illud semper habeatis in mente, et seruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: Quicunque uoluerit inter uos maior fieri, erit minister uester et quicunque uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. Vos quoque cæteri Fratres, Priorem uestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit illum super capita uestra, et Ecclesiarum Præpositis ait: Qui uos audit, me audit, et qui uos spernit, me spernit, ut non ueniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini æternæ uitæ mercedem. Hac breuiter scripsimus uobis conuersationis uestræ formulam statuentes, secundum quam uiuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit reddet ei. Vtatur tamen discretione, quę uirtutum est moderatrix. Actum Lugduni 1247. Domini Papæ Innocentij Quarti anno quinto Kalendis Septembris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lugduni Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno Quinto.

10 Sunt qui scripserint, huiusmodi Dominos Cardinalem, & Episcopum, qui nomine Papæ prædictam Regulæ correctionem, declarationem, & mitigationem fecerunt. Statuta etiam quædam, seu Constitutiones Ordini obseruanda dedisse. Hoc tamen sine fundamento vllo assertum ex eo conuincitur, quod licet pręfati Domini Apostolicæ Sedis Commissarij, ac Ministri id fecerint, vt tales, & nomine, & vice Papæ (neque enim Summi Pontifices per seipsos immediatè similia facere solent) & iuxta no- Quorũdam opinio.

strorum

strorum fratrum libitum, vt dictum est, nihilominus de talibus statutis, seu constitutionibus nihil prorsus vnquam in Ordine auditum est, nec de illis in nostris historijs vllum extat, vel memoriæ vestigium, nec necessarium erat leges ab ipsis Ordinem mendicare, qui cum Priore Generali, & Diffinitoribus in Generali Capitulo, à quibus præfati Patres Reginaldus, & Petrus ad Sedem Apostolicam missi sunt, & ad quos præiacti etiam Domini Commissarij suum rescriptum transmiserunt, leges, statuta, & constitutiones, vt omnibus pro comperto est, condere potuerit.

Ann. Christi *1248*. Innocentij *4*. Roman. Pontif. *6*. Friderici Imperat. seu Reg. German. *39*. Balduin. Imp. Orient. *20*. B. Simon. General. 4.

Iunctio Regis Rom.

1 N Regem Romanorum inunctus, & inauguratus est hoc anno apud Aquisgranum Guillelmus Comes Hollandiæ, post mortem Henrici, & depositionem Friderici electus. Quo etiam tempore Innocentius Papa recuperationi bonorum Ecclesiæ, quæ à Friderico sublata erant, intentus, per Cardinalem Legatum omnem ferme flaminiam in suam potestatem redegit. Chronic. Hirsaugiens. Rubeus *lib. 6. histor. Rauennæ*, & alij.

Ordinis progressus.

2 Fæliciores Ordo noster progressus sub hoc anno, quam in præcedentibus, expectare meritò posset, in Oriente quidem propter aduentum Sancti Ludouici Francorum Regis, eo tempore in Cyprum cum copioso exercitu Palæstinam de manibus Barbarorum si Deo placuisset erepturus. In Occidentis autem Regionibus propter Sanctitatem Beati Simonis Generalis, cuius causa Innocentius Papa Regulæ confirmationem, correctionem, ac mitigationem, de qua anno præcedenti diximus, fieri iusserat, vt testatur Ioannes à Leidis *in Chronic. Belgico lib. 21. cap. 4.* inter Annales Belgicæ *tom. 1.* Ad quod accedit, quod cum idem Innocentius in Ordinem nostrum benignus, & liberalis monstraretur, vt constat ex priuilegijs ab ipso concessis, quorum aliqua attulimus, & alia inferius referentur, maior propterea in fidelibus erga ipsum excitari posset deuotionis affectus, maximè, quia cum iam ex vi Regulæ à Papa confirmatæ in Vrbibus, & villis, seu vbi nobis donata essent, Monasteria acceptare possemus; clarior nostrorum notitia apud sæculares, ac proinde vberiora charitatis, & pietatis officia tum nostrorum erga ipsos, tum ipsorum erga nostros, esse debebant. Ab hoc autem tempore cæpisse fratres nostros in Vrbibus, & Villis habitare habet Ioannes de Vineta in tractatu, qui incipit *Cum quidam fratres nostri*, loquens de hac Regulæ correctione sub Innocentio Quarto facta.

B. Simonis Sanctitas.

3 Iuuabat valde pro Ordinis eo tempore huiusmodi dilatatione eiusmodi Beati Simonis Generalis sanctitas, etiam miraculis comprobata, ex

qui-

quibus ea quæ in peruetusto officio ipsius pro Conuentu Burdegalensi, vbi eius corpus requiescit, lectione sexta referuntur, sic damus: *Hanc vitę sanctitatem publicè multis miraculis comprobatam voluit Deus. Plurima enim futura prædixit spiritu prophetico, morbos insanabiles curauit, pisces coctos sibi à germano suo in obsonium oblatos, vt eius inediam tentaret, erectis in Cęlum oculis vitę reddidit, aquam Crucis signo in vinum conuertit, superans Dæmonis astutiam; qui Sacra facienti, vinum in vrceolis paratum callida arte abstulerat.* Meritò proinde magna Ordinis propagatio, quæ sui Generalatus tempore contigit, miraculis, & sanctæ vitæ ipsius tribui potest.

4 Bambergæ in Germania superiori, & Ducatu Franconiæ hoc anno fundatum fuisse Ordinis Cœnobium testatur Segerus Pauli in sua Chronologia Beati Simonis. De quo alia in sequentibus.

Ann. Christi 1249. Innocentij 4. Roman. Pontif. 7. Friderici Imperat. seu Reg German. 39. Balduini Imperat. Orient. 21. B. Simon. General. 5.

1 EO tempore Gulielmus Romanorum Rex electus Romanæ Ecclesię, & Summo Pontifici Innocentiò Quarto iura Ecclesiæ confirmauit. Fridericus autem ex Imperator in Siciliam traijciens Insulanos, & Ecclesiasticos magna crudelitate affligebat. Cuius causa Circumcelliones quidam hæretici insurgentes, contra Papam, Episcopos, Prælatos, Sacerdotes, & Religiosos, multa, ipsaque horrenda impudenter in Germania blaterabant. Bzou. *sub hoc anno.* Gesta hoc tempore.

2 Fundari ceptus hoc anno clarissimus Bruxellensis Conuentus in Belgij partibus insignis. Ita enim habent vetusta manuscripta Monasterij, & testatur Palæonydorus *lib. 3. cap. 6.* Maximè id probat inscriptio hæc, quæ in eodem Cœnobio esse dicitur: *Huius Conuentus fundatio cepit Anno Domini 1249. tempore Innocentij Quarti Papæ sub Generalatu Mag. Simonis Stock miraculis clarescentis. Regnante Duce Brabantiæ Henrico 3.* Cœterum Augustinus Vbichmans in sua Brabantia Mariana *lib. 3. cap. 72.* asserit Conuentuum hunc Bruxellensem Carmelitarum per illius Vrbis Capitulum inchoatum fuisse anno 1292. fundans se in litteris conuentionis inter Capitulum Sanctæ Gudulæ mense Augusto anno præfato, & Carmelitas. Sed fallitur cum diuersas fecerint Carmelitæ conuentiones cum dicto Capitulo, & extent etiam nunc in Archiuijs Cõuentus Originales in pergameno sigillatæ sigillo Archiepiscopi Cameracensis, Decani Sanctæ Gudulæ, Prouincialis Germaniæ inferioris, & Prioris Bruxellensis Carmelitarum anno 1267. Kalendas Martij. In quibus inter alia habentur sequentia: *Recepimus Priorem, et Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli nobiscum in Bruxella commorantes, concedentes quantum in nobis est; et in* Bruxellensis Conuentus.

hoc

hoc consentientes, vt Prior, et Fratres prædicti in domo ipsorum super aream suam sita celebrare, prædicare infra terminos nostros, et confessiones audire possint, &c. Extant, & aliæ Datæ anno 1285. quibus Guillelmus de Bononia Archiepiscopus Cameracensis hortatur omnes Pastores, & Ecclesiarum Rectores, vt Carmelitas Bruxellæ commorantes, & in Oratorio suo diuinum Officium celebrantes, benignè recipiant ad Confessionis, & Prædicationis Officium, &c. Hæc porrò omnia sufficienter comprobant Vbichmani deceptionem circa huius Bruxellensis Cœnobij erectionem. Præterquam quod à litteris conuentionis cum Capitulo non esse desumendam antiquitatem fundationis Monasteriorum, cum ista soleat conuentiones ipsas præcedere, probat exemplum Patrum Minorum. Qui fundare cœperunt Bruxellæ anno 1227. & tamen litteræ conuentionis cum capitulo, datæ sunt anno 1244. Teste I. B. Granrmaye in suis antiquitatibus Ducatus Brabantiæ, ex Petro de Thymo *par. 4. tit. 5. cap. 6.* In hoc ergo Bruxellensi Conuentu celebrata sunt duo Capitula Generalia, primum, anno 1336. sub Generali Petro de Casa, seu Cesis; secundum, anno 1462. sub Generali Ioanne Soreth. In secundo hoc Capitulo statuta Ordinis fuerunt innouata, approbata, publicata, & communiter recepta. Conuentus hic magnus est, & præclarus, valde frequentatus, & in optimo loco, meditullio Ciuitatis, situs. In cuius vtilitatem, & ornatum faciunt plures in locis, cum publicis, tum priuatis, fontes scaturientes in altitudinem non exiguam. Ecclesia est satis ampla, & diuersis picturis elegantibus in diuersis Sacellis ornata. Sacellum S. Scapularis maiori ex parte marmoreo lapide constructum elegerunt in sepulchrum Domini de Kestergatæ, de quibus sequens extat Epitaphium; *D. O. M. et memoriæ Illustrium Æquitum Engelberti, Ioannis, et Ludouici d' Henghien DD. de Kestergate Vicecomitum de Grimberg,* &c. Quorum prior cum Antonio Brabantiæ Duce in pugna d'Asinchourt occubuit, anno 1415. Alter Cyprij Ordinis miles, Philippi, & Caroli Burgundiæ, & Branantiæ Ducum Oeconomus. Postremus patri in dignitate successor omnes familiari hoc Sacello, & tumulo clausi Nepotes posuerunt anno 1632. Maximilianus primus Ecclesiam solemni Equitum aurei velleris inauguratione illustrauit anno 1500. In Choro, ante summum Altare in tumulo eleuato, siue tumba, iacet sepulta Ioanna Ducissa Brabantiæ postquam 51. annis Ducatum possedisset, quæ obijt anno 1406. prima Decembris. In eadem tumba iacet Gulielmus filius Antonij Ducis Brabantiæ, qui obijt anno 1410. decima Iulij. In Ecclesia verò iuxta Sacellum Sanctæ Annæ sepultus est multis titulis Venerabilis Pater Hieronymus Gratianus Sanctæ Matris Theresiæ Confessarius, & spiritualis Pater, de quo plura maximè in sequenti Tomo. Inter viros Illustres huius Conuentus sunt Ioannes Guldenere Doctor Sorbonicus, Gaspar Berus, alijs Barus, Ægydius Faber, Ioannes de Bruin, Petrus Humbecanus, Petrus Lucius, Ioannes Carthinius, Rouerus Pontanus, Iacobus Vvemers Episcopus, & nonnulli alij, de quibus in sequentibus, vbi etiam de varijs hu-

ius Cœnobij ab hæreticis tribulationibus perpessis.

2 Eodem quoque anno Harlemi in Holandiæ Comitatu Ordini Conuentus donatus est ab Illustri Domino Simone de Haerlem Equite, qui postea anno 1280. in eodem Monasterio sepulturam accepit. Palæonydorus *lib. 3. cap. 6.* Ioannes Gerbrandus à Leidis *lib. 23. Chronic. Belgic. cap. 3.* qui habetur inter Annales rerum Belgicarum *tom. 1.* Huius Monasterij magnalia, cum ipso, ipsiusque monumentis perierunt à tempore quo sub Hæreticorum dominio Hollandia venit. Illud tamen veneratione, & memoria dignum ex eo constat, quod scilicet in ipso reseruata fuerit Beatissimæ Virginis Mariæ Imago, vna ex illis, quas Sancta Elisabetha Lantgrauia, filię Sophiæ vxori Henrici boni Ducis Brabantiæ dono dedit. Vt enim testatur Iustus Lypsius in tractatulo de Beata Virgine Hallensi *cap. 3.* & ex ipso Bzouius *tomo 15. Annal. sub anno 1405. num. 12.* Iconas, seu Imagines quatuor Sanctissimæ Virginis à Matre Elisabetha hæc Sophia maternæ pietatis hæres, & assecla suscepit, quas vel ob eius memoriam charas, sanctasque habuit: ex quibus vnam Vilvordiæ in Cætu Virginum Religiosarum, miraculis olim, & nuper claram, cui cognomen *Diuæ Consolatricis* (quam postea tractu temporis ad Monialium nostrarum eo Oppido Cœnobium fausto omine deuenisse, sub anno 1468. dicemus) reposuit. Tres alias Mechtildi sorori Ducis Mariti sui ipsa dedit. Quæ vnam Grauesande Hollandiæ veteri Oppido, alteram Halliæ Hannoniæ Oppido miraculis celeberrimam, alteram Harlemi Carmelitis nostris diuisit. Plaudat ergo Alma Carmelitana Religio, quæ ex quatuor huiusmodi prætiosissimis Gemmis duas habere meruit. Nec prætermittendum, quod etsi ea Sacræ Virginis Imago, quæ in Harlemiensi Cœnobio seruabatur, in perfidorum manus peruenisset, postea tamen, vt fama vulgo fert, perduellium consortium fugiens, Bruxellas miraculosè deuenit, vbi reuerenter dedicata colitur. Huius autem Harlemi Conuentus Viri Illustres ij numerantur, Ioannes Gerbrandus à Leidis, Nicolaus Simonis, Simon Hermannus, Io. Simonis, & Albertus Ioannis, de quibus suis locis dicemus. Conuentus Harlemi.

3 Iprensis quoque Cœnobij in Flandria, hoc anno, vel forsan præcedentibus, fundationem factam esse, ex eo colligimus, quod Antonio Sandero *in sua Flandria illustrata* teste, Carmelitæ Ipris extiterunt ante Franciscanos; qui tamen anno 1250. & 1251. illic erant. Ex relatione tamen eius Prouinciæ habemus habitare primo cepisse Fratres nostros in loco dicto *HollebeKe* milliari ab Ipris dissito, qui locus vulgariter appellatur lingua Patriæ *Hortus inclusorum*, quia videlicet illic nostri Eremitæ *inclusi* morabantur. Ex eo loco translati postea sunt ad alium inter duo mœnia Ciuitatis ante ann. 1265. Verum Conuentu prædicto combusto ab Anglis ann. 1383. postea anno 1395. ad alium transferri necessum fuit. Et post varios euentus bellorum, vt sequenti Tomo notabimus, ad alia loca. Habuit viros fidei Catholicę, & Catholici Regis Hispaniarum strenuos defensores, & doctrina præclaros, vt eo Tomo dicemus. Conuentus Iprensis.

Ann. Christi 1250. Innocentij 4. Roman. Pontif. 8. Friderici Imperat. vel Reg. German. 40. Balduini Imp. Orient. 22. B. Simon. General. 6.

Casus Friderici. 1 Diuina prouidentia hoc anno factum est, vt Fridericus antea Imperator, qui veluti Nouercam, communem Matrem Sanctam Ecclesiam vexauit, à Manfredo filio spurio suffocatus interierit, postquam Hencium alium spurium filium in vincula coniectum, vbi mori coactus est, audiuerat. Crucesignati autem, qui in Ægypto cum Sarracenis dimicabant, quamuis in principio fœliciter pugnassent, deinde tamen omnia in ipsorum ruinâ conuersa sunt: nam Sanctus Ludouicus, & fratres capti, & totus fermè exercitus destructus. Bzouius *sub hoc anno*.

Papæ concessio. 2 Præsenti anno, qui octauus erat Innocentij Quarti pro quinto Kalendas Octobris concessit vniuersis Christi fidelibus, qui Conuentibus Ordinis nostri de bonis sibi à Deo collatis grata contulissent subsidia charitatis, aut cum deuotione eosdem Conuentus in festis Natiuitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, & Corporis Christi, & in omnibus Dominicis quadragesimæ, & ferijs tertijs, quintis, & Sabbatis, ac quinq; festiuitatibus Beatæ Mariæ Virginis, piè, & deuotè visitassent, duos annos, & duas quadragenas de iniunctis eis pænitentijs, toties quoties, singulis videlicet diebus festiuitatum prædictarum, quibus hoc facere meruissent. Speculum Ordinis *fol. 64. pag. 1.*

Alia concessio. 3 Similiter eodem anno, & quinto Kalend. Octobris, prout in eodem etiam Speculo Ordinis fol. 63. pag. 2. scriptum reperimus, sic nostros nostraq. sub B. Petri, & Pontificia protectione suscepit. *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori, et Fratribus Ordinis B. Mariæ d Monte Carmeli salutem, et Apostolicam benedictinem. Religionis uestræ meretur honestas ut nos in visceribus Charitatis amplexantes, petitionibus uestris quantũ cum Deo possumus fauorabiliter annuamus. Eapropter dilecti in Domino filij, uestris postulationibus grato concurrentes assensu, personas uestras, et loca, in quibus estis, diuino mancipati obsequio, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possident, aut in futurum iustis modis, præstante Domino, poterunt adipisci, sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus.* Notat autem Palæonydorus *lib. 3. cap. 8.* stabilisse iterato sub hoc anno Innocentium Carmelitas nostros sub Apostolica protectione contra Prælatorum infestationes. Huius etiam Bullæ meminit Speculum Ordinis *lib. 10. cap. 1.*

Alia. 4 Præterea eodem loco, die, & anno, prout in eodem etiam fol. & pag. 2. Speculi Ordinis reperitur, Carmelitis concessit celebrare tempore Interdicti

dicti, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, ad instar fermè similis concessionis ab eodem Pontifice anno 2. nobis factæ, de qua circa annum 1245.

5 Eodem etiam 1250. anno Drepanitanum nostrum Cænobium ad 9. Kalendas Septembris à Ribaldo, & Palma coniugibus, prout ex publicis tabulis constat, in eorum predijs structum est. Hi, Drepanitanos inter honesti, & pręclarę pietatis in Virginem, Fratribus nostris vocatis ædem donarunt. Cui hi fines. Ab Oriente vinea filiorũ Corradi Albi, à meridie eorundem Ribaldi, Palmæque ager, ab Occasu horti Gilberti Abbatis Viri nobilis, & á Septentrione via Ericina. Actorum curator erat Petrus Verardus. Hęc refert Octauius Iesuita *in Hist. M. S. de Virginis Drepanitanæ in Siciliam aduentu*. Vocata est Ecclesia Annunciationis B. Virginis, & ipsum Virg. Simulacrum; ac nostri Fratres tunc Eccl. S. Mariæ de Partu quam primo incoluerant pro hoc sacro Cænobio reliquerunt. Franciscus Cherascus in *lib. cui titulus* Giardino de Tesori Spirituali *pag.* 268. Ecclesia huius Monasterij pretiosiss. illa Dei Parẽtis Icone præfulget, de qua in præcedenti dictũ. Pręfulget etiam nobilissima gaza Reliquiarũ diuersorum Sanctorũ; insuper pretiosis multis pro tantæ Virginis reuerentia, & cultu Sacristiæ, ornamentis, vasis, lampadibus, & simili supellectili, quæ enarrare vix possumus sine tædio Lectorum, vt propterea illa pretermittere debeamus. Conuentus Drepani.

6 De hoc anno loquens Paulus Langius in Chronic. Citizensi sic habet: *Eodem anno, & tempore S. Cyrillus Montis Carmeli Prior, Doctorq. tum vitæ sanctitate, tum spiritu prophetiæ conspicuus, claruit, qui multa de futuris seculis memoranda conscripsit*. Veruntamen, & si verum sit præfatum Cyrillum vitæ sanctitate, ac prophetiæ spiritu, imo & miraculis corruscasse, iuxta dicta in pręcedentibus, errat tamen in tempore Langius, ab anno enim 1224. Cælitum numero adiunctum esse meliori calculo comprobatum manet. De B. Cyrillo.

7 Propius ad historiam nostram, plura continens scitu digna, sic loquitur in sua *Chronologia Beati Simonis* pro hoc ann. 1250. Segerus Pauli. *Quo item anno aliud per eundem sanctum Virum, sui Ordinis generale Capitulum in Europa celebratum fuisse videtur: ad quod ex Oriente conuenerit quoque Venerabilis Alanus Brito istorum locorum Generalis Prior secundarius rogaturus supportationem toties iterati oneris sui: in cuius locũ S. Simon de assensu omnium istius Capituli substituerit Venerabilem Nicolaum Gallicum Narbonensem. Illum enim hoc pręcise anno Ordinem suum regere cepisse vsque ad ineuntem* 1270. *per annos* 20. *ipsemet fatetur in Opusculo suo*, Ignea Sagitta *intitulato, & expresse confirmant veteres Scriptores, Grossius, Bostius, Trithemius, & alij. Ex quibus viginti annis quindecim attribuendi sunt regimini eius per Orientem, gubernante Sancto Simone, quinque vero residuis annis Ordini præfuit principaliter in Occidente; ab obitu scilicet S. Simonis. Quod confirmari potest ex eo, quia sub anno Christi* 1254. *Deipara Virgo ipsi in Monte Carmelo apparens, illum pręmonuit (Bostio teste in Patronatu Mariano) de aduentu* De B. Simone.

cet singularissimam, & eximiam eius sanctitatem.

11 Pergit Author Vitæ Sancti Alberti in præfato Vaticani Codice, de parentibus eiusdem Sancti Alberti, ipsorumque sterilitate, voto emisso, & voti effectu, late disserere, quæ clarius sic Laurentius Surius *in Vita eiusdem Sancti* pro die septima Augusti ex Ioanne Maria Politiano. *Ea tempestate, qua Serenissimus Rex Petrus Regnum Catalonia, & Sicilia obtinuit, fuit Benedictus quidam nobili stirpe progenitus, dictus Adalbatibas, quæ est præclara apud Siculos familia. Duxit vero vxorem Ioannam, generis nobilitate ipsi non imparem, in Castro Montis Drepani ortam, apud quem Montem est Monasterium Fratrum Ordinis Beatissima Matris Dei, qui Carmelita vocantur. Dicitur autem Drepauense Monasterium. Porro istorum coniugum erat coram Deo uita integra, & mores inculpati. Cumque in Matrimonio pariter annos ferme sex, & uiginti exegißent, nec prolem ullam procreaßent, tandem communicato inter se consilio, beatissima Maria Virgini uotum mente sincera nuncuparunt, si ipsa pro solita humanitate, & benignitate sua eis prolem impetraret masculinam, eam se ipsius Ordini perpetuo consecraturos. Eo uoto facto in ieiunia, preces, eleemosynas incumbunt, vt dicta factis confirment. Nec verè multi præteriere dies, & prapotens Deus annuens votis illorum Ioanna præstitit, vt è suo Marito se sentiret grauidam. Porro Benedictus vir eius vidit in somnis cereum mirifice radiantem è sua coniugis vtero prodeuntem, nec dissimilis visio eius coniugi oblata fuit, mutuoque quid vidißent sibi indicarunt, flexis genibus gratias agentes Deo, & Sanctissima Virgini: Dixitque postea Ioanna: Si ea quæ videre nobis licuit suum habitura sunt effectum, magnus erit profecto hic puer coram Domino. Vbi deinde partus aduenit tempus, filium peperit, cui sacri Baptismatis Fonte abluto, Alberti nomen imposuit, non sine instinctu diuino, cum apud Siculos hactenus vix quisquam ita esset appellatus.*

S. Alberti Parentes.

12 Quemadmodum autem Homeri natale solum certatim multæ Greciæ Vrbes sibi vendicant, teste Tullio *pro Arch.* sic & æquius de Alberti vrbe, in qua natus est, duæ Siciliæ Ciuitates acriter, & pugnaciter contendunt, Drepanum videlicet, & alia sibi vicina, Mons Drepani nuncupata. Quamuis autem pro Drepanensi Ciuitate non pauca, nec leuia subsistere videâtur fundamenta, nec vellem ingratus apparere nonnullis eiusdem Ciuitatis alumnis, qui de hac re mecum loquuti sunt; nihilosecius maiori, & fortiori fundamento niti autumamus eos, qui, non Drepani, sed in Monte Drepani natum esse S. Albertum contendunt. Id ostenditur in libello illo supplici S. Congregationi Rituum oblato, & supra commemorato. Primo quidem, testimonio viginti duorum Scriptorum id asserentium, nec non aliorum viginti duorum implicite idem concludentium. Secundo, ex pluribus alijs notantibus parentes B. Alberti ex d. Ciuitate originem traxisse. Tertio, & maximè, ex Breuitarijs, & lectionibus Ecclesiasticis, etiam à Sede Apostolica approbatis, vbi id asseritur. Quartò, ex testium depositionibus, nedum de auditu à suis maioribus, qui audierant ab illis, quorum sexaginta fuerunt examinati de annis 1613. & 1614. & alijs sexde-

De loco natalibus Sancti Alberti.

sexdecim de anno 1627. quorum aliqui in specie deponunt de domo in qua natus fuit, & quamplura signa habitationis ipsius denotant. Quinto, ex plurium nostrorum Carmelitarum testimonijs, specialiter duorum, *quorum vnus erat Prouincialis Prouinciæ, alter vero Cancellarius Conuentus supradicti Sanctissimæ Annunciatæ Drepani, testantium uidisse, legisse, & transcripsisse quandam Scripturam antiquissimam scriptam à quodam Fratre Carmelita Drepanensi Patre Sebastiano Spinolo anno 1521. & ab eo extracta de uerbo ad uerbum ab alia antiquiori usque à tempore prope mortem Sancti, nempe 1309. in qua scriptura habetur plena relatio quo pacto Reliquiæ Sancti Alberti, quæ nunc in eodem Conuentu Sanctissimæ Annunciatæ Drepani asseruantur, eo translata fuerint à Ciuitate Messanæ, nempe ex industria Patris Magistri Cataldi de Anselmo Prouincialis Carmelitanorum electi anno 1309. & oriundi Ciuitatis Montis supradicti, ad effectum eas transferendi in Ciuitatem Montis, propriam suam, & Sancti patriam*. Alia prætermitto, quia ad Historiam non spectant. Solum adiungens, quod Authores, qui Sanctum Albertum Trapanensem appellant, non incongrue exponi à tuentibus ipsum non Drepani, sed in Monte Drepani natum fuisse; tum quia etiam ipsa Ciuitas Montis Drepani Drepanum cognominari potest; sed maximè, quia ipse S. Albertus non in Monte Drepani, sed in Drepani Monasterio Religionem ingressus est, & ibidem vixit. Eo forsan, quod teste Facello *decad. 2. lib. 8. cap. 3. anno* 1258. ferè demolita est Ciuitas Montis Drepani, vnde parentes Drepanum confugisse videntur, & ita cum filio Alberto Drepanitæ appellari. Alia in sequentibus de hoc clarissimo Sancto suis locis iungenda.

Monasterium Drepani.

13 Memorandum tamen hoc tempore est celebre, & Regale nostrum Drepanitanum sub titulo Sanctissimæ Annuntiatæ Cœnobium, quod hoc anno, qui natalitius fuit Sancti Alberti ipsius incolæ, à nostris habitari ceptum dicatur, prout Rochus Pyrrhus *in notit. Eccles. Mazarens.* loquens de Drepani Vrbe *num.6.* scribit: esto ex quodam Manuscript. antiquo dicat haberi anno 1224. id contigisse. Id certius, locum istum, non sine specialissima Dei Prouidentia, ac Virginis Matris protectione, nostris cessisse; quia proximus est Monti Eryce, vbi cæca gentilitas celeberrimum Fanum habebat Lycastæ, seu Veneri dicatum; ab Ænea, cum Italiam venit, decoratum; à Romanis, Carthaginensibus, & Siculis excultum; etsi postea cursu temporis prostratum. Voluit enim sapientissimus Deus, vt pro falsæ deæ cultu ab ethnicis exhibito, veræ Dei Genitricis sanctum Simulacrum eo in loco à Christianis coleretur: ad quod veluti ad arcis præsidium; Drepanenses, & Siculi nedum, sed, & Itali, Hispani, Galli, Germani, Poloni, & alij accedentes malis cunctis, remedium implorarent, obtinerent, & pro receptis beneficis: gratias Deo, & Virgini Matri donaria pretiosa exhiberent. Quomodo cæterum huius Sanctissimę Imaginis, quæ totius Ordinis nostri pretiosissima Gemma est, Carmelitæ Sacellani, & Custodes esse meruerint, late diximus sub anno 1230. & tractat Pyrrhus supra ex Orlandino, & alijs. Addens, prope diuinum hoc Theotocos signum

gnum magna veneratione, aureis, argenteisque lampadibus, & pretiosissimis ornamentis asseruari; ac cum detegitur (quod raro fit) solemnissimo ritu ostendi. In eadem quoque Ecclesia custodiri de lacte, & capillis eiusdem Dei Parentis, & Imaginem aliam eiusdem *D. Marię de Gratia* nuncupatam, quæ a Sancto Luca depicta dicitur, & populis in magna veneratione est. Accedunt pretiosæ Reliquiæ de ligno S.Crucis; ossibus Sancti Basilij; capite Sancti Viti Martyris; cellula Sancti Alberti, qui in ea Æde commoratus est, & Prioris officium tenuit; capite, costis, mandibula, & brachio nuncupati B. Aloysij Carmelitæ. Hìc interdiu positum est corpus S. Ludouici Regis Francorum: & iure sanè, qui enim Fratribus nostris benignissimus fuit benefactor, meruit proinde vt ab illis hospitio exciperetur, cum ex Syria euehebatur. Illustratum etiam Cœnobium est, non solum Sancti Alberti in ipso præsentia, sed & pręfati Aloysij Rabbata, de quo suo tempore mira dici debent; claris etiam alijs viris, virtute, doctrina, meritis, & muneribus præexcellentibus, quos idem Pirrhus affert, & nos suis locis referemus. Habebat, dum ipse scribit, Cœnobium hoc 130 Cœnobitas.

24 Habetur etiam ex relatione Conuentuum facta iussu Innocentij Papæ Decimi, constare ex multis, & publicis Instrumentis, quod Conuentus Ciuitatis Biuonensis in Sicilia erectus fuerit sub hoc anno, vel circiter, cum consensu Superiorum, et eleemosinis excellentissimorum eius Vrbis Dominorum, et Populi. Habet hæc Ecclesia sicut innumeræ aliæ nostri Ordinis eo Regno titulum Sanctissimæ Annunciatæ: Conuentus Biuonensis.

Ann. Christi 1251. Innocentij 4. Roman. Pontif. 9. Imper. vacat. Balduini Imperat. Orient. 23. B. Simon. General. 7.

1 POst Friderici mortem Conradus legitimus, & Manfredus spurius de Regno Siciliæ, Neapolitano, & Italiæ dominio decertare cœperunt, Conradus, quod eum Fridericus pater ante depositionem in Regem Romanorum coöptasset, se Augustum, & Siciliæ Regem pariter nominabat. Manfredus autem Principatu Tarentino à patre donatus etiam Siciliæ Regnum dissimulanter appetebat. Summus Pontifex verò Innocentius interim cum Siculis, tum Neapolitanis scripserat ne cuiquam alteri, quam Sedi Apostolicæ, cuius ea Regna hæreditaria essent, obedirent, neue alterius, quam eius quem Romanus Pontifex designasset dominium agnoscerent. Blondus, Platina, Bzouius. Gesta hoc tempore

2 Noua bella, & contradictiones sub hoc tempore contra nostros Religiosos, in eis locis, ad quæ inhabitanda de nouo aduenerant, Diabolo instigante, suboriri cernebantur; non iam vt prius ab Episcopis, seù Ecclesiarũ Superioribus Prælatis (hi enim à molestijs, quas illi primitus infligebant Curatorum contradictio

bant

bant cessasse videbantur) sed à Rectoribus, & Curatis Parrochialium Ecclesiarum. Quidam enim ipsorum non permittebát, quod in ipsorum Parrochijs fratres ædificarent Ecclesias, aut haberent campanas, aut Cæmeterium pro sepeliendis mortuis; alij vero, etsi prædicta non prohiberent, quia ea impedire non poterant, ab eis tamen, & eorum Monasterijs seruitutes graues, & importabiles, quales nunquam fratres in Montis Carmeli, aut alijs Terræ Sanctæ Monasterijs, exhibere consueuerant, exigebant! Recurrẽtes ergo ad Episcopos, & Dioceſanos, vt à prædictis grauaminibus Curatos, & Rectores compescerent, parum, aut nihil remedij, seu consolationis reportabant. Ipsorum namque partes Diocæsani fouentes, non nisi sophismata respondebant. Saniori igitur consilio accepto, ad Deiparam Sanctissimam Ordinis Patronam, ac Protectricem, precibus confugientes, vt eos, in Regionibus illis, ad quas peruenire fecerat, à præmissis Diaboli tentationibus eriperet, precabãtur. Quæ pietatis viscera in filios, & clientes demonstrans, B. Simoni Generali ipsi deuotiss. reuelauit, vt ad Summum Pontificem fratres mitteret, qui ab eo salubre remedium contra illata grauamina reportarent. Pro vt sequenti anno accidisse commemorabimus. Casum habemus paucis mutatis, & correctis ex Speculo Ordinis *lib. 9. c. 7.*

Cantabrigiẽ. Conuentus. 3 Cantabrigiense interea Cænobium in Anglia, ex quo velut equo Troiano strenuissimi nostrorũ prodierunt, sub hoc anno habuit exordiũ, iuxta Speculum Ordinis *fol. 60. pag. 1.* Fundatores ibi vocantur Domini Reges Eduardus Primus, & Eduardus secundus, vna cum Dominis Glbydone de mortuo mari, & DerKino Vicario de Italdene. In Tabula autem illa Chronographica Angliæ, fundatio huius Cœnobij non refertur, nisi anno 1285. & facta dicitur ab Eduardo primo Rege, & Dom. Guidone Mortimor. Vbi etiam attitulatum fuisse Beatiss. Virg. Mariæ describitur. Rem tamen ad concordiam redigentes, dicimus hoc anno 1251. primo ceptum esse hoc Monasterium, forte à Derkino illo Vicario de Italdene; siquidem constat, Cantabrigiæ hoc anno fuisse Beatum Simonem Generalem, cum suo socio Petro Suuanyngtone, ac ibi meruisse celebri illa Beatissimę Virginis reuelatione, & Scapularis Sacri indutione decorari, de qua postea. Non potuit autem eo anno à prædictis Regibus fundari, cum tunc Henricus Tertius regnaret, non Eduardus primus, aut secundus. Quos tamen credendum Fundatores prædicti Cœnobij nuncupari, quia prius hoc anno extructum, postea subsidijs, & stipe magnificentia Regia dignis auxerint. Anno videlicet 1285. quo Rex Eduardus primus Regni clauũ tenebat, ipse Eduardus: & postea annis sequentibus dum Eduardus secundus regnaret, ipse secundus Eduardus. Claruerunt in hoc Cœnobio, & clarissima Vniuersitate, plures, de quibus in sequentibus, Speciatim Thomas Illensis Cathedraticus adeo celebris, vt *Chrysolitus* appellari meruerit, Ricardus Belgranius, & plerique alij alibi censendi.

Conuentus Maurensis. 4 Circa hoc tempus (vt docti aliqui autumant) Maurensis Cœnobij

Maurę

Mauræ in Lusitaniæ inclyto Regno prima fundamenta iacta sunt, authoribus Equitibus Sancti Ioannis Hierosolymitani, quibus Oppidum istum, postquam vltimo expugnatum fuit tempore Alphonsi Tertij Regis, traditum est. Cum enim prædicti Equites, ex partibus Orientis, & Palęstinæ, vbi Religio nostra opinione sanctitatis florebat, Lusitaniam aduenissent, aliquos ex illis (Hispanos forsan) secum detulerunt, pro Sacramentis sibi administrandis, quibus Conuentus fundandi locum, & fundum donarent. Sic opinatur Emanuel de Faria Seuerinus d ligens historicus; Canonicus, & Cantor Ecclesiæ Eborensis in relatione ad Ludouicum Mertolensem pium, & valde doctum, eius Prouinciæ alumnum, missa, cui cum ipso subscribimus. Etsi enim communis in Hispania nostri Ordinis traditio ferat hunc Maurensem Conuentum (sicut Requenensem, & Gibraleonensem, ab Infantibus de la Cerda primò erectum fuisse, vt sub anno 1290. dicemus, id tamen, vel certum non est, vel eatenus dumtaxat accipiendum, quatenus ipsorum ope, pijs eleemosynis, & subsidijs incrementum aliquod acceperit, sicut de Cantabrigiensi Cœnobio in Anglia idem supra diximus. Vtcumque res fuerit Monasterium hoc Maurense inter illustria Lusitaniæ Cœnobia iure nomen habet. Colitur in eo veneratione speciali Deipara sanctissima, qnod eius sacra Imago cœlesti visione demonstrata in loco ipso, quo fundatus est Conuentus reperta tradatur simul cum campana, quæ cum Vlysipponem ferretur, miraculose factum dicitur, vt loco dimoueri non posset. In Ecclesia porro, quæ nobilissimarum vtriusque sexus personarum sepulchrum est, hæ asseruantur quoquę sanctæ Reliquiæ. Ligni Sanctæ Crucis, Xysti Papæ, & martyris, Pauli martyris, Blasij Episcopi, & martyris, Maximini Episcopi, & martyris, Titi martyris, Pancratij martyris, Martij martyris, Lini Papæ, & martyris, Laurentij martyris, Processi martyris, Crispini martyris, Exuperij martyris, Donati martyris, Marij martyris, Agathæ virginis, & martyris, Flauiæ virginis, & martyris, & Balbinæ virg. etiam & martyris. Illustri etiam priuilegio à Ioanne primo Portugalliæ Rege concesso decoratur hoc Cœnobium. Litteris enim datis sub Regia protectione illud, fratres, familiares, & bona ipsius suscepit, ijs de causis, quod plura beneficia à Sanctissima Dei Genitrice recepisset (vt propterea defensionis auxilium tribuere deberet ipsius seruis) & quod nullum aliud eiusdem Virginis Monasterium inter Mendicantes Fratres in Lusitaniæ dominio esset. A Regibus quoque Ioãne 3. & Sebastiano pia alia charitatis subsidia per priuilegia concessa obtinet. Claruerunt in eo illustres viri plures, & inter ipsos Reuerendissimus Dascus Arruelus Episcopus Ægytanensis, Alphonsus Abelhus insignis Cõcionator, Reuerendissimus Dominus Christophorus Monis Episcopus Reonensis suffraganeus Serenissimi Cardinalis Alphonsi Archiepiscopi Vlyssiponensis filij Regis Emmanuelis; Illustrissimus Balthasar Lympus Episcopus Portuensis, & Archiepisc. Bracharensis; & frater Bartholomæus Bacius sanctę opinionis Religiosus, de quibus cum alijs suis locis dicetur.

Tt Cele-

5 Celebrior tamen hic annus Ordini semper erit, & veluti annus Iubilæi, & Indulgentiæ, ob eximium, & singulare priuilegium à Deipara Virgine eidem, & ipsius nomine Generali B. Simoni concessum, de Scapulari Ordinis cum priuilegijs cum ipso morientium, de quibus larga manu non solum Historici nostri, sed & exteri scripserunt. Quia tamen facti enunciatio melius ex propinquioribus testibus, quam ex remotioribus desumi solet, quid rei tunc acciderit, Petrus Suuanyngton, eiusdem Beati Simonis Comes, Confessarius, & à Legationibus, in historia de vita, & gestis eiusdem, sic apud Ioannem Cheron Burdegalensem in *vindicijs priuilegiati Scapularis pag.* 165. enarrat. *F. Simon grandæua senectute grauatus, & rigorosa pænitentia fractus omnium fratrum dolores in corde suo sustinendo, assidue pernoctabat in oratione vsque ad auroram; dum autem sic oraret, venit ei consolatio de Cælo, quam nobis insimul congregatis narrabat sic. Fratres charissimi: Benedictus Deus, qui non dereliquit sperantes in se, & non spreuit preces seruorum suorum: Benedicta in idipsum Sanctissima Mater Domini nostri Iesu Christi, quæ memor dierum antiquorum, & tribulationum, quæ multos vestrũ inuenerunt nimis, non attendentes, quod omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutiones patientur: mittit vobis verbum, quod suscipietis cum gaudio Spiritus Sancti: ipse me regat, vt manifestem illud, vt vt oportet me loqui. Cum effunderem animam meam in conspectu Domini, quamuis sim puluis, & cinis, & in omni fiducia Dominam meam Virginem Mariam deprecarer, quod sicut volebat nos appellari Fratres suos, monstraret se Matrem, eripiendo nos de casu tentationum, & aliquo signo gratiæ nos recomendando erga ipsos, qui nos persequebantur, dicendo illi cum suspirijs: Flos Carmeli, vitis florigera, splendor Cæli, Virgo puerpera, singularis, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia, Stella maris. Apparuit mihi cum grandi comitatu, & ponendo habitum Ordinis dixit: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in hoc moriens, æternum non patietur incendium. Et quia sua gloriosa præsentia me lætificabat vltra captum, nec ego miser, maiestatem eius sustinere poteram, disparendo dixit, quod mitterem ad D. Innocentium Benedicti filij sui Vicariũ, qui de grauaminibus remedium præstaret. Fratres; conseruando verbum istud in cordibus vestris, satagite electionem vestram certam facere per bona opera, & nunquam deficere, vigilate in gratiarum actione pro tanta misericordia, orantes sine intermissione, vt sermo mihi factus clarificetur ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Iesu Christi, Spiritus Sancti, & Virginis Mariæ semper benedictæ. Idem verbum mittebat ad fratres, qui erant in alijs locis valde tristes per consolatoriam, quam ego immeritus, homine Dei dictante, scribebam, vt similiter gratias agerent orando, & perseuerando, Cantabrigiæ in crastinum diuisionis Apostolorum* 1251. Notet lector, quod hęc Data refertur ad Epistolam, quam Suuanyngtonius, veluti Secretarius B. Simonis, ad fratres scribebat huius reuelationis notitiam præbentem.

Aliorum testimonia.

6 Eadem mutuati sunt ex Suuanyngtone, & primo veluti fonte, vtpote eidem Beato Simoni Synchrono, & coæuo, auricularique teste, posterio-

steriores Patres, ac historici Ordinis. E quibus Guillelmus Conuentre Anglus quoq; in suo *scuto Carmelitarum*, quod circa annum 1348. compegit, ista, quę sibi etiam accepit circa annum 1412 Reuerendissimus Ioannes Grossus Magister Generalis Ordinis, antiquitate, & grauitate clarus in Tractatulo de Sanctis Ordinis fol.103. loquens de B.Simone. *Nonus fuit S. Simon de Anglia Generalis Ordinis sextus, qui Dei gloriosissimam Genitricem iugiter deprecabatur, vt Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudent ipsius Virginis titulo, aliquo communiret priuilegio, dicens voce deuotissima: Flos Carmeli, Vitis florigera; Splendor Cæli, Virgo puerpera, singularis, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis Da priuilegia, Stella Maris. Cui Beatissima Virgo cum multitudine Angelorum apparuit, Scapulare Ordinis in benedictis manibus suis tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, quod in hoc moriens æternum non patietur incendium.* Id est, in hoc moriens, saluabitur: prout ipse Grossus addit.

7 Subsequitur Balduinus Leertius Atrebatensis Carmelita, qui migrauit ab hac luce anno Domini 1483. existens sui Conuentus Subprior. Hic enim in Collectar. Exemplorum, & miraculorum B. Virginis cap.4. sic effatur: *S. Simon cognomento Stock sic dictus à loco in Anglia, vbi traxit originem, & sextus Generalis Ordinis, vir magnæ abstinentiæ, & deuotionis, specialiter ad B. Virginem Mariam, multis in vita clarens miraculis, sæpius Virginem gloriosam Dei Genitricem Ordinis Carmelitarum Patronam singularem deprecabatur humiliter, & attentius, vt suo titulo insignitos pariter communiret priuilegio, dicens quotidie corde deuotissimo in orationibus suis:* Ex Leertio.

Flos Carmeli,
Vitis florigera,
Splendor Coeli,
Virgo puerpera
Singularis,
Mater Mitis,
Sed viri nescia,
Carmelitis
Da priuilegia,
Stella maris.

Quodam ergo tempore, dum hanc orationem deuote oraret, Virgo gloriosa Mater Dei cum multitudine Angelorum ei apparuit, Scapulare in manu tenens, & dicens: Hoc erit tibi signum, & cunctis Carmelitis priuilegium, in hoc habitu moriens saluabitur &c. Ei Scapulare tradidit, vnde extant versus:

Si Ordinis in signo moritur quis iure benigno,
Soluitur à pœnis; duciturque locis amęnis.
Hoc impetrauit Simon à Virgine chara,
Postea migrauit scandens ad gaudia clara.

Ex Gerardo Edam.

8 Circa idem tempus florebat Gerardus ab Edam, ex quo, quia nobilis poeta fuit, quatuor hi singulariter versus feruntur apud Irenęum à S. Iacobo pag. 23.

Post, Innocenti Papæ sub tempore quarti
Sanctus vir Simon Stock Ordinis, & Generalis
Virginis intactę suasu, monituque Mariæ
Anglorum grata Scapulare recepit in ora.

Aliorum testimonia.

9 In posterioribus autem, suorum prædecessorum vestigia sunt secuti, Thomas Bradlæus *in lib. de fundationis Ordinis c. 2.* Ioannes Currifex *in Catalogo Scriptorum, & SS. Ordinis,* Petrus Brunius *in Oratione ad PP. Capituli, Prouinc. Francię,* excusa Alosti. Et Nicolaus Simonis Harlemensis, dum de Beato Simone agit. Sed præ cęteris rem totam, & alia historiam Ordinis concernentia, sic narrat Arnoldus Bostius in Speculo historiarum *lib. 7. cap. 20.* quibus etiam conformia dixerat *lib. 4 cap. 17. & 18. Postquam autem conscripsimus, qualiter Sacer Ordo noster tempore regiminis B. Patris Simonis, Stock Prioris Generalis in priuilegijs Summorum Pontificum succreuerit, nunc vlterius, quantum idem venerabilis vir in vita sanctitate, Deo adiuuante, profecerit, ad memoriam reuocemus. Is namque Beatus Simon Sextus Prior Generalis nostri Ordinis, Christo Domino, Matrique eius seruire arctius intendens, non in multitudine diuitiarum, sed gratiarum, non in ornatu vestium, sed virtutum, quanto fuit celebrior titulus sui Ordinis, tanto gloriosius existimauit se debere ad cumulum laudis suę, alios in Christi ministerio superare sanctitate, quos tituli gloria transcendebat. Qui gloriosam B. Virginem Mariam Ordinis fratrũ Carmelitarum singularem patronam deprecabatur sedulo, vt fratrum Carmelitarum Ordinem suo titulo insignitum, aliquo singulari communiret priuilegio, & cum frequenter pro hoc orasset, postea feruenter subiunxit: Flos Carmeli, vitis florigera, Splendor Cæli, virgo puerpera, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia. Quodam ergo tempore dum hanc Orationem corde deuotissimo diceret, subito Beatissima Dei Genitrix cum multitudine Angelorum eidem B. viro apparuit, ac Scapulare quoddam decenter insutũ brunei coloris suis tenens manibus dixit: Hoc erit tibi, & omnibus fratribus Carmelitis, qui nunc supersunt, vel futuro tempore in Orbe erunt, singulare priuilegium; in hoc enim quis moriens saluabitur, æternumque nequaquam videbit supplicium; id est, in hoc quod illa vestis significat, moriens, saluabitur. De cuius significatione dictum est supra. Beatus ergo Simon dictum Scapulare cum gratiarum actione à Domina nostra suscipiens, deuote induit: illo enim Scapulari tam ipse quàm omnes alij Carmelitę vsque in hodiernum diem nocte, dieque, pro habitu suę professionis vtuntur.* Notet lector verba illa *In hoc, quod illa vestis significat, moriens, saluabitur.* Quibus congrue satis exponitur durities illorum *In hoc quis moriens saluabitur, ęternumque nequaquam videbit supplicium,* vt in sequentibus dicemus.

Simi-

10 Similiter Ioannes Palęonydorus Ordinis Historicus grauis *lib.* 3. *cap.*7. rem sic describens. *Postquam autem Sacer Marianus, & Eliæ noster Ordo priuilegijs Summorum Pontificum (vt pręmissimus) fuit solidatus,* Beatus *Simon Prior Generalis eo magis Christo, & Matri eius intentius seruiens, & fratres ad seruiendum inducens, quanto Ordinis titulo celebriores, & Apostolicę Sedis acceptiores erant. Vnde non multitudini diuitiarum, sed gratiarum, non ornamento vestimentorum, sed virtutum incumbens, sedulo Mariam deprecabatur, quatenus Ordinem eius titulo insignitam, aliquo singulari priuilegio munitum ad sui laudem, & multorum ædificationem fidelium decoraret, frequenter sic orando. Flos Carmeli, vitis florigera, splendor Cœli, Virgo puerpera singularis, Mater mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia, Stella maris. Nec defuit feruido suo zelatori superliberalis Virgo Dei Mater, sed Angelicis comitata caternis, lumine amicta eidem apparuit dicens: Dilectissime meus, recipe hoc tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo moriens, ęternum non patietur incendium. Ecce signum salutis, salus in periculis, fędus pacis, & pacti sempiterni.* Palæonyd. testimoniū.

11 Hos Authores communiter alij Ordinis Historiographi referunt, specialiter Petr. Lucius *in Compend. Histor. cap.* 12. Didacus Coria *in Chronic. Carmelitarum lib.* 10. *cap.* 12. Petrus Sarracenus *in Menologio Carmelitarum in vita Beati Simonis Stock*, Leo à Sancto Ioanne *in Typo, seu pictura vestis Religiosæ sect.* 9. & alij, qui contra nouum quendam huius Reuelationis refragatorem scribunt, videlicet Ioannes Cheron Burdegalensis, Thomas Aquinas Aquitanus, Philibertus Fezaius Prouincialis, & Irineus à S. Iacobo Rhedonensis. Item illi, qui vitam eiusdem B. Simonis descripserunt, de quibus infra. Cum innumeris alijs, quos relati auctores referunt. Alij Authores.

12 Nec desiderantur in hoc exterorum testimonia; plures enim ex illis suffragatores adsunt, hanc visionem recipientes. Hi sunt Emmanuel Rodriguez *tom.* 2. *quęst. Regular. quęst.* 97. *art.* 7. Siluester Marulus *in Oceano Relig lib.* 4. Martinus del Rio *lib.* 4. *disquisit. Magic. cap.* 1. *quęst.* 2. *sect.* 2. dum Sanctorum virorum reuelationes refert, inter quos nostrum Simonem censet, absdubie propter eam, de qua loquimur, visionem, Ioannes Carthagena *tom.* 4. *homil. lib.* 12. *homil.* 1. & 2. Antonius Sanderus *in histor. Gandaui lib.* 5. *cap.* 7. Aubertus Miræus author insignis in opere *de Orig. et increm. Ord. Carmelitar. cap.* 6. Laurentius BeierlincK non minus celebris Scriptor *in Theatr. Vit. human. lib.* 17. Cornelius à Lapide *in Cantic. Cantic.* ad versum illum *Caput tuum vt Carmelus*, Georgius Coluenerius *in Kalendar.* Beatissimæ *Virginis*, Simon Martinus Ordin. Minimorum *in Legendar. Sanctorum ad* 16. *Maij*. Et præ cunctis celebris author Pater Theophylus Raynaudus Iesuita, qui integro opere, cui titulus est *Scapulare Partheno Carmeliticum* Parisijs nuper 1654. edito, enucleate, & luculenter, eam corroborans. Exterorum.

13 Eadem etiam visio refertur in vita eiusdem Beati Simonis, quam Benedictus Gonon. Cælestinus Monachus inter vitas Patrum Occidentis Alia testimonia.

lib.4.

lib. 4. reposuit ex Codice manuscripto Reuerendissimi Domini Roberti Bertheloth Lugdunensis Episcopi suffraganei, & Damasceni Episcopi. Item in eadem eiusdem Beati Simonis vita reseruata in Codice Bibliothecæ Vaticanæ *num.* 3813. Præterea habetur in Officio eiusdem Sancti, quod Burdegaliæ est in vsu à 200. annis, ab anno scilicet 1435. quando scriptum est volumen vbi extat. Et, quod maius, approbata extat hæc reuelatio, ex parte saltem, à Sacra Congregatione Rituum iam bis in Officio cómemorationis solemnis Beatæ Mariæ Virginis sub Paulo Quinto ann. 1609. & sub fœlicis recordationis Vrbano Octauo anno 1628. dum ibidem dicitur, Beatissimam Virginem nomenclaturam tribuisse, & tutelam Religioni nostræ, *& insigne sacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglico præbuit, vt cælesti hac veste Ordo dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur.* Colludit præterea hæc visio cum simili fere alia B. Franco ostensa, de qua circa ann. 1279. dicemus, in qua Beatiss. Deipara Virgo eidem apparens Ordinis habitum manu tenens eo quam primum indui præcepit.

Visionis roboratio:

13 Hanc porro cælicam visionem ex earum numero esse, quibus iure fides pręstanda sit (si tamen verbis quibus facta dicitur moderatio aliqua, de qua infra, adhibeatur) præter adducta id etiam confirmat, quod in ipsa veræ reuelationis, seu visionis signa à Theologis notata apprimè colluceant. Quamuis autem illa variè, & diuersimode à diuersis numerentur (de quo S. Vincent. Ferrer. *tract. de vita Spirit. c.* 11. *&* 12. Gerson. *tract. de probat. Spiritum*, Turrecremata *in præfat. Defensor. Reuelationis B. Brigittæ*, & alij apud Delrium *lib.* 4. *c.* 1. *q.* 3.) nos tamen ad tria compendio reducimus. Primum, si Sanctorum, & Doctorum iudicio comprobetur: secundum, si sanctitati illius, cui facta creditur, innitatur: ac demum tertium, si conformem Sacræ, & veræ fidei doctrinam contineat. Ex quibus primum aptè huic visioni congruere refragabitur nemo; cum illa ne dum à toto Carmelico cætu, in quo Dei gratia innumeri fere sanctitate, & doctrina pollentes floruerunt, sed ab exteris multis, quorum aliquos supra prætulimus, plausibiliter recepta, & comprobata extiterit. Accedunt summæ auctoritatis testimonia, Ioannis 22. Alexand. 5. Clement. 7. & Gregor. 13. qui in suis Diplomatibus Confraternitatem B. Marię sub vexillo Sacri Scapularis confirmantes, virtute etiam visionem, de qua scribimus, ex qua illud traxit originem, approbare videntur. Horum porrò Pontificū verba suis temporibus expendemus. Accedit etiam, & Paulus Quintus, qui anno 1606. Indulgentias Confraternitati nostri Ordinis concedens, plenariam tribuit ingredientibus illam, & habitum recipientibus, quo ipse habitus, ipsius receptio, & reuelatio, vnde primum habuit maioris deuotionis exordium, comprobari videntur. Secundum autem nullam pati difficultatem potest, cum B. Simonis Sanctitas Ecclesiæ calculo, miraculis testantibus, & Historijs referentibus, vt ex dictis, & dicendis liquidum erit, cunctis innotescat.

Verba ipsius enucleata.

14 Circa tertium vero scrupulum ingerunt verba illa Reuelationis; *In qua*

inquo, (Scapulari) *moriens æternum non patietur incendium:* seu, *in hoc moriēs ſa luabitur*, & illa: *Ecce ſignum ſalutis* &c. quæ nudè accepta, ne dum falſa, ſed fidei Catholicæ aduerſa conſpiciuntur; cum certo certius liqueat plura ad ſalutem animæ, & ignem æternum fugiendum, præter Scapularis Carmelitici induitionem, neceſſariò eſſe requiſita. Sed multipliciter exponi poſſunt, vt ſenſum Catholicum contineant. Primò, dicendo, quod quemadmodum iuxta Sacræ Scripturæ phraſim, promittitur vita æterna, vel ſalus, propter aliqua, quæ licet ad illam conducant, ſola tamen non ſufficiunt, niſi cum alijs, vt patet ex illo Ioannis 6. de Euchariſtia: *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Et poſtea: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, &c. habet vitam æternam.* Et de fide Ioann. 3. *Omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et ad Roman. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis ſaluus eris.* Et rurſus ibidem: *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Et de fide, & baptiſmo Marc. vlt. *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit* (plura alia prætermittimus) ſic in præſenti à Beata Virgine ſalus æterna, & liberatio ab igne æterno promittitur ſacrum ſui Ordinis Scapulare geſtantibus; quia etſi plura alia ad id neceſſaria ſint, ex promiſſione tamen Beatæ Virginis habitum portare, & pia alia opera exercere, quæ Confratres exercent, medium valde vtile eſt ad eum finem aſſequendum. De quo aptè Cardinalis Bellarminus *tom. 3. lib. 2. de Pœnit. cap. 7. obiect. 5.* disertè affirmans, Scripturam diuinam pluribus ſæpius rebus vim ſaluandi tribuere non quod illæ ſolæ ad eum finem perducant, ſed quod ipſæ cum alijs neceſſarijs id efficiant. Sic ergo in propoſito aſſerimus.

15 Dicimus ſecundò; ideo in prædicta viſione ſalutem animæ, & liberari ab inferorum pœnis tribui ſacri Scapularis induitioni, quod illum piè geſtantes, quantum eſt ex parte Beatæ Virginis, ipſiuſque pro ipſis interceſſione, niſi per ipſos ſteterit, ſalutem conſequentur æternam. Sic etenim, & in eodem ſenſu de Deo dicitur 1. ad Timot. 2. *Vult omnes ſaluos fieri.* & 2. Petri 3. *Vult omnes ad pænitentiam reuerti*, ſcilicet quantum eſt ex parte ſua, & auxiliorum, quę ſingulis pro opportunitate diſtribuit. Plures autem ab æterna damnatione, qua ſecundum præſentem iuſtitiam digni erant, Beatiſſimæ Virginis precibus, & interuentu liberatos fuiſſe, adeo certum in hiſtorijs, vt noſtra non egeat probatione. Alia expoſitio.

16 Adiungimus præcipuè tertio, hic *æternum ignem*, Purgatorij pœnas, ſeu ignem denotare, quæ æternæ dicuntur, quia etſi temporalia ſint, diuturna tamen valde ſunt; quantum eſt ex parte Dei iuſtitiæ, niſi ſuffragijs, & Indulgentijs redimantur. Porro *æternum* ſæpius appellari ſolitum id, quod valde diuturnum, ex Sacræ paginæ vulgariſſima phraſi compertum eſt. Etenim Geneſ. 17. Circunciſio dicitur *fœdus æternum*, vel *ſempiternum*, quia ſcilicet per multum tempus, nempe vſque ad Chriſtum duratura. Similiter Geneſ. 13. & 17. dicitur Deum Hebræis daturum terram promiſſionis Alia.

ſionis

sionis *in sempiternum*, vel esse *promissionem æternam*; cum tamen non nisi per tempus concessa fuerit. Item *Exod.* 12. celebratio Agni Paschalis vocatur *cultus sempiternus*, &c. & *cap.* 28. ritus sacerdotalis appellatur *legitimum sempiternum*: & tamen hæc omnia temporalia fuerunt. Hinc Angelicus Doctor *prima par. quæst.* 10. *art.* 2. *ad* 2 explicans illud *Dominus regnabit in æternum, & vltra*, expressè fatetur ibi *Æternum* sumi pro sæculo. Quod etiam habet Suarez *lib.* 9. *de legibus cap.* 10. *num.* 19. & pro eo videri possunt Abulensis *quæst.* 18. *in* 12. *cap. Exodi*; Pereira *ibidem*, & latius *Genesis* 13. & 17. Si ergo secundum Sacræ Scripturæ vsitatissimam phrasim *æternum*, seu *sempiternum*, non sumitur pro eo, quod fine caret, sed pro illo, quod per multum, & indeterminatum tempus durat, rectè accomodari potest igni Purgatorij, & ita vocabitur *æternus*, quia per multum, & longissimum tempus duraturus est, nisi Dei misericordia, Ecclesiæ suffragijs, & indulgentijs remittatur. Ac proinde in in reuelatione adducta idem erit *non patietur ignem æternum*, ac non patietur ignem Purgatorij per multum tempus. Quo sensu accepta reuelatio coincidit cum priuilegio à Summis Pontificibus, & Ecclesia sæpius comprobato, quod scilicet Beatissima Virgo Maria animas Fratrum, & Confratrum post eorum obitum, si in gratia decesserint, suis precibus sit adiutura. De quo in sequentibus.

Alia expositio.

17 Amplius quarto, nec longe ab ijs, quæ dicta sunt. Cum Beatissima Virgo Scapulare tribuens ait: *In hoc quis moriens saluabitur*, &c. intelligi debet de eo, quod Scapulare significat. Sic enim disertè dixit Bostius relatus, referens se ad ea, quæ in antecedentibus scripserat; videlicet *lib.* 4. *cap.* 17. & 18. In eo enim cap. 17. sequens Ribotum *lib.* 7 *cap.* 4. inquit, superhumerale Monachi, seu Scapulare, quod superhumerali successit, prout scribit *cap.* 18. denotare *Monachum semper habere iugum obedientiæ supra se, & Superiori suo Regulari subiacere*. Hoc est obedire Deo, & suis Superioribus. Qui autem Deo, & Superioribus suis obedientiam præstat, absque dubio saluabitur, quia adimplet omnia præcepta, in quorum obseruantia salus nostra consistit. Coincidit cum hac expositione ea quam late prosequitur Irenæus à sancto Iacobo *lib. relato pag.* 72. & *seqq.* vt scilicet, verba illa intelligantur de gestantibus Scapulare non quidem solum *physicè* vt pannus quidam est, sed *moraliter*, & *rite*, præstando debitum obsequium Deo, B. Virgini, & suæ Religioni. Quæ expositio congrua satis, & nullo scrupulo exposita est. Et, quod magis est, eo duntaxat sensu intellecta videtur ab eodem Beato Simone; siquidem post eam fratribus relatam, quemadmodum Petrus Suuanyngton supra citatus scribit, subiunxit: *Fratres, conseruando verbum istud in cordibus vestris satagite electionem vestram certam facere per opera bona, & nunquam deficere.* En obedientiæ executionem per *Scapulare* denotatam; & cui obedientiæ salus promittitur æterna.

Defenditur.

18 Esse autem prędictam B. Simoni factam reuelationē, catholicè expositam, iuxta prædicta, in Ecclesia admittendam; nec reprobandam, eo quod

quod in ipsa nudè, & mere litteraliter accepta, præfata ambigua verba cõspiciantur; ex eo suadetur, quod cum in alijs visionibus, seu reuelationibus, Sanctissimis viris, & fęminis Ecclesiæ factis, plura reperiãtur dura, subobscura, & ambigua, nihilominus tolerantur, & aliquando ab Ecclesia approbantur, eo quod pie, & probabiliter exponi, declarari, & ad Cahtolicum sensum reduci possunt, & hoc propter reuerentiam debitam Sanctis, quibus factæ fuerunt tales reuelationes, seu visiones; & quia, vt in plurimũ fideles ex ipsis ad pietatem sectandam accendantur, & excitantur. Quæ rationes, seu congruentiæ, in reuelatione, de qua in pręsenti loquimur, aptè reperiuntur: cùm B. Simon, cui facta fuit, sanctissimæ vitæ homo fuerit, diuinis illustrationibus, & gratijs à Deo illuminatus, vt Auctores vitæ ipsius scribunt; & quam plurimi fideles per vniuersum Christianum orbẽ prædicta reuelatione, & alijs gratijs Ordinis allecti Scapulare induũt; Confraternitatem ingrediuntur, Castitatem seruant, Officium B. Virginis recitant, à carnibus diebus dictis abstinent, & alia pietatis opera exercent; qualia sunt frequentiores Confessiones, & Communiones pro gratijs, & Indulgentijs dictæ Confraternitatis consequendis. Confirmat intentum alia fere similis reuelatio, seu visio eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ Sanctissimæ Patriarchæ Prædicatorum Dominico facta, quam affert Bzouius *tom. 13. Annal. sub anno 1213. num. 11.* vbi loquens Beatissima Virgo de Rosario dicit. *Hoc erit vnicum ad euertendas hæreses, vitia extinguenda, virtutes promouendas, misericordiam diuinam implorandam, suffragiaque mea impetranda, magnum, & singulare in Ecclesia instrumentum.* Quæ omnia verificari non possunt de sacro Rosario, nisi quatenus ex promissione Beatissimæ Virginis, illud piè, & deuotè recitantibus hæc à Deo concedantur. Pariter ergo in nostra præsenti reuelatione, seu visi ne, dicimus, liberationem ab igne ęterno, & salutem æternam promitti, à B. Virg. gestantibus prædictum Scapulare. non nudè, aut materialiter, vt dictum est, sed cum obseruantia castitatis, recitatione Officij, vel ieiunij, aut à carnibus abstinentijs, alijsq; obseruantijs Ordinis, vel Confraternitatis respectiuè; quod est summatim dicere: *piè credendum saluandos fore ex intercessione Virginis, Fratres, & Confratres, qui ea, quæ illis præcepta sunt ab Ordine, vel Confraternitate fecerint.* Quod pium sanè, & conforme Dei benignitati, absdubiè est. Alia diximus in opusc. de Maria Patrona *cap. 5. num. 11. & sequentibus*, quæ ad alia properantes, nunc missa facienda.

19 Adijcimus vltimo, vt secure omnino, & sine vllius offensione incedamus; & omnis scrupuli occasio sublata sit; quod licet hæc, & alia, quæ erudite plures ex nostris in huius Visionis expositione dixerunt, vera sint, quæ vltro omittimus ad alia pergentes; nihilominus, quod Concionatoribus, & alijs Ordinis nostri alumnis, seu fratribus, prædictam visionem, vt iacet, nudè, & sine explicatione aliqua, ea præsertim, quam vltimo loco attulimus, plebi fidelium proponere, nullatenus licebit; ne inde scandali, aut peccati occasio, alicui minus docto, offeratur. Iuxta Notatio alia.

Reuerendissimi Theodori Stratij Ordinis Generalis expressum decretum, quo cautum est, ne ipsa Typis mandaretur, aut concionando, alioue modo diuulgaretur, sine congrua, id est legitima explanatione. Quæ sanè esset, si loco illorum verborum *non patietur ignem æternum*, seu *saluabitur*, dicatur *meis precibus adiuuabitur*, aut *ab igne Purgatorij quantocius liberabitur*. Pro illis autem, *Ecce signum salutis*, &c. dicatur, *Ecce signum meæ Confraternitatis, & meæ protectionis*. Interim pro ipsius enodatione legantur Didacus Coria *in Chronic. Carmelit. lib.* 10. *cap.* 12. Thomas de Iesu *de antiquit. & SS. Ordin. lib.* 1. *cap.* 8. Leo à Sancto Ioanne *in Typo, seu figura vestis Religiosæ sect.* 9. Cyprianus à Sancta Maria *in Thesaur. Carmelit. cap.* 9. Petrus Thomas Sarracenus *in Menolog. Carmelit in vita Sancti Dionysij Papæ*, Irenæus à Sancto Iacobo loco relato, & ante eum Philibertus Fezaius de priuilegiato Scapulari *priuileg.* 1. *controuers.* 10. & 11. & insignis Author Pater Theophylus Raynaudus libro superius relato.

Confraternitatis promulgatio.

20 Ratione ergo insignis, & singularis priuilegij à Beatissima Virgine, deuoto, fidelique seruo Beato Simoni, totique Carmelitarum Cœtui liberaliter donati, Sodalitia, Confraternitates, seu Societates sub titulo Beatæ Virginis de Monte Carmelo, virorum, ac mulierum in Ciuitatibus, & Oppidis propagari cœperunt. Complures enim, etiam magnorum stratuum viri, & fœminæ sub Sacri Scapularis vexillo, Deo, Virginique Matri deuotius adhærentes, diuersis etsi temporibus, sacram Carmelitani Sodalitij militiam arripuere. Inter eos Beatissimus Galliarum Rex Ludouicus iure primus vocatur, qui sicut nostros, vt sub ann. 1255. dicemus, è Carmeli solitudine Galliá vsque perduxit, & Parisijs Monasterio, prouentibusque donauit, sic quoque inter eos, qui Sacrum Scapulare induere aggressi sunt, Principatum tenuit. Sic habent Antonius Sanderus in historia Gandaui, *lib.* 5. *cap.* 7. Benedictus Gononus *in vitis Patrum Occidentalium lib.* 4. *in annotat. ad vitam Sancti Simonis.* Palæonydorus *lib.* 3, *cap.* 7. & alij Ordinis Historici. Specialiter Thom. Aquinas à S. Iosepho, in sua pro Scapulari Apologia *p.* 56. Ioannes Cheron in *simili opusc. p.* 177. Irinæus à S. Iacobo loco relato *p.* 38 probantes futilem ratiunculam esse, qua historiam hanc labefactari quidam putauit, eo quod in eiusdem Sancti Ludouici vita ea non notetur; ac si Author ipsius omnia etiam minima gesta huius Sancti Regis enarrasse probetur.

P. Reynaudi

21 Sed taceant nostri, dum de exteris, pro hac causa egregium Pugilem habent P. Rainaudum supra commemoratum, qui calamo, vt solet politissimo, nouū hunc scriptorem redarguit p. 295. eo quod argumento ab auctoritate negatiua desumpto, quod apud tyrones etiam Dialecticos inane prorsus est, euincere conatur S. Ludouicum Regem Stochianum Scapulare nunquam gestasse; quia videlicet eiusdem S. Regis vitæ Chronologi id non probant. Pro comperto namque inter Catholicos est, multa in Ecclesia pro certis haberi, quæ solum traditione non scripta tenentur. Sed ne sibi hoc arguendi genere, quod aliquando reijci non debet, neo-

the-

tericus iste aliquid egisse suadeat, si audire renuit authores nostros, qui id disertè fatentur (contra phas sanè, cum Iura clament, in Communicatum negotijs testes domesticos prorsus legitimos esse) audiat, sin minus Bonifacium 8. qui in Diplomate, quo S. Regem Diuorum Albo scripsit, eum *vestem Religiosam assumpsisse* declarauit. Audiat, & Gaufridum de Bello loco, & Gulielmum Carnotensem eiusdem domesticos, qui etiam astruunt, dum de ipso loquuntur, *cucullo*, seu *caputio ad Scapulas protenso* vsum fuisse: quo veluti digito demonstratur nostrum Carmeliticum Scapulare, B. Simoni à Sanctissima Virgine in protectionis signum concessum, quod, vt inferius dicemus, ne dum *Scapulas*, sed, & *caput* contegebat: ita vt propterea occini posset illud ipsi Ps. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, ac illud *Scuto circumdabit te*. Sed attentius audiat Thomam Cantipratanum *lib. 2. de apibus cap. 57.* referentem quendam, qui dicebat se vidisse S. Ludouicũ habentem *Caputium super scapulam exaduerso suspensum*; quod etiam nostrum scapulare indigitat; & quod cum id subsannando sancto Regi dixisset, à Deo fuisse faciei contorsione punitum. His verbis: *Nobilissimus Germaniæ Comes Gelriæ Otho, Cursorem, quem litteris Parisios miserat cursu propero rediturum, quem redeuntem Comes interrogans quęsiuit si Regem Franciæ Ludouicum vidisset? At ille, vbi more subsannantis contorsit collum, vidi inquit, vidi illum miserum Papellardum Regem Caputium habentem capitis super Scapulam ex aduerso suspensum: hac dicens faciem contorsit ex aduerso, & sic facies contorsa remansit.* Similia ferme Laurrntius Surius *in vita S. Ludouici* pro die 25. Augusti. Similia quoquè idem, qui vt supra P. Rainaudus *pag. 148. & 298.* ac in Hoplotheca contra ictum calumniæ *sect. 2. ser. 1. c. 11. de superstitit. §. S. Ludouicus*, & Cheron *pag. 180.* Qui duo posteriores rectè concludunt, huiusmodi caputiatum habitum Carmeliticum indicare Ordinem, propria veluti cum sit thesera, seu stemma ipsius; sicut Rosarium præclarissimæ Prædicatoriæ familiæ; Chorda Seraphicæ; ac Zona Augustinianę, symbola sunt. Esto tamen, quod aliunde refragari nondebeat, quin idem S. Ludouicus Minorum tertio Ordini addictissimus fuerit; sicut etiã Cistercienfibus, & Dominicanis, vt eorum Indulgentiarum, & piarum exercitationum fructuum particeps Rex pijssimus esset. Solum namquè vindicandum nunc suscipimus, quod gestatio habitus Caputiati super Scapulas extensi, quale est nostrum StoKianum Scapulare, Carmeliticę familiæ Consociationem designet.

22 Numeratur etiam Eduardus Rex Anglorum à prædictis Authoribus, inter eos, qui hoc StoKiano Scapulari indui voluerunt. Hoc tamen anno vsque ad 1272. Henricus tertius apud Anglos Rex erat. Quare licet Sacrũ Virginis Scapulare accepisse hunc Eduardum Regem notũ sit ex historijs (quibus iungitur, quod Cantabrigiense Cœnobium, vt dictum est, auxerit, & quod VValsiganKo teste *in Histor. Angl. in principio* B. Mariam propensius honorabat ob quoddam miraculum, quod sibi acciderat) incertum tamen est an illud hoc tempore ante Regni initium, vel postea susceperit. De Eduardo Rege.

ſceperit. Illud certum, Antigoniſtam illum noſtrum in hoc Eduardo hallucinatum valde fuiſſe, credendo, hiſtoricos noſtros de Eduardo quodam antiquiori locutos; quem tamen omnino erraſſe rectè conuincunt, ex vera ratione numerandi Eduardos Angliæ Reges, Ioannes Cheron *ſup. p.* 184. Irenæus à Sancto Iacobo *pag.* 38. *&* 39. & Pater Raynaudus *lib. relato à pag.* 302.

De B. Angela. 23 Angela etiam filia Regis Bohemiæ, inter eos, qui Sacro Scapulari ea tempeſtate induti ſunt, à præfatis Sandero, Gonono, Palæonydoro, & alijs refertur. Cum tamen eam vere Monialem Ordinis fuiſſe, & in Monaſterio Hieroſolymitano Cœnobiticam vitam duxiſſe, ex eius vita, & dictis in ſuperioribus conſtet. Vel dicendum, deceptos fuiſſe relatos Authores, ſi eam ſolum Ordinis Conſororem exiſtiment: vel eo ſenſu duntaxat accipiendos, quod ipſa inter Primates Scapularis Virginis deuotas fœminas, quæ ſpeciali veneratione ipſum geſtarunt, recenſeri debeat, cum nedum Scapulare, ſed, & Ordinis integrum habitum, cum vera Religionis profeſſione ſuſceperit.

De alijs. 24 Referuntur præterea inter eos, qui ſacrum Ordinis Scapulare geſtarunt, Henricus Lancaſtriæ Dux, & Henricus Northumbriæ; Ioanna, & Anna Virgines Tholoſanæ. Ita Palæonydorus vt ſupra. Quibus iungitur à Sandero, etiam vt ſupra, Ioannes Dux Brittanniæ. Quo autem anno, vel tempore illud geſtare cæperint; nec ipſi aſſerunt, nec nos ſcire potuimus. Illud non prætermittendum, quod idem Palæonydorus ſubiungit, plures eumdem habitum ſuſcipientes ijſdem temporibus à diuerſis fuiſſe curatos languoribus.

Indulgentia ab Innoc. 4. conceſſa. 25 Cum autem ex Sixto Quarto in Bulla *Dum attenta*, quæ eſt Mare Magnum Indulgentiarum, anno 1477. edita, quam confirmauit Iulius Secundus in Bulla *Ad ſacrum* anno 1504 & ex Gregorio Decimo tertio in Bulla *Vt laudes* anno 1577. habeatur Innocentium Quartū conceſſiſſe ingredientibus Confratriam noſtri Ordinis remiſſionem tertiæ partis peccatorum, nec tamen ibi, aut alio loco, quo anno hæc conceſſio facta fuerit reperiamus, coniectare licet ſub hoc anno, vel proximè ſequentibus, inſtante deuotiſſimo Generali Simone pro ipſius Confraternitatis propagatione à Summo Pontifice impetratam fuiſſe.

De Confratria. 26 Diximus autem, ſub hoc tempore præfatam Ordinis Confraternitatem propagari cæptam, non inchoatam, aut primo inſtitutam, quia vt ex prædictis Summis Pontificibus Sixto Quarto, Iulio Secundo, & Gregorio Decimotertio conſtat, plures alij Innocentio Quarto priores, ſcilicet Adrianus Secundus, Stephanus Quintus, Sergius Tertius, Ioannes Decimus, & Vndecimus, & Sergius Quartus eamdem, quam ipſe Innocentius Confratriæ noſtræ Indulgentiam conceſſere.

De Scapularis vſu. 27 In eo quoque noſter monendus Lector circa huiuſmodi reuelationem, quod cum in ipſa aſſeritur, Beatiſſimam Virginem dediſſe Ordinis Scapulare Beato Simoni, non ſic eſt id accipiendum, quaſi primum ab eo tem-

tempore Fratres nostri Scapulari vsi fuerint. Cōstat enim Scapularis vsum, quod aliquādo superhumerale, aliquando caputiū in nostris historijs appellatur, etiā à primis Ordinis professoribus initiū sumpsisse, vt habent Philippus Ribbori in Speculo Ordinis *lib.7. cap. 4.* illis verbis. *Superhumeralibus etiam prisci nostræ Religionis professores tempore legis veteris vtebantur. Præceperat enim Iudæis lex in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbris funiculos facere. Quas fimbrias cum funiculis dicti professores iuxta legis præceptum in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant. Erat autē superhumerale vestis sine manicis vsque ad renes descendens in vtroque latere aperta, brachijs etiam ea nudatis, cuius posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. Noua autem legis tempore huic vesti in apertura colli iunctum fuit caputium tegens caput, & Scapulas. Idcirco hæc vestis ex tunc dicta fuit Scapulare, quia suo caputio operit non solum caput, sed Scapulas. Quam nostræ Religionis professores fimbrijs, & funiculis ab ea resecatis vsque nunc summa cum diligentia diebus, ac noctibus indesinenter gestant.* Similia ferme Arnoldus Bost. lib.4. sui Speculi cap.17. sic scribens. *Superhumeralibus etiam Elias, & Elisæus, alijq; Carmelitæ eorū sectatores tēpore legis veteris vtebantur. Præceperat enim Iudeis lex in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbrijs funiculos facere, quas fimbrias cum funiculis dicti Eremitæ de Monte Carmeli iuxta legis preceptum in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant. Erat autem superhumerale vestis sine manicis, & sine caputio vsque ad renes descendens, in vtroque latere aperta, brachijs etiam ab ea nudatis, cuius posterior pars humeris copulabatur parti anteriori. Tempore autem nouæ legis huic vesti in apertura colli iunctum fuit Caputium, quod quidem Caputium descendebat vsque ad medias tibias tegens caput, & scapulas. Hæc itaque vestis à quibusdam dicta fuit cuculla, & à quibusdam Scapulare, quia suo caputio non solum caput operuit, sed etiam Scapulas. Quam nostræ Religionis professores fimbrijs, & funiculis tempore nouæ legis ab ea resecatis vsque ad tempora S. Simonis Stok, (de quo in sequenti capitulo dicitur) summa cum diligentia diebus, ac noctibus indesinenter portarunt.* Idem prosequitur Thomas Bradlæus Noruicensis Episcopus ex nostro Ordine assumptus, dum in libro *de fundatione, intitulatione, & antiquitate Ordinis* scribit, in lege veteri Scapulare gestari solitum sine Caputio; in lege autem noua additum fuisse caputium, &c. Adstipulatur Leo à Sancto Ioanne *in Typo vestis Religiosæ sect. 9.* & Irenæus *supra pag. 4.* ex communi ferè nostrorum Patrum sensu. Igitur ad intentum præsens, non sic est intelligendum, Beatissimam Virginem Scapulare Beato Simoni tribuisse vt illud primitus in Ordine non extasset; sed nouiter datum ab ipsa, quia videlicet, vt ex verbis reuelationis adductæ patet, vt esset *signum salutis*, & *priuilegij* ab eadem Beatissima Virgine nobis, & nostræ Confraternitati concessi. Iuxta modum sanè, quo *Iris*, seu arcus cælestis, datus fuit à Deo Genes. 9. in signum fœderis cum humano genere initi de non futuro amplius diluuio, illis verbis, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram:* cum tamen antea fuisset,

set, vt contra Alcuinum, & Glossam tradunt Expositores. Solum ergo dici potest à tempore dati Scapularis ipsum primo veluti cæpisse, quia *Quemadmodum non antea tantę apud Romanos authoritatis fuit pallij indumentum, quanta deinceps, ex quo sapiens ille Cato pallium gestare incepit; non absimili certè modo hoc genus Scapularis longe maiori cultu, honore, affectuque sumus amplexati, postquam amantissima nostra Mater ęternum amoris pactum cum nostri Ordinis Generali Beato Simone Anglię sanciuit; vti speciale tanta Virginis patrocinium, hac quasi tessera communitum, non solum in ipso patre seruaretur, verum etiam Virginem inter, illiusque semen per immensa sæculorum spatia perennaret*. Sic Pater Leo relatus.

Erat Caputiatum. 28 Porrò cum Scapulari etiam tradidisse Deiparam suo Capellano Simoni caputiolum aliquod eidem coniunctum, asseruit Illustrissimus Bradlæus loco relato. Idem sequitur Arnoldus Bostius eo *lib.* 4. *cap.* 18. sic inquiens de hac visione. *Cui beatissima Dei Genitrix cum multitudine Angelorum apparuit, Scapulare in expeditiori forma, quam prius gestabatur cum paruo caputio vsque ad cingulum tantum in dorso descendens in benedictis manibus suis tenens; tradidit eidemque dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, qui in hoc moriens, æternum non patietur incendium, id est, in hoc moriens, cum debita Ordinis obedientia, saluabitur. Quod ipse Simon cum gratiarum actione à Domina nostra benigne suscipiens Caputium suum grossum, cum Scapulari, seu cucullа sua deposuit, & Capucium cum Scapulari, iuxta formam sicut à B. Virgine receperat, deinceps induit. Illo enim Scapulari tam ipse, quam omnes alij Carmelitæ vsque in hodiernum diem nocte, dieq. pro habitu suæ professionis vtuntur. Et ideo de illo in Rubrica de diuino officio antiquorum statutorum Ordinis nostri sic pręcipitur. Districte prohibemus ne aliqui frater, sine Scapulari caputiato, & debito modo formato, & figurato, diuina audeat celebrare. Quod siquis sine habitu prædicto celebrauerit, volumus ipsum tamquam excommunicatum ab omnibus euitari, cum secundum iura nullus Religiosus habitum suum debeat dimittere, neque possit.*

Ordin. proprium. 29 Id autem, quod Bostius ait de Scapulari cum caputio, quod videlicet sit proprius nostræ Religionis habitus, pro comperto ab omnibus credi debet; quia id confirmat Ordinis perantiqua consuetudo iugiter ab omnibus acceptata. Vt propterea in Generalibus Constitutionibus *par.* 1. *cap.* 12. etiam fratribus Laicis, seu Conuersis, præcipiatur gestatio Scapularis *cum Caputio*: esto quod semifratribus, eo quod *semifratres*, vt ipsum nomen indicat, sint, id prohibeatur, ad distinctionem videlicet eorum, qui omnino, & simpliciter *fratres* Ordinis sunt. Diuersimode autem hoc antiquitus in Ordinis vsu erat. Etenim prout colligitur ex Constitutionibus venerabilis P. Soreth. Nouitij caputium à Scapulari dissutum, & disiunctum gestabant; professi autem coniunctum, & assutum cum ipso. Dicitur enim *par.* 5. dum agitur de *induitione Nouitiorum cap.* 5. ipsis imponi debere Scapulare *cum caputio dissuto, ad differentiam professorum*: dum autem cap. sequenti agitur *de modo professandi* dicitur, professionem emissuro

suro imponendum esse Scapulare *cum caputio suto*. Imo etiam sæcularibus, seu Confratribus Ordinis olim Scapulare cum *Caputio assuto* tradi solitum fuisse ex vetustissimis picturis Conuentus Burdegalensis, quæ in Sacello Beati Simonis nuper visebantur, id demonstrat Cheron de priuileg. Scapular. pag. 179. subiungens etiam: *Sed primæua Maiorum nostrorum pietate, malitię filiorum sæculi, simplicitatis, & virtutis paludamenta deridentium, succumbente, vsus obtinuit, vt ea tantum pars, quę scapulis, & pectori indumento sit, traderetur*. Idem sequitur Pater Raynaudus *supr. pag. 301.* Habeatur saltem ex dictis, *Caputiatum Scapulare*, seu *Scapulare cum Caputio* propriam Ordinis theseram esse; ac propterea inter magis pios Religiosos, etiam in lecto, & somno in vsu esse; provt gestum vidi à pijssimo Ordinis nostri, nec satis vnquam laudato, Generali Gregorio Canali Veneto. Quam etiam ob causam, vt autumo, in antiquis, & recentioribus Constitutionibus Ordinis obseruatur, quod dum Nouitij, seu Professi, habitu Religionis induuntur, coniunctim *Scapulare* cum *Caputio*, & sub eadem benedictione, recipiunt: eo videlicet, quia sunt veluti vna Religiosa vestis à Deipara Sanctissima Ordini concessa.

30 Cæterum, quamuis pro eorum, quæ de nostro hoc priuilegiato Scapulari disseruimus, tuitione, pleraque, & luculenter satis contra nouum illum aduersarium in superioribus notatum, Ioannes Cheron, Thomas Aquinas à S. Ioseppho, Philibertus Fezaius, Irinæus à S. Iacobo, & Theophylus Rainaudus relati scripserint (ad quos lector mittendus, cum nostrum modo non sit Apologiam, sed historiam texere) illud à nobis maximè expendendum, quo veluti pretiosissima gemma Sacra hęc vestis sæculis ęternis coronata manebit. Sanctissimum videlicet D. N. Alexandrum VII. Romanum Pontificem, Cæli, & terræ applausu, faustissimisque præsagijs nunc regnantem, ea vltro assumpta, & à Reuerendiss. Ordinis Generali Antistite sibi oblata, trabea veluti Regia, succinctum, & Scapulatum esse pro comperto haberi. Et quod is, qui humanis nullis subiacet legibus, à carnium edulio singulis hebdomadę quartis ferijs pia deuotione abstineat; & adeo exactè, vt etiam diè illa, qua ad Summum Pontificatus apicem euehi meruit, quę quarta feria fuit (tantæ à Deo celsitudinis donatæ pignus potius, quàm omen) eiuscemodi abstinentia vsus fuerit, suæ familiæ domesticis referentibus, casumquè nostris enarrantibus. Ratus sanè, quod ea habitus gestatione, Deiparæ, cuius insigne est, protectione fruatur, quę tali die Christi Vicariam dignitatem ipsi, plenis Patrum suffragijs, nemineque mussitante, sua intercessione impetrauit, & quod tantæ Matris schemate prosperior, ac tutior contra spiritualium hostium nequitias incedet, quam pius olim Imperator Theodosius suo illo Scnuphij Eliani Monachi superhumerali S. Scapularis Symbolo, quo victoriam de hostibus reportauit, vt Acta referunt Sanctorum Cyri, & Ioannis apud Surium ex Metaphraste *pro die 31. Ianuarij*. Plaudat igitur gliscens nostra Carmelitana Religio, quod sub eo sanctissimę

De SS.D.N Alexandro Septimo.

ſimæ Virginis vexillo militat, cui Pontificalis Apex, & primus in orbe Sacerdos nomen dediſſe non dedignatur. Quamplures ſunt Orbis Principes, Dynaſtæ, & Magnates, qui Sacrum hoc Scapulare piè geſtaſſe in Hiſtorijs noſtris deſcribuntur, quos inter ſupremi Eccleſiæ Paſtores nonnulli etiam cenſentur, ſed præ cunctis vnus nobis hoc ſæculo ſufficit Alexander Septimus, cuius auſpicijs ſicut Orbis totus ſummam fęlicitatem expectat, ſic & Carmelæi humiles contra aduerſarios, Zoylos, & Ariſtarchos, ipſius ſub protectione victoriam.

Ann. Chriſti 1252. Innocentij 4. Roman. Pontif. 10. Imper. vacat. Balduini Imperat. Orient. 24. B. Simon. General. 8.

Geſta hoc tempore.

1  Obſidione graui hoc anno oppreſſa Neapolis Corrado Friderici filio ſe tradidit; crudeliter circa Ciuitatem nobiliſſimam, Templa, Ædes, & vtriuſque ſexus, Ordinis, & ætatis perſonas ſe gerenti. Diem nunc clauſit Ferdinandus Caſtellæ Rex, fortis, & fęlix, ac maximè Sanctus cognominatus; vt propterea eius Apotheoſis cauſa apud S. Rituum Congregationem tractetur. Bzouius, Gordonus, & alij.

Ord. ſtatus.

2 Ordinis noſtri res ſic erant ſub hoc anno. Cum propter grauamina, quæ fratres à Rectoribus Eccleſiarum patiebantur, & reuelationem à Beatiſſima Virgine B. Simoni Generali factam, de quibus ſub anno præcedenti diximus, ad ſummum Pontificem Innocentium tunc Peruſij commorantem pro remedio recurriſſent, eorum ipſe petitionibus benignè annuens, litteras dedit ad vniuerſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, eis mandans, vt ſuper præmiſſis pium fauorem fratribus impenderent, moleſtatores ipſorum per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Habentur in ſpeculo Ordinis li. 9. c. 7. Animaduertit autem ibidem Guilelmus, quod dum fratres litteras Papæ Prę latis præſentarent, illi qui primitus fauorabiles ipſis extiterant, multo magis tunc eiuſdem fauorabiles ſe præberent, & ſubditos ſuos, qui illis impedimentum ædificandi in eorum Parrochijs, & habendi campanam, & Cæmiterium ad opus eorum præſtiterant, à præmiſſis grauaminibus compeſcebant. Cohibebant etiam Curatos illos, qui à fratribus, & eorum Monaſterijs ſeruitutes graues, & importabiles exigebant. Similiter Prælati, qui fuerant fratribus duri, viſis prædictis Domini Papæ litteris, à prędictis grauaminibus ceſſare faciebant. Quo euidenter Beatiſſ. Virginis in Ordinem ſuum protectio mire demonſtrabatur. *Propter quod* (ſubiungit idem Guilelmus) *fratres à prædictis diabolicis tentationibus liberati in Monaſterijs, quæ iam receperant diuina in pace celebrabant, & nihilominus noua Monaſteria ſenſim recipiebant, ſicque paulatim Religionem in diuerſis fidelium Regionibus per Europam multiplicabant.*

Huius

3 Huius ergo pacis Deiparæ Virginis intercessione, & B. Simonis sollicitudine obtentæ effectus videtur, quod hoc eodem anno plura Ordinis Cænobia recepta fuisse comperiatur. Primo enim Herbipolense Monasteriũ in Germania hoc anno fundari cœptum, vt testatur Bartholomæus Hiselim Prouinciç Germaniæ superioris Prouincialis in relatione, quam de eiusdem Prouinciæ Monasterijs anno 1634. ad Theodorum Stratium Ordinis Generalem scripsit: in qua, & si nihil de huius Herbipolensis Cænobij antiquitatibus scripserit, quæ tamen his nouissimis temporibus in eo acciderunt historia nostra non indigna sic describit testis oculatus. Herbipolen: Cænobium.

Herbipolense Monasterium sub Duce Franconiæ, & eiusdem Ciuitatis Episcopo, ob vetustatem ruinam minitans anno 1616. ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Iulio, & vetere deiecto, existente Prouinciali, & procurante Fr. Bartolomæo Hiselin, à fundamentis extructum fuit. Anno post modum 1628. Ecclesiam pariter ruinosam, & collabentem Illustrissimus, ac Reuerendissimus Philippus Dux Franconiæ, & Episcopus Herbipolensis, supplicante P. Ioanne Rohbach, tunc temporis Priore locali, sumptuosissimè restaurauit. Vbi etiam (velut, & in alijs Monasterijs) ob Confraternitatem erectam à præfato Prouinciali, & Pat. Georgio Druntschler Theologiæ candidato, monasterio plurima accessere emolumenta. Erat hic studium Philosophiç, & Theologiæ, & ordinariè alebantur ad minus sex fratres; verum à Sueco, & Duce Vveinmarensi capta, expulsisque Patribus Societatis, etiam studium quodam modo ablegatum fuit, nisi forte Patres Franciscani, aut Dominicani illud reassumpserunt. Memorandum hic, & silentio haud inuoluẽdum, cum Suecus 1631. huic Ciuitati hostiliter immineret, terroreque omnes tam Ecclesiasticos, quam Saculares inuaderet, Carmelitis hinc inde dispersis, & instar ouium errantibus, probus quidam Pater Albertus Heilfinger nomine cum socio, ad arcem, vel Episcopi residentiam tamquam tutissimum asylum se contulit, quã cum expugnaret Suecus, ac caperet, irruentibus, & frementibus vndique militibus, confessiones excipiendo, multis, grauibusque vulneribus saucius furore militum sedato, ab arce ad Monasterium Patrum Franciscanorum, quia Carmelitanum non patebat, semimortuus est delatus, & paucis elapsis diebus ibidem, vt martyr animam exalauit, socio fratre prius in arce enecato.

4 Bambergense etiam Cænobium in eadem Germania Superiori hoc etiam eodem anno captum, testante Bartholomæo relato; quem sequitur Augustinus Biccarretus in *lib.* cui titulus *Palmites vineæ Carmeli*, dum agit de S. Alberto Drepanensi. Qui etiam subiungit in præfata relatione, vbi de statu Monasteriorum suæ Prouinciæ suo tempore loquitur, vetustum Ordinis Monasterium, quod in Ciuitatis meditullio obtinebat (quod forsan erat id quod sub hoc anno ceptum dicit) Patribus Iesuitis assignatum fuisse, quibusdam conditionibus adiectis, quod scilicet Illustrisimus Princeps Bambergensis primo in suo Seminario quatuor fratres, quoad victum, & amictum perpetuis aleret temporibus: deinde, vt nostris solueret quotannis 100. mensuras siliginis, & octo plaustra lignorum combustibilium: insuper, conferret etiam Monasterio aliquot beneficia. Datum Bambergen:

etiam est Ordini nostro in eadem Ciuitate aliud Monasterium, quod prius ad Moniales Ordinis S. Benedicti spectabat. De quo vix aliud memoriæ proditum est, nisi quod, licet hostis (Suecus videlicet) qui Romanum Imperium annis præteritis vexabat, ad illud peruenerit, Religiosos tamen ibi existentes non molestauit.

Deuotio in Scapulare.

5 Augebatur hoc anno, vel paulo post, pia fidelium deuotio in Deiparam Virginem, & Beatum Simonem, ac Scapulare eidem ab ipsa collatum, totamque Religionem, quæ tam egregium donarium à munificentissima Patrona, obtinere potuerat: propter mirabilem casum, qui eo tempore contigit; quem Petrus Suuanyngtonius relatus oculatus testis affert, & ex ipso Ioannes Cheron *in tract. de priuileg. Scapular. pag.* 167. his verbis. *Decimo septimo Kalendas Augusti, dum prædictus Beatus Simon pergeret Vuintoniam, me itineris comite, ad impetrandum formatas pro D. Innocentio Quarto Pontifice à D. Præsule Vuintoniensi, qui Religioni nostræ fauorabilis erat, occurrit nobis celeri vectura D. Petrus de Lyntonia Decanus Ecclesię Sanctæ Helenę Lyntoniæ, obsecrando B. Patrem, vt festinaret adiuuare germanum suum, qui moriebatur desperatus. Erat ille Vualterus nomine, homo inuerecundus ad ausus improbos, rixosus, & magicis sacrilegijs deditus, Sacramentorum contemptor, & vicinorum fatigator, qui rixando cum alio nobili fuerat lethaliter vulneratus ab illo, & videndo se citari ad Diuinum iudicium, diabolo commissa crimina ante oculos ponente, nolebat audire loqui de Deo, nec de Sacramentis, sed blasphemando quandiu potuit loqui, vociferabat, Sum damnatus. Diabole vindica me de interfectore meo. Venientes in domum inuenimus hominem spumosissimum, stridentem dentibus, & rotantem oculos tanquam canem rabiosum, cumque videretur mori, nec haberet vsum sensuum corporis sui, Beatus Pater Simon, facto Crucis signo, & iniecto habitu super languentem, eleuatis oculis petebat inducias à Deo, vt pretium Christi non esset præda diaboli; & repente ægrotus, qui moriebatur, resumptis viribus, bono sensu, & loquela signando se signo salutari obiurgabat dæmon[illegible], & cum questu lachrymabili dicebat, heu me miserum, quantus mihi tremor damnationis æternæ, iniquitates meæ creuerunt super numerum arenæ maris, miserere mei Deus, cuius misericordia superexaltat iustitiam, Pater adiuua me, volo confiteri.* Et post pauca. *Recedente me in angulo domus, narrabat mihi dictus D. Petrus Decanus, quod videndo impœnitens cor fratris, orabat solitarius in cubiculo, & facta erat ad eum hæc vox: Surge Petre, quęre dilectum seruum meum Simonem, qui est in via, vt veniat in hunc locum, et circũspiciendo vbi eßet qui hęc verba effunderet, secundo, et tertio eadem vox insonuit. Quare prudenter credens, quod cæleste Oraculum erat, festinans ascenderat equum, vt venerandum Patrem interciperet itinere, et agebat gratias, quod tam opportunum inueniret.* Prosequitur deinde Suuanyngtonius. *Post confessionem Vualterius ille publice renunciauit diabolicis pactis, et recepit Sacramenta Ecclesiæ, edendo signa magna pęnitentiæ, fecit testamentum, et accepta iuratoria cautione fratris sui Decani, ordinauit restitui male ablata, et reparari iniurias, quas fecerat, et circa horam octauam noctis pacifice exhalauit animam, quę fra-*

tri

tri suo hæsitanti de salute eius apparuit significando se bene secum agi, et quod per potentissimam Reginam Angelorum, per habitum Beati viri tamquam per clypeum euaserat insidias dæmonum. Fama istius facti volauit per totam Vrbem. Dictus Dominus Petrus de Lyntonia confestim Venerabili Episcopo Vvintoniensi cuncta per ordinem scripto insinuans, eius in re tam inusitata sententiam expectabat. D. vero Episcopo stupente super hoc, et habente tractatum cum suis iudicatum est, Beatum Simonem debere interrogari de virtute habitus. Qui coram Domino Episcopo comparens, et mandatis eius obtemperando nihil celauit, D. Episcopo mandante cuncta scribi sub sigillo authentico. Et prædictus Petrus Dominus Decanus, propter miraculum sibi per Gloriosam Virginem Mariam in fratre suo ostensum, Fratres Vvintoniæ fundauit, dando eis locum, et ædificando Monasterium nostræ Religioni valde commodum, et amplum. Sermone vero per Angliam, et extra currente, multæ Ciuitates offerebant nobis loca ad inhabitandum, et multi Proceres petebant affiliari huic Sacræ Religioni pro participio gratiarum desiderantes mori in habitu sancto Ordinis, vt per merita Gloriosæ Virginis Mariæ haberent exitum vitæ bonum, atque ita paulatim Religio Beatę Virginis Marię de Monte Carmelo cepit, præstante Domino nostro Iesu Christo, et Maria Matre eius, in partibus Occidentalibus multiplicari in multas Prouincias, Prouinciæque in domus, domus in personas sufficientes, et idoneas, quę multum fructum afferunt ad augmentum fidei Catholicæ. Hæc Suuanyngtonius apud Cheronem relatum. Quæ primum, & insigne signum miraculosum Deiparæ Sanctissimę meritis, ac humilibus Beati Simonis precibus, & medio Scapulari, patratum delineant: ex quo veluti ex fœcundissimo semine copiosissimos fructus Religio nostra in Angliæ oris postmodum excepit.

6 Cæterum id, quod in eis dicitur, de Vvintoniensi Cœnobio per dictum Petrum Decanum fundato, si ad hoc tempus referatur, contrarium videtur ijs, quæ de ipsius fundatione habetur in Speculo Ordinis *fol* 60. dum de fundatione Conuentuum Angliæ agitur. Ibi enim huius Vvintoniæ Conuentus fundatio ponitur inter annum 1273. & 1279: cui relationi cohæret Chronologia illa Monasteriorum Angliæ in superioribus relata, vbi refertur pro anno 1278 qui dicitur annus quartus Eduardi primi Regis Anglorum: ac tribuitur pręfato D. Petro de Vvintonia Pastori Sanctæ Helenæ in eadem Ciuitate; ac simul additur, titulo Beatissimæ Virginis Mariæ appellatum fuisse. Verumtamen apparens hæc contradictio facile concordari potest, si (quod sæpius etiam à simili de aliorum Conuentuum fundatione dicere cogemur) videlicet dicatur hoc anno primitus Fratres nostros Vvintoniam ingressos, in aliquo paruo loco, Hospitiolo, vel Sacello; Monasterij autem perfectam constructionem non nisi pro anno 1278. vel circiter obtinuisse. Vvintonien. Cœnobium.

Ann. Christi 1253. Innocentij 4. Roman. Pontif. 11. Imperat. vacat. Balduini Imp. Orient. 25. B. Simon. General. 9.

Gesta huius temporis.

1 ERat Pontifex sub hoc anno Assisij, vbi S. Stanislaum Polonum Sanctorum numero inseruit; Regem etiam Angliæ in Sedis Apostolicę tutelam susceptum ad subueniendũ Christianis in Syria laborantibus inuitauit. Idem etiam Rex antea Ecclesię iniurius, pro immunitate, & libertate Ecclesiastica egregio exemplo Episcoporum decretum comprobauit. Conradus autem Friderici filius anathemate percussus est post Neapolim captam, dum totum Regnum subiugare volebat, & veneno in clystere à Medico infuso extinctus occubuit, Corradinum filium trium annorum, quem ex Elisabetha Octonis Boiorum Ducis filia
5 susceperat, hæredem, Regnique Successorem relinquens. Bzouius, & Coriolanus sub hoc anno.

Capitur Sydon.

2 Capta est hoc anno Sydon Ciuitas in Syria à Turcis; multis Christianis interfectis, & alijs in captiuitatem ductis; reędificata tamen Ciuitas fuit à S. Ludouico Gallorum Rege Marinus Sanutus *de Secret. fidel. Cruc. lib. 3 part. 12. c. 4.* Cum autem prope Sydonem in Sarepta nostri Ordinis antiquum Eremitorium fuerit, iuxta dicta sub anno 1170. ideo non leuem iacturam hac huius Vrbis expugnatione nostros Fratres perpessos fuisse facile coniectari possumus.

B. Angela.

3 Hæc cum alijs Terræ Sanctæ miserijs causa forsan B. Angelæ in Hierosolymorum Vrbe vsque ad id tempus commoranti, Beatissimæ præsertim Virginis Marię reuelatione, accedente, vt in patriam Pragam reditum pararet. Cum enim, iuxta dicta ex vita ipsius circa ann. 1218. eius Cænobij Priorissa facta per 35. annos id munus egerit, cum sub eo anno, vel circiter id accidisse autumemus, consequenter etiam sub hoc tempore, quo 35. annorum numerus explebatur; eam visionem, & in patriam ipsius regressum contigisse putamus. Intellexit etiam B. Angela, vt ex eadem ipsius vita habetur, de hæresi, quæ Pragæ exsurrexit anno Domini 1410. Hussitarum videlicet, per Ioannem Hus, Hieronymum de Praga, & consortes, sparsam. Ipsius ergo recessum, vitæque conuersationem vsque ad vltimum diem ex præfata ipsius historia sic damus. *Clam itaque inde decedens transmare nauigauit, Pragamque perueniens in cellula, seu Anachoresi includi se fecit, vsque dum vitam suam finijt in ista deuotione: completoque dierum vitæ suæ numero Sanctissima Eucharistia munita est, Sacroque oleo peruncta, & sic Spiritum suum in manibus Dei tradebat die 6. Iulij; assistentibus illi semper Dei Angelis, ac suscipientibus nobilem illam, castamque animam, quæ tanquam soror Angelorum maculam nunquam peccati mortalis habuisse creditur, adducentibus denique eam cum hymnis, & canticis, vti decebat, in chorum*

San-

Sanctarum Virginum in cælesti Paradiso. Post mortem multa fecisse miracula dicitur, quæ tamen, vel qualia fuerint nobis incompertum. Qui solum ista ex M. S. vitæ ipsius extraximus.

4 Quo anno felix ipsius transitus contigerit non habetur, ideo donec maior superat notitia, pro imcomperto manebit. Illud veritati conformius, post aduentum eiusdem in Pragam, & Bohemiam Scapulare Ordinis à SS. Dei Genitrice Beati Simoni concessum gestans, deuotionis, pietatis, & reuerentiæ erga ipsum, & Sacrum Ordinem nostrum in illis partibus veluti magistra fuerit; vt propterea inter Illustriores personas, quæ ipsum cohonestarunt, Angela numeretur à Sandero, Gonono, Palæonydoro, & alijs, quos circa ann. 1246. retulimus. Pro quo videnda quæ diximus sub anno 1251. De ann. mortis B. Angelæ

5 Additur in vita huius Sanctæ, tam in illa, quam Segerus notis illustrauit, quam ea, quæ apud P. Ioannem Bollandum, erat, quod Sanctissimum Eucharistiæ Viaticum, & Sancti oleum à Priore Monasterij Ordinis nostri Pragæ acceperit. Ex quo rectè idem Segerus intulit, tunc temporis Carmelæos nostros Pragæ, vel iuxta eam, more antiquorum suorum Cœnobium aliquod (Eremitorium forsan dumtaxat) habuisse. Quod mirum non erit inspicienti ea, quæ de Germaniæ Conuentibus, Bopardiensi præsertim, diximus tomo præcedenti. Alia de ipsa.

6 Ipsius mirabilem reliquiam, cuidam Tabellæ quadrangulari, venerabilem, & singulariter impositam cum hac inscriptione. *S. Angelæ Virginis Ordinis Carmelitarum Pragæ sepultæ*, seruari Coloniæ, apud nobilem quendam Patritij Ordinis, seque vidisse, testatur Segerus Pauli Coloniensis *in annotat. ad hanc vit. S. Angelæ.* Ipsius Reliquiæ.

7 Memoriæ præterea recolendum, S. hanc Virginem suæ Sanctitatis monumenta scripta reliquisse. Videlicet, *Contemplationes de Christo lib. 1. De Eucharistia lib. 1. Reuelationum librum.* His similia Gesnerus, Posseuinus, & alij, & ex parte Martinus del Rio *lib. 4. disquisit. Magic. c. 1. q. 3. sect. 4.* Sed ea, proh dolor, perijsse credimus. Monumenta

8 Tandem circa diem mortis eius id cogitandum, quod quamuis in omnibus exemplaribus vitæ S. Angelæ dicatur, fuisse 6. Iulij; nihilominus in Mechliniensi relato Kalendario ponitur pridie Kalend. Martij. Quod forsan contigit, vt Segerus notat, propter eleuationem, seu translationem Reliquiarum ipsius, seu aliam ob causam, occultam videlicet. Dies mortis.

9 In Europæ tamen partibus sollicita B. Simonis Generalis diligentia varijs à Summo Pontifice Innocentio Ordo decorabatur priuilegijs. Assisium enim nostri conuenientes plura ab ipso Diplomata impetrarunt, prout ex Bullis in Speculo Ordinis registratis excepimus. Primo enim illis concessit, quod non tenerentur decimas dare de hortis, & virgultis suis sic. *Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & fratribus Sanctæ Mariæ de Carmelo &c. Sacrosancta Romana Ecclesia deuotos, & humiles filios assuetæ pietatis officio propensius diligere consueuit, & ne* De B. Simone.

prauo-

prauorum hominum molestijs agitentur, eos, tanquam pia mater protectionis munimine confouere. Cum itaque ex tenore vestræ petitionis perceperimus, quod Ordo vester nullas possessiones habeat, sed vos de fidelium eleemosynis elegeritis sub Regulari habitu sustentari. Nos paupertati vestræ paterno compatientes affectu, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis de hortis, & virgultis vestris decimas à vobis exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. si quis autem &c. Speculum Ordinis *fol. 61. pag. 1.*

Aliud Diploma.

10 Idem eodem loco, die, & anno Priori Generali facultatẽ tribuit absoluendi fratres suos ab excommunicatione contracta ob iniectionem manuum. Bulla est huis tenoris. *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & fratribus Eremitis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, Salutem &c. Canonica constitutione cauetur, quod Monachi, & Canonici Regulares quocumque modo se percußerint, non sint ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum discretionem, & prouidentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur: quod si Abbatis discretio ad correctionem eorum non sufficit, prouidentia est Diœcesani Episcopi adhibenda, nisi excessus adeo difficilis fuerit, & enormis propter quem merito sit ad Romanam Ecclesiam recursus habendus. Nos ergo ad vos statutum huiusmodi duximus extendendum, authoritate Apostolica statuentes; quod in tali casu, nisi sit Maioris prouidentia requirenda, per te fili Prior, qui, sicut audiuimus, Presbyter eße dignosceris, fratribus Ordinis vestri absolutionis beneficium impendatur. Datum* &c. Speculum Ordinis *fol. 61. pag. 2.*

Aliud.

11 Prẹterea eodem etiam loco, anno, & die, recipiendi ad Ord. excommunicatos, suspensos, & interdictos, eosque absoluendi Priori Generali facultatem dedit, per litteras huius tenoris. *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Generali, & fratribus Eremitarum Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli Salutem, &c. Quia ex Apostolici cura tenemur officij circa Religionis augmentum attenti, & vigiles inueniri, super his dignè vestris votis annuimus, in quibus honorem vestrum, & vestri Ordinis, ac animarum profectum contineri sentimus. Hinc est quod nos vestræ deuotionis precibus inducti, vt volentibus vestro aggregari Collegio, qui suspensionis, aut Interdicti, vel excommunicationis sententijs sunt ligati, Tu, fili Prior, absolutionis beneficiũ poßis iuxta formam Ecclesiæ impartiri in ipsos, & ipsos in fratres recipere valeas, Auctoritate præsentium indulgemus. Ita tamen, quod si aliqui ex eisdem propter debitum sententijs huiusmodi sint astricti, de ipso satisfaciant, vt tenentur. Nulli ergo &c. Datum, &c.* Speculum Ordinis *fol. 61. pag. 2.*

Aliud.

12 Demum eodem quoque loco, anno, & die, licentiam Priori Generali concessit, vt fratribus idoneis ad prędicandum, & confessiones audiendum facultatem impartiretur. Bulla est huius tenoris. *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & fratribus Eremitis Sãctæ Mariæ de Monte Carmeli Salutem, & Apostolicam benedictionem. Deuotionis augmentum vobis, Deo propitio, prouenire confidimus, si super his quæ piè cupitis, nos benignos ad gratiam habeatis. Cum itaque, sicut ex tenore vestræ petitionis accepimus, plures fratres vestri Ordinis in Theologia facultate instructi*

compe

competenter existant. Nos vestris supplicationibus annuentes, tibi, fili Prior, præsentium auctoritate concedimus, vt ex prædictis fratribus, quos ad hoc idoneos esse cognoueris, proponendi fidelibus verbum Dei, & audiendi confessiones eorum, de Diœcesanorum tamen locorum assensu licentiam largiaris sine iuris præiudicio alieni. Dat. &c. Speculum Ordinis *fol. 69.*

13 Ex ijs autem elicimus, Ordinis nostri fratres, hoc tempore, tum devotione apud fideles, tum doctrina claruisse, vt propterea plures eorum aggregari Collegio desiderarent, plures etiam in Theologiæ facultate instructi in eo cernerentur, vt ex præfatis Diplomatibus habetur. Hinc quoque merito elicitur, quantum Sancto viro Beato Simoni Generali in corde fuerit in Religione sua nedum studium virtutum, sed scientiarum, & doctrinæ semina plantare. Notatio.

Ann. Christi 1254. Innocentij 4. Roman. Pontif. 12. Imper. vacat. Balduini Imperat. Orient. 26. B. Simon. General. 10.

1 PRæcipuum huius anni negotium in Ecclesia id erat, vt Summus Pontifex Innocentius Regni Siculi, quod propter mortem Conradi Friderici Imperatoris filij, alter ipsius spurius Manfredus occupare volebat iura defenderet. Neapolim propterea veniens ad finem fermè huius anni ex hac vita decessit. Successorem autem habuit Alexandrum Quartum, quem etiam inter Ordinis nostri benefactores numerare possumus, prout ex dicendis in sequentibus liquescet. Onuphrius, Æmilius, Gordonus, & alij. Huius anni negotia.

2 Antequam autem ex hac vita migrasset Innocentius, nec sui, nec nostrorum oblitus, Anagniæ existens, sub septimo Kalendas septembris donationem illis à Riccardo de Grei (alijs Graie) factam Conuentuum Aylesfordiensis, & Londinensis in Anglia, de qua sub annis 1240. & 1241. diximus, confirmauit, litteris datis ad Episcopum Heliensem: quibus ei etiam mandauit ne permitteret contra confirmationem prædictam eos indebitè molestari, molestatores per censuram Ecclesiasticam compescendo. Litteræ sunt huius tenoris ex Speculo Ordinis *fol. 71. pag. 2.* exceptæ. *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Episcopo Heliensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Porrecta nobis dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Eremitarum de Monte Carmeli in Anglia commorantium petitio continebat, quod nobilis vir* Ricardus de Grey *quædam loca, vnum videlicet apud Aylisforde in Cantia Roffen. Diœc. et alium in suburbio Ciuitatis Londonien. vxoris suę accedente consensu, prout spectabat ad eum pro animę suæ remedio eis contulit, et prouida liberalitate concessit. Nos igitur ipsorum supplicationibus benignum impertientes assensum, quod super hoc ab eodem nobili piè, ac prouide factum est, et in alterius pręiudicium non redundat, ratum, et gratum habentes,* Papæ concessio.

bentes, illud auctoritate Apostolica duximus confirmandum: Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos non permittas contra confirmationis tenorem super his ab aliquibus indebitè molestari; molestatores huiusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici per litteras eiusdem Sedis non possint, quę de indulto huiusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem.

Alia concessio Innoc. 4.

3 Volentibus etiam eisdem Fratribus nostris in Anglia commorantibus, in Londinensi Diœcesi noua fundare Monasteria, vel illud, quod primitus in suburbio solum Ciuitatis situm erat, in commodiorem locum transferre, Pontifex benignè annuens, has litteras pro ipsorum commendatione ad Londinensem Episcopum ex Speculo Ordinis *fol. 74. pag. 1.* extractas scribendas duxit, ex Anagnia 5. Idus Septembris. *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Episcopo Londonien. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Fauoris nostri praeuenire decet auxilio, vt quod pro pio Religionis augmento deposcitur, affectu beneuolo prouide concedatur. Cum itaque dilecti filij Prior, & fratres Eremitae de Monte Carmeli in Anglia commorantes, ad tuam Diaecesim diuertere cupiant, vt ibidem insistant diuinis laudibus, & sibi, ac alijs gloriam perpetuae claritatis acquirant, fraternitatem tuam attente rogandam duximus; & monendam per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eos pro Apostolicae Sedis, & nostra reuerentia, commendatos habeas, & ipsos degentes in dicta Diaecesi ab incursibus quorumlibet malefactorum tuo dominio subditorum, quantum in te fuerit, protegas, & defendas, ita quod ipsi te sibi gaudeant inuenisse beneuolum, ac tibi ex inde praemium diuinae benedictionis, & à nobis gratiarum actio compensetur. Data Anagniae quinto Idus Septembris Pontificatus nostri anno duodecimo.*

Henricus de Hanna 2.

4 Desierat Radulphus Fresburnes primus nostrorū in Anglia Propagator hoc anno Prouincialis munus, quod per quatuordecim annos gesserat, exercere, successorem habens Henricum de Hanna Londini electum, tam sollicitum Ordinis zelatorem, vt pro eius dilatatione per Franciam, Germaniam, Hiberniam, & Scotiam vsque ad annum 1299. laborauerit. Balæus in Cathalogo Scriptorum Brittan. *Centur. 2.* Pitseus de scriptoribus Angliæ ętate 13. *num.* 432. Huius ergo Henrici diligentia, & zelo, præfatas ab Innocentio litteras datas autumare possumus.

Mechlinien. Conuentus.

5 Hoc eodem anno Mechliniensis Conuentus fundatio cepit, teste Ioanne Baptista de Grammaye in sua historia antiquitatum Vrbis, & Prouinciæ Mechliniensis; permissu, inquit, & ope Ioannis Bartoutij. Videtur autem huiusmodi prima Cęnobij erectio extra muros Ciuitatis facta: etenim intra Ciuitatem admissi non sunt fratres nostri vsque ad annum 1300. iuxta Palçonydorū, vel 1303. ex vetusto M.S. Archiuij Conuentus, vbi hæc. Conuentus fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ de Monte Carmeli in Oppido Mechliniensi infra muros fuit ex consensu Dominorum de Oppido admissus anno 1303. in die Purificationis

tionis eiusdem Virginis Benedictæ. Sequitur in eodem libro. *Anno Domini 1303. in feria sexta facta sunt concordata inter Dominos de Capitulo Sancti Rumoldi, & Fratres Carmelitas de redemptione oblationum* &c. omnibus conuentionibus alijs abrasis, quia ijdem fratres ante duo loca extra muros habuerant. Quot annis extra muros egerint, ignoratur, eo quod in Conuentus conflagratione vetusta monumenta perierint. Conuentus hic est amplus, & magnificus. Ad hunc spectat quoque Sacellum Sanctæ Crucis extra muros magnæ deuotionis. Prodierunt ex hoc Conuentu Viri illustres, Iacobus Croatensis Episcopus; Henricus de Tolins Episcopus Rossensis suffraganeus Cameracensis, & Leodiensis; Ioan. Ducis S.Th. Doctor, confessarius, Ioannę Ducissę Brabātię sepultæ in Conuentu nostro Bruxell. Ægidius de Merica Episcopus Beritensis, & suffraganeus Cameracensis; Laurentius Duci Episcopus Hebronensis suffraganeus Traiectensis, Martinus Cuperus Episcopus Chalcedonensis, suffraganeus Cameracensis, & Abbas Monasterij Chrispiniensis Ordinis S. Benedicti. Sanctitatis etiam opinione claruerunt Petrus Lupus, Georgius Petrus, & alij. Doctrina quoque floruerunt, & libris scriptis Ioannes Schohonouen, Ioannes Malinis, Ioannes Pasquasius, & Ioannes ab Aqua veteri, alias Palæonydorus. De illis autem suo tempore dicemus.

6 Cepit ab hoc anno Prophetia, seu oraculum Angelicum nostri Beati Cyrilli, de quo circa annum 1192. diximus, adimpleri. Initium etenim illius hoc est. *Tempore annorum Christi 1254. Februarij kalen. octauo; Sol orietur inter muros periurij lymphis vallatos, in hora leonis Zizaniorum, & Veprium. Et crescet Altissimo dedicatus, &c.* Etsi enim Ioachimus Abbas in expositione huius loci credere videatur terminum incertum hoc certo tempore designatum; cum tamen in toto cap. 1. Oraculi, quod in alijs capitibus non fit, certus annus, & certa dies sępius describatur, sufficiens fundamentum non est, vt certum pro incerto sumi asserere possimus. Quis vero fuerit Sol iste, de quo in prædicto capite mentio fit, quamuis certum, nobilem aliquem, aut clarissimum virum designare, quis tamen ille fuerit, vsque modo incompertum. Cui Deus dederit id exponat; nobis enim in eo immorari modo non vacat. Oraculum B. Cyrilli.

7 Illud tamen non prætermittendum, quod cum S. Ludouicus Galliarum Rex, qui ab aliquibus annis in Oriente pro Catholicę fidei propagatione contra Mahumetanos pugnans, versabatur, hoc anno 1254. iuxta computum Spondani, Gordoni, Oderici, & nostri Cheroni in Patriam, post mortem Blāchę matris reuerteretur; sæpius mente reuoluimus, an is fuerit *Sol* ille clarissimus per B. Cyrillum in suo Angelico Oraculo denotatus; vel saltem an *Solis* nomine Cyrillus intellexerit suum Carmeliticū Ordinem, per eundem S. Ludouicum Parisios eo anno delatum, & exinde per Gallias, aliasque Europæ partes extensum, quod extraneum omnino non videtur capitis primi illius Oraculi contextui, si non omnino ad litteram, vt iacet, sed sub alicuius metaphoræ vmbra, aliarum instar Pro- An D. Ludouicus fuerit iste Sol.

phetiarum, accipiatur. Quia tamen sublimioribus ingenijs hoc veluti debitum est, rem ipsis ruminandam relinquimus, & ad historiam præfatam enucleandam accedimus:

S. Ludouici aduentus in Carmelitã. 8 Celebris igitur hic annus posteritati nostrorum semper erit, quod eo Sanctus Ludouicus Gallorum Rex ex Syria reuertens aliquot Carmeli Professores, Europam, Parisios maximè, ex quo in multis alijs Galliæ partibus multiplicatio eorum propagata fuit, secum vexerit. Sub anno 1245. rem accidisse refert Primus Cabilonensis Episcopus *in Topografia Sanctorum*, sed error manifestè, pro anno 1254. illi in numeris similem 1245. describens. Cum enim anno 1248. in Palęstinam transfretasset, & sequenti Damiatam à Sarracenis desertam, & incensam cepisset, ac postea 1250. Sacra Terræ Sanctæ loca, Nazarethum præcipuè, pie perlustrasset, hoc anno 1254. reditum in patriam parabat. Vt notant Spondanus, Gordonus, & Odericus; licet pro anno sequenti rem gestat credere videatur Abraham Bzouius sub eo anno num. 9. Accidit autem ante sui discessum celebre miraculum, ex quo pij Regis Sanctitas mundo clarior fuit, nostrique Ordinis in Galliarum partibus, Parisijs præsertim propagatio amplificata est. Casum refert Gulielmus de Sannico Montis Carmeli illa tempestate Eremita *in Tractatu de multiplicatione Ordinis cap. 6.* his verbis: *Beatus autem Ludouicus Rex Francorum Illustrissimus dilatationem fidei christianæ ardenti desiderio cupiens, anno Domini 1248. contra gentem incredulam Cruce signatus cum magno exercitu transfretauit. Et tandem ad Egyptum applicans, famosam illam Ciuitatem Egypti, quam Damiatam vocant, anno Domini 1249. cepit. Vlterius autem procedens ipse cum suis captus fuit à Sarracenis. Reddita itaque eis Damiata, & copiosa pecunia pro sui, & suorum redemptione data, de captione liberatus, ad Terram Sanctam peregre est profectus. Qui Sepulchrum Domini visitans, & cetera religiosa Terræ Sanctæ loca perquirens, ad Montem Carmeli ascendens, propter laudabilem conuersationem fratrum B. Marię de Monte Carmeli ibidem commorantium, eorum Monasterium ex deuotione visitauit. Post modum vero audita morte Reginæ matris suæ, Baronum suorum cõsilio redire in Franciam acquieuit. Et dum esset in mari tertia nocte prope diluculum, nauis deferens Regem retrocedendo ad biralassum* (idest rupem, seu Terræ lingulam) *iuxta Montem Carmeli bina impulsione tam fortiter est collisa, quod à nautis, & alijs fracta, & protinus submergenda credebatur. Tanta ergo concussione excitati, & perterriti, quidam eorum clamauerunt, & alij Sanctum Regem genibus flexis Deum deuotè orantem inuenerũt. Cumque omnes submergi indubitanter crederent Campanam Monasterij Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli pro matutinis dicendis sonantem in auribus suis resonare senserunt. Qua audita, pius Rex, cuius loci Campana esset Nauarchum diligenter interrogauit, & eam esse Monasterij Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli ex Nauarchi responso percepit. In deuotione ergo Genitricis Dei accensus Rex eius Monasteriũ tunc visitare promisit, si ipsa ab illa graui tempestate eũ cum alijs liberaret. Tranquillitate ergo eius meritis, & precibus, in mari subito facta, B. Mariæ*

eos à

eos à prædicto mortis periculo liberante: mox mitis Rex in Montem Carmeli ascendens matutinas Fratrum magna cum deuotione audiuit. Quibus dictis pius, Rex locum illum humiliter contemplans, ac prædictorum Fratrum titulo B. Mariæ Virginis in toto Orbe terrarum quoad Ordines approbatos singulariter insignitorum, fama laudabili, & Religiositate permotus, quosdam eorum natione Gallicos à Priore dicti Monasterij postulauit, qui ideo desiderabant Sanctum Regem sequi, & fugere de loco illo ante faciem persequentium Paganorum, quia propter graues Paganorum incursus frequenter oportuerat eos hactenus Monasterium illud deserere, & se interdum in saltu Montis Carmeli abscondere, interdum vero, in Ciuitate Caiphas se includere. Quos vero sex à Priore sibi concessos Rex secum in Francia duxit, & eis in Ciuitate sua Parisijs Monasterium ędificauit. Qui alios ad suam Religionem recipientes, in diuersis partibus Franciæ, & Alemaniæ Monasteria sui Ordinis paulatim construxerunt. Hæc huius æui Synchronus author. Cui ferè similia Arnoldus Bostius in *lib. de Patron. Virg. c. 7.* Ioannes à Leidis *lib 23. chron. Belgic. c. 3.* qui habetur inter Annales rerum belgicarum *Tomo primo*. Ioannes de Malinis *in Speculo historiali Ordinis c. 8.* Ioannes de Cimineto *in tractatulo* Speculum Ordinis nuncupato *cap. 7.* verbis referendis infra ad ann. 1256. *Paleonydorus lib. 3. c. 6.* & Neotherici alij Historici Ordinis cum Baptista Mantuano *de Sacris diebus lib. 8. in festo S. Ludouici*. Fauet, & Bzouius relatus, ac maximè Spondanus sub hoc anno. Historia quoque ad longum refertur in Nicolai Manerbij Veneti legenda Sanctorum in vita eiusdem Sancti Ludouici Regis.

9 Scio quosdam, cui Odericus adhærere videtur, historiam hanc de miraculosa ereptione e periculo Maris S. huius Regis, non apud Carmelum, sed apud Insulam Cyprum contigisse narrare; nulla de Carmelo, ascensu ad illum, aut Carmelitis mentione habita. Cæterum, quia Guillelmus de Sannico primus ipsius author, & à quo nostri eam accipere potuere, circa id tempus Carmeli Eremita erat, & veluti oculatus testis rem gestam narrare poterat; constat etiam D. Ludouicum, prout ex alijs affert Spondanus relatus, Ptolemaidem, Carmelo proximam vrbem, appulisse, ex quo plusquam credibile est ob Sancti viri pietatem, Carmeli Sanctuarium inuisere voluisse, ac proinde apud illud promontorium casum contingere potuisse; ideo Guillelmo prædicto magis credendum, quam alijs, qui loco, & tempore absentes, solum ex aliorum relatione, quæ sæpius lubrica est, & obscura, scribunt, quæ non viderunt, sed multis post annis audierunt. Pręsertim cum effectus secutus causam præcedentem ostendat. Etenim secum S. Ludouicum Carmeli Eremitas Parisios vexisse, eisque locum in ea Vrbe dedisse, Monasteriumque extruxisse, ac prouentibus ditasse, iuxta portam olim *Barratam* à Fratribus nostris barrata pallia tunc gestantibus, dictam, constans fama, & traditio nostrorum est, quam ex parte etiam recipiunt Bzouius, & Spondanus. Forsan etiam dici posset, à quo non procul abest Spondanus, siquidem ait, sæpius Maris pericula S. Regem cum sua classe incurrisse, vtroque loco, iuxta Carme- Quorundam placitum.

lum videlicet, & insulam Cyprum casum contigisse; etsi dissimilem forsan, sed per errorem ab historicis, non satis distinctè enarratum esse.

Quis Prior Carmeli tūc

10 Quis porro is Prior Carmeli eo tempore fuerit, à quo S. Ludouicus Fratres pro suo Regno, pront Gulielmus relatus ait, postulauit, incertum videtur. Cæterum ex Segero Pauli in Chronologia B. Simonis ad ann. 1254. elici datur, fuisse Nicolaum Gallicum Successorem in Generalatu B. Simonis, & qui eius vices in Orientis partibus tenebat. Cui etiam reuelatum à Beatiss. Virgine dicit aduentum S. Ludouici in Carmelum.

Qui aduenerint Europā.

11 Plures autem alios ex nostris, Carmelitis præter sex illos Francos, de quibus Gulielmus de Sannico relatus, cum S. Ludouico Europam aduenisse fama est, & opinio multorum. Primo etenim illorum quosdam Messanam Siciliæ portum cum S. Rege appulisse testatur Bonfiglius Historicus, quem sub anno 1173. cum Roccho Pyrro impugnauimus, eo quod in Messanensis Conuentus prima fundatione hallucinatus fuerit. Quosdam etiam ex illis, Italos, vt credimus, Neapolim, & Ianuam aduenientes, in eis Ciuitatibus mansionem habuisse, elicitur ex Cherasco in libro, cui titulus *Tesori spirituali della Religione Carmelitana*.

Carmelitæ iam erant in Gallijs.

12 Illud pro comperto est, quod & animaduertit Spondanus relatus, & ex ipso noster Cheron, pag 174. ante tempora S. Ludouici, Ordinis nostri Cænobia in Gallijs extitisse, tum alibi, tum maximè Burdegalæ; prout etiam id quod diximus to. 3. ad ann. 1088. à n. 17. manifestè confirmat. Quod verò idem Spondanus subdit de morte B. Simonis Stoch in hoc Conuentu Burdugalensi pro anno 1250. verum non est, quia non contigit nisi pro anno 1265. vt suo loco dicemus.

Capitulum Londinense.

13 Hoc insuper anno B. Simon Generale Ordinis sui Capitulum celebrauit Londini in Anglia, vt vult Ioannes Pitseus *in Henrico de Hanna*. In quo Capitulo inter alia Venerabilis Radulphus Fresburnus primus Angliæ Prouincialis senio grauis suum resignans officium, successorem accepit præfatum Henricum de Hanna, quem quidem de *Harena* cognominant, natione Anglicum, virum mire industrium, qui Ordinem suum multipliciter per Angliam, Scotiam, Hiberniam, Galliam, & Germaniam propagauit. Et hoc tempore, sub initium scilicet regiminis sui, Oxoniensis primi Carmeli locum de consilio B. Simonis Generalis Ordini acquisiuit: domum videlicet Richardi Comitis Cornubiæ, quam apud Oxoniam in via *Stocvvel* habebat, eamque postea in suorum Monasterium vertit anno 1260. Est hic Conuentus diuersus plane ab altero votiuo, quem medio post sæculo, anno scilicet 1309. fundauit Eduardus II. Rex Angliæ in Palatio suo Regio anno secundo Regni sui, in primo infortunato prælio contra Scotos tunc commisso, non in posteriori ad annum 1314. quod quidam perperam confundunt cum præcedente. Hæc omnia Segerus Pauli supra relatus, in sequentibus trutinanda.

Ann.

Ann. Christi 1255. Alexandri 4. Roman. Pontif. 1. Imperat. vacat. Balduini Imp. Orient. 27. B. Simon. General. 11.

1 NOuus Pontifex Alexander quartus Romanæ Ecclesiæ negotia in Regno Neapolis, & Sicilię contra Manfredum sub hoc anno curare non prætermittebat. Conscripto enim exercitu; & in Apuliam, & Calabriam destinato, aliquas Ciuitates recepit, eisque præsidia opportuna imposuit. Manfredus autem fingens Conradinum obijsse à Pontificio exercitu, & Bauaris se liberauit, matrimonioque oblato Constantiæ filiæ Petro Aragoniæ Principi vndique se munire, subsidiaque comparare studebat: Pontifex verò eum, vt Ecclesiæ hostem, & Sacrorum contemptorem, anathemate damnauit. Emilius, Honuphrius, Bzouius, Gordonus, & alij. Gesta hoc tempore.

2 Eodem anno Idibus februarij Anagniæ existens omnibus Christi fidelibus Conuentus Ordinis visitantibus, & eisdem eleemosynas charitatiue conferentibus vnum annum, & vnam quadragenam Indulgentiarum concessit. Speculum Ordinis fol. 64. pag. 1. Alexandri concessio.

3 Eodem etiam anno Eboracense in Anglia Cænobium fundatum auspicijs Dominorum de Vesci, & de Percis, qui, vt vidimus circa annum 1240. Holnense in ea Regione Monasterium extrui etiam fecerunt. Speculum Ordinis fol. 60. pag. 1. De hoc autem Eboracensi Conuentu habetur in tabula illa Chronologica in superioribus commemorata: ac de eo dicitur Beatissimæ Virginis Mariæ titulo decoratum fuisse, & eam Ciuitatem secundam Capitalem, in Anglia videlicet, esse. Istius etiam Monasterij erectionem commemorat Segerus Pauli in Chronologia B. Simonis relata pro hoc anno. Et de illo nonnulla in sequentibus dicentur, maximè cum de viris illustribus eius Cœnobij erit sermo. Eboracense Cœnobium.

4 Circa id tempus quo Virginis Deiparæ deuotio per orbem diffundebatur, quidam Clericus sæcularis eiusdem Virginis protectionem, eo quod ipsi esset deuotus, mirabiliter sensit, prout refert Balduinus Leertius Atrebatensis in Collect. exempl. & miracul. cap. 9. his verbis: *Quidam Clericus B. Virginem Mariam multum diligebat, itaque ex affectu pio ad Mariam vix adhuc litteras sciens, aut intelligens, Ecclesias circumquaque circuibat, vt si inueniret alibi orationes in tabellis pendentes, aut laudes, & rigmata ad honorem B. Mariæ, excriberet, & libenter alijs communicans eos ad similia incitaret. Hic in medicos multa ob curationem scabiei sui capitis expenderat, nec curari poterat: veruntamen in breui in studio satis perfecit; concepit autem in animo Religionem velle intrare, sed retardatus verecundia capitis infecti, sperans tamen in auxilio B. Virginis voluit Ordinem istum, cuius titulum B. Virgo decorat, eligere, sed quia ipse Ordo Prædicatoribus dedicatus est, labilem suam memoriam* Beatiss. Virg. deuotio.

moriam recognoſcens, aggredi metuebat. Hic per tempus vacillans tunc iſtum Ordinem, tum illum viſitabat; nec requiem, aut ſtabilitatem inueniebat. Tandem in ſe conuerſus totam ſpem in B. Maria ponens, ſe totum ei commiſit; eum quem Virgo ſibi in ſeruum elegerat, de loco etiam ſaluti ſuæ apto, & ſeruitio ſuo congruo non diſtulit prouidere. Vale dicens igitur ſubito hic iuuenis parentibus, ad ignotas ſolus ſe contulit partes, & ſolus remotus valde à patria ſpiritu Mariæ ductus tandem peruenit ad quendam Conuentum Ordinis Carmelitarum quærens humiliter, & poſtulans habitum, & Fratrum ſocietatem. Quinque dies, vel ſex, diſponente Deo, & Maria de omnibus prouidente, ibi permanſit, & mox ſine probatione alia habitum ſuſcepit, & panni pro habitu, & cappa ſibi ex parte Dei, & Mariæ, non per Conuentum, ſed per alios dati ſunt, & tamen nunquam in illa patria ante fuerat, nec aliquem Fratrum nunquam viderat. Mox, quod mirum eſt, vt tonſuratus in Clericum fuerat, ſanies capitis, & impetigo fugata eſt, & ab illo tempore nunquam vltra hanc maculam perpeſſus eſt, non ſine dubio aliter quàm Mariæ patrocinio, quæ pro priſtinis ſeruitijs vicem rependebat: vnde Frater iſte multum exhilaratus in Dei ſeruicio, & Mariæ beneficio non ingratus in ſancta conuerſatione perſeuerauit, laudans, & honorans Sanctam Dei Genitricem Mariam, cuius adminiculo perſæpe ab inimicis periculis predonum, nota infamiæ, & multis aduerſitatibus erutus eſt. Benedicta ſit igitur Mater Dei glorioſa Patrona Carmeli in ſæcula. Amen. Eadem ferme habet Boſtus in Speculo lib. 7. c. 21.

Ann. Chriſti 1256. Alexander 4. Roman. Pontif. 2. Imper. vacat. Balduini Imperat. Orient. 28 B. Simon. General. 12.

Temporis hujus geſta. 1 Bierat præcedenti anno Guilielmus Rex Rom. Coloniæ, vt propterea tres Imperij Romani competitores, Corradinus ſcilicet puer Conradi filius, & Friderici Imperatoris nepos, Alphonſus Caſtellæ Rex, & Ricardus Anglorum Regis frater cernebatur. Pontifex autem Alexander Moguntino Archiepiſcopus ſcribebat, ne Corradinus vllo modo eligeretur, tum quia puer, tum quia Friderici olim Imperatoris Eccleſiæ Romanæ valdè inſenſi nepos. Manfredus vero Regnum Siculum, & Neapolitanum occupabat. Bzouius *ſub hoc anno*.

Conceſſiones Papæ. 2 Non pauca eodem anno Ordini noſtro priuilegia conceſſit Pontifex Alexander. Primum, quod nullus Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, poſſet à noſtris Patribus exigere, vel ſuſcipere obedientiam contra noſtrorum priuilegiorum tenorem. Bulla autem in Speculo Ordinis *fol.* 67. *pag.* 1. & in Mari magno Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolario collecto *pag.* 21. talis eſt: *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſc. & Epiſc. in quorum Dioceſibus Priores, & Fratres B. Mariæ de Monte Carmeli conſiſtunt, ſalut. & Apoſtolicam,*

cam &c. Cum Prelatos Ecclesiarum, & plantare Sacram Religionem, & plantatam deceat modis omnibus confouere, auctoritate præsentium districtius inhibemus, vt aliquis vestrum à dilectis filijs Prioribus, & Fratribus B. Mariæ de Monte Carmeli, qui consistunt in vestris diœcesibus, vel consistent, obedientiam contra tenorem priuilegiorum, & indulgentiarum Apostolicæ Sedis exigere, vel recipere non præsumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infrigere, vel ei ausu temerarie contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Laterani 18. Kalend. Februarij, Pontificatus nostri anno 2.

3 Item eodem die; & anno concessit Generali, & Prouincialibus Ordinis, quod in suis Prouincijs, & Monasterijs possent visitationis, & correctionis officium exercere, mutare Fratres, nouitios recipere. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol.* 71. *pag.* 1. & in Mari magno per Ioannem Mariam collecto *pag.* 17. Alia concessio.

4 Insuper pro confirmatione declarationis, correctionis, & mitigationis Regulæ nostræ eod. anno hanc Bullam edidit, vt habetur in Speculo Ordinis *fol.* 65. *pag.* 1. *Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & fratribus Ord. Eremitarum de Monte Carmeli, salutem, &c. Cum à nobis petitur quod iustum est, & honestum tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque fælic. recordat. Innocentius Papa prædecessor noster, ad vestræ supplicationis instantiam per dilectum filium Hugonem tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem nostrum Gulielmum Antedarensem Episcopum quædam Regulæ vestræ dubia declarari, ac corrigi, ac quædam ipsius grauia misericorditer fecerit mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Nos vestris precibus inclinati, declarationem, correctionem, ac mitigaitonem huiusmodi instar ipsius prædecessoris Authoritate Apostolica confirmamus; & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo si quis autem &c. Datum Romæ tertio nonas februarij, Pontificatus nostri anno secundo.* Confirmatio Regulæ.

5 Præterea eodem anno pro quinto idus Februarij ad instar concessionis factæ per Innocentium quartum, Carmelitis concessit, quod tempore interdicti generalis possent in suis Ecclesijs, ianuis clausis, non pulsatis campanis, submissa voce, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina officia celebrare, dummodo non dedissent interdicti occasionem; nec specialiter interdicerentur. Speculum Ordinis *fol.* 61. Litteras item recommendationis eodem die, & anno vniuersis Christi fidelibus scripsit pro Ordine nostro ad instar litterarum eiusdem Innocentij 4. Speculum Ordinis *fol.* 61. Insuper eodem anno, quinto nonas Martij, Generali, Prouincialibus, & fratribus Ordini nostri facultatem concessit ministrandi Sacraméta familiaribus, ac tradendi eos sepulturæ cum decesserint, Speculum Ordinis *fol.* 62. Mare magnum Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collectum, *pagina* 11. Ac tandem eodem anno sexto Kal. Mar- Aliæ concessiones.

tij

tij, Generalibus Ordinis plenam facultatem supra subditos statim postquam electi fuerint, concessit. Vide Speculum Ordinis *fol. 61. pag. 2.* & *fol. 62. pag. 1.* & Mare magnum Ordinis per Ioannem Mariam collectum, *Bulla* 37. vbi huius tenoris Bulla habetur. In Speculo quidem Ordinis sic. *Alexander Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, & Fratribus Eremitis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli; salutem, & Apostolicam benedictionem. Quia ex Apostolici cura officij circa Religionis augmentum prompti, & vigiles decet inueniri, super his vestris votis libenter annuimus, in quibus honorem vestri Ordinis, & animarum profectum contineri sentimus. Lecta coram nobis siquidem vestra petitio continebat quod in Regula vestri Ordinis per Sedem Apostolicam confirmata, dignoscitur esse statutum, vt Fratres ipsius Ordinis vnum ex eis habeant Priorem, qui ex vnanimi omnium assensu, vel eorum maioris, & sanioris partis ad Prioratus Officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate, et abdicatione proprietatis; ac etiam secundum constitutiones eiusdem Ordinis, Prior ipsius, qui pro tempore fuerit, à Prioratus Officio absolui, et amoueri potest à Diffinitoribus Capituli Generalis. Et licet tu, fili Prior, et Prædecessores tui, iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, et à Sede toleratam eadem, statim postquam electi fuerint secundum Regulam, et Constitutiones Ordinis vestri, eo ipso veri, et eiusdem Ordinis effecti Priores, curam animarum fratrum ipsius plenè habeant, et liberè gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare, ac absoluere valeant, necnon in eodem Ordine agere, quæ ipsi, & præfati Diffinitores, iuxta memoratas Regulam, & Constitutiones, secundum Deum eisdem Ordini, & fratribus viderint expedire, aliásque Prioratus officium licite, & omnibus exercere, ijdem, ac humiliter obediant, et intendant præfati successores, et tu Prior à Diffinitoribus Capituli Generalis ipsius Ordinis, per Constitutiones iam dicti Ordinis absolui, & amoueri possitis, concessa tibi Prior, tuisque successoribus ante absolutionem, et amotionem huiusmodi exequendi Prioratus officium quoad præmissa omnia, et alia nihilominus libera facultate. Nulli ergo omnino hominum, etc. Datum Lateran. 6. Kalendas Martij, Pontificatus nostri anno secundo.*

Bulla aliter relata.

6 Aliter refertur hæc Bulla in præfato Mari magno *num.* 37. etsi diuersitatis causam ignoremus, his verbis: *Alexander Episcopus, seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Priori Generali, et fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, salutem, et Apostolicam benedictionem. Qui ex Apostolici cura tenemur officij circa Religionis augmentum prompti, et vigiles inueniri, super his vestris votis libenter annuimus, in quibus honorem vestri Ordinis, et animarum profectum contineri sentimus. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod in Regula vestri Ordinis per Sedem Apostolicam confirmata, dignoscitur esse statutum, vt fratres ipsius Ordinis vnum ex eis Priorem habeant, qui ex vnanimi omnium assensu, vel eorum maioris, et sanioris partis ad Prioratus officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, et promißam studeat operis veritate seruare cum castitate.*

tate, et abdicatione proprietatis, ac etiam secundum Constitutiones eiusdem Ordinis Prior ipsius, qui pro tempore fuerit, à Prioratus officio absolui, et amoueri potest à Diffinitoribus Capituli Generalis. Et licet tu fili Prior, et Prædecessores tui iuxta eiusdem Ordinis consuetudinem obseruatam hactenus, et à Sede toleratam eadem, statim postquam electi secundum statutum huiusmodi extitistis curam gesseritis fratrum Ordinis memorati, officium Prioratus plene, et libere in omnibus exercentes, ijdemque fratres vobis deuote, ac humiliter obedierint, intenderintque reuerenter. Quia tamen de præmissis nuper dubitationis scrupulus in vestris, et plurimis dictorum fratrum conscientijs est exortus, humiliter petijstis vobis super hoc de prouidentia Sedis Apostol. subueniri. Nos itaq; volentes omnem ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, et Ordinem ipsum à Sede approbatum eadem honestate floridum, et virtute fecundum, priuilegio Apostolicæ gratiæ attollere speciali, ac vestris supplicationibus inclinati, quicquid super præmissis per te Prior, dictosque Prædecessores fra tres, et diffinitores factum, et obseruatum est hactenus ratum habentes, et firmum, vobis auctoritate præsentium indulgemus, vt successores tui Prior, qui erunt protempore, statim postquam electi fuerint secundum Regulam, et Constitutiones Ordinis vestri, eo ipso veri eiusdem Ordinis effecti Priores, curam animarum fratrum ipsius Ordinis plene habeant, et libere gerant, ipsosque fratres authoritate propria ligare, et soluere valeant, nec non in eodem Ordine agere quæ ipsi, et præfati diffinitores iuxta memoratas Regulam, et constitutiones secundum Deum eisdem Ordini, et fratribus viderint expedire, aliasque Prioratus officium licite in omnibus exercere, ijdemque fratres tibi Prior, et successoribus ipsis deuote, ac humiliter obediant, et intendant, et præfati successores, et tu Prior à diffinitoribus Capituli Generalis ipsius Ordinis secundum Constitutiones iam dicti Ordinis absolui, et amoueri possitis, concessa tibi Prior, tuisque successoribus ante absolutionem, et amotionem huiusmodi exequendi Prioratus officium quoad præmissa omnia, et alia, nihilominus libera facultate. Nulli ergo hominum liceat etc. siquis etc. Datum Lateran. 6. Kal. Martij, Pontificatus nostri anno secundo. De huiusmodi autem priuilegio Alexandri 4. egimus to. 5. summæ quæstionum Regularium §. 30. vbi de alijs ipsum concernentib us.

7 Prodierat etiam ea tempestate infamis quidam libellus, cui titulus, *Tractatus breuis de periculis nouissimorum temporum*, cuius initium erat: *Ecce videntes clamabant foris*, in quo præter impura alia, & putida dogmata contra potestatem Pontificis, & Episcoporum, in Religiosos etiam Mendicantes acriter inuehebatur author, vt propterea magni scandali Seminarium; & multæ turbationis materia existeret, cum retraheret à deuotione solita, & consueta eleemosynarum largitione, & à conuersione, & Religionis ingressu fideles. Hinc Pontifex Alexander, nostrorum, & aliorum Mendicantium pauperum indemnitati, & conseruationi consulens, librum Episcopo Tusculano, & tribus Dominis Cardinalibus examinandum tradidit, ipsiusque malignitate comperta, hoc eodem anno tertio nonas Octobris, ipsum damnauit, & anathematis vinculo defensores, seu approbatores Libellus infamis.

tores obstrinxit. Extat de hoc Bulla apud Bzouium sub hoc anno *num.* 11.

Ordinis propagatio. 8 His ergo Sedis Apostolicæ fauoribus, & Beati Simonis studioso zelo adiuta Religio in dies per Europæ partes valde propagabatur. Parisijs præsertim, quo aduectos fratres nostros ex Carmelo à Sancto Ludouico Rege fuisse sub anno 1254. diximus. Sub hoc .n. anno, vel circiter, domus, seu Cœnobium eiusdem Regis pietate ipsis extruebatur. Id habent præter plures eo loco authores relatos, Marcus Guazzus *in Chronic. fol.* 233. Renatus Coppinus *lib.* 1. *monastic.* & alij. Hanc vero Ædem palatium Regis primo fuisse, habetur in præfata Manerbij legenda, vbi simul affirmatur, in ipsius Ecclesia, Reliquias, quas ex Orientis partibus attulerat, recondidisse. Prouentibus quoque ditasse Cœnobium habet Bzouius sub anno præcedenti *num.* 9. Verumtamen, cum ex Regula nostris prohibitum esset immobilia bona habere, nec id licuit, sicut nec alijs Mendicantibus, donec ex Concilio Tridentino priuilegium ad illa habenda eis omnibus concessum fuit, nullatenus id credendum. In finibus Vrbis id nostrorum domicilium à Sancto Ludouico Parisijs collatum situm fuisse testatur Coppinus adductus, & facile id creditu fit, cum Eremi solitudinibus assueti turbines Ciuitatum quantum fieri posset fugere desiderarent. Ex eo tamen loco ad citeriorem Parisiensis Academiæ regionem à Iana Eburouix Augusta Francica translatos fuisse sub anno 1323. Coppinus affirmat. Fuit autem huiusmodi Parisiense Cœnobium sequentibus temporibus adeo amplum, magnificum, & plurium Religiosorum numero copiosum vt 300. studentes in eo ali soliti essent. Splenduit etiam doctissimorum virorum qui in ipso floruerunt, doctrina; ex quibus nonnulli in sequentibus suis locis censebuntur. Huic Cœnobio, & Templo concessisse. S. Ludouicum Regem ornamentum cum omni sua plenitudine perfectum, ad Deiparæ Virginis decoranda solemnia, testatur Segerus Pauli in Chronologia relata *sub anno* 1254.

Pressura Terræ Sanctæ 9 Prouinciæ interim Terræ Sanctæ Religio cum Christianitate tota in illis partibus valde premebatur hoc tempore, ob Turcarum potentiam, Sancti Ludouici Regis discessum, & Christianorum domesticas discordias: præcipuè tamen Ordinis statum, ob discessum Generalis Alani (qui primus ex Generalibus, vt in superioribus vidimus, Syria, & Carmelo relictis, Europam se transtulerat) & aliorum, qui Angliam, Galliam, Siciliam, & Italiam Religionis propagandæ causa venerant, multum defecisse, creditu facile est. Nihilominus plures ex nostris in ea regione, Carmelo præsertim, sanctitate, & laudabili conuersatione claros nunquam defuisse non minus credibile. Hinc Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap.* 8. affirmat Sanctum Ludouicum Gallorum Regem sæpe Monasterium Montis Carmeli ascendisse, & visitasse: *Propter sanctitatem*, inquit, *et laudabilem conuersationem fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli ibidem commorantium*. Hinc etiam Ioannes de Cimineto in breui tractatulo *Speculum Ordinis* nuncupato *cap.* 7. loquens de eiusdem Sancti Ludouici in Syriam aduentu, inquit: *Eodem*

Eodem similiter temporis interuallo sępius adijt loca sancta, quę Dominus noster Iesus Christus corporali pręsentia consecrauit. Et tunc Montem Sanctum Carmeli ascendit, & locum Fratrum successorum Prophetarum habitantium ibidem, & fontem Eliæ, Speluncam in qua Elias, & alij quamplures Patres inhabitauerunt, diligenter contemplatus, propter sanctitatem, & conuersationem eorum laudabilem, quam de eisdem in terra illa fama communis longè, latèque diffuderat, humiliter visitauit. Et cum tantæ Religiositatis, ac pœnitentię viros, & titulo B. Marię in toto Orbe quoad Ordines approbatos singulariter insignitos, regnumque suum, ac partem Occidentalem conspiceret viris tantæ perfectionis carere, disposuit ad Regnum suum secum aliquos ducere, vt de Regno suo ad Regna alia viros deriuaret perfectos. Et tunc à Priore dicti loci cum instātia Fratres impetrauit, quos tanquam alter Ioseph Fratrum Saluator, diuina disponente prouidentia, ante totalem amissionem Terræ Sanctæ citra Mare ad partes suas secum adduxit.

9 Inter hos ergo, qui ea tempestate ex Ordine nostro partes illas Carmeli, & Terrę Sanctæ illustrabant, vnus nominatur Hilarion, quem titulo Martyris, & Beati compellant nostri Ordinis Historici. Fuit hic Prouincialis Prouinciæ Terræ Sanctæ, & quatenus suspicari licet, post Generalis Alani discessum, (cum nec ipse, nec successor ipsius B. Simon Syrię Monasteria commodè gubernare possent) in illis partibus Vicarius forsan Generalis; Forsan, & ipse fuit Prior ille Montis Carmeli, à quo S. Ludouicus Rex *cum instantia* (vt Ciminetus scripsit) *fratres impetrauit*. Cum enim Carmeli Cænobium caput eius Prouinciæ, sicut, & totius Ordinis esset, sedem quoque Prouincialis eiusdem fuisse valdè credibile. Eius corpus in Regno Cypri, in quodā castro, seu oppido, quod à Sancto Hilarione nomine suo gaudet, in tumba solemni quiescere sub custodia Regis Cypri, testatur Ioannes Grossus in Tractatulo de SS. Ordinis: ex quo aliqui occasionem suspicandi arripuerunt, quod hic B. Hilarion diuersus non sit ab illo ceberrimo Hilarione S. Antonij Discipulo, quem etiam Carmelitis annumerandum tom. 2. ostendimus, & de quo prædicta dicuntur Veruntamen, cum Hilarion, de quo in præsenti, Martyr, Prouincialis Terræ Sanctæ, & *decimus* Sanctus Ordinis post Bertholdum, Brocardum, Cyrillum, & Simonem à Grosso compelletur, proculdubio denotatur, alium ab eo vetustiori, cui talia non competunt, fuisse. Qua autem de causâ ab ipso Martyr dicatur nobis incompertum: forsan ea fuit, quia in aliqua alicuius Ordinis Cænobij à Turcis inuasione, quales sæpius per id tempus in Syria contingere solebant, in odium fidei à Barbaris fuerit interemptus. Nec mirum de hoc certiora monumenta ostendi non posse, cum omnia illa cum Terra Sancta, Christianitate, & Religione, in illis partibus misere perierint. De hoc B. Hilarione loquuntur ex nostris historicis post Ioannem Grossum relatum, Philippus de Sancto Iacobo in Catalogo Illustrium Virorum Ordinis nostri sub hoc anno 1256. sic dicens: *S. Hilarion Palæstinus, Terræ Sanctæ Prouincialis, Martyris gloriosâ morte coronatus, Cælestem Hie-* B. Hilarion.

rusalem est consecutus. Petrus Sarracenus in Menologio Carmelitarum in vita S. Hilarionis Abbatis ad finem, & alij. Inter quos Philippus Metius Strabingensis in vita Illustrium SS. Ordinis, de hoc Hilarione loquens, sic scribit. *S. Hilarion Prouincialis Terræ Sanctæ vir, cum conuersationis gloria, tum vitæ sanctimonia, Religionis, & Fidei Christianæ zelo plurimum in signis, Christi nominis gloria mortem lubens subiuit. Cui, ob eius vitæ sanctimoniã, & res insigniter gestas, Cyprij, vtpote Patriotæ suo in perpetuam memoriam ædificarunt Castrum, dictum Hilarionis, in quo, & sepultus est. Ex archiuio Carmelitarum.*

Ann. Christi 1257. Alexand 4. Roman. Pontif. 3 Imper. vac. Balduin. Imperat. Orient. 29. B. Simon. Gener. 13.

Dissidium propter Imperium.

1 PRæcipuum huius anni negotium erat dissidium Imperij Occidentalis, eo quod Electores Francfordiæ congregati, animis diuersi, duos in Reges Romanorum elegerunt, Alfonsum scilicet Castellæ Regem, & Ricardum Angliç Regis fratrem: ad quos etiam litteras de electione miserunt; & cum vterque se legitimè electum existimaret, æmulum impugnabat. Schisma ergo erat inter eos. In Italia etiam turbines, & motus cernebantur, Manfredo, & Ezelino Tiranno omnia deuastantibus, Manfredo quidem in Etruria, Ezelino autem in Lombardia. Bzouius *sub hoc anno*.

Mendicantium hostes.

2 His quoque annis Guillelmus quidam Matisconensis Canonicus de S. Amore nuncupatus, cum asseclis, Mendicantium Institutum acerbius calumnijs impetebat. Cum videlicet, nec mendicare, nec litteras studere, nec ad populum concionari, vel confessiones pænitentium excipere, licitum eis esse affirmaret. Hęc enim ipsorum dogmata erant præcipua contra Religiosam paupertatem. Primum: *Monachos ex eleemosynis viuentes saluari non posse, cunctosque indiscriminatim teneri obstrictos ad victum sibi opere manuali comparandum*. Secundum; *Paupertatem habitualem esse licitam, non autem actualem: hoc est, licitam esse animi promptitudinem ad omnia pro Christo relinquenda, cum vrget necessitas, hac tamen necessitate seclusa, illicitam esse paupertatem, qua quis renunciat omnibus quę possidet, vt liberius Deo seruiat*. De his Bzouius *sub hoc anno*, Iacobus Gualterius *in Tabula Chronographica sæculo* 13. Repugnarunt his acriter duo Ecclesiæ lumina, S. Thomas, & Bonauentura, hic *in Apologia Pauperum* (sic libri titulus est) ille opusculo, cuius aptum illud initium: *Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput, super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt contra Sanctos tuos*. Repugnauit, & postea noster Vualdensis luculenter contra Vviclephum *In doctrinali fidei libro quarto*. Maximum tamen Ordinum Mendicantium præsidium fuit tunc temporis Alexander Pontifex,

qui

qui anno 3. sui pontificatus, qui huic anno Christi respondet, contra ipsos Bullam edidit; quam affert Bzouius num. 5. Horum autem errorem adhuc non sopitum, sed stercoris instar sua niue in posterioribus sęculis, mansisse, ex ijs quę Ioannes Tillius in Chronico de Regibus Francorum circa annum 1260. scripta reliquit, compertum erit. *Mendicantium* (inquit) *Ordines suum genus vitæ miris laudibus, ac Religionis Sanctitate, Schismaticè, ac seditiosè commendabant. Gulielmus à Fano amoris Sorbonicus Doctor, alijque doctrina clari, mendicitatem illam in vulgus, ac votiuam sine causa paupertatem improbant, contendentes speciem, prætextum Religionis dari inerti, & desidiosæ vitæ, ac mendicationi. Liber eius, qui adhuc extat in Bibliotheca Sorbonę damnatus est.* Quis hoc legat, qui hunc Tillium, hæresi, & Gulielmi doctrinæ fęce infectum non suspicetur?

Ann. Christi 1258. Alexandri 4. Roman. Pontif. 4 Imperat. vacat. Balduini Imp. Orient. 30. B. Simon. General. 14.

1 ECclesiæ res, & negotia sub hoc anno à Tyrannis opprimebãtur. Ezelinus enim in vinculis Legatum Apostolicum, & alios confederatorum Ciuitatum proceres sub anno præcedenti captos tenebat. Manfredus etiam in Sicilia, imo, & Syria ex Oriente res cum magno damno Christianitatis miscebat. Papa autem Alexander ea quæ ad fidem Christianam ampliandam, vel fouendam, fauebant, curare non prætermittebat. Errores enim cuiusdam Ioannis Parmensis, & librum in quo illos docebat, condemnauit. Bzouius *sub hoc anno*. Status Ecclesiæ.

2 Cœpit hoc tempore Ordo noster in Scotiæ Prouincia primum, Monasteriorum saltem extructione, propagari. Hector enim Boetius Scoticarum rerum scriptor, quem Thomas Dempsterius *in Apparatu ad Histor. Scotic. lib. 1. de Religione sub num.* 183. refert, nec impugnat, hunc annum pro primo ingressus nostrorum in eam Prouinciam designat. Iam primitus eo ingressos fuisse, iuxta dicta sub anno 1244 credimus. Etsi solum pro hoc anno fundare cœperint Monasteria. A Guillelmo de Sannico introductos esse subiungunt hi authores: alij vero Ordinis propagationem in Scotia Henrico de Hanna tribuendam censent, iuxta dicta in præcedentib. Vtrumque tamen verum esse potuit. Primum Ordinis Cœnobium Perti, aut fano Sancti Ioannis, quod *Tullilum* dicitur, locum dante Richardo Dunkeldenensi Episcopo, fuisse ijdem authores commemorant. Præter quod alia viginti quatuor Dempsterius refert, videlicet Adimburgi 1. Aberdonæ 2. Glascuæ 3. ex quo prodijt Elias fordan, primus Philosophiæ Lector, & primus creatus Theologiæ Doctor Dunzeldi, 4. quod *Archidiaconi* opus dicitur, Elgini, seu Morauiense, 5. Stirlingæ, quod fuit Anglorum hospitium Vrbe obsessa, 6. Dumblaui, quod dicitur vltimo Scotię Monasteria.

vastatum. 7. Dumeni, vel Drumminnoni. 8. Tantalloni, quod erat Patrimonium Duglassiorum Angusiæ 9. Kraimondæ, vnde Simon Patriarcha Antiochenus prodijt. 10. Brechini Dempsterorum munificentia conditum, authore Malcholmo de Karrestoum Barone anno 1268. 11, Chanriæ Rossensis Episcopi Sede Canonicorum Collegio tam superbæ, & magnificæ structuræ olim honestata, vt in Europa cum melioribus conferri potuisset. 12. Dunrodenæ in Prouincia Cathenesiæ. 13. Candidæ Casæ. 14. Reauenę, seu Ruthvenæ; 15. Quabordenæ. 16. Dordechonæ. 17. Sancti Andreæ. 18. Casnes. 19. Lithquo. 20. Iruvini Gunighaniæ Oppido. 21. Bamfij, quod est Prouinciæ Buchaniæ caput, Præfecturæ titulo illustre. 22. Queinferriæ. 23. Lismori in Agardia. 24. Hæc ferme Thomas Dempsterus vt supra, quæ pro nunc suppetunt de ista Prouincia, quæ iam pridem à multis annis ab Hæreticis deuastata, possessaque est, vt vix de ipsa aliud habere possimus, nisi quod in numero Prouinciarum Ordinis 13. est.

Testimoniū Dempsteri.

3 Insigne etiam de nostris Religiosis in prædicta Scotiæ Prouincia degentibus hoc protulit testimonium Dempsterus vt supra. *Fuit hic Ordo apud nostrates maximo Religionis ornamento, & pręcipua tum pietatis, tum vero Religionis nomine multis sęculis veneratione, nec feruido mutandę Religionis æstu vllus, quod legendo compererim, aut fando audiuerim, ex eo Ordine Apostata Scotus. Contra vero multi summa sanctitatis opinione floruerunt.* Hæc ille, magni nominis nostræ Religionis in ea Prouincia indicium.

Genuense Cœnobium.

4 Eodem etiam anno, vel circiter, nobilissimum Genuense Ordinis nostri Cœnobiũ à Patribus nostris inchoatum in loco tunc *Tericius*, nunc vero *Valliciara* nuncupato. Ecclesiæ titulus *Annunciationis B. Marię Virginis*, nec constat alium vnquam habuisse. Initium fuit Capella quędam eo loco existens intra fines Parochiarum subiectarum Abbatis S. Syri Benedictinorum, nunc Theatinorum Patrum. Ampliauit ædificium domus, & terricula quędam à Iacobo Picamilio prætio empta: lites inde cum Benedictinis, & Archiepiscopo Ianuensi ortæ, sed Beatę Virginis patrocinio victoria nostris cessit. Auctum est Monasterium anno 1260. vt ibi dicemus. Quamuis autem illud gloriosum prædicent plures insignes tum sanctitate, tum doctrina viri, qui in eo religiosè vixerunt, gloriosius tamen ex spina coronæ Dominicæ, quæ ibi asseruatur, vt dicemus anno 1414. Est in Archiuio huius Conuentus transumptum Bullæ Sabbatinæ in publica forma scriptum. Creditur fundatum Monasterium hoc ab illis quos è Carmelo S. Ludouicus Rex Europam duxit, de quibus supra anno 1254. vt testatur Franciscus Cherascus *in libro cui* titulus *Tesori Spirituali della Religione Carmelitana*. Vbi etiam de pluribus Illustribus Religiosis nostris qui hoc Cænobium honestauerunt.

S Alberti tyrocinij.

5 Hic annus 1258. primus est, iuxta computum nostrum, & dicta sub anno 1250. ingressus in Religionem sancti pueri Alberti, prout rem gestam narrant Surius in eius vita, Codex Vaticanus, & alij Scriptores.

Apud

Apud quos plura, ipsaque pijssima, de Alberto, & qualiter cum à pluribus nobilibus pro sponso filiarum à patre expostularetur; ipseque vxori rem communicaret, ea voti facti illum certiorem fecit; & ita, vtroque consentiente, puer *abijt ad Conuentum Carmelitarum Trapani circa duo milliaria*, & ibi habitu postulato à Priore, eum suscepit. Multa proinde à diabolo passus, vt à proposito recederet, sed Dei gratia eum superans, professionem tandem suo tempore emisit.

6 In his notandum, quod verba relata ex Codice Vaticanó, satis fauent sententiæ illorum, qui, vt vidimus sub anno 1250. acriter contendunt, S. Albertum, non Drepani, sed in illa Ciuitate *Monte Drepani* nuncupata, natum fuisse, & inde *Drepanum*, vbi tunc erat Ordinis Monasterium, pro habitu suscipiendo venisse. Hoc autem Monasterium Ordinis illud est, in quo seruari pretiosissimam illam Deiparæ Virginis Drepanensis Iconem diximus in præcedentibus. Notatio.

Ann. Christi 1259. Alexandri 4. Roman. Pontif. 5. Imper. vacat. Balduini Imperat. Orient. 31. B. Simon. General. 15.

1 DIgladiabatur sub id tempus Veneti, & Genuenses in Syria de Imperio Ptolemaidis, seu Acconis, cui Vrbi, vt sępius diximus, Carmelus noster vicinus erat. Quod intestinum Christianorum bellum causa fuit quod Latini Costantinopolitanum Imperium sub hoc anno cum magna Christianitatis iactura perdidissent. Successit autem Michael Paleologus Augustus à Græcis consalutatus. Perit eodem tempore Ezelinus Tyrannus, qui multis annis plures Italiæ Vrbes oppressas tenuerat. Annales Flandrici, Bzouius. Diffid. inter Christianos.

2 Ordinis nostri status in Europa sub hoc tempore, prout ex Speculo Ordinis *lib.* 10. *c.* 2. habetur, talis erat. Quamuis fratres diuersis Summorum Pontificum priuilegijs muniti in locis, ad quæ inhabitanda venerant, in omni patientia, & humilitatis Spiritu se Dominis Prælatis deuotos exhiberent, mandatis etiam eorum, quatenus institutis sui Ordinis non obuiabant, prompté parendo, nihilominus tamen quidã illorum ipsos nimium comprimebant, in Oratorijs, & Ecclesijs sui Ordinis eos quandocunque diuina celebrare officia non permittentes. Erat etiam inter eosdem Religiosos inquietudinis aliqua causa, quod ad alios Regulares Ordines quidam ipsorum transire posse dicerent, & forsan aliqui transitum fecissent. His ergo incommodis obuiare studens prudens, & zelator Pastor B. Simon Generalis ad Summum Pontificem Alexandrum Anagnię agentem recursum habuit. Ordin. status.

3 Hoc ergo anno Idibus Februar. gratiosam valde Epistolam pro Ordine nostro scripsit, quæ habetur in Speculo Ordinis *fol.* 68 *pag.* 2. & *lib.* 10. Alexand. Papæ litteræ.

lib. 10. *c.* 2. præcipiens per ipſam omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in quorum Ciuitatibus, vel Diœceſibus Religioſi noſtri conſiſtebant, quatenus ab ipſorum moleſtijs, & grauaminibus deſiſtentes, & ſubditos eorum ab inquietatione ipſorum compeſcentes, permitterent ipſos diuina Officia in ſuis Oratorijs liberè celebrare, *prout decet*, inquit Pontifex, *Viros Religioſos approbati Ordinis*. Subiungit. *Ita vt fratres prædicti propter hoc ad nos recurrere vlterius non cogantur*. Ex quo infertur, Clericos illis infeſtos tunc fuiſſe moleſtatores, nec illis, ſuis priuilegijs vti permiſiſſe. Inſuper eodem die, & anno, litteris alijs datis prohibuit, *ne aliqui Religioſi Profeſſores Ordinis paris arctitudinis*, aliquem de fratribus noſtris profeſſum reciperent, & iam receptum præcepit nobis reſtitui. Habentur in Speculo Ordinis *fol.* 71. & in Mari magno per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto *pag.* 15.

Aliæ litteræ Papales.

4 Præterea hoc etiam anno 15. Kal. Aprilis, Generali, & Prioribus omnibus Ordinis, vt Apoſtatas, & inſolentes, niſi ipſorum ſalubribus monitis acquieſcerent, excommunicare, capere, ligare, & carceri tradere poſſent, conceſſit. Extant litteræ in Speculo Ordinis *fol.* 71. *pag.* 1.

Moniales Louanienſes.

5 Sub eodem anno 1259. vt tradit Claudius Robertus Lingonenſis *in Gallia Chriſtiana in Appendic.* loquens de tempore B. Simonis StocK, Carmelitę Moniales Louanij inſtitutę ſunt. Huius tamen Cœnobij alia memoria non extat, niſi quod Moniales quædam, quæ Xenodochij cuiuſdam louanij Ciuitatis curam gerunt, Ordinis noſtri Breuiario vſas fuiſſe; in eorum Eccleſia noſtrorum Fratrum ſepulchra cerni; & ſub eorum directione manſiſſe proditum ſit. Conijci ergo datur eas primitus Carmelitanas fuiſſe ab hoc tempore B. Simonis, vt Claudius Robertus ſcribit, licet poſtea ob aliquam cauſam (præſertim quia ante annum 1455. noſtri Fratres ibidem Ædem non habuerunt) ipſæ habitum, & Ordinem dimiſerint.

Vmfridus NeKton.

6 Celebratur Vmfridus NeKton Noruallus, quod ex Ordinis noſtri alumnis in inclyta Cantabrigiæ in Anglia Academia ſub hoc anno primus Summum Doctoratus gradum promeruerit. De quo Ioannes Lelandus diſtichon ſcripſit.

Laudibus Vmfredum meritis ſuper aſtra feramus
Cui data Gratana laurea prima ſcholæ

Hic pater Fidem, ac Sedem Catholicam, & Apoſtolicam, eruditione, & morum probitate clarus ſolidè doctus, diſputator ſubtilis, & Concionator vehemens vſque ad ann. 1303. piè promouit. Ioannes Balæus in Cathalogo Scriptorum Brittaniæ *centur.* 2. Ioannes Pitſeus de *Scriptoribus Angliæ*, & alij.

Ann.

Ann. Christi 1260. Alexandri 4. Roman. Pontif. 6 Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 1. B. Simon. General. 16.

1 ORbis præcipua negotia sub hoc anno talia erant: Curabat Summus Pontifex Alexander Quartus Manfredum Neapolitani, & Siculi Regnorum iura vsurpantem, ad mentem reuocare: cui ille insolenter respondens obedire respuit. In Græcia Genuenses Paleologum contra Venetos iuuantes, magna ipsorum cladis causa extiterunt. In Lombardia res Ecclesiæ, & Ciuitatum confœderatarum fœliciores. Legatus enim Pontificis Albericum fratrem Ezelini Tyranni cum vxore, ac liberis captum debitis pœnis puniebat. Bzouius. Orbis negotia.

2 Laborabant interim nostri Ordinis Professores in nouis Cœnobijs recipiendis, vel extruendis. Hinc hoc anno Oxoniæ, Angliæ pernobili Gymnasio, & Ciuitate, primum, & vetustum Monasterium habere cœperunt; Fundatore Domino Nicolao Noolcs. Sic enim habemus *ex Specul. Ordin. fol.* 60. Pro eo autem construendo impetrasse Henricum de Hanna hoc tempore eius Prouinciæ Præsulem palatium Richardi Comitis Cornubiæ (hic erat Regis frater, in Regem Romanorum electus) habet Pitseus *de Scriptoribus Angliæ Ætate* 13. in ipso Hænrico. Nuperum vero Oxoniense Ordinis nostri Cœnobium, ab Eduardo secundo, per errorem in Specul. Ordin. loco relato vocato tertio, Anglorum Rege, fundatum esse sub anno 1314. dicemus. Quamuis in Catalogo illo Cœnobiorum Angliæ, nonnisi anno 1308. id accidisse dicatur, & vocetur 27. numero inter eius Regni Conuentus. Res ergo incerta, nisi dicamus, prout sæpius in superioribus indicatum est, huiusmodi varias opiniones ex varijs Monasterij mutationibus, ortas fuisse. Id certius, sub titulo Gloriosissimæ Virginis Mariæ, sicut & fere omnia alia Angliæ Monasteria, nuncupatum fuisse. Certum quoque quod in eo plures, & illustres valde Patres sequenti tempore claruerunt. Inter quos vnus est præsertim, Petrus Suuonyngtonus, primus ex Ordine nostro in hoc Oxoniensi Gymnasio Doctor, & professor, de quo sub anno 1270. dicetur. Alius Guillelmus Paganus Oxoniēsis etiam Doctor, & Episc. Medensis in Hibernia, de quo sub ann. 1280. loquimur. Quibus innumeri fere alij iunguntur, de quibus in sequentibus, maximè Thomas Vualdenus, seu Vualdensis cunctis celebrior. Oxoniense Cœnobium.

3 Circa hoc etiam tempus Conuentus noster Bononiensis plurimorum PP. insigniumque DD. qui in ipso claruerunt, fons, & scaturigo, stabiliri cepit sub Octauiano Vualdero Bononiensi Archiepiscopo. Sub Religionis corpore per plures annos permansit, donec sub anno 1450. Nicolaus Quintus eum PP. Congregat. Mantuanæ, qui tunc reformationis laude fulgebant, & Petronio de Bononia Priori, dari statuit: rem com- Bononiense

mittendo Hilarioni Episcopo Tusculano, in ciuitate Bononiæ Apostolicæ Sedis Legato. Plura de hoc celeberrimo Monasterio, nunc temporis Sancti Martini dicto, scribi possent, nisi sigillatim, & sparsim hoc Tomo, & sequenti dicerentur. Interim in Archiuio Conuentus Sancti Chrysogoni de Vrbe plura monumenta de huius Cœnobij priuilegijs, gratijs, indulgentijs, à Summis Pontificibus, Legatis, & Episcopis, concessis, cernuntur.

Genuense. 4 Insuper eodem anno 1260. pro ampliando Genuensi Monasterio, de quo anno 1258. diximus, Patres nostri titulo locationis quandam domum, & hortum acceperunt, ex quo, & alijs temporibus subsequentibus, expensis factis, piorumq; eleemosynis, Monasterij fabrica insigniter creuit, integra, & perfecta cum cameris, & officinis Religiosorum indigentijs apte commodis. Erat tunc Cœnobij Prior Stephanus de Ianua, de quo, & alijs ad illud spectantibus, scribit Franciscus Cherascus in lib: cui titulus *Tesori della Religione Carmelitana*.

Ann. Christi 1261. Alexandri 4. Roman. Pontif. 7. Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 2 B. Simon. General. 17.

Italiæ bella. 1 Ccupatur sub hoc anno Florentia à Gibellinis, à quibus etiam, & Manfredianis magna Etruriæ pars tenebatur. Guelphi autem Corradinum Corradi filium in auxilium vocabant, sicut Gibellini Richardum in Regem Romanorum electum. Veneti etiam, & Genuenses, cum magno totius Reipublicæ Christianæ detrimento, inter se contendebant, curante Pontifice ipsos pacificare, vt propterea Viterbium se contulerit, vbi eum mors, vt dicemus, præoccupauit. Bzouius.

Papæ concessio. 2 Antequam autem è vita excederet aliquot priuilegia sub hoc anno Ordini nostro concessit. Primo enim paci, & tranquillitati nostrorum consulens concessit per Bullam, quæ habetur in Speculo Ordin. *folio 71 pagina prima*, quod per decennium non teneremur ad recipiendum officia Inquisitionis, seu correctionis, aut exequutionem quarumcumque causarum quorumcumque Iudicum Sedis Apostolicæ. Ex quo habetur iampridem hæc officia contra hæreticam prauitatem, maximè in Angliæ Regnis, exercere solitos Religiosos nostros. Nec de quacunque inquisitione, sed de officio Inquisitorum fidei est id accipiendum, iuxta dicenda anno 1280. ex testimonio Ioannis Balæi, etsi improbi authoris, in ijs tamen fidem merentis, quod eiusdem Anglorum nationis esset, & de rebus nostri Ordinis non mediocriter instructus. Ex eius etiam testimonio in *Appendic. ad Laurentium Anglicum* elici datur, anno præterito sponte reliquisse Carmelitas nostros hæc officia paci, & tranquillitati propriæ consulentes. Sic enim habet. *Ann. Domini 1260. Carmelitæ Fratres, visis populorum odijs, ac scandalis, aduersus Prædicatores, & Minores, officia Inquisitionis,*

tionis, & executionis causarum cum cura Monialium à se excutiunt, ex quadam bulla Alex. 4. Quid porro inde ortum sit, sic subiungit. *Propterea pauciores semper erant Cardinalis ex his, & Augustinianis, quam ex aliorum Mendicantium sectis, vt in quadam ordinaria quaestione Ioannis Chelmestioni apud Nordouicum olim legi.* Notet lector non dicere *nullos*, sed *pauciores*.

3 Insuper eodem anno pro octauo Idus Martij benignam concessionem Ordini fecit idem Alexander Papa, personas, & loca cum omnibus bonis nostris sub B. Petri, & Apostolica protectione suscipiens: loca etiam Ecclesias, domos, Oratoria, hortos, & alia bona nostra iustè, & pacificè possessa auctoritate Apostolica confirmans, ac praecipiens ne quis de hortis, aut virgultis nostris decimas à nobis exigere vel extorquere praesumeret. Bullae initium satis Religioni honorificum id est. *Speciali gratia, & fauore vos illa de causa dignos potissimè reputamus, quia sicut accepimus, toto cordis affectu ad hoc semper intenditis, vt per Sanctae Conuersationis, & vitae studium in conspectu Dei, & hominum placeatis &c.* Speculum Ordinis *fol.* 66. *pag.* 2. Item eodem die, & anno per Bullam, quae habetur in eodem Speculo Ordinis *fol* 68. *pag.* 1. & habet idem initium, ac praecedens, concessit quod in Oratorijs, & Ecclesijs nostris, Campanile cum campana vnica, & Cimiteria, iuxta Ecclesias habere possemus. Eodem quoque anno quinto Idus Martij concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis facultatem absoluendi subditos ab excommunicatione propter percussionem ipsorum contracta, nisi in casu laesionis, propter quam ad Sedem Apostolicam recurrere, sit necessarium. Speculum Ordinis *fol.* 70. *pag.* 1. Ac demum eodem anno pro tertio kalen. Aprilis facultatem concessit Generali, & Prioribus absoluendi venientes ad Ordinem nostrum, à censuris, quas incurrissent, ita tamen, vt si illas incurrissent propter aliqua debita illa soluere tenerentur. Habetur Bulla in Mari magno per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto *pag.* 23.

Aliae concessiones.

4 Eodem anno, & octauo Kal Iunij Viterbij Alexander Papa quo se ex Anagnia receperat, pacem inter Venetos, & Genuenses statuturus, fatis functus est: cuius loco ad 4. Calen. Septembris Iacobus Pantaleo Hierosolimitanus Patriarcha tunc casu in Curia pręsens, Pontifex est electus, & Vrbani Quarti nomine salutatus. Platina, Æmilius, Genebrardus, Ciaconius, & alij. Fuit hic Pontifex, sicut & praedecessores, benignus nostri Ordinis Benefactor, vt cernere licet ex priuilegijs, & fauoribus ipsi concessis.

Vrbani 4. electio.

5 Primo etenim Viterbij eodem anno sexto Calen. Octobris gratiosè concessit Fratribus nostris, vt de debitis personis incertis, & de legatis indistinctè ad pios vsus relictis, ac de quorumdam votorum redemptione accipere possemus pro nostris necessitatibus centũ Marchas argenti, cum quibusdam conditionibus assignatis. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto Bulla 50.

Vrbani concessio.

Ann. Christi 1262. Vrbani 4. Roman. Pontif. 1. Imper. vacat. Michael Paleolog. Imperat. Orient. 3. B. Simon. General. 18.

Vrbani gesta

1 Viterbij hoc anno agens Vrbanus 4. Pontifex Manfredum in Bulla Cœnæ excommunicauit, & Crucis militiam in ipsum conscripsit. Imperij coronam Alphonso Regi Castellæ postulanti dare renuit, ne tamen daretur Conradino Imperatoris Friderici Nepoti sub magnis pœnis Regi Bohemiæ præcepit. Bzouius.

Burdegalen. Cœnobium.

2 Posterioris Monasterij Burdegalensis fundatio huic anno tribuitur à Segero Pauli in chronolog. B. Simonis. De quo tamen sufficiens non video fundamentum. Etsi enim, prout diximus to. 3. præcedenti circa ann: 1099. eo tempore prima huius Cœnobij erectio facta sit; in quo etiam Segerus nobiscum conuenit; de secunda tamen erectione potius videtur credendum Relationi eiusdem Conuentus, quam eo loco adduximus ex varijs monumentis, & vbi dicitur, quod secunda fundatio huius Monasterij facta sit in alio loco de anno 1217. & tertia de anno 1497.

Papæ concessiones.

3 Mirum est quot, quantisque fauoribus, & priuilegijs sub hoc anno Ordinem nostrum Summus Pontifex Vrbanus decorauerit. Quod, & si tum ipsius benignitati, tum B. Simonis Generalis Sanctitati iure ascribi debeat, non incongruè tamen huius rei causam fuisse putamus, quod cum ipse ante assumptionem Patriarcha Ierosolymitanus fuisset, rectè nostrorum in illis partibus sanctam conuersationem nosse posset, ac proinde erga illos specialem beneuolentiam gerere. Primo enim Viterbij existens sub octauo Kal. Martij litteras scripsit ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos Angliæ, ipsis præcipiens, vt beneuolum affectum erga Fratres nostros habentes ipsis concederent licentiam Ecclesias, vel Oratoria construendi, ibi diuina Officia celebrandi, nec non liberam sepulturam habendi. Extant hę litteræ in Speculo Ordinis *fol. 74. pag. 1.* In quibus hæc de Fratribus nostris: *Maximè cum ipsi studeant sub extrema paupertate viuere; ac virtutum cultui desudare, ipsorumque ad hoc feruenter aspiret affectio, vt per eorum ministerium salus Deo gratissima proueniat animarum.*

Alia.

4 Quia tamen tam pro huiusmodi, quam pro aliorum priuilegiorum executione valde necessaria semper fuit Religionibus Iudicum Conseruatorum institutio, ideo ad hoc munus gerendum Archiepiscopum Cantuariensem destinauit, literis datis sub hoc anno Viterbij, Idibus Martij in Speculo Ordinis *fol. 73. pag. 1.* huius tenoris. *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei; Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantuariensi, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sub Religionis habitu vacantibus studio piæ vitæ ita debemus esse propitij, vt in diuinis beneplacitis exequendis malignorum non possint obstaculis impediri. Cum itaque dilecti filij Priores, & fratres Ordinis*

B. Marię

B. Marię de Monte Carmeli in Anglia, sicut asserunt, à nonnullis, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, affligantur diuersis molestijs, & pressuris. Nos dictorum Priorum, & fratrum prouidere quieti, & malignorum malitijs obuiare volentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem Priores, et Fratres, pro diuina, et nostra reuerentia fauoris oportuni præsidio prosequens, non permittas eos contra Indulta priuilegiorum Apostolicæ Sedis ab aliquo indebitè molestari. Molestatores huiusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo, præsentibus post triennium minimè valituris. Datum Viterbij Idibus Martij, Pontificatus nostri anno primo.

5 Concessit præterea eodem anno Viterbij etiam existens, octauò Idus Maij Generali, Prioribus, & Fratribus nostris Presbyteris, vt Confratrum, & familiarium nostrorum, ac aliorum fidelium causa deuotionis ad illos recurrentium, audire possent Confessiones, nisi talia fortè commisissent, propter quæ Sedes Apostolica esset meritò consulenda. Subiunxit tamen Pontifex hoc faciendum de *licentia Prælatorum*, intellige ipsorum fidelium, qui ad illos recurrunt. Ita enim declaratur in Bulla, quæ habetur in Speculo Ordinis *fol. 69. pag. 1.* & in Mari magno per Ioannem Mariam collecto Bulla 19. Vnde non rectè videtur hæc concessio intellecta à Cæsarruuio *in Compend. Priuileg. Mendic. verbo absolutio, quoad sæculares primo num:* 19. Vide tamen dicta à nobis *in primo tomo Summæ quæst. Regular. cap. 19. num. 11. & 17.* in Impressione Veneta, & *tomo 2. cap. 15. num. 34.* Alia.

6 Extat etiam alia concessio eiusdem Vrbani pro nostris, quod si aliqui fideles aliqua loca ad se spectantia, quæ fæudalia, seu censualia non essent, eis concederent, liceret illa recipere de consensu Diœcesanorum, ac in eorum singulis, Ecclesiam, vel Oratorium cum Campanili, & Campana construere, & Cimiterium, ac liberam sepulturam habere. Vide Bullam in Speculo Ordinis *fol. 68. pag. 1.* Et in Mari magno per Ioannem Mariam collecto *Bulla 13.* Et aduerte hanc concessionem quoad illud de recipiendis locis iam nouo iure intelligendam esse cum alijs conditionibus, de quibus nos *in Summa quæstionum Regular. tom. 2. cap. 9. num. 34. & 35.* Alia.

7 Pariter etiam eodem anno, Viterbij quoque agens, pro vndecimo Kalendas Iunij Regulę mitigationem, correctionem, & declarationem iussu Innocentij Quarti factam, & ab Alexandro Quarto confirmatam auctoritate Apostolica communiuit. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol. 60. pag. 2.* Insuper eodem anno quinto Kalend. Septembris apud Montem Flasconem facultatem concessit Generali Ordinis, vt per se, vel per alios posset absoluere Fratres excommunicatos pro iniectione manuum in seipsos, nisi adeo grauis fuisset excessus, quod ad Sedem Apostolicam essent iure mittendi: & quod illos, qui Ordinem intrassent excommunicationis, & irregularitatis nexibus impeditos absoluere etiam posset; ita tamen, Circa Regulam.

men, quod si ipsi Ordinem postea reliquerint, eo ipso prædictis sententijs essent adstricti. Etsi aliqui ex illis propter debitum, seu alias pro iure alterius fuissent sententijs prædictis ligati super his satis facerent, vt tenebantur. Speculum Ordinis *fol.* 62. *pagina prima*, Mare magnum Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collectum *Bulla* 51. & in Registro Vaticano *num.* 126. In eodem etiam Speculo *fol.* 64. *pag.* 1. refertur, Papam Vrbanum concessisse visitantibus Ordinis nostri Oratoria in certis festiuitatibus duos annos, & duas quadragenas.

Alia cōcessio

8 Specialiter tandem Prouinciali, Prioribus, & Fratribus in Terra Sancta, & vltra Marinis partibus commorantibus, pro exemptione à iurisdictione Diœcesanorum, maximè in Patriarchatu Hierosolymitano, priuilegia concessit. Id constat ex ipso Registro Vaticano de anno 1, & 2. *Bulla* 120. *&* 125. In qua posteriori extat specialis mentio de Monasterio Tyrensi, & de lite exorta inter Archipræsulem, & Fratres ipsius.

Ann. Christi 1263. Vrbani 4. Roman. Pontif. 2. Imper. vac. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 4. B. Simon. Gener. 19.

Papæ Vrbani gesta.

1 Nitebatur sub hoc anno Pontifex Vrbanus duos in Reges Romanorum electos, Alphonsum scilicet Castellæ Regem, & Richardum Cornubiæ Comitem, ad pacem reducere, eos ad se citans, ad procedendum in eo prout honori Ecclesiæ sine offensa cuiusquam videretur expedire. Tractabat etiam cum Sancto Ludouico Rege, vt animum fratris sui Caroli exploraret pro suscipiendo Siciliæ, & Neapolis Regno, & contra Manfredum vindicando, ac de succurrenda Terra Sancta, quæ in magna posita erat afflictione. Bzouius, & Gordonus *sub hoc anno*.

Iprense Cœnobium.

2 Cum autem huiusmodi Terræ Sanctæ miseria nostrorum fratrum in eis partibus commorantium, ac Cœnobia habentium, specialior esset, Deo propterea sic benignissimè prouidente, fiebat, vt ea loca, quæ in Syria tūc perderent, copiosius in Europa recuperarēt. Hoc ergo anno, vel circiter, Ipris in Belgio locū tenuere, etsi non primū, propter dicta sub an. 1249. Habitarunt primo in *Hollebeke* milliari à Ciuitate dissito, quē adhuc possidet Monasterium, & vocatur vulgariter *Cluyshoff*, idest hortus inclusorū, quod illic tanquam inclusi (quod non exigua ipsorum laus est) Eremitæ nostri habitarent; Facta illis donatio dimidiæ mensuræ, & triginta, ac duarum Virgarum Terræ sitæ in loco, qui dicitur *Nouelant*, cum nouem tentorijs adhærentibus ipsi Terræ à quodam Simeone Burgensi de Ipra. Quam confirmauit Margarita Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, scripto veteri in membranula, reseruato in Archiuio huius Conuentus, dato anno sequenti 1264. in octaua Epiphaniæ. Mutato deinde hoc loco fundare

re ceperunt Monasterium inter duo mœnia Ciuitatis, ad plateam dictam *de Sonnebech straete*. Quam tamen fundationem Præpositus, & Capitulares Monasterij Sancti Martini conati sunt impedire: sed Deo, & Matre sanctissima adiuuantibus, sopita lis est anno 1265. Kalendas Maij. Varijs præterea casibus temporum tractu Cœnobium expositum. Anno etenim 1383. ab Anglis combustum fuit. Hæc enim damna Principum bella parturire solent. Aliquot post annis; videlicet 1395. permissum nostris fuit nouum erigere Monasterium in parte Cœmiterij, & loco contiguo Ecclesiæ Parrochiali S. Ioannis in suburbijs; concessis choro, & Sacello B. Virginis Religiosis ad diuina peragenda, ex quo hucvsque passim vocati sunt *Fratres S. Ioannis*. Ecclesia hæc postea cum Conuentu solo est adæquata pro Ciuitatis conseruatione anno 1578. & alio loco de mandato Magistratus colocati nostri. Deinde anno 1584. die 9. Aprilis recuperata Ciuitate per Principem Parmensem, ad eam redierunt, & tandem post alias mutationes, quæ turbulenta tunc tempora causare poterant, Conuentum extruere cæperunt in meditullio Ciuitatis, vbi modo habitant. Produxit autem nobilis hic Conuentus inter alios Illustres, Petrum Ponetum, & Franciscum Amelrt, qui libris editis posteritati nomen suum dederunt. Sed maximè celebrandus, quod in ipso floruerint Basilius Diaconus, & Henricus Turch Concionator, qui vitam pro Religione Christiana ab Hæreticis, & per duellibus interempti gloriosè exposuerunt, vt suo loco dicemus. Quorum etiam fidem imitatus est alius quidam Cenobij Concionator Egidius Gousaert nomine, qui magna sollicitudine, & continuis exhortationibus id effecit, vt Ciuitas Burburgensis ad finem vsque in fide Catholica, & obedientia Catholici Regis constans perstiterit.

3 Extabant hoc tempore Carmelitæ nostri apud Vrbem Argentinensem in Germania. Et inter eos clarescebat hoc anno Petrus Argentoratensis à patria vulgo Strasburg nuncupata; vir magnę eruditionis, Theologus, & Concionator, ac celebris historicus: qui Argentinensis belli inter Episcopum, & ciues, hoc eodem anno peracti, historiam vberem conscripsit. Licet autem Fratres nostri tunc ibidem habitarent extra vrbis Mænia, in eam tamen tandem introducti sunt anno 1325. quando, & alia nouem loca Ordinis extra Vrbes longius situata (quorum nonnulla hoc tempore B. Simonis Generalatus extitisse credibile est) intra Vrbes translata sunt, vt patet ex litteris Apostolicis Ioannis 22. de quibus suo loco dicetur. Hæc porro hausimus ex Segero Pauli in Chronolog. vitæ B. Simonis Stochi, Augustino Biscarreto in Palmitibus Carmeli littera P. & Posseuino in Apparatu Sacro littera P. Conuentus Argentinę.

4 Guelphorum, & Ghibellinorũ factiones hac etiam tempestate in Italia vigebant. Cum autem Senenses quorundam partes tuendo, alios eijciendo, magnas fouerent inimicitias, B. Francus noster de quo in præcedentib. diximus, vt hostibus parcerent frustra suadebat, quin facere renitentibus multa mala, & incommoda verus vates prædixit, quæ ita euenerunt. B. Franci gesta.

Ma-

vastatum. 7. Dumeni, vel Drumminnoni. 8. Tantalloni, quod erat Patrimonium Duglassiorum Angusiæ 9. Kraimondæ, vnde Simon Patriarcha Antiochenus prodijt. 10. Brechini Dempsterorum munificentia conditum, authore Malcholmo de Karrestoum Barone anno 1268. 11, Chanriæ Rossensis Episcopi Sede Canonicorum Collegio tam superbæ, & magnificæ structuræ olim honestata, vt in Europa cum melioribus conferri potuisset. 12. Dunrodenæ in Prouincia Cathenesiæ. 13. Candidæ Casæ. 14. Reauenę, seu Ruthvenæ; 15. Quabordenæ. 16. Dordechonæ. 17. Sancti Andreæ. 18. Casnes. 19. Lithquo. 20. Iruvini Gunighaniæ Oppido. 21. Bamfij, quod est Prouinciæ Buchaniæ caput, Præfecturæ titulo illustre. 22. Queinferriæ. 23. Lismori in Agardia. 24. Hæc ferme Thomas Dempsterus vt supra, quæ pro nunc suppetunt de ista Prouincia, quæ iam pridem à multis annis ab Hæreticis deuastata, possessaque est, vt vix de ipsa aliud habere possimus, nisi quod in numero Prouinciarum Ordinis 13. est.

Testimoniũ Dempsteri.

3 Insigne etiam de nostris Religiosis in prædicta Scotiæ Prouincia degentibus hoc protulit testimonium Dempsterus vt supra. *Fuit hic Ordo apud nostrates maximo Religionis ornamento, & pręcipua tum pietatis, tum vero Religionis nomine multis sęculis veneratione, nec feruido mutandę Religionis æstu vllus, quod legendo compererim, aut fando audiuerim, ex eo Ordine Apostata Scotus. Contra vero multi summa sanctitatis opinione floruerunt.* Hæc ille, magni nominis nostræ Religionis in ea Prouincia indicium.

Genuense Cœnobium.

4 Eodem etiam anno, vel circiter, nobilissimum Genuense Ordinis nostri Cœnobiũ à Patribus nostris inchoatum in loco tunc *Tericius*, nunc vero *Valliciara* nuncupato. Ecclesiæ titulus *Annunciationis B. Marię Virginis*, nec constat alium vnquam habuisse. Initium fuit Capella quędam eo loco existens intra fines Parochiarum subiectarum Abbatis S. Syri Benedictinorum, nunc Theatinorum Patrum. Ampliauit ædificium domus, & terricula quędam à Iacobo Picamilio prætio empta: lites inde cum Benedictinis, & Archiepiscopo Ianuensi ortæ, sed Beatę Virginis patrocinio victoria nostris cessit. Auctum est Monasterium anno 1260. vt ibi dicemus. Quamuis autem illud gloriosum prædicent plures insignes tum sanctitate, tum doctrina viri, qui in eo religiosè vixerunt, gloriosius tamen ex spina coronæ Dominicæ, quæ ibi asseruatur, vt dicemus anno 1414. Est in Archiuio huius Conuentus transumptum Bullæ Sabbatinæ in publica forma scriptum. Creditur fundatum Monasterium hoc ab illis quos è Carmelo S. Ludouicus Rex Europam duxit, de quibus supra anno 1254. vt testatur Franciscus Cherascus *in libro cui* titulus *Tesori Spirituali della Religione Carmelitana*. Vbi etiam de pluribus Illustribus Religiosis nostris qui hoc Cænobium honestauerunt.

S. Alberti tyrocinij.

5 Hic annus 1258. primus est, iuxta computum nostrum, & dicta sub anno 1250. ingresus in Religionem sancti pueri Alberti, prout rem gestam narrant Surius in eius vita, Codex Vaticanus, & alij Scriptores.

Apud

Apud quos plura, ipsaque pijssima, de Alberto, & qualiter cum à pluribus nobilibus pro sponso filiarum à patre expostularetur; ipseque vxori rem communicaret, ea voti facti illum certiorem fecit; & ita, vtroque consentiente, puer *abijt ad Conuentum Carmelitarum Trapani circa duo milliaria*, & ibi habitu postulato à Priore, eum suscepit. Multa proinde à diabolo passus, vt à proposito recederet, sed Dei gratia eum superans, professionem tandem suo tempore emisit.

6 In his notandum, quod verba relata ex Codice Vaticanô, satis fauent sententiæ illorum, qui, vt vidimus sub anno 1250. acriter contendunt, S. Albertum, non Drepani, sed in illa Ciuitate *Monte Drepani* nuncupata, natum fuisse, & inde *Drepanum*, vbi tunc erat Ordinis Monasterium, pro habitu suscipiendo venisse. Hoc autem Monasterium Ordinis illud est, in quo seruari pretiosissimam illam Deiparæ Virginis Drepanensis Iconem diximus in præcedentibus. Notatio.

Ann. Christi 1259. Alexandri 4. Roman. Pontif. 5. Imper. vacat. Balduini Imperat. Orient. 31. B. Simon. General. 15.

1 Digladiabatur sub id tempus Veneti, & Genuenses in Syria de Imperio Ptolemaidis, seu Acconis, cui Vrbi, vt sępius diximus, Carmelus noster vicinus erat. Quod intestinum Christianorum bellum causa fuit quod Latini Costantinopolitanum Imperium sub hoc anno cum magna Christianitatis iactura perdidissent. Successit autem Michael Paleologus Augustus à Græcis consalutatus. Perit eodem tempore Ezelinus Tyrannus, qui multis annis plures Italiæ Vrbes oppressas tenuerat. Annales Flandrici, Bzouius. Dissid. inter Christianos.

2 Ordinis nostri status in Europa sub hoc tempore, prout ex Speculo Ordinis *lib.* 10. *c.* 2. habetur, talis erat. Quamuis fratres diuersis Summorum Pontificum priuilegijs muniti in locis, ad quæ inhabitanda venerant, in omni patientia, & humilitatis Spiritu se Dominis Prælatis deuotos exhiberent, mandatis etiam eorum, quatenus institutis sui Ordinis non obuiabant, promptè parendo, nihilominus tamen quidã illorum ipsos nimium comprimebant, in Oratorijs, & Ecclesijs sui Ordinis eos quandocunque diuina celebrare officia non permittentes. Erat etiam inter eosdem Religiosos inquietudinis aliqua causa, quod ad alios Regulares Ordines quidam ipsorum transire posse dicerent, & forsan aliqui transitum fecissent. His ergo incommodis obuiare studens prudens, & zelator Pastor B. Simon Generalis ad Summum Pontificem Alexandrum Anagnię agentem recursum habuit. Ordin. status.

3 Hoc ergo anno Idibus Februar. gratiosam valde Epistolam pro Ordine nostro scripsit, quæ habetur in Speculo Ordinis *fol.* 68 *pag.* 2. & *lib.* 10. Alexand. Papæ litteræ.

Ann. Christi 1260. Alexandri 4. Roman. Pontif. 6 Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 1. B. Simon. General. 16.

1 Rbis præcipua negotia sub hoc anno talia erant: Curabat Summus Pontifex Alexander Quartus Manfredum Neapolitani, & Siculi Regnorum iura vsurpantem, ad mentem reuocare: cui ille insolenter respondens obedire respuit. In Grçcia Genuenses Paleologum contra Venetos iuuantes, magna ipsorum cladis causa extiterunt. In Lombardia res Ecclesiæ, & Ciuitatum confœderatarum fœliciores. Legatus enim Pontificis Albericum fratrem Ezelini Tyranni cum vxore, ac liberis captum debitis pœnis puniebat. Bzouius. Orbis negotia.

2 Laborabant interim nostri Ordinis Professores in nouis Cœnobijs recipiendis, vel extruendis. Hinc hoc anno Oxoniæ, Angliæ pernobili Gymnasio, & Ciuitate, primum, & vetustum Monasterium habere cœperunt; Fundatore Domino Nicolao Noolcs. Sic enim habemus *ex Specul. Ordin. fol.* 60. Pro eo autem construendo impetrasse Henricum de Hanna hoc tempore eius Prouinciæ Præsulem palatium Richardi Comitis Cornubiæ (hic erat Regis frater, in Regem Romanorum electus) habet Pitseus *de Scriptoribus Angliæ Ætate* 13. in ipso Hænrico. Nuperum vero Oxoniense Ordinis nostri Cœnobium, ab Eduardo secundo, per errorem in Specul. Ordin. loco relato vocato tertio, Anglorum Rege, fundatum esse sub anno 1314. dicemus. Quamuis in Catalogo illo Cœnobiorum Angliæ, nonnisi anno 1308. id accidisse dicatur, & vocetur 27. numero inter eius Regni Conuentus. Res ergo incerta, nisi dicamus, prout sæpius in superioribus indicatum est, huiusmodi varias opiniones ex varijs Monasterij mutationibus, ortas fuisse. Id certius, sub titulo Gloriosissimæ Virginis Mariæ, sicut & fere omnia alia Angliæ Monasteria, nuncupatum fuisse. Certum quoque quod in eo plures, & illustres valde Patres sequenti tempore claruerunt. Inter quos vnus est præsertim, Petrus Suuonyngtonus, primus ex Ordine nostro in hoc Oxoniensi Gymnasio Doctor, & professor, de quo sub anno 1270. dicetur. Alius Guillelmus Paganus Oxoniensis etiam Doctor, & Episc. Medensis in Hibernia, de quo sub ann. 1280. loquimur. Quibus innumeri fere alij iunguntur, de quibus in sequentibus, maximè Thomas Vvaldenus, seu Vualdensis cunctis celebrior. Oxoniense Cœnobium.

3 Circa hoc etiam tempus Conuentus noster Bononiensis plurimorum PP. insigniumque DD. qui in ipso claruerunt, fons, & scaturigo, stabiliri cepit sub Octauiano Vvaldero Bononiensi Archiepiscopo. Sub Religionis corpore per plures annos permansit, donec sub anno 1450. Nicolaus Quintus cum PP. Congregat. Mantuanæ, qui tunc reformationis laude fulgebant, & Petronio de Bononia Priori, dari statuit: rem com- Bononiense

mittendo Hilarioni Episcopo Tusculano, in ciuitate Bononiæ Apostolicæ Sedis Legato. Plura de hoc celeberrimo Monasterio, nunc temporis Sancti Martini dicto, scribi possent, nisi sigillatim, & sparsim hoc Tomo, & sequenti dicerentur. Interim in Archiuio Conuentus Sancti Chrysogoni de Vrbe plura monumenta de huius Cœnobij priuilegijs, gratijs, indulgentijs, à Summis Pontificibus, Legatis, & Episcopis, concessis, cernuntur.

Genuense. 4 Insuper eodem anno 1260. pro ampliando Genuensi Monasterio, de quo anno 1258. diximus, Patres nostri titulo locationis quandam domum, & hortum acceperunt. ex quo, & alijs temporibus subsequentibus, expensis factis, piorumq; eleemosynis, Monasterij fabrica insigniter creuit, integra, & perfecta cum cameris, & officinis Religiosorum indigentijs apte commodis. Erat tunc Cœnobij Prior Stephanus de Ianua, de quo, & alijs ad illud spectantibus, scribit Franciscus Cherascus in lib: cui titulus *Tesori della Religione Carmelitana*.

Ann. Christi 1261. Alexandri 4. Roman. Pontif. 7. Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 2. B. Simon. General. 17.

Italiæ bella. 1 Ccupatur sub hoc anno Florentia à Gibellinis, à quibus etiam, & Manfredianis magna Etruriæ pars tenebatur. Guelphi autem Corradinum Corradi filium in auxilium vocabant, sicut Gibellini Richardum in Regem Romanorum electum. Veneti etiam, & Genuenses, cum magno totius Reipublicæ Christianæ detrimento inter se contendebant, curante Pontifice ipsos pacificare, vt propterea Viterbium se contulerit, vbi eum mors, vt dicemus, præoccupauit. Bzouius.

Papæ concessio. 2 Antequam autem è vita excederet aliquot priuilegia sub hoc anno Ordini nostro concessit. Primo enim paci, & tranquillitati nostrorum consulens concessit per Bullam, quæ habetur in Speculo Ordin. *folio 71 pagina prima*, quod per decennium non teneremur ad recipiendum officia Inquisitionis, seu correctionis, aut exequutionem quarumcumque causarum quorumcumque Iudicum Sedis Apostolicæ. Ex quo habetur, iampridem hæc officia contra hæreticam prauitatem, maximè in Angliæ Regnis, exercere solitos Religiosos nostros. Nec de quacunque inquisitione, sed de officio Inquisitorum fidei est id accipiendum, iuxta dicenda anno 1280. ex testimonio Ioannis Balæi, etsi improbi authoris, in ijs tamen fidem merentis, quod eiusdem Anglorum nationis esset, & de rebus nostri Ordinis non mediocriter instructus. Ex eius etiam testimonio in *Appendic. ad Laurentium Anglicum* elici datur, anno præterito sponte reliquisse Carmelitas nostros hæc officia paci, & tranquillitati propriæ consulentes. Sic enim habet. *Ann. Domini 1260. Carmelitæ Fratres, visis populorum odijs, ac scandalis, aduersus Prædicatores, & Minores, officia Inquisitionis,*

tionis, & executionis causarum cum cura Monialium à se excutiunt, ex quadam bulla Alex. 4. Quid porro inde ortum sit, sic subiungit. *Propterea pauciores semper erant Cardinalis ex his, & Augustinianis, quam ex aliorum Mendicantium sectis, vt in quadam ordinaria quæstione Ioannis Chelmestioni apud Nordouicum olim legi.* Notet lector non dicere *nullos*, sed *pauciores*.

3 Insuper eodem anno pro octauo Idus Martij benignam concessionem Ordini fecit idem Alexander Papa, personas, & loca cum omnibus bonis nostris sub B. Petri, & Apostolica protectione suscipiens: loca etiam Ecclesias, domos, Oratoria, hortos, & alia bona nostra iustè, & pacificè possessa auctoritate Apostolica confirmans, ac præcipiens ne quis de hortis, aut virgultis nostris decimas à nobis exigere vel extorquere præsumeret. Bullæ initium satis Religioni honorificum id est. *Speciali gratia, & fauore vos illa de causa dignos potissimè reputamus, quia sicut accepimus, toto cordis affectu ad hoc semper intenditis, vt per Sanctæ Conuersationis, & vitæ studium in conspectu Dei, & hominum placeatis &c.* Speculum Ordinis *fol. 66. pag. 2.* Item eodem die, & anno per Bullam, quæ habetur in eodem Speculo Ordinis *fol 68. pag. 1.* & habet idem initium, ac præcedens, concessit quod in Oratorijs, & Ecclesijs nostris, Campanile cum campana vnica, & Cimiteria, iuxta Ecclesias habere possemus. Eodem quoque anno quinto Idus Martij concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis facultatem absoluendi subditos ab excommunicatione propter percussionem ipsorum contracta, nisi in casu læsionis, propter quam ad Sedem Apostolicam recurrere, sit necessarium. Speculum Ordinis *fol. 70. pag. 1.* Ac demum eodem anno pro tercio kalen. Aprilis facultatem concessit Generali, & Prioribus absoluendi venientes ad Ordinem nostrum, à censuris, quas incurrissent, ita tamen, vt si illas incurrissent propter aliqua debita illa soluere tenerentur. Habetur Bulla in Mari magno per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto *pag. 23.* Aliæ concessiones.

4 Eodem anno, & octauo Kal Iunij Viterbij Alexander Papa quo se ex Anagnia receperat, pacem inter Venetos, & Genuenses staturus, satis functus est: cuius loco ad 4. Calen. Septembris Iacobus Pantaleo Hierosolimitanus Patriarcha tunc casu in Curia pręsens, Pontifex est electus, & Vrbani Quarti nomine salutatus. Platina, Æmilius, Genebrardus, Ciaconius, & alij. Fuit hic Pontifex, sicut & prædecessores, benignus nostri Ordinis Benefactor, vt cernere licet ex priuilegijs, & fauoribus ipsi concessis. Vrbani 4. electio.

5 Primo etenim Viterbij eodem anno sexto Calen. Octobris gratiosè concessit Fratribus nostris, vt de debitis personis incertis, & de legatis indistinctè ad pios vsus relictis, ac de quorumdam votorum redemptione accipere possemus pro nostris necessitatibus centū Marchas argenti, cum quibusdam conditionibus assignatis. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto Bulla 50. Vrbani concessio.

Ann. Christi 1262. Vrbani 4. Roman. Pontif. 1. Imper. vacat. Michael Paleolog. Imperat. Orient. 3. B. Simon. General. 18.

Vrbani gesta 1 Iterbij hoc anno agens Vrbanus 4. Pontifex Manfredum in Bulla Cœnæ excommunicauit, & Crucis militiam in ipsum conscripsit. Imperij coronam Alphonso Regi Castellæ postulanti dare renuit, ne tamen daretur Conradino Imperatoris Friderici Nepoti sub magnis pœnis Regi Bohemiæ præcepit. Bzouius.

Burdegalen. Cœnobium. 2 Posterioris Monasterij Burdegalensis fundatio huic anno tribuitur à Segero Pauli in chronolog. B. Simonis. De quo tamen sufficiens non video fundamentum. Etsi enim, prout diximus to. 3. præcedenti circa ann: 1099. eo tempore prima huius Cœnobij erectio facta sit; in quo etiam Segerus nobiscum conuenit; de secunda tamen erectione potius videtur credendum Relationi eiusdem Conuentus, quam eo loco adduximus, ex varijs monumentis, & vbi dicitur, quod secunda fundatio huius Monasterij facta sit in alio loco de anno 1217. & tertia de anno 1497.

Papæ concessiones. 3 Mirum est quot, quantisque fauoribus, & priuilegijs sub hoc anno Ordinem nostrum Summus Pontifex Vrbanus decorauerit. Quod, & si tum ipsius benignitati, tum B. Simonis Generalis Sanctitati iure ascribi debeat, non incongruè tamen huius rei causam fuisse putamus, quod cum ipse ante assumptionem Patriarcha Ierosolymitanus fuisset, rectè nostrorum in illis partibus sanctam conuersationem nosse posset, ac proinde erga illos specialem beneuolentiam gerere. Primo enim Viterbij existens sub octauo Kal. Martij litteras scripsit ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos Angliæ, ipsis præcipiens, vt beneuolum affectum erga Fratres nostros habentes ipsis concederent licentiam Ecclesias, vel Oratoria construendi, ibi diuina Officia celebrandi, nec non liberam sepulturam habendi. Extant hę litteræ in Speculo Ordinis *fol. 74. pag. 1.* In quibus hæc de Fratribus nostris: *Maximè cum ipsi studeant sub extrema paupertate viuere; ac virtutum cultui desudare, ipsorumque ad hoc feruenter aspiret affectio, vt per eorum ministerium salus Deo gratissima proueniat animarum.*

Alia. 4 Quia tamen tam pro huiusmodi, quam pro aliorum priuilegiorum executione valde necessaria semper fuit Religionibus Iudicum Conseruatorum institutio, ideo ad hoc munus gerendum Archiepiscopum Cantuariensem destinauit, literis datis sub hoc anno Viterbij, Idibus Martij in Speculo Ordinis *fol. 73. pag. 1.* huius tenoris. *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei; Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantuariensi, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sub Religionis habitu vacantibus studio piæ vitæ ita debemus esse propitij, vt in diuinis beneplacitis exequendis malignorum non possint obstaculis impediri. Cum itaque dilecti filij Priores, & fratres Ordinis*

B. Martę

B. Marię de Monte Carmeli in Anglia, sicut asserunt, à nonnullis, qui lętantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, affligantur diuersis molestijs, & pressuris. Nos dictorum Priorum, & fratrum prouidere quieti, & malignorum malitijs obuiare volentes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem Priores, et Fratres, pro diuina, et nostra reuerentia fauoris oportuni præsidio prosequens, non permittas eos contra Indulta priuilegiorum Apostolicæ Sedis ab aliquo indebitè molestari. Molestatores huiusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo, præsentibus post triennium minimè valituris. Datum Viterbij Idibus Martij, Pontificatus nostri anno primo.

5 Concessit præterea eodem anno Viterbij etiam existens, octauò Idus Maij Generali, Prioribus, & Fratribus nostris Presbyteris, vt Confratrum, & familiarium nostrorum, ac aliorum fidelium causa deuotionis ad illos recurrentium, audire possent Confessiones, nisi talia fortè commisissent, propter quæ Sedes Apostolica esset meritò consulenda. Subiunxit tamen Pontifex hoc faciendum de *licentia Prælatorum*, intellige ipsorum fidelium, qui ad illos recurrunt. Ita enim declaratur in Bulla, quæ habetur in Speculo Ordinis *fol. 69. pag. 1.* & in Mari magno per Ioannem Mariam collecto Bulla 19. Vnde non rectè videtur hæc concessio intellecta à Casarruuio *in Compend. Priuileg. Mendic. verbo absolutio, quoad sæculares primo num.* 19. Vide tamen dicta à nobis *in primo tomo Summæ quæst. Regular. cap. 19. num. 11. & 17.* in Impressione Veneta, & *tomo 2. cap. 15. num. 34.* Alia.

6 Extat etiam alia concessio eiusdem Vrbani pro nostris, quod si aliqui fideles aliqua loca ad se spectantia, quæ fæudalia, seu censualia non essent, eis concederent, liceret illa recipere de consensu Diœcesanorum, ac in eorum singulis, Ecclesiam, vel Oratorium cum Campanili, & Campana construere, & Cimiterium, ac liberam sepulturam habere. Vide Bullam in Speculo Ordinis *fol. 68. pag. 1.* Et in Mari magno per Ioannem Mariam collecto *Bulla* 13. Et aduerte hanc concessionem quoad illud de recipiendis locis iam nouo iure intelligendam esse cum alijs conditionibus, de quibus nos *in Summa quæstionum Regular. tom. 2. cap. 9. num. 34. & 35.* Alia.

7 Pariter etiam eodem anno, Viterbij quoque agens, pro vndecimo Kalendas Iunij Regulę mitigationem, correctionem, & declarationem iussu Innocentij Quarti factam, & ab Alexandro Quarto confirmatam auctoritate Apostolica communiuit. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol. 60. pag. 2.* Insuper eodem anno quinto Kalend. Septembris apud Montem Flasconem facultatem concessit Generali Ordinis, vt per se, vel per alios posset absoluere Fratres excommunicatos pro iniectione manuum in seipsos, nisi adeo grauis fuisset excessus, quod ad Sedem Apostolicam essent iure mittendi: & quod illos, qui Ordinem intrassent excommunicationis, & irregularitatis nexibus impeditos absoluere etiam posset; ita tamen, Circa Regulam.

men, quod si ipsi Ordinem postea reliquerint, eo ipso prædictis sententijs essent adstricti. Etsi aliqui ex illis propter debitum, seu alias pro iure alterius fuissent sententijs prædictis ligati super his satis facerent, vt tenebantur. Speculum Ordinis *fol. 62. pagina prima*, Mare magnum Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collectum *Bulla 51*. & in Registro Vaticano *num.* 126. In eodem etiam Speculo *fol. 64. pag. 1.* refertur, Papam Vrbanum concessisse visitantibus Ordinis nostri Oratoria in certis festiuitatibus duos annos, & duas quadragenas.

Alia cōcessio 8 Specialiter tandem Prouinciali, Prioribus, & Fratribus in Terra Sancta, & vltra Marinis partibus commorantibus, pro exemptione à iurisdictione Diœcesanorum, maximè in Patriarchatu Hierosolymitano, priuilegia concessit. Id constat ex ipso Registro Vaticano de anno 1, & 2. *Bulla 120. & 125.* In qua posteriori extat specialis mentio de Monasterio Tyrensi, & de lite exorta inter Archipræsulem, & Fratres ipsius.

Ann. Christi 1263. Vrbani 4. Roman. Pontif. 2. Imper. vac. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 4. B. Simon. Gener. 19.

Papæ Vrbani gesta. 1 Nitebatur sub hoc anno Pontifex Vrbanus duos in Reges Romanorum electos, Alphonsum scilicet Castellæ Regem, & Richardum Cornubiæ Comitem, ad pacem reducere, eos ad se citans, ad procedendum in eo prout honori Ecclesiæ sine offensa cuiusquam videretur expedire. Tractabat etiam cum Sancto Ludouico Rege, vt animum fratris sui Caroli exploraret pro suscipiendo Siciliæ, & Neapolis Regno, & contra Manfredum vindicando, ac de succurrenda Terra Sancta, quæ in magna posita erat afflictione. Bzouius, & Gordonius *sub hoc anno*.

Iprense Cœnobium. 2 Cum autem huiusmodi Terræ Sanctæ miseria nostrorum fratrum in eis partibus commorantium, ac Cœnobia habentium, specialior esset, Deo propterea sic benignissimè prouidente, fiebat, vt ea loca, quæ in Syria tūc perderent, copiosius in Europa recuperarēt. Hoc ergo anno, vel circiter, Ipris in Belgio locū tenuere, etsi non primū, propter dicta sub an. 1249. Habitarunt primo in *Hollebeke* milliari à Ciuitate dissito, quē adhuc possidet Monasterium, & vocatur vulgariter *Cluyshoff*, idest hortus inclusorū, quod illic tanquam inclusi (quod non exigua ipsorum laus est) Eremitæ nostri habitarent; Facta illis donatio dimidiæ mensuræ, & triginta, ac duarum Virgarum Terræ sitæ in loco, qui dicitur *Nouelant*, cum nouem tentorijs adhærentibus ipsi Terræ à quodam Simeone Burgensi de Ipra. Quam confirmauit Margarita Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, scripto veteri in membranula, reseruato in Archiuio huius Conuentus, dato anno sequenti 1264. in octaua Epiphaniæ. Mutato deinde hoc loco fundare

re ceperunt Monasterium inter duo mœnia Ciuitatis, ad plateam dicta *de Sonnebech straete*. Quam tamen fundationem Præpositus, & Capitulares Monasterij Sancti Martini conati sunt impedire: sed Deo, & Matre sanctissima adiuuantibus, sopita lis est anno 1265. Kalendas Maij. Varijs præterea casibus temporum tractu Cœnobium expositum. Anno etenim 1383. ab Anglis combustum fuit. Hæc enim damna Principum bella parturire solent. Aliquot post annis; videlicet 1395. permissum nostris fuit nouum erigere Monasterium in parte Cœmiterij, & loco contiguo Ecclesiæ Parrochiali S. Ioannis in suburbijs; concessis choro, & Sacello B. Virginis Religiosis ad diuina peragenda, ex quo hucvsque passim vocati sunt *Fratres S. Ioannis*. Ecclesia hæc postea cum Conuentu solo est adæquata pro Ciuitatis conseruatione anno 1578. & alio loco de mandato Magistratus colocati nostri. Deinde anno 1584. die 9. Aprilis recuperata Ciuitate per Principem Parmensem, ad eam redierunt, & tandem post alias mutationes, quæ turbulenta tunc tempora causare poterant, Conuentum extruere cæperunt in meditullio Ciuitatis, vbi modo habitant. Produxit autem nobilis hic Conuentus inter alios Illustres, Petrum Ponetum, & Franciscum Amelrt, qui libris editis posteritati nomen suum dederunt. Sed maximè celebrandus, quod in ipso floruerint Basilius Diaconus, & Henricus Turch Concionator, qui vitam pro Religione Christiana ab Hæreticis, & per duellibus interempti gloriosè exposuerunt, vt suo loco dicemus. Quorum etiam fidem imitatus est alius quidam Cenobij Concionator Egidius Gousaert nomine, qui magna sollicitudine, & continuis exhortationibus id effecit, vt Ciuitas Burburgensis ad finem vsque in fide Catholica, & obedientia Catholici Regis constans persisterit.

3 Extabant hoc tempore Carmelitæ nostri apud Vrbem Argentinensem in Germania. Et inter eos clarescebat hoc anno Petrus Argentoratensis à patria vulgo Strasburg nuncupata; vir magnę eruditionis, Theologus, & Concionator, ac celebris historicus: qui Argentinensis belli inter Episcopum, & ciues, hoc eodem anno peracti, historiam vberem conscripsit. Licet autem Fratres nostri tunc ibidem habitarent extra vrbis Mænia, in eam tamen tandem introducti sunt anno 1325. quando, & alia nouem loca Ordinis extra Vrbes longius situata (quorum nonnulla hoc tempore B. Simonis Generalatus extitisse credibile est) intra Vrbes translata sunt, vt patet ex litteris Apostolicis Ioannis 22. de quibus suo loco dicetur. Hæc porro hausimus ex Segero Pauli in Chronolog. vitæ B. Simonis Stochi, Augustino Biscarreto in Palmitibus Carmeli littera P. & Posseuino in Apparatu Sacro littera P. Conuentus Argentinę.

4 Guelphorum, & Ghibellinorũ factiones hac etiam tempestate in Italia vigebant. Cum autem Senenses quorundam partes tuendo, alios eijciendo, magnas fouerent inimicitias, B. Francus noster de quo in præcedentib. diximus, vt hostibus parcerent frustra suadebat, quin facere renitentibus multa mala, & incommoda verus vates prædixit, quæ ita euenerunt B. Franci gesta.

Ma-

Magister Gregorius Lombardellus Dominicanus *in vita eiusdem B. Franci c. 26.* Quod huic anno ascribimus certum tempus nescientes.

Ann. Christi *1264.* Vrbani *4.* Roman. Pontif. *3.* Imper. Vacat. Michael. Paleolog. Imper. Orient. *5.* B. Simon General. *20.*

Papæ gesta: 1 Ollicite curabat Pont. Vrbanus hoc tempore, medijs Fratribus Minoribus, vnionem Eccl. Orientalis, cum Occidẽtali efficere, quam etiam Græcorum Imp Paleologus desiderare videbatur. Occasione quoque cuiusdam miraculi, quo ex Sacra Eucharistica hostia, quam dubitans Sacerdos in manibus tenebat, sanguis copiosissimus emanauit, solemnitatem anniuersariam Corporis Christi Bulla data piè instituit. Pro pace etiam Italiæ procuranda, & bonis Ecclesiæ, quæ Manfredus vsurpauerat recuperandis, cum duo in Reges Romanorum electi, Alphonsus Rex Castellæ, & Ricardus Frater Regis Angliæ, domesticis bellis detinerentur, Carolum S. Ludouici Fratrem ab eodem Sancto Rege postulabat, vt mitteretur. Obijt tandem 6. nonas Octobris, Perusij sepultus. Honufrius, Bzouius, Gordonus.

Brugense Cœnobium. 2 Sub hoc anno, vel circiter, Fratres nostri Brugis in Belgio Monasterium fundare cęperunt. Extant enim in Archiuijs Conuentus originales litterę emptionis mediæ mensuræ, & octo virgarum terræ ab ipsis factæ hoc anno, mense Octobris. Extant etiam alia Monumenta anni 1266. mensis Februarij, quibus Margarita Comitissa Flandriæ, & Hannoniæ concedit eisdem, qui Brugis ædificare Cenobium ceperunt, vt in eo Ecclesiam, claustra, aliaque ad Conuentum necessaria extruere possent. Est in eo magna cũ veneratione lac B. Mariæ Virginis: hac enim pretiosissima reliquia in signum Maternitatis filios honorare voluit. Extant, & reliquiæ Sancti Quirini Martyris, quę à locis circumuicinis visitantur, & honorãtur. Prodierunt ex hoc Conuentu Viri celebres, Iacobus de Brugis, Iacobus Bekeman, Carolus de Vvisse, Ioannes Arundineus Episcopus Vrbitensis, Michael Blommaert, & Adrianus Arnoldi Episcopus Rosensis, de quibus suis locis aliquid dicetur.

Tolosanum. 3 Pro translatione Conuentus Tolosani, qui primitus erat in suburbijs, miraculis innumeris Dei Genitricis intercessione in eo patratis, alijsque circumstantijs eiusdem translationis, nobilissimum extat authenticum instrumentum sub hoc anno 1264. à Consulibus Ciuitatis, alijsque grauissimis Prælatis factum. Quod refert Guilielmus Decatelus in Historia antiquitat. linguæ Occitanæ *lib. 2. tit.* Carmelitæ de Tholosa, & est tale: *Vniuersis cernentibus presentem cartam innotescat, quod cum nuper Religiosi Viri Fratres Ordinis S. Mariæ Montis Carmeli extra muros, & subur-*

bium

bium Ciuitatis Tolosæ suum habitaculum habentes, propter innundationem aquarum, quæ aliquando ibidem insurgebat, & propter distantiam nimiam Ciuitatis eiusdem, necnon quia ibi non poterant fructiosius lucra quærere animarum, infra Ciuitatem ipsam suum habitaculum, & Oratorium transtulissent, ad domum videlicet sitam in medio Iudęorum; ducti ad hoc specialiter pro concepto firmoque proposito, vt per eos Beatissima Virgo Maria, Saluatoris nostri Domini Iesu Christi Mater, cui Virgini profitentur se specialiter dicatos, in eo loco laudabiliter, exaltaretur, honoraretur, & laudaretur deuotè, in quo fuerat per Iudæos perfidos longo tempore blasphemata Beatissima Virgo præfata, Mater inclyti, & gloriosissimi ventris sui fructus. Quę . . . tantam deuotionem attendens, ad laudem sui dulcissimi Nominis, & ad exaltandos fidei Christianæ professores, Christianorumque fidelium hostes remouendos, & Orthodoxos viros in fide, Religione, & sanctimonia confirmandos, & ad ritum Iudaicum confutandum, dictam Ciuitatem, & locū speciali prærogatiua gratiæ muniendo, in Oratorio præfato miracula maxima diu, noctuque, quasi continuò aperte, & visibiliter operatur semper, cæcos illuminando; claudos, & contractos erigendo; surdis, & mutis auditum, & loquelam restituendo, ac alia quamplurima faciendo, quæ effusa tam diu in Prouincias conuicinas, infinitos ferè ad pietatis opera reuocarent, & recreando mentes intrinsecus deuotorum, fonte dulcedinis irrigatos ad peregrinandum illuc communiter præpararent, ex quibus debent merito corda fidelium recreari, & in benedicta Virgine, & in suo pijssimo Filio Sancti Spiritus obūbratione concepto vnanimiter gratulari. In quorum laudem, & gloriam, & testimonium prædictorum nos Consules Ciuitatis prædictæ, & nos Adegriteus Villemurensis Archidiaconus, & Officialis Venerabilis Patris Domini Episcopi Tolosani, & nos R. Dei gratia Adureusis, & sanctæ Æquiteriæ Episcopus, & nos Frater A. miseratione Diuina humilis Abbas Monasterij gratię Dei prædictæ Diœcesis Ordinis Præmonstratensis, & nos Frater Gulielmus Præceptor domus militiæ templi Tolosę Capellanus Domini Papę, & nos Fr. B. Pręceptor hospitalis Hierosolimitani Tolosę præsentem paginam Sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Datum Tolosa die Sabbati post festum B. Michaelis anno Domini 1264. Pro hoc autem Templo, & Monasterio ædificando, quarundam domorum donationem ab aliquibus factam approbauit Clemens 4. Pontifex, diplomate dato Perusij 10. Kal. Augusti anni sequentis, quod refert idem Guilelmus. Qui etiam habet, quod hoc Monasterium cum sua Ecclesia fuerit subito ædificatum, ex eo quod viderit litteras Raimundi Episcopi Tolosani de anno 1266. quibus præbet licentiam omnibus Episcopis, & Archiepiscopis consecrandi dictam Ecclesiam. Refertur etiam, quod huius insignis Ecclesiæ extructio insigni quoque miraculo Deiparæ apparitione facto, quod ex Arnoldo Bostio refert Franciscus Cherascus in Tractat. de Prouincijs Ordinis eggregie nobilitetur. Accidit enim, vt Iudæus quidam, & si religione infidus, moribus tamen probus, & honestus, Tolosæ in hortum domus suæ recreationis gratia ingrediens, oculos in arborem tollens, Dei Genitricem cum vnigenito

genito in brachio suspexerit. Miratur Hebræus, & pia curiositate motus arborem ascendit. Sed iam Virgo disparuerat. At descendens, & suspiciens, iterum eam vidit, sed dum ascendere contendit, sicut prius nihil aspexit. Stupore igitur attonitus Religiosum Sanctæ opinionis, ac cessit, rem narrat, & ab ipso audit, eam, quam viderat Dei Genitricem fuisse, quæ eum Christianum fieri, & domum pro Ecclesia Carmelitanæ Religioni donari desiderabat. Acquieuit Iudæus à Deo inspiratus, & iuxta Virginis beneplacitum cuncta, quæ Religiosus ille intimauerat, exequutus est. Referunt etiam hunc miraculosum casum ex Ordinis nostri vetustioribus alumnis Ioannes Hyldesheym *in Tract. de princip. Ordinis cap.* 15. & Balduinus Leertius Attrebatensis *in Collectar. exempl. & miraculor. cap.* 11 & ex Iunioribus Segerus Pauli *in Chronolog. Beati Simonis circa annum* 1260. Quia verò historia hæc pietatem redolet, & deuotionem erga Ordinis Patronam Deiparam Sanctissimam promouet, referri meretur verbis Hyldesheym, & Leertij.

Casus mirabilis. 4 Igitur præfatus Ioannes Hyldesheym in d. Tract. c. 13. sic rem describit. *Primo scias, quod apud Vrbem Tolosam in Occitania lingua celebrem, ad huc ibidem nobis locum non habentibus erat residens Iudæus diues, et ad ipsum confluebant cæteri, cum esset honorabilior omnium, et habuit ipse pomerium domui suæ vicinum, in quod sæpius pro solatio ire consueuit. Semel cum solus in horto deambularet, arborem quandam pulcherrimam delectabiliter intuitus, in ipsius summitate vidit Imaginem Virginis valde speciosam, puerum in vlnis tenentem; mox igitur attonitus apprehensa scala, dum ascendere voluit arborem, disparuit Imago: cum descendisset iterum vidit Imaginem, & cum ascendere vellet, iterum disparuit. Cumque sæpius hoc accidisset Iudæo duxit noctes insomnes, nesciens quid hoc portenderet. Erat autem in villa quidam Sacerdos magnæ Sanctitatis, & opinionis, B. Virgini specialiter deuotus, cuius, & fama Iudæum non latuit, quem secrete Iudæus accessit, proposuit factum, respondit Sacerdos: vere signum est, quod gloriosa Virgo Maria vult habere seruitium perpetuum in area tua, vbi sæpius est blasphemata. Dixit Iudæus: Quid igitur faciam? Respondit Sacerdos diuinitus doctus, in hac villa Fratres B. Mariæ Virginis Conuentum nondum habent, quibus aream tuam dabis, & Ordinem eorum intrabis. Iudæus igitur habita deliberatione singula compleuit. Fratres igitur vocati venerunt, locum acceperunt, Iudæum cum vxore, & liberis baptizari, et locum secrete conseruari procurauerunt, et Campanam erectam pulsauerat. Quod, vt Officialis Regis Franciæ Capitaneus villæ percepit, aduertit præcipiendo Fratribus, quod exirent. Quod cum facere nollent, circumdedit eos, et inclusit. Nihil igitur de victualibus habuerunt præter id, quod homines deuoti nocturnis temporibus ipsis per scalas, vel aliunde furtiue ministrauerunt, complentes in hoc opera misericordiæ, in quibus dicitur: in carcere eram, et visitasti me. Habemus autem Antiphonam* Aue stella matutina, peccatorum medicina &c. *quam in laudibus canimus, in qua continentur hæc verba:* Tu nos, in hoc carcere solare propitia *: quæ cum iuxta morem eleuatis oculis ad B. Virginis*

ginis Imaginem deuotissime decantarent, omne illud, quod eos exire prohibuit corruit, sicut muri Hyerico quondam corruerunt: oculi vero Capitanei, qui ipsos incluserat, per neruos in maxillis pependerunt, sedes proprias exeuntes. Cumque nunciaretur Capitaneo, quod factum esset, respondit: Bene habeo partem meam. Fecit igitur se duci ad locum Fratrum, & coram Altari prostratus, petijt orationem ipsorum: Fratres vero B. Mariam inuocantes alacriter Salue Regina *decantauerunt, & cum venirent ad istum locum:* Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, *confestim oculi prædicti Capitanei loca pristina, cunctis qui aderant videntibus, reintrauerunt. Intrauit igitur Capitaneus Ordinem nostrum cum substantia sua tota. Multis ibidem Beata Virgo cepit coruscare miraculis, & adhuc multipliciter coruscat, vt sciunt homines. qui sunt in partibus illis; ibique non parui valoris ædificatus est Conuentus ad honorem* B. *Dei Genitricis Mariæ, cuius nomen sit benedictum in æuum.* Hæc iste grauis, & peruetustus Author, digna sane Mariani patrocinij in suum Carmelitarum Ordinem. Notet porrò in illis pius Lector Antiphonam illam, *Aue Stella matutina*, Ordinis propriam esse, & à Beato Simone, cui Sanctissima Parens Scapularis priuilegia concessit, compositam, vt suo loco dicetur. In qua dicitur: *Contra tela inimici clypeum pone salutis, tuæ titulum virtutis*, ad ipsum nempe Scapulare respiciendo.

5 Similia fermè habet Balduinus Leersius Attrebatensis *in Collectar. exemplorum, & miraculorum Gloriosiss. Dei Genitricis Virg. Mariæ Carmelit. cap.* 11. his verbis: *Apud Vrbem Tholosanam in Occitana lingua celebrem,* adhuc *ibidem locum non habentibus, erat quidam Iudæus habitans diues valde, & ad ipsum confluebant cæteri, cum esset honorabilior omnium. Habuit hic pomerium suæ domui vicinum, in quo sæpius recreationis ergo consueuit ire. Accidit tempore quodam, vt respiciens pulcherrimam arborem viderit in eius summitate Imaginem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, speciosum Puerum in vlnis tenentem: mox igitur attonitus, apprehensa scala dum ascendere voluit arborem, disparuit* Imago, *& cum descendisset, iterum vidit in summitate* Imaginem, *& cum vellet ascendere, iterum disparuit. Cum sæpius id accidisset inde noctes duxit insomnes, nesciens quid hoc prætenderet. Erat autem in villa quidam Sacerdos magnæ sanctitatis, & opinionis, Beatæ Virgini specialiter deuotus, cuius fama* Iudæum *non latuit, & accedens illi factum proposuit. Respondit Sacerdos: Verè signum est, quod gloriosa Virgo Maria vult habere seruitium perpetuum in area tua, in qua sæpius est blasphemata. Dixit* Iudæus: *Quid igitur faciam? Sacerdos autem diuinitus inspiratus respondit, in hac Villa Fratres* Beatæ *Mariæ Virginis Conuentum nondum habent, quibus aream tuam dabis, & baptizatus, Ordinem intrabis.* Iudæus *igitur, habita deliberatione singula impleuit. Igitur Fratres vocati venerunt, locum receperunt, & Iudæum cum vxore, & liberis baptizari, ac locum secretè consecrari procurarunt, & Campanam erectam pulsauerunt. Quod cum Officialis Regis* Franciæ *Capitaneus Villæ percepit, aduenit præcipiendo Fratribus, quod exirent; quod cum facere nollent, circundedit eos clausuris firmis, & inclusit. Nihil igitur de victualibus habuerunt, præ-*

Ex Balduino.

ter id, quod homines deuoti nocturnis temporibus per scalas furtiue ministrabant Mariæ gratia. In hoc enim opere duo complebantur misericordiæ opera, scilicet visitando captiuos, & esurientes alendo. Habet autem Carmelitarum Ordo singulare Antiphonam in honorem Virginis gloriosæ ordinatam, quam in Laudibus cantant, videlicet: Aue Stella matutina, *vbi etiam habetur:* Tu nos in hoc carcere solare propitia: *hanc, cum iuxta morem, eleuatis oculis ad B. Mariæ Virginis Imaginem, deuotissime decantarent, omne id, quod eos exire prohibebat corruit, sicuti muri Hyericho corruerunt: oculi verò Capitanei, qui eos incluserat, per neruos in maxillis pependerunt. Cumque nuntiarent Capitaneo, quod factum esset, respondit: Bene habeo partem meam. Fecit se igitur duci ad locum Fratrum, & coram altari prostratus, petijt orationem ipsorum: Fratres Beatam Virginem Mariam inuocantes alacriter Salue Regina decantauerunt, & cum venirent ad illum locum:* Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, *statim oculi ipsius Capitanei loca pristina capitis, qui aderant videntibus, reintrauerunt. Intrat igitur Capitaneus Ordinem, cum substantia sua tota. Multis ibidem Beata Virgo cœpit coruscare miraculis, & adhuc multipliciter coruscat, vt sciunt omnes qui sunt in partibus illis, ibique non parui valoris ædificatus est Conuentus ad honorem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, cuius nomen sit benedictum in æuum.* Ferme etiam similia Arnoldus Bosthius *in suo Speculo historiali capit. 23.* quæ prolixitatis euitandæ causa relinquimus.

Alia ad insectorum. 6 Hæc porro omnia, quorum aliqua in Tractatu de *Maria patrona, cap. 5. num. 21.* adduximus, huic loco veluti propriæ Sedi adiungere oportuit. Et inter illa, ea quæ Segerus Pauli *in Chronolog. Beati Simonis* ad ann. 1260. scripta reliquit. Nempe: *His circiter annis contigit Tholosæ in Gallia Narbonensi miraculosa illa Tholosani Carmeli fundatio. Quando nimirum primarius illic degentium Iudæorum, Samuel Grossi nomine, per visam Imaginem Deiparæ Virginis in arbore pomerij sui ad fidem conuersus, domum suam Carmelitis (qui hactenus extra muros Tholosanos aliquot annis constiterant, & nunc primum intra Vrbem admissis) donauit; baptismum cum vxore, & liberis suscepit, eundemque Ordinem Marianum intrauit. Quando quoque mox Regius Præfectus, seu Capitaneus Vrbis, audita insolita Campanella Fratrum, eos inde expellere, exire nolentes, fame enecare volens, vtrosque oculos suos erutos sensit, Carmelitas vero miraculosè libertati donatos; sed pœnitens oculos recepit, & Carmelita effectus totam substantiam suam ad istius structuram complendam donauit.* Subdit vlterius, quod in magnum Beati Simonis laudis incrementum cedit. *Tantis in angustijs constitutis Carmelitis S. Simon Stock adhuc viuus, sed longe absens, illis inuisibiliter apparuit, & vt in Deiparam Virginem spem collocarent, docuit, illa verba Antiphonæ, quam composuerat:* Tu nos in hoc carcere solare propitia, &c. *repetere.* Subdit, & de alio miraculo paulo post mortem Sancti Simonis patrato, quod & nos sub ann. 1266. referemus.

Viri illustres. 7 Nobilissima hæc Tholosana domus plures tẽporis cursu Carmeli palmites protulit, quos suis in locis numerabimus. Inter quos an sit iure numeran-

merandus is, qui ſacrum Ciſtertienſem Ordinem ingreſſus ad ſummum Pontificatus apicem meruit promoueri ſub nomine Benedicti Duodecimi ſuo loco dicetur.

8 Interim Antiſtes noſter Beatus Simon ſub occaſum vitæ ſuæ exiſtens, ſui quoque Ordinis dilatationi piè intentus erat; hoc enim anno in Scotia ſub noua Alberti regula Cęnobium Partinienſe erigi curauit, Sacello Diui Nicolai Fratribus noſtris pro loco aſſignato. Licet multis retro ſæculis tam ibi, quam in Hibernia, ſub veterum Brittannorum titulo, in Anglia extiterint; Quod expreſſe aſſerit, & aliquoties confirmat Clemens Reinerus Benedictinus Monachus in ſuo Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia; cuius periodos de hoc puncto, graueſque ſententias ad intentum retulimus tom. 3. præcedenti, pręſertim in Apparatu. Hoc vero, quod de Partinienſis Cęnobij erectione diximus, ex Segero Pauli, in Chronolog. B. Simonis circa hunc annum hauſimus. B. Simonis geſta.

9 Clarus hoc tempore erat B. Ambroſius Sanſedonius pręclariſſimæ Dominicanæ familiæ, & Senenſis Ciuitatis Sydus egregium, cum ſanctitate, tum doctrina. Cum autem in habendis ad populum concionibus, ſpeciali Dei afflatu gratia niteret, in cauſa fuit, vt B. Francus noſter, de quo in ſuperioribus tactum, perfectioris vitæ tramitem, feruidus Dei amator ſeligeret. Cum enim in Concione quadam de Dominica Palmarum habita ipſum referre audijſſet illud Chriſti Præcurſoris, Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*: & illud Matth. 21. de ficu infructuoſa, quaſi pro ſe ſolo dicta accipiens, ad Altare Beatæ Virginis oraturus accedens, in raptu, ecſtaſi, vel ſomno pulcherrimam ſibi hæc dicentem Virginem vidit. *Si vis, ò France, ſcire qualem te vitam gerere oporteat, vt ſaluus eſſe, & diaboli laqueos fugere poſſis, ſolitudinem ſequere, & hominum conſortio, qui tibi in iuuentute ſcandala fuere, in ſenectute fuge.* Quo audito iuxta portam S. Marci Senarum Vrbis vbi tunc erat, breuem ſibi proprijs manibus caſulam fecit, ex qua niſi ſua, vel proximorum neceſſitate coactus, carnem macerans, ieiunijs, flagellationibus, & totis ferè noctibus protractis vigilijs, & orationibus intentus, non exibat. Gregorius Lombardellus Dominicanus *in vita Beati Franci cap.* 10. Huic anno caſum appingimus, prudenti coniectura ducti ex ſerie hiſtoriæ prædicti Lombardelli, licet iuxta vitam eiuſdem Franci ab alijs deſcriptam ante annum 1277. id non acciderit. De B. Frãco.

Ann.

Ann Christi 1265. Clem 4. Roman. Pontif. 1. Imper. vac. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 6. B. Simon Gener. vltim.

Clem. 4. Pontifex.

1 HOc anno ipsis nonis Februarij Perusij à Cardinalibus vno omnium suffragio ad Pontificatum, etsi absens, euectus est Guido Narbonensis, Clemens Quartus nuncupatus. Qui statim Carolum Andegauensium Ducem Sancti Ludouici fratrem ad Regnum Siciliæ, & Neapolis in feudum, cum quibusdam conditionibus acceptandum inuitauit. Acceptauit Carolus, & Italiam veniens contra Manfredum, exercitum, & arma præparabat. Honuphrius, Platina, Sabellicus, & moderni alij.

Concessiones ipsius.

2 Non pauca, nec leuia, nouus Pontifex Clemens prædecessorum suorum vestigia sequens, Ordini nostro concessionum Diplomata dedit. Primo etenim hoc anno Perusij 7. Idus Maij nostris Fratribus concessit, vt vltra duas dietas à domibus nostris super ijs, quæ intra ipsas habent, trahi non possent à quocunque in causam per litteras Apostolicas non facientes de hac Indulgentia mentionem. Speculum Ordinis *fol. 62.* Item decimo Kalendas Iunij eodem anno benignas litteras omnibus Prælatis Ecclesiarum misit, ipsis præcipiens, vt à fratrum nostrorum molestijs, & grauaminibus desistentes, & ipsos inquietantes compescentes, permitterent diuina Officia libere celebrare in eorum Oratorijs, & Collegijs, prout decet viros Religiosos approbati Ordin. Speculum Ordinis *fol 62. pag. 2.* Item quarto nonas Iunij eodem anno indulsit eisdem Fratribus, vt in locis, & Oratorijs eorum pacificè obtentis possent cum Altari Viatico Missarum solemnia, & alia diuina Officia celebrare, omni parrochiali iure parrochialibus Ecclesijs reseruato. Speculum Ordinis *fol. 68. pag. secunda.* Mare magnum per Ioannem Mariam de Nouolaria collectum *Bulla 45.* Concessit præterea eodem anno, nonis Augusti, quod nostri non tenerentur soluere canonicam iustitiam, seu portionem, de ijs, quæ ipsis data, vel legata essent, dummodo prædicta non conuerterentur in alios vsus, sed in illos dumtaxat, pro quibus data fuissent; cum alia etiam limitatione in Bulla adiuncta. Speculum *fol. 62. pag. 2.* Mare magnum per Ioannem Mariam de Nouolaria collectum *Bulla 21.* Insuper sexto Kalendas Octobris eiusdem anni, personas, & loca nostra, cum omnibus bonis obtentis sub Beati Petri, & Apostolica protectione suscepit, ipsaque loca, & bona auctorjtate Apostolica confirmauit, ac prohibuit decimas exigi, de hortis, & virgultis nostris ad nostros vsus deputatis, quæ proprijs manibus, & sumptibus colimus. Speculum Ordinis *fol. 62. pag. 2.* Mare magnum Ioannis Mariæ *Bulla 24.* Similiter 2. Kalendas Nouembris Ecclesiarum Prælatis scripsit, quatenus nostris adiutorium præberent, nec permitterent indebitè

bitè molestari in cellis, Ecclesijs, & cœmiterijs habendis. Mare magnum Ordinis per Ioannem Mariam collectum *Bulla* 4. Ac demum eodem anno nonis Octob. quasdam Indulgentias Ordinis nostri Conuentus fidelibus visitantibus concessit. Speculum Ord. *fol.* 64. *pag.* 1.

3 Cælitum numerum hoc anno B. Simon Ordinis nostri inter Latinos sextus Generalis pretiosa morte adauxit. Cum enim Burdegaliæ Vasconiæ Vrbe Conuentum visitans moraretur sub 16. Maij, ætatis suæ anno centesimo spiritum emisit. Officium eiusdem Beati Simonis, Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittann. Centur.* 2. Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ, ætate* 13. Petrus Lucius *in Compendio histor. Carmelit. cap.* 12. Segerus Pauli *in Chronolog. Beati Simonis ad hunc annum*. Subiungens etiam, quod *in recitanda Salutatione Angelica moriens, sancto fine quieuit*. Aduertit Balæus per 20. annos à 1245. vsque ad 1265 Ordinem rexisse, quod intellige, Generalis titulo: nam ab anno 1212. quo Carmeli aliquot Eremitæ Angliam venerunt, vel paulo post, sub anno videlicet 1215. preut Segerus autumat, sub ipsius, absdubiè sanctitate, & doctrina, præclari, ac moribus illius Regionis peritissimi, cura, & gubernio, extitere; etiam sub titulo Vicarij Generalis: iuxta dicta sub anno 1221. & sequentibus, vt propterea in ipsius vita, ac Officio Burdegalensis Monasterij, quinquaginta annos præfuisse dicatur, computatis scilicet ijs, qui ante Generalatum transierunt. B. Simonis obitus.

4 Scripsit, eodem Pitseo teste; *Canones cultus diuini*, *Homilias ad populum, de Christiana pœnitentia, Epistolas ad* Fratres. *Antiphonas ad Christiparam Virginem*, illam videlicet, *Flos Carmeli, Vitis florigera*, quam sub anno 1251. qui fuit primus dati Scapularis à Beatissima Virgine, adduximus. Et eam, quam in Officio eiusdem Virginis secundum antiquum Religionis ritum in vsu habemus, magna deuotione iure à nobis recitandam propter authoris sanctitatem; & quia in ipsa illis verbis, *Clypeum salutis, tua titulum virtutis*, adumbratum cernitur Sanctum, & priuilegiatum, Ordinis Scapulare. Eius porro Antiphonæ metrus est iste. Scripta ab ipso.

Aue Stella Matutina,
Peccatorum medicina,
Mundi Princeps, & Regina.
Virgo sola digna dici,
Contra tela inimici
Clypeum pone salutis
Tua titulum virtutis.
Tu es enim Virga Iesse,
In qua Deus fecit esse
Aaron amygdalum
Mundi tollens scandalum.

Tu es

Tu es area compluta
Cælesti rore imbuta,
Sicco tamen vellere:
Tu nos in hoc carcere
Solare propitia
Dei plena gratia.
O Sponsa Dei electa,
Esto nobis via recta
Ad æterna gaudia,
Vbi pax est, & gloria.
Tu nos semper aure pia
Dulcis exaudi Maria;

Cultus debitus B. Sim.

5 Sancti, vel Beati, cultum Beato Simoni iure debitum, multa confirmant. Primum, communis Ordinis, & constans traditio per omnes ipsius Historicos euulgata. Ex quibus vnus pro multis Ioannes Grossi, qui pro anno 1400. floruit, & Generalis Ordinis munus gessit, in tractatu paruo, qui dicitur *Viridarium*, in Speculo Ordinis *fol.* 101. Simonem nostrum Sanctum, sæpius, clarumque miraculis in vita, & in morte compellat. In tractatulo etiam *de Sanctis Ordinis Carmelitarum* in eodem Speculo Ordinis *fol.* 102. hæc scripsit. *Nonus fuit Sanctus Simon de Anglia, Generalis Ordinis Sextus. Qui Dei gloriosissimam Genitricem iugiter deprecabatur, vt Carmelitarum Ordinem, qui speciali gaudet ipsius Virginis titulo, aliquo communiret priuilegio, dicens voce deuotissima: Flos Carmeli, Vitis florigera, splendor Cæli, Virgo puerpera, singularis Mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia, Stella Maris. Cui Beata Virgo cum multitudine Angelorum apparuit, Scapulare Ordinis in benedictis suis manibus tenens, & dicens: Hoc erit tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, quod in hoc moriens, æternum non patietur incendium; idest, in hoc moriens saluabitur. Dictus iste Simon Generalis, dum Prouinciam Vasconiæ visitauit, in Conuentu Burdegaliæ ab hac luce migrauit, vbi eius Corpus quiescit; & ideo à quibusdam S. Simon de Vasconia, à quibusdam S. Simon de Burdegalia nuncupatur. Sed S. Simon de Anglia, vbi suam traxit originem, rectius vocitatur.* Hæc ille. Circa quæ qualiter intelligenda verba illa Virgineæ reuelationis diximus in superioribus *circa anno* 1251. Hinc etiam alij Ordinis Historici, maxime Palæonyd. *lib.* 3. *c.* 7. Didacus Coria *in Chronic Carmelitar. lib.* 10. *à cap.* 9. Petrus Thomas Sarracenus *in Menolog. Carmelitarum* Vitam ipsius, vt sanctitate, & miraculis insignis Beati, conscripserunt.

Ex Bostio.

6 Sed præ cœteris audiendus Arnoldus Bostius *in suo Speculo Historiali lib.* 7. *cap* 22. qui ad intentum nostrum hæc scripsit. *Itaque præmemoratus Pater Simon Stock, in vita sua multis claruit miraculis, de quibus aliqua in medium adducemus. Quadam namque die Missam celebrare proposuit, credens omnia necessaria ad ministerium diuinum requisita habere, cumque ad Calicis*

licis

licis ministrationem peruenisset, vino destitutus aquam, instar Domini nostri Iesu Christi, in vinum conuertit, cum quo Missam celebrauit inceptam. Denique, cum se iugiter ab esu carnium abstineret, quodam tempore cibum in domo germani sui sumebat, cui frater in prandio piscem præsentauit aqua bullitum, quem ad iussionem viri Dei in aquam proiecit, & more natauit illæsus. Et infra. *Prætera S. Simon StocK post multa miracula, quæ Dominus per eum fecerat, centesimo ætatis suæ anno, dum Prouinciam Vasconiæ visitaret, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, cum ferme quinquaginta annis nostrum Sacrum Ordinem debitè gubernasset, sextadecima die mensis Maij in Conuentu Burdegaliæ ab hac luce migrauit plenus dierum, vbi eius Corpus multis clarens miraculis requiescit. Qui senilem induit ab adolescentia grauitatem, & ex tunc ascensiones in corde suo disposuit, atque per incrementa virtutum, in eminentiam vitæ perfectioris ascendit, exemplum dedit nobis, vt & nos sequamur vestigia eius. Cum igitur de salute eius, & gloria Regni Cælestis spem certissimam habeamus; beati enim qui in Domino moriuntur, & vt voce Apostoli vtar, nolite contristari de dormiente, sicut illi qui spem non habent: verumtamen si circa Patrem nostrum pium est flere, pium nihilominus est gaudere. Cedat igitur ad plenitudinem gaudiorum talem Patrem in Generalem Ordinis habuisse, & præcessisse nos ad vitam æternam, qua post longos labores, & diutinas sollicitudines è medio sublatus est.*

7 Secundo, corroborant intentum aliorum grauium authorum testimonia, qui à multis retro annis Beatū Simonem sanctitate, & signis præclarum noscentes ipsius vitam, ac signa posterorum notitiæ scriptam tradiderunt. Hi sunt Monaldus Rosarius Vasco, Roulandus Bouchier, Hannonius, & Nicolaus Harlemius, quos affert Ioannes Pitseus, *vt supra* adductus, post Balæum, de quo infra, & Ioannes Molanus *in Additionibus ad Vsuardum.* Accedit author Anonymus apud Benedictum Gononum *in lib. 4. de vitis Patrum Occidentalium*, qui compendiosam ipsius Beati Simonis vitam scripsit, quam idem Gononus extraxisse fatetur ex quodam Codice manuscript. Bibliothecæ Reuerendissimi Domini Roberti Bertheloth Episcopi Damasceni, & Suffraganei Lugdunensis. Eadem etiam eiusdem Beati Simonis vita *in Manuscript Codice* Bibliothecæ Vaticanæ sub Compendio etiam in libro *sub hoc numero* 3813. scripta conspicitur. Scripsit quoque de illo Ioannes Pitseus, de quo supra. Quin, & Ioannes Balæus (licet maleferiatus homo) *in Cathalog. Scriptorum. Brittann. Centuria secunda* de gestis Beati Simonis dubitans (hæretico more) scripserit, cum tamen hæretica phrasi inter *Papisticos Sanctos* à Burdegalensi Archiantistite relatum prædicat, eiusque sanctitatem sic commendat: *Quod ex solitudine Dei verbum sæpiuscule annunciauerit, ac plebis scelera taxauerit, sanctitatis eius non leue argumentum est.* Ex alijs.

8 Præterea tertio, prædictum Sancti, vel Beati cultum Beato Simoni debitum corroborant miracula ab ipso patrata. Quæ vero in vita gesserit, licet non omnia compertę, duo tamen ex Officio Burdegalensis Cœnobij, de quo inferius, quæ etiam à Bostio supra enarrata vidimus, sic habemus. Ex alijs etiam.

Pisces coctos sibi à germano suo in obsonium oblatos, vt eius inediam tentaret, erectis in Cælum oculis vitę reddidit. Aquam Crucis signo in vinum conuertit, superans Dæmonis astutiam, qui sacra facienti vinum in vrceolis paratum, callida arte abstulerat. Eadem fermè Palæonydorus *lib. 3. cap. 7.* & alij Historici Ordinis post ipsum. Additur in eodem Officio, quod cum ieiunijs, & abstinentijs multum deditus esset, *vitæ rigorem leniebat nonnunquam Deus canum ministerio, qui statis diebus ad Simonem accurrentes, panem ei vnde ieiuna membra resocillaret, afferebant*. Quod vix sine iugi miraculo intelligi potest accidisse. Huc accedit Spiritus propheticus, quo à Deo donatus *plurima futura* prædicens, in prædicto Officio dicitur. Vnde etiam in vita eiusdem Sancti Simonis, quam inter vitas Patrum Occidentalium Benedictus Gononius posuit, de eo habetur: *Ante aduentū Fratrum Ordinis sui in Angliam, spiritu prophetico illos expectauit in quodam trunco concauo*. Et inferius: *Sacrum Ordinem Carmelitarum, quem diu Spiritu prophetico expectauit, maxima cum deuotione intrauit.* Quibus similia habentur in vita Codicis manuscript. Vaticanæ Bibliothecæ *sub num.* 3813.

Ex officijs ipsius.

9 Accedunt Officia ipsius Sancti, quæ ipsum abundè titulo Sancti, vel Beati colendum demonstrant. Ex ijs vetustius est illud, quo Cœnobium Burdegalense, vbi sanctum Corpus requiescit, à multis annis vtitur, cuius authenticam copiam apud nos extat. Id vero scriptum est in libris Chori eiusdem Conuentus anno 1435. vt etiam authenticis litteris testimonialibus comprobatur. Typis vero mandatum post fuit Burdegalæ anno 1580. Præter id autem erat olim (vt credimus, in Anglorum vsu) Officium aliud proprium eiusdem Beati Simonis à Roberto Balæo editū, de quo Balæus alius ille Apostata *in Cathalogo Scriptorum Brittann.* & Pitseus de Scriptoribus Angliæ. Id autem diuersum fuisse ab illo priori Officio Burdegalensis Cœnobij compertissimum est, cum istud Roberti pro anno 1500. vel circiter editum sit, quo tempore author ipsius in humanis erat, illud vero Burdegalense anno 1435. vt diximus. Insuper Officium hoc Roberti incipit: *Aue Simon Pater inclyte*, vt Ioannes Balæus notat, Burdegalense autem sic; *Hic Vir*, &c. vt nos animaduertimus. Errant ergo, qui vtrumque Officium confundentes ex duobus vnum faciunt. Hinc propterea Beati Simonis Officium pro tota Religione intimatum extat in Capitulo Generali Romæ in Conuentu Sancti Martini de Montibus anno 1564. habito. Ex cuius decreto in Kalendario tunc etiam Romæ apud Impressorem Cameralem impresso pro 16. Maij sic dicitur. *Simonis Anglici Confessoris Carmelitæ duplex*. Quæ satis indicant, tacito saltem consensu, & approbatione Pij Quarti tunc Romani Pontificis, auspicijs maximè Sancti Caroli Cardinalis Borromæi, Ordinis tunc Protectoris, id factum fuisse. Vnde etiam postea decreto Sacræ Congregationis Rituū, sub fœl. record. Vrbano Octauo anno 1628. Officium eiusdem approbatum, & confirmatum extat. In Officio autem, quod erat in vsu Ordinis sub anno 1574. hæc Oratio legebatur: *Deus, qui nobis Sanctum dedisti Simonem*

monem Rectorem, & Patrem, quem dum viueret, filio tuo, & eius gloriosissima Virgini Matri puro corde, & sincera deuotione seruire voluisti, tuam imploramus clementiam, vt cuius gaudemus meritis, tranquilla prosperitate in tua iugiter laude latemur, eiusque instruamur exemplis. Per Dominum, &c.

10 Demum Cathalogi, seu Martyrologia, de Beato Simone, eiusque sanctitate apte loquuntur. Ioannes etenim Molanus *in Additionibus ad Vsuardum* in Martyrologio ex impressione Antuerpiæ anno 1583. die 16. Maij sic. *Ciuitate Burdegala Beati Simonis Stock Carmelitę, Deiparæ Virginis Mariæ singulariter deuoti, ac miraculorum coruscatione pragloriosi.* In Annotationibus porro hæc: *De Simone Stochio ex Catalogo Scriptorum Brittanniæ vitam scripserunt Monaldus Rosarius Vasco, Rolandus Vouschier Hannonius, & Nicolaus Harlemensis Batrauus, viri sui temporis clari. Officium edidit Robertus Ilale Carmelita Brunhamię.* Et Philippus Ferrarius Alexandrinus in Cathalogo Generali Sanctorum, die etiam 16. Maij sic: *Burdegalæ in Aquitania Sancti Simeonis Ordinis Carmelitarum.* In Annotationibus hæc. *Ex Molano in additionibus, & tabul. Ordin. Carmelitarum, qui illum ex Pauli Quinti concessione Officio Ecclesiastico colunt. Erat Anglus nat. Obijt Burdegalæ, cum esset eius Ordinis sextus Generalis.* In Kalendario etiam Legendę Sanctorum (quæ sub nomine Nicolai Manerbij habetur) inter alios Sanctos pro dicta 16. Maij Beatus Simon numeratur, licet per errorem ibi titulo Martyris appelletur. Ex Cathalogis.

11 Hinc plures alij titulo Sancti, vel Beati Simonem nostrum appellant. Sic etenim in Manuscript. Bibliothecæ Excellentissimi Ducis Altemps sub hoc titulo, *Origo Ordinis Montis Carmeli*, in fine inter Sanctos Ordinis, quos dicit depingendos cum *Cappis barratis*, ponitur, *S. Simon 4. Generalis Ordinis eiusdem*. Quartum vocat, quia inter Generales Sanctos quartus fuit, post Bertholdum, Brochardum, & Cyrillum. Ad idem Emmanuel Rodriguez *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 97. art. 7.* Carthagena *tom. 4. Homil. lib. 17. homil. 1. 2. & 3.* Claudius Robertus Lingoniensis in *Gallia Christiana lib. de Abbatibus, & Generalibus*, loquens de Generalibus Carmelitarum, Bzouius *tom. 13. Annal. sub anno 1217. num. 13.* Ioannes Fridericus Matenesius Prothonotarius Apostolicus in *Historia Ecclesiastica sub eodem anno.* Ex alijs.

12 Beati Simonis Corpus, post eius obitum honestis pompa, & loco, Fratres nostri sepeliri curarunt. Diuino tamen lumine illustrati, cum post tres dies effodi, & exhumari fecerint, in honestiori loco eleuatum; clarum miraculis collocauerunt. Officium B. Simon. in 6. *Lect.* Sepultura ipsius.

De Nicolao Gallico septimo Generali Latinorum:

13 POst Beati Simonis obitum, cum nostri Ord. Patres sollicite de Successore deligendo deliberarent, Capitulo Gen. Tolosæ in Aquitania celebrato, diuinoque inuocato Numine, Nicolaus Gallicus, *qui hacte-* De Nicolao Gallico.

nus, vt Segerus *supra* inquit, *Beati Simonis Generalis dumtaxat Vicarius, cum potestatis plenitudine extiterat per annos quindecim in partibus Orientis*, præ cæteris Ordinis regimine dignus iudicatus in Generalem Præsulem fuit electus: Vir sanè sanctitatis opinione conspicuus, vt propterea Beato Simoni, iure, meritoque virtutis successor, destinatus sit. Fuisse ipsius immediatum successorem communiter tradunt Authores nostri, specialiter Grossus *in Viridario Claui* 2. Palæonydorus *lib*. 3. *cap*. 9. & alij, licet de anno electionis vix vnus alij consentiat. Nos tamen, vt credimus, veriorem Generalium Chronologiæ computandæ rationem sequimur. Cui accinit Bostius *lib*. 7. *Specul. historial. cap*. 25. inquiens: *Anno Domini* 1265. *defuncto Beato Simone StocK, communi electione R.P. Nicolaus natione Gallicus, septimus Prior Generalis Fratrum Ordinis Carmelitarum constitutus est.* De illo subdens. *Qui statim curam gregis sibi commissi acceptans corpus suum in Domini onere, & seruitio emancipare studuit*. Alia de ipso in sequentibus.

Ann. Christi 1266. Clem 4. Roman. Pontif. 2. Imper. vac. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 7. Nicolai Gallic. Gen. 1.

Carolus Rex

1 HOc anno in Basilica Constantiniana Carolus Andegauensis à quinque Cardinalibus, quos Clemens Papa destinauerat, Rex Siciliæ, & Neapolis denunciatus est; insignia Regni, Coronam, & Sceptrum simul cum Coniuge, quibusdam pactis, & conditionibus iuratis, suscipiens. His ergo fauoribus munitus, Manfredum per Nuncios pacem deposcentem audire noluit, quin cum ipso pugnans, vicit, & occidit. Alphonsus etiam Rex Castellæ, & Iacobus Rex Aragoniæ prospere contra Mauros incedebant. Alphonsus enim Granatenses fœliciter subegit, & Iacobus eos bello profligauit. Mariana *lib*. 13. *cap*. 15. Bzouius sub hoc anno *num*. 1. 3. 5. 10. & 15.

Beatis. Virg. protectio.

2 Magnum Beatæ Virginis Mariæ in suæ Religionis alumnos protectionis signum sub hoc anno mundo innotuit, Tholosæ videlicet, prout refert Guilielmus Decatelus *in Histor. antiquit. linguæ Oscitanæ lib*. 2. *tit. Carmelit. de Tolosa* ex Guilielmo Benedicti *in cap. Rainutius de testam*. Quem casum Segerus Pauli in sua illa *Beati Simonis Chronolog.* sæpius repetita refert ad annum præcedentem; & casus occasionem fuisse dicit, quod propter celebrationem Capituli Generalis tunc celebrati Tholosæ, & concursum plurium grauium PP. ætate, probitate, ac eruditione insignium, Comitis Tholosani filius, inuidens Monasterio Fratrum nostrorum suæ domui vicino, illud comburere tentauit: sed, capite ipsi inuerso, ita vt facies tergum respiceret, pœnitens facti, liberatus à morbo fuit; & gratus beneficio ianuam Monasterij egregiè illustrauit.

Metensis Conuentus

3 Metensis Connentus in Lotharingia, hoc anno à Fratribus nostris

piorum

piorum eleemosynis fundari ceptus: nobile sanè emporium Religionis, quod plures viros doctos, Concionatores insignes, & eius Ecclesiæ Episcopos suffraganeos subministrauit. Ex quibus vnus fuit Corradus Nicopolitanus Episcopus, Ioannis Lotharingiæ 80. Cardinalis Episcopi Metensis Suffraganeus. Obijt anno 1552. Alter fuit etiam Corradus nomine Episcopus Basilitanus, & Metensis Suffraganeus. Obijt 1529. vt constat ex Epitaphio ipsi in Ecclesia inscripto. Hæc Mauritius Minorita Episcopus Madaurensis *in Histor. Episcoporum Metens. Eccles. lib. 3.*

4 Eodem anno adimpletum videtur illud Oraculi Angelici nostri Beati Cirilli *cap. 4.* videlicet: *In illis diebus frigescens coluber reintrabit cauernam qua ortus, & alitus fuerat, simulans se velle quiescere, vbi per minutum quiescet.* Quod de Regno Græcorum exponit ibi Abbas Ioachimus. Hoc namque anno, eorum Imperator Paleologus fictè, Ecclesiæ reconciliationem à Papa postulabat, animo tamen Balduinum ex Græcia pellendi. Quod rectè Pontifex nouit, & ad illum, acerbè fraudulentiam exprobrans, & vt ad vnitatem Ecclesiæ rediret admonens, responsum dedit. *Bzouius.* Oraculum Angelicum.

5 Eodem etiam anno, volente Deo, Beatum Simonem, qui anno præcedenti, diem vltimum clauserat, sibi, & Beatissimæ ipsius Matri, deuotissimum, honorare, Burdegalensi Archiepiscopo inspirauit, vt eum veluti Sanctum coli, & honorari faceret, prout factum est. Improbus Balęus in *Catalogo Scriptorum Brittann. Centur. 2.* Ioannes Pitseus *de Scriptorib. Angl. Ætate 13.* Hunc cultum ab hoc Archiepiscopo Beato Simoni concessum, Canonizationem vocant hi authores. Immerito tamen, cum Canonizatio solum ad Sedem Apostolicam spectet. Hæretico more, & sibi familiari, sic rem narrat Balæus: *Eum Burdegalensis Archiantistes sequenti anno inter Papisticos retulit Sanctos.* B. Simonis cultus.

Ann. Christi *1267.* Clement. *4.* Roman. Pontif. *3.* Imper. Vacat. Michael Paleolog. Imper. Orient. *8.* Nicolai Gallici General. *2.*

1 IN Oriente per id tempus Palęologus Græcorum Imperator, fidem, & vnionem Ecclesiæ Romanæ necessitate coactus prætendebat; cui Pontifex, vt animum illius certius exploraret, formulam fidei à Sede Apostolica conceptam, misit. In Occidente autem Alphonsus Rex Castellæ Papam interpellabat, vt imperij Coronam ipsi daret, quod facere non posse antequam Regis Romanorum Diadema acciperet, respondebat. Hac ergo forsan causa Germaniæ Principes moti Rudolphum Habsnurgensem Comitem in Regem Romanorum elegerunt, à quo Austriaca domus, Eccl. Cathol. veluti murus, & antemurale originem sumpsit. Interim Henricus Regis Castellæ frater, ac Senator Romanus, Paleologi prætensio.

Cle-

Clementi Papæ, Carolo Regi, & aliquibus Cardinalibus, ac aliis Pontificiæ factionis, contrarius effectus, Corradinũ, qui iam in Italiam venerat, ad Vrbem capiendam, & Carolum opprimendum inuitauit, vt propterea à Papa in die Cœnæ, censuris fuerit obstrictus. Bzouius.

Nicolai gesta 2 Ordinis regimini, ac gubernaio zelator Generalis Nicolaus diligenter attendens, id vnum ipsius propagationi, & dilatationi obuiare animaduertebat, quod nedum à Clericis sæcularibus, vt in superioribus visum est, sed & à quibusdam etiam Regularibus, prætextu quorumdam priuilegiorum sibi à Sede Apostolica concessorum, Monasteria, & Ecclesias ædificare, vel ampliare minus iustè nostri impedirentur; quin etiam propterea non rectè in causam coram Ecclesiasticis Iudicibus traherentur; quod non parum paci, & tranquillitati Religiosorum aduersabatur. Cum verò id nec dissimulandum, nec permittendum iure Generalis censeret, ad Summum Pontificem recursum habuit pro remedio postulando. Qui Viterbij existens sub tertio nonas Aprilis currentis anni nostrorum indemnitati consulens, prædictorum Regularium indulta declarauit, & quomodo sine nostri Ordinis præiudicio intelligi deberent Diplomate dato decreuit. Extat in Speculo Ordinis *fol. 63. pag. 1.*

Generale Capitulum. 3 Pro eodem etiam intento, Ordinis scilicet propagatione, ampliatione, & conseruatione, Messanæ in Sicilia hoc eodem anno Generale Capitulum Nicolaus noster celebrauit. Palæonydorus *lib. 3. cap. 9.* Cum enim Carolus natione Gallus, Siciliæ, & Neapoli Rex eo tempore esset, facile eius patrocinio in ea Ciuitate eiusdem nationis Generalis celebrandi Capituli commoditatem habere poterat. Quid in hoc Capitulo gestum, quæue eius acta, seu decreta fuerint, temporum iniuria, & nostrorum forsan incuria, non habemus.

Bristollen. Cœnobium. 4 Bristollense Cœnobium in Anglia sub hoc anno à Domino Eduardo primo postea Rege erectum. Speculum Ordinis *fol. 60.* Idem refert Tabula illa Chronologica Conuentuum Angliæ, quam sæpe retulimus. Vbi etiam titulo Beatissimæ Virginis Mariæ intitulatum fuisse scribitur, prout in omnibus ferme alijs eius Regni Cœnobijs actum esse conspicitur, & notauimus in superioribus.

Bridportense 5 Per id tempus, cum iam à septem annis Bridporti etiam in Anglia Ordinis nostri Religiosi existerent, Decanus tamen, & Capitulum Saresburiense molestijs fatigabant, quos sollicitudine rerum temporalium postposita, orationibus apud Deum vacantes cernere poterant. Ideo Pontifex ipsos illis commendatos Apostolicis scriptis decreuit. Extat Bulla in Speculo Ordinis *fol. 72.* huius tenoris. *Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili fratri Episcopo, & dilectis filijs Decano, & Capitulo Saresburien. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Grauiter oculos diuinæ Maiestatis offendunt, qui Religiosos viros molestijs fatigantes, & otium perturbant eorum, quos sollicitudine temporalium rerum postposita vacare constat orationibus apud Deum. Exhibita siquidem nobis dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum de*

Bridport

Bridport Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli Saresburien. Diœcesis petitio continebat, quod licet ipsi in eodem loco de Bridport per septem annos, & amplius moram traxerunt, et ibi Oratorium habeant, vos tamen quominus ijdem Prior, et Fratres in ipso Oratorio diuina Officia celebrent impedire præsumitis minus iustè. Quare fuit ex parte prædictorum Prioris, et Fratrum nobis humiliter supplicatum, vt prouidere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca Vniuersitatem vestram rogamus, et hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus si est ita, Priorem, et Fratres ipsos pro nostra, et Apostolicæ Sedis reuerentia habentes propensius commendatos, ab huiusmodi impedimento desistatis omnino, ita quod diuina vobis exinde propitiatio, et gratiarum nostrarum actio meritò debeatur. Data Viterbij pridie nonas Octobris, Pontificatus nostri anno Quarto.

Ann. Christi 1268. Clement. 4. Roman. Pontif. 4. Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 9. Nicolai Gallici General 3.

1 EXcommunicationis, & Anathematis sententias hoc anno contra Corradinum Pontifex publicauit, quod Imperium ambiret, Regem Siciliæ se nominaret, & Carolo Regi insidiaretur. Is ea contemnens Romam petijt, vbi imperatorio more ab Henrico Senatore acceptus, postmodum in prælio à Carolo superatus, Neapolim ductus, & decapitatus est. Pontifex etiam Clemens Viterbij existens, omnium luctu defunctus. Æmilius, Gordonus, & alij. *Gesta hoc anno.*

2 Tristis admodum toti Christianitati in Palæstina existenti, nostrisque Religiosis in illis partibus commorantibus, annus præsens fuit. Cum enim Saladinus Bondocudar 200. millia in exercitu habens Sarracenorum Antiochiam nobilissimam Syriæ, seu Cælesyriæ Ciuitatem expugnasset, & plusquam 120. millia Christianorum in ea occidisset, solemne Ordinis nostri Monasterium cum tota Ciuitate pari crudelitate destruxit. Monasterium quoque Montanæ Nigræ eadem tempestate ab infidelibus fuit dirutum. Specul. Ord. *fol.* 9. *c.* 8. Etsi in eo corrigendus sit error, quo pro anno 1268. ponitur 1248. Bostius *lib.* 7. *Specul. hist. c.* 26. Palæonyd. *lib.* 3. *cap.* 9. Quę tamen specialiter in ea occasione, horumq; Cœnobiorum euersione, acciderunt, historię vix referunt. Palęonydorus tamen, Bostium, vt solet, sequens sic habet. *Iisdem temporibus plures fratres Carmelitici Ordinis in Terra Sancta à Sarracenis in Monasterijs Eremi Quarantenę, in Vaalim, & in Montanis Nigris Martyrio coronati. Et cæteri omnes varijs pœnis trucidati sunt, et Monasteria ab inimicis Crucis Christi igni combusta.* Quę quoad Monasterium Montanę Nigrę spectant, hoc tempore accidisse videntur. *Terræ Sanctæ casus.*

3 Dei tamen benignissima prouidentia, & iuxta reuelationem Beato *Mediolanen. Conuentus.*

Cyrillo

Cyrillo factam, de qua in præcedentibus diximus, effectum est, vt hoc eodem tempore, in his Europæ partibus, clarissimis etiam Vrbibus, Ordo latius multiplicaretur, quam in Palæstina deficere cernebatur. Primo enim hoc eodem anno in Inclyta Mediolani Ciuitate Lombardiæ clarissima, Otto magnus Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis, nostris Fratribus Conuentum dedit. Is temporis cursu in magnificam fabricam tum Templi, tum domus, piorum eleemosynis, & legatis euasit. In Ecclesia reseruari dicuntur hæ Reliquiæ. Ex brachio Sancti Stephani Prothomartyris, quatuor capita ex vndecim millibus Virginibus, dens Sanctæ Apolloniæ, dens Sanctæ Luciæ, & ex Sancto Alberto, ac Beato Simone StocK. Est ibi etiam Altare priuilegiatum in Sacello Sanctæ Mariæ Magdalenæ, ex concessione Gregorij Decimi tertij ann. 1584. Clariores Viri huius Cœnobij & alia, quæ in ipso contigere, suo tempore referentur.

Florentinū Cœnobium.

4 Item Florentiæ, Italiæ flore, hoc eodem anno, nostrorum Ecclesia principalis, & secunda, fundata fuit per Reuerendiss. Ioannem Florentinum Episcopum Kalendis Iulij, qui & ipsi donauit pedem Sanctæ Agnetis Virginis, & Martyris, & caput S. Cordubæ itidem Virg. & Martyris. Sic enim constat ex Inscriptione posita in Claustro celebris huius Monasterij; quam adduximus Tom. 3. circa an. 742. quo tempore contigit prima erectio huius Cœnobij in parua quadam Ecclesiola, sub Thoma Episcopo Florentino concessa, septem Carmeli Eremitis, qui Humaris Tyrannij, & Mahumeti successoris persecutionem fugientes, Florentiam peruenerunt. Prout ex eadem Inscriptione, & alijs eo loco relatis etiam innotescit. Vbi etiam de plurimis, ipsisque grauissimis tum sanctitate, tum Ecclesiastica dignitate, tum doctrina clarissimis Viris huius Cœnobij Alumnis, mentionem fecimus. Inter quos veluti Primas est Sāctus Andreas Corsinus Fesulanus Episcopus, ab Vrbano 8. fœl. record. in Sanctorum numerum solemni Canonizatione cooptatus ann. 1629. de quo, & alijs suo loco, & tempore dicemus.

Norbicense.

5 Norbicense etiam, seu Noruichiense Cœnobium in Anglia hoc eodem anno erectum est. A fratre Guilelmo Colbgate quondam Norlbici ciue erectum esse scribit Speculum Ordin. *fol* 60. In Tabula autem illa Chronologica Conuentuum Angliæ, quam sæpius retulimus, fundatum dicitur à Philippo Corrogato Prætore Ciuitatis: vtrumque tamen veritatem continere potest, si Colbgate ille huic fundationi attendisse dicatur, subsidia ferente dicto Philippo Prætore. Sub titulo Beatiss. Virg. Mariæ etiam fundatum in eadem Tabula legitur. Eius Alumnus fuisse videtur Gilbertus Episcopus Amarensis, de quo sub anno 1270. dicemus.

Brechinense.

6 Brechini quoque in Scotia, Dempsterorum munificentia, Ordinis nostri Monasterium sub anno præsenti conditum est, authore Malcholmo de KarrestoumBarone. Sic Thomas Dempsterus in *Apparatu ad hist. Scotic. lib.* 1. *cap.* 15.

Ann.

1 ANnus hic Pontifice caruit, neminem enim Cathedræ Sancti Petri Cardinales imposuerunt post Clementis mortem, quæ anno præcedenti contigit. Parabatur interim expeditio Christianorum Principum in Syriam, eos ad bellum excitante Tartarorum Rege Chamo vocato, qui Turcas expugnare conabatur. Bzouius, Gordonus. — *Anni istius casus.*

2 Hoc etiam anno 1269. Neapolim venit Regina Sueuorum, quibusdam Margarita, alijs Elisabetha, alijs Constantia nominata, Corradini Mater, vt filium, quem à Carolo Neapolitanorum Rege captum sciuerat, pretio redimeret. Reperit tamen cæsum, prout diximus sub anno præcedenti, & in humili quadam Capella *de la Cruce* cognominata, & quæ modo est sub Coriariis, sepultum: ac propterea, cum aliud in defunctum maternæ pietatis officium ei præstare nequiuisset, ex eo loco, exequijs celebratis, in Carmelitanam Ecclesiam nostram, titulo Beatæ Mariæ nunc celeberrimam, iuxta Altare maius transferri fecit. Pro ipsius animæ redemptione pretiosum thesaurum, quem detulerat, liberaliter nostris concedens. Carolus etiam vt Imperatricis piæ benignitatis consors censeretur, eisdem nostris Patribus pro Ecclesiæ ampliatione locum quendam *Morricinum* dictum tunc donauit, prout ex publico instrumento ex Regio Neapolis Archiuio extracto habetur, quod est tale: *Carolus Rex, &c. Quoniam secundum Deum, & homines laudabiliter est benefacere, & quod iustum est non negare, viris Religiosis præcipuè, qui diu, noctuque deuotè, ac reuerenter in diuinis obsequijs obseruant. Idcirco tenore præsentium notum facimus vniuersis tam presentibus, quam futuris, quod ad piam supplicationem virorum fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmelo, pro remissione peccatorum inclytæ memoriæ Patrum nostrorum Domini Ludouici Illustris Regis, & Dominæ Blanchæ Reginæ Franciæ, de mera conscientia, et gratia speciali concedimus in perpetuũ eisdem Fratribus, et Successoribus quemdam locum de nostro dominio in pertinentijs Neapol. in loco, qui dicitur Morricinus, &c. Datum Neapoli per manus Gaufridi de Bello Monte Regni Siciliæ Cancellarij anno 1269. die 24. Mensis Iunij 13. Indict. Regni anno 3.* Insuper Mysterium, seu Simulachrum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, quod hodie in Altari Capituli cernitur, eadem Corradini Matre instante, collocatum est; & Imago eiusdem B. Mariæ *de Bruna* nuncupata, quã ex Syria nostros Neapolim detulisse creditur, in Capella familiæ Grignettæ reposita. Hæc ferè ad verbum Cæsar Eugenius nobilis Neapolitanus in libro, cui titulus *Neapoli Sacra*, loquens de Ecclesia Sanctæ Mariæ Carmelitarũ. Quibus fermè similia Franciscus de Rosa etiam Neapolitanus in libello, cui — *Reginæ aduentus.*

titulus *Miracoli della Gloriosissima Vergine Maria del Monte Carmelo di Napoli cap. 1. et 2.* Eis magna ex parte adhærent M. Phylocalus Caputus in lib. cui titulus *il Monte Carmelo cap. 1.* & Relatio huius Conuentus per P.M. Antonium de Alcaraz ad nos transmissa.

De magno Conuentu Neapolis. 3 Huius porro historiæ occasione, latus nobis offertur campus de huius præclarissimi Cœnobij erectione disserendi, ad Christi Seruatoris gloriam, eiusque immaculatissimę Matris deuotionem augendam. Vtriusque enim, filij nempe, & parentis simulacra, inclytæ Partenope, & toti Italiæ celeberrima, in eo coluntur, & maxima Christiani populi deuotione honorantur. Quamuis ergo certum tempus, quo hæc Deo, & ipsius Matri sacra Ædes primo erecta à nostris fuerit, prorsus ignoretur; tum ob varias, quas ea nobilissima Ciuitas Principum mutationes, ac proinde bella, & seditiones, passa est; tum quia circa ann. 1575. scripturæ eius Monasterij, igne supposito, casu, vel ab inimica manu, conflagrarunt; ast vetustissimam esse, nonnulli haud leui ducti fundamento arbitrantur, autumantes videlicet, quod in ea sæuissima Christianorum persecutione, quæ sub Humaro Arabiæ Rege Palæstinam subiugante circa ann. 639. contigit, qua tempestate Carmelæi nostri Eremitæ ad Occidentales Europæ plagas, Italiam nempe, confugere astricti fuerunt, & Florentinum, Senense, ac forsan Pisanum, Monasteria fundarunt, iuxta narrata Tomo præcedenti, sic quoque, & potiori ratione, in Neapolitana Vrbe, Terræ Sanctæ proximiori Emporio, mansionem aliquam, seu Eremitorium sibi procurarint. Quis enim credet amplissimam hanc, & opulentissimam Italiæ, ac toti Orbi spectabilem Ciuitatem adeo spreuisse, vt in illa, vel hospitij causa Ædiculam tenendam non niterentur? Prudenter igitur coniectatur isti, Carmeli nostri Anachoretas Syria pulsos, & Neapolim, à peregrinis, Amalphitanis forsan, aduectos in ea Vrbe mansiunculam tenuisse sub inuocatione Sancti Nicolai Myrensis Episcopi, & circa eam domunculas, Hospitalis, seu Xenodochij instar, à nautis sibi fabricatam, pro ipsorum infirmis curandis. Et quod cum postea nautæ ad alium locum, quem sicuti priorem, etiam sub titulo Sancti Nicolai cognominarunt, translati essent, prior ille nostris Fratribus cesserit. Elicitur deinde huius Carmelitici Neapolitani Cœnobij vetustas, ex eo quod Franciscus de Rosa superius relatus, libro etiam relato *cap.* 18, referat Bullam Sixti Quarti de anno 1475. pro vndecimo Kalendis Iulij, in qua Pontifex Indulgentiam quandam huic domui concedens ait, quod *populus Neapolis à 300. annis, et vltra dictam Ecclesiam visitare consueuit*: ex quibus, recto adhibito computo, elici valet eam ante annum 1175. fuisse: colligitur quoque ex eo, quod cum præsenti anno 1269. tam conspicuam, non paruam, aut obscuram, Neapoli Ecclesiam haberent nostri, vt ad ipsam Regina illa Corradini Mater, de qua superius, sui filij, & cuiusdam Austriæ Archiducis, ac aliorum Germaniæ Procerum cadauera transferri fecerit, prout actu conspici dicuntur sub majori Altari, absdubiè denotatur eius domus vetustas, ac venustas, quæ talium

lium Principum meruit esse sepulchrum. Fauet,& concessio Caroli Regis eidem facta, de qua supra; iure enim creditur pro amplificatione ipsius à Rege emanasse. Sed vtcunque res quoad tempus fundationis huius Cęnobij; illorum cadauerum sepulturam, seu translationem, de quo varia extant quorumdam placita, fuerit, illud pro comperto sit, inter famosiora Deo, & Beatæ Virgini Matri Templa dicata hoc nostrum Neapolitanum iure censeri debere; ob Iconum permaximè Sacerrima Simulachra in ipso deuotissimè à populo adorata. Inter quæ locum tenet quædam Christi Crucifixi Imago, quæ olim sub regimine artis Coriariorum erat, nunc verò, nec sine magno miraculo, vt dicitur, à nostris tenetur in Sacello particulari ad læuam ingressus Ecclesiæ. Altera etiam maior, & famosior, etiam Christi Crucifixi summè venerabilis; ita vt vix alia in Christiano Orbe venerabilior cernatur. Ob casum illum prodigiosum, & plusquam dici queat, mirabilissimum, qui tempore obsidionis, qua ab Alphonso Rege Neapolis premebatur, contigit, de ferrea pila tripalmari in rotunditate è bellico tormento laxata, quæ toti nostræ Ecclesiæ euersionem minabatur, & recta veluti linea ad venerabilem faciem eius Imaginis directa erat; & cuius ictum miraculosissimè effugit, caput inclinando, pedes, manus, brachia, t bies, ventrem, & totum corpus sic contrahendo, acsi viuus homo esset; cum stupore, & extasi, non solum eorum, qui tunc aderant, sed & illorum quoque, qui ex toto fermè Orbe Neapolim conueniũt tam celebre spectaculum inspecturi. De quo etiam sub anno 1438. quo, vel sequenti hoc miraculum accidit, dicetur, & latè Phylocalus Caputus *libro relato pagina* 158. *& sequentib.* vbi plura notatu digna de ipso.

4 Cœterum Imago illa alia Deiparæ Virginis, *de Bruna* nuncupata, quæ in ea Eccl. cernitur, tam celebris est, vt post eam, quæ in Lauretana Domo colitur, nulla in tota Italia insignior, & celebrior credatur. *De Bruna* dicitur ob subnigrum colorem, quem præfert. Ex ijs, quas Sancti Lucæ penicillus depinxit, esse traditur. Nec abs re, cum è Syriæ partibus, vbi Sanctissimam Virginem Sanctus Pictor aspicere, & depingere potuit, à nostris priscis Patribus, ad ipsorum solatium, qui Carmelum, vbi olim forsan fuerat, deserere cogebantur, Neapolim aducta existimetur. Quod enim nonnulli arbitrantur donatam fuisse illis à Regina Corradini Matre commemorata, minus fidem meretur, cum nec ea Regina Neapolim veniens solum pro filij redemptione, quem à Carolo captiuum nouerat, causam habebat ferendi secum hanc Imaginem; quia, cum Græca arte depicta sit, ex Orientis partibus aduenisse demonstrat. Erroris ipsis ansa fuit, quod Regina ista Iconem aliam Virginis Assumptæ Fratribus nostris donauit; vt supra visum est, quam cum ista *De Bruna* confundebant. De hac igitur sacerrima Imagine adeo *Gloriosa* dicuntur, vt integro libro vix comprehendi queant. Sed ex multis pauca sic seligimus. Colitur admirabili pietate, ac deuotione à Regnicolis, Neapolitanis permaximè. Tantæ Patronæ ob reuerentiam piaculare fermè cunctis est., ferijs quartis carnes comedere, De sanctiss. Imag. Deip

& pluribus lacticinis. Deuotionem testantur vota aurea, & argentea, lampades, monilia, coronæ, lapides pretiosi, corallorum serta, & innumera alia ipsi collata donaria. Ad ipsam frequentissimus diu, noctuque est concursus, nedum populi, sed & nobilium, Principum, Magnatum, Proregum; quin, & Antistitum, Eminentissimorum quoque Purpuratorum, quos inter eminet Eminentissimus Phylomarinus Neapolitanus Archiepiscopus, qui plura, ipsaque pretiosa, argentea, & serica, auroque contexta donaria tantæ Virgini deuotissimus obtulit, & indies offerre non cessat, suo gregi forma factus. Hic lachrymas, singultus, gemitus, voces quandoque ad Matrem misericordiæ recurrentium videre est, & audire. Hic veluti ad communem propitiatorium pro communibus necessitatibus, & gratijs referendis pro acceptis beneficijs, accurritur. Norunt enim cuncti quantum sibi commodi hoc Fœderis Arcæ Sanctuarium attulerit; annis præsertim 1631. cum Vessuuius Mons Vrbem, & Regnum cinere, resina, sulphure, bitumine, & lapidibus maximæ mollis obruere nitebatur: & anno 1648. quando popularis seditio ruinam magnam Regno, & toti Italiæ minabatur. Miracula porrò huius Sacerrimę Imaginis quis numerabit, nisi qui numerat multitudinem stellarum? Libri pleni sunt, ij præsertim, quos Franciscus de Rosa Neapolitanus Notarius, & Phylocatus Caputus relati scripserunt: ad quos Lectores remittimus. Dum tamen plurima prætermittentes, ipsaque historia dignissima, cursim, & per compendium huius Domus, & Ecclesiæ tantæ Virginis Patronatu decoratæ, insignia aliquot referamus. Pluribus Regijs Caroli Primi, & Successorum inde Aragonensium, postremo Catholicorum Regum Hispaniarum priuilegijs potitur. Reliquijs item Sancti Patris nostri Alberti, Sanctique Donati Episcopi, ac Martyris: ac maximè Christi Domini Crucis partis notablis, quę ad quantitatem palmarem ascendit, de cuius authentica veritate Neapolitani Historici loquuntur. Hic item Conuentus caput est decem & octo Monasteriorum, partim Neapoli, partim in suburbijs eius, & partim in Oppidis huic Vrbi vicinis, fundatorum: sunt enim videlicet Neapoli Conuentus Vitæ, Concordiæ, Pausilipi, Plagæ, & Capitis clinij: hi tres in suburbijs: extra Vrbem, Summæ, Octaiani, Turris Octauæ, Camerellarum, Puteolorum, Ischiæ, Surrenti, Vici æquensis, Graniani, Nolæ, Serini, Sancti Mauri, Montis Fuscoli; licet ex his, nonnulli suppressi videantur: speramus tamen de Dei bonitate, Sanctissimi Domini Nostri Alexandri Septimi, benignitate: & industria, ac sagacitate Reuerendissimi Patris nostri Marij Venturini Generalis recuperandos esse. Hic item Conuentus alere solitus fuit 120. aliquando 130. quandoque etiam plures Alumnos; modo verò pauciores, propter temporum, & bellorum incommoda, ac maximè propter suspensionem generalem in In Italia omnibus Regularibus non recipiendi Nouitios ad Religionem per Innocentium Decimum Summum Pontificem indictam. Prodierunt ex hoc Cœnobio, vel saltem in ipso floruerunt, Viri valde Illustres: Dignitate etiam Episcopali decorati

corati sunt Magister Aloysius Auersanus Episcopus Capriensis, & postea Episcopus Sanctæ Agathæ Gothorum; Magister Lucas Mathæus Carraciolus de Principibus Auellini; Magister Iulianus de Isapo Episcopus Montis Marani; Magister Petrus Hieronymus de Isapo Iuliani præfati ex fratre nepos, Episcopus item Montis Marani; Magister Ioannes Baptista Sorianus ex Procuratore Generali Ordinis Episcopus Vigiliensis; Magister Dionysius Tomacellus ex Inclyta Tomacellorum Familia, Episcopus Castrensis; Magister Ioannes Michael de Rosi, etiam ex Procuratore Generali, Episcopus Minoruinensis, inde Episcopus Alifarum; Magister Michael de Curtis quondam Prior huius Conuentus, & postea Episcopus Sirensis. Floruerunt quoque plures Doctorali Laurea insignes, maximè Franciscus Sixtus, egregius Theologus; Magister Saluator Penna Eminentiss. Cardinalis Carraphæ, & Neapolis Archiepiscopi Theologus; Magister Saluator Palmerius Theologus, & Concionator strenuus; Magister Iacobus Gallus Theolog. & Canonũ Doctor præclarus; M. Marcus de Alcaraz Theologus, & Concionator insignis; Magister Dominicus Darius egregius etiam Concionator; Magister Carminius Phylamarinus Eques Neapolitanus, & Concionator facundissimus; Magister Iacobus Ramirez patria Toletanus, sed huius Conuentus Professus, Theologus, & Concionator celebris, & Excellentiss. ProRegum Neapolitanorum suo tempore Confessarius; Magister Phylocalus Caputus Concionator famosus, & plurium librorum Scriptor. Demum, qui non vltimo loco referri deberent, plures censentur huius Cœnobij incolæ, seu alumni, qui sanctitatis, vel probatę vitæ laude, & fama claruerunt. Eorum clarissimus fuit Sanctus Angelus noster Martyr, qui in eo per aliquod tempus vixisse dicitur. Iunguntur Magister Aloysius Sansonius, qui cum nota probatissimæ vitæ, imo, & sanctitatis, obijsse dicitur. Fr. Hippolytus Iuncta, qui etiam admirabilis cõtemplationis homo commendatur, & adeo silentij obseruantiæ deditus, vt linguam non habere crederetur, sed quasi miraculose aliquando loqui. Hic Monasterium Monialium Sanctę Crucis de Lucca Neapolitanum fundauit, & supra viginti annos gubernauit. Magister Prudentius Verde olinto, Theologus excellens, sed moribus excellentissimus, qui cum singulari sanctitatis nota obijt. Magister Cyrillus Candidus omni scientia præstantissimus: sed quod magis, posterioribus annis tantæ virtutis, & obseruantiæ, vt cum maxima sanctitatis opinione ex hac vita migrauerit. Fr. Ascensius de Mato, vitæ Religiosissimæ, quam cum Theologia, Poesi, ac Rhethorica exornabat; Magister Ferdinandus Valuta, Theologia, & sancta vita insignis, qui inter alias virtutes Exorzisticæ pietati incumbebat singulariter; Fr. Hieremias à Neapoli Conuersus, de quo fama est eum allocutum fuisse Beatissimam Virginem, cum quadam nocte latrunculi quidam ipsius Sacelli gazas furari contenderent, eum vocans ad fures abigendos, prout fecit. Hæc ex multis, quæ de Regio hoc Monasterio habet Reu. P. Antonius de Alcaraz in Relatione ad nos missa, & ab ipso piè, & diligen

ter

ter elaborata; quæ integrum librum postulabant.

Astense Cœnobium.

5 Erat sub hoc anno Astense nostri Ordinis Monasterium extra Ciuitatem situm, in loco dicto *Rilaio*; propter loci tamen incommoditatem ad alium translatum est iuxta portam dictam Sancti Antonij: sed cum etiam incommodus esset, sub anno 1335. locum, quem modo fratres possident, domos quasdam donante Astesano quodam de Vico Sanctę Mariæ Nouæ, habitare ceperunt, nec sine resistentia quorundam. Temporis tractu, piorum eleemosynis, maximè Thomę Rotarij in nobilem fabricam erectum Monasterium: adeo, vt pro celebratione Capituli Generalis, aptum, & congruum repertum fuerit, vt ex dicendis suo loco innotescet. Illud quoque valde nobilitauit Enricus Siluius Ordinis Generalis, Episcopus postea, & Orator pro Sabaudiæ Duce nominatus. Nobilitatur præterea multis, & notabilibus Sacris Reliquijs, ac in specie parte calcei Deiparæ Virginis ex Valentino in Hispania Conuentu Astam per eundem Henricum aduecta; quæ ibi magna cum veneratione colitur. Insuper viris, & Magistris insignibus; specialiter Hippolyto de Rubeis, Clemente Strada, Marco Reclusio, Augustino Crauerio, Benedicto Faleto, Laurentio Badella, Augustino Biscarreto; ac modo superstite Hieronymo Arti, post Commissariatus, & Procuratoriæ Generalis munera cum laude functa, nunc in Vrbe Sac. Romanæ Inquisitionis à qualificationibus. Sed de his alibi.

Leunien. & Lincolnien.

6 Duo etiam alia nostrorum Cœnobia in Anglia hoc eodem anno erecta sunt. Alterum Leuniæ, seu Linnæ in Norfolcia auspicijs Domini de Bardolf, & Scales, & Domini Ioannis Vvigenhalli. Alterum Lincolniæ, fundatore Magistro Odone Chelchennij de Scotia. Specul. Ordin. *fol.* 60. *pagina* 1. & Tabula Chronographica Conuentuum Angliæ sæpius commemorata. Vbi etiam habetur, vtrumque Cęnobium, iuxta morem illius Prouinciæ, titulo Beatissimæ Virginis Mariæ cognominatum fuisse. De filijs porro horum Monasteriorum, si qui occurrerint, in sequentibus, suis locis dicemus.

De B. Frãco

7 Per id quoque tempus, vel circiter; Francus noster, de quo in superioribus, post speluncæ carcerem, quam sibi pro habitatione elegerat, contemptum pecuniæ, quam sicut inuitus in eleemosynam acceperat, sic liberalis pro adolescentulæ egentis ope contulerat; & Beatæ Virginis visionem, qua Christi Seruum benigna mater solabatur, intensiori Dei amore flagrans, rigidius corpus suum, abstinentia, flagellis, ferreaque catena domans, cum cerneret ob sanctitatis famam frequentius à concurrenti populo visitari, turbam hominum fugiens in Eremum iuxta *Grotti* Oppidum secedens, ibi arctiori pœnitentiæ Dei gratia intentus, diaboli technis, mundi lenocinijs, ac carnis fallacijs victor athleta existens, vt Habitum Deiferæ Virginis dignior susciperet, prout re vera vt suo loco dicemus, recepit, à Deo disponebatur. Gregorius Lombardellus *in vita* B. *Franci cap.* 11. 12. 13. 14. & 15.

Ann. Chriſti 1270. Sed. Roman. Vacat. Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 11. Nicolai Gallici General. 5.

1 NVllus adhuc ſub hoc anno Pontifex Romanus in locum Clemẽtis ſubrogatus fuerat. Nihilominus Chriſtiani Principes à Deo ſolo excitati Sacram militiam pro Terræ Sanctæ recuperatione ſuſcipiebant. Ex quibus Sanctus Ludouicus Galliarum Rex Africam traijciens, Mauros primum vicit; ſed ipſe morbo correptus animam Deo reddidit. Eduardus Angliæ Regis filius Acconem appellens vix mortem effugit à quodam Sicario illi tentatam. Alij Principes, vel diſceſſerunt, vel peſte, & tempeſtate quaſſati Sacram militiam, inducijs factis cum Barbaris, dimiſerunt. Æmilius, Gordonus, Bzouius. Huius anni geſta.

2 Vitæ ratio, quam noſter Albertus, Drepanenſis dictus, de quo ſub ann. 1250, & 1258. actum, in Religione gerebat, quamuis longè, latèque ab ipſius vitæ Scriptoribus, qui innumeri ferè ſunt, deſcribatur; quomodo tamen in Codice Vaticano in ſuperioribus commemorato, notetur, quia rarus eſt, & forſan à nobis ſolum viſus, hic recenſenda: ad exemplum ſanè illorum tepidorum Regularium, qui vix aliud quam communia, & vulgaria virtutum opera, quæ à ſæcularibus efficiuntur, exercere ſolent. Semper in ſupernorum contemplatione mirifice delectabatur, moribus floridus, aſpectu, & geſtu mitiſſimus pollebat vniuerſis, humaniter ſuper omnes fit decorus, atque beneuolus: quapropter infideles, & perfidos Iudæos radijs ſuæ prædicationis in Domino lucidabat, cum ipſos ſæpe ad fidem Chriſti conuerterit. Caſtitate ſemper nituit, obedientiam ſanctam integre, firmiterque ſeruauit; paupertate ſpiritus in cunctis fulgebat, præcipuè miſericordia fruens, dum omnia Dei amore recepta Fratribus pauperibus erogabat, etiam perſonalia largiendo. Et vt perfectius, & regulariter ageret diem naturalem primo in victum animæ ſic diuidebat. In prima hora noctis orationibus vacabat vſque ad tertiam eiuſdem; inde quiete aliquali percepta, pauimento corpus fragile domabat, vt ad poſteriora fortius perageret. Matutinarum hora conſurgit, & Deum orationibus pulſans verberibus acerrimis confectis lachrymas fundebat vſque ad auroram conſurgentem, qua incipiente, circa libamen, & ſacrificium ſatagebat vſque ad horam tertiarũ. Quibus peractis, & aliquali ſumpta refectione, cum fratribus ſuis, vt agilius ad ſequẽtia ſe paratum in deuotionis actu ſalubrius reperiret, aliquid manibus corporaliter operabatur vſque ad Veſperas. Horis tunc Canonicis dictis ad priſtinam pœnitentiæ menſam redundabat ex integro. Otium fugiens, ſemper aliquid boni operabatur, vt Sathan eum continue in bono propoſito occupatum cerneret. In victu, ac veſtitu corporis

poris eius, vita asperitate, necnon pœnitentia plena, palam cunctis redditur in exemplis gloriosa. Nunquam enim carnes comedens, sed assensio mixto poculis assidue ieiunabat, vinũ purum fugiens semper lymphari postulabat, ne eius delectatione posset aliquis luxuriæ, seu gulæ captari lapsus. In vestitu autem taliter se habebat; nobili cilicio ferijs secundis, quartis, & sextis carnem domans: euigilans, siue dormiens semper Habitum præsentabat; lana grossa corpus operiens intrinsecus, vestes viles gestabat forinsecus, nequid contra spiritum vestis delectatione insurgeret pestis, scilicet superbiæ, vel gloriç inanis; sed potius exemplo humilitatis assidue frueretur, qua non solum extrinsecus, verum etiam viscerosius abundabat. Vnde de eo legitur, quod cum eius fama per totum Ordinem sanctitatis nomine diuulgata fuisset, Generalis dictæ Sanctæ Religionis, Sancto Alberto litteris testimonialibus mandat instanter debere officium Prouincialatus assumere. Quibus receptis, humilis Pater dolet in honore esse promotus, sed gaudet potius in labore. Vadit ad Virginem, ipsamque tota mentis deuotione precatur, quatenus, si pro meliori foret sibi manifestaret Officium sumendum: quem Virgo alloquens ait: Noli dubitare, sed adaucter litteras sume. Ego enim Custos tui tecum semper ero: & sic per obedientiam, admonitionemque Virginis salutarem, Officium graue sumpsit, quod vsque ad mortem tenens, non voluntarie respectu honoris, in cunctis circa omnes prouide, necnon iustissime se habuit, amore magis, quam timore vnanimiter ab omnibus fuit amatus, vt verus Dei gregis Pastor bonus. Simile exemplum insuper de eo legitur. Cum enim ad Sacerdotij dignitatem inuitus assumeretur, hæc habuit prorumpere verba: Indigno mihi nunquam incumbit ministrare tantum Sacramentum populo, cum nec ad diuini cultus honorem, scilicet Religionis, me non sufficere penitus inspicio. Sed Superiori obediens ordinatus, in omnibus Sacris Messana Ciuitate per obedientiá ordinatur: vbi & alibi, vt in vita ponitur, & post mortem, non modica admiratione digna, Deus per eum miracula est operatus. Quæ post eius obitum singularia quædam clarius explicabimus.

Ploermelensis Conuentus. 3 Circa hoc tempus, primi Carmelitæ Armorici soli cultores à Ioanne secundo Brittonum Duce, dum rediret cum suis copijs è pio in Syria contra Mahumetanos bello, adducti creduntur; & in Conuentu Ploermelensi collocati. Prima aduenarum Sedes fuit in Vrbis suburbio (vt fere semper hoc sæculo contigit) vbi modo publicum est Nosocomium, seu Hospitale. Nam & ibi etiam nunc visuntur speluncæ in cellularum speciem fabricatæ: quales etiam extant in claustro insignis Abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis: & in Sacelli pariete depincti nostri Patres variegatam cappam habentes: & similes ijs, quos Principum Borboniorum Campinensis Capella à Sancto Ludouico Rege transuectos olim repræsentabat. Illis Dux inclytus Brittonum peramplum, splendidum, omnique parte absolutum ad Vrbis mœnia erexit Monasterium, dotauitque haud spernendis censibus.

censibus. Verum, vt fert sæculorum ineluctabilis vicissitudo, circa annum 1593. furentibus ciuilibus, atque intestinis bellis, euersum fuit tam insigne Cœnobium. Pace tandem Galliæ reddita, pietate reuixit Illustrissimorum trium Brittanniæ Ordinum, & Ploermelensium Ciuium, qua, diruta Ecclesia, & integrum fere Monasterium à fundamentis instauratum. Collapsa etiam ciuilibus motibus Regularis disciplina anno 1618. restaurata fuit, Conuentu Rhedonensi obseruantiæ annumerato. A quo tempore, veræ pietatis, & scientiarum sacrata Ædes, iuuentutem Religiosorum in amplo, & peropportuno pomerio nunc Philosophyæ, nunc Theologiæ incumbentium, sinu fouit. Hæc ex relatione Prouinciæ Turonensis accepimus. Paulo aliter huius Cœnobij fundationem refert Leo à Sancto Ioanne Prouinciæ Turoniæ decus *in delineat. Obseruant. Rhedonens. cap. 15.* Primo enim fundationem ipsius circa mœnia ad anno 1303. refert. Deinde dum loquitur de euersione eius Conuentus iam relata, duos notabiles casus, qui eo tempore contigerunt, refert. Primus, de Milite, qui iussus à Præfecto, vt incendium Monasterio inijceret; ac dicente; *Moriar potius quam Dei Matris delubrum temerare*, propterea ab impio Duce gladio transfigitur: sed cum animam cum sanguine vomeret, facto ad Beatam Virginem voto, per duos dies vixit; donec rite susceptis Sacramentis fœliciter, ob honoris quippe Virginei defensionem, obijt. Secundus, quod cum in Monasterij direptione Imagines prosternerentur, in vna ipsarum ganeo obscœna verba depinxit, & nocte sequenti furijs actus è fenestra præcipitatus vix animam agebat; sed à puella quadam monitus pœnas luiturum in sceleris pœniteret, promisit se facturum: at Deo mentiens, sequenti anno ipsissima die ad patibulum damnatus misere perijt, clamans se iusta Numinis vindicta in pœnam pollutæ Imaginis ad vltima damnatum. Alia apud ipsum.

4 Fundatio etiam Conuentus Calatabillotthensis in Sicilia, & Diœcesi Agrigentina, huic tempori, vel circiter tribuenda; cum certum tempus primæ ipsius erectionis non constet, & traditione habeatur tempore Sancti Alberti nostri extitisse, & circa illum miram illam conuersionem infidelium in fluuio Platano ferme demersorum contigisse. Erat hoc Cœnobium extra oppidum ad 500. passus; etsi postea post annum 1575. intra illud in Templo S. Mariæ de Gratia celebri, & miraculis claro, suum constituerint fratres domicilium. In eo claruit Sebastianus à Calatabillotthera Religiosus noster, sepultus postea in Alicata anno 1605. Rochus Pyrrhus *in notitijs Ecclesi. Agrigentin.* Conuentus Calathabillottensis.

5 Rahialmatusense quoque Cœnobium in eadem Agrigentina Diœcesi à nostris possessum, huic tempori quoque annectendum, quo Sanctus Albertus sui Ordinis augmento solicite inhiabat. Eo quoque, qood illud nobile, & antiquum prædicetur ab eodem Rocho supra. Rahialmatensis.

6 An idem iudicandum de alio in eadem Agrigentina Diœcesi nostrorum Monasterio in Oppido Prizis sub titulo Sancti Angeli ad 500. pas- Prizensis.

 sus

sus: vbi Reliquiæ Sancti Alberti in veneratione sunt, & iacet frater Eliseus Panormitanus fama sanctitatis illustris, qui obijt anno 1588. Rochus Pyrrhus *supra*.

Politiensis. 7 Forsan idem erit censendum de Conuentu Politij Diœcesis Cæphalæditanæ in eadem Sicilia, quem esse antiquissimum, & extra mœnia fundatum, habet idem Pyrrhus *in notit. Eccles. Cæphalædit.* Floruit ibi Fr. Hieronymus Caruba, qui in horologijs summa arte fabricandis, alijsque huiusmodi conficiendis acumine ingenij fuit singularis; & Philippo Secundo, prudentissimo Hispaniarum Monarchæ, charissimus, vt propterea Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Bordonaro iuxta Messanam sit ab eo decoratus. Ætate annorum 80. ab Hispania in patriam transuehitur, domum hospitalem erexit, dotauit, & anno 1570. è vita decessit: ac in Templo maiori sepelitur. Hæc idem Pyrrhus.

Status Ord. 8 Ordinis autem status sub hoc anno talis erat. Prouincias, & Monasteria Religionis bonus Pastor Nicolaus circuiens visitauerat; & prout de tali Generali sperandum erat, virtutes plantare, eradicare vitia, veramq; Regularem obseruantiam vbique introducere, communi vtilitati seruiens, & insudans, ac nulli labori parcens, vt ipse de se ipso in libro inferius referendo, etiam sub iuramento, testatum reliquit, concupierat. Vnum tamen erat, quod pium ipsius animum valde cruciare, & in lachrymas, ac singultus erumpere sæpius cogeret, quod scilicet fratres Eremitica vita ipsis primogenia veluti postposita, Vrbes, & Oppida habitare cepissent, & Eremis desertisque locis derelictis, in Ciuitatibus mansiones habere sollicite curarent. Monuerat, vt credi par est, ipsos, quatenus suæ professionis memores Eremi deserta non derelinquerent, & hominum commercia, iuxta veterum huius Religionis Patrum exempla declinarent, qui nihilominus verbis Regulæ inhærentes *loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint*. Ex eo præsertim, quia sic proximorum vtilitati, Confessiones audiendo, & Concionibus incumbendo, fructuosius Deo; & Ecclesiæ deseruire credebant, inter populares tumultus, Ædes, & Cœnobia ædificare non cessabant. Sancto ergo, & Eliano zelo contra ipsos excandescens hoc eodem anno sub mense Februarij in Monte Ennatrot (quem vocat hostibus terribilem, domum Dei, & ianuam Paradisi) existens, librum conscripsit, breuem quidem, aureum tamen, elegantia, & Dei spiritu plenum, *Igneam Sagittam* cognominatum; in quo aduersum fratres illos (quos priuignos Religionis vocat) acriter inuehitur, vitia, quæ vrbium incolatu illis imminebant prædicens, & sanctam opinionem, quam quo tempore in solitudine vixerant adepti erant repræsentans. Eius illa sunt verba in cap. 3. huius libri. *Quandiu in solitudine contemplationibus, orationibus, ac sanctis operibus vobis ipsis proficientes laudabiliter institistis, odor famæ sanctitatis vestræ per Ciuitates, & Castra, longe, lateque in Orbe diffusus, sic pro certo odorantes vniuersos, & singulos mirabiliter confortauit, & plures tunc temporis per odoris illius redolentiam bene ædificatos, ad Eremi solitudinem, & vt pœnitentiam*

tentiam agerent, quasi quodam suauitatis funiculo attrahens adunauit. Et capit. 5. sic. *Non est hac Religio munda, & immaculata apud Deum Patrem, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc sæculo custodiri. Audite ergo Eremitæ ab Eremo nuncupati, qui in corde Ciuitatis habitaculum elegistis: audite inquam, non quod ego, sed quod Propheta protulit. Vidi, inquit, iniquitatem, & contradictionem in Ciuitate, die, ac nocte circumdabit eam super muros eius, iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura, & dolus. O quam tuta, & secura existit mansio vestra, quæ tot excubijs vtique sollicitis, tam interius, quam exterius, horis, momentis omnibus dignoscitur custodita. Ecce iniquitas super muros diligenter excubans, vt non sit in ea qui se abscondat à calore eius, Ciuitatis habitatores ambiens circumcingit, vniuersos sui signi charactere cupiens maculari. Sunt etiam & iniquitatis satellites in medio, & in plateis Ciuitatis similiter excubantes, quorum vocabula in generali exprimens Propheta, Contradictionem, laborem, iniustitiam, vsuram, & dolum connumerat in hoc Psalmo. Sex audistis Ciuitatis excubias à Propheta generaliter nominari, qui ad specialia forsitan descendisset nisi in infinitum vtique numerum processisset. Animaduertite fratres, quod mansionem vestram ironice tutam dixerim, cogitantes inter vos, quot, & quales excubiæ, sed, & crudeles insidiæ vos in Ciuitate semper, & vbique circumcingentes, muniunt, associant, & sequuntur. Ecce quomodo in Ciuitate circumuallati estis. Nunc autem videte quomodo in solitudine muro suo inexpugnabili circumcingens Dominus, armis suæ potentiæ ab hostium insidijs liberat, ac defendit. In solitudine cælestes excubiæ nobiscum stant in acie. In solitudine nostri conciues super muros Ciuitatis vestræ in Eremo fundatæ custodes constituti, tota die, ac nocte fideliter excubantes, non tacent nomen Domini collaudare. Ecce in secreto solitudinis veram Ciuitatem, idest Ciuium vnitatem fæliciter obtinemus, & vos ita non contenti aliam cupientes indiuisionem, quæritis destruere vnitatem. O interim miserorum miserrimi, de libertate ad seruitutem, de otio sacratissimo ad vagationis laborem perpetuum, imo, vt breuius me expediam, de Deserto, in quo manna deuotionis comedistis, in Ægyptum, vbi iam angariati, in luto, & latere Pharaoni Diabolo tanquam serui ministratis, noueritis vos rediisse.* Et cap. 6. sic: *Hanc vero Regulam Saluatoris nostri vtique sanctissimam, quidam antecessorum nostrorum antiquitus sunt secuti, in Eremi solitudine proprium imperfectum cognoscentes diutius morabantur; sed cum proximis suis ita affectarent proficere, vt sibi deficere minimè viderentur, aliquando, raro tamen, de Eremo descendentes, quod in Eremo falce contemplationis suauiter messuerant, excussis granis in tritura prædicationis, largifluè seminarunt.* Deinde cap.7. sensum Regulæ explicans sic dicit: *Non enim dicitur simpliciter in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint: imo additur, ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, vt per istam adiectionem expresse, & indistinctè inhabitanda decernantur loca ne Ordo processu temporis per locorum ineptitudinem, & incommoditatem à suo statu potissimo, spretis obseruantijs, miserabiliter spoliatus, alicuius nouitatis periculosæ statum indueret alienum. Verumtamen quod verebatur accidit; nam fratres moderni*

temporis, vbi *pro* vbicunque *vniuersaliter accipientes, & prædictam adiectionem determinatiuam omittentes, prima parte, videlicet in Eremis, disiunctiua propositionis penitus postposita, secundam solam indeterminatam ad suum damnum non minimum simpliciter prosequuntur. Ab vniuersali vero determinatum simpliciter procedentes, sophisticum proculdubio faciunt argumentum, manifestam implicantes fallaciam consequentis. Est ne cogens argumentum, loca habere poteritis vbi vobis donata fuerint ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, vel vbicunque vobis donata fuerint. Ecce ponitur consequens, & concluditur antecedens.* Demum cap. 8. sic: *Nunquid Spiritus sanctus, qui nouit quid vnicuique expediat in Regula nostra frustra constituit, vt singuli nostri singulas habeant cellulas separatas. Non enim dicit contiguas, sed separatas, vt Cælestis Sponsus, & Sponsa contemplatiua anima in eis quiescentes secretius alloquantur. Re vera diuinæ misericordiæ dispositione prouida fuit istud non sine causa rationabili ordinatum, vt nos simplices minus prudentes ad pugnandum in [triplici] bello videlicet visus, & auditus, & loquutionis in cella solitudinis securius celaremus.*

Notatio. 9 Prædicti autem libri à Nicolao editi gratia Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 9.* vestigia, more sibi, solito sequens Arnoldi Bostij, qui *lib. 7. Specul. histor. cap. 25.* idem habet, Fratribus nostris verba Oraculi Angelici Beati Cyrilli *cap. 11.* sic accomodat: *Claret etiam quanta sanctitate Carmeli Religio prisco tempore fulserit, quam veraque sit* Beati *Cyrilli prophetia, qua ait:* Ab infantiæ suæ primordio vsque in tempora pubertatis margaritis multiplicibus, parentumque sanctitudine, excisa de petra durissima vallis Virginis nitebit, donec pedetentim muscarum stercoribus, & viarum pulueribus fuscabuntur. Verumtamen prædicta Beati Cyrilli verba, aut alia in dicto *cap. 11.* contenta, nullus, nisi Patres isti nostris Religiosis adaptarunt. Quin prædicti Oraculi Angelici Scholiastes Ioachimus Abbas ea accommodat triplici generi Religiosorum. Quorum primum; de quo Cyrillus dicit: *Væ mulieribus excisis de petra durissima Vallis Virginis*, inquit esse quosdam *Religiosos molles, delicatos, curiosos, vt fæminas,* qui dicuntur excisi *de petra,* quia eorum Fundator, erit *Sanctus, constans, et firmus vt petra.* Per vallem autem *Virginis*, inquit, *intelligi potest aliqua Regio Ecclesiæ ditioni subiecta, sita in loco valloso, cuius oriundus erit illorum Pater Fundator.* Quæ nullatenus nostris Religiosis adaptari possunt. Secundum Religiosorum genus, quos puellas *de Monte Vmbroso,* appellat Cyrillus, intelligit Ioachimus, *esse aliud genus Religiosorum molle, et delicatum sicut primum, quod vocetur de Monte Vmbroso, quia nigri habitus est futurum.* Quod eti m nostris incongruè aptatur. Tertium vero, quod Cyrillus vocat *bestias de Monte Libano,* Ioachimus vult esse quoddam Religiosorum genus *simplex, et rudum,* quia forte (inquit) *non erit adeo studio litterarum, moribusque præditum, vt duo præmissa.* Et quod dicantur de Monte Libano, vel quia Ordo ipsorum *in ipso Monte inhabitabit, vel fortè, quia cum Libanus candidatio interpretetur Habitus albi futurus est.* Quæ paruo cum fundamento de nostris

enun-

enunciari possunt. Cur ergo illis hæc prophetica verba adaptantur Cyrilli? Accedit quod Bartholomæus Pisanus Minorita *in lib. conformit. B. Francisci cum vita Iesu Christi* illustrato, per Minoritam alium Hieremiam Buchionem Vtinen. *fol.* 14. verba prædicta alijs Religiosis applicanda censet. Quibusdam etiam adaptari sentire videtur, Baptista Mantuanus in *Apolog. Carmelit.* Quo ergo iure nostris hanc notã inurunt Bostius, & Palæonydorus? Sed esto de illis prędicta forent intelligenda, nõ de cunctis, sed de quibusdã solis accipi, dũtaxat deberẽt, sicut si de prędictis grauiss. Religionibus sermo ibi esset, idem iure dici oporter, cum semper in illis, nostraq; familia plurimi sanctitate vitæ, & lumine doctrinæ, fulgentes alumni comperiantur: Vnde idem Nicolaus Generalis, qui in præfato libro *Sagitta ignea* nuncupato, acriter Religiosos illos, qui in Vrbibus habitare volebant, carpit, & reprehendit, expresè solum contra quosdam loquitur, quos *prauignos* vocat, non contra alios, quos Religionis *legitimos* filios dicit.

10 Cum autem animaduertisset Nicolaus se in hoc negotio oleum, & operam perdere, nec posse in suam sententiam de Eremi locis non deserendis totam trahere Religionem; cum plures ex illa Deo gratius esse crederent cum sæcularibus in vrbibus mansionem habere, vt fructuosius eorum saluti incumbere possent, suæ saltem deuotioni consulens, Christi Iesu amore ductus, & contemplatiuæ, ac Eremiticæ vitæ desiderio fragrans, Generalatus officio resignato, ad Eremum se transtulit. Ait enim Bostius *lib. 7 cap.* 25. sic: *Demum cum annis quinque Ordinem Fratrum Carmelitarum strenuè in omni sanctitate cum multa patientia rexisset, renunciauit Officio, & velut alter Elias turbas hominum declinare volens ad Eremum se transtulit, & solitariam vitam duxit.* Fuit ergo Ordini necessarium de nouo Pastore prouidere, qualiter hoc eodem anno factum esse iam dicimus. Nicolai gesta.

De Radulpho Octauo Generali Latinorum.

11 Consequenter ergo post Nicolai Generalis resignationem, Capitulo generali Parisijs hoc eodem anno in festo Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis celebrato, vnanimiter, per Spiritus Sancti inuocationem, Radulphus Alemannus in Generalem Priorem totius Ordinis fuit electus. Sic astruunt Historici nostri, specialiter Ioannes Grossi *in Viridario Claui* 2. Bostius *lib.* 7. *Specul. histor. cap.* 26. Palæonydorus *lib.* 3. *cap* 9. Lucius *in Compend. Histor. cap.* 12. Eum quidam Rudolphum, alij Ridolphum appellant, nos autem Grossum alijs vetustiorem sequentes, Radulphum vocamus. Fuisse virum Religiosissimum, & causas Ordinis cum suis subditis digne studuisse gubernare, ex Palæonydoro relato habemus, cui fermè similia Bostius. Radulphus Generalis.

12 Berblyci in Anglia hoc anno Ordinis Monasterium ædificatur, Fundatore Domino Ioanne Tray, seu Grai Equite de Scotia. Speculum Ordin. *fol.* 60. *pag.* 1. & Tabula Chronographica de Conuentibus Angliæ. Berblycense Cœnobium.

Dicitur

Dicitur etiam ibi hunc Conuentum situm esse in confinijs Scotiæ, & titulo Beatissimæ Virginis Mariæ appellatum esse.

Noucastren. cœnobium. 13 Subiungitur etiam in eodem Speculo Ordinis *fol. 60 pagina prima* pro hoc eodem anno, quod Nouicastri in Anglia Monasterij fundator fuerit Dominus Papa Clemens Quintus, vna cum Domino Rege Eduardo primo. Sed cum sub hoc anno Clemens Quintus Papa non esset, nec Eduardus Rex, ideo eo solum sensu id accipiendum, quod illorum auspicijs Nouicastrense Cœnobium auctum, vel dotatum fuerit, hoc tamen anno fabricari ceptum. Vnde de Nerocastellæ in Nothumbria Conuentu Tabula illa Chronologica habet, quod eius fundator fuerit Eduardus primus Rex. Forsan etiam pro Clemente Quarto, qui paulo ante hoc tempus Pontificatum gessit, Clemens Quintus in eo loco Specul. Ordin. per errorem positus est.

Petrus Suaayngtonus. 14 Clarus erat sub hoc eodem anno in Ordine nostro, & Illustrissima Anglorum Prouincia Petrus Suanintonus, vel Suuauingtonus, de quo Pitseus *in Cathal. Script. Angliæ ætate 13.* habet sequentia: *Petrus Suanyntonus, natione Anglus, patria Norfolcen. Carmelita, in Cœnobio Brunamen. omniũ primus ex illo Monachorum genere S.T.D. & Professor Oxonien. Postea etiã Burdegali in Vasconia Sacras litteras publicè professus est. Vir sanè omni melioris notæ doctrina insignitus. In concertationibus Scholasticis acer admodum, & vehemens: singularem habuit fautorem, & Mæcenatem Gilbertum eiusdem Ordinis eruditum Monachum Norwicensem, & Episcopum postea Hamarensem. Nihilominus multa passus est à Gerardo Bononiensi, totius Ordinis Generali Priore, eo quod illorum partibus se adiunxerat, & pertinaciter adhæserat, qui dicto Gerardo obstiterunt, quo minus Ordo Carmelitarum in Anglia in plures diuideretur Prouincias. Scripsit autem eximius hic Doctor, vt habent Iacobus de Plebe in Indice, & Petrus Lucius in Bibliotheca, lecturas scripturarum lib. 1. in Magistrum Sententiarum lib. 4. Quodlibeta 47. lib. 1. Quæstiones Ordinarias lib. 1. Vixit anno gratiæ 1270 dum Anglis imperaret Henricus Tertius.* Circa quæ illud animaduersione dignum censemus quod si hic Doctor ex illis fuit, qui Gerardo Generali quominus Angliæ prouinciæ in plures diuideretur obstiterunt, oportuit illum vsque ad annum 1300. vel circiter, quo id contigit peruenisse. Credunt etiam aliqui eum Petrum fuisse, qui à Capitulo generali Ordinis missus est ad Innocentium Quartum pro Regulæ declaratione, & mitigatione postulanda. Petrus Thomas Sarracenus *in Menolog. Carmelit. in vita Beati Simonis*. Similiter, iuxta Augustinum Biscarretum in libro cui titulus *Palmites Carmeli*, hic Petrus pro parte sui Ordinis Romam missus est, vt coram Pontifice res omnium Mendicantium exponeret cõtra Guillelmum Doctorem Sorbonicum ipsorum statum perturbantem. Ipsum etiam commemorant præter relatos Harpseldius, Trithemius, & Posseuinus. Quod inter opera ipsius non censeant vitam Beati Simonis, quam ab eo scriptam diximus in superioribus, causa forsan erat, quia ipsa

potius

potius videtur relatio quædam de gestis eiusdem Beati Simonis, quam aliquis liber, vel opus.

15 Pariter inter claros, & illustres Ordinis nostri viros, pro hac tempestate, referri potest Gilbertus ille Noruicensis Episcopus Hamarensis, de quo Pitseus, vt supra; quem virum eruditum, & Petri Suuanyngtonij singularem fautorem, & Mœcenatem appellat. Gilbertu Noruicensis

Ann. Christi 1271. Sed. Roman. Vacat. Imper. vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 12. Radulphi General. 2.

1 POst longum Interpontificium, ab anno scilicet 1269. iam tandem, Deo faciente, curantibusque duobus Regibus, Philippo Galliarum post mortem Patris renunciato, & Carolo vtriusque Siciliæ, quin & Sancto Bonauentura Cardinali, sub hoc anno in Papam eligitur Theobaldus (alijs Theobaldus) Placentinus, in Syria tunc cum Eduardo Angliæ Rege agens. Qui statim, nuncijs acceptis, in Siciliam, & Italiam veniens anno sequenti coronatus Gregorij Decimi nomine salutatus est. Genebrardus, Honuphrius, Ciaconius. Huius autem Gregorij memoria grata nobis semper erit, non solum propter viri probitatem, & sapientiam, sed etiam, quia ipsius cura Synodus Lugdunensis congregata pro nostræ Religionis antiquitate ante Concilium Lateranense egregium dedit testimonium, de quo infra circa ann. 1274. Gregorij X. Pap. electio

2 Monasteriorum extructioni, Ordinisque dilatationi per varias Europæ Prouincias his annis Generalatus Radulphi fratres nostri incumbebant. Vnde sub hoc anno Norhamptone in Anglia Ordinis construxerunt Cœnobium, fundatoribus Simone de Monte forti, & D. Chielbode militibus. Speculum Ordinis *fol. 60. pag. 1.* & Tabula Chronologica Monasteriorum Angliæ sæpius commemorata. Vbi etiam quod titulo Beatissimæ Virginis cognominatum fuerit, & quod 420. scuta Italica pro annuis redditibus habuerit. Northamptonæ Conuentus.

3 Insuper eodem anno, teste Augustino Biscarreto *in Palmitibus vineæ Carmeli, in Sancto Alberto*, Eslingense Monasterium in Germania, in Imperiali illa Ciuitate extructum. Quot tamen, varijs rerum euentibus, Suecorum præcipue inuasione, mala pertulerit ad annum 1629. remittimus pertractandum. Ex relatione Bartholomæi Eiselini Prouincialis Germaniæ superioris ad Theodorum Stratium Generalem Ordinis. Eslingense.

4 Item circa idem tempus Cadurci in Gallia Ordinis Monasterium ceptum est. Constat enim de quadam donatione eidem facta sub anno 1273. & multis gratijs, quas illi contulit Bartholomæus Cadurcensis Episcopus, quæ refert Guilielmus de la Croix in Actis Episcoporum Cadurcen. Cadurcense

cen. sub præfato Bartholomæo *fol.* 124. Ex relatione tamen Aquitaniæ Prouinciæ, cuius antiquior Conuentus hic Cadurcensis reputatur, habemus quod Dom. de Sancto Proiecto tempore Sancti Ludouici Francorum Regis ipsius fundator fuerit, obtentis ab eo duobus fratribus, ex ijs, quos secum ex Terra Sancta Gallias duxerat; eisque præfatus Dominus Monasterium construxerit, non longe à Ciuitatis porta, quæ vocatur *de la barra*, sic, vt suspicio est, nominata, à Cappis barratis, seu variegatis, quas tunc nostri Fratres deferebant, quemadmodum de porta alia Parisiensis Vrbis antiquitus *des barres* nominata, prope nostrum primitiuum Monasterium, quod nunc Cœlestini possident, diximus sub anno 1254. cum alijs. Plura huius Cœnobij monumenta non extant, quia Caluinistarum impietate, vna cum ipsa domo conflagrata sunt circa ann. 1572. Habet hoc priuilegium hic Conuentus, vt in celebri eius Vrbis vniuersitate Theologiæ Cathedram teneat, ex cuius sumptibus, & alijs a Iuentitijs, duodecim aut etiam quindecim Religiosi commodè sustineri possunt. Habuit etiam valde claros viros de quibus suis locis dicetur.

Ann. Christi *1272*. Gregor. *10*. Roman. Pontif. *1*. Imper. Vacat. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. *13*. Radulphi General. 3.

Gesta hoc anno. 1 STatim, atque insignia Pontificatus Gregor. Decimus sub hoc anno accepit, de recuperanda Terra Sancta cogitans, omnes conatus adhibuit, vt quæ necessaria erant pro tam sacra expeditione prouideret. Milites ergo illuc quamprimum misit, Philippum Gallorum Regem ad subsidia ferenda inclinauit, pacem inter Venetos, & Genuenses conciliare studuit, Venetis merces ad Sarracenos transmittere prohibuit, & tam pro huiusmodi causa quam pro vnione Ecclesiæ Orientalis cum Latina facienda de Synodo generali congreganda cogitauit. Bzouius *sub hoc anno*.

Sandlbici Monasteriũ. 2 Hoc eodem anno in Anglia nouum erectum fuit Ordinis nostri Cœnobiũ, Sandlbici videlicet, in Cantia, fundatore primo Henrico Golbfelde de Alemania; & secundo per concessionem Dom. Thoma de Bealcaforde Comite Vorcestriæ. Speculum Ordinis *fol. 60. pagina prima*. In Tabula porro illa sæpius commemorata Conuentuum Angliæ huius Cœnobij fundator solum describitur prædictus Henricus Germanus. Credendum potius nostro Speculo Ordinis, vbi id magis explicatur; sicut & præfatæ Tabulæ, dum in ea dicitur Beatissimæ Virginis Mariæ titulo cognominatum fuisse hoc Cœnobium.

Nicolai Gallici gesta. 3 His annis post renunciationem Generalatus, in Eremo sanctè, & solitarie Deo vacabat ex Generalis noster Nicolaus Gallicus, de quo sub anno 1270. diximus. Optimam enim partem, quam suis Fratribus amplectandam


ctandam suaserat, cum Magdalena eligens, Christi pedibus dulciter fruebatur. Addit Bostius *lib.7.cap.25.* de ipso. *Tandem Beatus Pater Nicolaus secunda die mensis Aprilis ab hac luce decedens Christum adijt, multis clarens in vita, & post mortem miraculis, & in Auraica tumulatur.* Eadem etiam die ponitur in Kalendario vetusto Mechliniensi sic: *Quarto nonas Aprilis Nicolai Confessoris non Episcopi Ordin. nostri 7. Generalis.* Vbi Segerus Pauli in annotation. ad hoc Kalendarium hæc. *Hic Nicolaus cognomento Gallicus, patria Narbonensis, à Sancto Simone Stoch anno Christ. 1250. in coadiutorem, seu Vicarium Generalem sui Ordinis aßumptus, ei sic præfuit annis 15. et defuncto Simone solus alijs quinque annis. Deposito vero Generalatu in Eremum mōtis, quem vocant* Erratroff *secessit, ineunte anno 1270. Post mortem verò diuersis claruit miraculis. De quo plura Grossius, Bostius, Trithemius, & alij.*

4 Sanctum propterea, vel sanctitate insignem, præter nostros ipsum appellant, Iacobus Philippus Bergomensis in *Supplement. Histor.* Trithem. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Marcus Guazzus *in Chronic. tempore* Bonifacij 8. In sancta etiam hac conuersatione vsque ad mortem, in prædicta Eremo perseuerasse, tradunt ijdem Bergomensis, Guazzus, & Trithemius, ac Ciaconius *tom.1. de vit. Pontif. in Nicolao quarto.* Maximè ex nostris Philippus Metius *in vit. Sanctorum Ordin. num.34.* sic dicens: *Beatus Nicolaus natione Gallicus, septimus Prior Generalis, cum post S. Simonem Stoch, vnanimiter electus fuisset, Corpus suum in Dominico onere, et seruitio, vtpotè sedulus auriga, studuit mancipare. Fuit vir admodum Religiosus, deuotus, et Deo singulariter charus, Ordinisque sui zelator maximus. Qui cum Ordinem 5. annis strenuè, et prudenter gubernasset, commodius sibi existimans subesse, quam præesse, Officium resignauit, et cum Elia turbas hominum fugiens, ad Eremum Monasticæ conuersationis regressus est, vbi paulo post, plenus dierum, et sanctitate, diem clausit extremum 2. April. Arueau sepultus.* Miraculis eitá coruscasse habet Reuerendiss. Ioan. Grossus in vetusto satis manuscript. de Generalibus Ordinis. Scripsit, inter alia tractatum illum *Sagitta ignea* cognominatum, de quo sub eo anno 1270 diximus: in quo Ordinis statum deplorat, non quia è Syria eiectus, vt quidam scripserunt, sed quia fratres, Eremis relictis, Vrbium habitationes quærerent. Vitia eorum Religiosorum plangit, quos *præuignos Ordinis* appellat, quia isti erant in causa, quod Monasteria extra deserta loca in Ciuitatibus, & Oppidis construerentur. Obijt in Auraica, die 2. Aprilis, sanctitate plenus. Quo autem anno eius obitus contigerit non constat. De eo agunt præter relatos Authores, & alios Ordinis Historicos Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitarum*, Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro litera N.* & Apostata Balæus *in Cathalogo Scriptorum* Brittanniæ *Centuria 3.* post Thomam Spotte *in Appendic. 2.* Cautè tamen legendus hic Balæus propter impudentiam, qua solito sibi more de Religiosis obloquitur.

De eius vitæ sanctitate.

Ann. Christi 1273. Greg 10. Roman. Pontif. 2. Imper. vac. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 14. Petri Amiliani Gen. 1.

Gesta hoc tempore.

1 Rofectus Summus Pontifex Gregorius Decimus Lugdunum, celebrandæ Synodi causa, ad quam Palæologi Orientis Imperatoris Legati etiam veniebant, Florentiæ residens, pacem inter Guelphos, & Ghibellinos conciliare studuit. Cum autem Florentini Gibellinos, quos eiecerant, & iussu Pontificis receperant, iterum recedere coegissent, indignatus Papa Vrbem triennio interdicto subiecit. Interim Aquisgrani in Germania Rudolphus Habspurgensis, prętermissis Alphanso Castellæ, & Ottocaro Bohemiæ Regibus, in Romanorum Regem coronatur, prodigijs cælitus tunc ostensis; Crucis aureo lumine fulgentis, & super Basilicam delapsæ, ac nubis candidæ apparentis, in Crucis modum, quæ postea in ruborem sanguineum mutata est. Quibus sine dubio Austriacæ familiæ; quæ ab eo ortum habuit, gloria, & fidei exaltatio, per ipsam facienda denunciabatur. Bzouius sub hoc anno.

Radulphi Generalis.

2 Ordinis regimini sub his annis Generalis Radulphus attendens in Religionis augmentum, & Regularem Obseruantiam fouendas pro viribus incumbebat. Sui tamen prædecessoris Nicolai exemplo, deuotus, & contemplatiuæ vitæ amore affectus Generalatus resignauit Officium, & ad Holnensem Eremum prope Alneuicum in Northumbria Angliæ Prouincia, deposito onere, Deo vacaturus, se transtulit. Vt propterea de nouo Pastore prouidendo Religio cogitare debuerit, vt iam dicemus. Grossus *in Viridario Claus* 2. Bostius *lib.* 7. *Specul histor. cap.* 26. Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 9. Balæus *in Cathalog. Scriptorum Brittann. Centur.* 13.

De Petro de Amiliano, nono Generali Latino.

Electio Gen. Amiliani.

3 HOc ergo eodem anno, in festo Epiphaniæ Domini, Capitulo Generali Ordinis in Conuentu Burdegalensi celebrato, Frater Petrus de Amiliano Prouinciæ Narbonensis, natione Rutinensis, pius, & deuotus Religiosus, fuit concorditer in Priorem Generalem electus. Sic habent Historici nostri, specialiter Grossus, & Palæonydorus relati, ac etiam Bostius *supra cap.* 27.

Globcestriæ Cœnobium.

4 Eodem etiam anno Globcestriæ Cœnobij in Anglia fundatores fuerunt Domina Eleonora Regina, Mater Domini Regis Eduardi, ac Domini Ioannes Giffarde, & Thomas Berblei milites. Speculum Ordinis *fol.* 60. *pagina prima*. Aliter autem huius Cœnobij erectio narratur in Tabula Chronologica Conuentuum Angliæ. Etenim eiusdem constructio ponitur sub anno 1280. Fundatrice Regina Helena vxore Eduardi primi,

primi, & dictis Ioanne, & Thom. militibus, seu Equitibus. Dicitur etiam de eo sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ constructum fuisse.

Ann. Christi 1274. Gregorij 10. Roman. Pontif. 3. Rodolphi Imperat. Occident. 1. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 15. Petri Amiliani Gen. 2.

1 GRegorius Decimus Summus Pontifex, hoc anno Lugduni in Gallia Synodum Generalem celebrari fecit, eo conuenientibus quingentis circiter Episcopis, Abbatibus sexaginta, & alijs Prælatis innumeris, cum Apochrysiarijs, & Legatis Imperatoris Græcorum Paleologi, & aliorum Principum. De quo Honuphrius, Genebrardus, Æmilius, & alij. Concilium Lugdunense

2 Inter salubria autem huius Synodi Statuta, illud, quod ad nos attinet, his verbis fuit, prout ex *lib. 6. Decretal. Tit. de Religiosis Domibus, capit. vnico* habetur. *Religionum diuersitatem nimiam (ne confusionem induceret) Generale Concilium consulta prohibitione vetauit. Sed quia non solum petentiū inhiatio illorum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas, diuersorum Ordinum, præcipuè Mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium) effrenatam quasi multitudinem adinuenit; repetita Constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero nouum Ordinem, aut Religionem adinueniat, vel Habitum nouæ Religionis assumat: Cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostol. meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenus processerant reuocamus. Confirmatos autem per Sedem eamdem (post idem tamen Concilium institutos) quibus ad congruam sustentationem redditus, aut possessiones habere, professio, siue Regula qualibet interdicunt, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, modo decernimus subsistere infrascripto: vt videlicet Professoribus eorūdem Ordinū ita liceat in illis remanere si velint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de nouo domum, vel aliquem locum acquirant; nec domos, seu loca, quæ habent alienare valeant, sine Sedis eiusdem licentia speciali. Nos enim ea Sedis Apostolicæ dispositioni reseruamus, in Terræ Sanctæ subsidium, vel pauperum, vel alios pios vsus per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipsa commiserit, conuertenda. Si secus vero præsumptum fuerit, nec domorum, vel locorom acquisitio, aut ipsorum, cæterorumque bonorum alienatio valeat, & nihilominus contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant. Personis quoque ipsorum Ordinum omnino interdicimus quo ad extraneos, prædicationis, & audiendæ Confessionis officium, aut etiam sepulturam. Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines (quos euidens ex eis vtilitas Ecclesiæ vniuersali proueniens perhibet approbatos) præsentem non patimur Constitutionem extendi.* Statutum.

Fff 2 Cæte-

Cæterum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale præcessit in solido statu volumus permanere. Ad hæc personis Ordinum, ad quos Constitutio præsens extenditur, transeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concedimus generalem, ita quod nullus Ordo ad alium, vel Conuentus ad Conuentum, se, ac loca sua totaliter transferat, Sedis eiusdem super hac permissione specialiter non obtenta. Hæc in prædicta Decretali ex Gregorio Decimo, & Concilio Lugdunensi à Bonifacio Octauo authore 6. libri Decretalium exscripta.

Illatio pro Carmelitis.

3 Ex qua ad nostræ Religionis intentum illud primo elicimus, clarè in ea supponi nostrum Carmelitarum Ordinem, sicut & Eremitarum Sancti Augustini, Concilium Lateranense sub Innocentio 3. præcessisse, vt patet illis verbis, *quorum institutio dictum Concilium generale præcessit.* Habetur secundo id, quod & supra circa ann. 1215. quo prædictum Lateranen. Conc. (vocatū *magnum*) habitū fuit, diximus, per illud videlicet, nullatenus istos Ordines improbari. Vnde Glossa huius Decretalis supra illa verba *præcessit*, inquit: *Vnde tangi non deberet, cum Concilium ne nimia futura respiciat, ibi ne quis de cætero in textu supra.* Habetur quoque, prædictos duos Ordines non modo à Lugdunensi Concilio non reprobari (cum solum reprobet institutos post Lateranense Concilium, siue à Sede Apostolica non approbatos, siue etiam approbatos, qui solum per quæstum sustentari possent) sed etiam approbari, & confirmari, seu consolidari. Hoc enim sonat verbum illud, *In solido statu volumus permanere.* Quod enim esse potest *in solido statu*, nisi in statu firmo, & stabili. Vnde Ioannes Monachi circa hunc textum ait: *Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini Ordinis consolidat.* Et Guido sic super eadem verba: *Isti Ordines sunt totaliter confirmati.* Et Ioannes 22. in priuilegio exemptionis Ordin. Carmelitarum, recitans prædictum textum, prout videbimus suo tempore, inquit: *Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decreuimus, & volumus permanere.* Vide ex nostris Philippum Ribboti *de Institut. & peculiarib. gestis Carmelitarum cap.* 8. in Speculo Ordinis c. 41. & ex Patribus Augustinianis doctissimum Magistrum Ioannem Marquez *in lib. de Orig. Odin. Sancti Augustini*, & Ægidium à Præsentatione *in lib.* cui titulus *Primas Augustinianeus lib 7. cap. 5. in fine*, qui refert Dominicum à Sancto Geminiano, & Archidiaconum super dictum textum. Vide etiam Renatum Chopinum *lib. 2. Monast. tit. 1. num. 29.*

Obstantia diluitur.

4 Obstare tamen contra dicta videtur, primo, quod in littera antiqua huius textus non dicatur *in solido statu*, sed *in solito statu*, seu *in suo statu*. Sic enim habent originalia quædam. Adhuc tamen nostrum redit intentum, viresque resumit. Si enim Ecclesia in hoc Concilio vult Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines *in solito*, seu *suo statu* permanere, cum horum Ordinum status, & solitus status, fuerit approbationis, & confirmationis ab Ecclesia, prout de Eremitarum Sacro Ordine Doctori eiusdem familiæ alumni dilucide commostrant, & de nostro

id sæ-

id sæpius in superioribus ostendimus, præsertim sub Honorio Tertio, Gregorio Nono, Innocentio Quarto, Alexandro Quarto, & Vrbano 4. (vt antiquiora mittamus sub Alexandro Tertio, Innocentio Tertio, & Concilio Lateranensi) absdubiè elicitur, hos Ordines à Lugdunensi Synodo approbatos, & confirmatos fuisse. Philippus Ribbotí superius citatus, Ioannes Marquez Augustinianus *in lib. de origin. August. cap. 2. §. 4.* Sed iungimus præterea, facile credi posse, forsan litteram illam mendosam, & corruptam fuisse: *siue hoc acciderit ex vitio Scriptoris, siue ex inuidia æmulorum* (vt Ribbotus supra relatus aiebat) neque enim alia de causa Bonifacius Octauus, qui sextum Decretalium libr. anno 1298. vel circiter scribere fecit, talia verba *in solito statu*, vel *in suo statu* expunxit. Et verbum *in solido statu* adiungi voluit. Nisi forte dicamus, illa consulto mutasse, vel quia subobscura, superflua, aut alijs iuribus contraria, censuisset. Vt enim patet ex Bulla eiusdem Bonifacij, quæ habetur in principio 6. Decretal. Decretales illius libri diligentius recenseri fecit per Gulielmum Archiepiscopum Ebrudunensem, Berengarium Episcopum Biterensem, & Richardum de Senis; *& pluribus ex ipsis (cum sibi ipsis, vel alijs iuribus contrariæ seu omnino superflua viderentur) penitus resecatis; reliquis quibusdam ex eis abbreuiatis, & aliquibus in toto, vel in parte mutatis, multisque correctionibus detractionibus, & additionibus factis in ipsis*, eas approbauit, & confirmauit. Ex quo habetur verba illa *in solito*, vel *in suo statu*, non fuisse in prædicta Decretali, vel si forsan fuerunt, correcta mutata, vel resecata fuisse. Sed vt vt res fuerit in fine ipsius Bullæ prohibet idem Bonifacius *in iudicijs, & scholis*, recipi alias Decretales, præter illas, quæ inseruntur in prædicto volumine, aut pro Decretalibus haberi; ac proinde inoffenso pede currere oportet verbum illud *in solido statu*, quod in prædicta Decretali reperitur. Nec obijciens contra Augustinianos, & Carmelitas textum alium audiri iure poterit.

5 Obstare etiam contra prædicta illud secundo videtur, quod in eadem Decretali post relata verba sic subiungatur: *Donec de ipsis*, Videlicet, de Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini Ordinibus, *aliter fuerit ordinatum. Intendimus enim tam de ipsis, quam de reliquis etiam non Mendicantibus prouidere, prout animarum saluti, & eorum statui videbitur expedire.* Ex ijs enim inferri videtur prædictos Ordines à Concilio Lugdunensi, & Gregorio Decimo confirmatos non iri, sed solum ipsis concessum permanere, donec quid de illis faciendum decerneretur. Sed in primis talia verba non habentur in prædicta Decretali à Bonifacio Octauo correcta, vt patet ex prædicto titulo *de Religiosis domibus in 6. cap. vnico.* Et cum ex eodem Bonifacio in Bulla adducta prohibeatur recipi alias Decretales *in iudicijs, & scholis*, præter dictas, parum, aut nihil de verbis allatis curandum videtur. Adde, quod cum idem Bonifacius in eadem Bulla allata expressa dixerit se Decretales sexti libri a viris illis doctissimis recenseri fecisse, & ab eis plures resecasse, quod *sibi ipsis, vel alijs iuribus contrariæ, seu omnino*

Alia obstantia.

super-

superfluę viderentur, & alias mutasse *multis correctionibus, detractionibus, & additionibus factis in ipsis*; vnum de duobus manifestè sequitur, vel prædicta verba in tali Decretali non fuisse, vel esto fuissent, ea tamen Bonifacium, auctoritate Apostolica correxisse, mutasse, vel resecasse.

Ampliatio. 7 Sed admittamus, prædicta verba in dicta Decretali, prout à Gregorio Decimo, & Synodo Lugdunensi emanauit, vere fuisse, licet postea à Bonifacio Octauo resecata, & abolita; adhuc tamen ex eis nihil Ordinis nostri confirmationi in eadem Synodo factæ derogari, ex verbis Philippi Ribboti doctissimi Magistri, & Cathaloniæ Prouincialis, loco vt supra citato *cap.* 7. sic comprobatur. *Clausula illa* donec de ipsis, *quę videtur in hac materia facere difficultatem, non aufert, nec abstulit Carmelitis, quin Ordo eorum sit, & esset tunc, & antea approbatus. Quod probo triplici ratione. Primò, quia si clausula illa* Donec de ipsis &c. *aufert Carmelitis approbationem sui Ordinis, sequitur pari ratione, quod auferret alijs non Mendicantibus Religiosis approbationem sui Ordinis, et ita nullus Ordo eorum, qui non mendicant esset à Sede Apostolica approbatus, quod est notoriè falsum. Consequentia tamen clare patet, quia sicut de Carmelitis, ita de alijs non Mendicantibus intendebat, vt dicebat Papa Gregorius, aliter ordinare prout saluti animarum, & eorum statui videret expedire, qui interim in suo statu manebant, sicut Carmelitæ, donec esset de ipsis aliter ordinatum. Secundo, quia si clausula illa* Donec de ipsis, &c. *auferret Carmelitis approbationem sui Ordinis. Sequitur etiam, quod auferret quibuscumque alijs Religiosis approbationem sui Ordinis, & ita nullus Ordo esset in Ecclesia approbatus à Sede Apostolica, quod est manifestè falsum. Consequentia tamen probatur, clarè, quia clausula illa;* Donec de ipsis, &c. *est ita de natura approbationis, quod nullus Ordo potest sine dicta clausula expressa, vel intellecta approbari à Sede Apostolica. Nam non obstante cuiuscumque Ordinis approbatione potest Sedes Apostolica aliter de ipso ordinare, imo ipsum totaliter prohibere, vt patet in dicto capitulo Religionum diuersitatem, §. confirmatos, & Constitutione Papæ Ioannis 22. quæ incipit, Quia quorumdam, §. adhuc. Igitur quantumcunque aliquis Ordo sit per Sedem Apostolicam approbatus, intelligitur in suo statu manere, donec aliter de ipso per eamdem Sedem fuerit ordinatum, quia per hoc, quod ipsum Sedes Apostolica adprobauit ipse non aufert sibi potestatem aliter de ipso ordinandi, vel ipsum destruendi, vt patet 63. d. §. Verum. Sedes enim Apostolica potest consultius reuocare, quod fecit inconsultè, vt dicitur 35. quæst. 9. cap. Sententiam. Tertio, quia post dictum Concilium Lugdunense, cum adhuc in dicto §. Cęterum, maneret inserta illa clausula,* donec de ipsis, &c. *qua postea fuit per Papam Bonifacium Octauum deleta, scripsit Nicolaus Papa Quartus anno Domini 1288. Ecclesiarum Prælatis, vt in ipsorum Ciuitatibus, & Diœcesibus permitterent Carmelitas,* prout decet viros Religiosos approbati Ordinis, *diuina Officia in suis Oratorijs libere celebrare, vt ostensum est supra in 10. lib. cap. 2 Certum autem est, quod Papa Nicolaus non ignorabat dictam clausulam* donec de ipsis, &c. *esse tunc in Iure insertam, quia Papa censetur in scrinio sui pectoris omnia iura habere, vt dicitur extra de Constitutionibus*

cap.

cap. licet lib. 6. Si itaque clausula illa, donec de ipsis, &c. *abstulisset Carmelitis quam habebant prius approbationem sui Ordinis, non dixisset tunc Papa Nicolaus Carmelitas esse* Viros Religiosos approbati Ordinis. *Et tamen dicit eos viros Religiosos approbati Ordinis: ergo clausula illa non auferebat eis approbationem sui Ordinis. Dico ergo, quod non obstante dicta clausula, Ordo Carmelitarum approbatur tunc per Lugdunense Concilium. Nam Ordo iste per Sedem Apostolicam defendebatur tunc à prohibitione, pro eo, quod eius institutio praecesserat Concilium Generale Lateranense, vt ibidem patet. Igitur approbatur tunc à Sede Apostolica, quae illud solum defendit, quod est approbatum, & irreprehensibile, vt dicitur 24. d. si quis Presbyter, 81. d. Quis sine 25. q. 1. omne.* Hæc doctissimè author iste.

7 Sed quid sibi voluit Papa Gregorius, curiosius aliquis inquiret, cum verba illa, *Donec de ipsis, aliter, &c.* & illa *Intendimus enim tam de ipsis &c.* Dicimus, explicare voluisse ius, quod habet Ecclesia in Religiones, quantumuis confirmatas, quod scilicet de ipsis ordinare possit, & prouidere, prout animarum saluti, & eorum statui videbitur expedire. Vel dicito, voluisse Regulis, & Constitutionibus prædictorum Ordinum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, sicut etiam aliorum non Mendicantium, aliqua addere, vel detrahere, ipsasque reformare, corrigere, ampliare, &c. & propterea dixit *Donec de ipsis, &c. Intendimus enim, &c.* Sensus ergo Pontificis erat iste: Ordines Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum, permaneant in eo statu, modoque viuendi, quousque modo fuerunt, donec tam ipsis, quam alijs non Mendicantibus institutiones aliquas, peculiariaque decreta obseruanda dederimus, *prout animarum saluti, & eorum statui* videbimus expedire. Quod enim Glossa in prædict. text *cap. vnic. de Religiosis domibus*, dixit *dicebatur, quod Gregorius nolebat aliquem Mendicantium dimittere, nisi Prædicatores, & Minores:* cum nullo id fundamento, nullove authore affirmari possit, manifestè conuincitur, falso, aut populari rumori duntaxat inniti, vt propterea Glossa, nullo ipsius auctore nominato solum dixerit, *dicebatur*. Simili fundamento fabula illa de Ioanne Octauo fœmina vulgo inualuit. Accedit, quod cum propter antiquam Institutionem, ac Confirmationem prædictorum Ordinum, sanctitatem, & laudabilem ipsorum conuersationem Ecclesiæ Dei vtiles, & grati tunc essent; cur Pontifices illos reducere, aut extinguere vellet? Vel si voluit, cur non fecit? Tempus ne commodius, quam cum tota Ecclesia in Synodo erat, inuenire potuit? Valeat ergo, qui oppositum senserit cum sua opinione. De quo erudite Magister Ioannes Marquez Augustinianus *lib. de Origin. Eremitarum Sancti Augustini cap. 2. §. 4. & 5.* Dubitatio.

8 Obijt hoc eodem anno 1274. insignis ille Radulphus, aliis Rodulphus, cognomento *Fresburnus* Northumbriensis, nostri Ordinis è Syria in Angliam fœlicissimus Ductor, & eius Prouinciæ multos per annos Præsul. De quo hæc habent Anglicarum rerum Scriptores. *Radulphus Fresburnus in Septentrionalibus Angliæ Regionibus, nobili familia natus, patria Northum-* Radulphi mors

thum-

thumbrensis, bonis Praeceptoribus adolescens traditus, litteras simul, & Christianae Religionis zelum imbibit. In aetatis flore profectus est ad Orientem; vt contra Sarracenos Christiani nominis, & Religionis iuratos hostes arma gereret. Cum autem ad Carmelum Syriae venisset, vidissetque sanctum Institutum Fratrum, qui illam Eremum incolentes, sub tutela Beatae Virginis, se totos diuinis obsequijs mancipabant. Ijs se adiunxit, eorum Habitum, & Regulam suscepit, in eorum disciplinam se totum tradidit. Redeuntibus è Syria tandem in Angliam Baronibus Ioanne Vesco, & Ricardo Graio, cum multis alijs militibus Anglis, Radulphus etiam, assumpto sibi socio Ibone Iuone Armorico Brittanno, in Angliam reuersus est, vbi Ordinis sui prima poneret exordia, quod anno Domini 1240. ex animi sententia praestitit. Multos enim illius Instituti Monachos in Angliam vocauit, quibus ipse ad annos quatuordecim Prouincialis praefuit. Aedificauitque ex suis potissimum bonis prima illorum Coenobia; iuxta Alnae vicum in Holnensi Northumbriae deserto vnum; in Alesfordensi Sylua in Cantia alterum. Rexit autem suos non tam Regularum seueritate, quam pijs exhortationibus, & virtutum exemplis. Haec Mantuanus lib. 8. Fastorum his, & similibus verbis tangit.

Cur apud Anglorum populus ita creuerit audi
Anglicus in Syrias veniens exercitus olim, &c.

Et infra.

Ista Duces tanta intuiti miracula, secum
In patriam duxere viros, quibus arma negabant
In laribus Sedem Assyrijs, & Templa, domosque
Construxere nouas, &c.

De eodem. 9 Porrò Radulphus, qui multos multa docuit, pauca chartis commisit: scripsit tamen, maximè ad suos Fratres, exhortationum piarum librum vnum; Epistolarum, librum vnum, & alia quaedam: omnia pietatem redolentia. Tandem plenus dierum, ferax meritorum, & corruscans gloria miraculorum, eodem anno viuendi finem fecit, quo Eduardus primus regnandi exordium habuit, hoc est, anno Christi 1274. & in suo Coenobio Holnensi sepulturam accepit, sub praefato Eduardo primo. Haec Pitseus de Illustribus Angliae Scriptoribus Aetate 13. Nicolaus Arsfeldius, & ante eos Apostata Balaeus in *Cathalogo Scriptorum Brittan Centur. 1. & alij.*

Ann. Christi *1275.* Gregor. *10.* Roman. Pontif. *4.* Rodulph. Imp. Occid. *2.* Michael. Paleolog. Imp. Orient. *16.* Petri Amiliani General. *3.*

Gesta hoc anno. 1 Absoluto Lugdunensi Concilio, cum iam omnia pacata, & tranquilla, quoad vnionem Graecorum cum Latinis fore viderentur; nihilominus Iosephi Patriarchae Constantinopolitani proteruia, & Andronici impietate, factum est, vt concordia facta in Concilio

à Grae-

à Græcis contemneretur, & ad veteres errores nequissimè redirent. Contendebat interim Alphonsus Castellæ Rex coram Gregorio Papa pro Imperio habendo, quem tamen Pontifex ab ea prætensione diuertere conabatur. Mariana, Bzouius.

2 Præcipuum Ordinis nostri studium hoc tempore sub Amiliani Generalis regimine erat, de ipsius dilatatione, Monasteriorumque fundatione sollicitè agere, vt vel sic ea, quam in Syriæ partibus Barbarorum improbitate ruinam passus fuerat, Christianorum pietate in Europa restauraretur. Hinc hoc anno Vercellensis Cœnobij primordia fuerunt, fundatore Guilelmoto Vercellensi. Claruit in eo Beatus Iacobinus de Crauacorio Conuersus, sanctitatis opinione, & miraculorum gloria illustris, cuius propterea corpus Sanctus Carolus Borromæus apud se habere desiderauit, etsi non obtinuerit, manet enim in huius Cœnobij Ecclesia conditum. Præterea plures alij, de quibus, & alijs ad hoc Cœnob. spectantib. suo loco dicetur. Vercellensis Conuentus.

3 Augustanum etiam Monasterium in Germania sub hoc anno fundatum Augustinus Biscarretus in suis *Palmitibus vineæ Carmeli* in gestis Sancti Alberti asseruit. Etsi temporum, bellorum, & hæreticorum incuria, multis, varijsque rerum vicissitudinibus obnoxium fuerit. Augustissime etiam Templo inter Germaniæ nobilissima temporis tractu decoratum cernitur. Alia de ipso suis locis.

4 Pariter eodem anno Stanfordiæ in Anglia à nostris receptus est Cóuentus, fundatoribus Domino Eduardo primo Rege, Magistro Henrico Sampson, & Valterio Fleming. Speculum Ordinis *fol.* 60. *pagina prima*. Cœterum hoc Stanfordiense Cœnobium multo postea fundatum esse, anno videlicet 330. & non ab Eduardo primo Rege, qui hoc tempore Regni clauum tenebat, nec à præfatis Henrico, & Valterio, sed solum ab Eduardo tertio Rege, qui eo anno 1330. Regnum moderabatur, & sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ, habetur in Tabula illa Chronographica Monasteriorum Angliæ sæpius commemorata. Quapropter ne duæ istæ relationes contrariæ inter se sint, dicere oportet, prout non semel etiam animaduertimus de alijs Angliæ Monasterijs loquentes, Cœnobium hoc primitus ab Eduardo primo Rege extructum, seu fundatum esse, cooperantibus relatis Henrico, & Valterio; postea tamen ab Eduardo tertio Rege ampliatum, dotatum, seu locupletatum: & ita vtramque relationem veritatem continere. Augustanus.

5 Alter Ordinis Conuentus eo tempore, vel paulo post, creditur, in eadem Angliæ Prouincia, à nostris etiam habitus, Vintoniensis videlicet, fundatore Domino Petro de Lhyntonia Præposito Ecclesiæ Sanctæ Helenæ Lhyntoniensis, qui propter miraculum sibi per gloriosam Virg. Mariam ostensum id Cœnob. fundauit. Spec. Ord. *fol.* 60. *pag.* 1. Quomodo autẽ id accipiendum, obseruauimus in superiorib. sub ann. 1252. vbi de hoc Petro, ac miraculo B. Virg. quod hic refertur, agebamus. Attitulatus propterea fuit sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ, prout in dicta Tabula refertur. Vintoniensis

Ann. Christi 1276. Innoc. 5. Hadriani 5. & Ioann. 21. 1. Rodolphi Imperat. Occident. 3. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 17. Petri Amiliani Gen. 4.

Pontificum successio.

1 Bijt hoc anno Summus Pontifex Greg. Decimus sub 3. Idus Ianuarij opinione sanctitatis clarus. Eius successor fuit Petrus de Tarantasia ex Ordine Prædicatorum assumptus, & Innocentius Quintus nuncupatus. Hic post quintum mensem diem quoque clausit extremum. Post quem Hadrianus Quintus Pontificatum gessit paucis tantum aliquot diebus. Ei successit Ioannes 21. Hispanus Vlyssiponensis, qui etiam exiguo tempore, vt sub anno sequenti dicemus, Petri Cathedram obtinuit. Gloriam ergo mundi citissimè transire quatuor isti Sũmi Pontifices, vnius fermè anni spatio vita functi, testati sunt. Honuphr. Ciaconius, Bzouius, & alij.

Conuentus Natynglianiæ.

2 Eodem anno Notyngliamiæ in Anglia nouum erectum Monasterium Ordinis, fundatore Domino Reginaldo de Grey, Domino de Lhyltone, & Schyrlao. Speculum Ordinis *fol.* 60. Consentit, & Tabula Chronographica Monasteriorum Angliæ; quam apud me habeo: etsi aliquam diuersitatem continere videatur circa nomina fundatorum huius Monasterij, quæ forsan ex Scriptorum incuria ortum habuit.

Græcorum recõciliatio

3 Facta, & sub eodem anno noua alia Græci Imperij reconciliatio cũ Ecclesia, post illam in Lugdunensi Synodo cæptam. Quam tamen noster Cyrillus in suo illo Oraculo Angelico propheticè per breue tempus in Ecclesia duraturam dixit, illis verbis: *Vbi per minutum quiescet*, vt exposuit Ioachimus ibidem, quod anno 1283. adimpletum constat, siquidem eo tempore, mortuo Palæologo successit in Imperio Græcorum Andronicus filius à vera fide iurata in Lugdunensi Synodo, Apostata, Quin & ipsum Michaelem Palæologum discessisse à fide cum Romana Ecclesia & propterea à Martino Quarto anathemate percussum anno 1281. habetur ex Bulla eiusdem.

S. Angeli prophetia.

4 Cœpit & eodem anno Sancti Angeli nostri prophetia de Turcorum Regno ob Christianorum crimina dilatando, adimpleri, de qua an. 1219 diximus, Insignis enim Turcorum victoria de Romanis hoc anno parta, ob quam à Mari Pontico, & Galatia vsque ad Mare Lycium, & Carium omnia suæ ditionis fecerunt, eorum Tyrannidi, quæ adhuc superstes est, initium dedit. Bossius, Bzouius, Spondanus, & alij.

Rigaldus.

5 De hoc anno, & breui tempore Innocentij Quinti loquens Marcus Guazzus in sua Chronica, in eo claruisse refert Rigaldum Archiepiscopũ Rhemensem, qui Ordinis nostri Monachus extiterat, eum vocans magnũ Theologum, magnique pretij apud doctos, opera supra Sacram paginam edidisse.

edidisse. Cœterum, etsi similia ferme dixerit ex eodem Guazzo noster Biscarretus *in Palmitibus vineę Carmeli littera R*, & Emmanuel Romanus in *Elucidationibus pag.* 205. quia tamen, inspecta Chronologia Archiepiscoporum Rhemensium, quam Claudius Robertus Lingoniensis *in Gallia Christiana*, diligenter composuit, non extat memoria talis Rigaldi inter eius Ecclesiæ Antistites circa hoc tempus; hærendum sanè in huiusmodi Guazzi testimonio: sicut & hæret Lucas VVadingus *in Scriptoribus Minorum* in quodam Richardo Rhemensi, etiam Archiepiscopo Rhemensi ab aliquibus credito, & ex Ordine Minorum assumpto. Vel ergo Rigaldus iste Suffraganeus fuit Rhemensis Archiepiscopi, & ideo ipsius titulo à simplici aliquo decoratus; vel saltem vir doctus aliquis ex nostro, vel Minorum Ordine, qui Sermones de tempore, & de Sanctis scripsit, vt multi dicunt, vel in Sacram Paginam, vt Guazzus ait.

6 Ioannes Papa sub hoc anno vitam finijt, successorem habens post sex menses Interpontificij Cardinalem Caietanum; Nicolai Tertij nomine salutatum. Interim Galli, qui in Sicilia dominabantur, malè tractabant Siculos, prout ea, quæ in sequentibus dicentur, ostendent. De his concorditer Scriptores huius temporis. Obitus Io. anni 21.

7 Hoc eodem anno pro rebus, & negotijs Religionis rectius instituendis, & ad verę reformationis normam restaurandis, Venerandus Pater Petrus de Amiliano Generalis Capitulum celebrauit in Monte Pessulano, in die Pentecostes, sub prædicto Papa 21. Huius tamen Capituli gesta temporis incuria nobis adhuc incomperta. Capitulum Generale.

8 In hoc loco Montis Pessulani contigit magnum miraculum, & apud nostros valde celebre, de quibusdam Reliquijs ligni Sanctæ Crucis, quod, Deo sic volente, solum eleuari potuit per fratres Ordinis nostri, non per alios Religiosos, aut Clericos; ob reuelationem Beatissimæ Virginis factam cuidam Religioso nostro: vt propterea illud ad nostrum Monasterium deferretur, vbi pie conseruatum multis postea claruit miraculis. Casum retulimus in Tractatulo de *Maria Patrona cap.5. num.22.* ex Ioanne Hyldeseymensi vetusto, & graui Ordinis nostro authore, ac Beati Petri Thomæ à 300. annis Socio, quem etiam afferunt Balduinus Leersius in *Collectar. miracul Beatiss. Virg. cap.12.* Bostius *lib.7. Specul. histor. cap. 24.* Palæonydorus *lib. 3. cap. 9.* & Didacus de Coria *lib. 12. Chronic. Carmelit. cap. 15.* Ad hoc autem tempus, eum referimus, quia etsi certum non agnoscamus, prope illud contigisse pro certo credimus. Miraculum

9 Anno eodem Radulphus ille Alemannus noster exGeneralis, de quo anno 1270. & 1273. diximus, deposito Officij sui onere, & posteris sanctè moriendi salutare præbens exemplum; pertæsus etiam, vt quidam dicunt, fratrum eorum conuersationem, qui in Vrbibus, relictis Eremis, morabantur, quatuor ferè annis in Holnensi Eremo prope Alneuicum in Northumbria degens, fœliciter vitæ cursum consumauit. Ita refert Balęus *in Cathalogo Scriptorum Brittann. Centur. 13.* Subiungit vlterius hunc Ra- Radulphus exGeneralis

dulphum præfixisse titulum *Ignea Sagitta*, libro facto à suo Prædecessore Nicolao, de quo nos sub anno 1270. diximus. Verumtamen ex ipsomet libro, quem apud nos habemus, conijcimus, eumdem Nicolaum hunc titulum eidem præfixisse, sic enim habet in Prologo ipsius; *Libellus iste, qui propter sua veritatis lucidum acumen merito intitulatur Ignea Sagitta, filijs legitimis euntibus in luce, amabilis existet, præuignis tamen ne arguantur opera legitima lucem odientibus videbitur odiosus.*

Ann. Christi 1278. Nicolai 3. Roman. Pontif. 1. Rodolphi Imper. Occid. 5. Michael. Paleolog Imperat Orient 19. Petri Amilian. General. 6.

Nicol. Papa.

1 NIcolaus Papa Tertius nouiter assumptus vnionem Orientalium cum Latina Ecclesia factam litteris datis ad Palæologum illorum Imperatorem confirmare studebat, ac Carolum Siciliæ Regem cum eodem Palęologo componere, Ipsum quoque Carolum de subditis non opprimendis, Ecclesiæ bonis vindicandis, & militibus transmittendis admonitum esse voluit. Et, quod non amplius in Vrbe esset Prætor ille, *Senator* appellatus, ex Regia nobilitate ortus. Æmilius, Bzouius.

De Eduardo Angliæ Rege

2 Erat sub hoc tempore Deiparæ Virginis Mariæ, & nostri Ordinis valde deuotus Eduardus Angliæ Rex, qui post Henrici Regis Patris obitum, qui sub anno 1272. contigerat, Regni gubernacula susceperat. Ordinis nostri Habitum, quem à Beatissima Virgine Beatum Simonem habuisse sub anno 1246. & 1251. diximus, pius hic Rex gestauit, vt asserunt præter Historicos nostros Antonius Sanderus in *Histor. Gandaui lib. 1. cap. 7.* Benedictus Gononus *in vit. Patr. Occidental. lib. 4. in annotationibus ad vit. B. Simonis Stoch*, vt propterea inter Religionis Tertiarios, vel Confratres à nostris censeatur. Causa forsan fuit miraculum, quod ei accidisse narrat Vvalsinghanus *in Histor. Anglic. in princip.* Id etiam confirmat, quod in B. Virgin. honorem singulis Sabbatis austerum, & rigidum in solo pane, & aqua, ieiunium obseruaret, teste Bzouio *sub hoc anno num. 23.* Plura quoque Ordinis nostri Cœnobia in suo Regno, videlicet Cantabrigense, Bristollense, Nouicastrense, & Stanfordiense fundasse, vel stipe data auxisse, ex dictis in superioribus, & ex ijs, quæ in *Speculo Ordinis fol. 60. pag. 1.* in relatione Conuentuum Angliæ habetur, elici potest.

Ieruennitẽn. Monasteriũ.

3 Specialiter hoc anno Ieruennitense Monasterium ab eo fundatum dicitur loco relato ex Speculo Ordinis. Idemque habetur in Tabula Chronologica Monasteriorum illius Prouinciæ, quam sæpius attulimus, vbi Yarmonthæ in Norfolcia erectum dicitur, & sub titulo Beatiss. Virginis Mariæ.

Iller-

4 Illerdense etiam Cœnobium in Cathalonia sub hoc eodem anno initium habuit, priuilegium fundationis concedente Petro Aragoniæ Rege huius qui sequitur tenoris: *Nos Petrus, Dei gratia, Rex Aragonum, concedimus de speciali gratia vobis Fratribus Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli, quod possitis acquirere, & habere titulo emptionis, donationis, vel alio modo, terram in Ciuitate Illerdæ, seu eius suburbijs, pro Monasterio ędificando, & domibus, & horto, vobis competenti, non obstante quod alias de realenco non possit aliquid alienari personis Religiosis. Mandantes Notarijs Illerdæ, quod de prędictis adquisitionibus conficiant publica instrumenta. Dat. Valentię 3. Kalend. April. anno Domini* 1278. Notabili etiam priuilegio à Ioanne Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ Rege, dato Barchinonæ 4. Martij 1388. decoratur hoc Cœnobium, quo Procuratores illius ad negotia gerenda designati, ab omni subsidio, quæstra, & exactione Regali, cũ ipsorum bonis, immunes, & exempti declarantur. Extat et in maiori Sacello Ecclesiæ Venerabilis Sanctissimæ Dei Genitricis Imago dulcissimũ Infantem brachijs amplexantis, de qua solemne hoc miraculum piæ deuotionis erga Filium, et Matrem incentiuum præstans, enarratur. Fuerunt retro actis annis ab eo tempore, quo hæc scribimus, duo in hoc Conuentu Nouitij, ætate tenelli, moribus simplices, et deuoti, qui eo puerulum Iesum, quem Diua Virgo tunc in Claustri Sacello reposita, manibus gestabat, affectu prosequebantur, vt crebrius, quam sibi pro victu portionem, vel pitantiam Conuentus tribuebat, ad Altare Virginis deuouentes puerili simplicitate S. Infanti quasi comedendam offerrent. Puerorũ deuotionem, ac piam inter ipsos erga Iesum amoris æmulationem in dies augebat, quod alius quidam ipsorum simplicitate cognita, Altari cibos oblatos, carnis ibi mundis derelictis, astute comederet, quo sibi persuadebant in Infantuli Iesu vsum cibaria cessisse. Accidit post hæc, vt cum propter leuem aliquem defectum commissum Superior eis disciplinam recipere more solito in Religione iniungere voluisset; puerili ducti timore, è Monasterio decesserint. Deo tamen, ob Virgin. Beatissimæ intercessionem, prouidente, factum est, vt eorum absentia, Angelis, vt creditur, illam specie assumpta supplentibus, per tres dies occultaretur. Tertia ergo die ad ianuam Cœnobij ab ignota fœmina vocatus Prior, illuc accedens, vidit eam secum ferentem Nouitios, ei tradentem, ac præcipientem ne aliquid mali illis inferret. Qui cum nihilominus disciplinam illis infligere vellet, mirum dictu, non potuit, vt propterea, eisdem quoque fatentibus se per tres dies à Monasterio abfuisse, miraculum, & Beatissimæ Virginis protectio in alumnos comprobarentur. Digna postmodum retributione Sanctæ mortis pueris à Deo honoratis, quantum deuota simplicitate Deo placuissent ostenditur, dum singulis annis ex ipsorum sepulchro ante Sacellum eiusdem Virginis apiculæ quædam cerulei coloris lucidæ, pulcherrimæ, mirabilemque spirantes odorem, prodire cernuntur. Extat Imago Diuæ Virginis cum duobus ijs pueris Nouitijs ad latera ipsius, iuxta eum modum quo

Illerdense Cœnobium.

Prior

Prior eam viderat in ianua Monasterij eos afferentem, & vocatur Virgo de Miraculo. Hæc ex relatione Prouinciæ Cathaloniæ accepimus. Floruerunt præterea in hoc Cœnobio, ac Illerdensi Gymnasio, plures Illustres Patres, diuersis temporibus, specialiter Thomas Ribes Doctor eruditissimus, Concionator excellens, & Vir magni regiminis.

Ann. Christi 1279. Nicol 3. Roman. Pontif. 2. Rodulphi Imper. Occid. 6. Michael. Paleolog. Imperat Orient. 20. Petri Amiliani Gen. 7.

Gesta hoc anno.

1 PRæsenti anno pius Rodolphus Viennæ Austriæ, Principum Germaniæ Conuentu celebrato omnia priuilegia Romanæ Ecclesiæ, atque Summo eius Antistiti Nicolao Tertio publico consensu, & instrumento, ac litteris aurea bulla signatis, confirmauit, & approbauit. Pontifex autem authoritate qua fungebatur (quaque æquum est Summos Christi Vicarios in Ecclesia vti) Rudolphum præfatum à bello quod Carolo Siciliæ Regi mouere tentabat, cohibuit; quod imminebat inter eumdem Carolum, & Hugonem Cypri Regem, auertit; & quod gliscebat inter Hispanos, & Gallos, Regibus censuras Ecclesiasticas comminatus, nisi arma deponerent, pacare studuit. Quæ sanè partes sunt Summi Ecclesiæ Pastoris. Bzouius.

Cestriense Cœnobium.

2 Cestriæ in Anglia nostri Ordinis Cœnobium, fundatore Domino Thoma Stadhom, hoc anno erectum. Speculum Ordinis *fol.* 60. Idem habetur in sæpius commemorata Tabula Chronographica Monasteriorum Angliæ.

Gyppislbicense.

3 Pariter eodem quoque anno Gyppislbici etiam in Anglia aliud Ordinis Cœnobium, fundatoribus Domino Galfrido Hardley, & Roberto Nortoue militibus, fundatum dicitur in præfato loco Specul. Ordin. Quia tamen huius Cœnobij erectio ante ann. 1276. ibidem facta describitur, errorem facile suspicari est in numerum annorum, Typographi forsan incuria, incidisse. Cohæret etiam Tabula illa Chronographica Monasteriorum Angliæ pro hoc anno, & dicitur fundatum Ipprouchi in Suffolcia, & sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ.

De Beato Fr̃co

4 Eo etiam tempore, vel circiter, Francus ille Senensis, de quo in superioribus, post grauissimam carnis tentationem, quam, Dei gratia, in vepribus volutatus, aquæ frigidissimę stagni immersus, & diris flagellis afflictus, superauerat, Diabolique technas sub pulcherrimæ adolescentulę specie se ad illicita allicientis deuictas, diuina meruit consolatione roborari. Ei etenim Cæli Regina inter Sanctorum agmina sublimi Throno residens assistere visa est, dextra sertum floribus intextum, læua autem Ordinis Habitum tenens, ac monens, quamprimum eo indui, vt Coronā

quam

quam sibi pia Mater spopondit, mereretur accipere. Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap.* 16 Hæc Beati Franci visio cum simili alia ab eadem Dei Genitrice Beato Simoni ostensa, de qua circa ann. 1251. diximus, pulchrè colludit; & ex vtraque constat Habitum Ordinis singulare veluti donarium Virginis æstimari debere.

5 Hinc consequenter Habitum Conuersorum Ordinis, in Conuentu Vrbis Senarum antiquissimo (& si non semel repulsam passus à Priore, & Fratribus, eo præsertim, quod annosus valde esset, nec austeritates Regulæ, & Statutorum Religionis perferre posse censeretur) lętissimus suscepit. Nec sine miraculo. Adolescens enim quidam, qui Dei Angelus fuisse credebatur, in medium Fratrum Capitulum ingrediens, Sanctum, quo Francus indueretur, Habitum deferens, cunctis admirationem ingessit; eique summum gaudium, quod eumdem fuisse agnouerit, quem illi Beata Virgo in visione præostenderat. Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap.17.* — Habitum Conuersorũ recipit.

Ann. Christi 1280. Nicolai 3. Roman. Pontif. 3. Rodulph. Imperat. Occid. 7. Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 21. Petri Amiliani General. 8.

1 TOtus fermè erat Nicolaus Pontifex sub hoc anno in componendis rixis, & odiis, quæ inter Christianos Principes ea tempestate grassabantur. Rudolphum enim Romanorum Regem, cum Carolo Siciliæ composuit, pro pace etiam concilianda inter Alphonsum Castellæ, & Philippum Galliæ Reges, Magistrum Militiæ Templi ad vtrosque misit; ac mediante Vrsino Cardinali Legato Florẽtinas Guelphorum, & Ghibellinorum factiones ad pacem restituit. Postque ad meliorem vitam translatus est. Bzouius, Gordonus. — Papæ gesta.

2 Illustris valde eo tempore in Angliæ Prouincia Ordinis status erat. Adeo vt nedum causarum executores, & Monialium Monasteriorum Administratores, sed & pro fide in eo Regno propagando Prædicatores, ac Inquisitores hæreticorum, Fratres nostri essent. Ea tamen munera abiecisse testatur Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centuria* 3. in Guillelmo Pagano dicens: *Abiecerunt illis diebus Carmelitæ quædam Officia, vtpotè Inquisitionis hæreticorum, & executionis causarum, cum cura Monialium, quæ pro eo propagando Regno, cum prædicationis munere susceperant.* Quod duntaxat credendum de ijs Officijs, quatenus, & eo modo, quo paci, & quieti Religiosorum aduersari cernebantur, iuxta dicta sub anno 1261. non tamen ea ratione, qua Ecclesiæ ministerio, animarum saluti, aut fidelium vtilitati conducebant. A quo autem tempore hæc munera à nostris obita fuerint compertum non est, congruit sanè credere à tempore Beati Simonis — Status Ord. in Anglia.

nis Generalis, in illa Regione sanctitate clari, ea exercuisse. Quod suadetur ex Bulla Alexandri Quarti, quam sub præfato anno 1261. retulimus, in qua ab obligatione recipiendi talia officia nostros Religiosos exemit, quod signum est iampridem illa exercuisse.

Gulielmus Paghamus. 3 Inter eos autem, qui illa tempestate, & sub hoc anno similia munera iure obire poterant, clarus describitur Guillelmus Paghamus (alius ab eo, qui *Paganerus*, seu *Pagula* dicitur, florens circa ann. 1350.) natione Anglus, patria Cantianus, Doctor Oxoniensis, & Parisiensis, post Angliçæ Prouinciæ Prouincialis, & à Clemente Quinto Episcopus Medensis in Hybernia creatus, insignis doctrinæ, & ingenij præclarissimi (*diuinum* Lelandus appellat) multorumque voluminum Scriptor, quæ referimus anno Domini 1313. Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centur.* 3: Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 13.

Ann. Christi 1281. Martini 2 dicti 4. Rom. Pont. 1. Rodolphi Imper. Occid 8. Michael. Paleolog. Imperat Orient. 22. Petri Amilian. General. 9.

Martinus Papa. 1 ASsumptus est hoc anno die Cathedræ Sancti Petri, mensis Februarij, in locum Nicolai Tertij defuncti ad Pontificatum Martinus Secundus dictus Quartus. Cum autem Carolus Rex Siciliæ Gallorum petulantiam non repressisset, & Siculi, qui eam perpessi erant, tum ab ipso, tum à Pontifice Romano frustra auxilia postulassent, tandem superante patientiam magnitudine contumeliarum, auxilioque freti Palæologi Imperatoris Græcorum, & Petri Aragoniæ Regis, hoc anno in ipso festo Paschatis Gallos incautos vno temporis momento, quod *Siculus Vesper* vulgo dicitur, aggrediuntur, & nullo discrimine sexus, aut ætatis habito, occidunt, & mactant, Oppida, & Vrbes capiunt, classem, quæ in Siciliæ portubus contra Græcorum Imperatorem parata erat, occupant, & totum Regnum eidem Petro Panormum appellenti, & Siciliæ Regi salutato tradunt. Pontifex vero vniuersam Siciliam Sacris interdicit, & Petrum Regem excommunicatum declarauit. Æmilianus, Coriolanus Mariana, & plures.

Status nostrorum. 2 Nostrorum Fratrum in Terra Sancta commorantium status, hac tempestate miser satis, & calamitosus erat. Angebantur enim nedum cómuni miseria amissionis totius ferme Palæstinæ, quæ paucis Ciuitatibus exceptis, in Barbarorum manus tota deuenerat, sed & Ordinis Cœnobiorum euersionis, ex quibus iam pauca solum relicta erant, quæ Turcarum rabiem ferro, & igne cuncta deuastantium, experta non essent. Amiserant socios plures ab Infidelibus crudeliter interemptos, nec Ordinis Generalis consortio consolatione, & gubernio, nisi per litteras, & longo temporis

ris spatio interiecto, potiri poterant. Augebat etiam acriter mœstitiam, quod occasione Decreti Concilij Lugdunensis, de quo circa ann. 1274. diximus, aliqui non rectè illud capientes, nec intelligentes, eisdem solitam eleemosynarum subuentionem præstare renuerent. Quia tamen hoc in graue Terræ Sanctæ cedebat dispendium, in cuius subsidium ex prædictis eleemosynis partem deuotè consumebant, particula necessaria sibi solum relicta; ideo eiusdem Terræ Sanctæ Prælati, ac Magistri Hospitalis Sancti Ioannis, & Templariorum, litteras ad Summum Pontificem dederunt, de quibus in sequentibus dicemus; de ipsorum vetusta conuersatione in illis partibus egregium testimonium ferentes, postulantesque pro Ordinis roboratione, quæ Concilij Lugdunensis decreto aliquibus videbatur labefactata.

3 In Europę autem Prouincijs, longè, latèque Ordo diffundebatur. Pręter monasteria enim suscepta, de quibus superius visum est, hoc etiam anno Apulbyæ in Anglia Cœnobium construebatur, fundatoribus DD. de Vesci, Pertij, & Clifordę. Speculum Ordinis *fol. 60. pagina prima*. Idem habetur in Tabula Monasteriorum Anglię, quam sępius retulimus; vbi etiam quod titulo Beatissimę Virginis Marię Cœnobium istud, sicut & alia fermè omnia eius Regni, cognominatum sit. Apulbyense Cœnobium.

4 Rottemburgense etiam Monasterium Diœcesis Constantiensis in Germania, sub hoc anno inceptum; illud vero per tot casus, & tot discrimina hęresum, & bellorum, quę in ea Regione acciderunt, ad hęc fermè tempora, quando hęc scribimus, peruenit. Cum autem Fratres in ea commorantes Principi hęretico iuramentum fidelitatis, prout par erat facere recusassent, exules facti sunt, è propria Sede pulsi, & Monasterium prophanis sęcularibus traditum. Sic enim in relatione eius Prouincię, & Monasteriorum ipsius ad Reuerendissimum Generalem Theodorum facta, habetur: *Rottemburgense sub Serenissima domo Austriaca, Diœcesis Constantiensis, præcipuum fere Prouinciæ Monasterium, & bene reformatum, vtpotè, vbi Nouitiatus erat, & ad minus duodecim Religiosi commodissimè ali poterant, opera, studio, ac diligentia à Fr. Bartholomæo Eisclin Prouinciali renouatum, & redditibus, bonisque stabilibus non mediocriter auctum. Sueci nec molestarunt, nec occuparunt. Sed postquam Dux Vvitenbergensis Fridericus Iulius Prouinciam, seu comitatum Hohenbergensem, in quo præfatum Monasterium situm est, donationis titulo acquisiuit; à Prouinciali, & Fratribus ibidem degentibus, Iuramentum obsequij, à quo citra præscitum, & consensum præfati Ducis, nullus absoluendus erat, iteratis vicibus exegit, quo, vt par est, recusato, Religiosi memorati Conuentus, relictis omnibus, potius emigrandum, quam Principi hæretico homagium præstandum censuerunt; ac proinde die Dominica, quæ fuit secunda mensis Octobris pręter lapsi 1633. anni à Consiliarijs nuncupati Ducis vnà omnes eiecti fuere, quem hactenus vnus ex Consiliarijs cum Vxore, & liberis incoluere.* Hę sunt tragedię, quas hęreses, & bella Christianorum, ob temporalis dominij acquisitionem, seu augmentum, parturiunt; cum Ec-

clesię Catholicę incomparabili dispendio.

Capitulum Generale. 5 Eodem etiam anno, & Pentecostes die, noster Petrus Amilianus Generalis sui officij iura adimplens, Londonij in Anglia Capitulum celebrauit. Palæonydorus *lib. 3. cap. 9.* Eius acta sicut & aliorum eiusdem tempestatis, temporum iniuria, nostrorumve incuria, cum plurimis alijs Ordinis monimentis perierunt.

B. Franciſ. 6 Eadem fermè tempestate Francus ille noster Senensis, sui tyrocinij tempore expleto, tanquam Miles veteranus in Sacra Religionis Militia, sic contra hostes animę bellum gerebat strenuè, vt sanctioribus eiusdem alumnis iure accenseatur. Pauca ex multis quę Gregorius Lombardellus Dominicanus de ipsius sanctimonia scripsit, transcribimus, quibus & probis Religiosis vitę exemplar, & tepidis, aut frigidis, confusionis, & erubescentię incentiua ministrabimus: *A coctis cibis abstinebat semper, & pane vsi semel in die, cum paucis fructibus, leguminibus, aut herbarum radicibus. Tribus hebdomadæ diebus solo Sanctissimo Christi Corpore nutriebatur. Noctu, dieque diuinis Officijs, & illis, quæ propria Conuersorum munia sunt, assiduus assistebat. Lectulus nudum lignum, sacco etiam paleaceo exploso. Et, quod mirum, ac singulare, octo ferreis circulis pedes, quatuor alijs brachia, vno collum, ferèque totum corpus super nuda carne ferro, verè Miles Christi circumcingebat, ita vt dormiens, ambulans, quiescens tanto ferri pondere supra quam credi potest, nimium grauaretur*, Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap. 18.*

Ann. Christi 1282. Martini 2. dicti 4. Rom. Pontif. 2 Rodolphi Imperat. Occid. 9 Michael. Paleolog. Imperat. Orient. 23 Petri Amiliani General. 10.

Martini Papæ gesta. 1 Vrabat Pontifex Martinus sub hoc tempore, vt Siciliæ Regnum Carolo, qui pro eo recuperando in Gallias nauigauerat restitueretur. Petrus autem Aragonius pro ipsius conseruatione nouas ex Hispania copias expectabat, & Carolum ipsum, vetante Pontifice, ad singulare certamen per caduciatorem prouocabat. A piorum ergo cœtu eum Pontifex exclusit, & Regno Aragoniæ, & Valentiæ priuatum declarauit. Quo etiam tempore Rudolphus Imperator dictus, Alberto filio Archiducatum Austriæ contulit, vt proinde ad Habspurgenses Comites Austria deuenerit, et in eorum stirpe hactenus magna cum gloria perseueret. Nauclerus, Genebrardus, Æmilius, Bzouius.

De nostris Fratribus. 2 Quoad nostros attinet id historia dignum eo tempore accidit. Occasione enim grauaminis, quod in Syriæ partibus patiebantur de illis negata solita eleemosynarum subuectione sub prætextu decreti Concilij Lugdunensis perperam à quibusdam intellecti, de quo sub anno præcedenti diximus, cum hoc in graue Terræ Sanctæ dispendium, in cuius subsidium,

ex prædictis eleemosynis, particula necessaria sibi solum reseruata, partem aliam piè, & deuotè insumebant; vt huic malo remedium adhiberetur, sub hoc anno 23. Septembris ex Accone aliqui eiusdem Terræ Sãctæ Prælati, videlicet R. Nicosiensis Archiepiscopus G. Episcopus Ebronensis Patriarchæ Hierosolymitani Vicarius, & Guilielmus Tyberiadensis Episcopus ad Summum Pontificem Romanum litteras scripserunt pro Ordinis consolidatione, ipsiusque in partibus illis antiquitate testanda. Habentur in Speculo Ordinis *fol. 80. pagina prima*; illas etiam contra Vvi-clephum refert Thomas Vvaldensis *in suis Operibus*. Mirum tamen, quod scriptæ dicantur ad Bonifacium Octauum, cum ex earum Datis, scilicet anno 1282. & loco vbi scriptæ, videlicet Accone, ex ijs quoque, quæ in ipsis continentur, videlicet de subuentione pro Terræ Sanctæ subsidio postulanda, manifestè eliciatur, non ad Bonifacium Octauum, qui à tribus annis post Acconem, & totam Palæstinam subuersam, & à Barbaris subiugatam, assumptus fuit, pro anno scilicet 1294. cum Palæstina anno 1291. desperata fuerit. Quare ad Martinum hoc anno 1282. quo litteræ sunt scriptæ Papam, missas credimus. Erroris tamen ansam præbere potuit, quod Bonifacius Octauus fuerit, qui mentem Concilij Lugdunensis exponens Ordinem consolidauerit, verbum illud *in solido statu*, pro *in solito*, seu *suo*, si prius erat, substituens, harum forsan litterarum inter alias rationes, causa. Ipsarum ergo tenor, quoad eam partem, quæ nostro deseruit proposito, altera prætermissa, quæ tota est in malis, & calamitatibus Terræ Sanctæ referendis, hic est. *Credimus enim vos non ignorare, Pater Sanctissime, qualiter Ordo Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, qui inter cæteras Sacras Religiones Apostolicæ Sedis deuotas, claret deuotione conspicua, fuit in cismarinis partibus, à tempore, cuius non extat memoria à prædictis* (scilicet priscis, de quibus supra dixerant) *Patribus, in eiusdem Terræ Sanctæ solatium institutus. Cuius alis longe, latèque postmodum, opitulatione diuina extensis, fratres eiusdem Ordinis subuentioni eiusdem Terræ Sanctæ, deuotione penè ineffabili deuouentes, quæ manus pietatis subministrabat eisdem, tenui particula pro suis supportandis necessitatibus, retenta, fratribus domorum suarum præmissarum partium ministrabant, deuotius in sæpè dictæ Terræ subsidium conuertendum. Verum prætextu Constitutionis in Lugdunensi Concilio editæ fratres in aliquo contingentis eosdem, in eorumdem horto occultæ persecutionis succrescentibus spinis, ac per ipsas solitæ charitatis euacuato humore, passim ipsorum gramina exarescunt, in graue dispendium subsidij memorati. Quia licet ijdem fratres libenter sibi egeant, vt necessitatibus eiusdem Terræ abundent, nihilominus tamen extremæ necessitati ne pereant deesse non potuerunt, quæ nullius legis imperio est astricta. Cum ergo pro firmo teneamus, quod in Apostolicæ Sedis desiderijs super aurum, & topazion hoc existit præcipuum, vt Terra præfata multiplicatis subsidijs educta de seruitutis Ægyptiacæ fœditate, vt ipsa Christiana deuotio votiua potiatur lætitia, quæ diu languit sub dolore Sedis eiusdem; gratiam, & Sanctitatis vestræ misericordiam humiliter, & instanter flagitamus,*

quatenus obtentu illius, qui vt premittitur, Crucifixionis opprobria pro nobis in predicta Terra patienter tollerauit, dictorum fratrum, qui relictis omnibus sequuntur Dominum, & obsequuntur, eorundem inopiam releuantes, predictam Constitutionem sic dignemini moderari; quod nota vacillationis, que aduersus dictum Ordinem consurgit, ex ipsa omnino sublata idem Ordo robur prioris status resumat, & per consequens predicti fratres ad pristinam deuotionem populi restituti dona vberius suscipiant solite charitatis, participanda demum more solito subsidijs memoratis. Communibus enim auxilijs sunt iuuandi, qui publicum interesse laudabiliter prosequuntur. Valeat Sanctitas vestra, quam conseruet Saluator omnium Ecclesie sue Sancte per tempora longiora. Data Acconem anno Domini M.CC.LXXXII. die vigesimatertia mensis Septembris.

Notatle.

3 Expendat obiter in his litteris lector nostrorum in Syriæ partibus existentium vetustam institutionem, piam deuotionem, & sanctam conuersationem, ab his Terræ Sanctæ Prælatis apud Summum Ecclesiæ Pastorem satis commendari; vt vel hinc eliciatur inter tot eius Patriæ calamitates, & miserias, nostrorum internecionem, absentiamque Generalium, adhuc non fuisse eo tempore Carmelum desertum, nec Vrbes eius destructas, aut eius verticem Religionem nempè in eo ceptam, exsiccatum.

Vogelspurgense Cœnobium.

4 Eodem anno 1282. Vogelspurgense Monasterium *Montis Dei* nuncupatum, Diœcesis Herbipolensis in Franconia quatuor leucis ab Herbipoli distans, erigitur super Montem in loco amœnissimo: fertur in seditione rusticana iam nostris temporibus demolitum. Bartholomæus Eize olim Prouincialis Germaniæ Superioris in relatione de Monasterijs suæ Prouinciæ ad Reuerendissimum Theodorum Stratium Generalem.

Ann. Christi 1283. Martini 2. dicti 4. Rom. Pont. 3. Rodulphi Imperat. Occid. 10. Andronici Imperat. Orient. 1. Petri de Amiliani Gen. 11.

Casus huius anni.

1 MIchael Palæologus Græcorum Imperator, hoc anno obiens, locum cessit Andronico Palæologo. Celebre etiam illud duorum Regum, Petri scilicet Aragoniæ, ac Caroli Neapolis duellum, contradicente Papa hoc anno contigit. Sine sanguine tamen, quia Petrus insidias sibi paratas à Francis, in quorum Regione, Burdegalæ videlicet, duellatio futura erat iure metuens non adfuit; vel quia, vt alij scribunt, Carolus à mane vsque ad Vesperam in Monomachiæ loco adstitit, Petrus vero sub Vesperam aduenit, & Carolo non inuento eius contumaciam accusando recessit. Ignauiæ quidam id appingunt; alij prudentiæ, res sub lite. De qua Ciconius, Bzouius, & plures alij.

Oraculum B. Cyrilli.

2 Vtut res fuerit hic casus vaticinio B. Cyrilli in *Oraculo Angelico cap. 4.* iampridem à nonaginta annis prænunciatus fuit, illis verbis: *Tunc Draco*

ille magnus surgens de fouea, flatu adurens, & leo ipso ferox, cauda blandiens, altercati iamdudum, adinuicem statuent mutuo duellum committere, hoc pacto, vt solus præpotens laurea fungatur post palmam, Aries autem bicornis, cum Galliæ Sceptro versatili, cernentes astutè leonem triumphum non assequi ex trophæo, irritabunt certamen quorundam verborum sophismate. Quorum hæc est expositiò, iuxta Ioachimum Abbatem in Commentario super prædictum Oraculum. *Draco*, idest Rex Siciliæ, qui tunc erat prædictus Petrus, qui etiam Aragoniæ: *& Leo*, idest Rex Neapolis, tunc Carolus, *altercati iamdudum*, idest, post multa prælia, *statuent mutuo duellum*, &c. quod ita contigit. *Aries bicornis* Summum Pontificem denotat, qui duplici potentia, & virtute, spirituali, & temporali, quasi duplici cornu fulget. *Galliæ* vero *Sceptrum versatile* Regem Franciæ significat, qui duellum impedire curabant, vt habetur illis verbis *irritabunt certamen*, &c. Illud porro; *Quorundam verborum sophismate* denotare videtur explicationem aliquam, quam Papa, & Rex Francus dabant verbis diffidationis, vel acceptationis duelli, quæ inter duos hos Reges interuenerant.

5 Pars etiam alia eiusdem Oraculi Angelici Beati Cyrilli eodem anno adimpleta fuit, nempe: *Paulo post Catulus Leonis in classe apprehendetur, & vinculis ferreis vincietur vsque ad tempus, & tempora.* Cum enim Rogerius Doria Calaber Petri Regis classis Dux ante Neapolim cum classe consedisset, quasi ad pugnã Gallos prouocans, Carolus Salerni Princeps Caroli Regis filius, qui propterea *Catulus Leonis* dicitur, absente Patre in hosté classem suam mouens, magnam cladem passus, viuus capitur, & in Siciliam primum, deindè in Aragoniam adducitur. Æmilius, Blondus, Ciaconius, & multi alij. Verum quoque, & illud eiusdem Beati Cyrilli in suo Oraculo prænunciatum: *Leo quoque postmodum morietur, & Draco post illum intumulabitur.* Sequenti enim anno Carolus Pater Neapolis Rex morbo correptus decessit, & Petrus in prælio vulneratus viuere etiam desijt. Alia pars Oraculi.

4 Similes fermè litteras illis, de quibus sub anno præcedenti diximus, eadem etiam de causa hoc eodem anno 1283. ad eumdem Summũ Pastorem dederunt, Nicolaus Longinus Magister Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac Guillelmus de Belloloco Magister Templariorum, in quibus similiter pro antiquitate, & deuotione Ordinis nostri in Terræ Sanctæ partibus egregium fecere testimonium. Postulantes insuper pro Ordinis roboratione, quæ Concilij Lugdunensis decreto aliquibus videbatur labefactata. Incidit etiam in his litteris similis, ac in præcedentibus error, quod scilicet ad Bonifacium Octauum transmissæ in titulo dicantur, cum tamen ex loco, & tempore Datarum, videlicet Accone, & anno 1283. ac ex ipsarum contextu manifestè habeatur, non ad prædictum Bonifacium, sed ad Martinum Papam descriptas, propter ea, quæ sub anno præcedenti diximus. Causa etiam erroris in vtrisque litteris eadem fuit. Habentur autem in eodem Speculo Ordinis *fol.* 80. & apud Thomã Vvaldensem superius relatum. Harum ergo litterarum pars, quæ Aliæ litteræ Prælatorum T. S.

nostrum

nostrum concernit intentum, ea omissa, quæ in ope à Sanctissimo postulanda pro Terræ Sanctę subsidio moratur hæc est. *Inuenimus siquidem in nostrę memoriæ tabula exaratum, quod Ordo fratrum Beatæ Marię de Monte Carmeli in cismarinis partibus à tempore, quo memoria non existit, à prædictis* (priscis videlicet, de quibus supra mentionem fecerant) *Patribus, in eiusdem Terræ solatium extitit institutus, cuius alis opitulatione diuina extensis fratres eiusdem Ordinis subuentioni dictæ Terræ se deuotius deuouerunt. Verum prætextu Constitutionis editæ in Lugdunensi Concilio fratres prædictos in aliquo contingentis, euacuato solitæ charitatis humore, passim ipsorum germina exarescunt in graue dispendium spiritualis subsidij memorati. Nam licet ijdem fratres libenter sibi egeant, vt necessitatibus eiusdem Terræ abundent, nihilominus tamen extremæ necessitati ne pereant deesse non poterunt, quæ nullius Legis imperio est astricta. Nos ergo propulsa cunctatione tenentes, quod in Apostolicæ Sedis desiderijs super aurum, & topazion hoc existit præcipuum, vt Terra præfata multiplicata subsidijs, educta de seruitutis Ægyptiacæ fæditate, in ipsa Christiana votiua potiatur lætitia, quæ diu in illa languit sub dolore Sedis eiusdem; gratiam, & Sanctitatis vestræ misericordiam humiliter imploramus, quatenus obtentu illius, qui, vt præmittitur, crucifixionis opprobria pro nobis in prædicta Terra patientius tollerauit, prædictam Constitutionem sic dignemini moderari, quod nota vacillationis, quę aduersus dictum Ordinem consurgit, ex ipsa sublata, idem Ordo robur prioris status resumat, & per consequens prędicti fratres ad pristinam deuotionem populi restituti dona vberius suscipiant solitæ charitatis. Conseruet vos Deus Ecclesiæ suę Sanctæ per tempora longiora. Scriptum Accon 12. die mensis Iulij sub anno Domini 1283.*

Ann. Christi 1284. Martini 2. dicti 4. Rom. Pont. 4. Rodolphi Imperat. Occid. 11. Andronici Imperat. Orient. 2. Petri Amilian. General. 12.

Obitus Regum.

1 PLurium Christianitatis Regum obitu hic annus, vel saltem, vt alij credunt, ipsi proximus; notabilis fuit. Primo etenim Carolus Neapolis Rex è vita decessit, malorum tædio, caprique filij dolore confectus, quem Regni Successorem declarauit. Deinde Hugo Lusignanus Rex Cyprius, Ioanne successore relicto, defunctus est. Alphonsus Rex Castellæ Hispali ex morbo vitam finiuit. Petrus autem Aragoniæ Rex apud Villam Francam ex vulnere accepto in conflictu à Gallis interijt. Philippus tandem Galliarum Rex, Perpiniani vltimum diem clausit. Æmilius, Gordonus, Mariana, & alij.

Capitulum Mediolaneñ.

2 Interim Petri Amiliani Generalis prouidentia hoc eodem anno Mediolani in Lombardia, in die Pentecostes, Synodus Generalis Ordinis habita fuit. Palæonydorus *lib. 3. cap. 9.* Franciscus Cherascus *in Cathalogo*

de Ge-

de Generalibus Ordin. Quid vero in hoc Capitulo gestum nec ipsi, nec alij referunt. Ex his tamen, quæ hoc tempore acciderunt colligi datur tractari ceptum in eo de mutatione variatarum Capparum in albas, Sedis Apostolicæ licentia facienda. Quo autem anno id effectum fuerit, in sequentibus dicimus.

3 His annis, post assumptum à Beato Franco Sacrum Religionis Habitum, inter alia quibus à patre luminum decorabatur dona, illud vnum fuit de Cælesti quadam visione Iesu Crucifixi, quæ multa in ipso spiritalia Charismata pietatis, & deuotionis erga ipsum Crucifixum adauxit. Huic anno casum appingimus certi temporis ignari. Quadam ergo Veneris die dum Sacræ Christi Passionis mysterijs attentus meditatione vacaret, extemplo illi apparuit ipse clauis Crucifixus, spinea in capite corona, lancea latere vulneratus, totusque sanguine fluens, dicens: *Vide France, quid pro homine patiar, & cogita quam ingratus sit tam acerbę passioni.* Quibus Francus, ac si sibi soli dictis motus, continuo ferrea catena totum vsque ad sanguinem corpus vehementer flagellando pro sua, & aliorum salute nimium affligebat. Crucifixi etiam effigiem, quam sibi fabrefecerat manu, pectore, oculisque continuo gestans, glorioso hoc veluti stemmate decorabatur, vt propterea quidam sic eum descripserit: *S. Francus de Senis, Crucem Domini nostri Iesu Christi iugiter in suo corde portans.* Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap. 19. & 20.* De B. Franco

4 Eadem etiam tempestate alia Beatæ Virginis visione clarus idem Francus fuit. Dum enim de suorum peccatorum remissione tremulus quandoque formidaret, eamdem Sanctissimam Virginem pro adiutorio interpellans, quadam die Sabbati, maiestate, & gloria plenam, ipsum leniter, & blandè alloquentem, ac de sua salute sollicitum consolantem videre meruit. Dum hac cælesti fruebatur gratia, Franci cellula, vbi morabatur, tali luminis splendore ob Reginæ Angelorum præsentiam coruscabat, vt quidam ignis incendium putantes ad Monasterium pro extinctione accurrerent. Cessat visio; & ne magnitudo reuelationis Francum extollat, vltro ipse flagellis, spinis, tribulis, ferreisque thorace, ac circulo pro capitis operimento carnem suam asperrime affligendo spiritui subijcebat. Gregorius Lombardellus *supra, cap. 21. & 22.* Cum autem ex vetusta Conuentus Senensis traditione habeatur, ipsum in quarta cellula primi dormitorij habitasse, facilè credi potest hanc cellulam fuisse, in qua ijs casus contigit. Præsertim, quia in ea cernitur deuota quædam Beatæ Virginis Imago, ad cuius pedes orasse dicitur. Casum porro huius visionis sic refert manuscript. Anonymus de vita eiusdem Franci. *Maria vero Dei Genitrix iterum Franco apparuit fulgentissimis emicans splendoribus; adeo, vt cella, in qua morabatur, tota ardere videratur: quam sanè flammam circumquaque luminosam multi ex vicinis intuiti sunt. Virgo interea seruum Dei compellans, precibus, inquit, meis, peccata tua sunt tibi dimissa. At ille ad illius vocem apprimè commotus, horridiorem pœnitentiam agere* Alia visio.

exco-

excogitauit, ferreum itaque circulum capiti inseruit, superne ferream Crucem, ne in genas laberetur habentem; nec ferrea cingi catena (vt supra diximus) contentus, verum ad nares anulum, & plumbeam nucem ad olfatum comprimendum castigandamque linguam gestabat, Hæc ille.

Ann. Christi 1285. Honorij 4. Roman Pontif. 1. Rodolphi Imperat. Occident. 12. Andronici Imperat. Orient. 3. Petri Amiliani Gen. 13.

Honorius 4. Papa.

1 AD quintum Kalendas Aprilis huius anni, sancto fine Pontifex Martinus excessit, in defuncti locum succedente Iacobo Sabello, Honorio Quarto dicto, & ad 7. Kalendas Maij inaugurato. Hic quam primum nihil non egit; vt Iacobum Petri Aragoniæ occisi filium è Sicilia eijceret, Regnumque, & libertatem Carolo filio demortui Caroli restitueret, quod tamen impetrare non potuit resistente sibi Alphonso Aragonum Rege. Platina, Honuphrius, & Bzouius, cum alijs.

Viterbiensis Conuentus.

2 Inter varios Ordinis Conuentus, qui hac tempestate à nostris habitari ceperunt, Viterbiensis quoque in Prouincia Romana, congruè referri potest. Etsi enim eius exordialis origo omnino ignoretur; quia tamen constet aliqua legata hoc anno eidem Conuentui à pijs fidelibus facta fuisse, ideo huic tempori adijciendus. Gaudet Ecclesia titulo Sanctissimæ Conceptionis Deiparæ. Maior notitia ex eo non habetur, ob combustionem Archiuij Ciuitatis. Hæc verò extraximus ex relatione Conuentuum Italiæ ad Innocentium Papa Decimum.

Mutatio Capparum.

3 Sub hoc Pontifice Honorio Quarto, & anno primo sui Pontificatus id noui accidit in Ordine nostro, quod scilicet cum pallia barrata, quæ ab an. 639. vel 642. iuxta dicta Tom. 3. Annal. sub eo tempore, in vsu erant, non satis congrua viderentur Religiosis, qui iam totum ferme per Orbem fundebantur, ideo, procurante Petro Amiliano Ordinis Generali, Honorio Papæ supplicatum fuit per Dominum Geruasium, tituli Sancti Martini in Montibus Cardinalem Presbyterum, vt huiusmodi Pallia in decentiorem Habitum commutari permitteret. Annuit Pontifex viua voce solum, non confirmans hoc litteris morte præuentus. Ioannes de Malinis *in Speculo Historiali cap. 9.* Ioannes de Vineta *in Tractatu*, qui est cum Speculo Ordinis *fol. 59.* Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 9.* & alij Historici Ordinis. Ideo autem ad Summum Pontificem pro talium Capparum mutatione recurrendam Palres nostri censuerunt, quod in decreto Concilij Lugdunensis, quod attulimus pro anno 1274. expressè cautum videbatur, *ne aliquis Habitum nouæ Religionis assumeret*. Ioannes de Vineta, *vt supra*. Casum autem sic refert Apostata Balæus *in Cathalogo*

Scripto-

Scriptorum Brittann. Centur. 4. post Ioannem BecKton loquens de Honorio Quarto: *Carmelitanis sepositis vestibus stragulatis, seu pallijs barratis album assignauit amictum*. Paulus Langius *in Chronic.* Citizensi *circa ann.* 1286. cappas à nostris sub hoc tempore dimissas rotundas, & breues appellat, quas dicit in albas, & amplas mutatas. Sed nostris Historijs, & veritati aduersatur. Solum enim barratas Cappas in albas mutari à Pontifice Summo requisierant, & impetrarunt, vt etiam de exteris fatentur Orlandus de Malauolt *in Histor. Senarum lib.* 4. Bzouius *sub anno* 1287. *num.* 5. Gualterius *in Chronograph. secul.* 13.

4 De hoc autem anno, Capparumque mutatione, Henricus Pantaleon *in Historia Ordinis Ioannitarum Rhodiorum lib.* 2. hoc protulit testimonium animaduersione dignum: *Eodem anno Melechsaites quoque Carmelitarum familiā tota Syria eiecit, idque leuissimam ob causam. Carmelus est Mons in Syria, Eliæ, Elisei, & aliorum Prophetarum inhabitatione nobilis. Hunc locum sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha insederant Anachoritæ, ac cum sparsim circa Montem agitarent, tandem conuenerunt ad fontem, qui Eliæ dicitur in Montis cacumine, ac Phanum, & Cœnobium construxerunt, vni, qui honesta præcipiebat, humiliter parendo, sine tamen certo instituto, sine peculiari ritu, sine cæremonijs. Albertus post Hierosolymitanus Patriarcha (sub Innocentio Tertio Pontifice) Patriarcha, & Legatus, certas obseruationum Regulas præscripsit, addidit, & vestitui normam, Pallium scilicet versicolorem ex albo, & canusino circulatum: asserens, Eliam eiusmodi cultu ornatum incessisse, ac S. Basilium ea viuendi forma vsum fuisse. Erat hic Propheticus Pallij habitus non solum Christianis, sed etiam Barbaris gratissimus, vt tota familia magnis Soldani eleemosynis sustentaretur, & locupletaretur. Sed Pontifici Romano Honorio, eius nominis quartus, non admodum probabatur quasi versicolor habitus Religioni non conueniret. Igitur illis Pallium album datum, itaut sub eo canusiati essent, atque vterque color illis retineretur. Quod vbi factum Melchsaites resciuit, tanta ira exarsit, vt congregatis copijs Cœnobium inuaderet, expulsisque omnibus, & Phanum, & Cœnobium incendio destrueret. Repullulauit hæc familia breui in omnibus Regionibus Christiani nominis, adeo, vt aliquot millia Cœnobia huius Ordinis extare dicantur.* Hæc ille, falsa veris admiscens, sicut & illo tempore nostrorum Pallia albis, & grisseis circulis versicoloris erant; cui similia fermè Ioannes Heroldus *in continuata histor. de Bello Sacro lib.* 5. *cap.* 3. ita vt vnus ex alio verba, vel sententias, mutuasse videatur. Vtrumque tamen in multis defecisse facile comprobatur. Pantaleonis opinio.

5 Primo etenim, hoc anno Fratres nostros variata Pallia reliquisse, verum non est, etsi enim à Papa Honorio facultatem sic faciendi impetrauerint, vsque ad annum tamen 1287. in Capitulo Generali (prout æquum erat) re maturè discussa, id actum non est. Falsum etiam, hoc anno Fratres nostros à Syria pulsos, nec enim id nisi post aliquot, contigisse, pro comperto habetur. Quod subiungitur de Fratribus nostris in Eremo Carmeli agitantibus sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha, Reijcitur.

in vnum congregatis, error est in historia; cum sub Haimerico Antiocheno Patriarcha id acciderit, iuxta dicta circa ann. 1141. Sed Haimerici, & Almerici nomina similia erroris ansam præbuerunt his auctoribus. Quod dicitur Carmelitas ante Albertum sine peculiari ritu, aut cœremonijs vixisse, res sanè grata hæreticis est: id enim hominum genus Monastices antiquam vetustatem auersantes facilè in hanc sententiam deueniunt, prout fecit Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centur. 2. in append. ad Florentium Brauonium*. Veritas est, ante Albertum Carmelitas Religiosa vita deguisse, ac perinde ritu, & cœremonijs ad eum statum necessario requisitis, ita vt ille non institutor, sed restaurator; non fundator, sed excitator ipsorum dici debeat, iuxta dicta circa ann. 1205. Consulenda, & quæ diximus circa ann. 1181. Vltimo, quod dicitur de barratis Cappis nostris ab Alberto concessis, correctione etiam eget; talium enim Palliorum vsus antiquus valde in Religione fuit, ab ann. scilicet 639. vel 642. iuxta dicta superius, & propter ibi assignatam rationem. Omittimus tandem, in eo quoque à vero deuiasse hos Authores, cum Capparum permutationem Honorio Papæ attribant, quasi ipse non ad instantiam Ordinis, sed proprio motu illam fieri iusserit. Sic facilè errant, qui in alienas historias subintrant.

Ann. Christi *1286.* Honorij *4.* Roman. Pontif. 2. Rodolph. Imperat. Occid. *13.* Andronici Imper. Orient. *4.* Petri Amiliani General. *14.*

Honor. Papæ gesta.

1 Condemnauit hoc anno Pontifex Honorius Ordinem quemdam Mendicantium *Apostolicum* vocatum, qui post Generale Lateranense Concilium, & ante Lugdunense, habitum nouæ Religionis assampserant, quamquam nullam aliquando Sedis Apostolicæ confirmationem meruissent. Iacobum etiam, & Alphonsum Petri Aragoniæ occisi filios, quod Iacobus Siciliæ Regnum occuparet, Alphonsus autem Carolum Regem in vinculis haberet. Bzouius *sub hoc anno numero 1. & 2.*

Ordinis confirmatio.

2 Ordinem tamen nostrum hoc eodem anno, qui secundus erat Pontificatus, Honorius Papa confirmauit. Sic enim habet Ioannes Grossus Generalis *in Viridar Carmelit. Claui 2.* & de exteris Paulus Langius *in Chronic. Citizensi sub hoc anno*, Onuphrius Panuinus *sub Honorio Quarto*, Marcus Guazzus *ibidem*. Bzouius *sub anno 1287. num. 5.* Orlandus Malauolti *in histor. Senarum lib. 4.* Gualterius *in Chronolog. sæculo 13.* quibus accedunt Platina, & Ciacon. licet eorum verba in iudicium vocanda, & ad veritatis trutinam merito trahenda sint.

Platinæ placitum.

3 Ergò Platina postquam de Honorio dixerat, quod fuerat *omni vita proba-*

ta probatissimus, & Christianæ Religionis amantissimus, pro causa subiungit. *Nam & Ordinem Carmelitarum non satis in Concilijs probatum, mutatis chlamydibus nigris in albas, & Ordinem Eremitarum apud Parisios improbatum confirmauit*. Ciacconius vero sic. *Honorius Quartus Ordinem Eremitarum, qui Carmelitæ dicti sunt, & in Gallia Sacculi vocabantur, vt Victoriani Annales referunt, non satis adhuc ab Apostolica Sede probatum, confirmauit, & eorum chlamydes, quæ ex albo panno fascijs pullis intertextis variatæ erant, tanquam minus conuenientes, & Christianis oculis minimè gratas, albas, sublatis ijs virgulis, eos deferre iussit. Horum Princeps, siue Conditor, Albertus quidam Herosolymitanus Patriarcha, cum Christiani Syria potirentur, qui diu sub Carmelo Monte, à quo nomen traxerunt, incoluerant, sub Regula Sancti Basilij. Eum Ordinem Innocentius Tertius in Concil. Lateranensi permisit, Honorius Tertius confirmauit, Innocentius Quartus Hugoni Cardinali tituli Sanctę Sabinæ Ordinis Prædicatorum mandauit, vt quasdam leges eorum institutis adderet, quas ipsi obseruarent. E Syria vi à Sarracenis pulsi, totum Occidentem repleuerunt, & multa Cœnobia construxerunt. Ferunt Sultanum Ægyptium eos à Carmelo exegisse, cum intellexisset, primum Habitum Papę iussu illos mutasse, cum illum tamquam ab Elia, & Eliseo manantem venerationi habuisset*. Hæc ille.

4 Quod attinet ad Platinam in eo primum defecit, quod nostros Carmelitas mutasse dicat chlamydes nigras in albas. Nunquam enim ipsi nigris vsi sunt pallijs, sed variegatis, nec aliquis Authorum id somniauit. In eo quod dicit, Honorium Ordinem nostrum *confirmasse, non satis in Concilijs probatum*, quærendus est, an pro Religionis approbatione Conciliorum calculus exigatur. Si annuat; vlterius interrogandus, quæ Concilia antiquissimas Religiones Basilij, Benedicti, Bernardi, Chartusiæ, & alias approbarunt? & cum ea assignare nequeat, absdubiè sine causa Carmelitanum Ordinem à Concilijs approbari petet. Et sanè, sicut constanti Theologorum assensu didicimus, quod ante Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio Episcoporum approbatio pro Ordinibus sufficiebat, sic quod semper Papæ confirmatio sufficientissima sit. Cum ergo Carmelitarum Religio ab Honorio Tertio, Gregorio Nono, Innocentio Quarto, Alexandro Quarto, Vrbano Quarto (vt antiquiores Alexandrum Tertiũ, Innocent. 3. in Concil. Lateranensi omittamus) approbata constiterit, vt ex superioribus liquet, non est cur Conciliorum approbationem Platina à nobis requirat, cum Papæ authoritas, nedum Concilio æqualis, sed & superior sit. Credimus sanè mentem huius Authoris fuisse in Concil. Lugdunensi non satis approbatum nostrum Ordinem extitisse. Hoc enim sensu Paulus Langius vt supra dixit: Honorius Quartus *Ordin Carmelitarum, non satis in Concilio* (intellige Lugdunensi) *approbatum confirmauit*. Sed quid de hoc sentiendum in superioribus circa ann. 1274. liquido constat, vbi ostendimus sufficienter in prædicta Synodo approbatum Ordinem nostrũ fuisse, nec de eo vllum scrupulum in posterum superesse post additam explicationem à Bonifacio Octauo, & in Iure insertam. Quod tandem de

Platina corrigitur.

Ordine Eremitarum Sancti Augustini vlterius Platina adiunxit, doctissimè à Ioanne Marquez eiusdem grauissimæ familiæ Magistro insigni *in libro de Orig. Fratrum Eremitarum Sancti Augustini cap.* 14. §. 9. discutitur, vt nostra non egeat propterea discussione. Quomodo autem explicari, & excusari possint Platinæ verba contra duos Ordines præfatos sic prudenter exposuit Seuerinus Binius *in vita Honor.* 4. *in* 2. *par.* 3. *tom. Concil. in Impress. Colon. pag* 1502. *Non quod illi celeberrimi Ordines demum huius Pontificis ætate sua initia acceperint, sed quod ex obscuris Asiæ latebris erumpentes magis innotuerint, ac in Italiam, aliasque Europę partes se se effuderint, fęliciusque increuerint sub Apostol. Sedis clientela, & patrocinio constituti.* Sic igitur Platina limandus.

Ciacconius. 5 Ciacconius multa in verbis relatis correctione digna protulit. Primum, id, quod ex illis Annalibus Victorianis refert, nostros scilicet in Gallia *Sacculos* vocatos. Tale namque cognomen nec nos, nec Patres nostri vnquam audiuimus in Gallijs, aut alijs Regionibus; quorsum ergo tale figmentum? Quod subiungit, secundo de Ordine nostro ante Honorium Quartum *non satis à Sede Apostolica probatum* (quod etiam scribit Bzouius *sub anno* 1287. *num.* 5. præterquam ex dictis falsitatis conuincitur, vbi septem Summos Pontifices approbatores, & confirmatores Ordinis, seu Regulæ ante Honorium Quartum retulimus; possemus quæ etiam duos Patriarchas, Antiochenum, & Hierosolymitanum Sedis Apostolicæ Legatos, qui id fecerunt referre; vlterius, reijcitur, cum ex verbis ipsius Ciaconij fatentis Honorium Tertium illum confirmasse: perperam enim dicitur Ordinem ab vno Papa confirmatum *non esse satis à Sede Apostolica probatum*: cum vnius Papæ authoritas tanta sit, quanta plurium; tum etiam ex ijs quæ *circa ann.* 1274. & decretum Concilij Lugdunensis, iuxta correctionem per Bonifacium Octauum factam, superius scripsimus. Pari etiam pacto reijcitur Bzouius, ipse enim *sub anno* 1217. *num.* 12. fatetur Honor. 3. eo anno Ordinem, & sub anno 1248. *num.* 7. Innoc. 4. Regulam approbasse. Non ergo hoc tempore Honorij Quarti dici potuit Ordo non satis à Sede Apostolica probatus. Corrigendus, & Ciaconius, cum inquit, Albertum Hierosolymitanum Patriarcham nostrum Principem, & Conditorem extitisse, cum solum restauratorem, excitatorem, seu Legislatorem fuisse, liquido constet ex dictis circa ann. 1205. Nec etiam affirmari potest nos sub Regula Sancti Basilij degere, ab eo, qui Regulam ab Alberto nobis datam legerit. Ibi enim clare comperiat Authorem Regulæ ipsum extitisse, & eam Religiosis iam primum vita Regulari degentibus, & ipsis postulantibus tradidisse. Vltimum, quod de legibus ab Hugone Cardinali nostris Institutis additis dicit, sic moderandum est, quod scilicet Dominus iste Cardinalis, & Guillelmus Anteradensis Episcopus iussu, & commissione Innocentij Quarti, & ad nostræ supplicationis instantiam, vt & Pontifex in Bulla declarat, Regulam nobis à Beato Alberto concessam declarauerint, correxerint, ac mitigauerint, præter quam

decla-

declarationem, correctionem, & mitigationem, ac præceptum illam obseruandi, alias leges à prædictis nobis impositas non agnoscimus; nec de hoc aliquod vestigium in Ordine reperimus.

6 Constat authentico Instrumento Originali in membrana facto, concessum esse sub hoc anno 1286. fratribus nostris Gandaui commorantibus terminum Territorij de *Berfele, & Berlant*. Verum quia de loco, in quo erant, vel quo anno ceperint ibi habitare non constat, ideo pro sequenti anno, quo donatio alia pro Monasterio constituendo facta est, huius clarissimi Cœnobij primordia recensemus. Gandauen. Conuentus.

7 Eodem insuper anno clarus prophetico spiritu Beatus Francus Senis ostendebatur, Cum enim post prædicationem Beati Ambrosij Sansedoni, cui interfuit, ad Monasterium suum reuersus, largius solito quadam die plangeret, de causa tanti fletus rogatus, eam respondit esse, quod prædictus Ambrosius breui è vita decessurus esset. Gregorius Lombardellus *in vita* B. *Franci cap.* 26. Quod ita accidit, nam pro 13. Kalendas Aprilis eiusdem anni, animam Deo reddidit. Bzouius *sub hoc anno num.* 8. De B. Fráco

Ann. Christi 1287. Honorij 4. Roman. Pontif. 3. Rodolphi Imperat. Occid. 14. Andronici Imperat Orient. 5. Petri de Amiliani Gen. 15.

1 PRæsenti anno 1287. ad tertium nonas Aprilis Honorius Papa desijt esse inhumanis, nec vsque ad annum sequentem, pro mense Februarij, Pontifex aliquis electus, morbo, Cardinalibus electoribus oppressis. Honuphrius, Platina, Genebrardus, & Ciaconius. Inter Cardinales porro ea Sede vacante mortuos numeratur Geruasius Giancolettus, qui, vt in superioribus scripsimus, pro nostrorum pallijs barratis in alba permutandis Honorium Papam interpellauit, quemque nostri Ordinis Protectorem autumamus. Sepultus est in Ecclesia sui Tituli, videlicet, nostra, Sancti Martini de Montibus. Ciaconius in *Honorio Quarto*. Obitus Honorij.

2 Celebris valde, & notabilis mutatio fuit, quæ hoc anno, & interpontificio Honorij Quarti, circa capparum barratarum, seu virgulatarum variationem in Ordine nostro contigit. Etsi enim à multis sæculis; ab anno videlicet 639. vel 642. earum vsus communis toti Ordini fuisset, vt diximus sub anno 1285. ex dictis in tertio Tomo, quia tamen in Europæ partibus multis, incongruæ viris Religiosis, alijs, minus gratæ viderentur, alijs vero, vt insolitæ non admodum probarentur, ideo Pontificia facultate, vt sub eo anno 1185. diximus, impetrata, re que matura discussione perspecta (cum præcipuè Patres animaduerterent albarum chlamydum Barratarum Capparum mutatio.

vsum

vsum vetustissimum apud nostros fuisse, vtpotè à SS. Prophetis Elia, & Eliseo, filiisque Prophetarum mendicatum; nec versicolores cappas in Ordine introductas, nisi barbari Mahometani Principis tyrannico cogente imperio) in Capitulo Generali in Monte Pesulano, die Sanctæ Mariæ Magdalenæ sub Petro Amiliano Generali celebrato, alba pallia, barratis, seu variegatis dimissis in Ordine toto resumenda esse decretum fuit, & statutum. Conuenerant ad hoc Capitulum, in quo de re grauissima agendum cernebatur, Prouinciales Terræ Sanctæ, Siciliæ, Prouinciæ, Thusciæ, Franciæ, Alemaniæ, Lombardiæ: Aquitaniæ, Angliæ, Hispaniæ, & Hiberniæ, ac idcirco communi calculo noua mutatio recepta est. Additum est, & pallio eiusdem albi coloris caputium, quod vsque in præsens totus Ordo gestat, De habitus tamen colore, nihil immutatum, multo minus de Scapulari, quod vt prius pro speciali habitu Ordinis reseruatum fuit. Et meritò sanè, cum illud, maximè post visionem Beatissima Virginis Beato Simoni facta, de qua sub anno 1251. diximus, nedum specialis Ordinis habitus, sed singularis Carmelitarum fratrũ, & confratrum thesera, & nota iure habeatur. De hac palliorum mutatione communiter agunt historici Ordinis, specialiter Ioannes Grossus *in Viridario Claui* 2. Ioannes de Malinis *in Speculo historiali cap.* 9. Arnoldus Bostius *lib.* 7. *Specul. histor. cap.* 28. Palæonydorus *lib.* 1. *cap.* 9. & alij.

Palæonydori placitum.

3 Subiungit Palæonydorus, in huiusmodi capparum mutatione adimpletam fuisse B. Hildegardis prophetiam, quæ in lib. de nouissima Christianæ fidei persecutione *cap. filia Sion*, inquit: *Venient aqui varij coloris, quorum egressio ab Oriente in Occidentem, sed mutato vellere paulatim incedent. Horum progressio ab Occidente in Orientem, hi primi, & nouissimi.* Huiusmodi autem Hildegardis prophetiam vsque modo non vidi: si vero extat, satis congrue exponitur de Ordine nostro prout Palæonydorus, inquit. Alia subiungit Bostius *cap.* 29. referens visionem Beatissimæ Virginis, qua satis ostendit quantum sibi placuisset reassumptio noua albarum capparum: & ita sub anno sequenti, quo forsan contingerunt, à nobis afferentur.

Gandauen. Conuentus.

4 Gandauensis Conuentus sub hoc eodem anno (teste Ioanne Baptista Grammaiæ in antiquitat. Gandensi) Ordini nostro concessus: fundum pro Monasterio donante Fratribus, iam tum Gandaui, sed ex conducto habitantibus, Abbate quodam Cambronensi. Erat primo Cœnobium in ea Ciuitate, vel prope, licet à quo tempore, vel quo loco sit incertum, iuxta dicta sub anno præcedenti. Præsentis autem Cœnobij structura præclara est, & magnifica, nulli Ordinis nostri in Belgij partibus cedens. Ipsumque illustrarunt plures conspicui nominis Patres, qui in eo, diuersis temporibus claruerunt. quales sunt Ioannes Triuch Poeta, Philippus Kersbellus, vir exquisitæ doctrinæ, Ioannes Aldeburgius, multa scientia præclarus, Arnoldus Bostius, vir diuinarum, ac sæcularium litterarum cognitione ferè summus, quem sæpius referimus ex varijs Manuscriptis, quæ in Ordine extant, Petrus Bruyne Conuentus Prior, Iacobus Reimolanus

Mathe-

Mathematicus, Rhetor, & Poeta, Ioannes Diophylax, iuuenis ad poesim natus, Magister Hadrianus Vandem, Ioannes Heda, Ægidius Ricardus Lector Apostolicus in Sapientia, Iacobus Gualterus Astronomus, Petrus Falco Schoorislius, Liuinus Molinæus, Ioannes Meyerius, Bartholomæus Martini, Daniel de Papę, Iacobus Assonuillæus, & Leo de Lay vir pijssimus, & sanctitatis opinione clarus. Decoratum etiam fuit hoc Cœnobium brachio Beati Simonis StocK, ligno Sanctæ Crucis, quod è Gerardi Montensi D. Hadriani Abbatia allatum donauit Religiosis vir Illustris Guillelmus de Poppato Eques Consiliarius Caroli Burgundionis Ducis, & parte corporis Sancti Alberti. De his Antonius Sanderus *in histor. Gandaui libro 5. cap. 7.* Et relatio Prouinciæ Belgicę, etsi paulo aliter fundatio huius insignis Cœnobij ibi describatur contra Ioannem Baptistam Gramaye.

5 Norimbergense etiam Monasterium hoc eodem anno à nostris habitum in Germania; prout Augustinus Biscarretus in lib. cui titulus *Palmites Vineæ Carmeli*, dum de Sancto Alberto Drepanensi agit, scripsit. Quod sicut cœtera Germaniæ loca iacturam fecit. Etenim postmodum tempore ante transactionem Passauiensem, quando Germania auitam fidem paulatim deserere cęperat, occupatum fuit à Magistratu illius Ciuitatis Imperialis. Pauca proinde extant, quæ de eo producantur monumenta. Anno 1629 scimus quod quidam Doctor, licet hęreticus, benè tamen erga Cæsarem, & Ordinem affectus, ex libro *Compositio pacis* intitulato, Dilingæ impresso, validissimis probauerit argumentis, Monasteria etiam ante transactionem Passauiensem occupata, primis possessoribus omnino esse restituenda. Id fiet, Deo Duce, quando Catholici Principes inter se vniti, hæreticis aduersantibus, vt decet, obsistant.

Norimbergense Cœnobium.

Ann. Christi 1288. Nicolai 4 Roman. Pontif. 1. Rodolphi Imperat. Occid 15. Andronici Imperat Orient 6. Petri Amilian. General. 16.

1 HOc anno, & mense Februarij creatus Pontifex est Nicolaus 4. ex Minorum familia. Qui statim componendis contentionibus de Regno Neapolis, & Siciliæ, & liberando Carolo è custodia Alphonsi Aragoniæ Regis totus intendebat. Liberatus ergo Carolus est, Papa mediatore, & quibusdam conditionibus adiectis. Æmilius, Mariana, Bzouius, & alij.

Nicolaus 4. Papa.

2 Impletum autem est & illud Propheticum Beati Cyrilli ex Oraculo ipsius Angelico c. 4. de liberatione huius Regis Caroli consequutiuè ad ea quæ ex eodem retulimus sub anno 1283. videlicet: *Draconitæ vero detinebunt catulum diligenter, vt vlcera lingant eorum, quem Draco iusserat relaxari,*

B. Cyrilli Prophetia.

laxari, vt Virgini satisfaceret ardescenti amore ipsius: sed & ipsa, vti desperata in amore tepescet, vt lentis lacertis, ac fibris pertusis, fortibusque euulsis catulo obsequatur. Ac tum vtique desuper prouidebitur, eo modo, quo melius fuerit pro vtroque, non tamen ad votum, vt aliquando Virgini satisfaciat, & catulus reseruetur salubriter. Quo quidem, supposito ex dictis sub eo anno 1283. quod per *Draconem* intelligitur Rex Siciliæ Petrus, qui etiam Aragoniæ Rex erat: & per *Leonem*, Rex Neapolis Carolus: ac per *catulum Leonis*, alter Carolus filius ipsius, qui in carcere detentus erat: & per *Virginem*, Ecclesia, vel Papa, vt familiare est in hoc Oraculo; ac per *Draconitas*, progenies, seu hæredes præfati Petri Regis Siciliæ, & Aragoniæ; sic exponuntur ab Abbate Ioachimo Cyrilli nostri Scholiaste. *Vlcera lingat*: more linguæ canis sanatiuæ. Putabunt autem hæredes Draconis, quod propter filium Leonis, quem apprehenderunt, reconcilientur cum Ecclesia, Rege Franciæ, & alijs suis aduersantibus, si quos habuerint, & Regnum suum in pace detineant. Propterea dicit, *vt vlcera lingat eorum*; id est, vt eorum aduersitates, & inimicitiæ cum eorum contrarijs per ipsum curentur. *Iusserat*. Videtur, quod Draco conscientia ductus, ordinaturus sit filijs, vt catulum dimittant post ipsum. *Fibris*. Fibra est vena corporalis plena sanguine, qua percussa, idest aperta, phlebotomio, vel alio instrumento, cruor emanat. Propter quod cruoris effusio per prælia designatur. *Fortibus*. Per fortes possunt intelligi Nobiles, & Maiores, qui in huiusmodi prælijs *euellentur*, supple de terris suis, & expellentur per Draconitas inuasores Regiarum suarum. Vel *euellentur*, idest occidentur. Quod enim euellitur mortuum potest dici propter humoris naturalis carentiam. Hæc acutè Ioachimus. Alia addere poterit curiosus lector, si hanc propheticam Scripturam Beati Cyrilli diligenter ruminet.

Visio Beatiss. Virginis.

3 Celebris visio Beatissimæ Virginis cuidam ex nostris facta huic tépori, vel non multo post illud, adaptari videtur; qua ipsa Serenissima Ordinis Patrona, quantum sibi mutatio Capparum ex barratis in albas, grata fuerit satis ostendere visa est. Casum post Balduinum Leersium Attrebatensem *in Collectar. exempl. & miracul. cap.* 13. sic refert Arnoldus Bostius *lib.* 7. *speculi histor. cap.* 29. *Preterea Virgo gloriosa, vt se ostenderet diligere Habitum album signantem internam castitatem, sæpius legitur in veste alba suis amatoribus apparuisse, & præcipue Fratribus sui Ordinis. Nam vt legitur in libro Exemplorum, & Miraculorum nostri Ordinis, fuit quidam deuotus frater Ordinis Carmeli, qui Beatam Virginem Mariam maximo venerabatur affectu, cui ipsa ex familiari quodam contubernio, multas consolatorias, & dulces ostendit visiones. Quadam ergo vice, cum se deuotioni cum alijs fratribus dedisset, & feruens interius contemplationi ad Beatam Virginem vacasset, stans in Choro vidit Beatissimam Dei Genitricem Mariam, Ordinis sui dilectam Patronam, suis obtutibus præsentari, gestantem suum filium Dominum nostrum Iesum Christum super brachium. Erat enim vestibus albis induta, & alijs ornamentis ad modum Sororum Ordinis, excepto, quod in Capite gerebat Coronam; vidit*

vidit & Angelos duos, vnum à dextris, & alium à sinistris eius, tenentes Pallium album, & extendentes, sub quo videbatur recipere viros albos, & mulieres nitidis indutas (sub quo etiam ipse frater accipi videbatur) & quasi à vento, & turbine videbantur defendi. Quibus visis, frater vltra modum exhilaratus intellexit Beatā Dei Genitricem esse Ordinis sui dulcem Protectricem, & Patronam: vnde ei multas gratiarum actiones referens, deuotior in eius seruitio deinceps extitit, prouocans alios fratres in seruitio eiusdem dulcissimæ Patronæ fieri deuotiores. Vnde & plures Deum, & Beatam Virginem laudantes, eiusque se gratiæ commendantes, dixerunt deuoto cum affectu cordium: O Maria, cuius oratio de potenti procedit solio, roga Patrem, & (corrige, *insta*) *Filio, ne dānemur rei iudicio, cum tonabit vltima quæstio; sub alarum tuarum Pallio, cum electis nostra sit portio. Dicamus ergo semper ei laudes istas, fratres, vt eius auxilio mereamur euadere iudicium vltionis, & protegi ab inimici insidijs, & tandem cum ipsa gloriosa Patrona in æternum lætari in gloria. Amen.* Vtinam hæc, vel similia iugiter resonent in corde, & ore Carmeli filiorum.

4 Alio etiam tempore, non multum, vt credo, à præsenti distante, alia etiam visione eadem Deipara Carmelitarum Mater satis ostendit, qualiter filios albis Pallijs indutos, si charitate, castitate, & alijs virtutibus ornatos videat, sibi dulciter charos habeat. Eam refert Bostius relatus *capit.* 30. & Leersius etiam *in Collectaneo* citato *cap.* 10. sic: *Accidit, quod tempore dum fratres Prouinciæ Alemaniæ transirent ad Capitulum Prouinciale in Conuentu per Ordinem ordinato, & eorum quidam per Conuentum in Brabantia constitutum transirent in die Virginis gloriosæ, quando eius festū celebratur ad niuem in die Sancti Dominici, accedunt pariter cum fratribus Conuentualibus, pro Missarum solemnijs celebrandis. Erat eo tempore in eodem Conuentu frater quidam magnæ gratiæ, & feruentis deuotionis ad Virginem Dei Genitricem Mariam: hic motus spiritu feruentis amoris postulat humilibus precibus Beatam Virginem, vt suis seruis spirituale intersignium pro munere tribueret. Facta autem oratione, Virginem gloriosam gestantem Filium in brachijs vidit benigne fratres respicientem, & procedentem per medium Chori per stallos fratrum singulis spiritualia clenodia largientem. Vni quidem dedit pomum rotundum, & rubicundū; in signum feruentis amoris in Deum, & eius Genitricem; alteri lilium nitidum in signum internæ castitatis; alteri panem rotundum, & candidum ad modum hostiæ, in signum perfectæ fidei, & mirandæ deuotionis ad venerabile Sacramentum. His visis frater iste, multum congratulabatur gratiæ eorum, & donis spiritualibus, & illi similiter exhilarati in spiritu, laudem, & gratiarum actionem feruentius resonabant nomine Mariæ, ac per totum diem, & plures alios, aliter sentire non poterant, quam Mariæ præsentiam.*

Alia.

5 Regnabat in Gallijs sub hoc tempore, ab anno videlicet 1285. Philippus Rex, cognomento Pulcher; cuius pietate erga nostros factum est, vt ex hospitio, quod in suburbijs Turoniæ Ciuitatis iuxta Ligerim amœnissimæ, iamdiu habuerant, ad Sacellum, vulgo Beatæ Virginis *de pietate* transferrentur. Quod antiquum, primumque Sacellum, in memoriam

Turonensis Conuentus.

accepti beneficij perdurans, miraculis famosum, magno populi concursu, frequenter, hodieque, ferijs præsertim sextis inuisitur. Sed anno Domini 1461. (alij dicunt 1473.) Ludouicus XI. Rex erga Sacram Virginem, eiusque Ordinem deuotione, Ecclesiam, Secretarium, Claustra, Dormitorium extruxit: redditibusque honestauit non contemnendis, qui tamen magna ex parte, sequenti temporum calamitate, perierunt. Quamquam in eo semper floruit insignior Regularium numerus: donec anno 1653. Rhedonensi Reformationi Turonensi hoc Cœnobium adiunctum cepit nouo feruore nostris viris Religiosæ disciplinæ Academia esse, vbi serio per omnia virtutum studia nobiles Aquilæ ad sublimes volatus exercentur; prout suo tempore dicemus. Interim tamen ista dumtaxat, ex relatione Prouinciæ Turonensis, quando hæc scribimus in Religione clarissimę, ob magnam vitæ Regularis obseruantiæ, insignes viros tum probitate, tum doctrina, tum natiua generis nobilitate, qui in ea cernuntur, proferimus. Quæ locupletat Leo à Sancto Ioanne, egregius eius Prouinciæ Alumnus *in delineatione Obseruant. Rhedonen. cap. 14.*

Ann. Christi 1289. Nicolai 4. Roman. Pontif. 2. Rodolphi dicti Imper. Occid. 16. Andronici Imperat. Orient. 7. Petri Amiliani Gen. 17.

Gesta huius anni.

1  Iciliæ Regnum capescit hoc anno Carolus ille secundus, *Claudus* dictus, de quo in superioribus. E contra autem Aragoneo Regi Anathema indicitur à Papà. De quibus latè Odericus post alios.

Terræ Sāctę excidium.

2 Nos autem lugentes referre cogimur, quæ hoc anno, & proximè sequentibus, circa Terræ Sanctæ Christianitatem, & Ordinem nostrum in ea Patria, quasi in natali solo commorantem, calamitates contigere. Confusim vero; & permixtim ea referimus, quia authores variant in anno, quo acciderunt; cum alij ad præsentem, alij ad annum 1290. & alij ad 1291. necnon ad 1292. referant. Ex nostris ergo Authoribus, quorum aliqui oculares testes tantæ tragediæ fuerunt, alij vero, vel per traditionem à maioribus de ipsi informari potuerunt, rem damus.

3 Igitur Gulielmus de Samuco, seu Sannico, qui tunc temporis fratrum nostrorum in Carmelo commorantium, Pastor erat, *in Chronica de multiplicatione Religionis*, quæ habetur in Speculo Ordinis *lib.* 9. sic habet *cap.* 8. iuxta exemplar emendatum in margine litteris manuscriptis. quod est Archiuij Conuentus Transpontinæ. *Cum autem Dominus Deus phæniceos ad pœnitentiam diutius expectasset, quos studia prophana delectabant, videns, quod illam facere renuebant, iratus in eos induxit ad Phœnicem, innumerabilem Paganorum multitudinem. Qui gloriosam Ciuitatem Tripoli obsidentes*

tandem eam anno Domini 1289. obtinuerunt: & tam Monasterium, quod fratres huius Religionis in ea habebant, quam ipsam Ciuitatem diruerunt, captis in ea, & interfectis infinitis vtriusque sexus Christianis. Tunc quoque temporis pagani per planitiem Tripolitanam discurrentes peruenerunt ad Monasterium Belliloci *huius Religionis prope fontem Hortorum, quod etiam funditus subuerterunt. Proinde contra Tyrum accedentes munitissimam Ciuitatem illam illo anno ceperunt, in qua multorum Christianorum sanguinem effundentes, Ciuitatem illam cum Monasterio huius Religionis, quod in ea erat, dextruxerunt. Biennio autem fere lapso, Saraceni contra opulentissimam Ciuitatem Accon venerunt, & post multos actus bellicos à Saracenis peractos, qui eam de foris impugnabant, & à Christianis, qui eam intus defendebant, tandem Sarraceni in mense Maio anno Domini 1291. Ciuitatem obtinuerunt; in qua fuerunt vltra triginta millia Christianorum cæsa, & capta, præter eos, qui per mare euaserunt, ex quibus fui ego vnus. Multi enim Christiani de Ciuitate Accon, & de Ciuitatibus Tyri, et Tripolis per mare fugerunt. Sarraceni autem Ciuitatem Accon, cum solemni Monasterio huius Religionis, quod in ea erat, ita deuastauerunt, quod eam totaliter inhabitabilem reddiderunt. De qua egredientes, et ad Sanctum Montem Carmeli, qui ab ea non longe distat, ascendentes, Monasterium Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli ibidem commorantium, de quo ego nuper ad Accon perrexeram, quod frequenter inuaserant, sed nunquam destruxerant, tunc igne cremauerunt, et omnes fratres ibidem repertos, gladio trucidauerunt. Et sic Religio ista fuit de Prouincia Phœnicea, et per consequens de tota Terra Sancta prorsus eradicata. Professores itaque huius Religionis, qui in Monte Carmeli, tempore Eliæ, et Elisei Prophetarum, continuè, et incessanter per annos circiter duo mille ducentos decem et octo in contemplatione Dei persliterant, in hac persecutione Montem illum ex toto amiserunt. Quod ideo totum factum puto, vt adimpleretur, quod vaticinatum fuerat per Hieremiam dicentem cap. 4. Aspexi, et ecce Carmelus desertus, et omnes vrbes eius destructæ sunt à facie Domini, et à facie iræ furoris eius. Iam enim exaltationem, et lætitiam, quibus contemplationis dulcedine in eodem Monte professores huius Religionis recreabantur, non esse perpetuo ibidem permansuros, Isaias dudum prophetauerat dicens cap. 16. Auferetur lætitia, et exultatio de Carmelo: Ab illo tamen Monte dilatati fuerunt professores huius Religionis, sicut dictum est, in diuersas mundi partes.*

4 Rem tamen latius prosequitur noster Arnoldus Bostius in *Specul. histor. lib. 7. cap. 32.* sic rem cum alijs circumstantijs describens. *Cum autem Dominus Deus Christianos Syros Phœniceos ad pœnitentiam diutius expectasset, quam Syros Palæstinos, & Syros commagenos, inter quos Antiochia sita est, & illam agere neglexissent; iratus in eos Dominus induxit ad fontem hortorum innumerabilem multitudinem paganorum, qui gloriosam Ciuitatem Tripolim obsidentes, tandem eam temporibus prædicti Domini Nicolai Papæ Quarti obtinuerunt, & Monasterium quod fratres nostræ Religionis in ea habebant, cum ipsa Ciuitate diruerunt, captis in ea, & interfectis de Phœnice vtriusque sexus Christianis. Tunc quoque temporis Pagani per planiciem Tripolitanam discurren-* Ex Arnoldo Bostio.

tes peruenerunt ad Monasterium Belli loci eiusdem Religionis prope fontem Hortorum, & illud etiam funditus diruerunt, Vlterius contra Tyrum accedentes munitissimam ciuitatem illam cum Monasterio nostræ Religionis, quod in ea erat, destruxerunt. Tunc igitur sola Ciuitas Acchon in Terra Sancta Christianis subiecta, quæ vltimo etiam perdita fuit inter omnes Ciuitates Terræ Sanctæ, Est namque hæc Ciuitas in littore maris sita ex lapidibus quadratis sectis, & extra consuetudinem magnis iniuncta turribus excelsis, & fortissimis, non ad iactũ lapidis distantibus circumposita, & muri erant tam ampli, quod currus alteri obuianti super murum commode cedere posset. Plateæ vero Ciuitatis intus erant mundissimæ, & omnes domorum parietes altitudine erant æquales, & ex lapidibus sectis indifferenter facti, Plateæ etiam Ciuitatis pannis sericis ob Solis vmbram, & alijs linteaminibus pulchris erant coopertæ: in vno quoque angulo plateæ Turris stetit fortissima, porta ferrea, & catenis ferreis munita; omnes nobiles in circuitu Ciuitatis, in Castris fortissimis, & Palatijs habitauerunt. In medio Ciuitatis, Ciues, mechanici, & mercatores, vnusquisque secundum opus suum. In speciali platea habitabant omnes habitatores Ciuitatis, vbi quorundam Romani pro nobilibus, & dominis se habebant, & gerebant, proutetiam erant, Imo habitabat etiam in ea Rex Hierusalem, & sui fratres de sua linea, Patriarcha etiam Hierosolymitanus cum nobilibus Prouinciæ Galileæ, & Principibus Antiochiæ, Capitaneus Regis Franciæ; & Dux Cæsareæ, Dominus de Sar, Dominus Tyberiadis, Dominus de Sagette, Dominus de Baruch, Comes Tripolitanus, & Comes de Yoppe. Hi omnes cum cęteris Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, & Nobilibus, Coronis aureis capitibus eorum impositis more Regali in plateis incedebant, & cum militibus, clientibus, & satellitibus, vestimentis, & dextrarijs miro modo ornatis, quamuis præ alijs singularius, et studiosius, prout poterant se ornabant, et omni die ludos, et hastiludia, ac torneamenta, et varias deductiones ad militiam pertinentes, exercebant: et quilibet per se iuxta Palatium, vel Castrum suum peopriam habuit libertatem, et immunitatem. Item habitabant in ea contra Sarracenos pro fide Catholica defendenda, milites in armis, et fratres militiæ Templi, Magister, et fratres Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, milites in armis; Magister, et fratres Sancti Lazari, milites in armis. Cæterum habitabant in Acchon mercatores Pisani, Ianuenses, et Longobardi, de alijs vero Ecclesijs, Monasterijs, et nobilitatibus Acchon, et mirabilibus, et ornamentis longum esset enarrare.

Ex eodem. 5 Eandem historiam sic prosequitur idem Bostius cap. 33. *Dum igitur hæc mirabilia in Acchon fierent, eodem tempore, ex instinctu diaboli, in Longobardia maxima, & odiosa discordia inter Ghelphos, & Ghibellinos exorta est, & eandem discordiam habitatores Acchon, qui de Longobardia orti fuerant inter se habuerunt, & specialiter Pisani, & Ianuenses, quarum ambæ partes in Acchon potentissimę tunc habitabant. Hi ergo vt eo melius aduersus Ciuitatem ob dictam discordiam bellare possent cum Sarracenis treguas inierunt. Eodem etiam tempore duodecim millia stipendiariorum in subsidium Terræ Sanctæ ex Europa ad Acchon venientes, nil boni operabantur, sed diu, noctuque in tabernis, & locis illicitis*

licitis insistebant: Insuper mercatores, & peregrinos in publica strata capiebant. Audiens autem hac Soldanus Babylonia conuocauit Concilium suum in Babylonia; et fecit parlamentū conquesens, quod sibi, & suis tregua à Christianis sapissime essent rupta. Et initio super hoc Concilio, maximum exercitum congregauit, & ante Ciuitatem Acchon perueniens, secauit omnes vineas, arbores, & omnia viridaria, ac pomeria amœnissima. Hęc videns Magister Ordinis Templariorum, miles valde prudens, et strenuus, timuit interitum Ciuitatis propter Ciuium discordiam imminere, Vnde habito super hoc Consilio exiuit obuiam Soldano inquirens si treguas ruptas aliqualiter emendare posset. Et obtinuit à Soldano vt quilibet homo denario Venetico treguas ruptas posset emendare, et sic Magister Templariorum cum gaudio rediit, qui vniuersum populum conuocans Ecclesiam Sanctæ Crucis intrauit, et hec omnia fieri suasit. Quod audiens populus clamauit ipsum esse traditorem Ciuitatis, et reum mortis. Magister, his auditis vix de manibus populi euadens exiuit, et Soldano responsionem populi renunciauit. Soldanus itaque sciens ob ciuium discordiam nullam sibi debere fieri resistentiam tentoria contra Ciuitatem fixit, et sexaginta machinas erexit, et quadraginta duobus diebus, ac noctibus sine aliqua intermissione Ciuitatem igne, lapidibus, sagittis, et huiusmodi fecit impugnari· Erant autem tunc temporis in exercitu Soldani sexcenta millia armatorum, qui se in tres turmas diuiserunt. Nam centum mille Ciuitatem semper impugnabant; et illis lassis, alij centum mille ad illum redibant, et ducentū mille stabant ante portam Ciuitatis ad bella parati, et reliqua ducenta millia ad omnia alia erant in supplementū: nunquam tamen Ciuitatis portæ erant clausæ, nec erat hora diei quando per Templarios, et alios fratres milites ibi commorantes contra Sarracenos essent bella, sed Sarraceni in tantum creuerunt, quod centum mille interfectis, ducenta millia redierunt. Ciuitatem enim non perdidissent, si se inuicem fideliter adiuuassent. Nam quiuis Castrum suum, et plateam suam tam fortem sciuit, et putabat, quod alterius Castrum, et plateam non curauit: et propter talem discordiam solummodo Magister, et fratres Ordinum se defendebant, et contra Sarracenos continuè pugnabant. Nam Magister, et fratres domus Theutonicorum cum eorum adiutoribus, et familiaribus omnes simul, et semel mortui remanserunt. Anno ergo Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, duodecima die Maij, cum hac fierent capta est Acchon Ciuitas, Flos Mundi, Caput, et decor omnium Ciuitatum Asię. Quod audientes omnes habitatores Ciuitatum, scilicet Yoppe, Sydonis, et Ascalone, et omnium aliarum Ciuitatum, relictis omnibus in Cyprum fugerunt. Igitur dum Sarraceni Ciuitatem Acchon intraßent, adhuc vna pars aliam defendere noluit; sed vnusquisque de suo Castro, vel Palatio per se defendere voluit: et multo difficilius Sarraceni habebant Ciuitatem expugnare ab intra, quam ab extra, quia mirabiliter erat munita. Vnde legitur in historia de perditione Acchon, quod propter peccata inhabitantium, quatuor Elementa pugnabant contra Christianos; nam aer tam obscurus efficiebatur, et nebulosus, ita vt dum vnum Castrum, aut platea expugnaretur, vel cremaretur, in alijs Castris, vel plateis prope videri non poterat, quousque, et ipsorum Castrum, vel platea etiam expugna-

gna-

gnaretur, vel cremaretur, et tunc primo libenter se concorditer defendissent, si simul conuenire potuissent: Ignis contra Ciuitatem pugnabat, ipsam namque combussit. Terra similiter eius sanguine inebriata est. Aqua similiter cum esset in tempore mensis Maij, quando mare tranquillissimum esse solet, & ciues ad mare fugerent, vt in Cyprum nauigarent, subito orta est tanta tempestas, quod nulla nauigia parua, aut magna littoribus appropinquare poterant, & quamplurimi volentes ad nauigia natare submersi sunt. Attamen plusquam centum mille homines in Cyprum euaserunt, inter quos Magister Guilelmus de Sannico Prouincialis, Terræ Sanctæ. Verum plusquam quingentæ nobilissimæ Dominæ, & Domicellæ filiæ Regum, & Principum, ceptione Ciuitatis iam instante, in littore maris iuerunt, & omnia ipsarum clenodia, & ornamenta aurea, & lapidum pretiosorum inæstimabilis pretij in sinu portabant, & altè clamabant, siquis esset nauta, qui omnia ipsarum clenodia vellet recipere, & quamcunque cuperet, & ipsas in vxorem ducere, & ipsas ad aliquam terram, vel insulam securam ducere. Tunc ipsas omnes quidam nauta in suam nauem recepit, & omnes cum bonis earum gratis illæsas perduxit in Cyprum, & recessit. Vnde quis esset, vel quo ille venisset in præsentem vsque diem ignoratur. Igitur dum Sarraceni essent in Ciuitate, antequam de Castro ad Castrum, de vna platea in aliam, intus Ciuitas expugnaretur, tot vtriusque partes homines erant occisi, vt per mortuorum cadauera velut per pontem transierunt. Igitur Ciuitate intus acquisita, homines, qui in Ciuitate adhuc viui remanserant, ad fortissimum Castrum Templariorum fugerunt: quod Castrum statim Sarraceni vndique obsidione vallarunt. Illud autem Christiani per duos menses fortiter defenderunt, & ibidem omnes nobiles exercitus Soldani, & meliores totius exercitus mortui sunt. Tunc reliqui Sarraceni cum Templarijs, et Christianis in dolo treuguas inierunt, ita quod ipsum Castrum redderent aßumptis sibi omnibus rebus, et illud destruerent, sed Ciuitatem sub pacto readificarent, et in ea, vt prius pacificè habitarent. Credentes autem Templarij, et Christiani eis reddiderunt Castrum. Sarraceni itaque habito Castro, et Turribus, omnes Christianos interfecerunt, et alios captiuos in Babyloniam perduxerunt, et sic Acchon deserta permansit, et vacua vsque in præsentem diem. In Acchon, et in alijs locis prope centum mille, et sex millia hominum fuerunt interfecti, et capti de Christianis, et plusquam ducenta millia hincinde euaserunt. In obsidione vero Ciuitatis Sarraceni fuerunt per dies 52. intra vero Ciuitatem antequam ipsam expugnarent fuerunt diebus 50. in obsidione Castri Templariorum per duos menses. Postea muros, Turres, Palatia, Castra, Ecclesias, ac Cœnobia, cum solemni nostro Monasterio, quod in ea erat, destruxerunt. Et ne à Christianis iterum recuperarentur, Ciuitatem adeo deuastarunt, quod eam totaliter inhabitabilem reddiderunt. Nunc autem degunt quidam Sarraceni stipendiarij in Acchon, portum, et Ciuitatem custodientes. De Acchon etiam Sarraceni ad Sanctum Montem Carmeli, qui ab ea non longe distat pergentes, Monasterium Montis Carmeli Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis ibidem commorantiũ, quod frequenter inuaserant, sed nunquam destruxerant, tunc omnino deuastauerunt: nam omnes fratres ibidem repertos, et Salue Regina cantantes, in ore gladij truci-

trucidantes, totum Monasterium incendio cremarunt. In qua combustione, vt refert frater Ioannes Hildesheym in tractatu suo, quem composuit de Ordine nostro, constat, Eliæ pallium vsque adhuc reseruatum, cum multis alijs rebus incendio perijsse. Et sic Religio ista de prouincia Phœnicea, & vlterius de tota Terra Sancta fuit prorsus eradicata. Professores namque dictæ Religionis, qui in Monte Carmeli à tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum continue in contemplatione Dei persliterant, nunc in hac persecutione Montem illum, ex toto amiserunt.

6 Miserabilem hunc Terræ Sanctæ, nostræque Religionis in ipsa commorantis casum, non solum tota Religio plorat, sed & ipsius Patrona Virgo Serenissima, eius videlicet Sacra Imago, deplorasse describitur. Teste enim Pachimerio *lib. 7. histor.* cui adhæret Odericus sub anno 1291. *num.* 18. hac tempestate *Deipara Imago per dies complures lacbrymauit*. Piè etiam de exteris collachrymatus est pius ille Carthusiensis Author historiæ, quæ *Fasciculus temporum* cognominatur, circa annum 1291. sic dicens: *Nobilissima Ciuitas Acconensis à Sarracenis destruitur, ac demum Deiferæ Mariæ in Carmelo Monasteriū ad quatuor milliaria Ciuitati vicinum, ab eis igne crematur, fratribus inuentis in eo perfidorum gladijs trucidatis, & tunc (proh dolor) Ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo à tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum, duobus millibus ducentis viginti & vno annis perstiterant.* Idem agit Reuerendissimus Abbas Trithemius, dum de laudibus Carmelitarum *lib. 1. cap. 8.* hæc scribit: *O miseranda Sanctissimi Ordinis calamitas, qui pene infinitis pridem Filijs exultabat. Quem non, etsi lapideus sit, permolliat ista Carmeli desolatio, quando non vnius tantum Montis, sed multorum Monasteriorum per vniuersam Iudæam Religio destructa est. Sed quemadmodum locus Eliæ, Carmelitarumque saluus persisteret, quando totus ille conculcatur à gentibus, quem Dominus noster Rex Cœli sua corporali præsentia sanctificauit?* Lamentabilis casus.

7 Nihilominus Templum, seu Ecclesia Deiparæ in Carmelo collocatum, igne absumptum non fuisse (quod miraculo aliqui tribuunt) colligitur ex aliquorum testimonijs, quæ refert Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.* inquiens: *Manet tamen Ecclesia nostri Conuentus in Carmelo vsque hodie incombusta Sarracenis, nec audentibus, neque valentibus infringere, vt testatur Magister in Theologia Sibertus in suis additionibus, etiam Magister Ioannes Duseldorp Sacræ Theologiæ Professor, & P. Petrus Fabri Lector Conuentus Schonomensis, qui nauigantes ad Sanctam Terram Ecclesiam à longe viderunt. Sed Magister Vvillelmus Ciuis Herlemensis retulit mihi, quod anno 1489. fuerit cum multis in Monte Carmeli, & in Ecclesia, cuius testudo interior opere Mosayco est depicta: Dixit insuper, non vidisse se maiorem.* Huius etiam signū est, quod Brocardus Dominicanus in itinerario Terræ Sanctæ *cap. 8. §. 1. & 2.* dum Terram Sanctam sub anno 1383. inuiseret, Carmelum quoque visitasse ait, subiungens: *Illic est fons, vbi Prophetarum filij habitabant: nunc autem inhabitant Fratres Ordinis Carmelitarum; fuique cum eis ibidem.* Templum Deiparæ in Carmelo.

Idem

Idem enarrant ex nostris, præter relatos, Petrus Lucius *in Compend. cap. 12.* Didacus Coria *in Chronic. Carmelitarum lib. 10. c. 16.* Author Opusculi cognominati *funiculus triplex, nodo 18.* & Munozius in propugnaculo Eliæ *pag.* 318. etiam ex alijs.

De pallio Eliæ. 8 Pro eo, quod ait Bostius supra de Pallio Eliæ in huius Cœnobij Carmeli euersione combusto, ex testimonio Ioannis Hyldeshermensis, qui id habet *in Tractatu de princip. sui Ordinis contra detractores cap. 1.* consulenda, quæ dicimus *Tom. 1. Annal ad ann. mundi* 3204. *num.* 10. videlicet, partem Eliani Pallij conseruari in Ouetensi Arca in Hispania; ac proinde, saltem non totum Pallium, sed partem dumtaxat, in hac barbarica inuasione perijsse, aliam vero Oueti reseruari. Illud autem, quod idem Bostius subiungit, nempe multa alia *incendio perijsse*, quod etiam desumpsit ex præfato Hyldesheimensi; plus æquo credibilissimum est, & de Turcica barbarie, ac de pluribus alijs tyrannicè ab impijs huiusmodi Saracenis hac, & similibus occasionibus gestis. Hinc prudens Lector satis clarè animaduertere poterit, cur maxima pars eorum, quæ in Ordine nostro eo tempore, & anterioribus contigere, satis nobis comperta non sint: siquidem Carmelæum hoc Cœnobium, totius Ordinis antiquissimum archiuium, propter nostra, & totius Christianitatis peccata, cum tota Terra Sancta, tam miserè tunc perijt.

An aliqui Monachi. 9 Quamuis autem ob funestam hanc Carmeli cladem, Ordo noster ex ea Patria in partibus Occiduis exul maneat, & Carmelitarum titulus in Orientalibus pene sit abolitus; nihilosecius, Deo sic prouidente, varijs temporibus sequentibus Græci Monachi, Elianorum veluti reliquiæ hunc Sacrum Montem incoluerunt; priscorum Prophetarum, ac Patrum vestigia secuti. Teste enim Didaco Coria in loco supra relato, ex veridica relatione constat in eo fuisse plusquam 100. Monachos. Quin etiam ex testimonio Ioannis Chyzollę Generalis affert plura ad intentum.

Numerum Conuentuũ Terræ Sanctæ. 10 Quanta porro Ordinis nostri iactura fuerit huiuscemodi Terræ Sanctæ amissio, ex memoria quadam in Transpontinæ Archæo è me visa, dilucidè manifestatur. In ea namque sic reperi scriptum. *Prouincia Terra Sancta alias habebat 77. Conuentus, qui fuerunt perditi quando Christiani fuerunt expulsi: nunc non habet nisi quinque loca in Regno Cypri. In ipsa Terra S. Fratres habent linguam magis Græcam, quam Latinam.* Faxit Deus, vt misereatur nostri, & restituat nobis antiquam nostram possessionem, ob merita Beatissimæ Virginis Patronæ nostræ, nostrorumque Patrum Prophetarum, qui eam incoluerunt, & nobis habitandam reliquerunt.

Claramontense Cœnobiũ. 11 Ad reparandam autem Monasteriorum Terræ Sanctæ, quam hoc tempore patiebantur, ruinam, Sapientissima Dei agebatur prouidentia, vt in Europę partibus ea tempestate plura de nouo erigerentur Cœnobia. Inter quæ pro hoc anno refertur Claramontense in Prouincia Narbonæ: etsi postea, anno 1316. Ioannis 22. Papæ auctoritate, in Conuentum Pęnitentium Iesu translatum fuerit, Sic ex eius Monasterij Archiuijs. Ex

Claudio

Claudio autem Roberto *in Gallia Christiana*, dum de Claramontanis agit Episcopis, habetur Aubertum Aycellin Episcopum Carmelitas nostros in Vrbem induxisse, etsi quo anno, non referat, forsan hęc translatio est, de qua supra.

Ann. Christi 1290. Nicolai 4. Roman. Pontif. 3. Rodolphi dicti Imperat. 17. Andronici Imperat Orient 8. Petri Amilian. General. 18.

1 Christiana res in Syria inexitium à Sultano Babyloniæ adducebatur: etsi Summus Pontifex prompta auxilia exhibere conaretur, Crucesignatis præsertim gratias, & priuilegia tribuendo, & Principes ad tam sanctum opus iuuandum admonendo; frustra tamen, prout ea, quæ diximus sub anno præcedenti ostendunt. Bzouius, Odericus, & alij. *Christianorum iactura*

2 Quamuis tamen clades ista Terræ Sanctæ exitialis omnino Carmeli nostri Ordini esse videretur, prout ea, quæ adduximus, demonstrant, adeo, vt plures de hoc tempore intelligant illud Isai. 16. *Auferetur lætitia, & exultatio de Carmeli*. Et pagina 33. *Concussa est Bassan, & Carmelus*. Et Hierem. 4. *Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes Vrbes eius destructæ sunt à facie Domini, & à facie iræ furoris eius*. Et cap. 48. *Ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo*. Et Amos 1. *Exiccatus est vertex Carmeli*. ac Naum 1. *Infirmatus est Bassan, & Carmelus*. Nihilominus sapientissima Dei prouidentia, ac protectione Deiparæ Sanctissimæ in suum Carmelum actum est, vt quo tempore in Orientis partibus infidorum persecutionibus conterebatur, in Occidentali Ecclesia, Hispaniarum videlicet, & Angliæ Regionibus de nouo veluti pupullare, & renasci videretur. Plura enim Cœnobia hac tempestate Ordini adquisita historiæ testantur. *Multiplicatio Ordinis in Europa.*

3 Inter quæ primo occurrit nobiliss. Cæsaraugustani Cœnobij erectio, quæ hoc ipsissimo anno fœlicissimo euentu contigit, testibus Archiuio eiusdem Cœnobij, Blancas in Annal, Martino Carrillo *in histor. S. Valerij*, Didaco Murillo Minorita *in fundat, Capell. Angelic: tract.2. cap.39*. Munoz. *in Propug. Eliæ pag.317.* ac maximè Cassanate *in Parad. Carmel. Decor. stat.4. at. 14. cap. 38. sub hoc eodem anno*. *Cæsaraugustanum Monasterium.*

4 Huius porro insignis Cœnobij lapis primus, seu fundator, fuit Berengarius Tobias Celtiber, Cæsaraugustanus patria, & ex nobilissimo Tobiarum sanguine prognatus, & prout Cassanate credit Hostensis Cœnobij filius, Doctor Parisiensis, & in eo Lycæo Stagiriticæ primum doctrinę, deinde Sacri vtriusque Testamenti publicus Interpres, & enucleator famigeratissimus. Hic enim Cęsaraugustam aduenient ab Hugone de Mataplana Ciuitatis Antistite erigendi Cœnobij licentiam die 15. Iunij præsentis *Erectio ipsius.*

sentis anni obtinens in Xenodochiolo, tunc Sanctæ Helenæ Reginæ tempore Constantini Imperatoris erecto, vt testatur Ludouicus Lopez in *comment. sup. Histor. Beatissima Virginis del Pilar, pagina mihi* 204. nunc vulgo, de Carmine, dicto, Nobilissimi Cœnobij futuri postea initia dedit. In solo & situ, in quo olim innumerabilium Cæsaraugustanorum Martyrum cruor effusus est, cruenta pro Christo tolerantium flagra: prout Fratrum, & exterorum traditio fert. Hinc magni semper habitum Cœnobium est ab Aragonum Regibus, vt propterea illud semel, & iterum pro sacris Regno suo sancionibus Foris, vel Regni faciendis, elegerint: & Maria Alphonsi Regis, huius nomini quinti, vxor, plurimis Sanctorum Reliquijs decorauerit; Sanctissimo præsertim salutiferi Ligni Redemptionis nostræ pignore, quod clarissimis illustratum fuisse Miraculis describitur. Illud etiam commendant, quæ Didacus Murillus relatus, de Reliquijs, quæ in ea Ecclesia seruantur: sepulchro quodam deuotissimo ibi existente; ac de traditione Religiosorum circa quoddam prodigium, quod ibi contigit, præsagium, vt creditur, fictæ conuersionis ad fidem quorundam Maurorum, scripsit. Id pro comperto, in hoc Cæsaraugustano Carmelo plures, & grauissimos floruisse Viros, de quibus in sequentibus mentio erit. Murillus autem inter eos refert, Magistrum *Petrum* Lascellas Hispaniæ Prouincialem; Magistrum Bartholomæum de *Heredia*, etiam Prouincialem, & Sorbonicum Doctorem; Magistrum Hieronymum de Casas Bononiensem, Doctorem Prouincialem, & Subtilem Aragonensem, vulgo appellatum; Magistrum Iacobum Casanate in Italia celebrem, & Episcopum de Arze, Magistrum Ioannem de Heredia, insignem Concionatorem, Magistrum Petrum de Ribas à Confessionibus Inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti, ac alios. De his alibi.

Monasteria Hispaniæ.

5 Sub eodem etiam anno, prout Munozius relatus scribit Infans Castellæ Dominus Alphonsus de la Cerda, Nepos Alphonsi Sapientis Regis, cum sua Coniuge Madalfa Sancti Ludouici Galliarum Regis Nepote, in Castella, & Boethica multa Carmelitis Monasteria donauit. Emanuel autem Romanus in suis elucidationibus *pagina* 207. sub hoc anno affirmat hos Principes in Hispaniam ex Gallia Carmelitas nostros transtulisse, & in Castella aliquot fundasse Monasteria. Hæc autem Cœnobia ab ipsis fundata, inquit *pagina* 145. fuisse Requenense in noua Castella, Onobalisturiense in Boethica (Oppido *Gibraleon* appellato) & Maurense in Lusitania. Idem indicat Augustinus Biscarretus *in Palmit. Carmeli* in ipso Alphonso de la Cerda. Quamuis autem hæc hoc anno non contigerint, cum vera chronologia, & ætas horum Principum id non admittat: cœterum ipsos fundatores horum Cœnobiorum extitisse adeo vetusta nostrorum traditio est, vt vix nonnisi temere relinqui posse videatur. Aliqua ergo de ipsis hic tangenda.

Requenensis Conuentus.

6 Et primo, Requenensem Conuentum, quem inter præfatos relatum vidmus, ab his duobus Principibus Alphonso, & Madalpha vxo-

re auspicia habuisse pro certo apud nostrates, & Oppidi habitatores semper fuit receptum. Testantur etiam Regia stemmata Castellæ, & Galliæ, quæ in eo visebantur: eo quoque quod primitus Gallica à dextris, & Hispanica à sinistris apparebant; vt scilicet notaretur ex Gallijs venisse primos eius Cœnobij fundatores. Illis etiam adhæsere aliqui ex fratribus nostris, ei videlicet, qui cum Sancto Ludouico è Carmelo venerant, & Madalphæ ipsius neptis, quæ aui vestigia in ipsis fouendis tenebat, patrocinio fruebantur; prout eadem traditio fert. Inter magis Obseruantes, seu Reformatos Castellæ Prouinciç Conuentus is vnus censetur; ac ex illo, vtpote post Toletanum primo (imo quantum ad possessionem primate) plures, & celebres prodierunt viri. Numerantur Lupus Lopez, & Michael Garzia Conuentus, & Oppidi filij, ac Patres Prouinciæ, quam Prouinciales rexerunt, viri magnæ perfectionis, & vitæ exemplaris commendati. Numeratur etiam Antonius Heredia eiusdem Conuentus, & Oppidi clara progenies, quæ & Pater Sacerrimæ Congregationis Patrum discalceatorum, cum S. Virgine Teresia, ac venerabili Ioanne de Cruce, prout quinto Tomo elucidabitur, esse meruit. Quinimo, vel idcirco dicere possumus, id quod in præcedentibus tactum, quod propterea hac tempestate fundari ceptum hoc Cœnobium sit, quia ex eo prodire debebat, qui ruinas deserti Carmeli, media Discalceatæ Religionis institutione, reparare posset. Fama est, ipsius Cœnobij picturis etiam roborata, Beatum Petrum Thomam eiusdem Priorem fuisse, quod & asseritur de Philippo Ferrariensi, & quot postea Pacensis Episcopatus clauum tenuerit. Sed de ijs quid sentiendum, cum de ipsis agetur, elucidabitur. Habuit etiam hæc domus alumnos, Raphaelem de la Camara virum doctum, & Serenissimæ Elisabethæ Belgij Gubernatricis familiarem, ac eruditum Scriptorem super Psalmum *Miserere mei Deus*; Ægidium Ferdinandez Magistrum, valde celebrem, & litteris famosum; ac Michaelem Nauarrum, qui per multum tempus munera Prouincialis, Procuratoris, Generalis, Prioris Matritensis, Toletani, & Complutensis cum laude exercuit. Decoratur maximè Ecclesia huius Monasterij Capella, & Icone Deiparæ Beatissimæ, vulgo *Soterraña* nuncupata, quia sub terra latuerit tempore quo patria illa à Sarracenis oppressa tenebatur; etsi postea humili cuidam Pastori reuelata, Clero, & populo innotuerit. Ibi votiua donaria plura, populi concursus creber, die præsertim Septembris octaua, qua eiusdem Beatissimç Virginis Natalitium colitur; & ingens deuotio circumuicinorum Oppidorum, Dei Genitricis mirabilia gesta tonantium. Hausimus hæc ex relatione Prouinciæ Castellæ.

7 Gibra Leonensis porro Cœnobij, quod primum est inter Bçthicæ Prouinciæ Monasteria, extructio, eisdem Principibus debetur, & sub aduocatione Beatæ Mariæ de Monte Carmelo. Ei latissima prædia, illustrissimaque priuilegia concessisse traditio est. Etsi temporis decursu vsurpata, vel derelicta, aut saltem imminuta cernantur. Construxit etiam In- Gibraleonēs. Conuentus.

sans prope Conuentum sibi proprium hospitium hoc tempore iam annexum Monasterio, *Camera Infantum* hucvsque ab omnibus appellatum; vbi antiqua Hispaniæ Castella, & Franciæ Lilia etiam ad præsens cernuntur. Sub Altari quoque maiori Ecclesiæ Infantis ossa requiescunt. Extat & in hoc Conuentu Confraternitas quædam trigintaquatuor tantum Confratrum ex antiquis, veteribusque Christianis progenitorum, iuxta rigorosum statutum, & praxim eorum sub titulo Immaculatæ Mariæ Virginis Conceptionis fundata: tempus autem fundationis non constat; etsi ex quibusdam publicis instrumentis ante annum 1500. instituta conuincatur; ideoque ab Illustrissimo Domino Petro de Castro, & Quiñones Hispalensi Archiepiscopo explorante prædictam antiquitatem anno 1615. præfata Confraternitas magni habeatur, atque per proprias litteras tunc fratribus missas per quendam honorabilem Clericum earum latorem maximè commendetur. Hæc in relatione suæ Prouinciæ R.P. Magist. Petrus Quesada ipsius Alumnus doctissimus mihi scribebat.

Maurensis. 8 Maurensis quoque Monasterij Prouinciæ Lusitanię primi, & vetustioris fundatio, de quo sub anno 1251. dicere cepimus, hoc circiter tempore ab eodem Infante Alphonso de la Cerda, prout quorūdam traditio tenet, cepta est. Refert etiam Emmanuel de Ioes eiusdem Prouinciæ Prouincialis, *in quadam relatione,* hoc Cœnobium, veluti diuinitus extructum fuisse. Causa videlicet, quod cum probus quidam eius Oppidi ad suum prædium nocte quadam incederet, eo loco, quo constructum fuit, suauem musicę melodiam audierit; rem retulerit; Episcopus ita esse compererit, & terra effosa, pulcherrima Deiparæ Imago in puteo quodam, qui adhuc extat, reperta fuerit: simul cum campana quadam, quæ Vlissiponem cum deferretur, boues ad quendam locum peruenientes (vnde lympharum fons vsque hodie scaturit *Fons Sanctus* cognomine) vlterius progredi reniterentur. Hic porro casus, etsi mirabilis, singularis tamen in Hispaniæ partibus non est: simili namque Dei prouidentia quamplures Deiparæ Icones, quæ sub inuasione Maurorum in eam Regionem à pijs absconditę fuerunt, palam postea, cum Deo placuit, Christicolis, varijs in locis, manifestatæ sunt; prout passim in historijs cernitur. Hæc igitur Sacra Maurensis Oppidi domus deuotionis magnæ est populo illi, cuius nobiliores incolæ in ipsa sepulchrum habent; ac in ea ad quinquaginta ferme Carmelitæ commorari solent. Monasterij namque officinæ; nobile Claustrum; fons, qui ex ipso in stagnum Conuentui proximum, piscibus copiosum, præceps cadit; ac aliud claustrum, quod altero stagno piscibus etiam non vacuo, gaudet, iucundam fratribus mansionem præbere possunt. Sicut & piam, ac deuotam ob Reliquias Sac. Ligni Crucis, & SS. Martyrum Xysti Papæ, Pauli, Blasij Episcopi, Maximiani etiam Episcopi, Titi, Pancratij, Martionis, Lini Papæ, Laurentij, Processi, Crispini, Exuperij, Donati, Marij: & Sanctarum Agathæ, Flauię, Basilissæ, & Balbinæ, ab Illustrisimo Domino Iosepho de Mello Eborensi Archiepiscopo

ſcopo donatas. Decoratur etiam idem Conuentus donationibus Ioannis primi, Ioannis tertij, & Sebaſtiani Luſitaniæ Regum,& ſpecialius ipſius Ioannis primi, qui eum ſub ſua protectione ſuſcepit, eo quod (inquit) plura beneficia à Deipara Sanctiſſima ſuſceperit, & quia in toto ſuo Regno nullum aliud Aſceterium eſſet propriè eiuſdem Virginis glorioſæ. Habuimus hæc cum copioſa alia rerum huius Prouinciæ relatione diligenter elaborata, per Patrem Ludouicum Mertola eiuſdem Alumnum, ac virum probitate,& doctrina magnopere commendabilem, ac dignum vt ipſi fides adhibeatur, prout nunc, & in ſequentibus adhibebimus.

9 In Anglia etiam nobiliſſima Prouincia hoc anno refertur fundatio Monaſterij Hyngeſtoniæ, fundatoribus Rege Eduardo ſecundo poſt conqueſtum,& DD. Roberto Olhtred, & Richardo de Lapool militibus. Cœterum in Tabula alia Chronologica Monaſteriorum Angliæ pro hoc anno ſolum refertur conſtructio Monaſterij Neruuę Caſtellę in Hothumbria, fundatore Eduardo primo Rege. In quo, cum magna ſit diuerſitas, vel exiſtimandum errorem in ſcripturam incidiſſe, vel aliquid huiuſmodi nobis incompertum. Hyngeſtonienſis.

10 Id tamen pro comperto ſit, quod in tanto numero Monaſteriorum, quæ in Anglię Regione extruebantur, plura erant ex Monachis noſtris vitæ probitate, & litteratura inſignes. Ex quibus Ioannes Chelmeſton, quem quidam vocant Cheluefton, Anglus Eboracenſis, Doctor Oxonienſis, eiuſque Vniuerſitatis publicus Cathedraticus, inculpatæ vitæ vir, perſpicacis ingenij, & magnæ doctrinæ. A Gerardo de Bononia Ordinis Generali in Inferiorem Germaniam miſſus fuit, vt ibidem doceret: quod fecit Bruxellis, & alibi: quare ſuis lectionibus, & diſputationibus, multiſque alijs literarijs exercitationibus ſe celebrem reddidit, & ob eruditionem varijs virtutibus decoratam, multorum gratiam, & beneuolentiam ſibi conciliauit. Illius ſcripta olim Norduuici aſſeruabantur, & iſta erant. Determinationes Theologicæ lib. 1. *Vtrum per peccata venialia*. Lecturæ Scholaſticæ lib. 1. *Vtrum ſit aliquod Sacramentum*. Quæſtiones ordinariæ lib. 1. *Vtrum Spiritus Sanctus diſtingui*. Sermonum, & Collationum lib. 1. Pitſeus ex Gobelino Germano *lib. de pœnitentijs*, & Ioanne Vineta *cap. 5. ſui Chronic.* Romanus *in Elucidat. fol. 207. pag. 2.* Auguſtinus Biſcarretus *in Palmit. Vineæ Carmeli litt. I.* Ioann. Chelmeſton.

11 Alius erat Thomas de Illeia Anglus Suffloceñſis. Is in timore Dei educatus, cum primum annos adoleſcentiæ attingeret, Religioſo voto ſe aſtrinxit, & Carmelitanum Habitum in Cœnobio Gyppeſuuicenſi ſuſcepit,& tractu temporis, emiſſa Profeſſione, laudabiliter perſeuerauit vſque in finem. Perceptis apud ſuos Religioſos cultioribus diſciplinis, imo omnibus ingenuis artibus,& phyloſophicis ſcientijs; cum eſſet mire litterarum amans, ingenij felicis, magnæque induſtriæ: Cantabrigiam ad Theologica ſtudia percurrenda miſſus eſt, vbi ſtrenuam operam nauatam ſequutum eſt debitum præmium, laurea ſcilicet doctoralis. Illic etiam Thom. Illeia

tiam ex Cathedra magistrali Theologiam tam Scholasticam, quam interpretatiuam summo cum auditorum applausu, parique fructu publicè professus est. Postea missus in inferiorem Germaniam, Brugis etiam vtramque Theologiam similiter docuit, Chelmestono collega factus, vt scribit Gobelinus citatus à Pitseo. Porro ingenij, pietatis, & eruditionis hæc in scriptis argumenta posteris reliquit. In Apocalypsim *lib. 1. Apocalypsis reuelatio dicitur*. Tractatus in varia Scripturæ Sacræ loca *libros plures*, Quæstionum Theologicarum lib. 1. Introductiones ad Lecturam lib. 1. Conciones ad populum lib. 1. Sic fermè Pitseus *de Scriptoribus Angliæ*, Romanus *supra*, & Biscarretus *littera T*.

Ann. Christi *1291*. Nicolai *4*. Roman. Pontif. *4*. Rodolph. dict. Imperat. *18*. Andronici Imper. Orient. *9*. Petri Amiliani General. *19*.

Gesta hoc tempore.

1 Finis belli Sacri in Syriam post Christianos inde pulsos, & totius Regionis sub potestate Turcarum, Ptolemaidis præsertim, iuxta dicta sub anno præcedenti: etsi non cessaret Pontifex ab admonendis Christianis Principibus pro illius subuentione. Bzouius, Odericus, & alij.

Conuentus Ptolemaidis

2 Huius etiam calamitatis tempore maxime perdidit Ordo noster Cœnobium illud apud Ptolemaidem, seu Acchonem situm, cuius memoriam fecimus sub anno 1141. ex Marino Sannuto. Eo præsertim, quod cum extra portam Sancti Lazari, & Ciuitatis mœnia situm esset, prout eo loco notauimus, facilè euerti posset.

Nazaretha Domus.

3 Eodem etiam anno Sacra domus Nazareth Incarnatione Domini Illustrissima, in solatium Christianitatis, quæ Terram Sanctam amiserat, è Syria, & Nazaretho Angelorum manibus in Dalmatiam, maximo miraculo translata. Horatius Turselinus *in historia Lauretana lib. 1. cap. 2.* Bzouius, & Odericus *sub hoc anno*. Inde postea anno 1294. Picœnum transfertur, à loco vbi modo est *Lauretana domus* dicta, totius Italiæ pretiosissima gemma. Nostræ historiæ hanc quoque ascribimus, quia prædicta Sacra Virginis, & Parentum domus sub nostrorum cura vsque ad hoc tempus destructionis Terræ Sanctæ fuit, vt vidimus in præcedentibus, & post modum ipsis restituta tempore Innocentij Octaui, & si modo, quando hæc scribimus (quod non sine lachrymis referimus) tanto bono orbati maneamus: & eidem Virgini Sanctissimæ, filij, etsi indigni, clamamus. *Reuertere ad nos, ò Mater, reuertere.*

Conuentus Arlunensis.

4 Donatus est Ordini nostro hoc anno Conuentus Arlunensis Prouinciæ Belgicæ, ab Aderico Præposito Vrbis, Lamberto Iustitiario, Scabinis, & Communitate Vrbis, de consensu, & voluntate nobilis Domine

D. Bea-

D. Beatricis Comitissæ Luxemburgensis. Prout in vetusto libro Manuscripto huius Conuentus latius continetur; & ex relatione eius Prouinciæ accipimus.

5 De eodem tempore hæc habet Ioannes Palæonydorus lib.5.cap.10. *Eodem anno, quo Conuentus Carmeli Montis fuit combustus igne, generale capitulum in Conuentu Treuerensi Prouinciæ Alemaniæ in die Pentecostes fuit celebratum. Tunc Petrus de Amiliano cedens officio, paucopost tempore in Conuentu Coloniensi moriens tumulatus est.* Cum autem Raimundus de Insula, qui in Generalatus munere Amiliano successit, assumptus ad eam dignitatem ante annum 1294. non fuerit, vt ex Ioanne Grossi *in Viridario clani 2.* & ex eodem Palæonydoro, qui id accidisse ibidem refert anno Bonifacij Octaui, qui fuit prædictus 1294. Ideo vnum de duobus affirmandum, vel quod, non obstante cessione officij, humilitatis forsan causâ (vel etiam tædij ob Terræ Sanctæ, & Carmeli destructionem, quæ tunc proximè imminebat) facta, ipse per triennium sequens illud exercuerit, renuente Capitulo renunciationem admittere, vel quod eo interiecto tempore aliquis vicem Generalis habuerit, cuius nomen, & acta nobis incognita. Capitulum Treuerense.

6 In fine eiusdem anni die vndecima Decembris, nec sine nouo Sanctitatis viso signo, insolito videlicet splendore luminis post tenebras supra Senarum Vrbem, & Carmelitanum nostrum Cœnobium, Ecclesiæ susceptis Sacramentis, à fratribusque humiliter pro defectibus petita venia, Francus noster Senensis, de quo in superioribus, terras linquens, Beatorum adauxit numerum. Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci capit. 28.* Sequenti die in Ecclesiam nostram magna populi multitudine accurrente, sacrum corpus defertur. Sepulturæ tradere ea die fratres gestiebant, sed renuente populo, ex quo multi languoribus vexati, sancti meritis incolumes reddebantur, in sequentē tumulatio transferturi. Quo die, insigni præmisso miraculo, de cuiusdam cæci nati illuminatione, terrę traditum corpus Beati, donec post aliquot annos exhumatum honorificentiori loco, sub Altari videlicet, eidem dicato, pie reconditum fuit. Lombardellus *vt supra cap. 29. & 31.* B. Francus obitus.

7 Cultum Sancti, vel Beati prædicto Franco debitum, etsi solemni Canonizationis, vel Beatificationis ritu à Sede Apostolica decoratus vsque modo non sit, multa suadent. Primum, insignis ipsius vita, magnis, pręclarisque miraculis, ac prodigijs confirmata, prout in superioribus vidimus. Accedit, prędictum Francum pœnitentię, mortificationis, & austeritatis, rarissimum inter Sanctos exemplum toti mundo prębuisse. Item quod officio Ecclesiastico à Clemente Quinto anno 1308. etsi postea tempore reformationis Breuiarij omissum sit, honestatus fuerit, referente prędicto Lombardello *vt supra cap. vltimo*. Deuotio pręterea, reuerentia, & cultus, quibus Christianus populus, Senensium pręcipuè, illum, ipsius Imaginem, ferreaque ipsius pœnitentię instrumenta, veneratur, id satis suadet. De cultu ipsius.

Maximè verò, quod Senis singulis annis Dominica secunda Maij eius festum solemniter à multis etiam retro annis celebretur, cum expositione Reliquiarum ipsius super Altare intitulatum *Madonna del Parto* Ecclesiæ nostræ: notabili etiam populi Christiani concursu ad eam Ecclesiam; ac aliquando cum processione ex vicinis populis vsque ad Senarum Ciuitatem, constat ex publico, & authentico instrumento, testium attestationibus, & publici notarij subscriptione, & sigillo de anno 1609. quod præ manibus habemus, vbi etiam de fama sanctitatis, deuotione populi erga ipsum, & gratijs ipsius intercessione receptis. Testis quoque de visu sum, quod in Inclyta, & Imperiali Vrbe Toleti in Hispania, à quinquaginta circiter annis, eius effigies, & Imago in vexillo cuiusdam Confraternitatis vocatæ *de los Zurradores* publicè ferebatur. Ex litteris quoque è Matritensi Conuentu ad nos missis, habetur, quod hoc anno 1655. quando hæc scribimus, in Claustro eius Monasterij Sacellū quoddam eidem Beato Franco Senensi dicatum fuerit cum eius effigie ibi apposita die secunda Maij eiusdem anni, celebri facta processione per publicas vias, magnoque populi concursu, ingentisque lætitiæ signis. Nec sine Dei speciali prouidentia erga hunc Beatum actum credimus: eo videlicet, quod ex fælicissima populo Christiano Sanctissimi Domini Nostri *Alexandri Septimi* ad Papatum creatione, Curia illa Philippica, & Aula tanti Monarchæ Regia, auspicari poterat eum ab eodem Sanctissimo, etiam patria Senensi, in album Sanctorum solemni Canonizatione, prout & nos quoque expectamus, esse referendum. Crescit autem pia hæc suspicio de speciali Dei prouidentia, quod die illa secunda Maij vix poterat Matriti notitia haberi de eiusdem Sanctissimi electione, & casu, quo habita esset, creditu difficile est tam cito præparari potuisse Sacellum illud in Claustro eidem Beato nūcupatum, ipsius effigiem in eo appositam, processionem, & lætitiæ illa signa, quæ retulimus. Credimus igitur, dum aliud nobis certò constet, quod tempore, quo de Summi Pont. electione Romę agebatur, Deus omnium præscius, eiusdem Franci meritis permotus, Matritensibus, ob præfatum finem sic faciendum inspirauerit. Consonat quoque dictis, quod, prout ex authentica scriptura, quam præ manibus habemus, à Plebano Ecclesiæ Sancti Ioannis Senensis subscripta, in ea Ecclesia in cornu Euangelij reperitur Imago eiusdem Beati Franci Carmelitæ cum splendoribus, simul cum alia Beati Ioannis Columbini Iesuati, & in cornu Epistolæ Imaginibus Beati Francisci Seruitæ, & Beati Petri Petroni Carthusiensis. Testatur autem ipse Plebanus scripturas istas satis antiquas esse. Quin ex testimonijs etiam authenticis pictorum eiusdem insignis Ciuitatis, quæ etiā apud nos extant, pro comperto est, picturas illas antiquissimas esse à Michaele de Matthęo Bononiensi factas ante annos 200. pro anno videlicet 1447. Quod etiam constare dicunt Alphonsus Landi, & Michael Vanni ex libro quodam eius Ciuitatis.

Quid ex decretis Vrb. 8

8 Vnde quamuis, iuxta decretum S. Inquisitionis Rom. sub Vrbano Octauo

Octauo editum anno 1625. cultus Sancti, vel Beati, tribuendus non sit, nisi ijs, qui ab Ecclesia Canonizationis, vel Beatificationis honore insigniti fuerint, quia tamen eodem Papa ibidem declarante, per prædictum decretum nullatenus præiudicatur *ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij celebrantur*: cum, iuxta eiusdem Sanctissimi declarationem anno 1634. longissimum tempus, seu immemorabilis cursus, de quo in præcedenti decreto, *tempus centum annorum metam excedens*, intelligi debeat, absdubie Beatus Francus prædicto decreto non comprehenditur, & ita cultus illi vsque modum exhibitus iure etiam in posterum videtur tribuendus.

9 Hinc prædicti Beati Franci vitam 32. digestam capitibus Gregorius Lombardellus Dominicanus Magister scripsit, Typis mandatam Senis ann. 1590. quam postea Ioannes Antonius Philippinus Ord. nostri etiam Magister postea Generalis Romę 1625. iterum Typis mandari fecit. Item Alexander Calossus Senensis eiusdem nostri Ordinis, prædicti B. Franci vitam descripsit 33. capitibus comprehensam, & ad Serenissimum Ferdinandum secundum Magnum Hetruriæ Ducem nuncupatam. Habetur etiam in manuscriptis Codicibus opera Sigismundi Titij factis, & in alio manuscripto incerti Auctoris industria R.P. Dominici Gulielmi Dominicani extracto. Insuper in manuscripto Bibliothecæ Excellentissimi Ducis Altemps, de quo aliquoties diximus, inter Sanctos Ordinis, quos auctor depingendos dicit cum cappis albis, Beatum Francum nostrum collocat, licet error in nomine irrepserit, illum *Franciscum* appellans. Externi quoque alij, vt domesticos omittamus, inter Sanctos Ordinis ipsum reponunt, specialiter Ioannes Carthagena 4. *tom. homil. lib.* 17. *homil.* 3. licet etiam ob nominis similitudinem illum Franciscum appellet. Eum etiam commemorant ex nostris Philippus Metius *in vit. SS. Ordinis*, Michael Munozius *in propurnacul. Eliæ pag.* 318. Segerus Pauli *in notis ad Kalendar. Mechliniense pro die* 11. *Aprilis*, Casanate *in Paradis. Carmelis ann.* 1292. De illo quoque impius ille Balæus *in suo Cathalogo in appendic. ad Vgonem de Euesham* scribens illius sanctitatem admittit, etsi erret dum dicit ante suam conuersionem fuisse equitem auratum, eiusque corporis mediam partem Senis, mediam Cremonæ seruari, vt in hoc disticho. Alia de ipso B. Franco.

Francus Eques Italus Carmeli ex gente reclusus,
Cuius habent corpus Sena, Cremona simul.

Ann. Christi 1292 Sed. Rom. Vacat. Adolph. Imperat. seu Reg German 1. Andronic. Imperat. Orient. 10 Petri Amiliani General. 20.

Obitus Papæ Nicolai.

1 PRoximè sequenti anno 1292. Christianæ Reipublicæ rebus afflictus Nicolaus Papa pridie nonas Aprilis è vita decessit. Vacauitque Sedes, nec cum paruo Ecclesiæ detrimento, vsque ad nonas Iulij 1294. Mortuo etiam Rudolpho Romanorum Rege, in Successorem eligitur Adolphus Comes Nassouiæ. Nauclerus, Trithemius, Auentinus, Honuphrius, & alij.

Gerundensis Conuentus.

2 Gerundæ nobili Cathaloniæ Vrbe sub hoc anno locum Ordo noster habere cepit. Cæterum eo, qui intra Ciuitatis ambitum erat, relicto, extra eam ad ripam fluminis proximè fluentis ann. 1295. noua domus erecta est. Decoratur Cœnob. Eccl. pluribus Sacell s. Confraternitatibus in ea institutis, fauoribus, & priuilegijs Summorum Pontificum, ac sepulchris illustrium familiarium Ciuitatis, præsertim Masferrerum, Alemanorum, Realum, Razatum, Despuig, & Bahurorum. In Capitulo etiam monumentum nobile, & eleuatum conspicitur Reuerendissimi Domini Antonij Galtelonensis Episcopi ex Ordine nostro assumpti. Huius Conuentus alumnus, ipseque clarissimus fuit Magister Philippus Ribot author libri *Speculum Ordinis* cognominati, & propterea de tota Religione optimè meritus: in eo quippe, quæ vetustiores Patres nostri pluribus voluminibus de Ordinis antiquitate scripserunt, in vnum volumen compendiose, aut methodicè collegit.. Claruit quoque in hoc Cœnobio, cuius filius erat, Magister Iacobus Costa Cathaloniæ Prouincialis, Monasterij de Campo rotundo fundator, & huius Gerundensis insignis benefactor, cui è Roma caput Sanctæ Candidæ Virginis, & Martyris allatum, argento intextum donauit, cum capite etiam vnius ex vndecim mille Virginibus, et alijs Reliquijs.

Maldonensis Conuentus.

3 Eodem item anno Maldone in Anglia nostri Ordinis erectum Cœnobium. Fundatores Dom. Riccard. Episc. Londonien, & Richardus Iselim Rector Ecclesiæ de Solhthanfelde. Speculum Ordinis *fol.* 60. Dicitur autem in Tabula illa Cœnobiorum Angliæ sæpius commemorata, sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ erectum fuisse, & habuisse redditus annuos 1041.

DineKlespilen. Conuent.

4 Insuper DincKlespilense quoque Monasterium Diœcesis Augustanæ in Germania sub hoc anno acceptum. Ob bella tamen tempore Caroli Quinti Imperatoris, & quia Ciuitas aliquoties à Religione Catholica defecit, ad paupertatem redactum. Non fuerunt tamen Religiosi, quamuis Ciuitas in nouissima Germaniæ clade in potestatem Suecorum venerit,

venerit, è Monasterio pulsi. Bartholomæus Eiselim Prouincialis German. *in Relatione ad Reuerendiss. Theodor. Strat. Generalem.*

5 Fœlicissimus etiam transitus Sancti Alberti Drepanensis pro hoc anno à multis, & grauissimis refertur. Baronio *in Annotationib. ad Martyrolog. Roman. sub die septima Augusti*, Surio, & Francisco Haerio in vita ipsius *sub eodem die*. Bzouio *tom. 3. Annal. sub hoc anno*, Oderico etiam *sub hoc anno*, Iacobo Galterio *in Tabul. Chronograph. sæculo 13*. Quibus iungitur Balæus, & si malæ fidei antiquior auctor, *in Cathalogo Scriptorum Britanniæ, Centuria quarta in Appendice secunda ad Ioannem Rufum, & alij*. Plura tamen sunt, quæ mirabile reddunt, quomodo is error in viros tam doctos, & alios qui ipsis adhærent, incidere potuerit, si ipsius Sancti Alberti vitam legerunt. Etenim in ipsa habetur ad decrepitam ætatem venisse; & tamen si hoc anno obijt, cum solum esset quadragesimus secundus suæ ætatis, siquidem anno 1250. natum probauimus, proculdubio nimis improprie ad decrepitam ætatem peruenisse, imo nec ad senectam, dici posset. Deinde in ipsa Historia eiusdem clarissimè habetur, quod anno 1295. Hierosolymis esset. Absurdum ergo est dicere anno 1292. è viuis translatum esse. Præterea insigne illud factum de succursu Ciuitatis Messanensis per Robertum Calabriæ Ducem, seu Neapolitanum Regem obsessæ, qui precibus Sancti Alberti contigit, nunnisi pro anno 1300. vel circiter referri debet, prout eo loco dicemus. Abeat igitur huiusmodi error de morte ipsius pro hoc anno. Error circa mortem S. Alberti.

Ann Christi 1293. Sed. Roman. Vacat. Adolphi Imperat. seu Regis German. 2. Andronici Imperat. Orient. 11. Petri de Amiliani Gen. 21.

1 COntinet hic annus egregium, & iure commendandum factum, illustreque fidelitatis exemplum, Alphonsi Peresij Guzmani, qui, vt Tariffam Ciuitatem à Mauris defenderet, proprio, & vnico filio, Deum imitari volens, non pepercit, ipsum ab hostibus perimi permittens, etiam gladio oblato pro internecione, vt populum liberaret. Casum singularem ex Mariana, & alijs Hispaniæ Scriptoribus legat lector. Sicut & alium crudelitatis, non sic commendabilem, Philippi Pulchri Regis Galliæ, cum Philippa puella, 20. eius pedissequis, & 30. viris claris. Bzouius ex alijs. Gesta hoc tempore.

2 Pro hoc etiam anno 1293. celebratum Capitulum Burdegaliæ; & in eo Generalem Raymundum de Insulis creatū refert Palæonyd. *lib. 3. c. 10* sed quia hoc dicit accidisse anno primo Bonifacij Octaui, qui fuit sequens annus 1294. & in eo, quoque id factum antiquus auctor Ioannes Grossi in Capitulum Burdegalen.

Viridario Claui 2. referat, ideo vsque ad proximè sequentem annum id omittimus.

Gulielmus de Samuco.

3 Præsenti tamen anno Gulielmum de Samuco egregium nostri Carmeli Eremitam, Virumque doctissimum annumerare possumus. Is, quem alij Syrum; alij Gallum, imo & Tholosanum, faciunt; quos sequitur Augustinus Biscarretus *in Palmitibus Vin. Carmel.* referens Nicolaum Bertrandum, è Carmelo Acconem perrexerat, vt insultus Barbarorum declinaret: sed Accone ab eisdem expugnata anno 1291. cum aliquibus Christianis Cyprum nauigans, vix violentas manus effugit. Ibi Chronicon de sui Ordinis multiplicatione, quod sæpius recitauimus, scripsit, Terræ Sanctæ, & Conuentuum Religionis amissionem deplorans. Scripsit quoque Vir doctissimus in Regulam Ordinis, Decretales Religiosorum, & in quatuor libros Magistri Sententiarum. Trithemius *de Scriptor.* Iacobus Philippus Bergomen. *in Supplement histor.* Petrus Lucius *in Bibliothec. Carmelit.* Posseuinus *in Apparatu Sacro.* De eo etiam refert Thomas Dempsterius *in Nomenclatura Scriptorum Scotorum littera S.* Carmelitas primum in Scotiam induxisse anno 1244. eumque titulo Beati decorare videtur. Marcus Guazzus *in Chronic.* eum vocat *Magnum Philosophum, & Theologum, eleuati ingenij, magnæ eloquentiæ, & venerandæ conuersationis.*

Conuentus Barchinon.

4 Barchinonensis Cœnobij erectio huic anno pro duodecima die Octobris sub titulo Sanctissimæ Virginis de Monte Carmelo ascribenda, prout ex relatione Prouinciæ Cathaloniæ, inter cuius Cœnobia Iure primatum, & si non quo ad antiquitatem, quo ad magnificentiam tamen tenet. Est namque ex celebrioribus Hispaniæ Monasterijs, ob Claustrorum pulchritudinem: & ædificiorum insignem ornatum. Etsi enim in suburbio Ciuitatis, in quo vltra viginti aliæ Ecclesiæ cernuntur situm sit, cœterum ob deuotionem populi erga Deiparam Sanctissimam, & quia in ea Ecclesia diuina Officia solemnissimè celebrantur, magnus est concursus Ciuitatis ad ipsam ex nobilibus, & vulgaribus. Sacristiæ ornamenta serica magni pretij, & laboris esse constat. Ibi quoque duæ arcæ Reliquijs Sanctorum reconduntur, sicut, & argentea, alia vasa affabrè elaborata, varias quoque Reliquias continentia. Anno 1358. eligenda Aragoniæ Regina Ecclesiam hanc, reditibus ornauit pro celebratione Missarum, & Anniuersariorum. Plures quoque virtute, & doctrina insignes viros aluit. Præsertim Ioannem Claranum Episcopum Rossensem in Sardinia, Bartholomæum Graci à Mahometanis Algeri, ob Christi fidem interemptum, Franciscum Martinum celebrem Sacræ Theologiæ Doctorem, Hieronymum Tostatum, etsi Lusitanum, huius tamen Conuentus Alumnum, & in ea Vniuersitate publicum Lectorem, & Sacræ Inquisitionis Consultorem, Cyrillum Magrinianum Conuersum magnæ sanctitatis virum, Magistrum Paulum Garses, Gasparem, Segui, Paulum Factonem, Monserratum fons, Theologum insignem, & alios, de quibus, tam in hoc,

quam

quam in Tomo ſequenti erit ſermo. Hæc ex dicta relatione ſtudioſè elaborata habemus.

Ann. Chriſti 1294. Cœleſtini Roman. Pontif. 1. Adolphi Imper. ſeu Reg. German. 3. Andronici Imperat. Orient. 12. Raymund. de Inſul. Gen. 1.

1 HOc tandem anno nonis Iulij Petrus Morronus ex Eremita ſanctæ vitæ Papa eligitur: quam tamen dignitatem lubens dimiſit die 13. Decembris, ita vt propterea 24. eiuſdem menſis Cardinalis Caietanus Pontifex ſit electus, ac vocatus Bonifacius Octauus. Sic fermè Platina, Honuphrius, Sabellicus, Blondus, & recentiores cuncti: etſi in cauſa cur Cœleſtinus Papatui renunciauerit non omnino conſentiant. Quidam enim, eo quod parum idoneus in rebus agendis haberetur, id feciſſe credunt: alij vero non niſi humilitati, corporis debilitati, aut deſiderio quietis, vel arctoris vitæ, quam antea vir ſanctiſsimus expertus fuerat, id tribuunt. Vtcunque ſit rarum exemplum mundo dedit. Pontificum electio.

2 Huius autem Sancti Pontificis electionis, & quæ ipſam comitata ſunt, præſcius noſter Sanctus Cyrillus centum ante euentum annis in ſuo Oraculo Angelico *cap. 6.* ſic prophetauit: *Hæc quoque præibit nouitas inaudita, quia numularij ſupremæ Tabulæ congregabuntur in piro frondoſa, turrita, & aſpera à Tyberi irrigata, vbi priſci diadematis, viruſque primarium, condent theſaurum, ne à Quiritibus rapiatur; ibi ludent in pyrgo, admodum ſe attentos, magnaque facturos effigiantes, ſed ebrij, ſopitique flocci pendent elionum iacturam, cruoremque dimicantium vernularum, donec Vrſus mirabilis egrediatur de ſaxo agitatus à ſpiritu.* Quorum abſtruſam ſignificationem expoſitioni Ioachimi Abbatis in Commentario ſuper hunc locum inhærentes, quibuſdam tamen omiſſis, ſic damus. *Numularij ſupremæ Tabulæ*, ideſt, Domini Cardinales; qui ſimul cum Papa Eccleſiæ bona ſpiritualia, & temporalia diſpenſant. *In piro frondoſa, turrita, & aſpera, à Tyberi irrigata.* Hæc eſt Peruſij Ciuitas, in quam Cardinales electuri Pontificem conceſſerant, & cui prædicta ſigna adaptantur. *Theſaurum*, ideſt ſummam aliquam auri, & argenti; quam ſecum portarunt Cardinales Peruſium, conflictum, ſeu ſeditionem, Quiritum Romanorum timentes vt ſeruaretur. Propterea adiungitur, *ne à Quiritibus rapiatur*. Cur autem *priſci diadematis virus primarium*, theſaurus hic nominetur, non facile intelligitur, nec expoſitio Ioachimi arridet, cum aurum à Conſtantino Eccleſiæ collatum *virus primarium* credit. Vide de quodam Eccleſiæ theſauro Peruſio Lucam translato mentionem factam in diplom. Io 22. apud Bzou. *tom. 14. Annal. ſub anno 1317. num. 12.* qui forſan theſaurus, de quo in præſenti erat. Vtve Oraculum S. Cyrilli.

hoc

hoc sit, quod sequitur *ibi ludent in pyrgo* metaphora est, & per eam significatur Cardinales prædictos attentos esse, vt cognoscerent cui sors Pontificatus contingere deberet; quemadmodum in *pyrgo*, qui est vasculus in quo thesera mittitur in tabulam lusoriam, iacienda est sors, quæ obuentura est ludentibus. *Magna facturos effigiantes*, denotat ipsorum desiderium pro optimo Pastore eligendo. Illud etiam, *sed ebrij, sopitique flocci pendent Elionum* (forsan Helluonum) *iacturam; cruoremque dimicantium vernularum*, denotat improbos aliquos de Ecclesia tunc non curaturos de damno Ecclesiæ aduenientc propter dilationem electionis noui Summi Pontificis, maximè cum aliqui Principes, quos ibi Eliones, seu Helluones, idest gulosos, vocat, bella inter se gerent, occisis hinc inde multis suorum subditorum, qui dicuntur dimicantes vernulę. *Donec vrsus.* Hic vrsus Petrus Muronus est, qui in Pontificem fuit electus, vocatur autem Vrsus, non ex contemptu, sed (vt inquit Ioachimus ibidem) *quia prout vrsus lictu, seu lambitu parentum effigiatur, ita Romanus Pontifex lingua electorum perficitur: vel potest dici, quod talis Pontifex erit antequam eligatur parùm estimatus, homo despectus, vestes despiciens pretiosas velut vrsus, qui est lanæ, seu velleris despicabilis inter feras.* Quæ omnia prædicto Petro Murono ante Papatum aptissime congruunt, cum nec Cardinalis, Episcopus, aut Prælatus, sed simplex, humilis, pauper & modicus Eremita, vix mundo, nisi propter sanctimoniam cognitus. Propterea (inquit idem Ioachimus) *mirabilis appellatur, atque a Sancto Spiritu agitatus*, quatenus scilicet Sancti Spiritus afflatu ad tantam dignitatem vocatus fuit. Illud *egrediatur de saxo*, adhuc clarius ipsum designat; cum ante Pontificatum saxeam cauernam in Monte habitasset, vt inquit Bzouius *tom. 13. sub hoc anno*, vel quia *cellulam in saxo excauatam diù incoluit*; vt ait Ciaconius *in vit. Pontific. in vita eiusdem.*

Rupellensis Conuentus.

3 Circa hoc tempus (*sic coniectante nostro Leone à Sancto Ioanne in Relat. Obseruant. Rhedon. cap. 12.*) Rupellensis Conuentus in Rupella nobili Galliæ Vrbe in finibus Sanctonum, & Pictonum ad Occeanum Brittannicum sita, primum initium habuit. Ex Qnglis videlicet Carmelitis è Palæstina in Angliam per generosos viros Ioannem Veschium, & Richardum Greium, vt in superioribus dictum, aduectis. Habebant circa annum 1570. quo tempore hæc Vrbs Caluini venena potarat, Florentissimum Cœnobium in Platea *Perroti* nuncupata; cuius Religiosorum magna pars cæli astra meruit ascendere, pretiosam pro Christo mortem sustinendo à Caluinistis rabidis, qui in viros Ecclesiasticos, piosque quos libet, grassari, furere, & debachari didicerant. Prophanatum Monasterium negotiationis officinam fecere; sed, diuino vindicante Numine, ægreque ferente, quod domus charissimæ Matris sic indigne tractaretur, igne non multo post officina absumpta fuit. Vnde locus ipse ab Hæretica Gente, *Maledictus* appellatus est, sed potius *benedictum* appellamus, prout rudera ipsius cum ossibus nostrorum fratrum, integris, adhuc vestibus, maximè

Scapu-

Scapularibus, & SS. Imaginibus prophanatis, post aliquot annos visa sunt. Sic fermè idem P. Leo. Apud quem eodem libro *cap.* 5. habetur hunc Rupellensem Conuentum primo loco numerari inter Prouinciæ Turoniæ Conuentus. Numerantur autem ab eodem, Rupellensis, Andegauensis, Turonensis, Ploermelensis, Nannetensis, Aurelianensis, Iuliodunensis, Paulopolitanus, Pictauus, Pons Abbatensis, Aulnensis, Hennebotensis, Viuonensis, Dolensis, Bondonensis, Rhedonensis, Iosephinus, Calensis, Boninuncij, Quintenensis, Boniportus, Guildonensis, Maclouiensis, Iosselinensis, Sanctæ Annæ Aulrensis, Sanctiss. Sacramenti Parisiensis, Regium Oratorium Fonbellaquensis, D. Mariæ Flexiensis, & D. Lauretanę Floscelleriensis: ac Sanctimonialium Scotiarum Nazarethi, Sancti Sepulchri, & Bethleemiti.

4 Pratensis Cœnobij in Thuscia nobilis initia huic anno 1294. iure tribuenda, prout ex relatione eius Prouincię accepimus. Floruerunt Hieronymus Meglioratus, qui Sanctum Andream Corsinum ad Religionem suscepit; & de quo sub ann. 1325. dicemus; Iulianus Ioannes, de quo anno 1436. Ioannes Laurentinus de Manzis Doctor, & Ecclesiastes famosus, Prouincialis Thusciæ, ac Vicarius Generalis Ordinis, qui Prati obijt 1512. Iulianus Ristorus, de quo sub anno 1556. & Illustrissim. Iacobus Cortese, Episcopus Vasonensis, Patriarcha Alexandrinus, & valde familiaris Papæ Iulij Tertij, vt propterea eum in multis occurrentibus negotijs occupauerit. Eius memoria habetur ex relatione Prouinciæ, & testimonio Alexandri Gibellini Pratensis, qui etiam addit, hunc nostrum Iacobum Cortese, Prati natum fuisse, & filium legitimum Illustrissimi Domini Thomasij. Hic monendus lector, quod quamuis in relatione Conuentuum Italiæ, iussu Innocentij Decimi facta dicatur hunc Pratensem Conuentum anno 1316. fundatū ex consensu Episcopi Pistoriensis, & habere Ecclesiam sub inuocatione Sancti Bartholomæi; nihilominus stare potest id quod diximus de fundatione huius Conuentus pro hoc anno. Etenim eo tempore inchoatum potuit esse, & anno illo 1316. completum Cœnobium: vel hoc anno primum fratres in aliquo Eremitorio habitare ceperunt, anno autem illo 1316. in formato Monasterio. Non enim semel, sed sæpius huiusmodi varietas in Ordinis nostri Monasterijs fundandis visa est. Cœnobium Pratense.

5 Pariter sub eodem hoc anno 1294. Conuentus Montis Catini nullius Diœces. sub eadem Thusciæ Prouincia fundatus, seu donatus perhibetur à Patronis cuiusdam Hospitalis, cum multis prædijs; cuius Ecclesia habet titulum Sanctorum Iacobi, & Philippi. Sic ex dicta relatione sub Papa Innocentio Decimo. Montis Catini.

De Raymundo de Insulis 10. Generali Latino.

De Raymundo Generali.

6 CApitulum Generale Ordinis hoc anno Burdegaliæ in Vasconia celebratum est: & in eo Raymundus de Insulis Tholosanus in Generalem electus. Facta resignatione Generalatus per Reuerendissimum Amilianum eius prædecessorem, Ioannes Grossi *in Viridario Claui* 2. Palæonydorus *lib.3.cap.10.* Claudius Robertus *in Gallia Christiana in Tractatu de Generalibus*. Sed rem totam Arnoldus Bostius *lib.7. Specul. histor. cap.34.* sic expressit. *Anno Domini 1294. in solemni festo Pentecostes congregatum est Burdegalis Capitulum Generale Ordinis nostri, quo ritè congregato frater Petrus de Amiliano Reuerendissimus Prior Generalis dicti Ordinis, postquam Ordinem laudabiliter rexisset 21. annis, cessit officio Generalatus, hic tandem in pace quieuit, & sepultus est in Conuentu Coloniensi. Facta autem resignatione Venerandi Patris prædicti, inuocatus deuote Spiritus Sanctus in noua electione. Eligitur ergo frater Raymundus de Insulis Conuentus Tholosæ in decimum Priorem Generalem dicti Ordinis, Vir multum maturus, & deuotus; is namque Reuerendissimus Pater, postquam tribus annis Ordinem strenue gubernasset, renunciauit Officio, & postea mortuus; sepultus est Tholosa in Conuentu suo.*

Ann. Christi *1295*. Bonifac. *8*. Roman Pontif. 1. Adolph. Imperat. seu Reg Germ. *4*. Andronici Imper. Orient. 13. Raymundi General. 2.

Gesta Papæ Bonifacij.

1 PLura de Bonifacio Octauo pro hoc tempore referuntur. Primum, quod illi necessarium fuit, vel propter quorumdam calumnias, sui defensoriam epistolam, ad ora maleuolorum obturanda, edere. Deinde, declaratoriam sanctionem de iusta Cœlestini cessione promulgare. Ad hæc pacem in Christianum Orbem inducere; prout facere procurauit. De quibus, & alijs eius vitæ Scriptores. Specialiter etiam circa Ordinem nostrum aliqua notatu digna statuit. Primo etenim, cum plures ex nostris in Studijs, & Collegijs Religionis essent in Theologia sufficienter instructi, qui possent diuini Verbi prædicationi vacare, cum forsan Domini Episcopi ægre eos ad prædictum munus assumere vellent, aut rigoroso examini manciparent, aut saltem ad id munus Generalis facultatem exigerent, Papa Prouincialibus Ordinis indulsit, vt possent fratres idoneos ad prædicandum verbum Dei ad id Officium deputare, de Diœcesanorum tamen locorum assensu. Habetur Bulla data Anagniæ 10. Kalendas Augusti in Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam Collecto *pagina vigesima secunda*, & in Speculo Ordinis *fol.* 69.

pagina

pagina secunda, & eiusdem meminit Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.*

3 Insuper cum adhuc negotium de reassumptione albarum Capparum; non obstantibus concessionibus Honorij Quarti, & Nicolai Quarti, de quibus supra ann. 1285. & 1288. forsan in lite esset, reclamantibus Præmonstratensibus Religiosis, propterea Summus Pontifex Bonifacius eodem anno, & septimo Kalendas Decembris, ratam, & firmam habuit, ac Apostolica auctoritate confirmauit mutationem varij coloris mantellorum in albas cappas, sicut iam per viuæ vocis oraculum Honorij Quarti instantibus Cardinalibus Latino, & Geruasio concessum erat; & à Generali Capitulo executioni mandatum. Habetur bulla in Speculo Ordinis *fol. 70. pag. 2.* & in *tom. 1. Bullarij* Laertij Cherubini inter Bullas Bonifacij Octaui, & eiusdem meminit Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.* Ex ea autem manifestè elicitur corrigendos aliquos externos Auctores dicentes, Honorium 4. nobis præcepisse prædictam capparum mutationem, ac quod auctoritate Pontificia ad id faciendum coacti essemus; cum tamen, vt ex prædicta Bulla constat, nobis instantibus, postulantibus, & exigentibus, prædicta mutatio facta sit, & à Sede Apostolica confirmata. De albis Cappis.

4 Pro Conuentu Attrebatensi, & huius anni historia, extat hæc relatio à Prouincia Belgica ad nos missa: *Carmelitæ in suburbijs primo admissi sunt ad Conuentum fratrum quorundam dictorum de Pœnitentia Iesu Christi, vulgo Sachetum, de licentia Gerardi Episcopi Attrebatensis, vno tantum ex dictis fratribus superstite anno 1295. Accessit postea confirmatio Ioannis 22. anno 1329. cuius originales litteræ in Archiuio Conuentus seruantur. Conuentus hic tertio fuit combustus. Primo, per Robin Canol Anglum, cum suburbijs anno 1370. secundo, per ipsos Ciues ad conseruationem Ciuitatis, verentes obsidionem Caroli sexti Regis Franciæ anno 1414. tertio, per eosdem, anno 1477. Ludouico vndecimo Francorum Rege Vrbem obsidente, qua per eundem armis occupata, admissi sunt ad Vrbem Carmelitæ, & locum sibi emerunt, anno 1478. in quo Conuentum à fundamentis ædificare cœperunt, & erectum possident.* Conuentus Attrebaten.

5 Erant iam sub hoc anno in inclyta Ferrariæ Ciuitate nonnulli ex fratribus nostris, vnum præsertim Pax appellatus, sub nomine Prioris, seu Procuratoris Religionis: cui Federicus Episcopus Ferrariensis, totius Religionis nomine, donauit quandam Capellam Parochialem Beati Pauli, sitam iuxta muros Ciuitatis, cum omnibus suis casamentis, domibus, hortis, vineis, prædijs, iuribus corporalibus, & incorporalibus, fructibus, redditibus, &c. ea cum conditione, quod esse deberent in dicta Capella, & domibus eius duodecim Fratres: & quod ibi erigeretur Altare ad honorem Sancti Martini, quod vocaretur *Altare Episcopi*, & in quo quotidie celebrari deberet pro anima ipsius Federici, & Prædecessorum, ac Successorum. Constant hæc ex authentico Instrumento ab Eminentissimo Cardinali Magalotto ad nos misso, ac ex Archiuio Ferrariæ extracto, cuius data est pro die Februarij anni 1295. In eo autem hæc habentur circa principium. *Nos Federicus, &c. Deuotionem, & affectionem specialem* Conuentus Ferrariæ.

gerentes ergo Sanctam, antiquam, & approbatam Religionem Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli. Et infra: *Assignamus conferimus, & liberali, ac pura, perpetua, & reali concessione firma, irrefragabili, donamus, cum serie præsentis scripturæ publicæ in perpetuum valituræ præsenti Religioni, & Ordini B. Mariæ de Monte Carmeli, &c. Et tibi fratri Paci Bononiensi Ordinis Priori Conuentus Ferrariæ præsenti nomine totius Ordinis supradicti recipienti, & acceptanti:* Ex quibus elici potest, fratres nostros, vtpotè, qui iam aliquem sub nomine Prioris habebant, in ea Ciuitate antea habuisse mansionem: & si quo loco, & à quo tempore nobis incertum sit. Sed facile creditu, quod extra Ciuitatem in loco deserto, prout nostrorum moris eo tempore erat, eam haberent à tempore, quo, Sarracenorum feritate sæuiente, cogebantur nostri Carmeli, solo relicto, Europeas Prouincias incolere. Fundationem autem Monasterij Ferrariensis eo anno circa eam Capellam ortum habuisse etiam habemus ex Archiuio Conuentus Sancti Chrisogoni nostrorum Patrum Congregationis Mantuanæ, vbi in quadam memoria describitur, quod sub die 24. Martij eiusdem anni Marchio Estensis Ferrariæ Dominus, & Iudex duodecim Sapientium eiusdem Vrbis Carmelitanis concesserint Ecclesiam Sancti Pauli vsq; ad id tempus per quosdam Presbyteros malæ famæ administratam, ob eorum scandala, & quod fratres nostri in optima opinione essent in multis Italiæ Ciuitatibus. Sic ibi habetur. Cessit postea sub anno 1492. hoc Cœnobium eidem Mantuanæ Congregationi Obseruantiæ strictioris titulo. Gaudet Parochialis Ecclesiæ prærogatiua; priuilegijs à Serenissima Estensi familia concessis quamplurimis; nobilissimo Templo; in quo triginta Altaria fuisse dicitur (etsi postea ingenti terræmotu quassatum corruerit, sola Beatæ Virginis præseruata Imagine, vt etiam perhibetur) nonnullis Sanctorum Reliquijs, nec parui momenti vasis argenteis, & sericis pretiosis vestibus non paucis; ac Sacrarum litterarum nobilissimo Licæo, in quo veluti in Tecuro equo strenuissimi Litterati claruerunt. Quia etiam ibi *cum Pallade stat frugifera ceres*, ideo quinquies ibi Generalia Comitia Congregationis habita sunt. De viris porrò spectatæ vitæ, & insignis litteraturæ, qui huius celebri Cœnobij Alumni extiterunt suis locis nobis sermo erit.

De S. Alberto. 6 Clarissimus velut Sol hoc tempore in Ordine nostro, tum vitæ sanctitate, tum signis, & miraculis Sanctus Albertus erat. Quia tamen ipsa in vitæ ipsius historijs, quæ plurimis, & præ manibus omnium sunt, latè continentur, ea prætermittimus: aliqua dumtaxat, quæ hoc anno in Historia Surij contigisse dicuntur, etsi alij, pro alio tempore ea referant. *Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, vir Dei erat in Terra Sancta, vbi Iudæus quidam crebro vexabatur morbo comitiali: adductus verò est à parentibus ad seruum Christi Albertum, qui ait ad eos: Ecquid vultis? Responderunt illi: Vt filius noster nobis incolumis restituatur. Ait vir Dei: Si vultis credere in Dominum nostrum Iesum Christum, & Matrem eius Virginem fuisse & in partu, & post partum, & cætera, quæ ad fidei Symbolum*

con-

continent, fiet quod petitis. Illi responderunt. Si in nomine Iesu Christi filio nostro reddideris sanitatem, credimus, & eum quem prædicas verum Deum confitebimur. Tum vir Dei, edito Sanctæ Crucis signo, in hominem Comitialem hæc verba pronunciauit. Expellat à te Christus morbos omnes, si vera sunt, quæ ego de illo prædico. Vix ea dixerat, & è vestigio homo coram omnibus curatus est integerrimè, nec vnquam deinceps illo se sensit morbo infestari. Id vbi videre parentes eius Sacrum Baptisma cum illo à viro Dei perceperunt, & admodum Religiose vixerunt, filius vero secutus est virum Sanctum, & cum vitam vixisset cum primis piam, in Domino tandem fœliciter obdormiuit. Eodem anno cum vir Sanctus proficisceretur Agrigentum (flumen quoddam transmisit, quod vulgo Platanum vocant. Vidit autem iuxta fluuium quosdam Iudęos transeuntes. Erat autem iter angustum, quippe inter Montes excelsos. Iudæis ergo iter agentibus, & viro Dei ab altera fluminis parte ambulante, subito aqua excrescit vltra modum: arreptosque Iudæos, cogit natare. Illi cernentes in tam præsens se coniectos discrimen ad virum Beatum, de quo iam auditione acceperant, magnis vocibus clamant. Adiuua nos Domine virtute Christi tui. Respondit ille: Si in eius nomine Baptizari vultis, & toto pectore cupitis effici Christiani, salus vobis præsto erit. Tunc illi: Nos inquiunt, Credimus illis, quæ tu prædicas de Christo Nazareno, cupimusque baptizari. Id illis dicentibus, vir Dei super aquam ambulat, ad eosque perueniens, in ipso flumine Baptizat eos. Interim cedebant aquæ, & illis diuisis vir Sanctus Iudęos Baptismo iam expiatos, absque vllo detrimento ex illo periculo in terram eduxit. Qui cum ad suos reuertißent, omnia quæ in via ipsis accidissent, narrauerunt Episcopo, cum multa exultatione, virum Dei tum apud illum, tum apud alios laude, & prædicatione efferentes. Eo tempore quo vir Beatus egit Prouincialem Siciliæ, quandoque voluit visitare Prouinciam suam. Solebat autem cum scipione ingredi, & socium habebat, qui ferret vas fictile, in quo erat panis, & aqua, vnde in itinere sustentabantur. Accidit autem quodam tempore, illis iter facientibus, & iam ad Monasterium quoddam appropinquantibus, vt socij eius negligentia vas illud in terram caderet, & in multas particulas frangeretur. Ea re valde consternatus frater ille non audebat ad virum Dei propius accedere. Id spiritu cognoscens vir Sanctus, vocat illum ad se, rogat cur solito tardius, & remotius sequatur, & quid habeat vnde tam mæstus sit. Ille rem omnem tremebundus reponit, iubetque vir Beatus, vt particulas omnes contriti vasis ad se apportet. Abit ille vt vas adferat, & ecce cernit illud suæ integritati restitutum, & aqua plenum. Itaque incredibili affectus, gaudio, fert illud ad virum Dei, & porro cum illo ceptum iter confecit. Alio tempore cum vir Sanctus quoddam sui Instituti, & Prouinciæ Monasterium visitaret, & quandoque precandi causa cum fratribus eßet in Choro, spiritu didicit quendam fratrem multa erga Sanctissimam Christi Matrem Mariam animi pietate, & deuotione feruere. Sed ei inuidens tortuosus coluber diabolus, ab ea deuotione eum retraxit, animumq; eius, cuiusdam fęmineo amore inflammauit. Ille vero se sentiens animo saucium, postposuit pristinam deuotionem, & secum statuit cum ea fęmina suam explere libidinem.

dinem. Itaque quodam die loquitur cum ea, aperit illi voluntatem suam, illa se promptam, & paratam offert; Hac vero non latebat virum Dei. Cum igitur ad locum secretum eum vocat, explicat ei omnia, quæ cum muliere perpetrare deliberaßet. Tunc ille à Sancto viro veniam petit, & illo pro eo orante, priorem erga Christi Matrem virgineam sibi sensit restitutam deuotionem.

Ann. Christi 1296. Bonifac. 8 Roman. Pontif. 2. Adolph. Imp. seu Reg. Germ 5. Andronici Imperat. Orient 13. Raymund. General. 3.

Gesta huius anni.

1 Vo tempore Cœlestinus, qui Papatui renunciauerat, cum à Bonifacio successore in custodia teneretur, ad celestẽ Patriam translatus est, miraculis clarus; vt propterea, cum aliqui dubitarent de legitima Pontificatus Bonifacij possessione, necessum fuerit, vt viri docti, speciatim Ægidius Romanus, pro ista causa Apologiam ederent. Siculi interim Fridericum Aragonium in Regem suscipiunt. Mariana, Bzouius, Gordonus, & alij.

De S. Alberto.

2 De nostro Sancto Alberto inter alia præclara, quæ de ipso scribuntur, hoc vnum ex Codice Vaticano hausimus. *Multa alia miracula fecit in vita sua, quæ enarrare nimis esset prolixum. Sed istud breue quod sequitur menti tradatur in testimonium suæ maximæ sanctitatis. Relatum fuit à suis coæuis fratribus, quod præter Officium, quod quilibet Sacerdos dicere tenetur, dictus Pater omni nocte totum Psalterium legebat ante Crucifixi Imaginem, nudis, ac flexis genibus; cum tanta deuotione, quod à terra per spatium trium cubitorum leuabatur, et postea, oratione finita, ad terram suauiter dimittebatur.* Siccine Deus seruorum suorum sanctitatem declarare sæpius solet.

Conuentus S. Martini de Vrbe.

3 Valde etiam credibile est, D. Alberti sanctitatis fama permotum, Summum Pontificem Bonifacium Ordini nostro concessisse Monasterium, & Ecclesiam Sancti Siluestri, & Martini de Montibus in Vrbe. Id credimus ex eo, quod sub hoc Pontifice hanc Ecclesiam, & Cœnobium, nostris concessa fuisse in Archiuio Transpontinæ, in quadam memoria, scriptum proprijs oculis vidimus. Cum autem ipse Albertus Siciliæ Prouincialis esset; quæ Prouincia hoc tempore vsque Latium, & Romam, extendebatur, vt scribit noster Augustinus Biscarretus in libro, cui titulus *Palmites Vineæ Carmeli*, quem apud me habeo, etsi Typis nondum mandatum, proculdubio prudens quisque existimare poterit, vitam sanctissimam eiusdem Alberti mundo satis cognitam, hanc gratiam à Papa obtinere potuisse. Alia de hac Ecclesia, & Cœnobio sub anno 1397. & multo plura secundo, & tertio Tomis præcedentibus.

Perusinus Conuentus.

4 Sub hoc tempore, Procuratore fratre Orlando, postulatum est ab

Epi-

Episcopo Perusino pro ędificandis Ecclesijs, & Monasterio in ea Ciuitate in *Porta Eburnea* nuncupata, modo vocatur *Sanctæ Maria de Valle*, vbi signa Carmelitici Ordinis, Imagines videlicet antiquæ cum barratis cappis nostrorum extant. Hic per aliquod tempus fratres habitationem habuerunt, donec ad Ecclesiam Sancti Simonis, & Iudæ postmodum translati sunt: habitasse porro iamprius ante hoc tempus in eadem Ciuitate, vel prope ipsam (vt credibilius est) in aliqua Eremo, constat; tum ex Imagine Beatissimę Virginis apud nostros semper conseruata, & in qua fratres nostri depincti apparent, & cum hac Inscriptione 1109. Tum ex eo, quod nostri Religiosi in processionibus eius Ciuitatis Religiosos Franciscanos præcedunt; vtiq. ratione antiquioris incolatus in illa: constat enim Franciscanos ante hunc annum Perusijs commoratos. Id etiam suadetur ex petitione à prædicto Orlando Procuratore Episcopo facta, in qua proponit fratres nostros velle prædictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Valle construere, quia iuxta indulta Apostolica nobis (inquiunt) concessum est loca habere *in Eremis, vel vbi nobis donata fuerint ad nostra Religionis obseruantiam apta, et commoda*. Quo denotatur ex Eremo Perusinæ Vrbis tunc primum Ciuitatem nostrates ingressos, & ne id aliquibus scrupulum ingereret, propterea Indulta illa Apostolica in medium protulisse. Authenticum instrumentum huius petitionis apud nostros reseruatur. Quę verò multo maioris antiquitatis mansionis nostrorum fratrum in Perusina Vrbe indicia præbent, ita vt ante quam inter Mendicantes censerentur, sub Anachoresi, & Monachismo Eliano vetusto degentes, ea in Vrbe, vel Eremo aliqua illi adiacente conuersarentur; ea sunt quæ scribit Ludouicus Iacobellus Fulginas *in Annalibus Vmbriæ circa ann.* 950. *&* 1032. eo scilicet tempore Perusium incoluisse. Pro quo & legendi Cæsar Crispoli, & frat Fœlix Ciatti *in histor. Perus.* Ipsius quoque Iacobelli testimonio per litteras quoque ad me missas habetur Benedictum Nonum sub an. 1034. die secunda Augusti licentiam concessisse nostris Carmelitis transferendi suum Conuentum Perusinum ex vno loco, ad alium. Videndus hic Author valde pius, & doctus.

5 Lauretana Diuæ Dei parentis Ædes iterum mutauit Sedem ex Luco, vbi primum in Italia sita, ob scelera quorumdam, qui Peregrinos, veste, pecunia, vitaque spoliabant, ad locum super collem mille ferè per passus à primo distantem. Inde post aliquot mensem ob duorum Recinetensium auaritiam, odiumque fraternum ad iactum fermè sagittæ in proximum alium collem versus Mare, vbi modo est noua Angelorum opera, stationem mutauit. Hoc accidisse videtur anno præcedenti, sed quia sub præsenti sexdecim viris Legatis missis compertum est in Dalmatia, & Galilæa hanc eamdem Lauretanam domum eammet esse, in qua Beata Virgo in Nazareth morabatur, ideo pro hoc anno casum scribimus. Bzouius *tom.* 13. *Annal. sub anno* 1295. *à numer.* 25. *& anno* 1296. ex Horatio Tursellino *lib.* 1 *cap.* 15. Quocunque pergas, Dei Genitrix Virgo, te vocibus altisonis

De Lauretana Domo.

tisonis interpellamus Carmelitæ, qui tuæ Sacræ domui quondam indigni Sacellani fuimus, & obsequia ministrauimus: *Memento, quod sumus tui, licet caduci plasmatis: ne des honorem nominis tui precamur alteri.*

Ann. Christi 1297. Bonifacij 8. Roman. Pontif. 3. Adolph. Imp. seu Reg German. 6. Andronic. Imperat. Orient. 15 Raymundi General. 4.

Gesta hoc tempore. 1 PRæcipuum huius temporis negotium fuit Iacobum Aragoniũ Regem Sardiniæ,& Corsicæ denunciare; ac aliquos Cardinales, quod Philippo Regi aduersus Papam adhæsissent, & Cœlestinum Pontificem Pontificatu se abdicantem defendissent, diris de- mouere. De quibus Codex Vaticanus *de Histor. Pontificum* Platin. Blond. Ciacon. & multi alij.

Papæ concessiones. 2 Eo etiam anno Pontifex authoritate Apostolica confirmauit,& rescripto Bullę muniuit omnes libertates, immunitates, priuilegia, & Indulgentias à Sede Apostolica concessa, necnon libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus,& Principibus, alijsque Christifidelibus nobis indultas. Extat Bulla sub data pridie Kalend. April. *in Specul. Ordinis fol. 70. pag. 2.* & apud Mare Magnum Ordin. per Ioannem Mariam Collectum *pagina 2.* eiusque meminit Palæonydor. *lib. 3. cap. 10.*

De Gerardo de Bononia vndecimo Generali Latino.

De Gerardo Generali. 3 DE hoc tempore sic scribit Arnoldus Bostius *in Specul. histor. lib. 7. cap. 35.* cui concinunt Ioannes Grossi *in Viridario clau. 2.* Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.* & posteriores alij Ordinis Chronologi. *Anno Dom. 1297. fuit celebratum in festo Pentecostes Capitulum Generale in Conuentu Brugensi, in quo, postquam frater Raymundus prædictus resignasset, electus est vndecimus Generalis Prior frater Gerardus de Bononia, primus Ordinis nostri Professor S. Paginæ Vniuersitatis Parisiensis; prudentiæ opinione & doctrina multum celebris. In isto itaque Capitulo Generali promulgata fuerunt Statuta Ordinis nostris sub quinquaginta quinque Rubricis, in quibus ponũtur vndecim Prouinciæ dicti Ordinis.* Quæ autem, & qualia sint ista Statuta vsque modo mihi incompertum.

Ann.

Ann. Christi 1298. Bonifac. 8. Roman Pontif. 4. Adolph. Imperat. seu Reg Germ. 7. Andronici Imper. Orient. 19. Gerardi General. 1.

1 Continet hic annus depositionem Adolphi dicti Imperatoris, & electionem Alberti Austriaci, & mox, commisso inter ipsos prælio, ipsius Adolphi occisionem. Nauclerus, Auentinus, Cuspinus, Odericus, & alij. Cum autem Casanus Tartarorum in Asia Princeps, victo Ægypti Soltano, Syriam totam nomine Christiano recepisset, & ipsam Hierosolymam Vrbem (Haiton, Sabellicus, & Gordonus) absdubiè aliquam mutationem in melius in fratrum nostrorum mansionibus, quæ sub ritu Græco, vel Syriaco, in illis partibus manere poterant, efficere existimandum, etsi historiæ nostræ de hoc taceant. Gesta hoc tempore.

2 Anno eodem Respublica Cremonensis nostros suscepit fratres eis largiendo Ædem dictam Sancti Bartholomęi Cremonæ; quę plurium grauissimorum Patrum fœcundissima parens extitit, quorum memoria in ore nostro non deerit. Reuerendissimi præsertim Theodori Stratij Ordinis supremi Præsulis. Alios suo loco recensemus. Altare Purificationis Beatæ Mariæ Virginis in ea Ecclesia existens priuilegiatum est à Gregorio Decimo tertio anno 1583. Reseruantur ibi Corpus Francisci nostri Ordinis Beati Francisci Senensis à nostris nuncupati; caput Sancti Adalberti Episcopi Coloniensis, & Martyris; brachium sancti Saturnini Martyris; molla Sanctæ Apolloniæ; brachium S. Siluani Martyris; Reliquię Sancti Alberti, & alia. Ex regesto Cremon. Cremonens. Conuentus.

3 Eodem etiam anno Papiá primò fratres nostri Guidonis Langoschi eiusdem Vrbis Episcopi inuitatu venerunt. Primamque sedem paululum extra Ciuitatis muros ad Sanctum Georgium de Brolio habere ceperunt, quam post duos annos titulo Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo appellarunt. Postmodum, annis sequentibus, varijs casibus, rerumque discriminibus superatis, tandem grauissimum Templum, & Cœnobium, grauissimorum Patrum emporium nobilissimum adepti, inter præclara Ordinis nostri ornamenta Lycæum nominatur. De ipso multa Doctor Hieronymus Bossus in Sacris Annalibus Papiæ. Alia quoque nos suis locis. Papiensis Conuentus.

3 In Conuentu autem nostro Coloniensi, & ea Vrbe, insignis hoc tempore erat, Henricus Coloniensis Episcopus Redestouensis, & Suffraganeus Coloniensis Archiepiscopi: cuius effigies in Camera, seu Aula hospitum depicta cum hac Inscriptione cernitur: *R. Dom. Henricus Episcopus Redestouensis Suffraganeus Coloniensis, vixit anno* 1298. Videnda quę de eo diximus ex Ægidio Gelenio sub anno 1198. dum de Coloniensi Cœnobio ageretur. Henricus Coloniensis.

Varijs

5 Varijs ea tempestate pressuris fratres nostri in Anglia existentes ab impijs quibusdam iniurias, & iacturas patiebantur. Contra Indulta enim, & priuilegia à Summis Pontificibus ipsis concessa indebite molestias ipsis inferebant. Propterea ad Bonifacium Papam pro auxilio obtinendo recurrentibus volens eorumdem quieti prouidere, & molestantium malitijs obuiare, litteras conseruatorias scripsit hoc anno, qui quartus fuit Pôtificatus, duodecimo Kalendas Iulij, ad Episcopos Dimelinensem, & Londoniensem, eis præcipiens, quatenus fratres prædictos fauoris opportuni præsidio prosequentes, non permitterent contra Indulta priuilegiorum Sedis Apostolicæ indebitè molestari, molestatores huiusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Has pias, & fauorabiles litteras habemus in Speculo Ordinis *fol.* 73. & 74.

Litteræ Papales.

6 Similes etiam litteras eodem anno quarto decimo Kalend. Iulij scripserat idem Pontifex ad Decanum Ecclesiæ Saresbiriensis, & Archidiaconum Berefordiensem in Ecclesia Linconiensi, quibus etiam illis præcepit vt fratres nostros nullatenus indebitè molestari permitterēt contra Ordinis priuilegia, molestatoresque per censuras Ecclesiasticas omnino compescerent. Habentur, & hæ conseruatoriæ litteræ in Speculo Ordinis *fol.* 74. *pag.* 1. *&* 2.

Aliæ litteræ.

7 Sunt qui vocant Bonifacium Octauum nostræ Regulæ ab Alberto traditæ confirmatorem. Sic Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 10. Quicquid tamen an hoc per Bullam, alioue modo factum sit, certum tamen sub hoc anno, vel circiter, sextum Decretalium librum condendo opera Guilelmi Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarij Episcopi Biturensis, & Riccardi de Senis, vbi in titulo *de Religiosis domibus capitulo vnico* habetur; *Cæterum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum Institutio dictum Concilium Generale* (videlicet Lateranense sub Innocentio Tertio) *præcessit, in solido statu volumus permanere*, abundè satis Ordinem confirmasse; nihil enim aliud esse potest illum *in solido statu permanere* velle, quam eum solidare, roborare, & confirmare, iuxta dicta circa ann. 1274. vnde saltem in hoc sensu Religionis, & Regulæ nostræ Bonifacius confirmator, & approbator iure appellari potest.

Ann. Christi 1299. Bonifac. 8. Roman. Pontif. 5. Albert. Imp. seu Reg. Germ. 1. Andronici Imp. Orient. 17. Gerardi de Bononia General. 3.

Gesta hoc tempore.

1 Renuente Bonifacio Papa confirmare Alberti electionem in Imperatorem, cum Philippo Franciæ Rege fœdus inijt. Vignerus, Gordonus, & alij. Expeditionem in Siciliam hoc tempore Robertus Calabriæ Dux, & postea Neapolitanus Rex mouet; Cata-

-taniam, pluresque alias Ciuitates in suam potestatem redigens. Odericus *sub hoc anno num.* 5. Ex hoc autem, & ex Messanæ obsidione occasio data est miraculo precibus nostri Sancti Alberti patrati, de quo anno sequenti dicemus.

7 Annus porro iste exitialis valde fuit Scotis vniuersis, & speciatim fratribus nostris in eadem Scotia commorantibus. Cum enim Eduardus Angliæ Rex illorum Regnum armis contra Summi Pontificis sententiam inuaderet, suæque ditioni subijceret, quotquot eruditionis, aut sapientiæ clari erant è Scotia Oxonium relegantur, inter quos Canonici, Monachi, Mendicantes Religiosi multi, & ex nostris Carmelitanis Aberdonensibus quatuor: quis ex alijs Monasterijs eiectos numerare poterit? Verebatur bonus Rex Eduardus alias pius in nostros, nostrique Habitus gestator, ne illorum doctrina effecti sapientiores Scoti Anglorum iugum reijcerent, propterea è patria pulsi. Sanè politica mundi nequam. Bzouius *sub hoc anno num.* 6. Scotię euen tus.

8 Eodem etiam anno Henricus de Hanna, seu de Arena, vt aliqui scribunt, secundus Illustrissimæ Anglorum Prouinciæ Præsul, vir valde eruditus, & in scientijs vtriusque generis, humanis scilicet, & diuinis, probè versatus, de quo ann 1254. vitam finiuit, Deo post victurus. Scripsit multa, scilicet *formulas scribendarum litterarum, ordinationes Conuentuum; Conciones varias*, & alia quædam. Obijt Stáfordiæ sub Eduardo primo Rege. Pitseus *de Scriptoribus Angliæ*, Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittann. Centuria 2.* Posseuinus *in Apparatu*, Trithemius *de Scriptoribus*, Iacobus Seruita *in Indice Scriptor. Carmelit.* Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana*, cum alijs multis. De Henrico Hanna.

Ann. Christi 1300 Bonifacij 8. Roman. Pontif. 6. Alberti Imp. seu Reg German. 2. Andronic. Imperat. Orient. 18 Gerard. de Bonon. General. 4.

1 IVbilæum centesimo quoque anno Romæ celebrandum hoc tempore institutum est à Papa Bonifacio: cuius gratam, & iucundam historiam Iacobus Cardinalis Sancti Georgij apud Odericum sub hoc anno descripsit. Sed de eius Institutione nos nonnulla *Tom. 3. Summ. Quæst. Regular.* verbo *Iubilæum, num.* 1. Dicitur autem sub hoc tempore Turcas in septem Satrapias Asiam suam Minorem diuisisse, & vnius illarum Principem Othomanum cętera sibi magna ex parte subiecisse. Ex quo credi datur hanc Iubilæi institutionem à Deo ordinatam fuisse contra huiusmodi Imperium Turcicum, per Orbem iamdiu dilatatum. Iubilæum centesimi.

2 Occasione autem huius Romani Iubilæi, ad quod adeo totus Chri- Cócursus ad Iubilæum.

 stianus

stianus Orbis confluebat, vt ducenta millia peregrinorum in Vrbe vidêviderit Ioannes Villanus, vt ipse tradit *lib. 8. cap. 36.* à quo Iordanus, Ptolomæus Lucensis, Bernardus, Martinus Polonus, quibus adhæret Odericus *supra num. 6.* Interim Generalis Gerardus Florentiæ in die Pentecostes Capitulum Generale celebrauit, teste Palæonydoro *lib. 3. cap. 10.* licet quæ gesta sint in hoc Capitulo, nec ab ipso, nec ab alio discere potuerimus.

Casus celebris.

3. Accidit hoc anno, vel circiter, casus ille mirabilis, quo Sancti nostri Alberti sanctitas ob obsidionem Messanæ Ciuitatis ipsius precibus solutá mirificè coli meruit, etiam apud Principes & Magnates. Casum huic tempori ascribimus, Zuritam, Erreram, Fascellum, & alios; maximè Franciscum à Sancta Maria ex nostris Patribus Discalceatis Hispaniæ diligentissimum Ordinis Chronologum in manuscript. de vita Sancti Alberti, sequentes. Illum porro ex Vaticano Codice de vita eiusdem Sancti sic damus: *Tunc temporis Rex Neapolitanus Ciuitatem Messanam inuasit inextimabili obsessione, volens eam, & totum Regnum Insulæ Siciliæ dominio suo subiugare. Ecce fame valida Ciuitas cruciatur, nec humano consilio remediari potest. Quapropter edictum promulgatur Regium, quatenus tota Ciuitas combustioni tradatur, potiusquam in manibus inimicorum acrius relinquatur. Nos autem, inquit Rex, fugam capiemus versus Cathaniæ Castrum. Tunc Ciues, & nobiles Ciuitatis de destructione tam nobilis Ciuitatis dolētes, amare flebant, ac Regium edictum attendentes esse irreuocabile dixerunt: Melius est sperare in Domino quam in huiusmodi Principibus; Deus enim non relinquit perfecte sperantes in se. Eamus ergo, & inquiramus seruum Dei Albertum, qui Deum, & Matrem eius suppliciter exoret pro populo isto, & Ciuitate hac sua. Ad vocem istā omnes irruunt ad virum Dei die dominica, dum Missarum solemnia celebrantur, ab eodemq; auxilium humiliter lachrymis postulantes, dicebant: Sub tuum præsidium serue Dei, fame perientes confugimus, ora ergo Deum, & Beatam Virginem, vt tuis sanctis precibus nos in tantis periculis destitutos, protegat ab inimicis nostris, & famelicos visitet, non obstantibus iniquitatibus nostris. Vir Dei Albertus cum hos pios sermones, & sacrificium offerret, lachrymatus est; genibus itaque flexis sic Deum precatus est: Domine Deus vniuersorum, qui non abscondis faciem tuam ab ijs, qui in toto, & sincero corde confidunt, respice de excelso Cælorum super populum tuum sic clamantem, & effunde misericordiam tuā super eum; pasce famescentem, qui in deserto esurientem satiasti. Extende brachium dexterum, & defende Ciuitatem istam, vt de te non diffidat, sed confidat; quæ sine auxilio, & brachio tuo salua consistere non potest, & amplius non sit sperandum in multitudine bellatorum, sed solum in Nomine sancto tuo: succurre miseris, iuua pusillanimes, vt Sathan non congaudeat de tantorum perditione animarum. Qua oratione finita, ecce tonitruum, de quo, cunctis audientibus, vox, quasi tuba in abscondito, intononuit dicens: Exaudiuit Dominus orationes tuas. Tunc admirantibus cunctis, facta est lætitia magna in populo, gratias Deo magnas referendo, qui meritis huius Patris Alberti clamorem exaudiuit populi sui.*

Interea

Interea in portu apparuerunt galeæ plures victualibus onustæ, quarum aduentũ vnusquisque ignorauit, eo quod portus ille circumuallatus esset inimicorum exercitu, neque eorum Patroni noti fuerunt, sed cum gaudio magno, omnibus sublatis alimentis, abierunt in nocte Domino gubernante. Quod Rex videns cum Comitibus suis, ac populo, tam ingenti miraculo stupefacti properant ad Virum Dei deuotissime plangentes, & dicentes: Tibi Domine, Sancte Pater, gratias referimus, quia pro nobis peccatoribus ad Deum intercedere dignatus es, & ideo firmiter credimus, quod tuis sanctis meritis hodie liberati sumus, eiusque Patris osculata manu cum gaudio abierunt, Virum Dei sanctum de cætero incunctanter credentes, & sic minime Ciuitas debellari potuit, hostibus stupefactis inde abeuntibus, Vrbe vt prius tuta relicta.

4 S. eiusdẽ Alberti sanctitas nouo miraculo hoc anno, nouo signo emicasse, Codex manuscript. Vaticani de vita ipsius sic expressit. *Anno Domini 1300. prædicante Priore Conuentus Leontini denunciauit B. Albertum esse sanctum, & cum hoc dixisset, quidam Sacerdos inuidia ductus ait: mentiris, neque verum prædicas, eo quod non est sanctus. Diuino iudicio statim intestina eiusdem Sacerdotis cum dolore magno vsque ad genua elapsa sunt coram cunctis existentibus. Accersitur Medicus, & ait: non meo curamine, sed viri Dei Sancti Alberti iuuamine crede liberam. Et ille coram multis voce ingenti ait: D. Sancte Alberte, fallacitate affatus mentitus sum cum sanctitati tuæ derogauerim. Cum ergo blasphemauerim, meritò hoc patior; sana me medicamento salutis, vt experimento sanctitatem tuam valeam prædicare. Vigilias tui Sanctissimi transitus obseruabo ieiunio, & ipsius diem perpetuo sanctificabo. Sequenti die cum auroram daret sentit quod vir Dei Albertus corpus eius punxisset, quo continuo de lecto surrexit, ac si nullam passus fuisset infirmitatem. Ad Conuentum properauit, & coram omnibus gratiam, & sanitatem ostendens, & quod promisit indubitanter obseruauit.* Fere eadem Petrus Sarracenus in vita Sancti Alberti. Quæ tamen corrigenda quoad tempus, in quo contigere; cum in eis supponatur hoc anno 1300. è vita translatum fuisse Sanctum Albertum, nos vero sub anno 1292. oppositum esse verius ostenderimus. S. Albert miraculum

5 Sunt, qui pro hoc tempore referant Petrum Perpinianum, cognomento Rimes, patria Cathalanum; in quo par fuit sæcularis Philosophię, & Sanctarum Scripturarum eruditio, propter lecturam maxime non aspernendam in totum Psalterium. Sixtus Senensis hæc *in Bibliotheca sancta lib. 4.* eum valde commendans vt in Sacris litteris eruditissimum, ingenio promptum, ac egregium declamatorem. Ioannes Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis hac ætate* subiungens vlterius, scripsisse quæstiones sententiarum, & sermones varios. Idem habet Antonius Posseuinus *in apparatu Sacro littera P.* Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelit.* Dubium tamen est an idem sit hic Doctor cum Petro Riui, de quo anno 1358. dicemus. De Petro Perpiniani.

6 Fundatur hoc anno Conuentus noster Mechliniensis nobile Emporium Religionis nostræ; iuxta Palæonydorum *lib. 3. cap. 10.* Addit ha- Conuentus Mechlinień

buisse

buisse à sua fundatione 27. Priores, intellige per 200. annos, nam 1500. fermè erat cum hæc scripsit. Ex hoc autem facile euincitur, ea tempestate Priores in Ordine plusquam per triennium, aut quadriennium durasse in officijs Prioratuum: neque enim alio modo 27. Priores complere poterant numerum 200. annorum. Quare credimus, Prioratus perpetuos tunc fuisse, videlicet vsque ad mortem, assumptionem, vel renunciationem. Videnda tamen, quæ de huius Conuentus prima fundatione extra muros diximus sub anno 1254.

Paduæ Cœnobium.

7 Paduæ Monasterium, & Ecclesia ab anno 1212. fundari cepta, & Monialibus quibusdam concessa, vt ibidem diximus, sub hoc anno die vigesimaquarta Octobris nostris fratribus ab Octobono Placentino eiusdem Vrbis Antistite donata. Temporum vicissitudine Templum ruinam passum sub anno 1490. & ampliorem, ac magnificentiorem adeptũ structurã sub ann. 1523. sed magnam gloriam, ac splendorem sub ann. 1376. deuotissima, & miraculosissima Imagine B. Virginis obtenta specialissima Dei prouidentia, & eiusdem Beatæ Virginis in nostros protectione, vt eodem anno referimus. Ecclesia consecrata fuit ann. 1446. Et Monasterium viris sanctæ vitæ odore, & doctrina claris illustratum. Angelus Portenarius Paduanus de fœlicitate Paduæ *lib. 9. cap. 29.*

Lemouicen.

8 Pariter Conuentus Lemouicensis Prouinciæ Aquitaniæ primordia ante hunc annum extitisse in Burgo dicto *Pontis Sancti Martialis*, deinde circa ann. 1330. in Burgo dicto *Arenarum*, vbi nunc perseuerat, habemus ex Manuscripto eius Vrbis, & relatione Ioannis Tuaut Prouincialis eius Prouinciæ. Dicitur quoque ab Hæreticis deuastatum non fuisse, sed à Religiosis ipsis negligenter quoad bona temporalia tractatum. Ex alia autem eius Conuentus relatione per alium Prouincialem illius Prouinciæ scriptam haurimus, hunc Conuentum iuxta aliquos ab ipsa Lemouicense Vrbe fundatum esse; iuxta alios vero à nobilissimo Domino de la Four, traditione fauente. Nobile esse hoc Cœnobium structura, Ecclesia, Altaribus, vno præcipuè Beatissimæ Virginis, concursu populi, maximè in eiusdem Virginis festiuitatibus, ac Confraternitate; in qua 9000. mille, & amplius confratres reperiuntur descripti. Cui proculdubio fauet deuotio erga Beatum Simonem StocK egregium promotorem huius Confraternitatis, cuius insignis Reliquia ibi magna cum reuerentia asseruatur.

Borbiagen. & Roccense

9 Similiter eodem anno Conuentus Borbiago, Prouinciæ Venetæ, erectus perhibetur intra ipsam Terram; habetque titulum Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo. Item, & Conuentus de Rocca Stradà Prouinciæ Thusciæ, & Diœcesis Grosseti, donatus Religioni à Comitibus Sanctæ Fiore. Relatio Conuentuum Italiæ iussu Innocentij Decimi.

Manresæ.

10 Monast. pariter Manresæ in Catalomiæ Prouincia erectio hinc anno ascribitur in valde diligenti Relatione ipsius ad nos missa. Aragoniæ Regi eius fundatio debetur, qui pro ipsa, Regiam Arcem, cui titulus *del Aguila*, vbi Reges hospitium Manresæ excipere soliti erant, piè concessit; vt Christi mi-

sti milites locum tenerent, quem temporalis militiæ homines olim occuparant. Plura, ipsaque prodigijs affinia, in hac Deo, & Virgini Sacra Domo, tempore currente contigere. Dum enim N. Boti eius Vrbis Mercator Capellam in ea Ecclesia Christi pretiosissimo Sanguini dicare, & proprijs sumptibus extruere conaretur, terra effosa, Deiparæ Virginis Icon, quæ hodie in Capella maiori çernitur; & alia Christi Crucifixi afabrè nimis elaborata, conspectę sunt, vt idcirco in loco inuentionis nullus sepeliatur, ex præscripto Mercatoris præfati, qui redditus annuos fratribus nostris legauit hoc cum onere. Hæc porrò Saluatoris Imago magnam intuẽtibus deuotionem instillat, prout aduentantes cuncti, exteri etiam, lachrymis quoque cordis, confiteri solent. Ex iure sanè, quia, dum Rhodus à Turcis capiebatur, sanguinem; & dum Arelatensis Vrbs in Gallijs ab Hugonotis premebatur, aquam sudasse, scribitur. Contigit, & sub anno 1340. vt cum quidam Ordinis Conuersus, qui in sæculo latomus fuerat (Ramon Teclosa ei nomen) Apostolis Simoni, & Iudæ in ea Ecclesia quandam Capellam fabricare adniteretur, voce de cælo lapsa audijsset, quod nonnisi *Triadis Sanctissimæ* illam consecraret, idque secundò, & tertio auditum esset, dictum factum, & sub Augustissimæ Trinitatis titulo ea Capella extructa est. Reuelationem porro authenticè factam firmatum est eo quod cum Manressani Ciues ob litem quandam cum Vichensi Episcopo Interdicto suppositi manerent, per annos etiam aliquos, die 21. Februarij 1345. anni, dum fratres, qui quadraginta eo tempore erant, & inter ipsos in Theologia Magistri quatuor, & Lectores duo, intra Monasterij claustra Missę solemnibus attenderent, ex parte Montis Serrati tribus leucis à Manressa dissiti, splendidum lumen per fenestram quandam in Ecclesiam, & in Christi Crucifixi Capellam, ac in eam, quæ Trino Deo nuncupata erat, *triplici* diuisum radio intraret; campanaque sponte sonum ederet, quæ propterea *Campana miraculosa* nunc etiam dicitur, fratres ipsi, eo viso prodigio, tunc Sacristiam venientes, versum *Benedicamus Patrem, & Filium, &c.* & postea *Salue Regina* canerent; ac confestim totum illud lumen ex triplici radio vnum veluti factum in Montis Serrati locum, vnde venerat, regrederetur. De casu Episcopus monitus interdictum abstulit; & Pontifex, qui tunc Auenione erat, re comperta indulgentias elargitus est *Sacellum* illud Sanctissimæ Trinitatis inuisentibus. Miraculosi euentus memoria in hoc Conuentu quotannis secunda Dominica Quadragesimæ colitur, & ea die propterea canitur Euangelium; *In principio erat Verbum.* Fruitur etiam hæc Ecclesia insigni Reliquia Ligni Sanctæ Crucis, ex dono Reginæ Aragoniæ, quod Cruci argenteæ arte magna elaboratæ intextum reseruat. Capite etiam, & alijs ossibus Sancti Vrbani Papæ, & Martyris, quod Bernardus Oller Ordinis Generalis eius Conuentus Alumnus Roma detulisse dicitur; duabus Christi spinis; & pluribus Reliquijs Sanctarum Virginum Vrsulæ sociarum. In Ecclesia sepulchra extant maioris Ciuium partis, ac Confraternitas Sac. Scapularis, &

aliæ

aliæ varijs priuilegijs decoratæ. Ex Relatione Prouinciæ.

Veronæ Monasterium.

11 Veronense etiam Cœnobium in ea nobilissima Ciuitate situm, hoc anno 1300. extitisse, etsi à quo tempore sui exordia desumpserit, haud certum sit, ex quibusdam Instrumentis, quæ in eo conseruantur, habetur. Sic enim ex relatione Conuentuum Italiæ iussu Innocentij Decimi facta, elicimus. Titulus Ecclesiæ est S. Thomæ Cantuariensis; & in ea deuotissima Imago Sanctissimæ Deiparæ, quam sæpius commemorat Christophorus Siluestranus, vir doctissimus, eius Conuentus Alumnus.

Ann. Christi 1301. Bonifac 8. Roman. Pontif. 7. Alberti Imper. seu Reg. German. 3. Andronici Imperat. Orient 19. Gerardi de Bonon Gen. 5.

Casus huius temporis.

1 Raue dissidium hoc tempore inter Bonifacium Papam, & Philippum Pulchrum Franciæ Regem exortum est, de quo Æmilius, & Gordonus. In iudicium etiam vocat Papa Albertum ob Imperij inuasionem; & Regem Boëmum ob Vngarici Regni arrogationem. Odericus. Ottomanus autem Turca de se augendo cogitans, cũ antea ab Abagano Persarum Rege Natoliam regendam accepisset, pleraſque Vrbes Bythiniæ cępit, Prusiam caput, & Metropolim suæ gentis, bellique contra Europeos Christianos Arcem constituit. Genebrardus *in Chronogr. lib. 4. sæculo 14.* Bzouius *sub anno præcedenti.* Hic iam perspicitur nostri Sancti Angeli prædictio de Turcarum Regni incremento, spiritus diuini afflatu prophetata. Aduertit sanè piè, & prudenter idem Genebrardus (quod & nos obiter etiam animaduertendum duximus) eodem fermè anno Austriacam domum inter Christianos Principes a Deo elatam: sicut Hebræis obseruantibus, quo die Nabuchodonosor Templum diruit, eo natus fuit Cyrus, qui eius posteritati exitium attulit.

S. Botulphi Monasteriũ.

2 Sancti Botulphi Monasterium in Inclyta Angliæ Prouincia perillustrium virorum parente fæcundissima, hoc anno Ordini adquisitum. Cuius fundatores Domini de Orbij recitantur. Speculum Ordinis *fol. 60. pagina 1.* Cœterum in Tabula Chronographica Monasteriorum Angliæ hoc Cœnobium isto anno erectum fundatoribus istis Dominis de Orbij, non vocatur S. Bothulphi, sed communi titulo alierum illius Regni, scilicet Beatissimæ Virginis Mariæ: & dicitur Bostoniæ in Lincolnia fundatum. Credendum tamen, dum maius lumen non habeamus, idem Monasterium vtrumque fuisse.

De S. Andr. Corsino.

3 Nouus Carmeli Lucifer Andreas Corsinus Florentiæ Hetruscarum Vrbium flore, Italiæque horto amœnissimo, de nobilissima stirpe Corsina, iampridem supremi Magistratus administratione belli, pacisque rebus gestis clarissima, Nicolao, & Peregrina parentibus, effusis in Cœlum,

preci-

precibus, & cœlestis Reginæ beneficio impetratus, sub hoc anno 1301. ortùm duxit. Antequam ederetur visio hæc accidit Matri, Lupum fœtu eniti, qui sensim in Templum ingressus agnus euasit. Ex vita Sancti Andreæ, quam geminam affert P. Bollandus in *Actis Sanctorum tom.* 2. pro die 30. Ianuarij, & alijs Codicibus;

Ann. Christi 1302. Bonifac. 8. Roman. Pontif. 8. Alberti Imperat. seu Reg. Germ. 4. Andronici Imper. Orient. 20. Gerardi General. 6.

1 Rixæ inter Papam, & Regem Galliç hoc anno vigent, adeo, vt Nauclerus, Platina, Genebrardus, & alij dicant Papam Franciç Regno priuasse Regem. Vide Genebrardum. Rixę inter Papã, & Galliæ Regem.

2 Item eodem anno Rex Siciliæ Fridericus Petro genitus, vt festus Almæ Virginis Drepanitanæ dies nostri Cœnobij Drepanensis gloriæ celebrius percoleretur, statuit: terra, marique commentus, mercesque conuehentes, omni publico tributo soluit. Mercatus in ipso campo ante Templum subitarijs ædificijs adornabatur. Inde Ioannes Vega postea in Vrbem transtulit ob prædonum exulum metum; erat enim Siciliæ Moderator pro Rege. Festus vero dies ad non. Kalend Septemb. celebratur, ingentibus, ac flagrantissimis Conprouincialium studijs, ac fluxu populorum; aliquando enim supra viginti millia hominum conuenisse satis constat. Hæc habet Octauius Caietanus Iesuita *in Manuscript. de B. Virg. Drepanitana*. Alij vero, vt vidimus circa ann. 1230. fidelium concursum ad huius Virginis festum quandoque 40. millium esse describunt. Drepanitana Virgo.

3 Beati Franci corporis translationem huic anno 1302. annumeramus, certum haud scientes tempus: ea tamen coniectura ducti, quod post aliquos annos à morte ipsius facta dicatur, & antequam à Clemente Quinto anno 1308. Officij Ecclesiastici honore decoraretur. Qualiter ea acciderit ex ijs, qui ipsius historiam graphicè scripserunt, sic depromimus. Cum pluribus miraculorum signis post obitum corruscaret Francus, fratres nostri, Deo inspirante, sacras ipsius memorias è tumulo, vbi corpus primum collocatum fuerat, extrahere volentes, cadauer, & vestem, ac si temporis cursu nihil passa reperere. Extra sepulchrum posita ossa in fascem, caro in cineres, vestis in puluerem abierunt. His potati ægri à varijs languoribus immunes reddebantur. Ossa autem in theca reclusa in Altari eiusdem Beati, vbi postea ferrea instrumenta, quibus dum viueret, pœnitentiam agebat, reposita sunt. Gregor. Lombardell. *in vita B. Franchi cap.* 31. Alexander Caloss. *ibidem*. B. Francus.

Ann Christi 1303. Bonifac. 8. Roman. Pontif. 9. Alberti Imp. seu Regis German. 5. Andronici Imperat Orient. 21. Gerardi de Bononia General. 7.

Casus infœlix Papæ.

1 HOc anno, Bonifacio Octauo post res plures bene gestas, quales, inter alias, fuerunt; controuersiarum inter Clericos, & Regulares compositio, Academiæ Romanæ (cuius à multis annis, publicus Lector, etsi indignus sum) instauratio, cum pluribus prærogatiuis; ab hostibus, Gallis videlicet, & Columnensibus captus, & male tractatus fuit. Inde vero ex hostium manibus liberatum fuisse, & Romam deductum, ac maxima pompa, & armorum apparatu exceptum, melius tradunt; etsi ob iniuriæ illatæ dolorem breui tempore confectus obierit. Bzouius, & Odericus. Qui etiam fabulosum reddunt, quod Præneste existens audiui, de eodem Bonifac. in carcerem quemdam obscurissimum retruso, & manus sibi ex rabie corrodente. Constat enim eius corpus integrum, & incorruptum post 300. annos repertum fuisse, vt late Bzouius, & à viro grauissimo, qui id dum puer esset, vidit, mihi relatum est.

Turonensis Conuentus

2 Turonen. Cœnob. primordia huic ann. ab aliquibus ascribuntur, teste Leone à S. Ioanne *in delineat. Obseruant. Rhedonens. cap.* 14. eo quod, etsi primitus in suburbijs Turoniæ Ciuitatis iuxta ligerim amęnissimæ nostri Instituti fratres hospitium habuerint, hoc tamen sub anno, donante Reginaldo Gastinello Sacerdote, Philippi Pulchri æuo in Sacello, vulgo *Beatæ Virginis de pietate* nuncupato, adiunctis domunculis quibusdam ceperunt habitare. Quod antiquum Sacellum in memoriam accepti beneficij perdurans miraculis famosum, & populi magno concursu, ferijs præsertim sextis, prædicatur. Quod postea circa ann. 1473. Ludouicus 11. Gallorum Rex, Ecclesia, Secretario, Claustris, & Dormitorijs extructis auxit, redditibusque haud contemnendis decorauit. Cognomen dedit hæc Domus toti Prouinciæ *Turoniæ* vocatæ, de qua plura in sequentibus, quia parens fœcundissima fuit nobilissimæ prolis, quæ in ea sub reformationis titulo, splendidissimè his temporibus fulget, quamplurimis, sanctitate, doctrina, & nobilitate insignibus viris, & fœminis abundans. Vide dicta sub ann. 1288.

Generale Capitulum.

3 Anno eodem vigilans Pastor Religionis Generalis Gerardus Capitulum celebrauit Narbonæ in die Pentecostes. Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.* Huius autem Capituli acta vsque modo ad manus nostras non peruenerunt, forsan, temporis, & quorumdam incuria, è nostrorum memoria excidere. Id solum ex Pitsæo *de Scriptoribus Angliæ Ætate* 14. *in Guilielmo Lidlingtono* habetur, in hoc Capitulo, vrgente Gerardo Generali, diuisam in duas fuisse Prouinciam Angliæ. Quia tamen plures diuisioni resistebant, ideo pro sedando schismate, eo missus fuit Gobelinus Alemanus,

nus, vt infra anno Domini 1305. dicimus.

4 Eodem sub anno Vmfridus NecKton, de quo supra anno 1259. diximus, diem clausit extremum, postquam, vt ibidem notatum, fidem, & Sedem Catholicam, & Apostolicam Cantabrigiæ summum Doctoratus gradum adeptus fideliter propugnauit. Scripta reliquit *Sermones Dominicales; quatuordecim quæstionum Theologicarum lib. 1. Lecturas Scholasticas lib. 1.* & alia quæ nos latent. Lelandus, Pitseus, & Balæus eo loco relati, Iacobus Seruita; Petrus Lucius, & alij. Vmfridus NecKton.

Ann. Christi 1304. Benedict. *11* Roman. Pontif. *1* Albert Imp. seu Reg. Germ. *6*. Andronici Imp Orient. *22*. Gerardi de Bononia General. *8*.

1 POst mortem Bonifacij Octaui, quæ anno superiori, vt visum est, contigit, statim electus est Benedictus dictus Vndecimus, Ordinis Prædicatorum quondam professor. Quantæ humilitatis fuerit satis declarat memorabile exemplum, quo propriam matrem eum videre cupientem, splendidè vestitam audire noluit, donec paupere, & modica veste, qua indui solita erat, vtpotè quæ lotrix vestium fratrum Dominicanorum fuerat, eam indutam cerneret. Meruit propterea omnium Christianorum Principum animos sibi conciliare. Bzouius *sub anno* 1303. *num.* 14. De Bonifacij persecutoribus causam agit; Regem Franciæ à vinculo anathematis, absoluit; & tandem obit Perusij 7. Iulij. Honuphrius, Genebrardus, Platina, & alij. Benedicti xj electio.

2 Quod ad nostram proximius historiam attinet, de Sancto Alberto nonnulla pro hoc anno referuntur in Manuscripto Vaticano de ipsius vita; quæ etsi à veritate deuient, quoad hoc tempus; cum dicantur post ipsius mortem contigisse; hoc enim anno in viuis erat: quia tamen eius sanctitatem prędicant, prætermitti non debent. *In Ciuitate Agrigentina quędam nobilis Domina in mamilla incurabilem patitur infirmitatem annis tribus, & cum se conuertisset ad Dei virum Albertum deuotè promittens Imaginem argenti facere, & tres pauperes fratres induere ad honorem Virginis Mariæ, & sui nominis. Inde ad paucos dies omnia adimplet, & perpetuo quamdiu viueret promittit annuatim. Nocte sequenti somniauit, quod Medicus quidam sibi diceret, de oleo lampadis Sancti Alberti mammillam perunge, si sanitatem cupis. Quę, cum surrexißet, deuotè Capellam Sancti Alberti intrat suppliciter, ipsum exorando, vt gratiam petenti præstet, & aßumens oleum lampadis, mammillam perunxit, Mißamque in honorem suum audiuit, & cum domum reuerteretur, mammillam consortibus cum gaudio pandit omni defectu obnoxiam. Deinceps honestissima votum semper impleuit:* Hæc vel ferè similia Petrus Sarracenus *in vita eiusdem Sancti Alberti* ex alijs. De S. Alberto.

S. Alberti miraculum.

3 Prædictam Sancti Alberti Capellam eodem tempore fabricatam fuisse apparet ex alio eiusdem miraculo, quod ex ipsius Manuscripti Vaticani verbis sic damus. *Eodem anno, septimo Idus Augusti, fratres Conuentus Placiæ, commemorationem, & venerationem Sancti Alberti agentes, erant causa deuotionis, & populi confluentis. Diabolus inuidiam gignit in corde quorũdam Clericorum, qui ordinauerunt eiusdem Imaginem nocte sequenti annullare. Et cum hoc ordinarent, quidam nomine Buoniormus paralysim patiens ferè annis duodecim in lecto existens, de nocte audit tumultum. Mittit vxorem quidnam sit inuestigandum, & cum illa iam inuenißet Imaginem Beati Alberti continuò abolendam, dolenter marito denunciauit, quod ille audiens pro affectu sic exclamauit. Vtinam sanus essem, protinus illam vtique defenderem, libera ergo me Beate Alberte, & promissum adimplebo, & omnem meam substantiam pro cultu tuo ampliando exponendam superaddam; & cum hoc dixißet, audiuit cohortem pertransire, & ait cum deuotionis feruore. Eia liberet me Deus tuis ineffabilibus meritis. Qui statim somno rapitur; & Sanctum Dei Albertum proprio habitu, velut in figura in pariete depicta intuetur, habentemque virgulam radijs adornatam corpus languidum tangentem. Qui dixit: Sanitatem præstet tibi Deus, Surge. Et stupore confusus à sopore illico excitatur, & viribus proprijs surgit, arma corde virili sumit, ad Conuentum properat, cohorti obuiat, illosque sic affatur, opera diaboli nolite facere, sed opera Dei explete. Rogo in Sanctum Dei deformitatem nolite facere. Illi vero stupefacti, interrogauerunt quisnam esset; qui respondit; Ego sum, inquit, Boniornus. Et illi; Quomodo sanus factus es à tua incurabili infirmitate? Qui cum omnia per ordinem pandisset, illi timuerunt timore magno, & reuersi sunt, glorificantes Deum in Sancto suo. Et ex hoc primo fabricata fuit Capella in honorem Beati Alberti.* Hæc, etsi humili stylo dicta satis suadent quantum deuotio in Beatum Albertum pro necessitatibus iuuandis conferat.

Robertus Baston.

4 Bellum cum Scotis hoc anno gerebat Anglorum Rex Eduardus, & Castrum de *Stryuelim* fortius impugnaturus personaliter accessit. Thomas de Vualsighen *in Ypodygma Neustriæ sub hoc anno*. Secum autem detulit Rex, ex suo, sibique deuoto Carmeli Ordine, Robertum Bastonium, vt rem poeticè, & eleganter describeret, prout fecit; licet postea tormentis compulsus, gestum retractauerit, vt dicimus anno 1310. Ioannes Pitseus, & alij ibidem referendi.

Ann.

Ann Christi 1305. Clemen. 5. Roman. Pontif. 1 Alberti Imper. seu Reg. German. 7. Andronici Imperat. Orient. 23. Gerardi de Bononia General. 9

1 PErusij quinta Iunij post nouem menses Sedis vacantis, hoc anno, Bernardus Gottus Archiepiscopus Burdegalensis, absens, nominatus Clemens Quintus, Papa eligitur. Lugdunum is ex Burdegale accessit; Cardinales absentes, Regesque Galliarum, Angliæ, & Aragoniæ ad sui Coronationem vocauit; sed non sine prodigio: paries enim, vetustate, & onere multitudinis superstantis oppressus multos interfecit. Sedes ergo Papalis Auenionem translata tunc est, indignante Italia. Æmilius, Platina, Genebrardus, Honuphrius, cum alijs. Clemens 5. Papa.

2 Adimpletum videtur hoc anno illud Oraculi nostri Sancti Cyrilli *cap.6.* videlicet: *Tunc Eptygadis eiulabit, cum excissa mollitie de petra durissima.* Etenim *Eptygadis*, quod Latinè dicitur *septem columnæ*, Romam significare videtur, quæ septem Montibus; idest, Palatino, Capitolino, Quirinali, Cælio, Esquilino; Viminali, Auentino, fulcita est. Ideo autem Roma dicitur *mollities excisa de petra durissima*, quia ob Sancti Petri Pontificatum in ea firmatum (qui est *petra durissima*) in tantam molem magnitudinis creuit. Eiulasse autem Romam ob translationem Pontificatus, quis nescit? S. Cyrilli Oraculum.

3 Gobellinus Alemanus, Germaniæ Prouincialis, Theologus eximius, sub anno isto prædicatur. Cuius industria, & prudentia eo maximè enituit, quod à Summo Pontifice (Bonifacium Octauum credimus) ad Anglos Commissarius missus sit, ad fratrum dissidia in ea Prouincia componenda. Res fuit, quod sub Generali Gerardo de Bononia, lis magna in Illustrissima illa Prouincia, diaboli inuidia, grassabatur. Illorum quidam, illam, vtpote magnam, pluribus Conuentibus, eximijsque viris refertam, in duas diuidendam censebant: quorum partem Generalis Gerardus tuebatur. Alij è contra, vt Godefridus Cornubiensis, Oxonij, & Parisijs Doctor celebris, Guilielmus Lidlyngtonus, Robertus Vvalsinghamus, Ioannes Burlæus, & alij, virtute, & scientia præclari, neruis totis diuisioni obsistebant. Hic ergo Gobelinus auctoritate, ac doctrina potens, & qui vtpotè Germanus, nulli dissidentium parti debitor erat, pro animorum conciliatione à Papa Commissarius mittitur. Quid egerit haud notum. Hoc certum, Prouinciam iuxta Generalis beneplacitum in Capitulo Generali Narbonensi anno 1303. diuisam mansisse. Scripsit hic author pro fratrum schismate sedando, *Statuta quædam arbitraria*, item *Disputationes* quasdam, & librum *de Pœnitentijs*. Antonius Posseuinus in *Apparatu Sacro.* Pitseus *de reb. Anglic.* Emanuel Rom. *in Elucidationib. fol. 209.* Gobellinus Alemanus.

B. Petrus Thomas.

4 Nouum sub hoc anno, vel circiter, Ecclesiæ, & Carmeli iubar Petrus Thomas oritur: pauperibus, humilibus, sed honestis parentibus in pago Aquitaniæ, vulgo *Salina*, vel *Salimosa* nuncupato. Hinc suæ, & sororis necessitati consulens paternos lares relinquens ad Castellum *Monspessierum* dictum accedens, studijs magna cum paupertate operam dabat. In humanioribus sic profecit, vt breui, studiorum Magister, qui tum scribendi, tum legendi ludum pueris aperiret, fuerit electus. Post temporis intercapedinem Vrbem Aginiensem veniens Grammaticæ, & Dialecticæ operam nauans, alijs artes has legens communicabat vsque ad viginti ætatis annum, quo Religiosum habitum suscepit. Philippus Mazzerius Cancellarius Regis Cypri *in vita Beati Petri Thomæ cap. 1.* apud Ioannem Bollandum *in act. SS. tom. 2. pro 29. Ianuarij*. Similia fermè Reu. Pater Lucas Vvadingus *in Vita Beati Petri Thomæ*, §. 1. & 2.

Ann. Christi 1306. Clement. 5. Roman. Pontif. 2. Alberti Imper. seu Reg. German. 8. Andronici Imperat. Orient. 24. Gerardi de Bonon. Gen. 10.

Papæ gesta.

1 Rat sub hoc tempore Clemens Papa Burdigalæ, Regum Legatos audiens, & alia agens, de quibus noui Chronologi, Bzouius, Spondanus, Odericus cum alijs.

Papæ concessiones.

2 Eodem anno pro sexto Kalendas Martij concessit Pontifex duos annos, & duas quadragenas de iniunctis pœnitentijs visitantibus Conuentus nostri Ordinis, & pro fratrum sustentatione, & Ordinis augmento, eleemosynas elargientibus in solemnitatibus, & diebus omnibus, Quadragesimæ, Resurrectionis, Ascensionis Domini, Pentecostes, Corporis Christi; Sancti Ioannis Baptistæ, Omnium Apostolorum, Mariæ Magdalenæ, quinque Festiuitatibus Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Natiuitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dedicationis Ecclesiæ, & Altarium, & per Octauam eorumdem in stationibus totius anni, Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, quandiu durauerint, & in diebus Sanctorum, quorum corpora in Ordine sepulta requiescunt. Ita habetur in Speculo Ordinis *fol. 64. pag. 2.* error tamen ibi in Data reperiri videtur, dum in ea dicitur *Romæ apud Sanctum Angelum*, cum nunquam Clemens Quintus Romæ Pontifex extiterit. Verumtamen is scrupulus facilè tollitur, si cum aliquibus dicamus, nomine *Romæ* sæpius non ipsam Vrbem, veluti *materialiter* acceptam; sed *formaliter* Romanam Curiam denotari; prout etiam dicemus infra sub anno 1409. vel dicatur errore alicuius Scriptoris, transcriptoris, vel Impressoris id contigisse, quod familiarissimum est.

3 Causa celebrandi Capituli Generalis forsan prædicta Indulgentia impe-

impetrata est: solicitus enim Pastor Generalis, etiam hoc anno Tholosæ in Gallia noua Ordinis Comitia habuit. Bostius *lib. 7. Specul.histor. cap. 35.* Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.* ibi ordinatum fuit festum Conceptionis Mariæ, & Venerabilis Sacramenti; atque de Sancto Ludouico nouem lectionum. Palæonydorus *ibidem*. Aliæ huius Capituli Ordinationes ignorantur.

4 Circa quod decretum de festo Venerabilis Sacramenti celebrando dubium esse potest, an id intelligatur de celebratione illius semel in anno iuxta ritum Ecclesiæ communem post Vrbanum Quartum talis festi Institutorem, videlicet feria quinta post festum Sanctissimæ Trinitatis, an qualibet feria quinta totius anni non impedita extra Quadragesimam, & Aduentum, prout postea in Capitulo Generali Romæ in Ecclesia Sancti Martini de Montibus pro Hispaniæ, & Lusitaniæ Monasterijs statutum fuit anno 1564. Et dum aliud clarius non constet, credendum, ordinatum fuisse celebrari prædictum festum Corporis Christi *solemniter* semel in anno; scilicet feria quinta post festum Sanctissimæ Trinitatis. Sic colligitur ex Bostio relato. Cum enim Religio nostra, iuxta antiquum Ecclesiæ Hierosolymitanæ vsum Officia perageret, forsan vsque ad id tempus tale Officium non acceptauerat, sicut neque octauas illius vsque ad Capitulum generale Lugdunense, anno 1342. quo anno eas instituit, teste Palæonydoro *lib. 3. cap. 11.* Vel dicimus, quod quamuis præfatum festum in Ordine à tempore Vrbani Quarti celebraretur; non tamen ita solemniter, prout decebat; & ideo specialiter statutum, vt celebraretur hoc modo. Id enim indicat Palæonydorus relatus, dum dicit ordinatum fuisse *solemniter celebrari*. Causa porro huius maioris deuotionis in Venerabile Eucharistię Sacramentum forsan fuit insigne quoddam miraculum, quod hoc tempore contigit, de quodam Iudæo illam in aquam bullientem iactante, & ibi puero speciosissimo apparente; quod referunt Chronicon Belgicum, & Bzouius hic *num.* 8. De festo Corporis Christi

5 Quoad festum Sanctissimæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis illud animaduertendum, deuotionem erga hanc festiuitatem, & mysterium per illam designatum, non solum antiquissimam apud nostrates esse, vt constat ex dictis *tom.* 1. circa annum 4030. *num.* 8. ante Christum natum, sed & celeberrimam quoque, vt patet, non solum ex decreto huius Capituli, sed præsertim (quod est valde singulare) quia taxis communibus totius Religionis solemniter colebatur, quasi hæc propria esset totius Ordinis festiuitas. Hoc constat ex fere innumeris Capitulis Generalibus Ordinis, in quibus prædictæ taxæ fiebant, & soluebantur à Prouincijs, ac earum Prouincialibus, videlicet, Francofordiensi anno 1393. in lib. Ordinis *fol.* 20. Balneolarensi Prouinciæ Narbonæ anno 1416. *fol.* 29. Montispessulan. anno 1420. *fol.* 30. Appaniensi Prouinciæ Tholosæ anno 1426. *fol.* 32 Nannetensi anno 1430. *fol.* 34. Rauerspergensi anno 1434. *fol.* 36. Astensi anno 1440. *fol.* 37. & annis sequentibus, in Capitulis Romano, De festo SS. Conceptionis.

mano, Auinionensi, Parisiensi, Bruxellensi, & Aurelianensi. Quod etiam confirmat testimonium Ioannis Bachonij, & Thomæ Vvaldensis, qui præcipua Sydera inter Theologos Ordinis numerantur. Ille enim in quarta dist. 2. quæst. 4. art. 3. ait: *Publica, & diuturna consuetudine celebratum est hoc festum in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium; cum solemni Missa, & sermone singulis annis in domo fratrum Ordinis* Beatæ *Mariæ de Carmelo: & hæc durauerunt tempore multorum Roman. Pontificum, vsque in præsens tempus*. Iste vero *tom. 3. de Sacrament. titulo 9. cap. 89.* referens verba Richardi Radulphi Armacani Primatis Hiberniæ, in quadam concione de Sanctissimæ Virginis Conceptione de anno 1342. tempore Clementis Sexti, quæ talia sunt: *Vtique hanc illustrationem in suo Ortu, idest Conceptione, hic Sanctus, ac peculiaris Ordo suus antiquus Carmelitarum prætendit in habitu, qui hoc festum ipsius singulariter solemnizat, candorem habitus sui, prudenter vt existimo, & deuote, referens ad hoc factum.* Quæ sic cómendat idem Vvaldensis dicens: *Taceant Carmelitæ dum talis, ac tantus magnus testis indubie Præsul Ecclesiæ, & vir altæ peritiæ in sacris litteris testimonium perhibet Carmelitis*. Ex his autem, quæ Bachonius habet, cum ipse hoc tempore vixerit, & anno 1346. obierit, rectè elicitur, saltem in Romana Curia à multis antea annis in vsu fuisse huius festi celebrationem. Illa enim *diuturna consuetudine celebratum est*, ac illa *hæc durauerunt tempore multorum Roman. Pontificum*, proculdubio vetustam consuetudinem celebrandi hoc festum in Ordine ante hoc Capitulum extitisse indicant.

Scriptores de Concept. BB. Virginis.

6 Hinc etiam de Beatæ Virginis Conceptione ex Ordine nostro plures scripserunt. Et, vt omittamus ex vetustioribus PP. Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Hierosolymitanum, quos in nostro Apologetico *de Virgin. Conceptione* referimus; inter posteriores specialiter numerantur. Osbertus PicKenghamus Anglus, Hugo de Sancto Neoto etiam Anglus, Ioannes de Bachone eiusdem Nationis, Beatus Petrus Thomas Constantinopolitanus Patriarcha, Guillelmus de Sancta Fide Anglus, Bernardus Olensis Hispanus Generalis Ordinis, Michael de Bononia etiam Generalis, Philippus Kersberius Gandensis, Franciscus Martini Catalanus, Philippus Albertus de Nussia Coloniensis, Godefridus Candelarius Prior Aquisgrani, Ioannes Palæonydorus Battauus. Inter quos etiam omnium ego minimus numerari cupio, qui ann. 1616. in Vniuersitate Complutensi Lector fratrum existens; de hoc mysterio librum scripsi, Matriti Typis editum.

Gelriensis Conuentus.

7 Ad hunc annum 1306. fundatio Conuentus Gelriensis in Belgio ascribi potest. Vt enim ex relatione eius Prouinciæ accepimus. hoc anno per Rainaldum Comitem Gelriæ vnita est Parochialis Ecclesia eius Vrbis, & donatio Pastoratus factà fratribus nostris cum iure Patronatus, officinis, & ædibus, ex quibus postea Conuentus extructus est. Ex quo elicitur ante hoc tempus fratres nostros in ea Ciuitate extitisse, & Parochiæ suum

Con-

Conuentum extruere potuisse, propter istam donationem. Id certum, ex hoc Conuentu viros illustres valde prodijsse. Inter quos referuntur Siberthus de BeKa celebris Scriptor, Godefridus Episcopus Dagnensis, & alij.

Ann. Christi 1307. Clement. 5. Roman. Pontif. 3. Alberti Imperat. seu Reg. Germ. 9. Andronici Imper. Orient. 25. Gerardi General. 11.

1 DAmnatur hoc tempore à Papa Andronicus Orientis Imperator, ob hæresis, & schismatis suspicionem, & contra eum aliquot Christianos Principes excitauit. Bzouius *sub hoc anno num.* 1. Econtra Rex Galliæ cum Papa agebat, vt etiam damnaret Bonifacium Octauum, ossaque eius comburi iuberet. Massonius *lib.* 3. *in Philippo*, Bzouius *supra num.* 3. Papæ gesta.

2 Eodem anno, iuxta Thomam Vvalsighamum *in Ypodigma Neustria* (licet in histor. Anglicana pro anno sequenti id referat) mors accidit Eduardi primi Anglorum Regis. Fuit is nostri Ordinis egregius non modo benefactor, vt videre est in Conuentibus ipsius auspicijs in illa celeberrima Prouincia erectis, de quibus in superioribus scripsimus; sed & habitus Deiparæ ab eadem Beato Simoni concessi gestator illustrissimus, vt & circa ann. 1251. notatum manet. Hinc nedum inter fratres, sed inter Beatos quoque Religionis eum refert Auctor Anonymus *de Origine Ordinis Montis Carmeli* Manuscript. in Bibliotheca Romana Excellentissimi Ducis Altemps, vbi inter Sanctos, & Beatos nostri Ordinis, quos pallijs albis depingendos dicit, primo loco de Eduardo loquitur sic: *Beatus Eduardus Rex Anglia, qui Palatium pro Conuentu ædificauit*. Quo autem sensu *Frater noster* (melius Confrater, aut Consodalis) appelletur, iam diximus. Titulum vero Beati concedere non audemus, donec Sedes Apostolica id decernat. Nec possumus, quia apud aliquos male audit propter ea quæ in Scotos gessit. Quæ referunt Bzouius, Gordonus, & alij recentioribus, ex vetustioribus Scriptoribus. Eduardi Regis obitus.

3 Annum istum pro vero, & legitimo fœlicissimæ mortis Sancti Alberti æstimamus: solidiori sanè fundamento quam ij, qui anno 1292. eã ascribunt; prout eo sub anno scripsimus. Sic enim Ioannes Mannus Drepanensis Cœnobij alumnus scripsit in Tractatulo de descriptione Imaginis Sanctissimæ Virginis eiusdem Conuentus. Secutus sanè Ægidium Ledindelicatum *in Giardino Carmelitano par.* 3. *cap.* 7. Iosephum Falconi *in Chronic. Carmelitana*, Vincentium Barbarum, & Nicolaum Manerbium *in eius vita*, Coriam *in eius vita lib.* 10. *cap.* 18. Sic etiam habetur in quadam scriptura cuiusdam Reliquiæ eiusdem Conuentus, & asseritur S. Alberti obitus.

in Mo-

in Memoriali oblato Sacræ Congregationi Rituum, de quo sub an. 1250. diximus. Ac post magnam circa hoc adhibitam diligentiam scribit Reu. Pater Franciscus a Sancta Maria ex nostris Patribus Discalceatis Hispaniæ in sua historia nondum Typis edita *sub hoc anno*. Nec officit contra hoc, quod D. Albertus in sua historia dicatur ad *decrepitam ætatem* peruenisse; quod de ætate 57. annorum, quibus tantum vixisset, si hoc anno mortuus esset; siquidem anno 1250. natum diximus, videtur affirmari non posse. Etenim per ætatem decrepitam, longæuam sumere possumus, qualis 57. annorum dici potest: accedente maximè, quod vigiliæ, ieiunia, mortificationes, pœnitentiæ, & labores, talem decrepitam ætatem anticipare, & ad minus demonstrare queunt.

Qualis eius mors.

4 Qualis porro, & quam mirabilis eius obitus fuerit, sic in Codice Vaticano de vita ipsius describitur. *Factum est autem cum appropinquasset ad decrepitam ætatem, & antea temporibus multis infirmitatibus aggrauatus fuisset, in quibus Deus attentius deprecabatur, quatenus ad suum Cænaculum aduocare placeret, dicens: Etsi proprio filio tuo voluntatem suam adimplere non permisisti, sed tuam mandasti, ideo non mea, sed tua voluntas fiat. Dum sic orationis feruore, & potius in extasi astaret, audiuisse cernitur: Consortio Sanctorum tua adiungetur anima, Confessorum Ordines gloriosos ascendes, lætabunda sine fine Deo fruenda. Tunc magis psalmodia, Sanctorumque Patrum perlegebat Oracula, Diuina mysteria contemplans, ad Virginem votiua colloqutione delectatur. Cum igitur diem suæ dissolutionis spiratione superna appropinquante cerneret vir Sanctus, fratres aduocat, & exemplo Sanctorum Patrum eos mitissima voce alloquitur, cum Apostolo dicens: Cupio dissolui, & esse cum Christo: & prophetauit inquiens: Die ista, qua labili vita fungitur spiritus meus, à dæmonis ergastulo liberabitur, vt dirigatur ad Dominum, qui creauit illum: simul, & cum illo anima sororis meæ hodie ab hac vita transmigrabit, cuius anima sit & mea vestris iustis precibus commendata. Ecce miranda prædicatio, nuncio terreno non habito, prædixit de morte sororis: quæ fuit soror in corpore matris, fit consocia in separatione animæ à corpore, & in coniunctione ipsius ad Deū: & sic repertum est, cum tamen essent distantes fere per ducenta, & sexaginta milliaria. Circa vero horam vespertinam Dominicæ diei, qua similiter natus fuerat vir Dei cum genuflexione in medio fratrum* Beatam *Virginem in eius auxilium aduocans sic orauit: Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Deinde Psalmos, Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me: Postea, In te Domine speraui, non confundar in æternum, ambos perficiens, & alta voce finiens, clamauit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Et cum hæc dixisset, orantibus fratribus anima Sancti viri, quasi nebula candida vno volatu visa est scandere Cælum Angelicis Spiritibus* Beatorum *sociata, auditis clara voce cantantibus: Iustum deduxit Dominus per viam rectam, & ostendit ei Regnum Dei. Ad cuius transitum Campana, quam Messanæ fieri fecerat, seipsa sonum magnum, & prolixum cunctis Ciuibus proprium tribuit. Tantus odor illico de*

corpore

corpore Sancti viri emanauit, vt cunctos astantes mira suauitate repleuerit. Quapropter omnes Christicolæ, necnon & Iudæi admiratiuè confluunt, & ad fidem Christi conuertuntur, sanantur que plurimi diuersis infirmitatibus. Habitus quoque eius, & vestimentum, deuotionis causa, rumpitur, cupiens quilibet partem illius sortiri, cum Deus meritis Sancti viri per illa vestimenta ostenderet multa miracula. Inter cætera notandum sequens: Quædam nobilis Domina, dicta de Palatijs nomine Venetia, nimio zelo, ac deuotionis amore, de capite funeris almitorium, seu biretum substulit, quod custodiens, & sæpius imponens capitibus multorum, liberabantur à quacunque detinebantur oculorum infirmitate. Federicus vero Rex Siciliæ Messanæ rediens prælibati Petri Cathaloniæ Regis filius vnà cum comitibus suis pedester ad funus veniens, lachrymose de amissione tanti Aduocati, atque Patroni, omnibus mandauit, vt ad exequias Sancti viri venire debeant concitè, quæ factæ sunt. Ieiunijs, eleemosynis, & orationibus Archiepiscopi præcepto cum Missarum solemnijs tribus diebus successiue per omnes Ecclesias Messanæ, vt Deus miracula in Seruo suo ostenderet sanatiua, multorumque plurima nimium miratura visa fuerunt. Cum vero corpus in medio Ecclesiæ existens, Officio Missæ disponeretur, lis oritur quænam Missa sit celebranda. Clerus asserit Mortuorum, populus autem Sanctorum Confessorum; pro vtraque parte rationibus adductis. Tandem inspiratione diuina mandat Archiepiscopus, omnes oratione deuota ad Deum fore recurrendum, vt sua misericordia patefacere dignaretur, ipsum quem elegerat quo honore vellet decorari. O mira res! orantibus vniuersis, ecce duo pueri in albis cruciatis stolis aureis, lucidissima claritate sociati, in tantum, quod audiri poterant, videri autem claro aspectu nequaquam, consona voce, ac tubali pariter dicentes: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: Et cum hæc dixissent, in momento disparuerunt. Tunc subito Rex, & Archiepiscopus, vna cum alijs Prælatis, viso tam ineffabili miraculo, decreuerunt, auditum, & inceptum Missæ introitum obseruari, dicentes diuinum nutum, seu voluntatem esse præponendam, & sic celebrauerunt vnius Confessoris Missam pro tunc, ex deuotionis causa. Quibus finitis hora nona corpus sepulturæ deuotissime traditur. Rex, & omnis populus promiserunt, imo decreto sanxerunt, per Sedem Apostolicam ipsum fore approbandum, seu canonizandum, labore, & expensis illius Regni. Immediate ad sepulchrum Sancti viri, propter diuulgatam Sanctitatis famam, de longæuis partibus properant infirmi, cæci, claudi, leprosi, paralytici, causa recuperandæ sanitatis, qui tribus diebus orationibus, & ieiunijs deuote vnanimiter vacantes, ecce in medio noctis silentio vident quandam lucem corruscantes, & eos obumbrantem, in cuius medio visus est vir Dei Albertus veste candida circundatus, sanitatem conferens omnibus ipsum videntibus, alta voce Deum glorificantibus, qui talem dedit potestatem, & gratiam Seruo suo, qui sic virtutibus; & miraculis coruscantibus vsque in hodiernum diem fultus.

5 Hinc Sancti Alberti Apotheosim, & cultum sancti ipsi debitum, multa proclamant. Primum, ipsius insignis vita, tot miraculis ante, & post mortem patrata, quorum aliqua retulimus, alia tamen ipsius histo- S.Alberti Apotheosis.

rici copiose referunt. Secundum, quod, vt vidimus ex Vaticano Codice; *Rex, & populus promiserunt, imo decreto sanxerunt, per Sedem Apostolicam ipsum fore approbandum, seu canonizandum, labore, et expensis ipsius Regni.* Cui etiam consonat aliud Ordinis decretum anno 1375. in Capitulo Generali Podiensi, prout constat ex libro Ordinis *fol.* 10. vbi sic habetur. *Committimus Priori Generali, quod possit taxare Prouincias Ordinis conformiter communibus taxationibus, secundum magis, et minus, pro obtinendo locum, in quo sepultus est Sanctus Eliseus, et pro Canonizatione Beati Alberti.* Similiter in Capitulo Generali Montispesulano anno 1420. in lib. Ordin. *fol.* 32. præcipitur, quod in quibuscunque Conuentibus depingatur Imago Beati Alberti cum radijs. & in Capitulo etiam Generali Brixiensi, anno 1387. habito, constituitur Procurator ad solicitandam Canonizationem Sancti Alberti Magister Bartholomæus de Sacca. Insuper in Capitulo etiam Generali Conuentus Siluarum anno 1399 Procurator ad idem negotium instituitur Magister Philippus de Sicilia. Præterea in Capitulo Generali Conuentus Appaniarum Prouinciæ Tholosæ anno 1426. prout constat ex libro Ordinis *fol* 34. ordinatur etiam Procurator Generalis pro canonizatione Sancti Alberti. Quamuis autem solemni ritu canonizationis, qui modo est in vsu Ecclesiæ, forsan ob paupertatem Ordinis, Sanctus Albertus canonizatus non fuerit, nihilominus minus solemni canonizationis ritu decoratum fuisse negari non debet. Etenim Calixtus Tertius Summus Pontifex anno 1457. venerabili Ordinis nostri tunc Generali Ioanni Soreth viuæ vocis oraculo concessit, vt in honorem, & reuerentiam Sancti Alberti Altaria, & Ecclesiæ ędificari, & preces, ac suffragia publice tam in nostris, quam in alijs Ecclesijs persolui possent, prout publico, & longo tempore id fieri asserebatur. Id constat ex testimonio Gulielmi Cardinalis Rothomagen. nostri Ordinis Protectoris, quod approbat, & confirmat Sixtus Quartus in Bulla *Cælestis aulæ militum*, an. 1376. quæ habetur in Speculo Ordin. *fol.* 94. Vocatur autem communiter prædicta Bulla Canonizationis Sancti Alberti, & ratione ipsius à pluribus ipse canonizatus censetur. Etsi enim solemnissima, quæ modo est in Ecclesię vsu canonizatione decoratus non sit, cum tamen ex vi prædictæ Bullæ concedatur Templa, & Altaria erigi, ac preces, & suffragia publicè, tam in nostris, quam in alijs Ecclesijs persolui in honorem Dei, & eiusdem Sancti, cum hoc sit proprium canonizatorum; Beatificati enim minus vniuersali cultu honorari ab Ecclesia solent, ideo iure veluti canonizatus censetur. Vnde Angelus Rocca Augustinianus *in Cathalogo Sanctorum Canonizatorum* Sanctum Albertum describit. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca littera A.* inter Diuos relatum dicit. Ioannes etiam Balæus sæpius idipsum repetit *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*. Etenim *Centur.* 7. *post Thomam Reiburna in appendice* de Callixto Tertio loquens dicit: *Albertum Drepanensem Carmelitam, Vincentium Valentinensem Dominicanum, et Eadmundum Cantuariensem Anglum inter Sanctos Confessores Papisticos retulit.*

talis. Gloriosum Catholicorum cognomen in ignominiam vertit id hominum genus. Idem *Centuria octaua post Nicolaum Montacutium* dicit Calixtum Tertium canonizasse *Albertum Siculum Drepanensem ann*. 1457. & de Sixto Quarto loquens *Centuria* 8. *post Gulielmum Botoner. in Appendic.* dicit, instituisse festum Alberti Drepanensis. *Et eadem Centuria in Nicolao Kenton* dicit. *Albertum Drepanensem, & Andream Fesulanum Episcopum, tunc canonizata sui Ordinis Idola*. Hæc impudens hæreticus, etsi in præsenti causa fidus Historicus. Prædicta autem Bulla Sixti Quarti, cum viuæ vocis Oraculo Calixti Tertij fuisse in Ordine habitam pro sufficienti canonizatione Sancti Alberti ex eo elicitur, quod cum, vt vidimus, in Capitulo Generali Podiensi anno 1375. Brixiensi pro anno 1387. & Appaniensi anno 1426. ac in Capitulo Conuentus Siluarum anno 1399. solicitè prouisum fuerit de Procuratore pro canonizatione eiusdem, postea tamen in Capitulo Generali Brixiensi secundo anno 1478. duobus annis post datam dictam Bullam, nulla mentione facta de Canonizatione Sancti Alberti, ordinatur, *quod quilibet Prouincialis, dum ad propria redierit, procuret summa cum diligentia à Regibus, & Principibus pro Canonizatione Sancti Angeli Martyris, & Sancti Andreæ*. Quo sane indicatur non aliam curasse Canonizationem Sancti Alberti Patres nostros, præter illam, quam à Calixto 3. & Sixto 4. habuerant.

6 Hinc Sancti Alberti Officium Ecclesiasticum à multis annis est in vsu Religionis. Etenim in Capitulo Generali Bononiæ habito an. 1411. vt constat ex libro Ordinis *fol*. 28. præcipitur de eo fieri Officium de communi vnius Confessoris non Episcopi, & adiungitur, *donec Officium proprium de eo fuerit diuulgatum, quod quidem iam habetur*. Quo innuitur Officium proprium Sancti Alberti, quod modo est in vsu Ordinis, eo tempore fuisse compositum. Item in Capitulo Generali Nemausensi Prouinciæ Narbonæ anno 1498. *in lib. Ordinis fol*. 80. ordinatur, *quod in Vesperis, & in Matutinis fiat quotidie de Sancto Alberto, & Angelo*. Vnde in Kalendario Sanctorum Ordinis confecto ex ordinatione Capituli generalis Sancti Martini de Montibus Romæ anno 1564. *in lib. Ordin. fol*. 134. apponitur festum ipsius Sancti Alberti, cum octaua pro die septima Augusti, quod etiam Officium, & octaua confirmantur à Gregorio Decimo Tertio in Bulla inserta Breuiario nostro anno 1285. & à Sixto Quinto postea, & à Sacra Congregatione Rituum sub Paulo Quinto, ac etiam & sub Vrbano Octauo anno 1628. Extat etiam aliud vetustius Sancti Alberti Officium per Ioannem Anconitanum Presbyterum Montis Erycini, qui est eiusdem Sancti Patria, compositum, & à Hieronymo de Terminis Mazariensi Episcopo approbatum. Qui etiam quadraginta dierum Indulgentias concessit illud dicentibus, & audientibus, circa ann. Christi 1554. Officium autem, quod in Ordine nostro de hoc Sancto recitatur, etiam dicitur tam à sæcularibus in Ciuitate, & Diœcesi Panormitana. Tribuitur autem Sancto Alberto octaua, tum quia verè Sanctus Canoni-

Officium S. Alberti.

nonizatus est, vt vidimus, tum quia Religio ipsum vt Patronum, & Protectorem semper habuit, vt dicitur in Ordinis cœremoniali *lib. 2. Rubric. 57.* §. 5. In cuius rei signum in Capitulo generali Venetiarum ann. 1254. celebrato, prout habetur in libro Ordin. *fol.* 101. ordinatur, quod Sigillum Generalis Capituli sculptum sit *cum Imagine Beatæ Virginis sedentis in Throno, & habentis Saluatorem in sinu à sinistris, & duas Sanctorum Imagines Throno astantes, videlicet Præcursorem Sanctissimum à dextris, & Sancti Patris nostri Alberti à sinistris.* Insuper pro hoc puncto extat pium satis, & laudabile decretum bonæ memoriæ Nicolai Audeth Cyprij Generalis Magistri Ordinis in Constitutionibus per Clem. 7. approbatis, & confirmatis, vbi *cap. 1.* § 41. sic habetur: *Item, quia inter cætera eximia Sanctitatis Ordinis nostri exempla, Sanctissimi Patris nostri Alberti vbique gentium celeberrima est gratia apud Deum, & homines Christianos, cuius miraculis non modo Sacra Religio nostra exuberat, sed & Orbis fere vniuersus iuuatur, nec vllæ sunt per vniuersum Christiani nationes, quæ Sanctissimum Patrem nostrũ Albertum Protectorem non receperint, & propitium, atque assiduum apud Deũ Intercessorem experti non fuerint: ne celeberrima fidelium deuotio, ob negligentiã nostram remittatur, quod impium foret, & indecorum: ordinamus, et præcipiendo mandamus, quod in omnibus Ordinis nostri Conuentibus, et locis, post erectum Altare gloriosissimæ Dei Genitricis, cuius titulo specialiter insignimur, et in cuius honorem primi, et ante alios omnes antiqui Patres nostri in Carmeli vertice Templum erexere, et hyperdulium cultum, honoremque debitum eidem exhibuere, erigatur, et deuotè teneatur Altare in eiusdem Sancti Patris nostri Alberti, cui sit peculiariter dicatum, et consecratum. Et hoc sub pœna rebellionis Prioribus tam Prouincialibus, quam localibus, seu Vicarijs si contrafieri permiserint infligenda*: Hæc ille, quibus satis iuuatur intentum de Patronatu Sancti Alberti in Religione nostra.

Memoria in Martyrologijs.

7 De Sancto Alberto propterea memoria fit in Martyrologio Romano die septima Augusti, vbi etiam Baronius, & Petrus Galesinus, Maurolycus, Molanus, Hieronymus Bardus, & Bernardinus Rocca etiam in suis Martyrologijs, Heribertus Rosveidus Iesuita *de fastis Sanctorum*.

Scriptores vitæ.

8 Habet insuper eximios vitæ, & miraculorum ipsius Sanctus Albertus Scriptores, de externis, & domesticis: qui sunt Laurentius Surius in *vit. Sanctorum die septima mensis Augusti*, Petrus de Natalibus *in Catalogo Sanctorum in fine, et Append. c. de SS. nuperrimè canonizatis cap.* 13. Franciscus Haræus *in vit. Sanctorum sub 7. die Augusti*, Ioannes Maria Polytius, vel Polytianus, qui creditur primus Author vitæ ipsius, quamuis Segerus Pauli *in notis ad Kalendarium Mechliniensem* dicat, primigenium Authorem gestorum Sancti Alberti fuisse Theodoricum de Aquis Carmelitam Coloniensem circa ann. 1394. plus centum annis ante Ioannem Mariam Polytianum, Codex manuscript. Vaticanus *de vitis Sanctorum Carmelitarum* à nobis commemoratus; qui creditur esse Magistri Baptistæ Veneti de Cataneis, Alphonsus Villegas *inter Sanctos extrauagant*: Legenda

da

da Sanctorum, quæ sub nomine Nicolai Manerbij Veneti circumfertur, Vincentius Barbarus Drepanensis, Abraham Bzouius *tom. 13. Annal. sub anno 1292.* Odericus *ibidem*, Baptista Mantuanus *in fastis SS.* D. Laurentius Abbas Messineusis, Falconius *in Chronic. Carmelitarum*, Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitarum lib. 10. cap. 18.* Ioannes Palæonydorus *lib. 5. cap. 9.* Petrus Sarracenus *in Menologio Carmelitarum*, & plures alij, quos consulto, breuitatis ergo, omittere liceat.

9 Innumeri præterea sunt, qui ipsum Albertum *in Chronicis*, vel *Historijs* magna cum laude referunt, ex quibus sunt Hermannus Schedelius *in sua Chronic.* Euernerus RouelincK *in Fasciculo temporum circa ann. 1294.* Rafael Volaterranus *in Antropologia lib. 21.* Primus Episcopus Cabilonensis *in Topograf.* Iacobus Gualterius *in Tabula Chron. sæculo 13.* Quibus iungitur Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ, Centuria 4. Appendic. secunda ad Ioannem Rufum*, cuius verba placuit referre, quod impius aliàs auctor, cui fere nullus Sanctus est, nisi Ioannes Hus, Vvicleph, aut similis farinæ nebulones, pius tamen erga Albertum nostrum sic se gerat. *Sed vt de pijs aliquid hoc loco dicatur, accedit Ioannes Maria Politianus. Albertus Drepanensis (inquit in eius vita) ex nobili genere in Sicilia natus, hæreditate pauperibus data, nihil preter vnicum Christi sibi reseruans, nimis auarum eum esse sæpissimè dicebat, cui Christus cum suis bonis non sufficiat, vnde munus à Deo illi peculiariter concessum fuit, vt plures ad Christi fidem conuerterit Iudæos, quam quisquam alius, &c.* Expendamus & nos Catholici, & Religiosi, quod à fide, & Religione Apostata Balæus in nostro Alberto commendat, nempe, *nimis auarum eum esse, cui Christus cum suis bonis non sufficiat.* Vt vel sic solum Christum sequi, quærere, ac possidere, relictis alijs studeamus. Multa etiam de illo Conradus Gesnerus auctor etiam damnatus *in sua Bibliotheca littera A.* Ab innumeris alijs.

10 Nec solum inter Sanctos, & egregios, vita, & moribus viros Albertum recensemus, sed & inter claros Religionis Scriptores illum iure nominare possumus. Composuit enim, teste Balæo, vt supra, ex Politiano, homilias plures, videlicet, *de pijs moribus, de timore Dei, de amore fraterno, de patientia, de mundi contemptu, de fallacijs diaboli, & similibus.* Quapropter inter Scriptores illum recensent Trithemius *de Scriptoribus Carmelit.* Posseuinus *in Apparatu sacro tom. 1. littera A.* Gesnerus relatus, & alij. Inter Scriptores.

11 Meruit proinde Albertus noster, quem signis, ante, & post obitum clarum Orbis nouit, vt ipsius Reliquiarum sparsim per Ordinis Monasteria diuisarum, tactu, aqua benedicta, pro febribus curandis à populo Christiano deuotè sumatur; nec sine magno fructu, prout in dies cernitur. In cuius memoriam in Breuiario illo à Mazariensi Episcopo approbato, & Indulgentijs confirmato, de quo supra actum, in Hymno Laudum sic legebatur: Reliquiæ ipsius.

O quot ægri vulnerati
Febris atro vulnere

Sunt

Sunt reducti sospitati,
Fontis hausto flumine
Huius, vnde sanctitati
Conferuntur gratiæ.

Et in Sequentia Missæ sic etiam canebatur.

Aqua Diui cum potantur
Imbecilles releuantur
Ægri: & inde prædicantur
Signa mirabilia,

In Offertorio sic legitur:

Ad Alberti sitientes
Currunt aquas populi,
Quarum haustum assumentes,
Liberantur languidi.

Protector Vrbium. 12 Meruit quoq; vt plures Ciuitates in Regno Sicilię eundé sibi in Protectorem elegerint. Præcipuè verò Regni Primariæ Messana, Drepanum, & Panormum. Cuius postremæ Senatus publico voto se fatetur an. 1626. coram doctissimo viro Saluatore Vinci Carmelitarum Sancti Angeli in illo Regno quondam Prouinciali, & tunc Conuentus Sancti Nicolai Bononiorum Panormi Priore, fuisse, à morbo Epidemiæ totam Trinacriæ Insulam deuastante, per merita istius Sancti mirabiliter liberatum. Hoc idem fatetur Populus Montis S. Iuliani, nostri Sancti patria. Hanc quoq; protectionis electionem à Panormitis factam publico edicto de illius Officio cum Octaua celebrando, concessis Indulgentijs, Ioannes Cardinalis Doria Genuensis Panormi Archiepiscopus confirmauit 4. Aug. 1626.

Ann. Christi 1308. Clement. 5. Roman. Pontif. 9. Henrici Imp. seu Regis German. 1. Andronici Imperat Orient. 26. Gerardi de Bononia General. 12.

Imperatoris electio. 1 Vm Albertus Imperator à fratris filio Ioanne, alijsque paucis comitibus interfectus fuisset, ac renuntiatus Imperator Germaniæ Henricus Comes Luceburgensis, electio probata fuit à Summo Pontifice. Philippus autem Rex Galliarum de Bonifacio Papa damnando, & Templarijs extinguendis Clementem vrgebat. Sic ferme Bzouius, & alij Chronologi.

B. Franci festum. 2 De nostra historia proprius hoc est; quod cum plura Beati Franc. Senensis meritis miracula corruscarent, fideliumque deuotio æquo passu cresceret, vt Senensibus, & alijs nationibus fratres nostri vtcunque satisfacerent, à Clemente Papa humiliter postularunt anno 1308. licentiam solemniter celebrandi festum eiusdem Franci pro prima Dominica men-

mensis Maij die translationis corporis ipsius. Annuit Pontifex, ac idcirco peritissimi Ordinis Doctores Officium proprium eiusdem pro tali die, & quotidiana commemoratione facienda ediderunt. Erat illa festiuissima dies apud nostros, duasque familias Lippensem, ac Danielensem, quæ ex Oppido Giotti, alijsque populis processionaliter ad Ecclesiam nostram magnus fidelium numerus veniebat: etsi autem solemnitas festi etiam vsque ad hæc tempora duret, mutata tamen prima in secundam Dominicam ob solemnissimam Sanctæ Catharinæ Virginis Senensis ea prima Dominica festiuitatem occurrentem; nihilominus Officium eiusdem Beati tempore nouæ reformationis Breuiarij relictum est; & quia indeuote à quodam Ordinis nostri Professore tractatum, ferè iugiter morbo vsque ad obitum vexatus non temere creditur. Gregorius Lombardellus *in vita Beati Franci cap. vlt.* Alexander Calossus *ibidem.* Huius porro Beati Franci Officij tres Lectiones in Manuscript. memoria Archiuij Transpontinæ reseruatas existimamus cũ sequenti oratione; *Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam semper fœcundas, & auges, nobis supplicibus ita iugiter tua adsit propitiatio, sicut Beati Franci Confessoris tui virtutibus, ac miraculis adfuisti, cuius intercessione ab omnibus vitiorum tenebris eruamur, & de eius festiuitate letemur. Per Dominum nostrum, &c.*

3 Quæ vero fuerint hæc Beati Franci meritis patrata miracula, ex eisdem Authoribus sic breuiter referimus. Pueri cuiusdam à grauissima infirmitate liberatio. Alterius à fastidioso, & laborioso morbo sanitas. Cuiusdam Albertuccij à magno dolore immunitas. Cæci illuminatio, mammæ fœminæ, morbi caduci, & colicæ passionis curatio. Ac tandem cuiusdam à tempestate maris, alterius ab inimicis illum inuadentibus, & nobilis fœminæ ab infamia adulterij ereptio. Lombardellus, & Calossus in *vita B. Franci cap. 30.* Addit Calossus, miracula alia, ferreis catena, & globo, quibus Francus pœnitentiæ, & mortificationis causa vti solitus erat, patrata fuisse. Miracula.

4 Concessit præterea idem Pontifex Clemens Quintus, Pontificatus sui anno quarto (qui præsenti 1308. vel sequenti 1309. correspondet) nonis Nouembris Religiosis nostris. *Ne aliqui Religiosi de Ordinis Mendicantibus, Ecclesias, seu quæuis loca de nouo ædificare, seu construere, aut per alios constructa, vel ædificata de nouo recipere, aut inhabitare iuxta loca nostri Ordinis infra spatium centum quadraginta cannarum mensurandarum etiam per aerem, vbi alias recte non permitteret loci dispositio mensurari, quoquomodo præsumerent.* Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol. 27. pagina 2.* Pontificia concessio.

5 De Oxoniensi Cœnobio in Anglia hoc anno erecto per Eduardum secundum Regem memoria agitur in Chronographia Monasteriorum eius Regni, quam sæpe commemorauimus. Sed id quomodo accipiendum sub anno 1260. notauimus, & alia dicemus sub 1314. Oxoniense Cœnobium.

Ann.

Ann. Christi 1309. Clement. 5. Roman. Pontif. 5. Henrici Imperat. seu Reg. Germ. 2. Andronici Imper. Orient. 27. Gerardi General. 13.

Huius temporis gesta.

1 Agebatur hoc tempore contra Templarios, de bonis ipsorum confiscandis, de celebrando Concilio Generali, ac de Venetis anathematis spiculo desigendis; excitatis etiam in eos belli Sacri militibus: eo quod occupassent Ferrariam. De his Blondus, Sabellicus, & recentiores Historici post ipsos.

Capitulum Generale Ianuense.

2 Hoc anno Ianuæ in Prouincia Lombardiæ bonus Generalis Gerardus aliud Generale Capitulum celebrare fecit, iuxta Palæonydorum *li. 3. cap. 10.* ex quo aliqua acta nouimus. Primò enim, Gulielmus Paghamus, de quo anno 1280. *ob singularem pietatem, doctrinam, prudentiam, grauitatem, authoritatem, & in rebus gerendis dexteritatem* (sic loquitur Pitseus *de Scriptoribus Angliæ Ætate 13.* in isto Authore) communi Patrum suffragio in Prouincialem Illustrissimæ Angliæ Prouinciæ eligitur: vnde postea in Episcopatum Midensem assumptus fuit. Deinde Gulielmus Lindlingtonus Theologus, Doctor Oxoniensis, eruditione, pietate, & prudentia celebris, Terræ Sanctæ, & Cypri constitutus est Prouincialis. Ioannes Pitseus *de Scriptoribus Angliæ Ætate 14. in ipso Guillelmo.*

De Guiliel. Lidlington.

3 Quis & qualis hic Guilielmus fuerit, gesta ipsius, & quod circa hunc annum 1309. è vita discesserit, non solum ex Balæo *in Cathalogo de Scriptoribus Brittanniæ Centuria 3.* sed præcipuè ex prædicto Pitseo vt supra, sic habemus: *Gulielmus Lidlingtonus, siue is in comitatu Lincolniensi, siue, quod alij volunt, in Cantabrigiensi, iuxta Reistonum natus fuerit, erat Anglus, & Ordinis Carmelitani Monachus Stanfordiensis, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vir eruditione, pietate, prudentia, omni denique virtutum laude celebris: postquam assidua diuini Verbi prædicatione multum in populo fructum fecißet, & magnam apud omnes famam conciliasset, suorum in Anglia Prouincialis electus est, illudque munus plusquam quadriennium obiuit strenuè. Deinde in Galliam Narbonensem à Gerardo Bononiensi Priore totius Ordinis Generali, ad generale Capitulum, cum alijs vocatus est. Vbi anno 1303. quantum potuit resistente Lidlingtono, diuisi sunt Angli Carmelitæ in duas Prouincias: Lidlingtonus autem ascitis sibi nonnullis alijs, non acquieuit, imo libris scriptis decreto contradixit. Sed tandem Superiorum auctoritate compressus, cessit, compositisque rebus Parisijs factus est Sacr. Theologiæ Professor, & anno Domini 1309. in Capitulo Geneuensi* (corrige Ianuensi) *constitutus est Terræ Sanctæ, totiusque Palæstinæ Insulæ Cypri Prouincialis. In patriam nihilominus tandem redijt, vbi et diem suum obijsse perhibetur. Scripsit, teste Gibellino, in Euangelium Sancti Matthæi librum vnum, Sermones ad populum librum vnum, Lecturas*

Eturas Theologicas librum vnum, Determinationum librum vnum, contra decretum Capituli Narbonensis, librum vnum, & alia quadam. Stanfordiæ tandem mortuus, & sepultus dicitur circa annum Domini 1309. regnante in Anglia Eduardo secundo. Hæc ad verbum ex Pitseo pro clariori notitia historię de diuisione Prouinciæ Angliæ, & gestorum in Capitulis generalibus, Narbonæ, & Ianuæ transcripsimus.

4 Per idem tempus Petrus Ioannis nuncupatus, hæreticus, surrexit multos in Ecclesia errores disseminans, quos tamen conuincit noster Guido *in lib. de Hæresibus*. De hoc Petro Ioann. Bzou. *hic num.* 11. De Petro Ioannis.

5 Præcepit Clemens Papa sub hoc anno fratribus nostris, & alijs Mendicantibus in Ciuitate Castellanensi, vel loco Venetiarum, vel circa ad decem milliaria commorãtibus, quod intra decem dies de prædictis Terris discederent, ad illas minimè reuersuri, donec Veneti, qui ab ipso erant anathematizati ab inuasionem Ciuitatis Ferrariensis, eiusque Comitatus, gratiam Sedis Apostolicæ obtinuissent. Habetur Bulla apud Bzou. *tom.* 14. *Annal. sub hoc anno num.* 3. Gesta hoc tempore.

Ann. Christi 1310. Clement. 5. Roman. Pontif. 6. Henrici Imper. seu Reg. German. 3. Andronici Imperat. Orient. 28. Gerardi de Bonon Gen. 14.

1 HOc etiam anno Francorum Rex pro damnatione Papæ Bonifacij solicitabat Clementem: cum nausea etiam Principum Christianorum. Massonius *in Clem.* 5. Bzouius *hic*. Imperator etiam Henricus in Italiam pergit, eamque turbat, sed coronatur Mediolani. Iouius, Blondus, Odericus. Pontifex autem à varijs Principibus commotus, Concilium indicit in causa Templariorum. Iacobus de Brugis.

2 Claruit hoc tempore ex Ordine nostro Iacobus de Brugis, qui Iacobus Flemingi à Bachonio nostro vocatur *in secundo lib. sentent. distin.* 29. *quæst.* 1. *artic.* 2. eum recensens inter maximos discipulos Gotfredi, quos dicit fuisse, Ioannem de Polx, Guidonem, & ipsum Iacobum. Scripsit de impassibilitate animæ *lib.* 1. De motu intellectus lib. 1. & alia. De ipso loquitur Bibliotheca Tigurina, ex nostro Iuliano Hasarto, & Biscarretus eum appellans Doctorem Parisiensem; & Ludouicus Guicciardinus in sua descriptione Ciuitatis Brugensis. Hic autem Gotfredus est, iuxta eundem Biscarretum, ille Godefridus Cornubiensis Doctor insignis Anglus, de quo sub anño 1320. dicemus.

3 Obdormijt in Domino sub hoc anno in Monasterio Noruicensi Robertus Vualsighanus, inter Ordinis nostri professores celebris, natione

Anglus, Theologiæ Doctor, & Professor Oxoniensis, vbi inter alios præclaros Discipulos Auditorem habuit clarissimum Ioannem Bacchondorpium, Bacchonem nuncupatum, mirabilis tunc ingenij Iuuenem, qui & hunc suum Magistrum in scriptis non raro, & plane qua par est reuerentia citat. Eum quoque citat aliquando in suo Doctrinali fidei Thomas Vvaldensis tanquam Catholicæ veritatis testem, & propugnatorem. Hic Doctor acriter defendit partes Guillelmi Lidlingtoni contra Gerardum Bononiensem, nec adduci potuit vt consentiret decreto Capitnli Narbonensis anno 1303. quo statutum erat vt Prouincia Angliæ in plures scinderetur. Erat hic Pater acuti ingenij, solidi iudicij, bonæ vitæ, magnæ doctrinæ, vt scripta, quæ post se reliquit, abundè testantur. Scripsit autem super Ecclesiasticum *librum vnum*. Determinationes Scripturæ *librum vnum*. Elucidationes sententiarum *libri quatuor*. Quodlibeta maiora *librum vnum*. Conciones ad populum *librum vnum*. Quæstiones ordinarias *librum vnum*. Alias Quæstiones ordinarias *librum vnum*. Quæstiones solemnes *librum vnum*. Quæstiones Vesperiales *librum vnum*. Contra Gerardum de Bononia *librum vnum*, & alia multa. Sic ferè Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14. in hoc Doctore*. De ipso etiam Posseuinus *in Apparatu Sacro littera R.* affirmans in lib. Magnorum Quodlibetorum expendisse opiniones Alensis, Scoti, Ægidij, Gerardi Bononiensis, Henrici, & aliorum sui æui Doctorum. De illo quoque Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitarum*, Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, & alij.

De Sancio Dullo.

4 Sub idem tempus Sancius Dullus Nauarrus loci Regij, vulgo *Real*, Diœcesis Pampilonensis, Ordinis nostri Professor, Clementis Quinti, imo etiam Ioannis 22. Pœnitentiarius in Curia fuit: donec ad Episcopatum Albarrazinensem est assumptus. Doctor dicitur elati ingenij, in Theologicis, & Iure Pontificio versatissimus; & ex melioribus Prælatis eius Ecclesiæ: eamque egregie defendisse contra eos, qui eam opprimebant. Valentiæ tandem ob suæ Ecclesiæ defensionem, postquam eam per annos 37. rexisset, cum magna eiusdem vtilitate, bono fine quieuit an. 1356. Scripsit de perfectione vitæ Catholicæ *lib. 1.* quem præsentauit Ioann. 22. Pontifici. Andreas Scotus *in Bibliotheca*. Martinus Carrillo *in histor. Sancti Valerij in Cathalogo Episcoporum Albarrazinensium sub anno* 1319. Romanus *in Elucidationibus fol.* 214. Biscarretus *in Palmitibus vineæ Carmeli*.

Hichinense Cœnobium.

5 Hychini in Hortfordia sub hoc anno dicitur fundatum Cœnobium Ordinis nostri, sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ, Eduardo secundo Anglorum Rege fundatore, in Tabula Chronographica Cœnobiorum Angliæ, quam præ manibus gestamus. Pro quo videnda quæ dicimus sub anno 1316. de Conuentu Hychiensi.

Robertus Baston.

6 Circa idem tempus finem viuendi fecit Robertus Baston, illustri apud

apud Anglos stemmate natus, & nostri Scarburgensis Cœnobij Prior. Integer vitæ, scelerisque purus, & in omni humaniori litteratura tam politus, vt Oxonij tum Rhetoricam, tum Poeticam acceperit Lauream. Hunc Eduardus primus Angliæ Rex, vt diximus anno 1303. in Scotiam secum duxit, vt obsidionem Striuelinensis Castri, totumque illud bellum carmine describeret, quod egit egregiè. Sed post annum in manus Scotorum incidens, iussu Roberti Brusij tormentis compulsus est, vt contrarium scriberet. Res sanè risu digna, vt & ipse canebat dicens:

De plantu cudo, metum cum carmine nudo,
Risum retrudo, dum tali themate ludo.

Vtvt sit, multa scripsit doctissimus homo. De Striuelinienſi obsidione *librum vnum*. De altero Scotorum bello *librum vnum*. Orationum Synodalium *librum vnum*. De varijs mundi statibus *librum vnum*. De Diuite, & Lazaro *librum vnum*. De Scotiæ varijs bellis *librum vnum*. De Sacerdotum luxurijs *librum vnum*. Epistolarum ad diuersos *librum vnum*. Contra Artistas *librum vnum*. Tragediarum, & Comediarum Anglicè *librum vnum*. Nothingamiæ tandem locum requiescendi dedit. Sic ferè Ioannes Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14. in hoc Auctore*. Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, Ioannes Leslæus Scotus *de origine Scotorum lib. 7.* De eodem etiam agunt Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro littera B.* Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitarum*. Bzouius etiam *tom. 14 Annal. sub anno 1306. num. 16.* relatum casum refert; etsi immerito hunc Carmelitam carmine barbaro, illo tamen sæculo non contemnenda scripsisse dicat: cum virum doctissimum fuisse, & præclarum Poetam, ea quæ scripsit, & quæ de ipso tradunt Pitsæus, & alij relati, satis ostendant.

7 Conuentus noster Balneolarum in Prouincia Narbonæ insignis, iam fundatus erat extra Vrbem anno 1310. præsenti, vt patet ex transactione facta inter Religiosos, & Priorem Sancti Ioannis Balneolensis, eodem anno 1310. die prima Maij. Tandem omnino euertitur à Principe Caluinistarum circa annum 1566. vnde Religiosi coacti fuerunt ædificare Conuentum in Vrbe, vbi nunc profitentur vitam Regularem. Dedicatio nouæ Ecclesiæ facta fuit anno 1610. die Dominica decima octaua post Trinitatem, qui erat dies decimus Octobris, a Reuerendissimo Ludouico à Vinea Carmelita Episcopo, & Duce Vticensi. Sic ex relatione Prouinciarum Franciæ.

Ann. Christi 1311 Clement. 5. Roman. Pontif. 7. Henric. Imp. seu Reg German. 4 Andronic. Imperat. Orient 29 Gerard. de Bonon. General. 15.

Cœnobium Viennense. 1 ANno isto Concilium Generale Viennæ Allobrogum à Clemente Quinto celebratur, ipso præsidente, in oculis totius Orbis, & assistentibus Patriarchis, Alexandrino, & Antiocheno, vna cum 114. Episcopis (alij dicunt 300.) multisque Prælatis, tribusque Regibus, scilicet, Francorum, Angliæ, & Aragoniæ. In eo actum est de recuperanda Terra Sancta: de damnatione Beghardorum, & Beguinarum, quos noster Guido, Carmelita dictus, satis impugnat. Suppressus etiam est Templariorum Ordo: ac decreta alia circa mores Clericorum, quæ extant in Clementinis, Platina, Palmerius, Gordonus, Spondanus & alij.

Generalis Gerardus. 2 Adfuit huic Concilio Generalis noster Gerardus, prout ex litteris Cardinalis Berengarij, de quibus anno sequenti dicimus, elicitur. Adfuit & Guilhelmus Radingius Anglus, vt ex Pitseo *de Scriptoribus Angliæ Ætate* 14. elicitur. Hinc, vt videbimus, de ipsorum damnatione prędictus Radingius cum Archiepiscopo Cantuariensi Londini egit.

Albiense Cœnobium. 3 Albiensis Cœnobij inter nobilia Ordinis Emporia iure nominati, auspicia huic anno tribui debent. Quo instrumentum quoddam confectum est inter Episcopum eius Ciuitatis, & fratres nostros, de dando illis locum pro fundatione dicti Monasterij, cum quibusdam conditionibus in eo designatis. Concessa est autem hæc facultas nomine Religionis Fratri Bernardo de Porta à Fr. Guilielmo de la Garda Prouinciali Aquitaniæ, & Capitulo Prouinciali eodem anno celebrato in Conuentu Castri Sarraceni, & de consensu aliorum fratrum, inter quos nomeratur Fr. Ioannes de Alerio Lector, qui postea ad Generalatus apicem euectus fuit, vt suo loco dicemus. Hæc accepimus ex relatione Prouinciæ Aquitaniæ, in qua primo loco hoc Albiense Cœnobium refertur, cum tamen alia vetustiora sint, scilicet Cadurcense, de quo anno 1271, diximus, & illud Castri Sarraceni supra nominatum. Vt hinc colligatur id, quod non semel animaduertimus, quod aliquando antiquiora Cœnobia suum locum perdiderunt ob aliquas causas, & cesserunt modernioribus.

Guilielmus Hanabergus. 4 Eodem etiam anno Londini senex mortuus, & sepultus est Guilielmus Hanabergus, natione Anglus, patria Southreia, Oxonij Laurea Doctoratus insignis, Prouincialis quondam magnæ illius Angliæ Prouinciæ. Hic suo munere sanctè, solicitèque fungendo à Summis Pontificibus in nostrum fauorem in Anglia multas obtinuit immunitates, quas à Regibus, Episcopis, & alijs quorum intererat, acceptari curauit. Scripsit Sermonum

monum variorum *librum vnum*. Lecturas Theologiæ *librum vnum*. Determinationes celebres *librum vnum*. Quæstiones ordinarias *librum vnum*. Hæc fermè Ioann. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 14. De eo etiam Posseuinus *in Apparatu Sacr*. et Biscarretus *in Palmitibus vineæ Carmelis*.

Ann. Christi 1312. Clemen. 5. Roman. Pontif. 8. Henric Imper seu Reg. German. 5. Andronici Imperat. Orient 30. Gerardi de Bononia General. 16.

1 PRonunciatur in Concilio Viennensi vt innocens aduersus suos calumniatores Bonifacius Octauus Papa: licet ipsi etiam excusentur. Massonius, Ioannes Villanus, Bzouius, & alij. Henricus etiam Imperator Romam veniens ab aliquibus Cardinalibus coronatur. Blondus, Sabellicus, Naucler. Cuspin. *Gesta hoc tempore.*

2 De Ordinis nostri negotijs illud primo occurrit, quod eodem etiam anno celebratum fuerit Generale Capitulum Londoni in Anglia, per Generalem Gerardum. Sic enim testantur Bostius *lib. 7. Specul. histor. cap.* 35. Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 10. & posteriores alij. Eius porro Capituli acta perierunt: & solum ex Palæonydoro habemus: *Ibi inter cætera fuit ordinatum, quod post generalem Confessionem diceretur sic: Ideo precor Beatam Virginem Mariam, & omnes Sanctos Dei, & te Patrem orare pro me ad Dominum Iesum Christum.* Quo denotatur, olim confessionem generalem, forsan secundum antiquiorem vsum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quem Ordo noster sequebatur, terminari solitam illis verbis *mea culpa*, & idcirco addita fuisse illa. *Capitulum Londonien.*

3 Erat etiam eo tempore, & anno, clarissimus in Ecclesia, & Ordine nostro, Generalis ipse Gerardus de Bononia, qui hoc & alia celebrauit Capitula. Quod, præter dicenda circa ann. 1317. ipsiusque doctrinæ varios tractatus ibidem afferendos, confirmant litteræ Cardinalis Berengarij Episcopi Tusculanensis doctrina, scientiaque percelebris, vt propterea Bonifacio Octauo in recopilatione sexti Decretalium affuerit, & à Clemente Quinto in prima creatione inter Purpuratos Patres memoratus. Hic ergo Dominus Cardinalis ad Capitulum generale hoc anno Londini celebrandum litteras misit, quibus & Ordinem nostrum, & Generalis Gerardi personam magnopere commendat. Habentur in Speculo Ordinis *fol.* 83. *pag.* 2. De Ordine sic habet. *Insignis Ordinis vestri Religio diuinis mancipata obsequijs Gloriosæ Virginis singularitate deuotionis, & intitulatione denominationis ascripta, ex ipsius Ordinis institutione, ac Professorum eiusdem salutaris prosecutionis instantia, rutilat, humilitate gaudet, castimonia splendet, ac velut lucerna prælucida pulchritudine conuersationis elucet, quodq;* *Generalis gesta.*

ipsius

ipsius Ordinis Professores sub humili, ac arcta obseruantiæ districtione viuentes in conspectu Altissimi, & eius Beatæ Virginis, & Matris phialas odoramentorum plenas, in orationum assiduitate præsentant, & de pompis, ac mundanis illecebris velut perfecti Christi serui in spiritu voluntariæ paupertatis deuotè Deo famulantes, & Sacræ paginæ documentis instructi, fructus perutiles saluberrimæ prædicationis gratia, & exemplis salutaribus in Dei Ecclesia producere non desistunt. De persona autem Generalis Gerardi sic loquitur: *Religiosus vir frater Gerardus de Bononia Prior Generalis eiusdem Ordinis, Sac. Theologiæ Magister, modernis diebus apud Sedem Apostolicam constitutus, apertis thesauris suę grandis scientię, sic in conspectu Domini nostri Summi Pontificis, & fratrum suorum multiplicium odorositate virtutum redoluit, morum quoque candore, ac consilij maturitate complacuit, quod ob multimodam scientiarum fluenta, quæ de suo pectore, velut de promptuario pleno fluunt, ab ipso Domino nostro, & fratribus suis in reputatione non modica, & pro vno de mundi huius litteratis elegantioribus reputatur, & ab illis quasi vasculum plenum aromatibus est dilectus.* Hęc dixit absdubiè Dominus Cardinalis propter doctrinæ, & sapientiæ eiusdem Generalis signa coram Papa, & Cardinalibus, cœterisque Prælatis in Concilio Viennensi, quod illis diebus celebrabatur, ostensa, ac demonstrata. Neque enim alia vrgebat ingenij, & litteraturæ ostentandorum occasio tunc, nisi prædicti Concilij. Subiungit tandem monens Patres Capituli Londonensis, ne prædictum Gerardum renunciare suo officio permittant, propter honorem, qui ex ipso Religioni nostræ apud Sedem Apostolicam contingebat, sic dicens: *Non indignè conijcimus, quod dictus Ordo propter ipsius Prioris excellentiam, meritoriumque, ac propter fauorabilem beneuolentiam, quam ob ipsius Prioris grandia merita ab Apostolica Sede consequitur, Ordo ipse honore grandescit, & proficit vtilibus incrementis. Et si ipsum Prioratus regimen ipsi cedere fortasse contigerit, Ordo posset ex hoc verisimiliter minorari. Quamobrem si dictus Prior in Generali Capitulo per fratres eiusdem Ordinis celebrando cedere, vel ipsum resignare voluerit, laudamus, & eius speciali affectu, quo ipsum Ordinem, vel fratres ipsius prosequimur, sano consilio suademus, quatenus resignationem, vel cessationem eamdem nullatenus admittatis. Nam illud si fieret, statui, & honori supradicti Ordinis, sicuti firmiter credimus, plurimum derogaret, ac nobis etiam propter multa quæ inde Ordini sequi possent incommoda, displiceret.* Datum, &c. Hæc in dicta Epistola, Ordini, & ipsius Pastori Gerardo honorifica satis.

Gesta in Capitulo.

4 Quæ porro circa eundem Generalem in dicto Londonensi Capitulo determinatum sit, etsi clare non constet, quia ipsius Acta, vt diximus, perierunt: nihilominus, quia ipse Generalis Gerardus cum officio Generalatus, peracto Capitulo, vsque ad annum 1317. remanserit, vnum de duobus credendum, vel quod officio non cesserit, propter commodum Religionis; vel quod à Patribus Capituli renunciatio, si facta fuit, admissa non fuerit, iuxta monitionem Domini Cardinalis Berengarij in litteris superius adductis descripta,

Eadem

5 Eadem etiam Londinensi Ciuitate, & eodem anno, sub Archiepiscopo Cantuariensi Vvinchelseio pro tribunali, Templarij, de immanibus,& atrocibus sceleribus contra ipsos obiectis examinabātur: ad quod munus, ex Oxonia noster Guilelmus Radingius, qui Viennensi Synodo, vbi ea de causa agebatur, astitit, vocatus est. Vnde ipse de Templariorum examinationibus *librum vnum* composuit, cuius initium est, *Ad perpetuam rerum memoriam.* Edidit & alium librum Quæstionum quarundam, & alia non pauca, *pietatis, & eruditionis cultor insignis, & diuinæ gloriæ zelo incredibiliter feruidus, omnium vitiorum osor, omnium virtutum amator*. Sic commendatur hic Doctor à Ioanne Pitseo *de Illustrib. Angliæ Scriptoribus Ætate* 14. *in Guillelmo Radingio*. De eo etiam Balæus *in Cathalog. Scriptor. Brittann.* Posseuinus, & alij. De Templarijs.

6 Erigitur, vel de nouo augetur sub hoc anno in Anglia, industria forsan Generalis Gerardi, & Patrum Generalis Capituli Vocalium Cœnobium Suttonense. Speculum Ordinis *fol.* 60. *pagina prima*. Fundatores ibidem nominantur Dominus Edmundus Dux Cornubiæ primus, & Illustris Princeps Eduardus primogenitus Domini Eduardi Regis tertij secundus. Sed quod attinet ad Edmundum Cornubiæ Ducem, cum ipse è vita decesserit anno 1301. & sine liberis, itavt propterea Comitatus ad Coronam redierit, teste Thoma Vvalsighamo *in Histor. Angliæ*, ideo credendum, ante hoc tempus ab ipso inchoatum dictum Suttonense Cœnobium. Quod vero dicitur de secundo Fundatore, ex ipsius Angliæ historijs non comperimus alium sub hoc anno Eduardum fuisse, nisi ipsum Eduardum secundum Regem, quare illum credimus prædicti Cœnobij Fundatorem, & errorem Typographi incuria in prædicta verba Speculi Ordinis irrepsisse. Suttonense Cœnobium

7 In Chronologica autem Tabula Cœnobiorum Angliæ, cuius sæpius mentionem fecimus, pro hoc anno erectionem Conuentus Salipiæ in confinibus Vvalliæ, fundatore Domino de Inouelic, sub intitulatione Beatissimæ Virginis Mariæ, & redditibus 178. scutis, reperimus factam. An vero Cœnobium istud, idem sit cum Suttonensi, an potius diuersum, ignoramus: rem practicis huius nationis, & gentis relinquētes. Salipiens.

Ann. Christi 1313. Clement. 5. Roman. Pontif. 9. Henrici Imp. seu Reg. Germ. 6. Andronici Imp Orient. 31. Gerardi de Bononia General. 17.

1 Diem clausit extremum Henricus Imperator hoc anno; dum expeditionem in Regnum Neapolitanum pararet. Quod causa fuit schismatis inter Fridericum Austriæ, & Ludouicum Bauariæ Duces. Genebrardus, Nauclerus, Cuspinus, Auentinus. De Henrici Obitus Imperatoris.

rici occisore varia est opinionum diuersitas. De qua Bzouius alios refellens.

Guillelmus Paghamus

2 Circa hoc tempus ad Episcopatum Midensem in Hibernia vocatus est à Clemente Quinto Guillelmus Paghamus, de quo supra anno 1280. & 1309. Postquam enim Prouincialatum Angliæ celeberrimæ Prouinciæ sibi in Capitulo Generali Ianuensi anno prædicto 1309. concessum, per triennium adeptus est, dictum Episcopatum obtinuit. Erat enim singulariter pius, prudentia, grauitate, & auctoritate venerandus, magnæque doctrinæ, vt sequentia ab ipso edita volumina testantur. Super Magistrum Sententiarum *libri quatuor*. Placita Theologica *liber vnus*. Quæstiones ordinarias *liber vnus*. Concionum ad Populum *liber vnus*. De perfectione Intellectus *liber vnus*. De veritate formali *liber vnus*. De notitia actuali *liber vnus*. De ente rationis *liber vnus*. Ioannes Pitseus de *Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 13. in isto Doctore*. Balæus *in Cathalogo*.

S. Andreas Corsinus.

3 Iam ab hoc anno, vel post, qui duodecimus erat Iuuenis Andreæ Corsini, lupinos mores, iuxta præsagam Matris Peregrinæ in somnijs visionem, de qua anno 1301. diximus, æmulari incipiebat. Dum ob breues humani veris illecebras, flos iste, Parentum satus precibus, lachrymis irrigatus, sub Sydere Virginis ortus, iuuentutis miseram, sed non mira calamitate oppressus, in spinas degenerabat, germinabat tribulos, & à recto disciplinæ tramite deuius, iuuenilibus actitabatur concupiscentijs, venationi deditus, armorum strepitui addictus, ludorum stimulis, sociorum blandimentis, ac proinde paternarum substantiarum dissipationi, plusquam Deo, ipsiusque cultui dedicatus conspiciebatur: donec diuina gratia prouidente, Matris maximè exhortationibus, ex lupo agnus effectus Carmelitanam sumpsit Religionem, & habitum anno 1316. vt ibidem dicemus. Sic fermè ex Surio, & alijs ipsius vitæ Scriptoribus.

Ann. Christi *1314*. Sed. Roman. Vacat. *1*. Schism. Imper. *1*. Andronic. Imperat. Orient. *32*. Gerard. de Bonon. Generalat. *18*.

Obitus Papæ

1 Iuendi finem habuit sub anno 1314. Papa Clemens Quintus, vacauitque tunc Sedes ob Cardinalium discordiam, ann. duobus, & amplius, nec sine magno Ecclesiæ detrimento. Platina, Honuphrius, Ciaconius, cum alijs. Cum autem etiam Imperium vacasset, conuenientes Electores, vt Imperatorem sufficerent, quatuor ex septem Ludouicum Bauarum, tres Fridericum Austriacum ipsius consobrinum nominarunt. Vnde Ludouicus, vt suffragijs superior coronatur Aquisgrani, Fridericus Bennæ: & Germania bello intestino affligitur.

Naucler.

Nauclerus, Cuspinus, Spondanus, & alij. Hinc ciuile bellum per aliquot annos afflixit Germaniam. Naucler. Auentin. Gordon.

2 Erat ijs diebus inter purpura insignitos Patres Cardinales, vnus Iacobus Ossa Gallus Caturcensis, in Aquitania natus, fortuna humilis, corpore paruus, prudentia tamen, ingentique doctrina præstans, corde magnus, acris, & solertis ingenij. Ciaconius *in vitis Pontificum in Ioanne 21. dicto 22.* Hic cum grauissimis difficultatibus Summi Pontificis electionē irretitam esse illo interpontificio, Sedeq; vacante, videret, ad gratiæ thronum, & misericordiæ Asylum Beatissimam Virginem deuotè orando recurrit, forsan (quod humanum est) supremum apicem sibi ob fines honestos desiderabat, idque desiderium piç Matri proponebat. Astitit ergo Angelorum Regina, & Papatum promisit, libertatemque ab aduersario, hac tamen pactione, vt Carmelitis Regulam confirmaret, & magnam Indulgentiam à Purgatorij pœnis concederet. Sic ex traditione historiarū, & Historicorum Ordinis habetur acceptum. Ex quibus Arnoldus Bostius *in suo Speculo historiali cap. 36.* sic rem expressit. *Ioannes igitur Papa Vigesimus secundus, ante Papatum, vna dierum, in quadam cordis anxietate, & extrema tribulatione constitutus confidentiam maximam statuit in Virgine gloriosa. Quodam ergo die ante Papatum, dum innixus orationi deuote Beatæ Mariæ auxilium imploraret, apparuit ei in somnis Beatissima Dei Genitrix Mariæ, vestibus Ordinis Fratrum Carmelitarum induta, hunc efferens sermonem. O Ioannes, o Ioannes Vicarie dilecti fili mei, veluti ego à tuo te eripiam aduersario, sic & coadiuuantibus meis orationibus te Papam facio, & filij mei Vicarium constituo. Vide ergo sicut ego pro te obtinui gratiam hanc magnam, vt etiam similiter meo Ordini, & peculiaribus fratribus meis, vicem impendas, & Regulam per Eliam, & Eliseum in Monte Carmeli inchoatam, & per seruum meum Albertum Patriarcham ordinatam, confirmes. Et sicut Honorij, & Innocentius filij mei prædecessores tui eis Regulam iniunxerunt in remissionem peccatorum, sic & meo Ordini dabis priuilegium, ex parte mea, & mei filij, vt quicunque in eum intrauerit, & deuotè obseruauerit, saluetur in æternum, & liberabitur à supplicio, & culpa, &, si Purgatorium à die quo ab hoc sæculo recedunt intrauerint, &c.* Ioannes autem Palæonydorus *lib. 5. cap. 11.* casum paulo aliter sic refert. *Gloriosissima Dei Genitrix, Virgo perpetua, Carmelitarum Patrona, & Mater singularissima, addens adhuc glorificare Ionathan, idest, Columbam, Ordinem scilicet Carmeli, candore, & prudenti simplicitate insignem, memor dierum antiquorum, Eliæ, & suorum deuotorum fidelium, apparens Domino Ioanni 22. ante Papatum dixit: Vidi tuam ad me deuotionem, veluti igitur ego te ab Aduersario tuo liberabo, ad altissimum te promouens statum, sic videas similem fratribus meis vicem Eliæ filij refundas; Regulam ab Elia, & Eliseo in Monte Carmeli in eorumdem vita inchoatam, & per seruum Albertum scriptam, & confirmatam, solidè approbabis. Insuper, me, & Filio meo iubente, priuilegium dabis, vt quicunque Ordinem meum intrauerit, à culpa, & pœna liberatus in æternum saluus fiat.*

Iacobus Ossa.

Eadem etiam referunt, & recipiunt, innumeri alij Ordinis Chronologi, quos referimus *in Tract. de Maria Patrona cap. 5. num. 24.* Vnus tamen, Ioannes Balæus, Ordinis, & Ecclesiæ Apostata, etsi hanc visionem Ioannis 22. referat, & approbet; cæterum à Deo non fuisse impudenter oblatrat. Etenim *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centuria 4. in Append. c. ad Robertum Baston,* loquens de hoc Ioanne 22. quem ipse 23. vocat, hæc habet, more suo veritatem historiæ cum impudica maledicentia intermiscens. *Carmelitas assumpsit in Ius, & proprietatem Sancti Petri, ab omni Ordinariorum dominio: vt soli Sanctissimo subijciantur, tanquam filij dilectissimi; pluresque eorum Episcopos fecit, Guidonem Perpinianum, Ioannem Claranum Catalanum, atque aliarum nationum alios. Nam mirabilem ante Papatum (auctore diabolo) visionem habebat, vt in Bulla testatur, quod Maria Virgo in magna Cardinalium contentione ab Aduersarijs illum liberaret, ac Papam faceret, hac tamen pactione, vt hos suos fratres à Purgatorio seruaret immunes.* Verum, quod homo iste hanc visionem dicat *authore Diabolo* fuisse, mirabile in eo non est, cui hæresis cæcitate turbatus oculus, bonum malum, malum bonum, tenebras lucem, & lucem tenebras crebrissime iudicat. Quod vero solum de liberatione à pœnis Purgatorij intelligat concessionem Carmelitis à Papa Ioanne factam, rectius sentit: verba etenim illa huius visionis, prout à Bostio relata, nempe *Quicunque in eo intrauerit, & deuotè seruauerit, saluetur in æternum; & liberabitur à supplicio, & à culpa:* & prout à Palæonydoro, videlicet: *Quicunque Ordinem meum intrauerit, à culpa, & pœna liberatus in æternum saluus fiat;* eo solum sensu accipienda sunt, vt scilicet ingressi Religionem, eaque ab ipso Pontifice ex præscripto eiusdem Virginis intimata seruantes, si in gratia, & charitate discesserint, à Purgatorijs pœnis quantocius liberandos. Verbum quoque illud, *Te ab Aduersario tuo liberabo,* quod referunt, melius à Balæo intellectum videtur, pro *aduersario* dicente *aduersarijs*, quia vere à pluribus aduersarijs, Ioannes hic Papa liberatus est. A Cardinalibus nempe, qui ipsius Papatui obsistebant, qui aliquo modo ipsius aduersarij dici possunt. A Ludouico Bauaro Imperatore prætenso, qui armis, & potentia Papam, & Ecclesiam Catholicam, ac pro eis stantes deprimebat. Petro quoque de Corbario Antipapa contra ipsum surgente, ac schisma excitante. Ac à Guillelmo Ocham, qui scriptis, & alijs vijs, Pontificis valde contrarius fuit. De quibus in sequentibus dicimus.

Visionis cōprobatio.

3 Ergo visionem hanc à Deo, non à Diabolo, vt Diaboli satelles Balæus dixit, fuisse, comprobat primo constans Theologorum regula pro huiuscemodi visionibus approbandis, quod scilicet, ea pro vera habeatur, quæ nihil sanæ fidei aduersum continet, bonisque moribus iuuandis deseruit. Constat autem huiusmodi visionem, nihil sanæ doctrinæ aduersum continere, vt ex iis quæ diximus, & dicemus liquescet: quin bonis moribus iuuandis deseruire, cum ipsius ratione plures in Ecclesia sacrum Carmeliticum habitum sumpserint, ieiunijs, orationibus, & castitati à

Ponti-

Pontifice præscriptis studuerint, ac Beatæ Virginis deuotio inter fideles maxime creuerit. Secundo, auctoritas eiusdem Summi Pontificis Ioannis 22. qui dum in Bulla edita, de qua nos anno 1322. agimus, eamdem refert visionem, illam indubitatam relinquit. Accedit tertio pro eiusdem confirmatione ipse rei euentus; nam prædictus Cardinalis Iacobus Ossa, cui facta est reuelatio, Papatum ascendit, vt dicimus anno 1316. aduersarios plures passus est, nedum ante electionem, sed & post illam; Bauarum scilicet; Petrum Corbarium, Ochamum, & alios: à quibus omnibus liber, & immunis euasit. Quin plura, magnaque beneficia Ordini nostro contulit; ita vt relatus Bostius dicat: *Non fuit aliquis Prædecessorum suorum, qui tanta Priuilegia Ordini nostro contulerit, sicut iste Papa*. Ea porro sigillatim nos inferius recensemus. Rei ergo euentus veritatem reuelationis comprobauit. Vnde propterea quarto, plures de extraneis illam, nemine mussitante (vno excepto male cordato Parisiensi excepto, de quo sub anno 1322. dicetur) recipiunt, specialiter Honuphrius Menescal *in Concion. Beata Maria de Monte Carmel.* Gabriel Prateolus *tom. 2. hist. de stat. Ecclesiast. ad ann.* 1324. Benedictus Gononus Cœlestinus *in Chronic. SS. Deipara anno* 1321. Indigitat Andreas Duuallius *de infallibilit. Roman. Pontif. quæst.* 5. & vindicat Ioannes Carthagena *lib.* 17. *homil.* 2. *obiect. vlt.* Hippolytus Marracius Vir pius, & doctus, *in Pontificibus Marian. in Ioanne* 22. Fauent D. Barthelot Abbatiæ Sancti Petri Senonensis Vicarius, & Regius Orator Pictauien. Senatus apud Irinæum à Sancto Iacobo *in Tractat. de singular. Virgin. protection. pag.* 128. Quos coronat P. Theophylus Raynaudus Soc. Iesu *in suo Scapular. Partenop. Carmelit.*

4 Nec solum cum hoc Cardinali, postea Papa Ioanne 22. nuncupato, Deipara Sanctissima suum erga Carmelitas patrocinium ostendit: sed & cum Eduardo secundo Anglorum Rege, prout casus relatus à Bzouio *sub hoc anno num.* 6. clarè demonstrat. *In maiores* (inquit) *se postea Eduardus angustias coniecit. Domi itaque à Principibus, foris à Scotis impugnatus, habuit quo angeretur. Scoti enim ex intestinis Anglorum discordijs sumpto animo, in Angliam violentis impressionibus per hæc tempora incurrerunt: quos, dum reprimere conaretur Eduardus, insignem, et memorabilem semel, atque iterum, exercitus sui cladem accepit, et ægrè quidem suæ saluti fuga consuluit. Hic cum prioris illius infausti prælij difficultate premeretur, Diuæ Dei parenti Mariæ Virgini religiosa sponsione vouit, se in Christi, et illius honorem Ædes constructurum, vbi 24. Carmelitis, qui rei Theologicæ operam darent, idoneos sumptus suppeditaret, si ab imminente calamitate eriperetur. Ab hac, Dei benignitate ereptus sponsionem deuotam repræsentauit, Ædesque illas votiuas Oxonij construendo voto se liberauit.* Quæ porro istæ Ædes, quodue hoc Cœnobium voti emissi causa ab Eduardo constructum, compertum non est. In re tamen dubia, cum ex nostris historijs non pateat, Ordinem nostrum Oxonij duo habuisse Cœnobia, credi facile datur, illud idem fuisse, quod anno 1260. inchoatum fuit; & anno 1308. ampliatum; ac denique hoc anno pro 24. Eduardus Rex Angliæ

Religiosis Sacræ Theologiæ studentibus dicatum, & apte accommodatum. De alijs autem Cœnobijs huius pij Regis Eduardi nostro Ordini erecti diximus in superioribus, & dicemus in sequentibus.

Ann. Christi *1315*. Sed. Roman. Vacat. *2*, Schism. Imper. *2*. Andronic. Imperat. Orient. *33* Gerard. de Bonon. Generalat. *19*.

Gesta hoc tempore.

1 Vm interPôtificium hoc tempore in Ecclesia perstabat, in Italia Guelphi, & Gibellini inter se pugnant. Blondus, Pandulphus, Gordonus. Tanta etiam peste, & fame in pluribus Prouincijs laborabat populus, vt tertia pene pars hominum perierit; & in Polonia, ac silesia parentes à proprijs filijs, & cadaueribus, immundissimisque cibis non abstinerent. Barlandus, Bzouius, Spondanus. In pœnam, vt credi par est, discordiæ, quæ erat inter Electores: quæ etiam caussa potuit esse, vt fere omnes Christiani Principes inter se digladiarentur.

Gen. Capit.

2 Interea solicitus Gen. Gerardus in Conuentu Coloniensi Prouinciæ Alemaniæ hoc anno, & festo Pentecostes, aliud Generale Capitulum celebrari curauit. In eo, præter alia, hoc vnum maximè in corde Patribus erat, vt cultus diuinus vniformiter, & diligenter toto in Ordine ageretur. Propterea Ordinale diuini Sepulchri per Magistrum Sibertum de BeKa correctum, vt vniuersaliter obseruaretur, decreto sancitum est. Arnoldus Bostius *in Specul. histor. cap.* 35. Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 10. Quis, & quam doctus Sibertus hic fuerit dicimus anno 1331.

Paleonydor correctus.

3 Eodem anno obiisse Rutgerum Prouincialem Germaniæ, illiusque successorem fuisse Ioannem de Sublobiis, qui postea Concilio Lugdunensi anno 1363. interfuit, tradit ipse Palæonydorus *vt supra*. Sed quomodo error, qui in hoc videtur esse, corrigendus sit, dicemus anno 1345.

Conuentu schorramici.

4 Insuper eodem anno Schorramici Cœnobii in Anglia fundatores fuerunt Rex Eduardus secundus, & Domini de Molhmbray. Speculum Ordinis *fol.* 60. *pagina prima*, & Chronologia Monasteriorum Angliæ, vbi etiam more solito dicitur titulo Beatissimæ Dei Parentis decoratum fuisse.

Lolhardorũ secta.

5 Pro eodem anno (secundum aliquos) Lolhardus Vvalterus, à quo Lolhardorum secta, viguit, pluribus erroribus hoc sæculum vitians, donec Coloniæ ann. 1321. crematus est. Trithemius, Sanderus, Genebrard. Gualterus post ipsum Genebrard. & alios. Alii dicunt, Lolhardos esse Viuiclephistas, sic dictos à Lollio, quod bonas segetes interficit, & quod ex Anglia ortum, duxerint. Quod si ita fuit, eorum mastix, & malleus est Thomas Vvaldensis noster, prout eius scripta, & quę dicemus suo loco demonstrât. Contra Lolhardos etiã, ex nostris egregiè dimicarunt, libris, voluminibusque scriptis plures, specialiter Richardus Lanlngamus, Thomas Lombæus, Richar-

Richardus Maidstonus, Gualterus Dissæus, cum alijs.

6 Erat sub hoc anno Generalis Gerardus Auinione, vbi eum conueniens perillustris Vir Ferdinandus Velasquez Abulensis Archidiaconus, ipsi donauit deuotissimum, & percelebrem Conuentum Sancti Pauli de la Moralexa in veteri Castella, & Diœcesi Abulensi situm. Id constat ex litteris Confraternitatis ab eodem Generali ipsi concessis die decima tertia Martij huius anni: in quibus præfatam donationem acceptauit, & donanti concessit participationem omnium suffragiorum Religionis. Conuentus S. Pauli de Moralexa.

7 Donauit insuper idem Ferdinandus eidem Conuentui omnia sua bona, seque metipsum; quandoquidem, cum Religiosis ipsius Regularē vitam egit, habitu Clericali retento cum consensu Abulensis Episcopi. Vixit autem in eorum societate per sexagintaquinque annorum spatium, & obijt, centum, & decem annos ætatis habens: sepultus in Capella Sancti Bartholomæi eiusdem Cœnobij. Porro Ecclesia antiquam structuram, etsi renouatam, ostendit, cum Choro, & sedibus ipsius apprime elaboratis. Cœnobium autem tribus dormitorijs, Claustris superiori, ac inferiori, Bibliotheca, Infirmaria, cęterisque Officinis, ac horto aquis irriguis copioso exornatur. In inferiori quoque Claustro Sacellum extat Deiparæ Sanctissimæ sub titulo *Subterraneæ*, quæ apparuisse dicitur anno 1436. & in eo Sacello iam primitus Diu. Michaeli Archangelo dicato, eius Sacra Icon collocata, & à populis circumvicinis, singulariter Salmanticensibus, & Zamorensibus, venerata, & in eorum necessitatibus, veluti communis omnium Mater interpellata. Fuit autem domus ista antequam ab Archidiacono nostro Ordini donaretur veluti Regularis, in qua cum octo Sacerdotibus, consentiente Episcopo Abulensi Regulariter viuebat; prout constat ex Bonifacio Octauo anno 1295. indulgentias illam visitantibus concedente. Præcipuè tamen Sacra hæc domus magno pretio inter alia Ordinis Cœnobia haberi debet, ob innumeras, ac pretiosissimas Reliquias in ea repositas, quas præfatus Archidiaconus Roma detulerat. Ipsarum memoriam Vallisoleti, dum iuuenis Logicę vacarem circa annum 1603. Typis editam vidi. Quæ tamen ad me modo missa est ex huius Conuentus relatione, has tantummodo recenset. Frustrū Ligni Crucis, & chordæ, cum qua Columnæ ligatus fuit. Ex capillis, & parte Veli Deiparæ Virginis, terræ Sācti ipsius Sepulchri, Rosa ex horto Hierico ab ipsa extracta, ac ex Palma, quæ orta dicitur in loco, vbi ab Archangelo Gabriele salutata fuit. Duæ Imagines Principum Apostolorum Petri, & Pauli à Sancto Luca depictæ. Duo etiam ossa eorundem Apostolorum, Sancti Andreæ Apostoli, & Euangelistarum, ac Sancti Ananiæ, qui Paulum baptizauit. Pars quædam pellis Sancti Bartholomæi, dens Sancti Lucæ, & frustrum Crucis, in qua passus est Andreas Apostolus. Ex ossibus Sancti Laurentij, Sancti Stephani, Sancti Siluestri Papæ, Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, S. Valentini, Sancti Alexij, Sancti Romani, Sanctorum Innocentium, quatuor Doctorum Ecclesiæ, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sanctæ Claræ, Sanctæ Donatio Conuentus

ctæ Agathæ, Mariæ Matris Apostoli Iacobi, Sanctæ Iustæ Matris S. Siluestri, Sanctæ Catharinæ Alexandrinæ, & vnius ex vndecim mille Virginibus: dens Sancti Christophori, & Sancti Fulgentij: de stola etiam, & pannis inferioribus Sancti Francisci. Sunt præterea ibi ex baculis Sancti Petri, & Pauli, calceus S. Siluestri Papæ, frustrum vasis, vbi Constantinum baptizauit, vas ipsum, & aliquid vnguenti, quo Magdalena Dominum in domo Pharisæi vnxit. Duo etiam corporalia, duæ Mitræ, ac Chirotechæ, cū quibus Sanctus Petrus celebrabat. Hæ porro Reliquiarum gazæ, cum pluribus alijs minoribus, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, sub magna custodia, & porta ferrea reconditæ manent in Capella Sancti Bartholomæi commemorata. Idcirco Conuentus iste in magna deuotione, nedum vicinis Populis, sed etiam remotioribus, Castellæ, Galletiæ, & Portugalliæ est, & fuit, vt propterea plurimis Indulgentijs, & gratijs Summorum Pontificum, Cardinalium, Patriarcharum, & Episcoporum, quæ longum esset referre, decoratur. Pluribus quoque Priuilegijs Regum, Alphonsi vndecimi, Henrici quarti, Ioannis secundi, Ferdinandi Catholici, Philippi secundi, tertij, & quarti; Reginarum Mariæ Elisabethæ, & Ioannæ. Carolus etiam Quintus Inuictissimus Imperator edictum fecit in fauorem ipsius. Pluribus insuper Viris Illustribus, præsertim Alphonso Mugnotio, Alphonso Gonzalez, & Petro Rouela fulsit. Ac præ alijs Angelo de Salazar Viro clarissimo, de quo Tomo sequenti egregia aliquot dici debent. Iure etiam inter ipsos nominatur Magister Michael de Matrigal Nepos insignis illius Doctoris, Abulensis cognominati.

Ann. Christi 1316. Ioann. 22. Roman. Pontif. 1. Schism. Imper. 3. Andronici Imperat. Orient. 34. Gerard de Bononia General. 20.

Electio Ioann. 22. Pap. 1 Am, Deo dante, & ipsius Genitrice Sanctissima, iuxta in superioribus tacta, patrocinante, tandem conuenientes Lugduni Cardinales mense Augusti in Papam elegerunt Cardinalem Iacobum de Ossa, de quo sub ann. 1314. dictum, Ioannem Vigesimum secundum appellatum. Honuphrius, Genebrardus, Spondanus, & alij. Sugillatur à nonnullis, quod cum ipsi à Cardinalibus designandi Pontificis optio data esset, seipsum elegerit. Sed pro commento habetur ab alijs. Odericus. Verumtamen, si visio illa, de qua sub ann. 1314. dictum, admittatur, cum in ea ipsi Papatus a Beatissima Virgine appareat promissus, forsan excusabilis esset si se ipsum postea eligeret. Quod tamen doctiorum iudicio relinquimus.

Fauores ab hoc Papa concessi. 2 Fuit hic annus fęlix, & faustus Carmelitico Ordini, propter creationem huius Pontificis, vtpote, qui ipsum denuo confirmauit; gratijs, & pri-

& priuilegijs muniuit; Monasteria plura ædificare concessit; Conseruatores Iudices pro præsidio contra tribulantes tribuit; magnum, & singulare Bullæ, vulgo *Sabathina*, priuilegium roborauit, & concessit; ac pluribus nostrorum fratrum Episcopatus, & Dignitates impertitus, eorum opera, studijs, & laboribus, pro S. Ecclesiæ negotijs, sæpius vsus est, vt in sequentibus dicimus. Absdubie, quia beneficij a Dei Genitrice sibi collati memor, Matrem in filijs honorare gestiebat, vicem rependens.

3 Fuit etiam fœlicissimus, quia ea tempestate Andreas Corsinus Florentiæ natus, de quo anno 1318. Virginis habitum, & Religionem suscepit. Qualiter vero id acciderit ex vita ipsius à Laurentio Surio scripta, & a Bzouio *tom.* 14. *Annal. sub anno* 1373. sic describimus. *Factus adolescens canes alere, equos mercari, sodalitates parare, tractare arma, lites gerere capit, & ad hæc, omnia diuina pariter & humana promiscua habere, Parentibus non solum inobediens, sed nec eos se castigantes perferre poterat. Parentes vero vbi intellexerunt quantum periculi adolescenti imminebat, timentesne ob eius facinora per dedecus vitam amitteret, à tam pessimis moribus illum iam ætatis suæ quintum decimum annum agentem, reuocare statuerunt. Igitur nacti opportunitatem Andream ad se accersiri iubent, qui cum iussa parentum negligeret, contumeliosa verba respondens, ab eorum conspectu improbè discedebat. Quem mater id iniquè ferens, animo concitato alloquitur. Tu profecto (inquit) lupus es: quem in somnis mihi visa sum peperisse. Quibus verbis perterritus adolescens, retro ferens pedem Matrem orauit, vt quid sibi vellent ea verba significaret, tunc Mater inquit: Audi fili mi verba mea neque Matris tuæ dicta contemnas, Ego vna cum Genitore tuo sterilis annos plurimos vixi, tantusque sobolis amor fuit, vt etiam pro habendis filijs vota susceperim, itaque primitias vteri mei Deo, Mariæque Matri eius offerendas constantissime voui? Hos idem Nicolaus Pater tuus communi voto promisit, factumque est vt Maria precibus conciperem, & cum iam pariendi tempus aderat in somnis visa sum lupum parere, qui cum ingressus esset Ecclesiam lupi formam deserens, agnus effectus est. Postridie vero, te peperi: qualis superiori ætate vixeris non te latet. Non enim vt homo ratione vteris, sed vt rapacissimus lupus: nunc iam tempus exposcit, vt in agnum te vertas, & quæ pro te vota suscepimus, velis pia mente perficere; nam non nobis, sed piæ Virgini natus es: Expergiscere igitur fili, nec velis longius per socordiam, atque malos mores vitam inficere. Postquam Mater loquendi finem fecit, Andreas huiusmodi oratione perculsus, superiorem vitam suam tacitus considerans, pænitentia motus, multis lachrymis Virginem precabatur, vt pro se ad Filium preces fundere dignaretur, ne iuuentutis suæ delicta cognosceret. Postridie vero mane ad Carmelitarum Ecclesiam profectus est, ibique orando diu ante aram Virginis gloriosæ lachrymis faciem irrigauit, cogitans vt se lupum in agnũ conuerteret. Tandem ab oratione surgens Hieronymum Melioratum, qui ea tempestate, videlicet anno ab Incarnatione Domini 1316. Prouinciæ Thusciæ curam gerebat, prostratus orauit, vt eum intra Religionem acciperet. Quod cum audiret vir præstans miratus ingenuum adolescente summo loco natum, multisque*

De S. Andr. Corsino.

que educatum delicijs cupere Sacris initiari, seruitutemque Religionis subire, misit ad eius parentes, qui referant, Andream filium Habitum Religionis petere. Parentes vbi cognouerunt per nuncios, in filio suo, Spiritum Sanctum tam cito mirabiliter operatum, stupore, gaudioque repleti, eo vbi Andreas erat, propere concesserunt, atque vnanimes filium, quem orantem inueniunt, sicut vouerant Beatæ Virgini offerentes, suscepti voti officia perfecerunt. Ita Andreas in agnum versus ad Religionis obseruantiam admittitur. Huic vt eius animi firmitatem experirentur, cuiuslibet vilissimæ conditionis seruitia demandabant. Ædes verrere, ostij curam gerere, interdum etiam patinas purgare iubebant, quæ omnia ita libenti animo perferebat, vt mirum sit eius obedientiam, & humilitatem referre, Hæc Surius, & Bzouius *vt supra* relati, Pro quo etiam consulenda gemina vota eiusdem Sancti Andreæ, apud Bollandum pro die 30. Ianuarij.

Hychiense Cœnobium.

4 Eodem item anno duo Ordinis nostri Cœnobia in Anglia extructa. Alterum Hychiæ, fundatoribus Eduardo secundo Rege, Ioan. Blossmenile, & Adamo Robbs. Quod videtur esse illud Hychinense, de quo sub anno 1310. diximus; etsi causam, quare ibi dicatur fundatum ab Eduardo secundo Rege; hìc vero a duobus illis duobus penitus ignoremus. Nisi forsan dicatur, primo a Rege fundatum; postea vero ab illis amplificatum; vel è contra, quod est incertum.

Maldeburgense.

5 Alterum est Maldeburgiæ, fundatoribus Ioanne Goodyne, & Ibillio Rameshich mercatoribus. Speculum Ordinis *fol.* 60. *pag.* 1.

Papiense.

6 Decuriones etiam Ciuitatis Papiensis, sub hoc anno vouerunt, seu decreuerunt, ex ærario publico singulis annis Ecclesiæ nostri Ordinis eiusdem Ciuitatis oblaturos 25. liras in die Annunciationis Beatæ Mariæ, Republica illuc processionaliter eunte, cum Vrbis vexillo. Hieronymus Bossus *in Annalib. Sacris Papiæ.*

Ann. Christi 1317. Ioann. 22. Roman. Pontif. 2. Schism. Imp. 4 Andronic. Imperat. Orient. 35 Gerard de Bonon. General. 21.

Ioan. Papæ gesta.

1 GEsta plura, ipsaque eximia Summi Pontificis Ioannis pro hoc anno prætermittentes, de quibus Bzouius, & Odericus; ad propria venientes, quæ Ordini nostro concessit, hìc referre debemus. Ergo primo sui Pontificatus anno, qui correspondet præsenti 1317. (in quo fallitur Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 11. dum anno 1316. id adscribit) Auenione existens, tertio Idus Martij, benignam satis, & honorabilem valde Ordini nostro Bullam dedit. In qua primo illum sic commendat. *Sacer Ordo vester in agro Dominico diuina dispositione plantatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus, Apostolicis gratijs dignè*

meretur

meretur attolli, cuius Professores, mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes, insistunt iugiter profectibus animarum. Deinde Ordinem confirmat verbis sumptis ex decretali Concilij Lugdunen. declarata per Bonifacium Octauum, illa magis amplians, & extendens. *Nos autem ad dictum Ordinem, quem in statu firmo, solido, & stabili decreuimus, & volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullum Religionis statum perferant detrimentum, sed eo deuotus, diuino cultui, ac salutis insistant operibus, quo quietior status fuerit eorumdem, ipsique ampliori fuerint libertate dotati*, Deinde, copiosissimã exemptionem à quibuscunque Romano Pontifici inferioribus sic adiungit. *Vos, & prædictũ Ordinem, personas, & Ecclesias, Oratoria, domos, res alias, & loca vestra, ac spectantia ad eadem, in quibus inhabitatis ad præsens, vel inhabitabitis in futurum, cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, ac personis degentibus in eisdem, in ius, & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus; illaque à cuiuscunque Diœcesani, & cuiuslibet alterius potestate, iurisdictione, & dominio omnimode in perpetuum prorsus eximimus. De gratia speciali decernentes, ex nunc, vos, & Ordinem vestrum, ac personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca præfata, ac pertinentia ad eadem, soli Romano Pontifici, & dictæ Sedi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, absque vllo medio subiacere, ita quod nec locorum Ordinarij, nec alia quæuis persona Ecclesiastica, in vos, & Ordinem, personas, Ecclesias, Oratoria, domos, & loca prædicta, vtpote prorsus exempta, possint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti promulgare sententias, vel alias potestatem, seu iurisdictionem aliquam exercere. Quod si forsan quidquam in contrarium à quocunque fuerit attentatum, illud omnino sit irritum, & inane. Nulli ergo, &c.* Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol.* 67. Habeturque authenticata sub Instrumento publico per Petrum Villanum Generalem Auditorem Curiæ Cameræ Apostolicæ sub anno 1375. die 10 mens. Octobris in eodem Speculo Ordinis *fol.* 81. *pag.* 2. & in Mari magno per Io. Mariam de Nouolaria collecto *pag.* 3.

2 Cum autem propter Constitutionem Bonifacij Octaui, quæ incipit *Cum ex eo de excessibus Prælat. in 6.* cautum esset ne Mendicantes absque licentia Apostolicæ Sedis, noua loca reciperent; ideo prædictus Pontifex Ioannes 22. nostrorum fratrum augmentum desiderans, Auinione, eodem anno, & tertio nonas Maij, concessit Prouincialibus, & fratribus Prouinciæ Angliæ, vt in prædicto Regno sex loca de nouo recipere possent, non obstante prædicta Constitutione Bonifacij Octaui. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol.* 72. *pag.* 1. De locis recipiendis.

3 Constat etiam ex authentico Instrumento, quod hoc ann. 1317. in insigni Capuæ Ciuitate erat Monasterium Ordinis nostri: in quo nominantur *Fr. Guillelmus Catalanus Prior, & Fr. Petrus de Capua Lector.* Item habuisse duos Conuentus; alterum vltra fluuium in Suburbio Pontis, sub inuocatione *Beatæ Mariæ de Constantinopoli*; alterum vero, sublato Subvr- Capuanum Monasterium.

bio, intra Ciuitatem, qui nunc extat, & memoratur in instrumento Thesauri anno 1317. Hoc autem habetur ex notitia Ecclesiarum Capuæ per Dominum Michaelem Monachum Canonicum Presbyterum Capuanū. Vnde elicimus, Conuentum illum, quem sub anno 1220. opera Sancti Angeli Capuæ acceptum cum aliquibus suspicati fuimus, hunc esse, quem ex istius Canonici notitia dicimus vltra flumen in suburbio Pontis extitisse. Hic autem qui modo in Ciuitate extat, anno 1514. à Senatu suis sumptibus reædificatus fuit, ideoque Ciuitatis insignia parietibus affixa. Claustrum sustentant viginti marmoreæ Columnæ, & in vnaquaque insignia sunt nobilium Capuanorum, qui ex speciali deuotione erga cælorum Reginam proprijs expensis eas posuerunt; claustrum etiam varijs picturis SS. Ordinis Ære proprio exornarunt Ecclesia porro in magna est veneratione, & populi deuotione frequentata; Altare primarium sub patrocinio Scipionis Baucij, vt testatur Inscriptio. Hæc ex dicta relatione.

Gerard. Generalis mors.

4 Transijt hoc anno ad meliorem vitam noster Generalis Gerardus de Bononia, obiens Auinione, ibique sepultus post viginti annos regiminis Ordines, Ioannes Grossi *in Viridario Claui 2.* Palæonydorus *lib. 3. capit.* 11. Magnam sui posteris supremus hic noster Præsul memoriam reliquic, nedum, quia ipsius æuo litterarum studia, Doctorum, & Scriptorum edita volumina, plus solito florere cæperunt, sed quia ipse, plurium, doctissimorumque librorum Scriptor extitit, vt proinde inter celeberrimos Ordinis Doctores iure censeatur. Scripsit enim super quatuor libros Sententiarum. Item *Quæstiones ordinarias*, quas disputauit Parisijs, vbi Doctoratus lauream acceperat. Item *Quodlibeta* quædam varia, & multa, ex quibus vnum magnum volumen copilauit. Composuit etiam Sermones Dominicales, & Sanctorum per totum annum. Maximè autem notabilem Summam Theologicam scribere cæpit, morte tamen præuentus eam finire non potuit, quæ dicitur esse Bononiæ. De ijs, & ipso Authore agunt Speculum Ordinis *in Tractatu de Doctoribus, & Scriptoribus Religionis nostræ fol. 103. pagina secunda.* Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Bergomensis, Volaterranus, Sabellicus, Marcus Guazzus, & alij *in suis Chronicis, seu Historijs,* specialiter Vvernerus Rovelinch *in Fasciculo temporum circa ann.* 1304. Ciaconius *de vitis Pontific.* Iacobus Philippi, Einsengrineus, Posseuinus, & alij in suis Cathalogis; Authores nostri in suis Chronicis, specialiter Petrus Lucius Belga *in Bibliotheca Carmelitana*, & alij plures. Dies obitus illius assignatur in Necrologio Carmelitarum Florentinorum 17. Aprilis.

S. Andreas Corsinus.

5 Qualiter autem sub eodem anno, qui Andreæ Corsino pro nouitiatu erat, Diaboli technas Dei gratia eluerit, ex Surio in eius vita, & Bzouio, qui eam exscripsit *tom. 14. Annal. sub anno* 1373. sic damus. *Accidit vt prandentibus cæteris, Andreæ ianuæ custodia mandaretur, qui neminem qua ad fratres cænauissent, intrare permitteret. Diabolus vero tanta humilitati inuidens, adolescentem subuertere conatus, prædiuitis formam accepit, & comitatu*

tu ingenti ante Monasterij portam assistens sibi fores reserari iubet. Andreas hominis importunitatem miratus, quid sibi vellet interrogauit. Cui ille (inquit) non ne me nosti, ex cognatione enim tua natus sum, qui cum audirem te Religionem subijsse, iniquo animo ferens huc accessi, vt ex tam turpis vita conditione ad pristinas delicias reuocarem. Itaque iam cito aperi, vt mecum domum pariter reuertaris. Iam tibi virginem ex nobilitate ingenti dote desponsauit Pater. Cui Andreas, non vos cognosco, nec nostro quidem sanguine nati estis, qui me quæritis à tam salubri officio reuocare. Parentes enim antequam natus essem huc me genuerunt, vbi humilitatem amplexus, obedientiam sponsam accepi. Ita hostis ille ianua pulsus, atque deuictus constantia puerili tantum facinus frustra suscepit. Hæc ibi. Consule etiam Bollandum in vita eiusdem Sancti.

6 Quibus peractis, Andreæ humilitate, ac obedientia explorata satis, de more Patres ad professionem admiserunt. Qualiter vero tam nouus homo ex lupo agnus factus virtutibus emicuerit, ex ipsius vita à prædictis, præsertim Surio, & Bzouio *vt supra* scripta, sic referimus. *Animus adolescentis in dies magis, ac magis in diuino amore, atque virtute flagrabat, ieiunijs, & abstinentia, atque corporis flagellatione terrenorum cupiditates superabat, tantusque silentij amator factus est, vt non nisi vbi maxime opus esset, loqueretur. Diebus tribus in hebdomada ieiunabat, in quibus nihil cibi, præter panem, & aquam sumere consueuit. Obedientiam adeo obseruabat, vt nihil magis cupere videretur, quam vt sibi aliquis imperaret, non secus, ac si intraßet Religionem ob id solum vt seruiret. Orationibus, ac sacris litteris incumbens, nullum tempus conterebat incassum. Corpus suum assiduis flagellationibus macerans in seruitutem redigebat, domabat cilicio, ieiunio castigabat. Appetens solitudinem, delicias fugiens, à iocis, & ludis plurimum declinabat. Obturabat aures suas ne audiret verba detrahentium sibi. Vt est moris Mendicantium Sabbatho pro accipiendis eleemosynis Ciuium domos adire, Andreas, ob humilitatem officium huiusmodi plurimum exercebat; & cum a suis, qui in vias maximas ædes haberent, eleemosynam peteret, multis iniurijs ab eorum domibus pellebatur. Namque illis inuitis Andreas* Religionis *habitum acceperat, irridebatur a notis, a sodalibus spernebatur, & tanto, tam salutifero labori inertia nomen imponebant. Huiusmodi omnia Andreas ingenti patientia tolerabat, ac si Religionis perfectio in tolerandis iniurijs haberetur.* Sic ibi. Legendus etiam Bollanus *in eius vita* pro die 30. Ianuarij.

S. Andreæ gesta.

Ann. Christi 1318. Ioann. 22. Roman. Pontif. 3, Schism Imper. 5. Andronici Imperat. Orient 36. Generalat. Guidonis 1.

Viri litterati. 1 ERat Ioannes Pontifex vir doctissimus, ita vt *in iure Ecclesiastico, ac diuino valde peritum*, eum appellet Ptolemęus Lucensis in *Histor. Ecclesiastic.* apud Odericum *ann.* 1316. *num.* 2. Meruit proinde à Deo, vt ipsius Pontificatus tempore quamplures viri doctissimi in Ecclesia florerent. Ex quibus recensentur Petrus à Palude, Durandus, Herueus, Ochamus, Landulphus, Aureolus, Simon de Cassia, & noster Guido *Carmelita* vocatus. Sic ferme ex Coccio, Gordonus, & Spondanus.

De Guidone de Perpiniano duodecimo Generali Latino.

Guido Generalis. 2 QVia Gerardi de Bononia Generalis obitus 17. Aprilis contigit, vt habet Petrus Lucius ex Necrologio Carmelitarum Florentinorum, cum vix eo anno celebrari posset Capitulum Generale, ideo in sequenti 1318. Burdegaliæ in die Pentecostes celebratur: & in ipso Magister Guido *Carmelita*, seu *de Perpiniano* vocatus, natione Hispanus, patria Catalanus, & Perpiniacensis, Doctor celeberrimus in Generalem Ordinis Pręsulem, inter Latinos duodecimum à Capituli Patribus constituitur. Erant Electores triginta quinque, & inter eos tres Magistri in Theologia, ex quibus viginti sex prædictum Guidonem elegerunt, alij autem sine aliqua reclamatione, vel exceptione assenserunt. Sanè prudenter, quia vix alius doctissimo Generali Gerardo nisi doctissimus Guido pro honore Religionis, & satisfactione Papæ Ioannis, qui ipsius augmenta gestiebat, Successor iure deputandus erat. Sic ergo rite electus, & confirmatus, ac in Ecclesia solemniter denunciatus, Sigillum Ordinis accepit. Hæc iam non ex Authorum relatione sicut antea in hoc Opere, quia alia monumenta non extabant, fecimus; sed ex libro *Ordinis* nuncupato, in quo Capitula Generalia diligenter referuntur, & quem præ manibus habemus, extraximus.

Capituli gesta. 3 In hoc Capitulo, inquit Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 11. ex parte sequens Bostium *lib.7. Specul. histor. cap.* 38. diuisa fuit Prouincia Alemaniæ in superiorem, & inferiorem, & additæ sunt ad vndecim Prouincias, aliæ tres, scilicet Narbona, Appulia, et Scotia, et sic quindecim Prouinciæ Ordinis assignatæ sunt. Verumtamen, vt ex actis Capituli constat, tam in taxationibus Prouinciarum, quam in numeratione Prouincialium ibi institutorum, tantum numerantur duodecim Prouinciæ, & totidem Prouinciales ipsarum, quæ sunt sequentes hoc ordine, Cypri, seu Terræ Sanctæ, 1. Siciliæ,

ciliæ, 2. Angliæ, 3. Prouinciæ, 4. Thusciæ, 5. Franciæ, 6. Alemaniæ inferioris, 7. Lombardiæ, 8. Aquitaniæ, 9. Hispaniæ, 10. Hiberniæ, 11. Alemaniæ Superioris, 12. Quare licet, quod attinet ad diuisionem Prouinciæ Germaniæ in superiorem, & inferiorem verum dixisse Palæonydorus videatur, cum in Capitulo sequenti anno 1321. celebrato Germania inferior à superiori separata conspiciatur; institutio autem Prouinciæ Appuliæ dicto anno 1321. & Capitulo in ipso habito facta est, vt ibidem dicemus. Et idem de Prouincia Narbonæ. Scotia autem solum in Vicariam instituta videtur, vt apparet ex dicto Capitulo anni 1321.

4 Eodem anno pro deuotione nostrarum Ecclesiarum augenda fidelibus, qui eas, ac Conuentus nostros visitauerint, pia eleemosynarum suffragia tribuentibus duos annos, & duas quadragenas concessit Papa Ioannes Auinione, sexto Kalendas Aprilis. *Speculum Ordinis fol.* 64. *pagina secunda*. Indulgentia concessa.

5 Hac etiam ætate Lucæ in Thuscia nostri Ordinis Cœnobium erat, extra Ciuitatem tamen. Id constat ex instrumento authentico sub hoc anno 1318. Cœnobij porro nomen erat *Sanctæ Mariæ del Corso*. Inde postea in Ciuitatem translati Fratres nostri, vt anno 1380. dicemus. Cęsar Franciottus *in Histor. Sanctorum Lucensium loquens de Ecclesia Sancti Petri Cipoli*. Conuentus Lucæ.

6 Hoc etiam anno 1318. ex fratribus Plormelensis Cœnobij sex Nannetas nobilem Galliæ Vrbem opera, & pietate Theobaldi de Rupeforti Vicecomitis Dongensis aduecti sunt; vt inibi Carmeliticæ vitæ splendore toti Ciuitati prælucerent. Verum vt præstantis cuiusque operis initia multis solent difficultatibus subiacere, sic & huius Cœnobij primordia, à Clero, & populo contranitentibus, incommoda pertulere. In cæteris Cerdo quidam procacis ingenij, dum indesinenter dicteriis, scommatibusque nouos aduenas lacessit, fibula infelix sibi manum perfodit: vtque videt inanem Chirurgorum operam sanitati restituendæ, ad Carmeliticum Sacellum supplex accedit, in genua procumbit, sceleris veniam à Deipara Sanctissima petit; consequitur; sanatur: palamque fit omnibus, Carmelitas Deo, Virginique Matri gratissimos. Nec multo post auxit Virginis Carmeleæ Religiosum cultum puer quidam in puteum lapsus, & extinctus; cui parentes Deiparæ supplices, eadem intercedente, à Deo vitam, salutemque obtinuere. Translati postea sunt in commodiorem locum pro anno 1326. ab eodem Theobaldo; sicut ex publico documento palam est. Post plures annos; cum Ioannes Quintus Brittanniæ Dux, propinquorum interceptus insidijs, & carceri inclusus, inter fœdi loci angustias ad Virginis Carmelitarum Patronæ opem confugiens sacræ ipsius ædi donaria quædam vouisset, voti compos effectus, & carcere solutus Carmelum Nannetensem appulit liber, votumque fideliter persoluit. Prout Ducis ipsius, ac Ducissæ Imagines in Sacello Virginis appensæ, aliaque documenta contestantur. Etsi autem prima Nannetis Carmelitarum se- Nannetensis

des non procul ab Ecclesia Episcopali, vbi nunc Monialium S. Claræ Conuentus extructus est, fuerit: verum postea fermè est Ciuitatis vmbilicus; vbi perampla Ecclesia, varijs illustrata ornamentis, præcipuè vero Ducum Brittanniæ, & Annæ Galliarum Reginæ Mausoleo, candido marmore nitidissimo, egregia celatura eximijs statuis condecorato, tantæ artis, & ingenij cultura, vt in tota Gallia par alibi monumentum reperiri vix queat. Accessit hic Conuentus Rhedonensi Obseruantiæ anno 1620. ac de nouo cepit in honore Nannetensi plebi esse maiori, ex quo istius Reformationis PP. virtutibus, & ædificijs condecorarunt. Hæc ex relatione fida Prouinciæ Turonensis damus. Et ex ijs, quæ in delineatione Rhedonen. Obseruant *cap.* 16. latè scribit P. Leo à S. Ioanne sæpe relatus. Vbi plura scitu digna.

Conuentus Aurelianēsis

7 Post hunc Nannetensem Conuentum, & ante Iuliodunensem, de quo sub anno 1334. dicetur, in serie Monasteriorum Turonensis Prouinciæ numeratur Aurelianensis, cuius tamen erectionis certum tempus nō describitur: ideoque prudenti coniectura credendum paulo post primordia habuisse. Principio quidem mansionem in suburbio Sancti Laurentij ad Ripam fluminis Ligeris habuimus, Aurelianenses tamen ab Anglis obsessi nostros intra Vrbis mœnia retraxerunt, circa annum Domini 1427. ne hostibus paterent ad prædam, Conuentus ad præsidium. Obsidione soluta, nostrisque rebus compositis, desolati Monasterij ruinas, amplissimæ Vrbis Ciues cum fęnore repararunt. Sed enim, vt incertè sunt mortalium cogitationes, timidaq; consilia; furor Caluinisticus sub an. 1562. Vrbem cædibus, incendijs, potissimum vero Sacrarum Ædium lugenda direptione, deuastauit. Et quo eius farinæ homines erga Deiparam sunt affectu, Templa eidem Virgini dicata; præcipuè verò Religiosa Cœnobia, solo adęquauit. Hac ætate magnis impendijs, & labore satagunt nostri destructa restituere: iamque Ecclesia, & Claustra magna Ædium parte consurgere conspiciuntur, Plebis pietate pauperis Monasterij non vanos conatus adiuuante. Additus est hic Conuentus Obseruantiæ Rhedonensi, floruitque Iuuentutis sedula institutione, quæ ibi prima vitæ Religiosæ iacet rudimenta. Sic ex Leone à Sancto Ioanne in delineatione Obseruantiæ Rhedonensis *cap.* 17. vbi & alia quoque de hoc Cœnobio.

Ann.

Ann. Christi 1319. Ioann. 22. Roman. Pontif. 4. Schism. Impèr. 6. Andronic. Imperat. Orient. 37. Guidon. General. 2.

1 Ertatur acriter in Germania inter duos Imperij competitores; & in Italia inter Guelphos, & Gibellinos, eosdemque nigros, & albos appellatos. Spondanus, Odericus. Huius anni bella.

2 Cum ex vi priuilegij à Papa Ioanne Vigesimo secundo possent Fratres nostri in Anglia sex Monasteria erigere, hoc anno 1319. Scardeburgiæ habuerunt Cœnobium, fundatoribus Domino Eduardo secundo Rege, & Domino de Neuyle, & Raby. Speculum Ordinis *fol. 60. pagina* 1. Pro anno 1317. id contigisse habet Tabula Chronographica Monasteriorum Angliæ, quam præ manibus habemus. Scardeburgiæ Cœnob.

3 Claruit sub hoc anno duobus insignibus miraculis Sanctus Albertus noster, quæ verbis ipsis Codicis Vaticani *de vita ipsius Sancti* placuit referre: *Anno Domini 1319. in terra Trapani quidam ludens bona sua, Diabolo cooperante, omnia perdidit, & in fide desperauit. Venit ergo ad Virginem, vbi aderat & Imago Beati Alberti, quam cum intuitus esset, dixit: toties te innocaui, & non exaudisti me, te quoque, qui Sanctus Dei prædicaris, & non potuisti me adiuuare? ideo nec te Sanctum amplius credo. Et tu, quæ Mater gratiæ diceris, clausisti pietatis aures precibus meis, & accepto gladio, scidit ambas Imagines, & subito ex vtraque gutta sanguinis cadunt in terram. Sed adhuc puero ibidem acclamante, ille prosilijt foras, & ecce tonitruum, cum fulgure simul descendens illum combussit, nec amplius visum est quidquid de eo nisi cineres apud fores Ecclesiæ, propter quod illæ Imagines habentur in maximum honorem vsque in hodiernum diem.* Hunc casum refert Octauius Caietanus Iesuita *in histor. de Beat. Virgin. Drepanitan.* ad annum 1329. in quo non multum immorandum, cum facilè ex vno numero ad alium fermè similem Scriptoris lapsu transitus esse potuerit. S. Alberti miraculum

3 *Eodem anno, cum quædam nauis à Sarracenis raperetur, homines Christiani dire captiuantur apud Tunitium, & cum fuissent in diro carcere, & compedibus astricti longo tempore, inuocauerunt Beatum Albertum singuli dicentes: O Beate Alberte sicut nos te credimus Virginis Mariæ seruum, sic apud nos te aduocatum eius meritis sentiamus: veni libera nos. Hanc orationem quindecim diebus consecrarunt ieiunio, & spiritus afflictione. Dum vero ieiunij obseruantiam custodire non sufficerent, decreuerunt illud vberius non obseruare. Adueniente itaque aurora, Beatus Albertus eis apparuit quasi facula ardens carcerem perlustrando, & ait illis. Quid me vocastis? quidnam vobis deficit? Illi autem figuram non discernentes, sed dumtaxat vocem audientes, clamauerunt: Te inuocamus, te adoramus, veni, & libera nos, & educ nos de isto carcere in-* Aliud.

tole-

tolerabili, ne desperati morientes ad æterna supplicia cum Diabolo damnati descendamus. Tunc respondit illis Beatus Albertus, O fragiles, & in fide debiles, hanc in Domino habetis fiduciam? Probat enim Deus opera hominum. Ecce enim misit me ad vos, sequamini me. Ad hanc vocem, fracto carcere, resolutis compedibus, secuti sunt claritatem vsque ad maritimam portam, quæ clausa vtique non erat, & amplius claritatem non viderunt. Ipsi vero, quadam nauicula accepta, vniuersis fulcita necessarijs, flanteque prospere vento, salubriter in breuissimo temporis spatio, imo incredibili, Trapanam deuenerunt, & Conuentum, & Sanctum Dei Albertum deuoti visitant nudi, & discalceati, ingentibus lachrymis, & gaudio nauem offerentes, & vel qua, quæ eis superauerant Fratribus dicti Conuentus. Hæc in prædicto Manuscripto Codice Vaticano *de vita Sancti Alberti*. Quibus similia, aliquibus mutatis, habet Petrus Sarracenus *in vita eiusdem Sancti Alberti*, ex Polucio.

Signũ aliud

4 Ibidem etiam, & pro illis temporibus signum aliud meritis eiusdem Sancti Alberti patratum de quibusdam nautis refertur; qui prius blasphemi, & lusores maris tempestate obruebantur, postea vero, duobus fratribus Ordinis nostri adhortantibus, pœnitentes, & clamantes pro auxilio ad portum prospere peruenerunt.

Sancius Dullus.

5 Sancius Dull natione Hispanus, patria Nauarrus, Pompeiopolensis, de quo sub ann. 1310. dictum, post nouem annos Pœnitentiarij in Romana Curia, Auinione maximè, sub Papa Ioanne, à Capitulo Albarrazinensis Ecclesiæ electus Episcopus sub hoc anno consecratus est. Doctor Martinus Carrillo *in histor. Sancti Valerij in Cathalogo Episcoporum Albarrazinensium sub anno* 1319. Hinc habetur nostri Ordinis Religiosos ea tempestate Romanæ Curiæ Pœnitentiarios extitisse.

Conseruatio Papæ.

6 Eodem anno 1319. vel circiter Pontifex Ioannes vigesimus secundus Auinione sexto Kalendas Maij Bullam Conseruationis Archiepiscopo Cantuariensi, ac Episcopis Londonensi, ac Bathoniensi, instante Guidone Ordinis Generali, dedit, pro fratribus nostris. De quibus dixit in principio; *Qui in decore Sanctæ Religionis virtutum Domino militantes, & crucifigentes cum vitijs, & concupiscentijs carnem suam ad diuinæ Maiestatis obsequia trahunt alios per exemplum.* Præcepit autem prædictis Archiepiscopo, & Episcopis in dicta Bulla vt fratribus nostris efficacis defensionis præsidio assistentes non permitterent eos ab aliquibus indebitè molestari, vel eisdem damna, violentias, iniurias, vel molestias irrogari. Prout latius ibi continetur. Habetur in Speculo Ordinis *fol.* 73. *pag.* 1.

7 Constat etiam ex libris Communitatis Mutinæ, quod fratres nostri primò venerint Mutinam hoc anno 1319. Emerunt autem ab Anselmo Zaccherino Casamentum ad habitandum apud portam Saliceti. Traditur etiam Dominam quamdam de Zirlatis reliquisse in Testaméto magnam pecuniæ copiam pro construenda Ecclesia, quæ ex hoc eius legato, & eleemosynis nobilium de Bellencinis constructa fuit, hodieque apparere insignia vtriusque familiæ in Capella maiori. Post plures postea

annos

annos cessit hic Conuentus Patribus Congregationis Mantuanæ, Obseruantiæ laude tunc florentibus.

Ann. Christi 1320. Ioann. 22. Roman. Pontif. 5. Schism. Imper. 7. Andronici Impe- tat. Orient. 38. Guidonis Generalat. 3.

1 PErseuerant hoc tempore bella in Germania inter duos prætensos Imperatores: nec quiescunt in Italia factiones Guelphorũ, & Gibelinorum. Gordonus, Bzouius, Odoricus. Pontifex autem Ioannes Sancti Thomæ Aquinatis Canonizationi incumbebat. Bzouius. Gesta hoc anno

2 Pontificis eiusdem fauoribus, Deo præsertim, & eius Matre Sanctissima opitulante, plures erant hac tempestate, in Ordine virtute, scientia, & doctrina clari. Maximè in Anglia clarissimorum virorum nostræ familiæ feracissima Prouincia. Ex quibus vnus fuit Ioannes Goldestonus patria Eboracensis, Sacræ Theologiæ primum Doctor Parisiensis, deinde tum ibi, tum etiam aliquando Oxoniæ publicus professor, vir integritate morum, & exemplo bonæ vitæ conspicuus, vtraque philosophia, diuina scilicet, & humana instructissimus, eloquio facundus, in iudicando maturus, in sententijs grauis, in conclusionibus suis solidus, & constans. His enim, & amplioribus epitetis illum commendat Ioannes Pitseus de *Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14. sub hoc anno*. Nomen autem suum non tam posteritati, quam æternitati multis scriptis libris commendauit. Qui sunt. *Moralitates in Psalterium, lib. vnus. Commentarij in S. Matheũ, lib. vnus, Moralitates in eundem, lib. vnus, Moralitates in Euangel. Sancti Ioannis lib. vnus. In Canonicam Ioann. lib. 1. Diuisiones Sermonum, lib. vnus; Sermones de Sanctis lib. vnus. Sermones quinquaginta de tempore, lib. vnus. Collectaneorum lib. vnus*. In Magistrum Sententiarum *libri quatuor*. *Disputationes sententiarum lib. vnus. Determinationes Theologiæ lib. vnus. Quodlibeta varia libri duo. Quæstiones ordinariæ lib. vnus. Orationum ad Clerum lib. vnus*. De ijs Ioannes Pitseus *vt supra*, Iacobus de Plebe *in Indice*. Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana*, & Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*. Ijs adhærent Eisengrineus, Iacobus de Plebe, Sixtus Senensis, Posseuinus, Emmanuel Romanus, Biscarretus. Ioan. Goldestonus.

3 Secundus est Philippus Bastonus, natione Anglus, patria Nottinghamensis, qui postquam Oxoniæ multo tempore studuit, & post emensa Philosophiæ tum Theologiæ studia, quasi postliminio reuersus ad litteras humaniores, Poeta, & Rhetor euasit insignis: ita tamen vt nihilominus ad populum frequentes haberet conciones. Vnde, vt ex Lelando, & Pitseo colligimus, sui memoriam post se reliquit. Dictarum concionum, Philippus Bastonus.

lib. vnus. Epistolarum *lib. vnus*, Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus*, *Ætate* 14. *sub hoc anno*, & ex ipso Romanus, & Biscarretus.

Godefridus Cornub. 4 Tertius fuit Godefridus Cornubiensis, Oxoniensis Doctor, simul & Parisiensis, vir pietate, & doctrina celebris, quem Ioannes Bachonitanus ab excellenti ingenio, Lelandus vero ab eruditione plurimum commendant. Fuit hic ex illis, qui Gerardo Generali in diuisione Prouinciæ Angliæ multum restitit. Porro ex eruditi pectoris armario hæc Scholastica arma deprompsit. Super Magistrum Sententiarum *libros quatuor*. Decem Quodlibetorum *lib. vnum*. Super prædicamenta *lib. vnum*. In Posteriora Aristotelis *libros duos*. In Phisica eiusdem *libros octo*. In eius Metaphisicam *libros duodecim*. In sex principia Gilberti Porretani *librum vnum*. De eo Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 14. *sub hoc anno*. Ioannes Balæus *in Cathalogo*, Posseuinus *in Apparatu*, Romanus, Biscarretus.

Richardus Belgrauius. 5 Quartus Richardus Belgrauius Doctor Cantabrigensis, vir magis doctus, quam elegans, Religiosæ tamen, & integerrimæ vitæ, ac doctrinæ non spernendæ. Cuius hæc pauca inueniuntur, Determinationum Theologicarum *liber vnus*. Quæstionum ordinariarum *liber vnus*. Ioannes Pitseus, & Balæus *vt supra*. Posseuinus, Romanus, & Biscarretus.

Richardus Blitonius. 6 Sub eodem etiam tempore constituit Balæus relatus Richardum Blitonium, Prouincialem Angliæ, & à Confessionibus Regis Eduardi secundi: sed nos commodius de eo agimus sub anno 1334. quo mortuus est.

Dauid Obuga. 7 Numerat etiam Dauidem Obugæ supremæ classis Magistrum, Hibernicæ nationis Lucernam, & decus appellatum: ac Osbertum Pickembamum velut alterum Aristotelem, & Platonem. Quæ tamen in prædicto Dauide Balæus recenset, caute legenda, sicut & alia eius scripta maledicentiæ, & erroris plena. De Osberto autem anno 1330. loquimur.

Anglicorum Scriptorum multitudo. 8 Nec mirum cuiquam sit, tot, ac tam Illustres, ex Anglia prodijsse Scriptores, Ordinis nostri Alumnos, quorum aliquos iam retulimus, & multo plures suis temporibus inferius damus, ita vt ferè innumerabiles censeantur. Quia ipso Balæo, teste domestico, *in Cathalogo Scriptor. Britanniæ* in conclusione Operis, *pro lege tenebatur ex eorum* (Carmelitarum) *Synodis, vt nullus apud eos pro Doctore haberetur, priusquam ad communem eorum vsum aliquod edidisset opus*. Sanè statutum laude dignum, quod vtinam pro toto Ordine sancitum foret.

Guido Lector S. Palatij. 9 Nec sola Anglia ea tempestate Doctoribus nostri Ordinis, & Scriptoribus abundabat: nam, vt omittamus alios, Auinione in conspectu Summi Pontificis mirè doctrina, & scientia Guido noster collucebat, vt libri ab ipso editi, de quibus suo loco dicimus, testimonium ferunt. Hinc Pontifex litteratorum Virorum, nostrique Ordinis ardens amator, prædictum Guidonem Lectorem Sacri Palatij constituit. Pro quo graue testimonium

monium grauissimus Auctor Thomas Vualdensis *Tom. 2. de Sacramentis cap. 64.* loquens de Eucharistia, & opinione inpanantium sic protulit. *Et credi potest similiter deliquisse Ioannem Paris in verbo, quando scripsit in Tractatu suo determinato, hanc viam inpanationis ad tantum placuisse Doctori Guidoni nostri Ordinis Fratrum Carmelitarum, tunc quidem Lectori Sacri Palatij, vt si foret Papa ipsam decerneret eligendam.*

Ann. Christi 1321. Ioannis 22. Roman. Pontif. 6. Schism. Imper. 8. Andronici Imperat. Orient. 39. Ioannis Alerij Generalat. 1.

1 ANdronicus iunior contra Andronicum auum in Oriente Imperatorem conspirans, & Constantinopolim obsidens, magnam Turcis viam strauit, ad Imperij Græci inuasionem. Gregoras, Gordonus, Odoricus. Vt propterea merito equus in Aula Imperiali ad parietem depictus, cui insidebat Imago S. Georgij, hinnitum die, ac nocte edidisse dicatur. Spondanus ex Gregora. Gesta Constantinopoli

2 Ioannes interim Papa Guidonem nostrum Generalem hoc anno ad Episcopatum Maioricensem assumpsit. Tradunt communiter omnes, qui de ipso scripserunt, specialiter Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Balæus *in Cathalog. Scriptorum Brittanniæ, Centuria quarta in Appendic. post Robertum Bastonem*, Andreas Scotus *in Bibliotheca Hispana*. Idque constat ex lib. Ordinis in Capitulo Generali hoc eodem anno Montispessulani celebrato, vbi Episcopus Maioricensis nominatur. Ex hoc autem Episcopatu postmodum anno 1330. ad Elnensem, sub quo patria ipsius Perpinianum extat, translatus est, vt ibidem dicemus. Guido Episc. Maioric.

De Ioanne Alerio Decimo tertio Generali Latinorum.

3 OCcasione ergo assumptionis Generalis Guidonis ad Maioricensem Præsulatum Ordo Synodum Generalem eodem anno, & die Pentecostes in Montepessulano instituit. Constat id ex libro Ordinis fol. primo, & tradunt Ioannes Grosii, qui eidem astitit Capitulo vt Prouincialis Aquitaniæ *in Viridario Claui 2.* Bostius *in Specul. histor. cap. 39.* Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 11.* Huius Capituli Præsidens in dicto libro Ordinis refertur Ioannes de Clarano, qui etiam ibidem Prouincialis Narbonæ describitur: Vir doctus, & insignis, vt propterea ad Episcopatum Bosnensem assumptus postmodum fuerit, vt dicimus anno 1328. Electus autem in Generalem Priorem Ordinis Ioannes Alerius in sua absentia, vt Ioannes Grossi, & Bostius loco relato scribunt. Io. Aler. General.

Fuit autem Alerius Conuentus Tholosani Alumnus, vt ijdem Authores affirmant; Sacræ Theologiæ Doctor, litteris, & conuersatione præclarus, ac decimus tertius in numero Latinorum Generalium appellatus.

Acta huius Capituli. 4 In hoc autem Capitulo (inquit Palæonydorus vt supra) *Statuerunt Patres fieri Octauas de Corpore Christi, & festum nouem lectionum de Sanctis, quorum corpora in Conuentibus Ordinis nostri requiescunt. De Sanctis quoque, quorum nomina habentur in Canone Missæ, ac de Sanctis Apollonia, & Barbara.* Quamuis autem nihil horum habeatur in libro Ordinis, vbi hoc Capitulum cum Actis in ipso registratur; nihilominus, quia eadem etiam refert Bostius relatus, ipsis credendum.

Alia. 5 Præcipua tamen acta in hoc Capitulo hæc sunt. Primum, *quod Vicarius, quem Capitulum Prouinciale Angliæ constitueret in Scotia, præstare deberet Iuramentum fidelitatis seruandæ Domino Regi Angliæ, & Ordini, ac Fratribus, seu Prouinciæ supradictæ.* In gratiam enim Eduardi secundi pii Regis, nostrorumque Fratrum deuotissimi, qui Oxonij Collegium, vt diximus anno 1314. erexerat, Confessoremq; habuit vnum ex nostris, vt dicemus insequentibus hoc decretum factum;

6 Ordinatum insuper est, vt Prouincia Prouinciæ diuideretur in duas; sic quod prima, scilicet vltra Rodanum, vocaretur Prouincia *Narbonæ*, & ipsa teneret primum gradum. Item, quod Prouincia Siciliæ in alias duas diuideretur, scilicet in citra Pharum, & Insulam Siciliæ, aut vltra Pharum. Sic quod citra, scilicet domus Neapolis cum cœteris vocaretur Prouincia Appuliæ, altera vero, scilicet Siciliæ teneret nomen, vt prius & Siciliæ vocaretur. Quare quod Palæonydorus dicebat de institutione Prouinciæ Appuliæ, & Narbonæ facta anno 1318. in Capitulo Burdegalensi, error est, cum in hoc Capitulo id factum sit.

Studia instituta. 7 Instituta etiam sunt in hoc Capitulo Studia Generalia Bononiæ, Coloniæ, & Londoni, & ad eorum quælibet permissum Studentes mitti posse.

Conuentus Maioricæ. 8 Constat etiam, quod hoc eodem anno 1321. Conuentus Maioricarum Fratrum nostrorum erat. Sic enim testatur Vincentius Mut *tom. 2. histor. Maioricarum lib. 11. cap. 6.* dicens, hoc anno ædificatum iam fuisse Maioricense Carmelitarum Cœnobium constare ex quadam Concordia inita inter Rectores Parrochiarum, & Fratres nostros, subscriptam etiam à Guidone nostro tunc temporis Episcopo. Ecclesia porro ipsius pulchra, & ex maioribus Ciuitatis est, & sub inuocatione *Beatissimæ Virginis de Mõte Carmelo*. Cœnobium quoque satis capax, vt in eo plusquam quinquaginta Religiosi degere possint; de quibus idem Vincentius ait, singularis exempli esse, & populi vtilitatis ob frequentes conciones ad illum. Floruit in illo Ioannes Balistarius Generalis, vir doctissimus; Raphael Lina Episcopus Chrisopolitanus, qui etiam Maioricensem Episcopatum rexit pro Episcopo Campegio; & Ioannes de Deo, etiam Episcopus N. qui eam quoque Diœcesim pro Episcopo Auellaneda gubernauit. Hęc relatus Mut,

comme-

commemorans etiam inter insignes Viros eius Conuentus Alumnos Raimundum de Anglada Cathedræ Lullianæ Rectorem; ac inter Fœminas Illustres, quæ sub huius Conuentus regimine vixerunt, Leonoram Ortiz Fundatricem Monialium Sanctæ Tereſiæ.

9 Erat per id tempus Doctor quidam sæcularis, Ioannes de Poliaco nuncupatus, qui Religionum, præsertim Mendicantium, exercitia, quorum præcipuum est Confessiones secularium audire, toruo spiritu aspiciēs, asserebat, Confessos Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones teneri eadem peccata, iterum proprio Sacerdoti confiteri, & quod stante cap. *omnis vtriusque sexus*, Romanus Pontifex facere non posset quod Parrochiani non tenerentur omnia peccata sua eidē proprio Sacerdoti confiteri: imo nec dum id posse facere. Quæ quidem cum scandalosa essent, & erronea, Poliaco in iudicium vocato, palynodiamq; cantante, Summus Pontifex prædictos articulos tanquam falsos, & erroneos, & à doctrina Sacra deuios, hoc anno 8. Kalendas Augusti auctoritate Apostolica condemnauit, & reprobauit. Habetur Bulla, quæ incipit *Vas electionis* in Speculo Ordinis *fol.75. pag.2.* & apud Bzouium *tom.14. Annalium sub hoc anno*. Contra hunc Poliacum librum scripsit noster Ioannes Bachonius, vt refert Pitseus *de Scriptoribus Angliæ Ætate* 14. *num.* 542. & Odoricus *sub hoc anno num.* 37, apud quem etiam alia de damnatione huius erroris. Ioannes de Poliaco.

10 Item, eodem anno Snytterleye in Anglia Ordinis nostri Cœnobium à nostris obtentum, Fundatoribus Dominis de Roos, & Dominis Roberto Bachone, & Ioanne Brette militibus. Speculum Ordinis *fol.60. pagina prima*. Idem fere habetur in Tabula Chronographica Conuentuum Angliæ, qua sæpe vsi sumus. Eo excepto, quod hoc Cœnobium fundatum dicitur Blachneyæ in Norfolcia. Diciturque attitulatum *Beatissimæ Virgini Mariæ*. Huius porro Conuentus fuit filius magnus ille Ioannes Bachonitanus, de quo plura in sequentibus, teste Pitseo *Ætat.14. sub anno* 1346. Snytterleye Cœnobium

11 Obijt & sub eodem anno die 11. Octobris Reuerendissimus Dominus Ioannes Magnus Episcopus Equiliensis Ordinis nostri Alumnus. De quo Leonardus Priolus *in præfatione ad opera* Michaelis de Bononia *super Sententias*, & ante ipsum Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana, in Additionibus littera I.* Alia de ipso non habemus. De Ioanne Magno.

Ann.

Ann. Christi 1322. Ioann. 22 Roman. Pontif. 7. Ludouici Bauari Imp dicti 7. Andronici Imperat. Orient 40. Ioan. Alerij Generalat. 2.

Gesta hoc tempore.

1 Es erat Papæ hoc tempore cum Michaele de Cesena, Gulielmo Ochamo, & alijs, quæ non parum negotij fuit ob proteruiam quorundam Pseudominoritarum. Bzouius, Odoricus, Vvadingus, & alij. Interim autem magno inito prælio inter duos prætensos Imperatores tandem Fridericus Austriæ Dux superatur à Ludouico Bauaro, & post triennij custodiam dimissus, diem clausit, Ludouico solo pro Cęsare se gerente. Nauclerus, Honuphrius, Gordonus, Spondanus, cum alijs.

De Guidone

2 Hoc anno, vel circiter, Guido ex Generalis noster Maioricam sui Episcopatus Sedem Capitulo Generali peracto, suique Officij rationes reddita iuisse credimus. Quæ tamen postea ipsi acciderint, sic habemus ex Arnoldo Bostio in lib. de Illustrib. Vir. Ordin. nostri cap. 6. *Cum solum tribus annis Ordini præfuisset, ad Episcopatum nobilis Maioricarum Vrbis aßumptus est, vbi posteaquam aliquot annis laudabiliter præfuisset, inter eum, & Regem Maioricarum pro Ecclesia libertatibus lite exorta, Heliam alterum prophetico indutus spiritu Prophetarum filius se Regi præbuit, captiuitatem, & mortem ei prædicens, postea adimpletas: & verò ex tunc parum ibidem proficere, completamque Dei iram aduersus Regem cernens, transferri ad Elnensem Ecclesiam, in cuius Diœcesi natus fuerat, postulauit, bonum pacis præferens Cresi diuitijs.* Casum autem sic narrat Ioannes Balæus, etsi infidus author, nec sine odore hæreticæ prauitatis *in Cathaloge Scriptorum Brittanniæ Centuria quinta in Appendic. post Godefridum Cornubiensem. Dum Guido Perpinianus Carmelita, Maioricensis, & Elnensis Episcopus, ea ipsa ætate pro Ecclesiæ causis superciliosè contenderet, à Rege Maioricarum Episcopatu primo pellitur.* Quæ si vera sunt, Guidonis gloriæ, ac crescit, quod pro Ecclesiæ defensione exilij pœnam passus sit. Cum autem ipse à Papa Ioanne Episcopatum etiam Elnensem (non Eluensem, vt quidam corruptè scribunt) Elnæ scilicet Cathaloniæ Ciuitatis, cui prope est Perpinianum Guidonis patria, acceperit, vt communiter astruunt authores, specialiter Sixtus Senensis *in Bibliotheca Sancta*, Bostius, Balæus, & Andræas Scotus *vt supra*, ideo pro tempore suæ persecutionis prædicto Elnensi Episcopatu à Papa decoratum credimus, quod, vt fertur, accidit anno 1330. vt ibidem iterum dicemus.

Iurgia inter Religiosos.

3 Suscitata sunt hac tempestate inter Fratres nostros, & alios Mendicantes iurgia, & contentiones, quod suorum priuilegiorum auctoritati innitentes aliquos ex Ordine nostro ad ipsorum transeuntes Ordines recipie-

piebant absque Generalis Prioris licentia, aut facultate, non obstante Alexandri Quarti priuilegio (de quo supra anno 1259. diximus) quo cauebatur ne aliqui Religiosi paris arctitudinis, vel minoris, aliquem de Fratribus nostris professum reciperent sine prædicta Generalis speciali facultate. Propterea Ioanne Alerio Generali ad Sedem Apostolicam pro opportuno remedio recurrente, statuit Pontifex per Diploma sub datis Auenione, octauo Idus Augusti, Pontificatus anno sexto, qui præsenti 1322. correspondet, ne deinceps Religiosi Prędicatorum, Minorum, vel Eremitarum Sancti Augustini, aliquem Ordinis nostri Professum ad Ordines ipsorum admitterent, vel retinerent, sine prædicti Generalis, vel Successorum petita, & obtenta licentia. Ita vt talis receptio, & retentio irrita esset, & nulla, & recipiens, vel retinens priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa incurreret, ac ad requisitionem nostrorum Fratrum retentum restituere tenerentur, non obstantibus quibuscunque priuilegiis. Habetur Bulla satis fauorabilis in Speculo Ordinis *fol. 71, pag. 2.* & in Mari Magno per Ioannem Mariam collecto *pag. 13.*

4 Maximè autem hoc eodem anno, & pro die tertia Martij, Auinione existens, gratiosam valde pro Ordine nostro Bullam edidit, recordatus sanè visionis sibi à Beatissima Virgine facta, de qua sub anno 1314. diximus. In qua Pontifex narrat sibi deprecanti, eandem Dei Parentem apparuisse; Papatum, & victoriam de aduersario promisisse; ea tamen lege, & Carmelitarum Ordinem confirmaret, necnon indulgentiam intrãtibus Ordinem, seu Confratriam indulgeret; & adiutorium eiusdem Dei Matris Sabbatho post eorum mortem. Vnde hæc Bulla *Sabbathina* vulgo appellata est. Eam porro ad litteram referunt Petrus Lucius Belga in *Compend histor. cap. 13.* Casanate *in Paradis. Carmelit.* Gregorius Nazianzenus à *Sancto Basilio in lib. de adoption. filiorum Virgin.* & ex ipsis Ioann. Cheron *in Tractat. priuilegiat. Scapular.* Irinæus à Sancto Iacobo *in Tractat. de singular. Virgin. protectione*, & alij. Ac de exteris Authoribus Benedictus Gononus *in Chronic. Sanctiss. Deipara ann. 1321.* & Hippolytus Marraccius *in Pontificib. Marian in Ioann. 22.* Nos autem id prætermittimus, eo solum contenti, vt propter scrupulos, qui circa istam Bullam, & ipsius concessionem oriri solent, ostendamus eam verè, & realiter ab hoc Papa emanasse, seu editam fuisse, ac per consequens, ipsam quoad substantiam, illud videlicet, quod in ea continetur de adiutorio Sanctissimæ Virginis Dei Parentis præstando Fratribus, & Confratribus Ordinis nostri in Purgatorio existentibus, maximè die Sabbathi post eorum transitum, veram esse, & legitimã: esto quod quoad aliquas ipsius circũstantias in ea relatas, variata, dubia sit, & incerta: prout prudenter animaduertit Irinæus à S. Iacobo *in Tractatu de singular. Virgin. protection. pag. 192.* Nec propterea esse reijciendam; cum certum sit, *plus, minusve* non mutare rei substantiam *l. fin. de fund. instruct. l. legato generaliter, ff. de legat. 1.* Bulla Ioannis 22 Papæ

5 Ergo Bullam istam, seu concessionem ea contentam de adiutorio An legitima

præ-

præfato Diuæ Virginis tribuendo Fratribus, & Confratribus post ipsoru m mortem, die Sabbathi, verè à Papa Ioanne editam fuisse, ac perinde veram, & legitimam, quoad hoc esse, manifestè conuincere potest alia Bulla Alexandri Quinti, quæ incipit *Tenore cuiusdam* sub Dat. Romæ septimo Decembris apud Sanctam Mariam Maiorem anno primo Pontificatus. In ea enim inseritur præfata Ioannis Vigesimi secundi Bulla ad verbum, cum concessione illa. Est quidem verum easdem difficultates pati hanc Alexandri, & illam Ioannis Bullam, quoad circunstantias aliquas ipsarũ, etsi non quoad substantiam prædictæ concessionis. Illa idcirco prætermissa, ad clariora, & liquidiora pergamus; ex quibus vtraque Bulla, concessio in ipsa relata, & intentum nostum magnum robur sumit.

Concessio Clem. 7.

6 Primum est, Clementis Septimi Diploma, quod in Archiuio Ordinis apud Transpontinam de Vrbe extat, & apud Rodriguez *tom. 2. Quæstion. Regular. quæst. 96. artic. 7.* ab eodem Pontifice concessum in Ciuitate Vrbeuetana 15. Maij anno 1528. vbi hæc leguntur. *Dilecti filij Nicolaus Audet Generalis, ac Prouinciales, & Priores Domorum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo iuxta morem dicti Ordinis, necnon Confratres vtriusque sexus Confraternitatum in Ecclesijs domorum, seu domibus eiusdem Ordinis institutarum, Nobis nuper exponi fecerunt, quod fælic. recordat. Ioann. Papa Vigesimus secundus, & Alexander Quintus Romani Pontifices prædecessores nostri vniuersis, & singulis Christi fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo intrare, seu Confratrum Confraternitatis huiusmodi numero adscribi, ipsiusque Ordinis statuta obseruare, ac Habitum dicti Ordinis deferre, seque fratres, & sorores dicti Ordinis appellare, ita quod si mulier virgo castitatem, vidua vero continentiam, coniugata autem matrimonij iura, prout Sancta Mater Ecclesia præcipit tempore earum ingressus inuiolabiliter seruare velle promiserint, & obseruauerint, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac die quo à sæculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa gloriosa Dei Genitrix Maria Sabatho sequenti ipsorum Confratrum, siue Religiosorũ, aut sororum obitus, eos visitando à pœnis Purgatorij huiusmodi eorum animas liberabit.* Cum autem Pontifex approbet ista, vt patet illis verbis post ista, & alia Indulta ibi relata positis: *Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, Ioannis, & Alexandri, ac aliorum prædecessorum nostrorum litteras, & per eosdem prædecessores, omnia, & singula priuilegia, immunitates, & exemptiones, &c. concessa, quorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, authoritate Apostolica approbamus, & innouamus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere, &c.* manifestè colligitur concessionem Ioannis Vigesimi secundi, & Alexandri 5. relatas in suo robore manere. Quia tamen Pontifex in hac Bulla, quæ solum fuit per modum Breuis, & sub annulo Piscatoris, præcepit; *Quod litteræ sub plumbo infra annum expediantur; alioquin dicto anno effluxo præsentes litteræ nullius sint roboris, vel momenti*, & id non fuerit adimpletum, forsan ad euitandas expensas Religionis, ideo idem Pontifex in alia Bulla plũbea,

bea, quæ incipit *Ex Clementi*, anno 1530. edita, quæ præcedentis est explicatio, seu correctio, & cui plenissima fides adhiberi debet, non solum quia habetur duplicata in Archiuio Transpõtinæ, & in Laertio Cherubino *Tom. 1. Bullar. inter Bullas Clementis Septimi num.* 31. & apud Rodriguez *in suo Bullario* inter huius Pontificis Constitutiones *num.* 10. authenticata; sed etiam, quia impressa Romæ fuit apud Impressores Camerales anno 1577. cum authenticatione Alexandri Riarij Patriarchæ Alexandrini, & Auditoris Generalis Curiæ, idem etiam habetur ijs verbis. *Sanè pro parte dilectorum filiorum Nicolai Audet, ac Prouincialium, & Priorum Domorum Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, necnon Confratrum vtriusque sexus Confraternitatum in Ecclesijs domorum eiusdem Ordinis institutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias fæl. record. Ioannes 22. & Alexander Quintus Romani Pontifices prædecessores nostri, vniuersis, & singulis Christi fidelibus, qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seu Cõfratrum Confraternitatum huiusmodi numero ascribi, ipsiusque Ordinis Statuta obseruare, ac Habitum dicti Ordinis deferre, seque fratres, & sorores dicti Ordinis appellare, ita tamen, quod si mulier virgo castitatem, vidua vero continentiam, coniugata matrimonij iura, prout sancta Ecclesia præcipit, tempore earum ingressus inuiolabiliter seruare velle promitterent, & obseruarent, tertiã partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipsa gloriosissima Dei Genitrix semper Virgo Maria ipsorum Confratrum, seu Religiosorum, ac sororum animas post eorum transitum, suis intercessionibus continuis, pijs suffragijs, & speciali protectione adiuuabit.*

7 Secundum est, alia Bulla Pauli Tertij, quæ quatuor annis post præfatam posteriorem Clementis Septimi data fuit; anno videlicet 1534. quam affert Irinæus à Sancto Iacobo *in Tractatu de singular. Virgin. protection. inter monumenta pagina* 25. & quæ dicitur authentice haberi in Conuentu Rothomagensi. In ea enim Pontifex Paulus tenorem dictæ Bullæ Clementis Septimi, quæ incipit *Ex Clementi* de registro transcriptum, decernit habere eandem vim, ac ipsæ litteræ originales; sic dicens: *Cæterum, vt earundem tenor litterarum hic insertus, omnimodam rei, seu facti certitudinem faciat, authoritate nostra decernimus, vt illud idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus tenor habeat, quæ haberent Originales litteræ supradictæ, ac eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & vbicunque, siue in iudicio, siue alibi, vbi fuerit exhibitus, seu ostensus, & eidem tenori firmiter seruetur in omnibus, sicut eisdem Originalibus litteris daretur, si forent exhibitæ, & ostensæ.* Alia Pauli 3.

8 Tertium, alia Pij Quinti de anno 1566. quæ incipit *Superna dispositione*; & eius Originale habetur cum sigillo plumbeo in Archiuio Transpontinæ, vbi cum ageretur de translatione Ecclesiæ antiquæ Transpontinæ, quæ apud Arcem Sancti Angeli primitus erat, ad locum, in quo modo existit, sic habet: *Necnon omnium, et singulorum priuilegiorum, Indulgentiarum, et gratiarum, etiam Sabbathinorum, et alias nuncupatorum, eidem* Alia Pij 5.

antiqua Ecclesiæ per piæ memor. Ioannem 22. Innocentium 8. et Clementem 7. et forsan alios Romanos Pontifices prædecessores nostros quomodolibet concessorum, et approbatorum, ac quarumcunque litterarum desuper confectarum tenores, nec non Area infrascriptæ confines, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum Prioris, et Conuentus, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed nostra mera deliberatione, omnia, et singula priuilegia, Indulgentias, et alias gratias prædicta, quoad ea, quæ sunt in vsu, et decretis Concilij Tridentini non repugnant authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus. Vides, pie Lector à Pio Pontifice *motu* etiam *proprio*, approbata priuilegia *Sabbathina* per Ioannem 22. & Clementem Septimum concessa, quæ sanè nisi falli, & decipi volumus, nulla alia intelligere possumus, nisi contenta in Bullis relatis Ioannis, & Clementis, quia in eis extat memoria expressa priuilegij Sabbathini.

Alia Greg. 13 9 Quartum, Bulla alia Gregorij 13. quæ incipit *Vt laudes*, ann. 1577. edita, quæ etiam refertur à Rodriguez *tom. 2. quæst. Regular. quæst. 96. artic. 7.* & passim à nostris Scriptoribus. In ea enim, præter alia indulta, & priuilegia, quæ Pontifex approbat, & confirmat, est hoc. *Idemque Ioannes 22. pro animabus, quæ in Purgatorio existunt, et habitum huius Religionis gestarunt, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero ascripti in honorem eiusdem B. Mariæ Matris Dei, die Sabbathi post eorum transitum intercessionibus eiusdem continuis, pijs suffragijs, et meritis, ac speciali protectione adiuuandis, priuilegium publicauit, corroborauit, et confirmauit.* En lector, concessionem, de qua agimus, ab hoc Pontifice confirmatam, & approbatã fuisse; simulque declaratum à Papa Ioanne 22. datam fuisse: quod est virtualis Bullæ istius approbatio. Infra etiam hæc subijcit. *Denique Clemens Septimus post Ioannem Vigesimum secundum, et Alexandrum Quintum eorum litteras approbando, Habitum gloriosissimæ, et Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei gestantibus, seu Confraternitatem ingredientibus, et alia seruantibus, vt in eisdem litteris continetur, indulgentiis, peccatorum remissionibus, et gratijs singulis vtriusque sexus concessis perpetuæ firmitatis robur addidit, et innouauit.* En iterum approbationem Bullarum Ioannis Vigesimi secundi, Alexandri Quinti, Clementis Septimi, & gratiarum, ac Indulgentiarum in ipsis contentarum, inter quas est ista de Adiutorio Beatissimæ Virginis impendendo Fratribus, & Confratribus nostris post eorum obitum die Sabbatho.

Decretum S. Inquisit. 10 Quintum, Decretum Sacræ Congregationis S. Inquisitionis sub Paulo Quinto. Cum enim tempore huius Pontificis, quidam non rectè de huiusmodi priuilegio informati in Lusitaniæ partibus non permittebãt Ordinis nostri Concionatores illud promulgare, re Romam delata, vtrimque grauissimè agitata, maturèque discussa à S. Eminentiss. Cardinal. S. & vniuersalis Inquisitionis Congregatione, instantibus etiam per litteras ad Summum Pontificem, Cardinalem Millinum Ordinis Protectorem, & Comitem de Castro Regis Catholici Oratorem, eodem Catholico Re-

ge

ge Philippo Tertio, & ad Regis Christianissimi Oratorem, vt rem obnixe cum Papa ageret, Maria Medices Galliarum Regina Henrici Quarti vidua relicta, hoc decretum die vndecima Februarij anno 1613. exijt. Quod damus, prout receptum, & authenticatum fuit à Tribunali Sacr. Inquisitionis Regni Lusitaniæ de anno 1628. his verbis: *Nos supremi Tribunalis Sac. Inquisitionis in hoc Lusitaniæ Regno Consiliarij, per præsentes litteras notum facimus, iussu Sanctissimi Domini Pauli Papæ Quinti anno 1613. editum fuisse decretum in Congregatione Illustrissimorum Cardinalium Inquisitorum, cuius nos certiores facti sumus per epistolam Illustrissimi Cardinalis Mellini missam ad Dominum Generalem Inquisitorem huius Regni eodem an. 1613. Quia vero Reuerendus admodum Pater Magister Frater Martinus Monisius Prouincialis Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli in hoc Regno a nobis postulauit authenticum huius decreti transumptum, quo Religiosis eiusdem sui Ordinis innotescerent in eo contenta, alijsque iustis de causis, iussimus hoc ipsum authenticum ei tradi per nos subscriptum, sigilloque Sacræ Inquisitionis munitum. Est autem huiusmodi. Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quod Populus Christianus possit piè credere de adiutorio animarum, Fratrum, & Confratrum Sodalitatis Beatissimæ Virginis de Monte Carmeli, videlicet Beatissimam Virginem animas Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestauerint, & castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque paruum recitauerint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ ieiunia obseruauerint, & feria quarta, & Sabbatho à carnibus abstinuerint (nisi vbi in ijs diebus Natiuitatis Domini Festum inciderit) suis intercessionibus continuis, pijsque suffragijs, & meritis, ac speciali protectione post earum transitum, præcipue in die Sabbathi, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimæ Virgini dicatus est, adiuturam.* Et post alia, quæ ad intentum hoc non faciunt. *Quod decretum ego Simon Lopez Secretarius Consilij Generalis S. Officij Inquisitionis egi traduci ex originali, quod in secreto eiusdem Consilij Generalis extat, illudque lucubratum, vna cum formulario hic mecum consignato, & cum Originali concordat. Datum Vlyssipone, subscriptum à DD. supradicti Consilij decimaquarta die Iunij, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octauo. Gaspar Pereiras. D. Ioann. de Silua. Francisco Bareto, Simon Lopez. Collationatum cum me Notario Gaspare Clemente.* Refert hoc decretum sic authenticatum Irenæus à S. Iacobo *in suo Tractatu de Immaculatæ Virginis protectione in monumentis pagina 37.* Et nos illud retulimus *in lib. de Maria Patrona cap. 5. num. 26.*

11 Sextum, ex eiusdem Sacræ Congregationis Rituum authoritate, quæ sæpius in Officio Commemorationis solemnis eiusdem Sanctissimæ Deiparæ Virginis hæc in Lectione sexta approbauit: *Non in hoc tantum sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogatiuis Beatissima Virgo insigniuit, verum & in alio (cum vbique & potentia, & misericordia plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, precesque paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno plane affectu, dum igne purgatorio expiantur, solari, ac in cælestem* Ex S. Congr. Rituum.

patriam obtentu suo quantocyus piè creditur afferre. Hæc autem conformia sunt Bullis Ioannis 22. & aliorum Pontificum, quos retulimus, imo explicatiua, & declaratiua ipsarum.

Carolletis. 12 Ex ijs porrò dilucide demonstratum manet horum Pontificum, & Sacr. Congregationis Rituum Apostolica authoritate, diploma hoc Ioannis 22. aliquando extasse, ab ipso emanasse, & præcipuam concessionem in illo positam, de adiutorio Sanctissimæ Dei Genitricis Fratribus, & Confratribus nostris die Sabbathi post eorum transitum præstando, verá, ac legitimam esse, & vix de ipsa, recto, & sano modo expositam, à cordato vllo dubitari posse. Verumtamen ex alijs capitibus id fulciendum, vt quorundam incredulitati satisfaciamus.

Doctores 13 Primo, Doctorum, seu Scriptorum magno numero, qui hoc nostrum placitum deuotè recipiunt, piè amplexantur, & catholicè tuentur inter Doctores autem iure, meritoque Salmanticenses censendi, qui anno 1569. huic sententiæ subscripserunt, approbante etiam Salmanticensis Episcopi Prouisore: prout eodem anno dicemus, & ex Thoma de Iesu *lib. 2. cap. 3. de Confraternitat.* affert P. Irenæus *lib. relato in monumentis à pagina* 46. Quibus etiam fauent Sorbonici quoque Doctores de ann. 1648. referente eodem Irenæo *supra pag.* 52. Adstipulantur quoque plures alij Doctores approbatores librorum, in quibus de hoc singulari beneficio à Beatissima Virgine, & Papa concesso. Quos curiosè, & diligenter citat idem Irenæus *supra à pag.* 119. De alijs porrò Scriptoribus aliquos in superioribus dedimus; alios *in lib. de Maria Patrona* eo capite quinto; plures ex Ordine nostro veluti per traditionem loquentes affert P. Irenæus *libro relato à pag.* 123. Quibus iungitur Balduinus Leersius Atrebatensis circa annum 1480. eius Conuentus Supprior, *in Collectario exemplorum, & miraculorum Beatissimæ Virginis cap. 6.* Præcæteris autem Reu. P. Theophilus Rainaudus adeo insignis author, vt eruditione, & doctrina vix parem hoc sæculum nouerit.

Aliud incentum. 14 Est quoque apud me, & magni ponderis argumentum pro ista Ioannis Vigesimi secundi Bulla, & concessione in illa contenta, corroboranda, quod Ioannes ille Balæus Anglus, ab Ecclesia, & Ordine nostro sceleratus apostata; qui inter hæreticos mordacissimus; nemini parcens; & cunctorum famam corrodens; nihilosecius, cum de hac re loquitur, Bullam, & concessionem, non quidem vt suppositititiam, aut à nostris confictam reijcit; sed ea admissa, more sibi solito, canino dente corrodit, dicens *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centuria quarta in Appendic. ad Robertum Baston*, visionem Ioannis Papæ, cui innitus, *authore Diabolo*, contigisse: & *Centur. 5. in Appendic. ad Nicolaum Trinethaiens*: *Istam apparitionem cum inauditis Indulgentijs, & animarum Purgatorii librationibus*, &c. *in quadam Bulla legi tam in Anglia, quam in Hannonia; quæ etiam Romæ anno 1530. sub Clem. 7. renouata fuit.* Quibus manifestissimè hanc Ioann. Bullam, & concessionem in ipsa contentam extitisse, receptam fuisse, & a

Papa

Papa Clemente Septimo renouatam esse (vt supra vidimus) non tam indigitet, quam, clare testis, non de auditu, sed de visu supponit, & demonstrat. Hunc porro apostatam pro nostra causa adduximus (sicut etiam *in lib. de Maria Patrona cap. 5 num. 24.* similem alium Lydium Veteraquinum similis farinæ sectarium) non quia ipsorum testimonijs egeamus; sed quoniam Chrysostomo teste, *veritatis maximum argumentum est, cum quis inimicos ad testimonium adhibet*. Alia ad intentum damus e *c. 5. de Maria Patrona*, & supra circa ann. 1251. dum de simili ferme alia visione eiusdem Sanctissimæ Dei parentis ad Beatum Simonem factæ, loquremur; ac sub anno 1314. de ista; vt idcirco ab eis repetendis merito supersedere possimus.

15 Hic tamen noster interpellandus lector, vt cum videt veritatem de visione ista à Beatissima Virgine Ioanni Vigesimo secundo factæ; Bullã ab ipso editam; & concessionem in ea positam, tot Summorum Pontificum, Sacræ Congregationis, Doctorum, & Scriptorum, etiam malæ fidei authorum, roboratam, & munitam; ac Confraternitatem, quæ ipsi innititur, per totum Ordinem celeberrimam esse, adeo vt Reges ipsi, Principes tum Ecclesiastici, tum sæculares, cum magna Populi Christiani ædificatione, eidem nomen dederint, prout relato libro *de Maria Patrona cap. 10. num. 18.* latè scripsimus; multum valdeque miretur, quod nouus quidam Parisiensis Theologus, similibus alijs nouis opinionibus tuendis addictus, contra eam calamum exacuendo, libellis aculeatis scriptis, de medio tollere tentauerit. In cassum sanè, cum doctissimi viri, strenui certatores, ac pugiles Ioannes Cheron Burdegalensis, Thomas Aquinas Aquitanus, Philibertus Fezaius Professor Aquensis, Irenæus à Sancto Iacobo Rhedonensis in Ordine nostro insignes; ac ex Iesuitica Inclyta Familia Reu. Pater Theophylus Raynaudus supra celebratus contra ipsum, libris, seu Tractatibus in lucem editis, egregiè scripserint; ipsius falsa dogmata confutantes. Faceremus & nos ipsi, nisi actum agere, & extra historicos limites, ad apologeticos prosilire videremur. Ad hos ergo peritissimos huius causæ Patronos lectorem remittimus, ad nostræ historiæ cursum properantes. Aliqua dumtaxat ad nostrorum fratrum instructionem; ad scãdalum exterorum vitandum, & pro obedientia decretorum Sanctę Sedis Apostolicæ, non prætermittentes. Interpellatio.

16 Inter quæ illud præcipuum, quod, cum in transumptis, seu exemplaribus dictæ Bullæ, quorum plura in diuersis Orbis partibus reperiuntur, iuxta dicta in superioribus, diuersitas, & quasi contrarietas verborum, & aliqua, quæ veritati minime consona videntur, sæpius cernatur; orta sanè ex varia, multiplicique ipsorum inscriptione, transcriptione, & negligentia scriptorum, transcriptorum, scribarum, seu notariorum, propter quę in præcedentibus dicebamus hanc Bullam solum quoad substantiam, & concessionem de adiutorio Deiparæ nostri Ordinis alumnis post ipsorum mortem præstando, à nobis vt legitimam, & veram defendi; Notanda.

di;

nostris egregij eo tempore pugiles fuerunt, Guido de Perpiniano, & Ioannes Bachonitanus, vt ex eorum liquet scriptis. Canonizatur etiam à Ioanne Papa S. Thomas Aquinas nouus Ecclesiæ Sol. Odoricus ex litteris Vaticanis.

2 Præsenti etiam anno instante Generali Alerio concessit Papa Fratribus nostris, quod possent de Generali, aut Prouincialium licentia à quocunque maluerint Catholico Archiepiscopo, vel Episcopo, Ordines suscipere, & eisdem Archiepiscopo, vel Episcopo, vt possent illis dictos Ordines conferre. Habetur Bulla sub datis Auenione 5. Kalendas Aprilis, Pontificatus anno 7. in Speculo Ordinis *fol.* 63. *pag.* 2. & in Mari Magno Ioannis Mariæ *pag.* 16. Concessio Papę.

3 Post paucos dies, scilicet Kalendis Aprilis eiusdem anni, instante eodem Generali Alerio, concessit idem Pontifex Fratribus nostris, quod decem Cœnobia, videlicet Rothomagense, Turonense, Narbonense, Pisanum, Brimidusnense, Cæsar Augustanum, Cadurcense, Argentinense, Ascensiense, Imolense, quæ à Ciuitatibus prædictis distabant, propter quod à Ciuibus earum commode visitari non possent, & Arelatense Monasterium, quod valde vicinum esset domibus Archiepiscopalibus, & propterea Archiepiscopo offensum, possent in alia decem, ipsis venditis commutari, infra, vel extra mœnia prædictarum Ciuitatum, non obstante Constitutione Bonifacij Octaui. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol.* 82. *pag.* 1. in cuius prohemio satis ostèndit Pontifex affectum erga Ordinem nostrū Beatæ Virginis conceptam deuotionem, dum dicit. *Dum Sacrum Ordinem vestrum precelsę Dei Genitricis vocabulo specialiter insignitum, & sublimium vestrarum virtutum merita, Deo quidem grata, & in conspectibus Apostolicæ Sedis accepta digna memoria recensemus: dum vos, & Ordinem ipsum, qui inter cæteros Regularium professores in firmamento Catholicę Fidei militantes tanquam Religionis speculum, & exemplar, speciali charitate fulgetis, attenta meditatione pensamus, tanto libentius in his, quæ piè à nobis deposcitis, animarum considerato prospectu, vobis Apostolici fauoris gratiam impartimur, quanto commodius per ipsius Ordinis Fratrum fructuosa studia, & laudabilia opera, & exempla, affectatum lucrum animarum huiusmodi, quo nihil est Deo acceptius, poterit annuente clementia salubriter prouenire.* Inferat hinc lector, qualiter Pontifex Ioaones visionis sibi factæ à Beatissima Virgine de Ordine nostro protegendo, de qua sub anno 1314. & 1322. dictum, haud immemor, beneuolum se, & deuotum erga eum se ostenderit. Gratum etiam erga Guidonem, Bachonium, & alios eiusdem Instituti ipsius defensores. Sicut è contra ipsa Dei Mater eum à Bauaro, Ochamo, Galeatio, & alijs aduersarijs ipsum tuebatur. Alia cõcessio

4 Eadem tempestate noster Andreas Florentinus primo signo sanctitatis, vel miraculo, Florentiæ floruisse, prout ex verbis Laurentij Surij in eius vita describimus, sic constat. *Ea tempestate Ioannes quidam Corsinus ex cognatione sua lupum morbum patiebatur in cruce, quę ęgritudo per dies, noctes-* De S. Andrea Corsino.

noctesque hominem plurimum cruciabat, & vt huiusmodi cruciatum mitigaret, quocunque genere ludorum vtebatur, ita vt eius domum lusorum portum appellarent. Hunc Vir Dei aggreßus, sic alloquitur. Ioannes, si meis consilijs acquiescas, pristinæ te saluti restituam: & ab hostium tuorum insidijs diuino munimine liberabo. Ille vix credens Andream in conspectu Dei talem gratiam inuenisse, vt morbos euerteret, tamen recuperandæ sanitatis desiderio pollicitus est se facturum quicquid optimus Adolescens imperaret. Cui Andreas (inquit) opus in primis vt omnes has lusorum consuetudines abijcias, post hac, vt vacando ieiuniis Virginem Mariam summis precibus dies octo flectere nitaris. Ioannes simplicitate verborum motus statim vota suscipiens, quicquid sibi ab Andrea iußum fuerat mira deuotione perfecit, & meritis eius est solitam valetudinem consecutus. Surius *in vita S. Andreæ Corsini*, & Bzouius *tom. 14. Annal. sub anno 1373.*

Parisiensis Conuentus.

5 Conuentus noster magnus Parisiensis, qui sub anno 1256. sub Sancti Ludouici Regis auspicijs cœpit vt ibidem diximus, hoc anno in citeriorem Parisiensis Accademiæ regiunculam Iana Eburouixe Augusta Francica fauente, translatus. Renatus Coppinus *lib. 1. Monasticon.* Huiusmodi autem Parisiensis Cœnobij noua erectio, seu mutatio, expensis communibus Ordinis facta videtur, vt constat ex Capitulis Generalibus Barcinonensi sequenti anno 1324. Albiensi 1327. Valentienensi 1339. Neumatensi 1333.

Ann Christi 1324. Ioannis 22. Roman. Pontif. 9. Ludou Bauar. dict. Imp. 3. Andronici Imp. Orient. 42. Ioannis Alerij Generalat. 4.

Gesta hoc anno.

1 ANathemate percussus Bauarus ad Concilium appellat, Papæ calumnias infert, fratricellis fauet, exauctoratus. Pontifex autem auxilia Principum Christianorum implorat. Villanus, Bzouius, Odoricus.

2 Cum eo sub tempore Mathæus, seu Maphæus Vicecomes apud Mediolanenses, Religiosos Ordines turbaret, Mendicantes etiam, Ioannes Papa pius ipsarum Protector demonstrabatur; prout ex *tom. 4. epist. secret. pag. 126.* & *lib. variarum Bullarum pag. 25.* affert Odoricus *sub hoc anno num. 7.* sed quid non faceret, pro nostris saltem, si ea quæ in præcedentibus retulimus perspexisset?

Capitulum Generale.

3 Barcinone in Cathalonia hoc anno Generalis Synodus Ordinis a Ioanne Alerio indicitur, & congregatur. In ea primum prædictus Alerius in Generalis munere confirmatur à Patribus, Prouincialibus scilicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Thusciæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Alemaniæ superioris, Apuliæ, Prouinciæ, & Scotiæ. Tot enim, & prædicto ordine Prouinciales

les recensentur. Quibus etiam adiunguntur Priores Parisiorum,& Curiç Romanæ. Fiunt taxæ Ordinis, & computa recipiuntur à Generali. Liber Ordinis *fol.1.pag.2.col.4.*

4 Loquens de hoc Capitulo Generali Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap.11.* inquit in eo ordinatum fuisse, quod *Salue Regina diceretur in fine omnium Horarum, & quod Gloria in excelsis in omnibus Missis Beatæ Virginis diceretur, & quod in principio Capituli Generalis cantaretur Missa de Spiritu Sancto,& fieret sermo. Item, quod fratres Clerici annuè dicerent tria Psalteria. Laici vero tria millia Pater noster pro fratribus,& benefactoribus Ordinis defunctis. Etiam, quod semel in hebdomada per Aduentum fierent nouem lectiones de Beata Virgine dum Laudes non impedirent.* Similia fermè Bostius *in suo Speculo historiali lib,7.cap. 39.* dum de hoc Generali Capitulo loquitur. Quia tamen nihil istorum habetur in prædicto Capitulo, prout in Libro Ordinis *vt supra*,apparet: in eo autem Generalis Ioannes Balistarius anno 1362. Acta Capitulorum Generalium præcedentium describi fecerit, vt etiam apparet in eodem libro Ordinis in principio, ideo existimandum prædicta decreta solum viua voce intimata fuisse à Generali Alerio Prouincialibus, & postea executioni mandata. Gesta in hoc Capitulo.

5 In eodem etiam Capitulo inter Prouinciales numeratur *Prouincialis Thusciæ Frater Andreas*, qui clarius sequenti Capitulo anni 1327.etiam inter Prouinciales recensetur *Prouincialis Thusciæ Frater Andreas de Florentia*: ideo suspicari datur Sanctum Andream Corsinum hûc Thusciæ Prouincialem in his duobus Capitulis fuisse: etsi enim tantum 23. tunc attigisset annus,ipsius tamen vitæ sanctitas, morum integritas, & clarissimi generis nobilitas, ad Prouincialatus Apicem euehere poterát. Proinde Sacris initiatum antequam Prouincialis eligeretur,prout par est,anno præcedenti, vel circiter credi potest. Cum tamen apud Scriptores eiusdem Sancti Andreæ vitæ nulla Thusci Prouincialatus mentio fiat; quin post aliquot annos Parisios studiorum causam missum,& post reditum Priorem Florentini Conuentus astruant, ideo nihil certi affirmari potest; & præsertim, quod, cum in Capitulo Valencenensi anno 1334. quidam Andreas de Platea Thusciæ Prouincialis numeretur,facile credi potest hunc illum esse, qui in præcedentibus Capitulis *Andreas*, & *Andreas de Florentia* nominatur, non Andream Corsinum. De S.Andr.

6 Vtvt res fuerit, quæ ante primam Missæ celebrationem eidem Sancti Andreæ euenerint, ex Laurentio Surio in eius vita sic transcribimus. *Corsini omnes statuunt, vt primam Missam Andreas cantaturus oblationem magnis apparatibus, ingentique pompa celebraret. Sed ille, vbi hoc audiuit,habita prius licentia à Prouinciali secessit septimo milliari ab Vrbe in Conuentum Siluarum, ibique deuotissimè Sacerdotii sui primitias offerenti Beatâ Virgo Maria cum comitatu Angelorum apparuit, dicens ei: Seruus meus es tu, quia ego elegi te, & in te gloriabor, & hæc dicens, paulatim in aera se eleuauit. Andreas stupore perculsus,non elatione extollitur: sed magis per humilitatem nitebatur* Alia de ipso

tebatur se dignum seruum efficere, humanas laudes fugiens, studio bonarum artium sibi immortalitatem parabat. Hæc Surius. Eademque apud Venturium Episcopum *in vit. Sancti Andreæ*, & Bzouim *tom.* 14. *Annal. anno* 1373.

Difficultas soluitur; 7 Difficultatem tamen contra id, quod hoc loco dicitur de prima Missa à Sancto Andrea Corsino celebrata in Conuentu Syluarum, ingerit quod Conuentus iste Ordini datus non est vsque ad annum 1343. vt eo loco dicetur: ex eo enim elici potest nequaquam id affirmari posse. Nodus tamen iste haud difficilè solui potest, si dicamus, sub hoc anno verè hunc Conuentum à nostris Fratribus obtentum fuisse, vel per modum hospitij, vel solum cum Oratoriolo, seu Eremitoriolo aliquo, exiguaue Capella; prout moris sæpius fuit in nouorum Conuentuum resceptione: cœterum pro anno 1343. datum esse cum ampliori Oratorio, seu Ecclesia, domo, & possessionibus aliquibus, ac per publicum instrumentum. Cuius rei signum est, quod anno 1344. sequenti Ecclesia illius fuit consecrata, quod non fieret si in commodiori, & ampliori forma constructa non esset. Quæ diximus non solum propter relata ex Scriptoribus vitæ Sancti Andreæ, sed & etiam, quia vsque ad præsentem diem cernitur in ea Ecclesia Capella, seu Altare, vbi contigerunt.

Sancius Dullus. 8 Sub eodem anno noster Sancius Dullus Albarrazinensis Episcopus, de quo anno 1319. Auenionem venit, vt contra Valentinum Episcopum suę Ecclesię iura defenderet, vbi superstes mansit vsque ad ann. 1356. Martinus Carrillo *in histor. Sancti Valerij in Cathalog. Episcop. Albarrazinens. sub anno* 1319.

Ann. Christi 1325. Ioann. 22. Roman. Pontif. 10. Ludouici Bauari dicti Imp. 4. Andronici Imperat. Orient. 43. Ioan. Alerij Generalat. 5.

Ioann. Papę gesta. 1 Gendum erat etiam hoc anno Papæ Ioanni contra Ecclesiæ hostes; tum hæreticos; tum Italiæ Tyrannos, tum Ludouici Imperatoris sectatores: propterea Carolum Francorum Regem ad Imperium Occidentale promouebat: sed Ludouicus inito fœdere cum Friderico Austriaco, quem iampridem superauerat, & incarceratum detinebat, Papę consilia eludere conabatur. Villanus, Cuspinianus, Mutius, Odoricus.

Heresis de proprio Christi. 2 Recrudescebat hoc tempore hæresis iam damnata de proprio Christi; fauentibus nonnullis pseudo Minoritis, qui etiàm Petri Ioannis heretici fuligine tincti erant. Pontifex propterea Guidoni nostro Maioricensi Episcopo in eos inquiri commisit, litteris datis, quas ex Archiuio Vaticano refert Odoricus hoc anno *num.* 20. Hinc Guido ipse in lib. quem cōtra Hęreses scsibit, tam efficax est in horum erroribus confutandis. Idcirco

etiam

etiam conciliasse credimus odia multorum in Maioricæ Regno, vt iure transferri acceptauerit ad Elnensem Episcopatum, prout sub anno 1330. contigit: licet aliqui huic anno rem ascribant.

3 Ea etiam tempestate Sanctus Andreas Corsinus nobilis cuiusdam filiam Hectica febri laborantem, cibo dato liberat, prout ex Laurentio Surio sic referimus: *Erat ea tempestate vir nobilis, cuius filia, quam vnicam habebat, morbo hecticæ febris languens nulla poterat arte Medicorũ curari. Hæc cum prodigia, quæ per virum Dei in dies fiebant, perciperet, sperabat proculdubio sanitati restitui, si manibus suis vir Dei sibi pabulum ministraret. Quod Pater intelligens à Beato Andrea summis precibus impetrauit vt filiam suam ægram inuisere dignaretur, quæ in se vno spem salutis posuerit. Ille vbi puellæ fidem cognouit, diuina oratione præmissa, eam visens, cibumque ministrans, priscæ saluti restituit.* Hæc Surius, & Bzouius tom. 14. *Annal. sub anno* 1373. S. Andreas Corsinus.

4 Sub hoc anno Hieronymus Melioratus iam olim Prouinciæ Thusciæ Præsul, vel hoc solo titulo venerandus, quod Pater spiritualis in Religione Sancti Andreæ Corsini fuit, dum ipsum ad habitum, & Religionem Dei Parentis Virginis acceptauit, vltimum diem clausit Florentiæ: Petrus Lucius *in Compend. histor. Carmelit. cap.* 14. Qui vitam Sancti Andreæ Corsini scripserunt, huius Hieronymi honorificam faciunt mentionem, specialiter Surius. Socius hic fuit Generalis Gerardi Bononiensis, vt constat ex Archiuio Conuentus Florentini, vbi & sepultus. Hieronymus Melioratus.

5 Vvissemburgense Cœnobium in Germania hoc anno Ordini acquisitum: licet post modum in communi totius Germaniæ calamitate ante transactionem Passauiensem, quando Germani auitam fidem paulatim deserere cœperunt, in manus hæreticorum deuenerit. Hinc pauca, quæ de eo extent monumenta scripta. Bartholomæus Eiselim Prouincialis Germaniæ superioris *in relatione de sua Prouincia ad Reuerendiss. Generalem Theodorum Stratium.* Conuentus Vvissemburgens.

6 In terra Vallium Diœcesis Tarraconensis hoc tempore Ordini nostro Conuentus additus prope muros. Hic non mediocri veneratione totus Ordo, & Religiosi ipsi semper fuerunt. Sacristia pluribus Reliquijs, & inter ipsos Ligni Sanctæ Crucis crustro argento intexto, & spina vna ex Christi corona potitur: ex dono Reginæ Cypri, & postulante Reuerendissimo D. Galceran Cassanach Episcopo Crisopolitano, & Maioricensis coadiutore, ipsius Reginæ à confessionibus, quæ etiam donaria alia pro cultu Dei pretiosa donauit. Sepeliuntur in Ecclesia quamplurimi ex maioribus: inter quos etiam iacet Ioanna de S. Martin Cypri Reginæ Damiscella. Ex relatione Prouinciæ.

7 Per idem etiam tempus, vel circiter, Petrus Thomas Aquitanus, de quo anno 1305. pro bono religionis habitum Deiparæ Carmeli in Cœnobio Condomiensi recepit. Vbi quos virtutum flores postea in totius Ecclesiæ commodum sparsurus erat, ex campo iuuenilis pectusculi, consociorum metas, studiorum, & virtutum amore superans, mire collegit. De B. Petro Thoma.

Philippus Mazzerius Cancellarius Regis Cypri *in vita Beati Petri Thomæ cap. 1*, apud Bollandum 2. *tom. Actor. SS.* Vvadingus in eius vita, & Petrus Thomas Sarracenus *in eiusdem etiam Beati vita.*

Ann. Christi 1326. Ioann. 22. Roman. Pontif. 11. Ludou. Bauar. dict. Imper. 5. Andronici Imperat. Orient. 44. Io. Alerij Generalat. 6.

Factiones

1 Oma hoc tempore factionibus diuisa, quarum aliqua Papæ, alia Ludouico fauebat, Italiæ Tyrannis, & ipsius Ludouici audaciæ contra Papam occasio erant. Nauclerus, Villanus, Martius, & alij.

Eduardo Regis obitus.

2 Circa hoc tempus finem viuendi habuit Eduardus 2. Rex Anglorum, insignis benefactor nostræ Religionis propter fundationem celebris Collegij Oxoniensis, Monasterij Hichinensis, Thoorhemiensis, & Sgrabrugensis; iuxta ea, quæ ex Chronographica Tabula Monasteriorum Angliæ in superioribus diximus. De quo etiam recte Manuscript. Bibliothecæ Vaticanæ de rebus Anglicis, & Bzouius hic *num.* 10. Habuit etiam hic Rex ex nostris pro Confessario Richardum Blitonium Angliæ Prouincialem, & Ioannem Bloxamum sibi charissimum, prout anno 1334. diximus.

Ioan Vvalsighanus

3 Non obuiantibus tamen turbinibus pluribus in eo Regno, tunc tẽporis grassantibus, clarus valde in ea Illustriss. Prouincia erat, tum genere, tũ pietate, prudẽtia, & omni meliori eruditione, Ioannes Vvalsighanus nostri Ordinis insignis Professor; vt propterea Parisiensem post Lauream hoc tẽpore Prouincialis suæ Prouinciæ factus dicatur. Hæc Pitseus *de Illustrib. Angliæ Scriptorib. Ætate* 14. *sub ann.* 1330. Veruntamen cum ex libro Ordinis constet Prouincialem Angliæ, qui Albiensi Capitulo anno sequenti astitit, fuisse Ioannem de Baconstorp, ideo vel memoriæ lapsus incidit Pitseo, vel si Vvalsighamus hoc anno Angliæ Prouincialis nominatus fuit, non nisi per modicum tempus id obiuit. Quod videtur odorasse Pitseus, dum inquit, *quod munus paulo post biennio sanctè, sollicitèque obiuit.* Veriùs dicturus, paulo plus vno anno. Certum est tamen Albiensium Comitijs adfuisse, & ab eo tempore ad Ioannem Pontificem contra calumnias Gulielmi OKam, cum alijs ex nostris ipsius dignitatem propugnaturum Auenionẽ venisse, vt sequenti anno dicimus. Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, Pitseus *vt supra*. Ex quibus, & dictis in præcedentibus, ac dicendis in sequentibus, eliciat lector, qualiter in Ecclesiæ causis tuendis nostri Religiosi ipsius pugiles, & athletæ extiterint.

Papę concessio.

3 Propositum fuit in Consistorio Auinione hoc anno, instante Generali Alerio ad Summum Pontificem Ioannem, quod Ordo noster, cuius

institutio Concilium Generale præcessit,ab antiquo per Sedem Apostolicam approbatus, in diuersis mundi partibus, in Sacra Pagina Magistris, Baccalaureis, Lectoribus, Scholaribus, & quamplurimis Sacerdotibus eruditis, & sufficienter instructis in prædicationis officio florere conspiceretur, ac quod in eisdem partibus fratres sufficientes, & vtiles ad irrigandum Agrum fidelium rore verbi diuini, & excolendum eorumdem fidelium mentes non solum eruditione sermonis,sed Confessionum auditione reperirentur, quodque à nonnullis Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum,illis in præmissis impedimenta præstarentur. Propterea de remedio opportuno Supplicantibus concessit Pontifex, *ob specialem affectum, quem ad Ordinem nostrum gerebat* (vt in Bulla dicitur) Constitutionem *super Cathedram* editam à Bonifacio Octauo,& innouatam à Clemente Quinto in Concilio Viennensi,ad Ordinem nostrum,& Fratres ipsius fore extendendam, sicut & eodem modo, quo ad Prædicatorum, & Minorum Ordines extendebatur, ita vt inconcusse, & integraliter in fratribus nostris prædicta Constitutio teneat, ac valeat, sicut prædictis Prædicatoribus, & Minoribus competit. Habetur Bulla in Mari Magno per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto *pag.3.* & in Speculo Ordinis *fol.69.pag.2.* & apud Bostium *in lib.7.Specul.histor.cap.40.* vbi & additur,causam huius Bullæ concessioni dedisse, quod his diebus *nonnulli Prælati, & Rectores, ac Sacerdotes Parrochialium Ecclesiarum nolebant fratres nostros ad prædicationis officium, & ad confessionum audientiam admittere.* Ipsius meminit Palæonydorus *lib.3.cap.11.* Dicitur autem in Manuscript. Anonymo de Origine Montis Carmeli reperto in Bibliotheca Excellentissimi Ducis Altemps impetratam esse hanc Bullam per Sibertum de BeKc Prouincialem Germaniæ. Forsan ipse nomine Generalis expediri curauit

5 Eodem etiam anno, vel circiter, Petrus Thomas, de quo anno præcedenti, completo sui nouitiatus tyrocinio, in Condomiensi Conuentu inter filios Virginis per professionem ipsius Ordinis numeratus est vnus. Hinc deuotione plenus, charitate feruidus, & doctrina præstantissimus, Dei Parentis Ordini, totique Orbi mirè effulsit, primo ab eiusdem Cœnobij Commilitonibus adolescentibus incipiens, quos per biennium instituebat. Philippus Mazzerius Cancellarius Regis Cypri *in vita Beati Petri Thomæ cap.1.* apud Bollandum *tom.2.de Actis SS.*pro 29.Ianuarij. De B. Petro Thoma.

6 Motus Papa Ioannes deuotione erga Deiparam, quam sibi auxiliatricem experiebatur, & futuram sperabat, decreuit hoc anno Vicario Vrbis scribere, vt ad pulsationem campanæ in quolibet noctis crepusculo iuberet illam Salutatione Angelica venerari, Indulgentiam decem dierum sic facientibus concedens. Bzouius. Odoricus id tribuit anno sequenti, Papæ deuotio in Beatiss. Virginem.

Ann.

Ann Christi 1327. Ioannis 22. Roman. Pontif. 12. Ludou. Bauar. dict. Imp. 6. Andronici Imp. Orient. 45. Ioannis Alerij Generalat. 7.

Ludou gesta 1 Ræsenti anno Ludouicus Imperator nuncupatus, à Gibelinis inuitatus, exercitum in Italiam ducit, & Mediolani corona ferrea decoratur. Nauclerus, Auentinus, Gordonus, Spondanus Mouet etiam versus Romam suum exercitum. Ioannes Villanus, Odoricus. Marsilius Paduanus, ac Ioannes Iandunus à Papa damnantur. Bzouius ex Manuscript. Vaticano.

Capitulum Albiense. 2 Comitia generalia Albiæ in festo Pentecostes Ioannes Alerius hoc anno celebrari fecit. In eis primum confirmatus fuit in Generalem ipse Alerius. Deinde hi, & hoc Ordine, numerantur Prouinciales: Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Thusciæ, Franciæ, Alemaniæ totius, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Appuliæ, Prouinciæ, Scotiæ. Nominantur præterea Prior Parisiensis, Prior Curiæ Romanæ, Procurator Ordinis, Rector Curiæ Romanæ, & Baccalaureus Curiæ Romanæ. Cum autem Prouincialis Thusciæ describatur *Frater Andreas de Florentia*, magna coniectura credi potest Sanctum Andream Corsinum illum fuisse, & hoc ipsius vitæ Scriptores latuisse, nisi obstarent ea, quæ sub anno 1324. diximus. Demum in hoc Capitulo Prouinciæ Germaniæ superioris, & inferioris coniunctæ, & vnitæ fuerunt sub Prouinciali Siberto de BeKa; cum à Burdegalensi Capitulo, & anno 1318. vt ibidem diximus, diuisa permanserint.

Calumniæ in Papam. 3 Cum per id tempus Ludouicus Bauarus contra Ioannem Papam, ad ipsius Pontificiam Maiestatem conuellendam, multa calumniaretur; pluresque ipsi Episcopi, Prælati, diuersorumque Ordinum apostatæ, Schismatici, & Hæretici; inter quos Marsilius Patauinus, Ioannes Landunus, & Gulielmus OKamus Primicerij erant; cumque Ioannes Vvalsinghamus, de quo anno præcedenti diximus, ad Comitia Generalia Albiensia, etsi non vt Prouincialis, aduenerit, illius doctrinæ fama allectus Pontifex, eum ad se Auenionem accersiri iubet, vt contra Ecclesiæ aduersarios eius iura disputans tueretur. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptorib. Ætate 14. sub anno 1330.* Ergo cum Io. Alerio Ordinis supremo Præsule, & Petro de Cassia iampridem Aquitaniæ Prouinciali, & postea Generali Ordinis, Episcopo Vasionensi, & Patriarcha Hierosolylmitano, Ecclesiæ, & Summi Pontificis partes propugnabat. Sic ferè Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ in Ioanne Vvalsighamo*. Idem agebat Bachonius noster libros *de Dominio, & paupertate Christi*, ea tempestate contra hostes Ecclesiæ scribens. In Ecclesiæ ergo pressuris Carmelitas nostros Christi Vicario

assi-

assistere solitos fuisse, ex ijs, & alijs, quæ passim in hoc opere dicimus, pro comperto sit.

Ann. Christi 1328. Ioann. 22. Roman. Pontif. 13. Ludou Bauar. dict. Imp. 7. Andronic. Imperat. Orient. 46. Io. Alerij General. 8.

1 Oc anno magna calamitas Ecclesiæ, Papæ, & Romæ euenit. Romam etenim Ludouicus Bauarus acerrimus Ioannis Papæ hostis veniens Imperiali Corona redimiri se fecit, & Conuentu habito à quibusdam Schismaticis Episcopis, Petrum de Corbario pseudo Minoritam antipapam creari, deposito vero Christi Vicario Ioanne Papa: & contra ipsum, toto Orbe Christiano mirante, calumniæ, opprobria, conuitia, & criminationes sunt obiecta. Historiam narrant fere cuncti Chronologi, specialiter ex modernis Gordonus, Bzouius, Odoricus. Ecclesiæ calamitas.

2 Quoad nostram vero illud singulariter notandum, quod casus iste tam lugubris, & funestus, à nostro Beato Cyrillo Montis Carmeli Eremita, & celebri Propheta, præuisus à centum & triginta circiter annis antea illis verbis c.6. seu Oraculi Angelici fuit. *Stimulus quoque scalpet Luparios, diade rutilante, vt tibi effundant electorum. Ea propter rudes migma comedent in rodere, blaces stultitiæ alludebunt. Tunc Cælibes, & blastones lugere cum Roboam, & blenones mixtos dortonibus ridere cum Ieroboam conspicaberis, donec lachrimæ Roboam irrigent Ieroboam. Siccitas quoque frendens in Principis ara bruta curabit, fans non in Crucis odium, sed in illius tutorum.* Quorum verborum, ex Abbate Ioachimo, qui prædictum Angelicum Oraculum Sancti Cyrilli commentarijs illustrauit, & ex ipso rerum euentu hac tempestate, expositionem dabimus: eo maximè, quod in Codice Vaticanæ Bibliothecæ inter opera manuscripta Abbatis Ioachimi prædictum Oraculum Angelicum cum expositione eiusdem Ioachimi reseruatur. Circa illa verba *Diade rutilante*, habentur hæc in margine, *de bino Romano Pontifice eligendo*; & inferius circa illa, *lachrymæ Roboam*, sic, *pro Domino nostro, & contra Petrum de Corbario*. Quibus sanè manifestè notatur hanc Sancti Cyrilli prophetiam hac tempestate adimpletam. Vnde ea sic clarè exponitur. *Stimulus*, idest suasio Sathanæ, *scalpet*, idest, instigabit, *Luparios*, idest, Episcopos, & Prælatos schismaticos, Ludouico Bauaro adstantes. Qui *Luparij* vocantur, quia (inquit Ioachimus) *Lupos arcentes à gregibus deberent existere*, cum essent Ecclesiarum Pastores. *Diade rutilante*, idest, duplici Pontifice: *Dias* siquidem (inquit Ioachimus) idem est, quod duo, quod diuisionem significat. *Electrum* idem importat, quia est species metalli (ex eodem Ioachimo) ex auro, argentoque confecta. Quæ sequuntur, *rudes migma comedent in rodere* denotat, eodem Ioachimo exponente, simplices B. Cyrilli prophetia.

plices in Ecclesia vtrique Pontifici annuere, & ab vtroque spiritualia receptare, ignorantes qui esset verus Pontifex: *Migma* enim mixtionem designat, & *in rodere*, præsepe Ecclesiæ denotat. *Blaces*, idest, *stolidi*, *molles*, *lasciui*, *iactabundi*, quales erant magna ex parte Petri Corbarij assentatores, *stulticia alludebunt*, hoc est, alludent, & applaudent Corbarij stultissimæ temeritati. *Tunc Cælibes, & blactones*, idest (eodem etiam Ioachimo Interprete) pudici, verique Cubicularij Ecclesiæ, *lugere*, lugebunt cum Roboam; qui erat verus Pontifex, sicut Roboam verus Rex, quando Ieroboam contra ipsum rebellauit. *Blenones*, & *Dortones*, exponit ipse Ioachimus, *luxuriosos, & comestores*, sectatores pseudoPontificis, qui propterea vocatur *Ieroboam*. Vel si dicamus cum Plauto *Blenones* significare *stultos* redit idem sensus. *Donec lachryma Roboam &c* quid sint istæ lachrymę exponit optimè Iochimus *esse preces Orthodoxorum Ecclesiæ*. Quæ dicuntur irrigare Ieroboam, quatenus pseudo Papam ab errorum sorde purgarent: quod accidit in præsenti, nam Corbarius anno 1330. ad cor reuersus misericordiam, & veniam à Papa Ioanne pęnitens deprecatus est. Nisi dicamus, quod in idem recidit, quod sunt illæ preces à Ioanne Papa institutę *in Extrauagant. de celebrat. Missar.* contra persecutores Ecclesiæ, quibus etiam nostra Religio piè, & deuotè vtitur certis diebus in Missis Conuentualibus post eleuationem Hostiæ, & Calicis. Vltima verba: *Siccitas quoque frondens*, manifestè etiam denunciant, quæ Ludouicus Bauarus in Vaticano, & apud Sanctum Petrum hoc anno sedens contra Papam Ioannem *frendens* egit, penitus execrabilia, & de quibus Historici loquuntur. *Fans non in Crucis odium, sed in illius tutorum*, idest, asserens se nihil contra Christum; sed contra ipsius ministros improbos, & sceleratos, qualem perperam Ioannem putabat, agere. Mirum quam rectè arcana hæc prophetia Sancti Cyrilli cum expositione Ioachimi rei euentui correspondeat.

Ioannes Claranus.

3 Celebris erat ijs diebus in Religione Ioannes Claranus, seu Clairànus, quem alij corrupte Clarabum appellant. Fuit hic natione Hispanus, patria Cathalanus, Concionator insignis, Capituli Generalis Montispessulani Præses, & in eo Prouincialis Narbonæ. Post à Ioanne Vigesimo secundo, qui eius nouerat concionandi gratiam, Episcopus Bosnensis in Sardinia factus. Quod isto anno, vel proximè credimus contigisse, cum post Capitulum Generale anno præcedenti Albiæ celebratum, vbi decernitur *illi restitui omnia quæ hactenus perdiderat, secundum quod in suis litteris plenius continetur*, nulla de ipso alias mentio fiat. Imo ex prædicto decreto elici videtur, Ordinem noluisse illi concedere libros, & alia, quæ habebat ad vsum, vt ad suam Ecclesiam ea deferret, sed litteris Apostolicis id obtinuisse. De eo Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittannia Centuria 4. in Appendic. ad Robertum Baston*. Posseuinus *in Apparatu*, Valerius Taxandrus *in Cathalog. Scriptorum Brittanniæ*, Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli*.

B. Petrus Thom.

4 Eodem etiam tempore, maxima capacitate iuuenis Petri Thomæ

à Su-

à Superioribus nota, illum ex Condomiensi Cœnobio Aginum transtulere, vbi Philosophiæ operam nauans, ingenti omnium laude, & plausu, qualis in maturiori ætate fructus vberes in Ecclesia laturus esset, iuuenis flores dabat. Triennium ibi versatus ad Sacerdotij meruit promoueri gradum. Philippus Mazzerius *in vita Beati Petri Thomæ*.

Ann. Christi 1329. Ioann. 22. Roman Pontif. 14. Ludou Bauar. dict. Imper. 8. Andronici Imperat. Orient 47. Io. Alerij Generalat 9.

1 MAgna rerum mutatio hoc anno contigit in Ecclesia. Etsi enim in principio cum Bauarus, & eius Idolum Petrus de Corbario, Nicolaus Papa nominatus, in sua pertinacia persistentes plura mala Orbi intentarent; at postea, Dei agente prouidentia, accidit, vt pluribus à Bauaro deficientibus, & nouis motibus in Germania contra ipsum excitatis, ad eam redire coactus est. Corbarius etiam Antipapa à Pisanis in carcerem conijcitur. Franciscani quoque Patres memores sui Sanctissimi Patriarchæ Francisci, & Religionis ab ipso institutæ pristinæ sanctitatis, Michaelem de Cæsena, Bonam gratiam de Bergamo, Ochamum, Franciscum de Esculo, & AntiPapam Corbarium pseudo Minoritas damnarunt, & reprobarunt, & pro talibus habendis præceperunt in Capitulo quodam Generali Auinione celebrato, tantæ Seraphicæ Religionis honorem restituentes. Nauclerus, Auentinus, Cuspinianus, Bzouius. Casus huius anni.

2 Hoc quoq; anno 1329. referente Pitseo *de Illust. Angliæ Scriptorib. Ætate 14. sub anno 1346.* magnus ille, si non maximus, Carmeli Theologus, Ioannes Bacho, Angliæ Prouincialis, Londini, in publico suorum Conuentu communibus omnium suffragijs electus est, post cursus Oxonij, & Parisijs, ac in vtroque Iure, & Theologia gradum susceptum. Verumtamen, etsi hoc anno Prouincialem factum, vt Pitseus vult, facile admittendum, cum in Capitulo Generali Valenzenensi, sequenti anno, pro vt patet ex libro Ordinis, Ioann. 8 de Baccone Angliæ Prouincialis nominetur: cœterum, cum etiam in præcedenti Capitulo Gen. Albiæ 1327. Prouincialis Angliæ dicatur Ioannes de Baconstorp, quo duplici cognomine Ioannes noster (ipso Pitseo) potiebatur, necessario videtur dicendum fuisse Angliæ Prouincialem iampridem ante hunc annum: siue talis vocetur, quia ob aliquam causam alterius vices subiret; siue quia talis fuerit à Capitulo denunciatus, & postea hoc anno à suis Fratribus electus. In de Bachone.

3 Quicquid horum fuerit, placet hic quæ de huius clarissimi Doctoris studijs primoribus dixit Pitseus *vt supra* relatus, fideliter intexere, vt postmodum ipsorum vberes fructus suis temporibus congrue referamus. De eodem.

Ioannes (inquit) *Bacondorpius, Bacconem, vel de Baccone cognominant aliqui, ex Bacondorpio, vili in Norfolcensi Regione pago natus, & non longe à natali-*

tio loco in ipsa adolescentia Carmelitanus Monachus in Cœnobio Nigrensi, vulgo Blachney, *quinque circiter passuum milibus à Vvalsighamo, vti scribit Lelandus, intra priuatos parietes, sub optimus Ordinis sui Magistris literas humaniores, disciplinam Monasticam, omnemque pietatem, atque virtutem humiliter didicit. Tandem ingenij specimen tantum dedit, vt ijs, quorum regimini subijciebatur, expedire visum sit eum Oxonium ad altiora studia capescenda mittere. Illic igitur philosophicum cursum terminauit, Theologicum inchoauit. Sed inde missus Lutetiam perrexit, vt quæ in patria fœliciter inceperat, apud exteros felicius perficeret, & finiret. In omnibus nullius bonam de se opinionem conceptam fefellit, immo omnem plane omnium spem longe superauit. Ibi vtriusque Iuris, & Theologiæ Doctor creatus est, admirantibus omnibus stupendum hominis ingenium, multiplicem doctrinam, & solidum iudicium. Omnes Auerrois sententias mordicus tenuit, & illius scholæ suo tempore quasi Princeps haberi voluit. Cognomentum etiam accepit Doctoris resoluti. Collecto igitur vndique instar apis sedulæ dulcissimo scientiarum melle, in patriam reuersus est, & non multo post tempore anno Domini 1329. Londini in publico suorum Conuentu communibus omnium suffragijs in Prouincialem totius per Angliam Ordinis ordine duodecimo electus est.* Hæc de Bacconis nostri studiorum crepundijs ille, maiora nos ex ipso etiam Pitseo in sequentibus dicturi de incrementis.

S. Andreas Corsinus.

4 Per idem tẽpus, vel circiter, S. Andreas Corsinus, cursu sui Prouincialatus si illũ gessit consumato, Lutetiam Parisiorum, quæ illa tempestate totius Europæ præstantissimum Emporium erat, de consensu Pisani Capituli, quod eo tempore celebrabatur, à Thusciæ Prouincia, se contulit perfectius in litteris imbuendus; vt vel sic Ecclesiæ toti, & Ordini suo, sãctitate, & doctrina copiosius effulgeret. Laurentius Surius *in vita Sancti Andreę Corsini*. Credimus hoc anno, vel circiter id accidisse, qui erat 28. ætatis Andreæ, ne cogamur asserere in prouectiori ætate studiorum exercitia arripuisse. Eo præsertim, quod in Capitulo Generali anno sequenti Valencenis habito; non iam Andreas de Florentia, sed quidam Andreas de Platea Prouincialis Thusciæ nominetur, quo innuitur Sanctum Andream suum peregisse Prouincialatum, & propterea nacta occasione Lutetiam missum. Hęc sub dubio dicimus, propter ea, quæ scripta reliquimus anno 1324.

Ann

Ann. Christi 1330. Ioannis 22. Roman. Pontif. 15 Ludou. Bauar. dict. Imp. 9. Andronici Imp. Orient. 48. Petri de Cæsis Generalat. 1.

1 Hic annus est, quo Antipapa Nicolaus, alias Petrus de Corbario suum scelus agnoscens, pendente è collo laqueo, Papæ se subiecit, hæresim abiurauit, & ab eo clementer susceptus, à censuris absoluitur, custodiæ tamen honestę traditus, post aliquos annos, morbo, & senio confectus obijt. Platina, Honuphrius, Villanus, & latè Bzouius, & Odoricus. Fœlix etiam hic annus fuit ob insignem victoriam in Catholica Hispania contra Mauros obtenta: in qua Granatenses ad 15. millia ab Alphonso Rege cæsi sunt. Theba munitissimum Oppidum, Castris cinctum, deditioni compulsum. Cagnetum, Priegumque, & aliæ arces Alphonso portas aperuerunt. Ioannes Villanus, Mariana, Odoricus, & alij. *Huius anni gesta.*

2 De nostra Carmelitica Historia nonnulla etiam hic annus profert. Primo enim, quamuis, iuxta dicta in superiorib. Minoritanæ familiæ alumni, qui à sua Seraphica Religione declinantes contra Papam dictis, & factis se opposuerant, ab ipsamet Seraphica familia repressi, imo & damnati fuerint, plures etiam illorum ad bonam frugem redacti essent; restabant tamen aliqui schismatici Papæ hostibus adhærentes: idcirco vt contra ipsos Carmelitæ nostri arma lucis induerent ab eodem Pontifice animati, & inflammati sunt, sicut etiam alij ex fratribus Prædicatoribus. Res constat ex litteris Archiuij Vaticani, quas refert Odoricus sub hoc anno num. 43. *Quoad nostra.*

3 Deinde, quantum ex litteris eiusdem etiam Vaticani, quas affert idem Odoricus *sub anno 1331. num. 7. in fin.* sub hoc anno Guido noster *Carmelita* vulgo appellatus ex Episcopatu Maioricensi ad Elnen. in Cathalonia trāslatus est. Est Elna Ciuitas Perpiniano proxima, vbi Guido natus erat, vt propterea merito Pontifex ad eam Eccl. ipsum transtulerit, ac ipse transferri curauerit. Translationi porrò causam dedit id quod in superioribus diximus de concertatione, quam cum Maioricarū Rege habuit pro defensione iurium Ecclesiæ. Sunt qui astruant hoc anno ad cælestem patriam migrasse: cęterum, quia, vt cōstat ex Vatic litteris ab eodem Odorico supra adductis, sequenti anno contra Bernardum Fusceriū pseudoMinoritam, & anno 1332. contra alios hęreticos ex commissione Papæ, laborabat, vt eis annis dicemus, ideo pro certo esse debet sub hoc anno non obijsse. *De Guidone Carmelita.*

De Petro de Casis decimo quarto Generali Latino.

Capitulum generale. 4 HOc tamen anno 1330. noua Synodus in Ordine nostro à Generali Alerio indicta Valencenis celebratur solito more, in die Sacro Pentecostes. In ea primum ipse Ioannes Alerius Officium resignauit; deinde in Generalem electus Petrus de Cæsis Lemouicensis, Prouinciæ Aquitaniæ, & eiusdem Prouinciæ Prouincialis in Capitulo Barcinonensi anno 1327. Vir sanctitate, & doctrina insignis, ac 14. inter Latinos. Declaratur in hoc Capitulo Procurator Ordinis Frater Rodulphus, postea ann. 1342. Archiepiscopus Casalensis in Hybernia, vt eo anno dicemus. Nominantur Prouinciales hoc Ordine, Terræ S. 1. Siciliæ, 2. Angliæ, 3. Narbonæ, 4. Thusciæ, 5. Franciæ, 6. Alemaniæ, 7. Lombardiæ, 8. Aquitaniæ, 9. Aragoniæ, 10. Hyberniæ, 11. Appuliæ, 12. Prouinciæ, 13. Scotiæ, 14. Nominantur præterea Prior Parisiensis, & Prior Curiæ Romanæ. Insigniores Patres huius Capituli sunt, Ioannes Alerius ex Generalis; Petrus de Cæsis in Generalem electus, Ioannes de Baccone Angliæ Prouincialis, & Sibertus de BeKa Prouincialis Alemaniæ. Computis à Ioanne Alerio acceptis declaratum est, quicquid receperat expendisse tam pro necessitatibus Ordinis, quam pro suo viatico. Hæc constant ex Libro Ordinis *fol. 2. pagina secunda*. Qualis porrò, ac quantæ virtutis, & sanctitatis Petrus hic Cæsius in Generalem hoc Capitulo electus, fuerit, quæ dicemus in sequentibus, maximè sub anno 1347. demonstrabunt.

Alerius ex Generalis. 5 Capitulo finito, Alerius ex Generalis ad suum Conuentum, Tholosæ scilicet, secessit, expensis Ordinis, qui pro hoc viatico aliquam illi dimisit pecuniæ summam. Ibi vltimum diem clausit in Domino, ac pace bona post duodecim annos, scilicet anno 1342. vt constat ex Necrologio Florentiæ, vbi grauiorum Patrum Ordinis obitus recensentur. Idem sequitur Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmel.* & nos dicemus eo anno.

Conuentus Vicinouēsis 6 Pia, & deuota nostri Conuentus Vicinouensis sub Serenissimi Sabaudiæ Ducis dominio constituti fundatio huic anno ascribenda. Quam ex relatione ad nos missa sic habemus nostra memoria dignam. Anno 1330. Antonius Cambianus, quodam die arabat in campo paululum dissito extra muros Vicinoui, Oppidi pertinentis ad Illustrissimos Dominos de Rouera in Pedemonte. Immobiliter verò restantibus bobus, etiam omni vi frustra adhibita, agricola stupens, propiusque accedens, videt è terra exurgere statuam paruam, sed pulchram Beatissimæ Virginis Mariæ puerum Iesum in brachio dextro tenentis, ac genuflexus humiliter veneratus, eandemque statuam cum deuotione leuando portaturus Vicium nouū, obuiam habet generosum, ac Illustrissimū Equitem Richardum de Rouera Patronum, ac Dominū Vicinoui: cui tradidit hanc statuam Sanctissimæ V. Mariæ, clarissimè narrando, qua ratione eam inuenisset

nisset inter arandum in suo campo. Ipse autem dominus Eques Rectori Parochiæ Sancti Bartholomæi in Viconouo assignauit, qui eam honorifice in quodã tabernaculo Ecclesiæ Sancti Bartholomęi collocauit. Sed altero mane non fuit inuẽta in dicto tabernaculo, sed ab eodem agricultore in supradicto suo campo vti prima vice: iterumque Vicumnouum portata, in eodemque tabernaculo collocata, denuò sequenti die non est inuenta in tabernaculo, sed in Campo supradicto, non quidem in terra, vti primis duabus vicibus, sed in aere altius eleuata. Agricultore hæc noua in viconouo publicante, subito instituta fuit solemnis processio totius Cleri, ac populi ad dictum cãpum, ac viso hoc miraculo omnibus quasi stupefactis, & præ deuotione lachrymantibus, post debitã venerationẽ, Rector supradictæ Ecclesię obtulit Beatæ Virginis Mariæ tabernaculum, in quod se dicta statua Beatæ Virginis Mariæ ex aere paulatim dimisit, ac tabernaculum in altari ibidem præparando solemniter repositum fuit. Supradictus quoque Dominus de Rouera statim ordinauit ibidem in dicto campo Ecclesiam ædificare, talisque ordinatio cum omni promptitudine effectui mandata fuit. Ad quam Ecclesiam administrandam sunt vocati Reuerendi Patres Carmelitani: primò tamen administrata fuit à Rectore Vicinoui vti membrum suæ Parochiæ supradictę. Anno tamen 1498. decima quinta Februarij ad instantiam Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Cardinalis Dominici de Rouera, ab Alexandro Sexto Summo Põtifice, anno sexto sui Pontificatus, dicta Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ fuit separata ab Ecclesia Parochiali, ac Reuerendis Patribus Carmelitanis assignata, atque inuestitus fuit pro dicta Ecclesia Beatæ Virginis Mariæ Admodum Reuerendus Pater Marcus de Reclusi Prouincialis Lombardiæ, qui Rectorem Ecclesię posuit Patrem Lectorem Antoniotum Mombellũ de Montecalario, qui postmodum cum authoritate Summi Pontificis Iulij Secundi, anno 1508. à Reuerendissimo Domino Ioanne Ludouico de Rouera Archiepiscopo Taurinensi creatus Prior dicti loci, ac repositi fratres Carmelitani. Qui hucusque ibidem inter varias fortunæ sortes Deiparæ auxilio permanent, ac pulchrum satis Conuentum habent: prædicta verò Statua Beatæ Virginis Mariæ ibidem quotidianis miraculis clara, cum continua populi deuotione asseruatur. Hæc ex dicta relatione.

8 Conuentus Schoonhouiensis in Belgij partibus circa hunc annum à Ioanne Comite Hannoniæ fundatus dicitur in relatione Prouinciæ Belgicæ, ex Myræi. Alia de hoc Cœnobio nobis ignota. Testimonium porro istud Mariæ reperimus *in libro de notitia Ecclesiarum Belgij cap. 219.* titulo *notatio de Comitibus Hannoniæ, & Hollandiæ.* Schoonhouiensis.

9 Stanfordiæ in Lincolnia Anglię Regni Prouincia fundatus dicitur nostri Ordinis Conuentus sub hoc anno, Rege Eduardo tertio fundatore. Sic enim habemus ex Tabula illa sæpius repetita Monasteriorum Angliæ, vbi etiam scribitur Beatissimæ Virginis Mariæ titulo cognominatum fuisse. Stanfordiensis.

Circa

Osbertus PicKenghamus.

10 Circa idem tempus Osbertus PicKenghamus eiusdem Angliæ Regni alumnus Ordinem nostrum, & patriam probitate vitæ, doctrina, & fama illustrabat. De quo Ioannis Pitsei *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 14. hoc proferimus testimonium sub anno 1330. *Osbertus Peickemghamus Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli, Monachus Anglus, in Linensi Norfolcensium Cænobio. Successu temporis Sacræ Theologiæ Doctor, Professor Parisiensis, & tandem in Conuentu Londoniensi factus Prior, suos vsque ad extremum vitæ suæ diem, ibi sanctissimè rexit. Fuit Vir pietate, & eruditione non incelebris, Philosophus subtilissimus, Theologus solidissimus, in Sacris Scripturis bene versatus, disputator acutus, concionator vehemens. Ordinem, & patriam, varia, multiplicique doctrina mirè illustrauit, eiusque fama non Angliam solam, sed & Galliam, vbi diù vixit, studuit, docuit, peruasit. Itaut inter doctissimos sui sæculi viros non immeritò computaretur. Cuius rei testes habemus Trithemium*. Burellum, Bostium, *Lelandum, & alios. Sed luculentissimum omnium testimonium perhibent eius lucubrationes, omni eruditionis genere refertæ. Scripsit Postillas, seu Commentarios Sacrorum Bibliorum, librum vnum, Sermonem variorum, vnum. De Conceptione Beatæ Mariæ semper Virginis, librum vnum. De clara Dei visione, librum vnum. Super Magistrum Sententiarum, libros quatuor. Item Quæstiones Sententiarum libros tres. Determinationes Theologiæ librum vnum. Replicationum suarum, librum vnum. Quodlibetorum, libros duos. Placita Theologica, librum vnum. In Londinensi suo Monasterio mortuus, & sepultus, Inscriptum habuit tumulo Gallicum Epitaphium circa annum redempti generis humani 1330. regnante in Anglia Eduardo tertio.* De quo etiam Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, Lucius *in Bibliotheca Carmelitarum*, Bergomensis, Einsengrineus, & Biscarretus *in suis Palmitibus Vineæ Carmeli*.

Gilbertus Vrgalius.

11 Florebat etiam in Ordine sub eodem anno Gilbertus Vrgalius Sacræ Theologiæ Professor insignis, qui scripsit librum de rebus Theologicis, & alterum inscriptum, *Summa quarumdam legum*. Posseuinus *in Apparatu littera G, in Appendice*, Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli*.

Ann. Christi 1331. Ioann. 22. Roman. Pontif. *16*. Ludou Bauar. dict. Imp. *10* Andronic. Imperat. Orient. *49* Petri de Cęsis General. *2*.

Gesta hoc anno.

1 HOc etiam anno 1331. pseudo Minoritæ illi, de quibus in superioribus, cum in sua pertinacia manerent, ab alijs Sancti Francisci verè filijs, qui semper fuerunt innumeri in Orbe, iterum damnabantur. Bzouius, & Odoricus ex alijs. Occasio istis schismaticis fuit, quod Summus Pontifex auditus est asserere animas defunctorum, etiam

etiam perfectè purgatas non perfrui visione, & fruitione Dei ante diem Iudicij. Cœterum Papam locutum fuisse disputatiuè, & non assertiuè, &, si assertiuè, non vt Papam, sed vt Doctorem particularem præfati authores rectè ex alijs tuentur. Imo quod dixit retractasse diximus ex Bachonio nostro, qui hoc tempore viuebat, & alijs 2. *Tom. Theolog. Tract. 1. disput. 3. quæst. 8.*

2 Ad reprimendum audaciam cuiusdam Bernardi Fuscheri pseudo Minoritæ, qui videbatur sectæ Clarenorum, & quibusdam ipsius asseclis adhærere, adhibitus est noster Guido, Elnensis tunc Episcopus, qui ipsum comprehendit, & triginta duos eius errores digessit. Sic fermè Odoricus *sub hoc anno num. 7. in fine ex litteris Archiuij Vaticani.* Gesta Guidonis.

3 Hoc etiam tempore, cum per Generalem Pontifici propositum fuisset, plerumque contigisse, quod locorum Ordinarij, seu Diœcesani, Cœmeteria nostra benedicere, seu consecrare indebite contradicerent, & propterea de remedio supplicarent, Pontifex annuit, quod in quibuscunque locis nostris, si locorum Ordinarij à nobis requisiti Cœmeteria benedicere, seu consecrare nollent, possemus illa per aliquem Antistitem, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, quoties opus fuerit, facere benedici, & consecrari. Et, quod idem Antistes sic designatus, auctoritate Apostolica dicta Cœmeteria benedicere, & consecrare valeret. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol. 70. pag. 2.* & de ea mentionem facit Palæonydorus *lib. 3. cap. 11.* Habetur quoque in Mari Magno per Ioannem Mariam Collecto *pag. 15.* Papæ concessio.

4 Hac tempestate, clarus, & insignis in Ordine erat Sibertus de BecK, qui in Capitulo Generali Burdegalensi anno 1318. & in Barcinonensi anno 1324. Prouincialis Alemaniæ inferioris nominatur, & in Albiensi anno 1327. & Valencenensi anno 1330. totius Alemaniæ inferioris, & superioris. Cum autem in sequentibus Capitulis nulla vlterius de ipso mentio habeatur, credimus, hoc anno, vel circiter, diem vltimum clausisse. Fuit hic Pater natione Teuthonicus, patria Geldriensis, in Sacris litteris valde eruditus, & tam in iure Canonico, quam in Philosophia Aristotelica egregie doctus, nec minus conuersatione, quam scientia clarus. Priuilegium de extensione ad Ordinem nostrum Constitutionis *super Cathedram* à Bonifacio Octauo editæ, de qua anno 1326. diximus à Summo Pontifice Ioanne, ipso procurante impetratum est. Scripsit super Sententias *libros quatuor*. Summam censurarum noui Iuris *librum vnum*, Super Regulam Ordinis nostri librum alterum, qui extat in Speculo Ordinis *fol. 31.* Correxit etiam Ordinale Dominici Sepulchri, quod per totum Ordinem obseruari ordinatum est, teste Palæonydoro *lib. 3. cap. 10.* licet ibi mendosè pro *Siberto* Libertum vocet. De eo agunt plures, specialiter Euerardus RouelincK *in Fasciculo temporum circa ann. 1334.* Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemento Chronic. ad annum 1320.* Iacobus de Plebe *in Indice Scriptor. Carmelit.* Petrus Sibertus de BecK.

trias Lucius *in Bibliotheca*, Einsengrineus eum *Sanctum* appellans, Marcus Guazzus, Possevinus, & alij.

Garzias Hispanus.

5 Inter claros etiam Viros Religionis nostræ ea tempestate iure numeratur frater Garzias natione Hispanus, & Aragoniæ Provincialis, in Capitulis Generalibus Barcinonensi, Albiensi, & novissimo Valencenensi; qui nihilominus in prędicto Capitulo Generali Albiensi instituitur Lector Sententiarum Parisijs pro 5. anno. Cum autem post hæc nulla de ipso in libro Ordinis mentio reperiatur, putamus hoc tempore è vita migrasse.

Conventus Rupifucaldiensis.

6 Rupifucaldij Cœnobium in Provincia Aquitaniæ celebre, & in Diœcesi Engolismensi situm circa hunc annum fundatum dicitur ab eiusdem Vrbis Domino *de la Rochefol* nominato, qui à Ioanne Vigesimo secundo Pontifice Maximo speciali Diplomate duodecim Fratres ibi collocavit: Et, vt videtur, sub anno 1343. in eo tumulatus fuit. De anno etiã 1540. Petrus de Terxomieres eiusdem Provinciæ Aquitaniæ Provincialis, qui ibidem in pace quievit, illud, magno studio, pluribusque bonis amplificavit. Ab anno cœterum 1560. ab hæreticis, qui in hac Engolismensi Diœcesi plures sunt, ac frequentiores, eversa, & ablata fuerunt, Ecclesia funditus in præceps data, & fratribus expulsis, ibi Gymnasium pro Calvinistis paratum, quod vsque ad annum 1600. perseveravit. Quo tempore, solicitãte N. Nozieres eius Provinciæ Provinciali, Conventus iste est recuperatus, hæreticis expulsis, & amplificatus Christi fidelium devotione, & quod magis, Virginis Sanctissimæ, quæ in ea Ecclesia pijssime celebratur, Capella, Confraternitate, & Clem. 8. Indulgentia plenaria, protectione. Claruerunt in hoc Conventu Ioannes Fouguerius egregius Doctor Parisiensis, Petrus Merlè eiusdem facultatis Doctor, Stephanus Regius etiam Parisiensis Doctor, & ex nobilissima familia de Ruffet ortus, Taisonieres Doctor quoque Sorbonicus, Ioannes Aulcourt Procurator Generalis Ordinis sub Generali Christophoro Martignoni, & alij. Hæc ex relationibus eius Provinciæ habere potuimus.

Mortui Maris.

6 Conventus quoque Mortui Mari, in eadem Aquitaniæ Provincia hoc etiam tempore, & circa eum annum 1331. initium sumpsisse refertur per Petrum Cardinalem dictum de Mortuo Mari, qui perennem in loco suę nativitatis statuere orationem cogitans quatuor in vnius Ecclesiæ ambitu Regulares Domus Carthusianorum, Carmelitarum, Augustinianorum, & Sacerdotum Regularium designavit, quarum fratres per turnum iuge in Ecclesia media orare peroptabat: at morte præventus vnam earum, Sacerdotum Regularium scilicet, nec dotare, minusve ædifica re valuit, in quaque vero cœterarum sufficientes pro vigintiquinque fratribus assignavit reditus; Carthusianis nempe proprio sub nomine, Augustinianis tanquam duodecim scholarium pauperum Collegij Administratoribus: Carmelitis vero pro vnius Hospitalis perpetuis administratoribus. Extat huius Cardinalis testamentum, in quo de ista fundatione, & alijs eam cõcernentibus in hoc Monasterio, & referuntur in Bulla Clem. 6.

cuius

cuius mentionem habet relatio huius Prouinciæ. In alia quoque habetur, qualiter, etsi hæc huius Conuentus fundatio percelebris sit, ex ea tamen aliqui ex nostris occasionem habuerint recalcitrandi contra Ordinis obedientiam: etsi postea Dei gratia, & Christianiss. Regis fauore res consopita, de quo forsam sequenti tomo.

Ann Christi 1332. Ioannis 22. Roman. Pontif. 17 Ludou Bauar. dict. Imp. 11. Andronici iun. Imp Orient. 1. Petri de Cæsis Generalat. 3.

1 INfestabant hoc tempore Mauri Granatenses Hispaniam; Turcæ Græciam; Armœniam Ægyptij, & Babylonij, & pseudo Minoritæ Germaniam. Mariana, Odoricus, & alij. Mortuo etiam Constantinopoli Andronico seniori Imperatore, regnat Andronicus iunior. Gregorius, Gordonus, Bzouius, Spondanus. Gesta hoc tempore.

2 Lætificabat tamen eo tempore Ecclesiam suis pijs operibus Guido noster in superioribus relatus, & Elnensis Episcopus. Cum enim Summus Pontifex accepisset, in Iacobi Regis Balearium Terris aliquos hæretica labe inquinatos delitescere, & alios, qui iudiciũ declinabant, eo se contulisse; eidem Guidoni Prouinciam hanc imposuit, vt contra ipsos procederet. Is ergo Regem ad zelum Regium pro fidei puritate vindicanda excitauit; & cum ipsius adiutorio (quod libenter impendit) Pontificiam intentionem, & hæresum profligationem facere potuit. Regi ergo grates Pōtifex reddidit, &, vt credimus, ipsi etiam Guidoni. Habet ferme hæc omnia Lector ex litteris Archiuij Vaticani apud Odoricum sub hoc anno num. 28. vbi in margine habet hoc Guidonis Encomium, *Guido Carmelita Episcopus Elnensis censor fidei acerrimus*. Guidonis gesta.

3 Per idem tempus Petrus Thomas, de quo anno 1328. diximus, Aginnum missum, per triennium ibi cum 27. annum, vel circiter attigisset, ad Sacrum Sacerdotij gradum, etiam renuens promotus fuit. Quippe qui se tantæ, tamq; sublimis dignitatis prorsus iudicaret indignum. Etsi tamen illud vsque tempus inuiolata castitate, ac prudentia floreret; tum maxime pietatis studio erga Beatam Virginem Ordinis Tutricem, inflammatus enixius agonem suum contra carnem, & carnis vitia Virgini precibus commendabat. Proposuitque nullum prætermittere obsequium, quod in tantæ benefactricis cederet honorem. Scripto peculiari libello eius ab originali peccato indemnitatem constanter asseruit, & reliqua Virginis priuilegia doctis celebrauit encomijs. In laboribus, in angustijs ad Sacram hanc Aram conuolabat, insidijsque inimici hac arte occurrebat, vt singulis ictibus clypeum opponeret nominis Mariæ, cuius præsens sēper sentiebat auxilium. Ante Missæ Sacrificium longa meditatione, & De B. Petro Thoma.

profusis lachrymis propriam vilitatem, celsitudinemque filij Dei, qui in Missa immolatur, pie præsentabat. Tantæ præterea in eamdem Deiparentem Mariam pietatis, & deuotionis fuit, vt in singulis precibus aliquid laudum ipsius semper intexeret; nec mensæ accumberet, quin prius ad honorem illius aliquid peregisset, vt propterea sicut Ignatio Martyri *Iesu* nomen, sic Petro *Maria* in corde quasi inscriptum videretur. Eius propterea aspectu, & colloquio sæpius creditur dignè potitus. Vnde in quadam occasione eandem Beatissimam Virginem visibiliter videre meruit, ipsum per Cappam accipientem, per dormitorium ducentem, sibique dicentem: *Fili mi, ne dubites de paupertate, quia te non deseram, fortiter studeas, & seruias Filio meo, & mihi*. Hæc, & alia ex Mazzerio in eius vita *cap. 1.* ac Vvadingo etiam in eius vita *num. 6.*

De S. Andr. Corsino. 4 Per idem etiam tempus, forsan occasione Capituli Generalis anno sequenti Nemausi celebrandi, Sanctus Andreas Corsinus è Lutetia Parisiorum, quo maioris eruditionis acquirendæ gratia, perrexerat, Auinioné versus rediens, Petrum Corsinum, quem postea Vrbanus Quintus inter Cardinales accersiuit, patruum visitans, ibidem per aliquod tempus detinebatur. Quo tempore cœcum quemdam, qui ad portam Templi sedens à prætereuntibus eleemosynam petebat, inuenit, ac lumen præstitit stipem postulanti. Laurentius Surius *in Vita Sancti Andreæ Corsini*, & apud Bzouium *tom. 14. Annal. sub anno 1373.*

Platię Cœnobium. 5 Erigitur sub hoc anno Platię in Sicilia, & Diœcesi Catanensi Ordinis nostri Cœnobium sub inuocatione Sancti Alberti, ob miraculum, quo eiusdem sanctitas ostensa fuit aduersus quosdam, qui ipsius imaginem depictam delere conabantur: tunc enim quidam hydropicus diu in lecto iacens disiuinitus sanitatem adeptus est, & in foro publico ipsius causam tutatus. Sic ex Ægidio *in Viridar. Carmelit. par. 3. cap. 7.* Pyrrhus *in notitijs Eccles. Catanens.* Addens, in hoc Conuentu haberi Reliquiam de Spina Christi allata à Mag. Ioanne Bertunio.

Conuentreñ. 6 Eodem sub anno aliud in Anglia Ordinis Monasterium, Conuentreæ videlicet, fundatore Domino Ioanne Pulstuei milite, iuxta Speculũ Ordinis *fol. 60 pag. 1.* Iuxta tabulam tamen sæpius à nobis nominatam de Angliæ Monasterijs, hoc Cœnobium non ponitur extructum, nisi sub anno 1342. cui magis credimus, quia in Speculo Ordinis plures sæpius quo ad numerum annorum errores reperimus. Notatur autem in eadem Tabula Cœnobium hoc habuisse quingenta scuta Italica in redditibus. Attitulatumque esse sub nomine Beatissimæ Virginis Mariæ.

Ann.

Ann. Christi 1333. Ioann. 22. Roman. Pontif. 18. Ludou. Bauar. dict. Imp. 12. Andronic. iun. Imperat. Orient. 2. Petri de Cęsis General. 4.

1 HOc etiam anno Mauri Granatensis Hispaniæ valde infensi erāt; à Marrochitanis enim Africanis adiuti Heracleam, & Egabrū cœperunt: vt propterea Alphonsus Rex contristatus turpem, sed necessariam pacem cum illis inierit. Mahomades autem Rex Granatę damni in Christianos illati pœnas soluit à suis trucidatus. Mariana, Zurita, & alij Hispani Historici. Maurorum gesta.

2 Ob opinionem illam, quæ Ioannis Papæ nomine ab aliquibus tenebatur; de Dei visione videlicet, & fruitione, non nisi post diem Iudicij animabus Sanctorum futura, turbines in Gallijs erant. Cum enim Ordinis Fratrum Minorum Generalis Lutetiam veniens eam publicaret à nostris Carmelitanis simul cum Prædicatoribus, & Augustinianis acriter impugnabatur. Rex propterea Philippus palynodiam recantare Generalem coegit. Papa verò ad Regem litteras scripsit conquæstus rem sibi à maleuolis affictam, quia ipse nihil ea in re statuerat, sed tantum Patrum testimonia veritatis indagandæ causæ collegerat. Villanus, Bzouius, & Odoricus *ex litteris Archiuij Vaticani*. De opinione euulgata.

3 Erant his diebus ex nostris Fratribus Parisijs ante Capitulum Generale hoc eodem anno celebratum, de quo postea, Prior frater Mathias; & post Capitulum fr. Henriquez de Aquila, qui cum Regente, & Baccalaureis fidei dogma prædictæ opinioni contrarium defensare potuerunt; prout fecit noster Doctor Bachonius *in libro de Beatorum visione*, quem refert Pitseus. Defensores contrariæ opinionis.

4 Hoc quoque anno in Conuentu Nemausensi, Prouinciæ Narbonæ, Capitulum Generale celebratur in die Pentecostes, authoritate Petri de Cæsis Generalis. Ibi cum Patre Ordinis sexdecim Prouinciales harum Prouinciarum congregati sunt; videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Appuliæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ. Vnde, cū in præcedenti Generali Capitulo tantum quatuordecim Prouinciæ numerentur, illis duas alias, videlicet *Roma*, & *Bononia* adiunctas esse in hoc Capitulo manifestè colligitur: quod factum fuit, vt suspicari licet, diuidendo in duas Prouinciam Tusciæ, ita vt illarum vna *Roma* vocaretur, quæ locum quintum in Prouinciarum ordine teneret, quem pridem Thuscia obtinebat, alia antiquo nomine reseruato diceretur *Thuscia*, quæ quindecimū locum in ordine Prouinciarum haberet: & Prouinciam Lombardiæ in alias duas, quarum vna loco, & nomine antiquo *Lombardia* vocaretur, Capitulum Generale.

alia *Bononiæ*, quæ decimum sextum, & vltimum inter Prouincias Ordinis locum obtineret. Nominantur etiam Priores Parisiensis, & Curiæ Romanæ, ac de Procuratore Ordinis commissum est Generali. Ita habetur in libro Ordinis *fol. 3. pag. 1.*

De Ioanne Bachone.

5 Astitit huic Capitulo Angliæ Prouincialatus munus gerens Doctor celeberrimus Ioannes Bacho. Cum autem, iuxta Pitseum *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14. sub anno 1346.* hic grauissimus Doctor, post quartum annum sui Prouincialatus Romam vocatus venerit super grauissimis de Matrimonio dubijs, credimus hoc anno antequam ad patriam regrederetur, id accidisse. *Tum* (inquit) *cœpit fama hominis apud Italos, vti prius apud Gallos, magis magisque in dies clarescere.* Sequitur de eodem Bachone idem Pitseus. *Erat quidem, vt alter Zacheus, statura pusillus, sed ingenio magnus, vt mirum sit in tam exili corpusculo tantas habitasse virtutes, & naturam in tantillo homuncione, tam sublime collocasse ingenium.* Alia prosequitur, quæ nos circa annum 1346, dum magnam librorum molem ab ipso editam referimus.

Petr. de Ianua.

6 Adfuit eidem Capitulo, vt Lombardiæ Prouincialis frater Petrus de Ianua, alias *de Gauio* nuncupatus, Sacræ Theologiæ Baccalaureus, eo tempore insignis. Missus pridem fuerat Parisios ad legendas sententias decreto Capituli Generalis anno 1324. celebrati. Postea anno 1351. electus fuit in Prouincialem Lombardiæ, quo tempore sub hac Prouincia erant Conuentus Ferrariæ, Bononiæ, Parmæ, Venetiarum, Paduæ, Imolæ, Mutinæ, Massæ, Mantuæ, Veronæ, & Ianuę, vbi ipsius corpus honorifice humatum in Choro super cratem ferream in tũba marmorea requiescit. Ex libro *Actuum Prouinciæ Lombardiæ* in Archiuio Conuentus Genuę reseruato. Constat etiam ex libro Ordinis ipsum fuisse in Capitulo Albiensi ann. 1327. nominatum Baccalaureum Curiæ Romanæ, & Lectorem sententiarum.

Ioann. Burleus.

7 Obijt eodem anno Stanfordiæ in Anglia apud nostros sepultus Ioannes Burlæus Doctor Oxoniensis in Ordine nostro Ætate hac non obscurus, de quo Pitseus *de Scriptoribus Illustribus Angliæ Ætate 14. sub hoc anno 1333.* hæc scribit: *Ioannes Burleus Ordinis Beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus in Cœnobio Stanfordiensi, (Comitatus Lincolniensis, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & quidem ætate sua non obscurus. In scrutandis naturæ arcanis mire ingenium suum exercuit, & multa abscondita acutè indagauit, vt author est Lelandus. Quo tempore inter Gerardum Bononiensem Ordinis huius Generalem, & Guillelmum Lidlingtonum eiusdem Ordinis per Angliam Prouincialem orietur controuersia de Carmelitis Anglis in plures Prouincias diuidendis, Burleus iste Lidlingtoni partibus adhæsit, nec consentire voluit in hanc diuisionem. Quamuis vterque cum suis adherentibus legitimæ Generalis auctoritati tandem cedere compulsus fuerit. Sed quid de suo contulerit ad Rempublicam litterariam videamus. Scripsit vt ex Lelando, & alijs colligo, In Porphyrium, in Aristotilem, & Gilbertum, in Petrum Lom-*

bar-

bardum, Hæc ille, De hoc etiam Burleo Biſcarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli*. & Romans *in Elucidationibus*.

Ann. Chriſti 1334. Ioann. 22. Roman. Pontif. 19. Ludouici Bauari dicti Imp. 13. Andronici iun. Imperat. Orient. 3. Pet. de Cæſis Generalat. 4.

1 Bijt hoc anno in fine ipſius Papa Ioannes Vigeſimus ſecundus, postquam, vt diximus *tom.2. Theolog. Tract.2. diſput.3. quæſt.8*, ſententiam illam de animarum iuſtorum beatitudine, nonniſi poſt diem Iudicij habenda, retractauerit. Bullam referunt ex alijs Bzouius, & Odoricus. Quomodo victoriam de ſuis inimicis reportauerit hic Pontifex, iuxta Deiparæ ſibi factam reuelationem, ex dictis in præcedentibus innoteſcit, Notabilem quoque aliam Chriſtiani confœderati, & claſſe inſtructa, contra Turcas, in qua cæſa quinque Turcarum millia, & 250. naues incenſæ. D. Antoninus, Villanus, & alij. Obitus Pap.

2 Duo Religionis noſtræ Patres in Anglia ſub iſto anno claruiſſe ſcribuntur. Prior eſt Richardus Blitonius, patria Lincolnienſis, & iuxta Lelandum, Theologiæ Doctor Oxonienſis, Ordinis ſui per Angliam Prouincialis decimus, vir integritate vitæ, & ſingulari doctrina clarus, quippe cum præſtantiſſimis ſui ſęculi Concionatoribus merito conferendus. Cuius eloquentiam, feruorem, & zelum in ſermonibus publicis ſæpe admiratus Angliæ Rex Eduardus ſecundus, hominem vehementer amare, & colere cœpit, eumque tandem ſibi à Confeſſionum ſecretis fecit, dum Prouincialem ageret. Obijt ſub hoc anno in ætate decrepita, relinquens poſt ſe monimenta hæc litteraria. Repertorium Sententiarum, *librum vnũ*, Quæſtiones ordinarias, *librum alterum*, Sermonum per annum, *libros duos*, De priuilegijs Mendicantium, *librum vnum*. Epiſtolarum, *librum vnum*. Hęc Pitſeus *de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14*. De etiam Balæus, vt anno 1320. diximus. Poſſeuinus, Biſcarretus, & alij. Richardus Blitonius.

3 Poſterior eſt Ioannes Bloxamus, de quo, quis, qualiſue fuerit, eiuſdem Pitſei, quæ referimus verba, id declarant. *Ioannes Bloxamus Anglus natione Ordinis fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, Monachus in Cœnobio Ceſtrenſi, Sacræ Theologiæ Doctor, & Prælector Oxonienſis. Vir pius, prudens, eruditus, & omni tum diuina, tum humana Phyloſophia verſatiſsimus. Propter virtutes exploratas, & animi miram moderationem, atque conſtantiam à ſuis electus eſt per Angliam Prouincialis. Deinde ad omnia Monaſteria ſui Ordinis in Scotia, & Hibernia deſtinatus eſt Viſitator. Proximus, vt videtur, poſt Ioannem* Baconthorpium *Prouincialis munus in Anglia laudabiliter obiuit duobus annis cum dimidio. Cum autem eſſet pene in ſua iuuentute Eduardo ſecundo chariſsimus, & propter exploratam probitatem in ætate prouectiori* Ioann Bloxamus.

Elieri Regi Eduardo tertio notissimus, in rebus difficillimis non semel, tum in Scotiam, tum in Hiberniam honoratissimas obiuit Legationes. In quibus dum versaretur nunquam quoad fieri potuit Ordinis sui negotia neglexit, imo per illas occasiones multum promouit. In Hibernia super quorundam abusuum reformatione primores suorum conuocauit ad locum qui dicitur Atrium Dei, *vbi sua prudentia, & auctoritate multa vtiliter correxit, & faliciter emendauit. Sed nūc ad hominis doctrinam veniamus. Scripsit super Magistrum Sententiarum libros quatuor, Quæstiones disputatas librum vnum. Sermonum, librum vnum. Annotationes in Apocalypsim lib. 1. Hibernensium ordinationes librum vnum. Epistolarum centum octoginta sex, librum vnum. Oxonij tandem mortuus, & sepultus est circa annum à Virgineo Partu 1334. dum ad Anglicani Regni clauum potenter sederet Eduardus tertius.* Hæc Pitseus. De eo etiam Balæus *in Cathalogo*; Posseuinus, & Biscarretus.

Conuentus Iuliodunēsis. 4 Sub hoc etiam anno Conuentus Iuliodunensis ab Amauro Beausæo Equite Regio, cui successit inclyta familia Chandeneria constructus memoratur. Floruit deinceps Viris, & Religione, & Doctrina spectatissimis, quousque ann. 1568. grassante in eo præsertim tractu hæreticorum rabie, ab iisdem funditus subuertitur. Postea à Deo suscitatus est Reu. Pat. Ludouicus Perrinus, hæreticorum Malleus merito nuncupatus, qui an. 1605. nominatus in Priorem à Generali Henrico Siluio, Nannetis tunc Ordinis instaurationem vrgente; dirutam huiusce Cœnobij Ecclesiam proprio labore, collectisque à fidelibus (præsertim à rustica plebe, quæ integra fide durauerat) eleemosynis, reædificare aggressus est, ab anno 1605. ad annum 1515. Hæc cum alijs habemus de hoc Ludouico Perrino, & isto Cœnobio Iuliodunensi, ex Leone à Sancto Ioan. in delineatione Obseruantiæ Redonensis *cap.* 18.

Ann. Christi 1335. Benedicti 12. Roman. Pontif. 1. Ludou. Bauar. dict. Imp. 14. Andronic. iun. Imper. Orient. 4. Petri de Cæsis Generalat. 5.

Gesta hoc tempore. 1  Bmortem Ioannis Papæ, & quia ab Italia Ludouicus Bauarus aberat, plures potentes dominatum plurium Vrbium capiūt. Blondus, Sabellicus, Gordon. Spondanus. Paucis etiam interiectis diebus, successit Iacobus Furnerius Benedictus Duodecimus (ab alijs Vndecimus) nuncupatus. Consecratur is prima die Ianuarij anni præsentis 1335. iuxta Ciaconium *in vita ipsius*, etsi alij alium diem eiusdem Ianuarij assignent, de quo Odoricus post alios. Fuit inter probos Pontifices iure nominandus, etsi quibusdam, quod non omnia eis ex voto concederet, vel permitteret, non placuisset.

De

De Benedicto Duodecimo Papa.

2 PLures Ordinis nostri Historici velati per traditionem id accipientes, constanter tuentur, hunc Benedictum Duodecimum, primo Carmelitam fuisse, etsi postea Cistertiensium Abbatẽ, Episcopum, Cardinalem, & Papam. Hi sunt Palæonydorus *lib.3.cap.11.* Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. primo cap.22.* & *lib.11.cap.6.* Petrus Lucius Belga *in Bibliotheca Carmelitarum*. Ægidius Leondelicatus Siculus in libro cui titulus *Giardino Carmelitano 3.par. capit. 8.* Iosephus Falconius *lib.* cui titulus *Chronica Carmelitana, fol. 689.* Franciscus Voersius Cherascus *in vita Henrici Siluij, fol. 218.* & in lib. cui titulus est est *Giardino de' Tesori Spirituali.* Philippus Merius Stranbingensis *in vit. Illustr. Sanct. Ordin. cap.2. num. 9.* & plures alij, quos longum esset referre. Sed præceteris vnus recensendus Alphonsus à Matre Dei Discalceatus, quẽ contra se affert Reu. Chrysostomus Henriquez *in Menologio Cistercienfium pro die vigesima quinta Aprilis*, ac Ludouicus Iacob. à Sancto Carolo, Gallus & ipse *in Bibliotheca Pontificia* loquens de isto Benedicto Duodecimo. De Papa Benedicto 12.

3 De exteris id quoque fatentur Renatus Copin Gallus Andegauensis Iurisconsultus, & in supremo Parisiorum Senatu Aduocatus in volumine, quod inscribitur *Monasticon, seu de iure Cœnobitarum* Typis mandato Parisijs apud Sonricum anno 1610. *in lib. 2. tit. 1. de Apostolic. Cœnobitar. priuileg. pag.* 154. per hæc verba. *Imo & Benedictus Duodecimus Papa Ioannis Vigesimi secundi sororis filius, ex summo Carmeliticæ sectæ Theologo, Cistertiensium Monachorum Abbas, Thronum conscendit Supremæ Apostolicæ Ecclesiæ apud Auinionem Prouinciæ Narbonæ anno* 1335. Idem etiam Author *pag.* 155. eiusdem libri sic habet in margine: *Benedicti Duodecimi Pontif. Epitaphium.* HIC IACET BENEDICTVS; QVEM CARMELVS PROTVLIT, CASSINVS ALVIT, VATICANVS CORONAVIT. Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro littera B,* sic de hoc Papa loquens. *Benedictus Papa huius nominis Duodecimus, ante dictus Iacobus Fornerius, siue Furneus, extractu Tholosanæ Prouinciæ in Oppido Passarduno Diœceseos Pamiensis Ciuitatis natus, vel, vt alij scribunt, Cadurcensis. Ioannis Papę Vigesimi secundi ex sorore nepos, primo Carmelita, deinde Monachorum Cistertiensium, sub Regula Sancti* Benedicti *militantium, Abbas Fontis frigidi, ac deinceps Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinalis, tituli Sanctæ Priscę, denique Pontif. Maxim. anno Domini 1335. in cuius Epitaphio leguntur Romę in Æde Diui Petri hęc verba:* HIC IACET BENEDICTVS, QVEM CARMELVS PROTVLIT, CASSINVS ALVIT, VATICANVS CORONAVT. *Scripsit Registrum Epistolarum, & Constitutionum in decem tomos diuisum, quod extat Manuscript. in* Bibliotheca *Vaticana in folio vt vocant Regali.* Hæc omnia Posseuinus tam grauis Author, vt Exteri Authores.

solus

so" sufficere posset. Adstipulatur quoque Claudius de la Ville etiã Gal. Medicus insignis *lib. 2. Heroic. Epitaphiorum Epitaphio 4.* referens illud à relatũ sepulchro Benedicti 12. ascriptum. HIC IACET BENEICTVS QVEM CARMELVS PROTVLIT, CASSINVS ALVIT, VATICANVS CORONAVIT. Idem affirmare videtur Ioannes Carthagena Minorita *tom. 4. Homiliarum Catholic. lib 17. homil. 2.* Ante illos etiam damnatus author Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ, Centuria 5. in Appendic. ad Gualterum Burlei* sic habet. *Benedictus Duodecimus Romanus Pontifex, patria Tholosanus, professione Cistertiensis (Ioannes Palaeonydorus, & Ægidius Faber Carmelitam probant)* Sic ille, qui quamuis rem indecisam relinquere videatur; quatenus tamen vltimo loco ponit sententiam pro Carmelitis, illam approbare videtur. Etenim DD. communiter solent vltimo loco referre opiniones, quas approbant. Glossa *in L. qui filium, §. Sabinus, ff. ad Trebel.* Decius *in cap. 1. num. 32. & sequentibus de constit.* & plerique alij. Adstipulantur etiam Carolus de Tapia *in Authent. ingressi de sacr. S. Eccles cap. 17.* dum agens de Carmelitis ait ex eo Ordine prodijsse duos Summos Pontifices, qui forsan apud eum sunt Sanctus Dionysius, & iste Benedictus Duodecimus. Et Laurentius Beierlinch *in Theatr. vitæ hum. lib. 16. tom. 6. verb. Religiosus Religio* de Ordine Carmelitarum loquens, dum inter eos refert B. Benedictum Papam, per quem etiam forsan hunc Benedictum intelligit: etsi paralogizare videatur, eum *Martyrem* vocans.

Alia de ipso. 4 Fauent antiquissimæ picturæ, quarum vna extat Bruxellis, & alia Veronę à ducentis, & eo amplius annis; aliæque sculpturæ æneæ diuersis in locis, præsertim Parisijs, Venetijs, ac tandem Romę excussæ, in quibus idem Benedictus inter Carmelitas depictus cernitur. Magisque (& si res sit incerta) quod ex Vniuersitatis Tholosanæ Theologorum Cathalogo, Petro Lucio, vt supra testante, deprehenditur, dictum Benedictũ Carmelitanę Religionis Theologum fuisse; & quod, vt etiam relatus Alphonsus à Matre Dei inquit, hodie *in Cœnobio Carmelitano Tholosano extant vestigia eius Cella, & Claustri, quod elaborauit.*

Oppositio. 5 Nec his opponitur communis Historicorum consensus, qui hunc Benedictum Cistertiensem, vel Benedictinum Monachum appellant. Non enim diffitemur ita fuisse; sed simul credimus, Ordinis nostri traditioné, quod scilicet in prima, & iuuenili ętate, Habitum Carmelitanum susceperit, veram quoque esse. Similiter nec opponatur, quod Abbas Cistercienis fuerit. Certissimum namque est plures ex Ordine Carmelitarum ad Abbatias Monachales, Summorum Pontificum authoritate, vel Principum præsentatione, quandoque electos fuisse. Prout constat in Martino Cupero Mechliniensi, qui ex Carmelitarum inferioris Germaniæ Prouinciali Abbas Diui Crispini celebris Monasterij effectus est: & in Melchiore Solerio natione Cathalano, qui ex eodem quoque Ordine ad Abbatiam Ganiconensem fuit vocatus: ac in Mathęo Flechia etiam Cathalano,

filio Valentini Cœnobij à Carolo quinto Imperatore ad Abbatiam Portelenſen, & Erthianenſem aſſumpto. Talis ergo hic noſter Benedictus Duodecimus potuit eſſe, & ad Abbatiam *Fontis frigidi* à ſuo auunculo Ioanne Vigeſimo ſecundo electus. Ex quo ceſſat obiectio quorundam dicentium Sacrum Ciſtertienſem Ordinem in ſuis ſtatutis habere, vt nullus, qui alium Ordinem profeſſus eſſet ad Abbatias aſſumatur. Pro comperto enim eſt huiuſmodi ſtatuta Religionum non poſſe ligare manus Papæ ad faciendum, vel diſpenſatione ſaltem, quod ſibi bene viſum fuerit.

6 Magis vrget, quod idem Papa Benedictus inter Bullas, quæ ipſius extant in Tomo primo Bullarij Laertij Cherubini, vnam ediderit *num.* 3. in qua ait ſe *ab adoleſcentia* Ordinem Ciſtertienſem profeſſum fuiſſe: ex hoc enim pro certo inferunt grauiſſimi nonnulli eiuſdem Ordinis alumni, nunquam Benedictum ſub Carmeli Religione vixiſſe. Cœterum telum hoc facile retunditur. Tum quia non dicit Papa ſe profeſſum fuiſſe Ciſtertienſem Ordinem *à prima ætate*, *à pueritia*, aut *ab annis iuuenilibus*, ſed *ab adoleſcentia*. Potuit ergo aliquot poſt pubertatem annis, & dum iuuenis erat, Carmelæum Ordinem profiteri, & poſtea ad Ciſtertienſem tranſijſſe. Tum maxime, quia, vt ſentit Marcus Barro, quem ſequitur Ambroſius Calepinus, adoleſcentia pertingit vſque ad trigeſimum annum. Etſi ergo admitti debeat Papam Benedictum pro anno trigeſimo, vel aliquibus anterioribus ſub Ciſtertienſium Patrum Regula vixiſſe, locus tamen relinquitur, vt pro vigeſimoſexto, vigeſimo quarto, vigeſimo, vel infra, Carmeliticum Habitum geſtauerit. Obiectio.

7 Impugnant etiam ijdem grauiſſimi Patres Epitaphium illud ſuperius relatum. Primo quidem in illo verbo: *Hic iacet Benedictus*; eo quod Hic Papa non Romæ; ſed Auenione obierit: illud autem Epitaphium affixum dicitur Romæ. Secundo, in illo *Caſſinus aluit*; quia videlicet non Caſſinenſis, ſed Ciſtertienſis Monachus fuit; Tertio, in illo *Vaticanus coronauit*; quia non apud Vaticanum, ſed Auenioni coronatus fuit. Hæc vero facile cadunt; Nam, quod ad primum ſpectat, Carmelitani in verbo *Hic*, intelligunt Auinionem; in verbo *Caſſinus*, agnoſcunt Ordinem Diui Benedicti, cum ſuis Congregationibus, vti Illeſcas à Chryſoſtomo citatus intellexit; in verbo *Vaticanus* intelligunt Sedem Pontificiam Diui Petri, ſiue ſit Romæ, ſiue Auenione. Ita Alphonſus à Matre Dei ſuperius nominatus. Addo ego, omnibus compertum eſſe, huiuſmodi Epitaphia pro Viris Clariſſimis edita, non ſolum tropis, metaphoris, alijſque figuris referta eſſe; ſed quandoque etiam non ſuper ſepulchra affixa, ſed alibi inſcripta, ad defunctorum laudes, vel geſta commendanda. Quid ni ergo idem de hoc Epitaphio cenſeatur? Adderem etiam, Epitaphium hoc à Carmelitis adinuentum non fuiſſe, ſed ab exteris Authoribus euulgatum, ſcilicet Renato Copino, Antonio Poſſeuino, & Claudio de la Ville ſuperius citatis. Cum ipſis igitur agendum ſuper veritate ipſius. Aliud.

8 Fuit hic Pontifex Doctorum hominum ſtudioſus, vt propterea inter Benedicti Papæ geſta.

ter alios, tum nostri, tum aliorum Ordinum Theologos, charus illi fuerit Ioannes Vvalsinghamus Anglus Ordinis nostri celebris Doctor, quod testatur Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus*, de eo sic loquens: *Charus quidem fuit Vvalsinghamus præfato Papæ Ioanni, sed charior illius Successori Benedicto Vndecimo, apud quem non mediocri in honore diu moratus est.* Sed cũ hoc ita acciderit, immeritò eum obijsse dicit circa annum 1330. dum vsque ad hunc annum 1335. Benedictus Pontifex non fuerit.

Benedicti Bulla.

9 Hoc primo anno sui Pontificatus Auinione quarto nonas Iulij, expertus damna, quæ ex transitu Mendicantium ad Monachales Ordines Monachorum Nigrorum, & Cistertiensium proueniebant, decreuit Pontifex, *ne cuiuscunque Ordinis Mendicantium Professor ad aliquem dictorum duorum Ordinum quoque modo transire valeat sine Romani Pontificis licentia speciali, plenam, & expressam faciente de Constitutione huiusmodi mentionem.* Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol.* 78. *pag.* 2. & in primo Tomo Bullarij Laertij Cherubini inter Constitutiones Benedicti Duodecimi, *num.* 1. Hæc tanta, ac tam sedula Benedicti solicitudo pro transitu ex Mẽdicantibus ad illos duos Ordines interdicendo, & quod in eadem Bulla, dicatur *experientia docente manifeste* prædicta damna cognita esse non incongrue suadet veram esse Ordinis traditionem, quod ipse prius Carmeli Religionem professus ad Cistertienses transierit; quod non esse inconueniens admittit Montaluus Chronista Cistertiensis *lib.* 2. *cap.* 29.

De Placentini Cõuẽtu

10 Placentini Cœnobij Ecclesia circa hunc annum fabricata demõstratur ex Locato *in historia Placentina*. De Conuentu tamen ipso, vel quo anno extrui ceperit, vsque modo incompertum. Quia tamen Mediolanense Cœnobium iuxta Corium *in histor. Mediolan. sub ann.* 1268. exordiũ habuit, & in numeratione Conuentuum Prouinciæ Lombardiæ, ad quam duo hæc insignia Monasteria spectant, Placentinum non multo post Mediolanense refertur, ideo vrgenti coniectura elicitur, per plures annos ante talis Ecclesiæ erectionem nostri Ordinis Conuentum Placentiæ extitisse; etsi quo in loco non constet. Maixmè verò suspicio coadiuuatur, quod extant legata pia pro Carmelitis ante eius Ecclesiæ fundationem. Etenim pro anno 1276. in Archiuio PP. Sancti Ioannis Ordinis Prædicatorum sic inuenitur. *Santa Maria de Carmo il legato l'hà fatto la q. Signora Luigia vedoua Opizo da Iustino.* Alia porro de hoc nobili Cœnobio suo loco, & tempore dicentur.

Ann.

Ann Christi 1336. Benedicti 12. Roman. Pontif. 2. Ludou. Bauar. dict Imp. 15. Andronic. iun. Imper. Orient. 5. Petri de Cæsis Generalat. 6.

1 HOc anno crudele bellum inter Galliæ, & Angliæ Reges inceptum, in magnum rei Christianæ detrimentum: diutius enim perdurauit cum vtriusque gentis pernicie. Gordonus, Bzouius, Spondanus. Ludouicus autem Bauarus, Legatis missis ad Summum Pontificem absolutionem petens, nihil tamen obtinet, nisi admonitiones. Ptolomæus, Bzouius. Pontifex declarat fidei veritatem de animarum Iustorum post mortem ante diem Iudicij visione, & fruitione beatifica; suum etiam Prædecessorem Ioannem ab errore excusans. Taceat igitur impius Caluinus, dum eum hæreticum appellare non erubescit. Gesta hoc tempore.

2 Solicita interim Generalis Petri de Cæsis cura anno isto Bruxellis Capitulum generale celebrari fecit, more solito in die sancto Pentecostes. In eo autem pro communibus Ordinis expensis taxantur; primo, Prouincia Terræ Sanctæ; secundo, Siciliæ; tertio, Angliæ; quarto, Narbonæ; quinto, Vicariatus Perpiniani; sexto, Romæ; septimo, Franciæ; octauo, Alemaniæ; nono, Lombardiæ; decimo, Aquitaniæ; vndecimo, Vicariatus Tholosanus; duodecimo, Aragoniæ; 13. Hiberniæ; 14. Prouincia Prouinciæ; 15. Scotiæ; 16. Thusciæ; 17. Bononiæ. Ex quo habetur, quod sexdecim Prouincijs in Capitulo Generali proxime acto Nemausi anno 1333. numeratis adiuncti sunt duo Vicariatus; nempe Perpiniani in quinto loco, & Tholosæ vndecimo. Non fit autem mentio Appuliæ, etsi in superioribus Prouincia constituta sit, vel, quia cum Sicilia, aut cum Bononia forsan vnita fuerit, in quo nihil certi habemus. Extat hoc Capitulum cum actis ipsius *in lib. Ordinis fol. 3. pag. 1.* Generalia Comitia.

3 Refertur in hoc Capitulo, vt Lector sententiarum Parisiensis Cœnobij frater Ioannes de Chimeneto, vt dicitur, Gallus natione, & Conuentus Metensis; & quod Parisijs existens Doctor egregius euaserit. Erat enim vir in diuinis Scripturis studiosus, & multum eruditus, ingenio præstans, & clarus eloquio, declamatorque Sermonum popularium celebris. Scripsit Tractatulum, qui incipit: *Filij Sanctorum estis*, & habetur in volumine *Speculum Ordinis* nuncupato *fol. 49. pagina 3.* Scripsit etiam Sermones de tempore, de Sanctis, & de Quadragesima, & alia quædam. De hoc agunt Trithemius *de Scriptoribus Carmelit.* Posseuinus *in Apparatu Sacro*. Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana*. & Biscarretus, qui dicit eum obijsse circa annum 1380. Posseuinus autem pro anno 1340. vixisse scribit. Ioannes de Chimineto.

4 Post Prouincialatum in Anglia eximij Doctoris Baconij, quem an- Polestedus.

no 1333. diximus, Romæ, & in Italia sui nominis claritate Orbi claruisse, Ioannes Polestedus Doctor Oxoniensis Prouincialis efficitur anno proxime præcedenti 1335. vt notat Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate* 14. vnde in hoc Capitulo Bruxellensi Angliæ Prouincialis nominatur. Fuit vir illustris, vita, & doctrina, vt circa annum 1341. perpendimus.

B. Cyrillo Oraculum. 5 Hoc anno, quo crudele illud bellum inter Francos, & Anglos, vt diximus, inceptum est, adimpletum credimus Propheticum illud nostri Beati Cyrilli Eremitæ Montis Carmeli, quod *cap. 7. Oraculi Angelici* sic dixit. *Tunc gallus cum vulpe soliti dimicabunt, donec medio paranympho sedentur cum alijs, prout poterunt.* Hoc autē per multos annos vsq; ad 1360. durauit, etsi Summorum Pontificum diligentia, medijs Cardinalibus, & Legatis extingui curatum sit: sed frustra, donec prædicto tempore, Deo operante, data pax, quam mundus dare non potuit, quibusdam conditionibus vtrinque datis. Sic intellexit prædicta verba Ioachimus Abbas in expositione dicti Oraculi Beati Cyrilli. *Hic tangit* (inquit) *conflictum non insolitum inter Reges Francorum, Anglicorumque, qui sedari non poterit, nisi mediante paranympho, idest, Cardinali aliquo, vel Prelato illuc misso.*

Ann. Christi 1337. Bened. 12. Roman. Pontif. 3. Ludouici Bauari dicti Imp. 16. Andronici iun. Imperat. Orient. 6. Pet. de Cæsis Generalat. 7.

Gesta hoc anno. 1 Dhuc sub hoc tempore Ludouicus Bauarus precibus porrectis Papam pro sui reconciliatione vrgebat. Sed nihil etiam obtinebat, quia Pontifex ipsius verbis credendum non iudicabat. Curabat tamen bellum Anglicum medijs suis Legatis impedire. Ptholomæus, Villanus, Bzouius.

De B. Petro Thoma. 2 Parisijs sub hoc anno, vel circiter, Petrus Thomas nostri Ordinis egregius alumnus, altioris doctrinæ studio intendebat; ibi per triennium moratus; postquam Burdegaliæ, & Albiæ inferiorum scientiarum, Dialecticæ nempe, & Philosophiæ operam dederat. Fructuū, quos post modū in Sancta Dei Ecclesia vberrimorum erat sparsurus, adeo egregiè, vt non plures illi conferendi iure sint, vt in Annalium discursu propalamus, hi erant flores. Accidit autem eo tempore, quo post Sacerdotij dignitatem obtentam, studijs, & litterarum exercitijs vacabat, quod semel egestate oppressus, quia Monasterij, in quo erat, paupertas non ipsi necessaria elargiri posset, vt ad *thronum gratiæ, & misericordiæ matrem*, Deiparam Virginem pro auxilio recurrens, vt cepta studia relinquere non cogeretur, ab ipsa visibiliter illi apparente hæc audierit: *Fili mi, ne te sollicitum paupertatis cura detineat, quoniam te nunquam deseram: alacriter studeas; Filio*

mco,

meo, ac Mihi semper inseruiens. Quibus dictis euanuit visio, & mane facto, Petrus Missam in Beatæ Virginis honorem, & gratiarum actionem celebrauit. Sacrificio finito, nobilis quidam sese ipsi confessurus peccata obtulit, qui post confessionem sex auri numismata impertitus est, manifestè Dei clementia, & eiusdem Virginis intercessione cognita, quam tum in corporeis, tum in spiritualibus semper expertus est. Hæc ex Mazzer. *in vit. Beati Petri Thomæ cap. 1.* apud Bollandum in superioribus relatum.

3 Ad hunc annum, iuxta aliquos, refertur Daniel à Vvichtrigh, ex nobili familia de Vvichtrigh, Diœcesis Colonien. Doctor, Theologus Parisiensis, & vir eximia doctrina, & prudentia præditus, ac vtriusque Alemaniæ Prouincialis anno 1315. factus. Is per Benedictum Duodecimum Episcopus Vverdensis, seu Verdensis in Saxonia constitutus fuit: & cum Sedem illam 19. annis administrasset, relicto Clero suæ Ecclesiæ rebelli, nec disciplinæ assueto, Coloniam ad suos redijt; & Episcopi Coloniensis Suffraganei munia exercuit. Scripsit Apologeticum librum, cuius meminit Simlerus in Bibliotheca contra Ecclesiæ suæ Clerum *lib. 1.* & alia. Obijt post annum 1333. in quadam Abbatia Ordinis Cistertiensis, quo ob quędam negotia diuerterat; & condignam sepulturam ibi accepit, cum Epitaphio, quod etiam ibi extare dicitur. De ipso agunt Conradus Gesnerus in Bibliotheca, Renatus Copinus *lib. 2. de Monachis* dicens sub hoc anno nactum fuisse Præsulatum Verdensem, refert etiam Bruschum, & Albertum Crantzium in sua Metropoli. Eum etiam commemorat vt Verdensem Episcopum Ludouicus Cellotius de Hierarchia *lib. 5. cap. 9.* Biscarretus autem aliter loquitur de hoc Daniele sic scribens: *Daniel Leodiensis, à præclara illa Vrbe Leodij sic dictus, inter Carmeli Palmites Doctor rarus, ac celebris, in rebus gerendis prudens, ac industrius; fuit aliquot annis Prior in suo Monasterio, postea factus fuit Episcopus Vrtonensis, inde Suffraganeus Episcopi Leodiensis, quo in munere, Clero, & Populo gratissimus extitit. Obijt ibidem, & sepultus in Ecclesia Carmelitarum, ad cuius tumulum lapideum æneis laminis coopertum, & auratum appositum fuit simplex nominis, & dignitatis illius memoria, & anni obitus, qui contigit 1337.* Sed magis credendum Segero Pauli, ex quo ea, quæ diximus, desumpta sunt. Qui etiam merito reprehendit Albertum Krantium relatum, vel Dauidem Cytræum Lutheranū nomine ipsius, dicentem, hunc Danielem Coloniæ in excommunicatione obijsse.

Daniel à Vvichtrigh.

4 Ea tempestate credimus Sanctū Andream Corsinum è Parisijs regressum, Auinione apud Petrum Corsinum consanguineum in Curia Papali commorantem moram gessisse. Cum enim postquam è Gallijs reuersus Florentiam est, pauco intercedente tempore, vt ex Scriptoribus vitæ ipsius colligitur, Prior Florentini Cœnobij fuerit electus, & postea ad Episcopatum Fesulanum assumptus, quod anno 1349. contigit, ideo conijcimus his annis apud Auinionem mansisse, sanctitatis, & perfectæ Religionis radijs fulgentem.

De S. Andr. Corsino.

Quo-

Eiusdē gesta

5 Quomodo autem sui Prioratus tempore miraculosæ curationis gratia, & spiritu Prophetiæ claruerit, sic damus ex Laurentio Surio eius vitæ Scriptore. *Andreas Conuentui Florentino præficitur: in qua administratione tanta vitę sanctimonia claruit, vt narratu difficile foret. Venturam Carmelitanum Pisanum quemdam ab hydropisis morbo curauit. Rogatus à quodam familiari, cui puer natus erat, vt eundem puerum baptizaret, non recusauit: sed dum illustraretur aqua, & Chrismate, Andreas, cui Deus futura reuelauerat, mirum in modum lachrymis irrigatur. A quo, cum pater pueri lachrymarum causam quæreret, Andreas inquit, hic puer sibi, ac familiæ suæ excidio natus est. Pater vero præsagium huiusmodi parui faciens viri Dei verba contempsit: Puer autem crescens non secus, ac Andreas prædixerat, flagitijs, ac facinoribus coopertus cum multis contra Rempublicam iurauit, qui in iudicium vocatus tanti sceleris pœnas soluit; omnesque cognati eius ab omni administratione Reipubl fuerunt abdicati.* Alia de ipso vitæ ipsius Scriptores. Quo autem anno ea contigerint, aut quo anno Prioratum suum cœperit, incertum nobis est.

Ann. Christi 1338 Bened 12. Roman. Pontif. 4. Ludou Bauar. dict. Imp. 17 Andronic inn. Imperat. Orient 7 Petri de Cęsis General. 8.

Bauarus cōtra Papam.

1 SVb hoc anno, cum Ludouicus Bauarus Ioannis Vigesimi secundi hostis à Benedicto Duodecimo successore desiderata ad votū non reciperet, aduersus ipsum insurgens, & Antipapam denuo, quem titulo Summi Patriarchæ nominauerat in Germania constituens, decretum edidit, quo sub multis pœnis, etiam læsæ Maiestatis, mulctabat, asserentes Imperialem dignitatem à Papa esse, aut pendere. Quod sciens Pontifex omnibus Prælatis Ecclesiarum præcepit, vt processus, & sententias contra Ludouicum à Ioanne prædecessore edita publicarent. Cum autem plures Ecclesiasticæ disciplinæ zelo flagrantes vęsanienti Ludouico se opponerent (inter quos credimus Ioannem Vvalsinghamum fuisse libro illo edito *de Ecclesiastica potestate*) Ioannis Pontificis censuras contra Ludouicum publicantes, vel seruandas esse docentes, variè ab ipso mulctati sunt. Nauclerus, Auentinus, Cuspinus.

Carmelitar. vexatio.

2 Hæc porro persecutio in Clerum Catholicū excitata, nostros etiam Carmelitas vexauit: qui ab Henrico de Fribergh Moguntino Archiepiscopo, in gratiam Ludouici, è suis locis fuerunt eiecti, dum potius Papæ, quam Ludouico obediendum merito censerent. Ita enim habet Francofurtense Chronicon Ioannis Latomi, & sequuntur Bzouius, & Odoricus. Dedit tamen pœnas postea Henricus à Clem. 6, Auinionem citatus. Idem Bzouius.

De B. Petro Thoma.

3 Cadurci in Gallijs hac tempestate noster Petrus Thomas, Lector, & Con-

& Concionator erat: qui præ magna dicendi facultate, & eloquentia ſingulariſſima, ſingulos in ſummam ſui raperet admirationem. Cum autem, eo ibi commorante, terræ ſiccitate, & æſtu ſegetes, & fructus aperirent, publicæque ad Deum preces effunderentur, indicta Proceſſione, Petrus cócionem habuit, populum pene deſperatum, vt in Beatæ Virginis patrocinio ſpem reponeret monens; quod eadem die pluuias accepturus eſſet. Res ſane miranda! Cum vix nubes in Cælo, aut ſignum imbris periret, Deus Sacris Auguſtiſſimæ Virginis precibus, & ſerui ſui promiſſioni aſſiſtens, priuſquam dicendi finem feciſſet, pluuiam dedit copioſam. Miraculo ſtupefacti homines, & Beati Petri vitæ ratione habita, eum, vt *Sanctum* venerabantur; vt propterea humanam laudem execrans à Cadurcenſi illa Ciuitate abeſſe deſideraret. Ex *vita Beati Petri Thomæ*.

Ann. Christi 1339. Bened. 12. Roman. Pontif. 5. Ludou. Bauar. dict. Imper. 18. Andronici iun. Imp. Orient. 8. Petri de Cæſis Generalat. 9.

1 FOelix hic annus appellari poteſt, quia eo tempore Romani, relicto Ludouico Bauaro, Pontifici obedietiam præſtitere: Mauri Hiſpaniam inuadentes à Caſtellanis vincuntur: ſicut etiam Turcæ in Thracia. Blondus, Mariana, Gregoras. Annus fęlix.

2 Lemouicenſe Generale Capitulum celebratur hoc anno die S. Pentecoſtes, ſub Petro de Cæſis Generali Ordinis Præſule. In eo primum pro expenſis Ordinis taxantur. 17. Prouinciæ numeratæ in Capitulo Bruxellenſi anno 1336. in quarum numerum ingrediuntur Vicariatus Perpiniani, & Tholoſanus. Vicariatus autem Perpiniani cum hoc nomine vocetur in prædicto proximè præcedenti Capitulo, in hoc vero Lemouicenſi vocatur Vicariatus *Perpiniani, & Maioricarum*. Ordinati ſunt Prouinciales, Priores Curiæ Romanæ, & Pariſiorum, ac Procurator Ordinis, videlicet Radulphus Kelei poſtea Archiepiſcopus Caſalenſis in Hibernia anno 1342. & Lectores ſententiarum Pariſijs. Demum de Biblicis Ordinatis cómiſſum fuit Priori Generali, & dederunt ei poteſtatem Ordinationem Baccalaureorum mutandi quantum ad locum, & perſonas, ſi ſibi viſum fuerit expedire. Ita habetur in libro Ordinis *fol. 3. pag. 1. & 2.* Capitulum Generale.

3 De hoc Capitulo Lemouicenſi hæc habet Boſtius *lib. 7. Specul. hiſt. cap. 41.* de Generali Petro de Cæſis, quem vocat virum multum litteratum, & deuotum loquens. *Hic autem Reuerendiſſimus Generalis anno Domini 1339. in feſto Pentecoſtes celebrauit ſuum Capitulum Generale in Conuentu ſuo Lemouicenſi, in quo tunc ordinabatur, quod per totum Ordinem fieret feſtum nouem lectionum de Sancto Martiali ad modum vnius Apoſtoli quoad Officium, & ſolemnitatem ſicut de Sancto Barnaba, & alijs Diſcipulis Domini Eccleſia*

facere

facere consueuit, maxime cum ipse inter alios Discipulos Christi, & Apostolos fuerit semper Comes assiduus, & familiaris amicus. Debet autem prædictum festum celebrari in crastino Octauarum Apostolorum Petri, & Pauli, cum festum prædictum veniat in die Commemorationis Sancti Pauli, & totum tempus intermedium vsque ad crastinum Octauarum de ipsis Octauis, & de dicta cômemoratione est occupatum. Item, quod festum vndecim millium Virginum ad modum festi duplicis per totum Ordinem celebretur. Item, quod de Sancto Saturnino per totum Ordinem fiant nouem lectiones. Palæonydorus autem lib 3. cap. 11. sic: *Ibi fuit statutum, quod de Sancto Martiali, & Sancto Timotheo fieret festum duplex, vt vnius Apostoli, & duplex festum de Sancta Vrsula. Insuper nouem lectionum de Sanctis Mauro, & Saturnino.* Cum autem hæc in actis huius Capituli, prout in prædicto libro Ordinis extant non reperiantur, existimandum, solum viua voce intimata fuisse à Generali Prouincialibus, & inde postea executioni mandata, vt in simili diximus de alijs decretis Capituli Barcinonensis anno 1324.

Illustres Patres.

4 Illustriores Patres huius Capituli cum Generali fuerunt Ioannes Polsteyde Angliæ Prouincialis, & Ioannes de Sublobijs Alemaniæ, & Ioannes de Vineta Prior Parisiensis, ac Lector Sententiarum eo Collegio pro secundo anno, de quibus suo loco dicemus. Refertur etiam Prouincialis Hiberniæ Ioannes de Goldsten, de quo anno 1320. cum Pitseo diximus eo tempore claruisse, nisi forte diuersi fuerint Religiosi, eiusdem tamen nominis, quod scire non possumus.

Conuentus Dinbyæ.

5 Erigitur hoc anno in Anglia nouum Ordinis Cœnobium, absdubiè solicita cura Ioannis Polsteyde Prouincialis, Dinbyæ, Fundatore Ioanne Slynnemore. Speculum Ordinis *fol. 60. pagina* 1. In Tabula tamen fundationum Monasteriorum Angliæ nihil tale reperitur sub hoc anno: sed solum sub 1399. regnante Richardo secundo Rege, quod Denbighiæ in Cambria fundatum fuerit Cœnobium, fundatore Ioanne de Sunimore. Quæ propter verborum similitudinem alludere videntur ad hoc Dinbyense, de quo in Speculo Ordinis.

Ann. Christi 1340. Bened 12. Roman. Pontif. 5. Ludou Bauar. dict. Imp. 19. Andronici iun. Imp. Orient. 9. Petri de Cæsis Generalat. 10.

Celebris casus.

1 Ræcipuis huius anni casus, ipsoque Orbi Christiano celeberrimus est, qui eo tempore Dei singulari beneficio in Hispania contigisse describitur. Cum enim Alboachenus Marrochij Rex in Christianorum Regna irrupisset cum tanta Afrorum multitudine, vt à nonnullis dicatur fuisse numero 600. millia peditum, & sexaginta millia equitum, Deo nihilominus adiuuante, Hispani tam gloriosam de

illis

illis victoriam reportarunt, vt supra 200. Maurorum millia in prælio, fugaque ceciderint è *Christianis, quod vix fidem faciat, viginti desiderati non amplius*, inquit Mariana celebris Hispaniarum Scriptor.

2 Sub isto anno, inter egregios alios Ordinis cultores, quorum aliquos suis locis referimus, in Anglia maximè, quæ semper vt fertilissimus ager plures è nostris illustrissimos protulit viros, clari erant multi. Primus Gaufridus Alienantus, patria Eboracensis, Oxoniensis Doctor, vir pietate, & doctrina clarus. Scripsit Commentarios in Diuum Lucam *librum vnum*. Tabulam Originalium *librum vnum*. Sermonum ad Populum *librum vnum*. Quæstionum Ordinariarum *librum vnum*. Hæc Lelandus, & Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14. circa annum* 1340. Hunc Patrem vocat Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, Galfridum Alyeuaunt, & de eo ibidem. Eisengrineus, Posseuinus, Biscarretus. Gaufredus Alienatus.

3 Quā celebris etiā ea tempestate Carmelitana Religio in Angliæ Regnis esset, ex pluribus Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis, quos Sedis Apostolicæ gratia, maximè Ioannis Vigesimi secundi, & Benedicti Duodecimi modernorum Pontificum, ac Regum Eduardi secundi, & tertij, erga nostros deuotione habuit, conijcitur, & ex Ioanne Balæo in prædicto Cathalogo Scriptorum Brittanniæ. Loquens enim de dicto Galfrido Alyeuaunt, seu Gaufredo Alieuanto, vt Pitseus vocat, sic etiam inquit de Carmelitis: *Præter Episcopos, quos in Anglia tunc plures habebant, Richardum Northal Archipresulem Dublienensem, ac Richardum Quye Episcopum Clonensem ad Hibernos, & Stephanum* Broune *Episcopum Rosensem ad Scotos miserunt*. Ordo floret in Anglia.

4 Qualiter etiam eodem tempore Hugo de Sancto Neoto Ordinem illustrauerit, ex Ioanne Pitseo *supra*, transcribimus. *Hugo de Sancto Neoto, idest, ad fanum Sancti Neoti in Anglia natus, Ordinis Carmelitani Monachus in Cœnobio Huchinensi Comitatus Nartfordensis, qui Cantabrigia multo tempore studijs melioribus diligenter inuigilans, tandem post emensum laudabiliter illum cursum, Theologici Doctoratus insignibus ibidem solemniter donatus est, vt author est Lelandus. Theologiam inter suos aliquando docuisse dicitur, & insignis diuini Verbi Preco frequentes apud Populum sermones habere solitus est, vnde pietatis, ingenij, doctrina hæc sequentia monimenta ad posteritatis vtilitatem reliquit, vt scribunt Trithemius, Sixtus Senensis, & alij. In Sanctum Lucam librum vnum. De Conceptione Beatæ Mariæ semper Virginis librum vnum. Sermonum per annum, librum vnum. Quæstiones disputatas, librum vnum. Obijt Huchini, & ibidem sepultus est sexto idus Septembris anno postquam Deus filium suum misit in hunc mundum 1340 regnante in Anglia Eduardo tertio*. Hæc Pitseus. De eo etiam Balæus *in Cathalog. Scriptor. Brittann.* Posseuinus, & Biscarretus. Videtur autem esse eum, quem Nicolaus Herpsfeldius *in sua Histor. Eccles. Anglic.* vocat Hugonem Hichinensem, quem etiam celebrat, & commendat. Hugo de S Neoto.

5 Lucas etiam Bosdonus, vir integerrimæ vitæ, & doctrinæ solidæ, Lucas Bosdonus.

sufficere posset. Adstipulatur quoque Claudius de la Ville etiã Gallo Medicus insignis *lib. 2. Heroic. Epitaphiorum Epitaphio 4.* referens illud relatũ sepulchro Benedicti 12. ascriptum. HIC IACET BENEICTVS QVEM CARMELVS PROTVLIT, CASSINVS ALVIT, VATICANVS CORONAVIT. Idem affirmare videtur Ioannes Carthagena Minorita *tom. 4. Homiliarum Catholic. lib 17. homil. 2.* Ante illos etiam damnatus author Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniç, Centuria 5. in Appendic. ad Gualterum* Burlei sic habet. *Benedictus Duodecimus Romanus Pontifex, patria Tholosanus, professione Cisterciensis* (*Ioannes Palæonydorus, & Ægidius Faber Carmelitam probant*) Sic ille, qui quamuis rem indecisam relinquere videatur; quatenus tamen vltimo loco ponit sententiam pro Carmelitis, illam approbare videtur. Etenim DD. communiter solent vltimo loco referre opiniones, quas approbant. Glossa *in L. qui filium, §. Sabinus, ff. ad Trebel.* Decius *in cap. 1. num. 32. & sequentibus de constit.* & plerique alij. Adstipulantur etiam Carolus de Tapia *in Authent ingressi de sacr. S. Eccles cap. 17.* dum agens de Carmelitis ait ex eo Ordine prodijsse duos Summos Pontifices, qui forsan apud eum sunt Sanctus Dionysius, & iste Benedictus Duodecimus. Et Laurentius Beierlinch *in Theatr. vitæ hum. lib. 16. tom. 6. verb. Religiosus Religio* de Ordine Carmelitarum loquens, dum inter eos refert B. Benedictum Papam, per quem etiam forsan hunc Benedictum intelligit: etsi paralogizare videatur, eum *Martyrem* vocans.

Alia de ipso. 4 Fauent antiquissimæ picturæ, quarum vna extat Bruxellis, & alia Veronç à ducentis, & eo amplius annis; aliæque sculpturæ æneæ diuersis in locis, præsertim Parisijs, Venetijs, ac tandem Romç excussæ, in quibus idem Benedictus inter Carmelitas depictus cernitur. Magisque (& si res sit incerta) quod ex Vniuersitatis Tholosanæ Theologorum Cathalogo, Petro Lucio, vt supra testante, deprehenditur, dictum Benedictũ Carmelitanç Religionis Theologum fuisse; & quod, vt etiam relatus Alphonsus à Matre Dei inquit, hodie *in Cœnobio Carmelitano Tholosano extant vestigia eius Cellæ, & Claustri, quod elaborauit.*

Oppositio. 5 Nec his opponitur communis Historicorum consensus, qui hunc Benedictum Cistertiensem, vel Benedictinum Monachum appellant. Non enim diffitemur ita fuisse; sed simul credimus, Ordinis nostri traditionẽ, quod scilicet in prima, & iuuenili ętate, Habitum Carmelitanum susceperit, veram quoque esse. Similiter nec opponatur, quod Abbas Cisterciensis fuerit. Certissimum namque est plures ex Ordine Carmelitarum ad Abbatias Monachales, Summorum Pontificum authoritate, vel Principum præsentatione, quandoque electos fuisse. Prout constat in Martino Cupero Mechliniensi, qui ex Carmelitarum inferioris Germaniæ Prouinciali Abbas Diui Crispini celebris Monasterij effectus est: & in Melchiore Solerio natione Cathalano, qui ex eodem quoque Ordine ad Abbatiam Ganiconensem fuit vocatus: ac in Mathęo Flechia etiam Cathalano,

filio

filio Valentini Cœnobij à Carolo quinto Imperatore ad Abbatiam Portelensen, & Erthianensem assumpto. Talis ergo hic noster Benedictus Duodecimus potuit esse, & ad Abbatiam *Fontis frigidi* à suo auunculo Ioanne Vigesimo secundo electus. Ex quo cessat obiectio quorundam dicentium Sacrum Cistertiensem Ordinem in suis statutis habere, vt nullus, qui alium Ordinem professus esset ad Abbatias assumatur. Pro comperto enim est huiusmodi statuta Religionum non posse ligare manus Papæ ad faciendum, vel dispensatione saltem, quod sibi bene visum fuerit.

6 Magis vrget, quod idem Papa Benedictus inter Bullas, quæ ipsius extant in Tomo primo Bullarij Laertij Cherubini, vnam ediderit *num.* 5. in qua ait se *ab adolescentia* Ordinem Cistertiensem professum fuisse: ex hoc enim pro certo inferunt grauissimi nonnulli eiusdem Ordinis alumni, nunquam Benedictum sub Carmeli Religione vixisse. Cœterum telum hoc facile retunditur. Tum quia non dicit Papa se professum fuisse Cistertiensem Ordinem *à prima ætate*, à *pueritia*, aut *ab annis iuuenilibus*, sed *ab adolescentia*. Potuit ergo aliquot post pubertatem annis, & dum iuuenis erat, Carmelæum Ordinem profiteri, & postea ad Cistertiensem transijsse. Tum maxime, quia, vt sentit Marcus Barro, quem sequitur Ambrosius Calepinus, adolescentia pertingit vsque ad trigesimum annum. Etsi ergo admitti debeat Papam Benedictum pro anno trigesimo, vel aliquibus anterioribus sub Cistertiensium Patrum Regula vixisse, locus tamen relinquitur, vt pro vigesimosexto, vigesimo quarto, vigesimo, vel infra, Carmeliticum Habitum gestauerit. Obiectio.

7 Impugnant etiam ijdem grauissimi Patres Epitaphium illud superius relatum. Primo quidem in illo verbo: *Hic iacet Benedictus*; eo quod Hic Papa non Romæ; sed Auenione obierit: illud autem Epitaphium affixum dicitur Romæ. Secundo, in illo *Cassinus aluit*; quia videlicet non Cassinensis, sed Cistertiensis Monachus fuit; Tertio, in illo *Vaticanus coronauit*; quia non apud Vaticanum, sed Auenioni coronatus fuit. Hæc vero facile cadunt; Nam, quod ad primum spectat, Carmelitani in verbo *Hic*, intelligunt Auinionem; in verbo *Cassinus*, agnoscunt Ordinem Diui Benedicti, cum suis Congregationibus, vti Illescas à Chrysostomo citatus intellexit; in verbo *Vaticanus* intelligunt Sedem Pontificiam Diui Petri, siue sit Romæ, siue Auenione. Ita Alphonsus à Matre Dei superius nominatus. Addo ego, omnibus compertum esse, huiusmodi Epitaphia pro Viris Clarissimis edita, non solum tropis, metaphoris, alijsque figuris referta esse; sed quandoque etiam non super sepulchra affixa, sed alibi inscripta, ad defunctorum laudes, vel gesta commendanda. Quid ni ergo idem de hoc Epitaphio censeatur? Adderem etiam, Epitaphium hoc à Carmelitis adinuentum non fuisse, sed ab exteris Authoribus euulgatum, scilicet Renato Copino, Antonio Posseuino, & Claudio de la Ville superius citatis. Cum ipsis igitur agendum super veritate ipsius. Alia [illegible]

8 Fuit hic Pontifex Doctorum hominum studiosus, vt propterea in- Benedicti Papæ gesta

ter alios, tum nostri, tum aliorum Ordinum Theologos, charus illi fuerit Ioannes Vualsinghamus Anglus Ordinis nostri celebris Doctor, quod testatur Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus*, de eo sic loquens: *Charus quidem fuit Vualsinghamus præfato Papæ Ioanni, sed charior illius Successori Benedicto Vndecimo, apud quem non mediocri in honore diu moratus est*. Sed cũ hoc ita acciderit, immerito eum obijsse dicit circa annum 1330. dum vsque ad hunc annum 1335. Benedictus Pontifex non fuerit.

Benedicti Bulla.

9 Hoc primo anno sui Pontificatus Auinione quarto nonas Iulij, expertus damna, quæ ex transitu Mendicantium ad Monachales Ordines Monachorum Nigrorum, & Cistertiensium proueniebant, decreuit Pontifex, *ne cuiuscunque Ordinis Mendicantium Professor ad aliquem dictorum duorum Ordinum quoque modo transire valeat sine Romani Pontificis licentia speciali, plenam, & expressam faciente de Constitutione huiusmodi mentionem*. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol. 78. pag. 2.* & in primo Tomo Bullarij Laertij Cherubini inter Constitutiones Benedicti Duodecimi, *num. 1.* Hæc tanta, ac tam sedula Benedicti solicitudo pro transitu ex Mẽdicantibus ad illos duos Ordines interdicendo, & quod in eadem Bulla dicatur *experientia docente manifeste* prædicta damna cognita esse non incongrue suadet veram esse Ordinis traditionem, quod ipse prius Carmeli Religionem professus ad Cistertienses transierit; quod non esse inconueniens admittit Montaluus Chronista Cistertiensis *lib. 2. cap. 29.*

De Placentini Cõuētu

10 Placentini Cœnobij Ecclesia circa hunc annum fabricata demõstratur ex Locato *in historia Placentina*. De Conuentu tamen ipso, vel quo anno extrui ceperit, vsque modo incompertum. Quia tamen Mediolanense Cœnobium iuxta Corium *in histor. Mediolan. sub ann. 1268.* exordiũ habuit, & in numeratione Conuentuum Prouinciæ Lombardiæ, ad quam duo hæc insignia Monasteria spectant, Placentinum non multo post Mediolanense refertur, ideo vrgenti coniectura elicitur, per plures annos ante talis Ecclesiæ erectionem nostri Ordinis Conuentum Placentiæ extitisse; etsi quo in loco non constet. Maixmè verò suspicio coadiuuatur, quod extant legata pia pro Carmelitis ante eius Ecclesiæ fundationem. Etenim pro anno 1276. in Archiuio PP. Sancti Ioannis Ordinis Prædicatorum sic inuenitur. *Santa Maria de Carmo il legato l'hà fatto la q. Signora Luigia vedoua Opizo da Iustino*. Alia porro de hoc nobili Cœnobio suo loco, & tempore dicentur.

Ann.

Ann Christi 1336. Benedicti 12. Roman. Pontif. 2. Ludou. Bauar. dict. Imp. 15. Andronic. iun. Imper. Orient. 5. Petri de Cæsis Generalat. 6.

1 HOc anno crudele bellum inter Galliæ, & Angliæ Reges inceptum, in magnum rei Christianæ detrimentum: diutius enim perdurauit cum vtriusque gentis pernicie. Gordonus, Bzouius, Spondanus. Ludouicus autem Bauarus, Legatis missis ad Summum Pontificem absolutionem petens, nihil tamen obtinet, nisi admonitiones. Ptolomæus, Bzouius. Pontifex declarat fidei veritatem de animarum Iustorum post mortem ante diem Iudicij visione, & fruitione beatifica; suum etiam Prædecessorem Ioannem ab errore excusans. Taceat igitur impius Caluinus, dum eum hæreticum appellare non erubescit. Gesta hoc tempore.

2 Solicita interim Generalis Petri de Cæsis cura anno isto Bruxellis Capitulum generale celebrari fecit, more solito in die sancto *Pentecostes*. In eo autem pro communibus Ordinis expensis taxantur; primo, Prouincia Terræ Sanctæ; secundo, Siciliæ; tertio, Angliæ; quarto, Narbonæ; quinto, Vicariatus Perpiniani; sexto, Romæ; septimo, Franciæ; octauo, Alemaniæ; nono, Lombardiæ; decimo, Aquitaniæ; vndecimo, Vicariatus Tholosanus; duodecimo, Aragoniæ; 13. Hiberniæ; 14. Prouincia Prouinciæ; 15. Scotiæ; 16. Thusciæ; 17. Bononiæ. Ex quo habetur, quod sexdecim Prouincijs in Capitulo Generali proxime acto Nemausi anno 1333. numeratis adiuncti sunt duo Vicariatus; nempe Perpiniani in quinto loco, & Tholosæ vndecimo. Non fit autem mentio Appuliæ, etsi in superioribus Prouincia constituta sit, vel, quia cum Sicilia, aut cum Bononia forsan vnita fuerit, in quo nihil certi habemus. Extat hoc Capitulum cum actis ipsius *in lib. Ordinis fol. 3. pag. 1.* Generalia Comitia.

3 Refertur in hoc Capitulo, vt Lector sententiarum Parisiensis Cœnobij frater Ioannes de Chimeneto, vt dicitur, Gallus natione, & Conuentus Metensis; & quod Parisijs existens Doctor egregius euaserit. Erat enim vir in diuinis Scripturis studiosus, & multum eruditus, ingenio præstans, & clarus eloquio, declamatorque Sermonum popularium celebris. Scripsit Tractatulum, qui incipit: *Filij Sanctorum estis*, & habetur in volumine *Speculum Ordinis* nuncupato *fol. 49. pagina 3.* Scripsit etiam Sermones de tempore, de Sanctis, & de Quadragesima, & alia quædam. De hoc agunt Trithemius *de Scriptoribus Carmelit.* Posseuinus *in Apparatu Sacro*. Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana*. & Biscarretus, qui dicit eum obijsse circa annum 1380. Posseuinus autem pro anno 1340. vixisse scribit. Ioannes de Chimineto.

4 Post Prouincialatum in Anglia eximij Doctoris Baconij, quem an- Polesedus.

no 1333. diximus, Romæ, & in Italia sui nominis claritate Orbi claruisse, Ioannes Polestedus Doctor Oxoniensis Prouincialis efficitur anno proxime præcedenti 1335. vt notat Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate 14.* vnde in hoc Capitulo Bruxellensi Angliæ Prouincialis nominatur. Fuit vir illustris, vita, & doctrina, vt circa annum 1341. perpendimus.

B. Cyrillo Oraculum.

5 Hoc anno, quo crudele illud bellum inter Francos, & Anglos, vt diximus, inceptum est, adimpletum credimus Propheticum illud nostri Beati Cyrilli Eremitæ Montis Carmeli, quod *cap. 7. Oraculi Angelici* sic dixit. *Tunc gallus cum vulpe soliti dimicabunt, donec medio paranympho sedentur cum alijs, prout poterunt.* Hoc autē per multos annos vsq; ad 1360. durauit, etsi Summorum Pontificum diligentia, medijs Cardinalibus, & Legatis extingui curatum sit: sed frustra, donec prædicto tempore, Deo operante, data pax, quam mundus dare non potuit, quibusdam conditionibus vtrinque datis. Sic intellexit prædicta verba Ioachimus Abbas in expositione dicti Oraculi Beati Cyrilli. *Hic tangit* (inquit) *conflictum non insolitum inter Reges Francorum, Anglicorumque, qui sedari non poterit, nisi mediante paranympho, id est, Cardinali aliquo, vel Prælato illuc misso.*

Ann. Christi 1337. Bened 12. Roman. Pontif. 3. Ludouici Bauari dicti Imp. 16. Andronici iun. Imperat. Orient. 6. Pet. de Cæsis Generalat. 7.

Gesta hoc anno.

1 Dhuc sub hoc tempore Ludouicus Bauarus precibus porrectis Papam pro sui reconciliatione vrgebat. Sed nihil etiam obtinebat, quia Pontifex ipsius verbis credendum non iudicabat. Curabat tamen bellum Anglicum medijs suis Legatis impedire. Ptholomæus, Villanus, Bzouius.

De B. Petro Thoma.

2 Parisijs sub hoc anno, vel circiter, Petrus Thomas nostri Ordinis egregius alumnus, altioris doctrinæ studio intendebat; ibi per triennium moratus; postquam Burdegaliæ, & Albiæ inferiorum scientiarum, Dialecticæ nempe, & Philosophiæ operam dederat. Fructuū, quos post modū in Sancta Dei Ecclesia vberrimorum erat sparsurus, adeo egregiè, vt non plures illi conferendi iure sint, vt in Annalium discursu propalamus, hi erant flores. Accidit autem eo tempore, quo post Sacerdotij dignitatem obtentam, studijs, & litterarum exercitijs vacabat, quod semel egestate oppressus, quia Monasterij, in quo erat, paupertas non ipsi necessaria elargiri posset, vt ad *thronum gratiæ, & misericordiæ matrem,* Deiparam Virginem pro auxilio recurrens, vt cepta studia relinquere non cogeretur, ab ipsa visibiliter illi apparente hæc audierit: *Fili mi, ne te sollicitum paupertatis cura detineat, quoniam te nunquam deseram: alacriter studens; Filio*

meo,

meo, ac Mihi semper inseruiens. Quibus dictis euanuit visio, & mane facto, Petrus Missam in Beatæ Virginis honorem, & gratiarum actionem celebrauit. Sacrificio finito, nobilis quidam sese ipsi confessurus peccata obtulit, qui post confessionem sex auri numismata impertitus est, manifestè Dei clementia, & eiusdem Virginis intercessione cognita, quam tum in corporeis, tum in spiritualibus semper expertus est. Hæc ex Mazzer. in *vit. Beati Petri Thomæ cap. 1.* apud Bollandum in superioribus relatum.

3 Ad hunc annum, iuxta aliquos, refertur Daniel à Vvichtrigh, ex nobili familia de Vvichtrigh, Diœcesis Colonien. Doctor, Theologus Parisiensis, & vir eximia doctrina, & prudentia præditus, ac vtriusque Alemaniæ Prouincialis anno 1315. factus. Is per Benedictum Duodecimum Episcopus Vverdensis, seu Verdensis in Saxonia constitutus fuit: & cum Sedem illam 19. annis administrasset, relicto Clero suæ Ecclesiæ rebelli, nec disciplinæ assueto, Coloniam ad suos redijt; & Episcopi Coloniensis Suffraganei munia exercuit. Scripsit Apologeticum librum, cuius meminit Simlerus in Bibliotheca contra Ecclesiæ suæ Clerum *lib. 1.* & alia. Obijt post annum 1333. in quadam Abbatia Ordinis Cistertiensis, quo ob quędam negotia diuerterat; & condignam sepulturam ibi accepit, cum Epitaphio, quod etiam ibi extare dicitur. De ipso agunt Conradus Gesnerus in Bibliotheca, Renatus Copinus *lib. 2. de Monachis* dicens sub hoc anno nactum fuisse Præsulatum Verdensem, refert etiam Bruschum, & Albertum Crantzium in sua Metropoli. Eum etiam commemorat vt Verdensem Episcopum Ludouicus Cellotius de Hierarchia *lib. 5. cap. 9.* Biscarretus autem aliter loquitur de hoc Daniele sic scribens: *Daniel Leodiensis, à præclara illa Vrbe Leodij sic dictus, inter Carmeli Palmites Doctor rarus, ac celebris, in rebus gerendis prudens, ac industrius; fuit aliquot annis Prior in suo Monasterio, postea factus fuit Episcopus Vrtonensis, inde Suffraganeus Episcopi Leodiensis, quo in munere, Clero, & Populo gratissimus extitit. Obijt ibidem, & sepultus in Ecclesia Carmelitarum, ad cuius tumulum lapideum aneis laminis coopertum, & auratum appositum fuit simplex nominis, & dignitatis illius memoria, & anni obitus, qui contigit 1337.* Sed magis credendum Segero Pauli, ex quo ea, quæ diximus, desumpta sunt. Qui etiam merito reprehendit Albertum Krantium relatum, vel Dauidem Cytræum Lutheranũ nomine ipsius, dicentem, hunc Danielem Coloniæ in excommunicatione obijsse.

Daniel à Vvichtrigh.


4 Ea tempestate credimus Sanctũ Andream Corsinum è Parisijs regressum, Auinione apud Petrum Corsinum consanguineum in Curia Papali commorantem moram gessisse. Cum enim postquam è Gallijs reuersus Florentiam est, pauco intercedente tempore, vt ex Scriptoribus vitæ ipsius colligitur, Prior Florentini Cœnobij fuerit electus, & postea ad Episcopatum Fesulanum assumptus, quod anno 1349. contigit, ideo conijcimus his annis apud Auinionem mansisse, sanctitatis, & perfectæ Religionis radijs fulgentem.

De S. Andr. Corsino.

Quo-

Eiusdē gesta 5 Quomodo autem sui Prioratus tempore miraculosæ curationis gratia, & spiritu Prophetiæ claruerit, sic damus ex Laurentio Surio eius vitæ Scriptore. *Andreas Conuentui Florentino præficitur: in qua administratione tanta vitę sanctimonia claruit, vt narratu difficile foret. Venturam Carmelitanum Pisanum quemdam ab hydropisis morbo curauit. Rogatus à quodam familiari, cui puer natus erat, vt eundem puerum baptizaret, non recusauit: sed dum illustraretur aqua, & Chrismate, Andreas, cui Deus futura reuelauerat, mirum in modum lachrymis irrigatur. A quo, cum pater pueri lachrymarum causam quæreret, Andreas inquit, hic puer sibi, ac familiæ suæ excidio natus est. Pater vero præsagium huiusmodi parui faciens viri Dei verba contempsit. Puer autem crescens non secus, ac Andreas prædixerat, flagitijs, ac facinoribus coopertus cum multis contra Rempublicam iurauit, qui in iudicium vocatus tanti sceleris pœnas soluit; omnesque cognati eius ab omni administratione Reipubl fuerunt abdicati.* Alia de ipso vitæ ipsius Scriptores. Quo autem anno ea contigerint, aut quo anno Prioratum suum cœperit, incertum nobis est.

Ann. Christi 1338 Bened. 12. Roman. Pontif. 4. Ludou. Bauar. dict. Imp. 17 Andronic. iun. Imperat. Orient. 7 Petri de Cęsis General. 8.

Bauarus cōtra Papam. 1 Vb hoc anno, cum Ludouicus Bauarus Ioannis Vigesimi secundi hostis à Benedicto Duodecimo successore desiderata ad votū non reciperet, aduersus ipsum insurgens, & Antipapam denuo, quem titulo Summi Patriarchæ nominauerat in Germania constituens, decretum edidit, quo sub multis pœnis, etiam læsæ Maiestatis, mulctabat, asserentes Imperialem dignitatem à Papa esse, aut pendere. Quod sciens Pontifex omnibus Prælatis Ecclesiarum præcepit, vt processus, & sententias contra Ludouicum à Ioanne prædecessore edita publicarent. Cum autem plures Ecclesiasticæ disciplinæ zelo flagrantes vęsanienti Ludouico se opponerent (inter quos credimus Ioannem Vvalsinghamum fuisse libro illo edito *de Ecclesiastica potestate*) Ioannis Pontificis censuras contra Ludouicum publicantes, vel seruandas esse docentes, variè ab ipso mulctati sunt. Nauclerus, Auentinus, Cuspinus.

Carmelitar. vexatio. 2 Hæc porro persecutio in Clerum Catholicū excitata, nostros etiam Carmelitas vexauit: qui ab Henrico de Fribergh Moguntino Archiepiscopo, in gratiam Ludouici, è suis locis fuerunt eiecti, dum potius Papæ, quam Ludouico obediendum merito censerent. Ita enim habet Francofurtense Chronicon Ioannis Latomi, & sequuntur Bzouius, & Odoricus. Dedit tamen pœnas postea Henricus à Clem. 6. Auinionem citatus. Idem Bzouius.

De B. Petro Thoma. 3 Cadurci in Gallijs hac tempestate noster Petrus Thomas, Lector, & Con-

& Concionator erat: qui præ magna dicendi facultate, & eloquentia ſingulariſſima, ſingulos in ſummam ſui raperet admirationem. Cum autem, eo ibi commorante, terræ ſiccitate, & æſtu ſegetes, & fructus aperirent, publicæque ad Deum preces effunderentur, indicta Proceſſione, Petrus cōcionem habuit, populum pene deſperatum, vt in Beatæ Virginis patrocinio ſpem reponeret monens; quod eadem die pluuias accepturus eſſet. Res ſane miranda! Cum vix nubes in Cælo, aut ſignum imbris peterent, Deus Sacris Auguſtiſſimæ Virginis precibus, & ſerui ſui promiſſioni aſsiſtens, priuſquam dicendi finem feciſſet, pluuiam dedit copioſam. Miraculo ſtupefacti homines, & Beati Petri vitæ ratione habita, eum, vt *Sanctum* venerabantur; vt propterea humanam laudem execrans à Cadurcenſi illa Ciuitate abeſſe deſideraret. Ex *vita Beati Petri Thomæ.*

Ann. Chriſti 1339. Bened. 12. Roman. Pontif. 5. Ludou. Bauar. dict. Imper. 18. Andronici iun. Imp. Orient. 8. Petri de Cæſis Generalat. 9.

1 FOelix hic annus appellari poteſt, quia eo tempore Romani, relicto Ludouico Bauaro, Pontifici obediētiam præſtitere: Mauri Hiſpaniam inuadentes à Caſtellanis vincuntur: ſicut etiam Turcæ in Thracia. Blondus, Mariana, Gregoras. Annus fęlix.

2 Lemouicenſe Generale Capitulum celebratur hoc anno die S. Pentecoſtes, ſub Petro de Cæſis Generali Ordinis Præſule. In eo primum pro expenſis Ordinis taxantur. 17. Prouinciæ numeratæ in Capitulo Bruxellenſi anno 1336. in quarum numerum ingrediuntur Vicariatus Perpiniani, & Tholoſanus. Vicariatus autem Perpiniani cum hoc nomine vocetur in prædicto proximè præcedenti Capitulo, in hoc vero Lemouicenſi vocatur Vicariatus *Perpiniani, & Maioricarum.* Ordinati ſunt Prouinciales, Priores Curiæ Romanæ, & Pariſiorum, ac Procurator Ordinis, videlicet Radulphus Kelei poſtea Archiepiſcopus Caſalenſis in Hibernia anno 1342. & Lectores ſententiarum Pariſijs. Demum de Biblicis Ordinatis cōmiſſum fuit Priori Generali, & dederunt ei poteſtatem Ordinationem Baccalaureorum mutandi quantum ad locum, & perſonas, ſi ſibi viſum fuerit expedire. Ita habetur in libro Ordinis *fol.* 3. *pag.* 1. *&* 2. Capitul um Generale.

3 De hoc Capitulo Lemouicenſi hæc habet Boſtius *lib.* 7. *Specul. hiſt. cap.* 41. de Generali Petro de Cæſis, quem vocat virum multum litteratum, & deuotum loquens. *Hic autem Reuerendiſſimus Generalis anno Domini* 1339. *in feſto Pentecoſtes celebrauit ſuum Capitulum Generale in Conuentu ſuo Lemouicenſi, in quo tunc ordinabatur, quod per totum Ordinem fieret feſtum nouem lectionum de Sancto Martiali ad modum vnius Apoſtoli quoad Officium, & ſolemnitatem ſicut de Sancto Barnaba, & alijs Diſcipulis Domini Eccleſia*

facere

facere consueuit, maxime cum ipse inter alios Discipulos Christi, & Apostolos fuerit semper Comes assiduus, & familiaritis amicus. Debet autem prædictum festum celebrari in crastino Octauarum Apostolorum Petri, & Pauli, cum festum prædictum veniat in die Commemorationis Sancti Pauli, & totum tempus intermedium vsque ad crastinum Octauarum de ipsis Octauis, & de dicta cōmemoratione est occupatum. Item, quod festum vndecim millium Virginum ad modum festi duplicis per totum Ordinem celebretur. Item, quod de Sancto Saturnino per totum Ordinem fiant nouem lectiones. Palæonydorus autem lib. 3. cap. 11. sic: *Ibi fuit statutum, quod de Sancto Martiali, & Sancto Timotheo fieret festum duplex, vt vnius Apostoli, & duplex festum de Sancta Vrsula. Insuper nouem lectionum de Sanctis Mauro, & Saturnino.* Cum autem hæc in actis huius Capituli, prout in prædicto libro Ordinis extant non reperiantur, existimandum, solum viua voce intimata fuisse à Generali Prouincialibus, & inde postea executioni mandata, vt in simili diximus de alijs decretis Capituli Barcinonensis anno 1324.

Illustres Patres.

4 Illustriores Patres huius Capituli cum Generali fuerunt Ioannes Polsteyde Angliæ Prouincialis, & Ioannes de Sublobijs Alemaniæ, & Ioannes de Vineta Prior Parisiensis, ac Lector Sententiarum eo Collegio pro secundo anno, de quibus suo loco dicemus. Refertur etiam Prouincialis Hiberniæ Ioannes de Goldsten, de quo anno 1320. cum Pitseo diximus eo tempore claruisse, nisi forte diuersi fuerint Religiosi, eiusdem tamen nominis, quod scire non possumus.

Conuentus Dynbyæ.

5 Erigitur hoc anno in Anglia nouum Ordinis Cœnobium, absdubiè solicita cura Ioannis Polsteyde Prouincialis, Dinbyæ, Fundatore Ioanne Slynnemore. Speculum Ordinis *fol. 60. pagina* 1. In Tabula tamen fundationum Monasteriorum Angliæ nihil tale reperitur sub hoc anno: sed solum sub 1399. regnante Richardo secundo Rege, quod Denbighiæ in Cambria fundatum fuerit Cœnobium, fundatore Ioanne de Sunimore. Quæ propter verborum similitudinem alludere videntur ad hoc Dinbyense, de quo in Speculo Ordinis.

Ann. Christi 1340. Bened 12. Roman. Pontif. 5. Ludou Bauar. dict. Imp. 19. Andronici iun. Imp. Orient. 9. Petri de Cæsis Generalat. 10.

Celebris casus.

1 Ræcipuis huius anni casus, ipsoque Orbi Christiano celeberrimus est, qui eo tempore Dei singulari beneficio in Hispania contigisse describitur. Cum enim Alboachenus Marrochij Rex in Christianorum Regna irrupisset cum tanta Afrorum multitudine, vt à nonnullis dicatur fuisse numero 600. millia peditum, & sexaginta millia equitum, Deo nihilominus adiuuante, Hispani tam gloriosam de illis

illis victoriam reportarunt, vt supra 200. Maurorum millia in prælio, fugaque ceciderint *è Christianis; quod vix fidem faciat, viginti desiderati non amplius*, inquit Mariana celebris Hispaniarum Scriptor.

2 Sub isto anno, inter egregios alios Ordinis cultores, quorum aliquos suis locis referimus, in Anglia maximè, quæ semper vt fertilissimus ager plures è nostris illustrissimos protulit viros, clari erant multi. Primus Gaufridus Alienansus, patria Eboracensis, Oxoniensis Doctor, vir pietate, & doctrina clarus. Scripsit Commentarios in Diuum Lucam *librum vnum*. Tabulam Originalium *librum vnum*. Sermonum ad Populum *librum vnum*. Quæstionum Ordinariarum *librum vnum*. Hæc Lelandus, & Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 14. circa annum* 1340. Hunc Patrem vocat Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, Galfridum Alyeuaunt, & de eo ibidem. Eisengrineus, Posseuinus, Biscarretus. Gaufredus Alienantus.

3 Quã celebris etiã ea tempestate Carmelitana Religio in Angliæ Regnis esset, ex pluribus Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis, quos Sedis Apostolicæ gratia, maximè Ioannis Vigesimi secundi, & Benedicti Duodecimi modernorum Pontificum, ac Regum Eduardi secundi, & tertij, erga nostros deuotione habuit, conijcitur, & ex Ioanne Balæo in prædicto Cathalogo Scriptorum Brittanniæ. Loquens enim de dicto Galfrido Alyeuaunt, seu Gaufredo Alieuanto, vt Pitseus vocat, sic etiam inquit de Carmelitis: *Præter Episcopos, quos in Anglia tunc plures habebant, Richardum Northal Archipresulem Dublienensem, ac Richardum Quye Episcopum Clonensem ad Hibernos, & Stephanum* Broune *Episcopum Rosensem ad Scotos miserunt*. Ordo floret in Anglia.

4 Qualiter etiam eodem tempore Hugo de Sancto Neoto Ordinem illustrauerit, ex Ioanne Pitseo *supra*, transcribimus. *Hugo de Sancto Neoto, idest, ad fanum Sancti Neoti in Anglia natus, Ordinis Carmelitani Monachus in Cœnobio Huchinensi Comitatus Nartfordensis, qui Cantabrigia multo tempore studijs melioribus diligenter inuigilans, tandem post emensum laudabiliter illum cursum, Theologici Doctoratus insignibus ibidem solemniter donatus est, vt author est Lelandus. Theologiam inter suos aliquando docuisse dicitur, & insignis diuini Verbi Preco frequentes apud Populum sermones habere solitus est, vnde pietatis, ingenij, doctrinæ hæc sequentia monimenta ad posteritatis vtilitatem reliquit, vt scribunt Trithemius, Sixtus Senensis, & alij. In Sanctum Lucam librum vnum. De Conceptione Beatæ Mariæ semper Virginis librum vnum. Sermonum per annum, librum vnum. Quæstiones disputatas, librum vnum. Obijt Huchini, & ibidem sepultus est sexto idus Septembris anno postquam Deus filium suum misit in hunc mundum* 1340 *regnante in Anglia Eduardo tertio*. Hæc Pitseus. De eo etiam Balæus *in Cathalog. Scriptor. Brittann.* Posseuinus, & Biscarretus. Videtur autem esse eum, quem Nicolaus Herpsfeldius *in sua Histor. Eccles. Anglic.* vocat Hugonem Hichinensem, quem etiam celebrat, & commendat. Hugo de S. Neoto.

5 Lucas etiam Bosdonus, vir integerrimæ vitæ, & doctrinæ solidæ, Lucas Bosdonus.

Oxoniensis Doctor, sub eodem anno in Ordine nostro clarus erat. Scripsit in sex principia Gilberti Porretani quæstiones vndecim *librum vnum*, Quæstionum Theologicarum *librum vnum*. In Philosophiam naturalem. *lib. octo*. De eo Pitseus *num. 517*. Balæus *supra*. Posseuinus, & Biscarretus.

Stephanus Broune. 3 Stephanus Broune ex eadem Anglia Ordinis nostri Alumnus. Eduardo primo Anglorum Regi astitit, & sub Eduardo tertio Rossensis Episcopus creatus, voluminibus editis hoc anno mortuus. Ioannes Balæus *supra*. De eo etiam Pitseus, etiam *supra num. 519*. etsi illum Carmelitam vocare oblitus sit. Eius opera recenset *librum vnum* Concionum, & lecturarum Scholasticarum *lib. alterum*.

Ioan Guldenere. 4 Clarus etiam erat in Belgio, & Conuentu Bruxellensi, Ioannes Guldenere Doctor Sorbonicus, sui sæculi Ecclesiastes summus, & optimæ vitæ Religiosus. Scripsit Sermones de Sanctis; de tempore; per Aduentum; Quadragesimale, & collationes feriales. Decessit autem Bruxellis apud suos. Sic ferme Franciscus Suuertius in Athenis Belgicis. Posseuinus addit fuisse Germanum, & Conuentus Coloniæ.

Ludlolbiense Cœnobium. 5 Ludlolbiense Cœnobium in Anglia hoc anno erectum, fundatoribus Domino Laurentio Ludlolbe, cum Domina Halhisia consorte sua. Ita habet Speculum Ordinis *fol. 60*. Cœterum in Tabula illa Chronographica fundationum Monasteriorum Angliæ aliter scribitur de hoc Cœnobio: dicitur enim fundatum anno 1349. & eius fundator nominatur D. Laurentius Ludlouu Eques. Forsan, vt sępius diximus, hæc varietas cōtigit propter nouam ędificationem eiusdem Monasterij in diuersis annis.

Ann. Christi 1341. Bened. 12. Roman. Pontif. 7 Ludouici Bauari dicti Imp. 20. Palæologi Imperat. Orient 1. Pet. de Cæsis Generalat. 11.

Successio Imp. Orient. 1 Ndronicus Imperator Orientis moritur hoc anno; illique succedit Ioannes Palæologus octo annorum puer; cuius tutor Ioannes Cantacuzenus Imperium assumens filiam suam dat in vxorem suo pupillo. Honuphrius, Gordonus, Spondanus.

De B. Petro Thoma. 2 Ex nostra historia nos vocat Petrus Thomas, cuius vitæ primordia in superioribus adduximus. Hic enim, postquam Cadurci concionibus, & lectionibus virtutis, & ingenij specimen satis præbuerat, Lutetiam Parisiorum reuertitur, Sacræ Theologiæ studia peracturus, vbi per quadriennium moratus Baccalaurei gradu donatus est. Hinc ad officium Procuratoris Ordinis anno 1345. promotum in Capitulo Generali Mediolanensi ibidem dicemus. Mazzerius *in vita Beati Petri Thomæ cap. 2. apud Bollandum*.

Io. Polestedus. 3 Eodem anno supremum diem obijt Ioannes Polestedus Anglus, Ordinis

Ordinis nostri alumnus egregius. Patria fuit Sufolcensis, Doctor Oxoniensis, & Angliæ Prouinciæ Prouincialis, vt diximus anno 1336. Nominatur Bibliorum lector in Capitulo Generali Albiensi anno 1327. & vt Prouincialis affuit Capitulis Bruxellensi anno 1336. & Lemouicensi anno 1339. vt constat ex libro Ordinis *in prædictis Capitulis*. Fuit, teste Pitseo, *vir prudens, modestus, grauis, integerrima vita, insignis doctrina, acutus Philosophus, profundus Theologus, Concionator elegans, & disertus. Hæ virtutes, & eximiæ dotes in causa fuerunt, quod anno Domini 1335. suorum in Anglia Prouincialis fuerit electus, quod munus sanctè, soliciteque obiuit, ad integrum plus minus septennium, scilicet vsque ad vitæ suæ finem*. Scripsit plura volumina suæ doctrinæ testimonia. Super Magistrum Sententiarum, *libros quatuor*. Concionum per annum *librum vnum*. Sermones in visitationibus, *librum vnum*. Indices copiosos in *Sanctum Augustinum librum vnum*. Epistolarum ad diuersos *librum vnum*. Quæstiones varias, *librum vnum*. In Aristotelis Phisicam, *libros octo*. Eboraci sepelitur in nostrorum Cœnobio sub polito marmore tumulatus. Pitseus *de Illustrib. Angl. Scriptorib. Ætate 14. num.* 537. Balæus *in Cathalog. Scriptor. Brittann. sub hoc anno*. Lelandus apud Pitseum. Iacobus de Plebe *in Indice*. Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana littera I*. Einsengrineus, Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus.

4 Duo alij Ordinis clari Alumni sub hoc anno in Anglia florebant, Ioannes Bamptonus vnus, Cantabrigensis Doctor, Vir, teste Lelando acutissimi ingenij, & qui perscrutandis Aristotelicis subtilitatibus, nec parum, nec inutiliter desudauit. Scripsit librum vnum octo quæstionum *de veritate propositionum*, & alium lecturarum Theologiæ. De eo Pitseus *supra n.* 538 Balæus, Biscarretus, & alij. *Ioan. Bambtonus.*

5 Alter fuit Ioannes Campscenus, Vir in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, ingenio præstans, & clarus eloquio, de quo extant sermonum de Sanctis *liber vnus*, & Sermonum de tempore *liber alter*. De eo Pitseus, *vt supra num.* 539. Trithemius, Petrus Lucius, Posseuinus, Biscarretus. *Ioan. Campscenus.*

Ann. Christi 1342. Clem. 6. Roman. Pontif. 1. Ludouic. Bauar. dict. Imp. 21. Palæolog. Imper. Orient. 2. Petri Raimundi General. 1.

1 SEquenti Anno 1342. obijt papa Benedictus, & paulo post Cardinalis Petrus Rogerij sub nomine Clementis Sexti salutatus fuit. Qui statim pro conciliandis Anglis, & Gallis, ac impediendis conatibus Ludouici Bauari sedulo adfuit. *Clem. 6. PP.*

2 Computatur hic Pontifex inter benignos Ordini nostro deuotos,

ob beneficia ipsi collata, quæ in sequentibus referimus. Etenim Confessarium ex nostris habuit Petrum Berretum; plures ex eis ad Prælatus euexit. Maximè Petrum de Cæsis Generalem ad Hierosolymitanum Patriarchatum; Radulphum Kelei Procuratorem Generalem ad Archiepiscopatum Casalensem in Hibernia, & priuilegia varia Ordini concessit.

Nicolaus Siculus. 3 Præsertim etiam hoc anno pro 14. Kalend. Augusti, prout ex Regesto Vaticano refert Ferdinandus Vghellus Cistertiensis *in Italia Sacra, Tom.* 3. dum agit de Episcopis Suanensibus in Hetruria iuxta Senas, ad eum Episcopatum assumpsit Nicolaum Siculum Messanensem Ordinis nostri Professorem, Dicit tamen vsque ad ann. 1362. vixisse; in quo falli videtur, cum pro anno 1347. alius Ordinis nostri Pater, Paulus Neri Bassi eius Ecclesiæ Episcopus obierit, vt eo anno dicemus, Hic igitur Nicolaus antea obierat.

Generale Capitulum. 4 Celebratur eodem anno Capitulum Generale Lugduni in die Pentecostes. Vbi Petrus Raymundi de Grassa Prouinciæ Narbonensis, & Conuentus Tarsacij in 15. Generalem Ordinis eligitur. Arnoldus Bostius *lib. 7. Specul. histor. cap.* 42. Ioannes Grossi *in Viridario Claui* 2. Ioannes Palęonydorus *lib.* 3. *cap.* 11. Claudius Robertus *in Gallia Christiana in Tractatu de Generalibus Carmelitarum.*

Gesta in hoc Capitulo. 5 De hoc Capitulo Palęonydorus relatus sequens more sibi solito, Bostium in loco citato, inquit: *Fuit statutum, & approbatum Officium Sororum Virginis in die Sancti Vrbani celebrandum* (quod intellige, quia tale Officium 25. Maij, qua Sanctus Vrbanus colitur, agebatur, vt constat ex Kalendario Ordinis, iussu Capituli Generalis Romæ in Sancto Martino de Montibus celebrati anno 1654.) *Item, quod Octauę fierent de Corpore Christi, de Sancto Michaele, & de omnibus Sanctis*, quę cum in libro Ordinis, qui nunc extat, non reperiantur, credendum viua voce ordinata fuisse Prouincialibus Ordinis, nec scripturæ mandata, iuxta dicta etiam *supra anno* 1324. Addit specialiter Bostius relatus, ordinatum fuisse in hoc Capitulo, quod Antiphona *Aue Regina Cælorum* cum Versu, *Ora pro nobis*, & Oratione *Protege*, post gratias diceretur extra Chorum, vbi hoc commode poterat obseruari.

Alia de hoc Capitulo. 6 Numerantur in hoc Capitulo decem & septem Prouincię; & Prouinciales, hoc ordine, videlicet, prima Terrę Sanctæ. 2. Siciliæ. 3. Angliæ. 4. Narbonę. 5. Romæ. 6. Alemanię. 7. Lombardiæ. 8. Aquitanię. 9. Aragonię. 10. Hibernię. 11. Franciæ. 12. Scotiæ. 13. Thusciæ. 14. Prouincię. 15. Bononię. 16. Tholosę. 17. Maioricarum. Ac proinde iam Tholosa, & Maiorica sub nomine prouinciarum, & non Vicariatuum recensentur, nec Maiorica sub titulo Perpiniani, vt in proximè præcędentibus Capitulis. Sic constat ex lib. Ordinis *fol.* 3. *cap.* 2. vnde corrigendus est Palæonydorus dum *lib.* 3. *cap.* 11. dicere videtur numeratas esse 19. Prouincias, cum non fuerint, nisi 17. Ordinati sunt, prętereą in hoc Capitulo Priores Curię Romanæ, & Parisiensis, Procurator Ordinis, cum

Lecto-

Lectoribus Sententiarum, & Bibliorum Parisiensis Cœnobij.

7 Ex grauioribus Patribus huius Capituli sunt Petrus de Cæsis ex Generalis, Petrus Raymundi in Generalem electus, Radulphus Kelei Procurator Generalis hoc eodem anno à Papa Clemente Sexto in Archiepiscopum Casalensem in Hibernia creatus (teste Balæo *in Cathalogo Scriptorum Brittannia Centuria 14.*) Ioannes Foblan Angliæ Prouincialis, Ioannes de Sublobijs Germaniæ Prouincialis, Berengarius de Valle Arenosa, Aragoniæ etiam Prouincialis, Ioannes de Vinea Franciç Prouincialis, Paulus de Perusio, & Petrus Rimis, de quibus suis locis diximus. Patres illustriores.

De Petro Raymundo Decimo quinto Generali.

8 BOstius superius relatus, qui de hoc Capitulo; Generali in ipso electo; & gestis ipsius scripsit, de Petro Raymundo Generali sequentia dixit, vtilia sanè pro dicendis in sequentibus: *Hic itaque Reuerendissimus Prior Generalis colligendo diuersa Ordinis statuta in vnum renouauit librum Statutorum eiusdem Ordinis sub sexaginta nouem rubricis. In secunda autem huius libri rubrica statuitur, quod in Ordine sint decem & nouem Prouinciæ. Prima, Terra Sancta; secunda, Siciliæ; tertia, Angliæ; quarta, Narbona; quinta, Romana; sexta, Francia; septima, Alemania; octaua, Longobardia; nona, Aquitaniæ; decima, Hispaniç; vndecima, Hibernia; duodecima, Prouincia Prouinciæ; decima tertia, Scotiç; decima quarta, Thusciæ; decima quinta, Bononiæ; decima sexta, Tholosana, decima septima, Cathaloniæ; decima octaua, Alemaniæ superioris; decimanona, Vasconiæ. Et nota, quod Regnum Cypri nunc computatur pro Terra Sancta; eo quod illa insula est proximior Terra Sanctæ: non enim plus distat Cyprus secundum Ptolemæum à Terra Sancta in opposito Montis Carmeli, quam sexdecim milliaribus. Hec autem statuta Tholosa in Capitulo Generali in anno Domini 1355. fuerant publicata, & per Ordinem confirmata, & postea à toto Ordine in vigore obseruata, vsque ad tempus Reuerendissimi Magistri Ioannis Soreth, qui ea reformauit Bruxellæ in Capitulo Generali.* Petrus Raymundus.

9 Exhibitum est eodem anno Pontifici, instantibus Generali, & alijs Fratribus, quod nonnulli Ecclesiarum Prælati, & Rectores ab ipsis exigerent decimas, de ijs, quæ in locis ipsorum crescebant, quare Pontifex Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, seu Rectoribus præcipiendo mandauit, quatenus de ijs, quæ intra septa murata locorum Ordinis nostri crescerent, decimas petere, aut exigere nullatenus præsumerent, quacunque constitutione Apostolica in contrarium edita, non obstante. Habetur Bulla sub Datis apud Villam Nouam Auinionensis, decimo Kalendas Septembris, in Speculo Ordinis *fol. 66. pag. 2.* Et in Mari Magno per Ioannem Mariam Collecto *pag. 23.* Concessio Papæ.

10 Concessit etiam primo eodem anno sui Pontificatus Fratribus nostris facultatem recipiendi de nouo octo loca, quatuor citra, & alia Alia concessio.

qua-

quatuor extra Montes, dummodo in quolibet dictorum locorum duodecim congrue valerent sustentari, non obstante Constitutione Bonifacij Octaui. Habetur Bulla authenticata in Speculo Ordinis *fol. 82. pag. 2.*

Armachani testimonium

11 Eodem etiam anno in festo Conceptionis beatæ Virginis Mariæ, concionem in nostro Auinionensi Cœnobio habente Illustrissimo Armacano (teste Valdensi *de Sacramentalibus tom 3. titulo nono, cap. 89.*) de Ordine nostro egregium hoc dedit testimonium: *An non merito dicimus illi Aue, quæ sic erat illustrata virtutibus in Origine? Vtique hanc illustrationem in suo ortu hic Sanctus, & peculiaris, & antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu, qui hoc festum ipsius singulariter solemnizat: candorem habitus sui, vt existimo, prudenter, & deuotè referens ad hoc factum*. Recolenda, quæ ad hoc intentum diximus sub anno 1306.

De Guidone Episcopo.

12 Ad hunc etiam annum peruenisse nostrum Guidonem Episcopum Elnensem colligitur ex Arnoldo Bostio *in libro de Illustribus Vir. Ordin. nostri cap. 9.* & Segero Pauli *in not. ad Kalend. Mechlinien. sub die 21, Augusti* dicentibus id haberi ex scriptis eiusdem Guidonis. Quamuis autem in eis nihil circa hoc viderimus, ijs tamen Authoribus credendum censemus. Quia tamen de ipso in sequentibus nihil legimus, paulò post hoc tempus obijsse existimamus. Eius porro vitam sic compendio damus. Vocabatur Guido *Terrena*, cognomine sanæ suæ nobilis familiæ, sicut dicitur communiter Guido de *Perpiniano* à patria sui natalis in Cathalonia. A primæua ætate nostræ Carmelitanæ Religioni nomen dedit, vt ipse testatur in *Epistola dedicatoria sua Summæ contra hæres. ad Cardinal. Petrum tituli Sanctorum Nerei, & Achillei*. Dicit enim ibi: *Intercedente pro me gloriosa eius Genitrice Virgine Maria, cuius titulus insignitur Ordo Fratrum de Monte Carmelo, quem ab adolescentia sum professus*. De alijs eius gestis, videlicet de Generalatu Ordinis, quem obiuit; assumptione ad Maioricensem Ecclesiam, & inde ob causam rationabilem translatione ad Elnensē, simulque de Commissionibus, seu Legationibus Papæ ipsi datis contra hæreticos; & pro ipsorum punitione, plura dicta sunt in præcedentibus. Fuit in diuinis Scripturis doctissimus, ingenio acutus, scientia profundus, sermone scholasticus, & propterea à Ioanne Vigesimo secundo Papa, vt vidimus, in honore, & reuerentia habitus. Testantur id plura ipsius scripta, quę luce clarius qualis author fuerit demonstrant. Inter quæ insigne est opus tripartitum de perfectione vitæ Catholicæ ad prædictum Ioannē Papam, *lib 3.* Super sententiar. *lib. 4.* Adde, Quæstionum variarum, *librum vnum*, quæ extare dicitur in Bibliotheca Carmelitana Florentiæ. Opus etiam præclarum de concordia Euangelistarum, appellatum, propterea *quatuor vnum*, quod nuper Typis mandatum est, simul cum libro de Hæresibus Coloniæ anno 1631. apud Petrum à Brachel, & primitus extabat Parisijs in nostra Bibliotheca: in cuius prima littera depingitur in Cathedra cum birreto, astantibus auditoribus diuersarum Religionum. Scripsit etiam Correctorium Iuris, quod opus adeo charum habitum est

Papę

Papę Calixto Tertio, vt ipſomet teſtificante ad Ioannem Soreth Ordinis noſtri venerandum Generalem, noctem in eo legendo quandoque inſumpſerit, vt conſtat ex vita eiuſdem Soreth ex Vualtero extracta. Scripſit etiam præfatum librum *Summam* appellatum *de hæreſibus* ſingulariter doctum ad Cardinalem Albanenſem. In phyſicam Ariſtotelis *lib.* 8. qui in Bibliotheca Tranſpontinæ Romæ ſeruantur, quos auctor fatetur ſcripſiſſe ad honorem, & preces D. Equitis Rogerij de Armaiaco Regiæ ſtirpis oriundi. Item Moralia, *lib.* 1. qui extare dicitur in Bibliotheca Pariſienſi. Et in Metaphiſicã *lib.* 12. in Bibliotheca Florentiæ. Quæſtionum de anima, *librum vnum*. Addunt, & contra Arnoldum de Villa Noua, & Quobliberta exſcripſiſſe. Moritur Auinione, à Papa, vt credimus, vocatus, vt Eccleſię partes contra Bauarum, Corbarium, OKamum, & alios, ea tempeſtate Papæ aduerſarios, de quibus in ſuperioribus dictum, tueretur.

13 Huius autem grauiſſimi Patris, & librorum ipſius memoriam honorifice faciunt Sixtus Senenſis in Bibliotheca Sancta, Trithemius de *de Scriptor. Eccleſ.* Bellarminus *in lib. Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Andreas Scotus Belga *in Biblioth. Hiſpana*, Petrus Lucius Belga *in Bibliotheca Carmelitana*, Poſſeuinus *in Apparatu*, & ex hiſtorijs illius etiam honorificè meminerunt Marcus Antonius Sabellicus *lib. 5. Æneid. cap.* . . . Garibai *in hiſtor. Hiſpan. lib.* 14. *cap.* 4. Iacobus Gualterus, Henricus, Spondanus, & alij plures, ſpecialiter Euernerus RouelincK author Faſciculi temporum ſic: *Guido de Perpiniano ex Priore Generali Carmelitanæ Religionis primum Maioricenſis, ac demum Elnenſis Pontifex Doctor inter præcipuos commendatus, & vt alter Elias pro domo Domini zeloſus, poſt Correctorium iuris, & alia quamplurima volumina percommendata, librum contra omnes hæreſes ſcribit, quem Domino Gancellino Cardinali Albanenſi prętitulauit, & multorum actuum uorum clariſſime geſtorum magnitudine Chriſtianum Orbem celebri rumore clarificauit.* Hæc ille. Authores qui de eo agunt.

14 Quod magis eſt, commendatur Guido noſter de vitæ ſanctitate, ſeu probitate, adeo, vt à Gulielmo Einſengrineo *in Indice teſt. verit. ſub anno* 1330. vocetur *Sanctus*, & Boſtius *in Tractatu de viris Illuſtribus* ſui Ordinis dicat ſpiritu Prophetico claruiſſe. Propterea in Kalendario Mechlinienſi noſtri Ordinis inter Sanctos reponitur pro die 21. Auguſti. De eius probitate vitę.

15 Ne autem grauiſſimo Doctori Guidoni, quod Illuſtriſſimis alijs, etiam Sanctiſſimis viris, non defuit, aduerſarius deficeret, pro aduerſario habuit Alphonſum à Caſtro Minoritam, virum alioquin doctiſſimum, & magnæ inter Scriptores æſtimationis. Qui eum in ſuo opere contra hæreticos ſæpius carpit, indecenter citat, nec raro contemnit. Non ſanè animaduertens, rem agere cum viro celeberrimo, Ordinis noſtri Generali Præſule, duarum Eccleſiarum Epiſcopo, fidei Catholicæ acerrimo Inquiſitore, de vitæ ſanctitate etiam, vt vidimus, commendato; ac Summo Pontifici Ioanni 22. propterea valde dilecto. Ipſum forſan offendit, quod ſæpius, acriter etiam, Guido in quoſdam pſeudo Minoritas calamũ acuit, Contrarius ipſius.

pro

pro defensione *præsertim* eiusdem Pontificis Ioannis, & doctrinæ ab ipso pro Catholica declaratæ, circa Christi, & Apostolorum paupertatem, ac similia dogmata. Verum tamen, pium, & Catholicum Doctorem hæc nihil mouere poterant, nec bilem excitare, cum boni Minorum Seraphici Ordinis alumni, ipse etiam Castrus, vt veri Eccl. Catholicæ filij, idem etiam fecerint. Quid ni ergo Guido noster hoc etiam egerit? Quod in quibusdam quæstionibus aliqua Guido scripserit, quæ Castri temporibus, quibus maior erat monumentorum copia, ob Typographiæ artem iam adinuentam, recepta non erant, damnandus propterea non fuit; sicut nec alij eius qui Scriptores propterea damnantur. Hæc, qua potui modestia, in sui defensionem dixerim, Reu. Admodum Patrem Lucam Vvadinghum æmulatus, qui ipsum Castrum, à quibusdam alijs, quæ ipsi Cardinalis Bellarminus affixit, simili modestia vindicauit.

De Ioanne Alerio.

16 Desideratus etiam dicitur hoc eodem anno Ioannes de Alerio, olim Ordinis Generalis, de quo etiam, quod in suo Tholosano Conuentu in pace quieuit die vigesimatertia Nouembris. Vir erat in diuinis Scripturis eruditus, ingenio, scientia, & eloquio clarus: vita quoque, ac conuersatione præcipuus, ac Regularis disciplinæ conseruator insignis. Scripsit super sententias *lib. quatuor*. In Ecclesiasticum lecturam notabilem, *librum vnum*. In Artes liberales, *librum vnum*. In artes humaniores, *librum vnum*. Iacobus de Plebe, Sixtus Senensis, Einsengrineus, Trithemius, Petrus Lucius, Posseuinus, Biscarretus, & Necrologium *Carmelit. Florent.* Peculiarem affectum amoris erga hunc Reuerendissimum Patrem Ordo demonstrauit, dum post resignationem Generalatus ab ipso factam Valencenis anno 1330. in prædicto Capitulo, & in sequenti Nemausensi anno 1333. pro vestiario ipsius de communibus Ordinis expensis prouisionem fecit.

Stanfordien. Conuentus.

17 Stanfordiæ in Lincolnia Angliæ Regni Prouincia fundatus dicitur nostri Ordinis Conuentus sub hoc anno, Rege Eduardo tertio fundatore. Sic enim habemus ex Tabula illa sæpe repetita Monasteriorum Angliæ, vbi etiam scribitur Beatissimæ Virginis Mariæ titulo cognominatum fuisse.

De Pet. Casis.

18 Eodē anno ex Gen. Petrus de Casis à Papa Clem. 6. ad Patriarchatum Hierosolymit. & Episcopatum Vasionen. assumptus est, meritis, & virtutib. hanc sibi dignitatem procurantibus. Cum tamen ex lib. Ord constare non possit an ante Capituli celebrationem an post illam ad id munus euectus fuerit, conijci datur nonnisi post Capitulum, etsi eodem anno euenisse, quòd eodem die Pentecostes Clemens Papa consecratus est, quo Capitulum Patres nostri celebrabant, licet forsan prius ab illo nominationem acceperit. Vel forsan etiam anno 1341. præcedente pro 16. Kalend. Ianuarij à Benedicto Duodecimo Clementis prædecessore, vt indicat Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Ioseph Maria Suarez Episcopus Vasionensis, nunc Romæ præsens, in schedula mihi, ob sui benignitatē data, de

gestis

gestis nostri Petri Cæsij. Hinc cõmuniter nostri per assumptionem ad prędictũ Vasionen. Episcopatum vacasse Generalatũ Petri de Cæsis denotare videntur. Specialiter Ioannes Grossi *in Viridario Claui* 2. Bostius, & Palæonydorus *supra*. Factum porro Vasionensem Episcopum etiam de exteris habent Euernerus Rouelinch *in Fasciculo temporum circa ann.* 1364. Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Claudius Robertus *in Gallia Christiana in Episcopis Vasionensibus*, Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*.

Ann. Christi 1343. Clement 6. Roman. Pontif. 2. Ludou Bauar. dict. Imperat. 22. Palæolog. Imp. Orient. 3. Petri Raymundi Generalat. 4.

1 SOlicitabat hoc anno Bauarus Clementem Papam, vt eum absolueret à censuris, quibus irretitus manebat: quod tamen illi est negatum, nisi Imperium abdicaret. Trithemius, Genebrardus, Gordonus. In Oriente omnia afflicta à Turcis Imperium suum propagantibus. Bzouius ex alijs. Vt fidelis Dei Propheta inueniatur S. Angelus noster, qui hoc Turcici Imperij incrementum prædixisse vidimus sub anno 1219. Gesta hoc anno.

2 Datus est Ordini nostro sub hoc anno Illustris Conuentus S. Mariæ Siluarum in communi de Galgalando, & populo Sancti Martini Diœces. Florent. vulgo dicto *la Selua*, habens Oratorium, domum, cum alijs possessionibus; concedentibus Ioanne, & Francisco fratribus Florentiæ Ciuibus, donationemq; acceptantibus fratre Rodulpho Prouinciali Thusciæ, alijsque Religiosis Florentini Cœnobij, authoritate, & licentia Angeli Florentiæ Episcopi. Ita habetur ex authentico instrumento in Capitulo Florentini Conuentus per Ioannem Paganellum publicum Notariũ confecto, quod extat in Archiuio Transpontinæ. In quo etiam habetur hoc eodem anno traditam esse Conuentus possessionem eidem Rodulpho Prouinciali. Numeratur Cõuentus iste inter Ordinis illustriores propter ea, quæ in eo gesta sunt. Primo etenim anno 1344. sequenti Ecclesia illius consecrata est per D. Alanum Mutinensem Episcopum, præsentibus eodem Prouinciali, & pluribus alijs, tum nostri, tum Sancti Francisci Ordinis Religiosis, prout etiam ex alio instrumento in eodem Archiuio Transpontinæ reseruato constat. Deinde, quia in illo celebratum fuit Capitulum Generale Ordinis sub anno 1399. per Ioannem Raudensem eo tempore Generalem; prout eo anno dicetur. Celebris etiam est hic Conuentus propter strictiorem Obseruantiam (Reformationem vocant) circa annum 1413. in eo introductam, & quæ fuit caput, seu principium aliarum; vt eo anno notabimus. Et quia in eo primam Missam celebrauit Sanctus Andreas Corsinus, prout anno 1324. diximus. Clarissimus Conuentus Siluarum.

etiam semper inter nostrates erit ob viros egregiæ sanctimoniæ, qui eius alumni extiterunt. Inter quos numerantur Lector Iacobus Albertus, qui præfatæ Reformationis author cognominatur, de quo anno 1426. & Angelus Augustinus, *B. Angelinus* vulgo dictus, de quo sub anno 1438.

Berengarius de Valle generosa. 3 Insignis in Religione nostra ea tempestate fuit Berengarius de Valle Generosa, seu Arenosa, Prouinciæ Aragoniæ (quæ etiam Hispaniç eo tempore dicebatur) Prouincialis. Quod munus gessisse videtur non modo in Capitulo Generali Lugdunensi anno præcedente celebrato, sed & in Neumausensi anno 1333. Bruxellensi anno 1336. & Lemouicensi anno 1339. In prædicto etiam Capitulo Lugdunensi designatur ad legendũ sententias Parisijs pro anno sexto, & ad legendum Biblia pro anno primo. Quo doctrina, & scientia clarus demonstratur. Huic anno ascribimus hunc Patrem, quia à præcedenti Capitulo Lugdunensi nulla ipsius mentio in lib. Ord reperitur, vt proinde credamus hoc tempore è vita decessisse.

Petrus Beretus. 4 Maximè tamen per id tempus Ordinem illustrabat Petrus Veretus, alias Berretus, seu Beretus à secretis Confessionum Papæ Clementis Sexti, quem ex Episcopo Grassensi ad Vassionensem Episcopatum assumptum fuisse dicemus anno 1348. de quo Corradus Gesnerus *in Bibliotheca*. Dubitari potest an is fuerit idem, ac Petrus de Vecio, qui in Capitulis Generalibus Valencenensi, & Neumacensi Prior Curiæ Romanæ nuncupatur, nominis namque similitudo id suadere videtur.

Ann Christi 1344. Clement. 6. Roman Pontif. 3. Ludou. Bauar. dict Imperat. 23. Palæologi Imp. Orient 4. Petri Raymundi Generalat. 3.

Huius anni casus. 1  TRiumphauit hoc anno Alphonsus Rex Castellæ de Mauris, & Sarracenis: aduersus eos fœliciter pugnans, tum mari, tum terra, & Algeziram diu oppugnatam capiens, ac Mahumetanos Christianis vectigales reddens. Mariana. & ex ipso Gordonus, Spondanus, & alij recentiores Chronologi.

Viri illustres huius temporis. 2 Referens idem Spondanus viros illustres, qui hoc tempore in Ecclesia florebant, inter ipsos numerat Guidonem nostrum Perpinianum. Cœterum Guidonem ad hunc annum peruenisse, res est incerta, propter dicta sub anno 1342. Poterat tamen plures alios Ordinis nostri alumnos, qui hac tempestate in Orbe Christiano valde illustres erant, referre.

Pet. de Cæs. 3 Vnus fuit Petrus de Cæsis ex Generali Ordinis ad Vasionensem Episcopatum euectus, quin etiam ad Patriarchatum Hierosolymitanum a Papa Clemente Sexto assumptus. Id tradunt communiter omnes Ordinis Historici, specialiter Ioannes Grossi *in Viridario Claui* 2. Arnoldus Bostius *lib. 7. Specul. cap.* 41. Palæonydorus *lib. 3. cap.* 11. Petrus Lucius *in Biblio-*

bliotheca Carmelitana; & de extraneis Vvernerus Rouelinck *in Fasciculo temporum circa annum* 1364. Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Claudius Robertus *in Gallia Christiana in Tractatu de Generalibus Carmelitarum*, & loquens de Vasionensibus Episcopis. Quibus iungi potest Ioannes Balæus, qui etsi ex nostris fuerit, per fidei tamen, & Religionis desertionem alienus factus est. In Cathalogo enim Scriptorum Brittannię *Centuria quarta in Appendic. ad Robertum Baston* loquens de Clemente Sexto, inquit: *Petrum à Casa Carmelitam Patriarcham Hierosolymitanum fecit, & Petrum* Beretum *eiusdem professionis Vasionensem Episcopum*. Cum autem hoc anno, iuxta Bzouium *num.* 4. ex Chronic. Hirsaugiens. Henricus Patriarcha Hierosolymitanus in bello Christianorum, quo Smyrneum Oppidum captum est, cæsus fuerit, ideo eodem anno, vel paulò post, Petrum de Cæsis Patriarchatum Hierosolymitanum ascendisse credimus: nisi dicatur eodē tēpore vtrumq; eod. tit. potitū fuisse.

4 Prodijt etiam ex Ordine nostro hac tempestate, & sub hoc anno clarus describitur Paulus de Perusio, vir in diuinis Scripturis eruditus, & studiosus, atque in sæcularibus litteris egregie doctus, ingenio subtilis, sermone scholasticus. Hic in Capitulo Generali præcedenti ordinatus est ad legendum sententias Parisijs pro tertio anno; quod egregiè fecit edens super quatuor libros sententiarum *opus celeberrimum, & prope diuinum* (vt Trithemius loquitur) quo nominis sui memoriam, cum ingenti gloria transmisit ad posteros. Habetur in Bibliotheca Transpontinæ debito honore, & ex illo plura extraximus pro duobus Theologię tomis, quos edidimus, & extrahemus pro alijs duobus, quos, si Deus dederit, in lucem edemus. Scripsit etiam Quodlibeta, seu Quæstiones varias. Nec multo post in Gymnasio Parisiensi mortuus, & sepultus. De ipso Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, P. Petrus Lucius, Biscarretus, & alij. In Speculo Ordinis *fol.* 103. *columna* 2. sic de eo habetur: *Baccalaureus frater Paulus de Perusio scripsit notabiliter super quatuor libros sententiarum. Iste nunquam recepit insignia Magistri, quoniam obijt post lecturam sententiarum quasi in continenti Parisijs, & ibidem est sepultus*. Numeratur ibi inter Doctores Italicos. Vnde corrigendi, qui ipsum *Gallum* appellant; eo forsan ducti, quod Parisijs docuerit; cum tamen eo tempore ex omni natione Hispani, Itali, Germani, & Angli Parisios ad Lecturas mitterentur. In prædicto autem volumine super sententias Bibliothecæ Transpontinæ vocatur hic Author *Paulus Perusinus*, à patria quidem, & *Bontemps* à nobili ista familia. Cæsar Alessius *in histor. Perusina* addit de hoc Paulo fuisse etiam in sæculo Iuris Doctorem, & publicum Interpretē, ac inde ad Carmelitas transijsse.

Paulus de Perusio.

5 Eodem quoque anno Hugo Virleius Anglus Cœnobij Nouicensis valde illustris inter nostrates refertur. Ortus enim nobilibus parentibus, generis claritatem virtutum ornamentis multum illustrauit. Fœlicis ingenij, & bonarum artium auidi, & quod Oxonij supremam Theologici studij acceperit palmam commendatur. In Scholasticis studijs, & Sacris

Hugo Virlei

Scripturis in prædicto Oxoniensi Lyceo multo tempore fuit Prælector. Tantæ lectionis erat, vt scribitur, quod vix aliquid inter antiquissimos Authores lectu dignum, eius diligentiam effugerit. Multum à Pitseo, & alijs Authoribus commendatur. Sed magis ab operibus ab ipso editis. Quæ sunt. *Figura Historiarum, Commentarij in Matthæum, Collationes 18. in eumdem. Prælectiones in D. Paulum, Lectiones Scripturarum, Placita Theologica, Sermones per annum, Determinationes 96. Quæstiones Ordinariæ*. De hoc grauissimo Authore Sixtus Senensis, Iacobus de Plebe, Harpsfeldius, Einsengrineus, Posseuinus, Petrus Lucius, Ioannes Pitseus, Lelandus, Balæus, & alij;

Conuentus Calisiensis.

6 Calisiense Cœnobium in Anglia hoc anno extructum, auspicijs Eduardi tertij Regis: licet iampridem per Dominam Methildem Atrebatensem Comitissam de Regno Franciç eius fundatio ceperit. Sic habetur ex Speculo Ordinis *fol* 50. *pag.* 1. *&* 2. In Tabula autem Chronologica Conuentuum Angliæ, quam præ manibus habemus nulla memoria extat fundationis huius Monasterij.

Ann. Christi 1345. Clem. 6. Roman. Pontif. 4. Ludouic. Bauar. dict Imp. 24 Palæolog. Imper. Orient. 5. Petri Raimundi General. 4.

Gesta hoc anno.

1 CLemente Papa hoc anno contra Bauarum in Germania, & Italia tumultuantem, diras Ecclesiasticas censurarum promulgat, & ad eas euulgandas Prælatos Ecclesiasticos mouet. Henricum quoque Moguntinum Episcopum, qui, iuxta dicta sub ann. 1338. in gratiam eiusdem Bauari nostros Carmelitas è suis locis eiecerat, anathemate percutit, ac omni dignitate Ecclesiastica indignum perpetuo iudicat, Bzouius ex litteris Papç.

Papæ gesta.

2 Curabat etiam Pontifex Terrç Sanctç à Turcis oppressæ auxiliares militum manus, Cruciatæ quoque nomine; ac propterea Superioribus Carmelitarum, sicut & aliorum Mendicantium præcepit, vt in singulis Prouincijs Religionis quatuor, vel plures Concionatores sacra eloquentia florentissimos eligerent, qui Christianum populum ad huiusmodi Sacrum bellum, & Cruciatam subeundam cohortarentur. Hæc ex litteris Pontificijs. Odoricus sub hoc anno *num.* 8.

Capitulum Generale.

3 Occasione forsan huius pręcepti Pontificis adimplendi, noua Synodus in Ordine congregatur hoc anno Mediolani in festo sancto Pentecostes, vbi Superiores Religionis de præfatis Concionatoribus pro Cruciata promouenda commodius tractare possent. Censentur in ea decem & septem Prouinciæ, quæ in Capitulo Lugdunensi proximè præcedenti numeratæ erant, quæ etiam & taxantur. Ordinantur Prouinciales ipsa-

rum

rum Thusciæ excepta, cui Prouincialis non assignatur. Quare id acciderit, nec suspicari possumus. Constituitur Procurator Ordinis Petrus Thomas Ecclesiæ, & Religionis splendidissimum lumen, vt ex dicendis constabit. Inter designatos ad legendum Biblia Parisijs Andreas de Florentia pro septimo anno refertur; qui absdubiè Sanctus Andreas Corsinus fuit, ea tempestate in Gallia degens. Quod latuisse videtur eiusdem Sancti Andreæ vitæ Scriptores. Id totum constat ex libr. Ordinis *fol. 4. pag. 1.*

4 Numerantur plures Illustres Ordinis nostri Professores in hoc Capitulo. Præsertim præfati S. Andreas Corsinus designatus ad legendum Biblia Parisijs, & B. Petrus Thomas Procurator Generalis Ordinis constitutus, Item Ioannes Foblam Angliæ Prouincialis, Petrus Durandi Narbonæ, Ioannes de Vineta Franciæ, Ioannes de Sublobijs Alemaniæ. Prior quoque Curiæ Romanæ Arnaldus Amati; Prior Parisiensis Vitalis de Artigosa, cum alijs, de quibus partim diximus, partim dicemus in sequentibus. Viri illustres

5 Eodem anno, cum Prouincialis, & Fratres Angliæ conquesti essent apud Pontificem, quod nonnulli Prælati, ac Rectores Ecclesiarum contra Constitutionem Gregorij Noni, quæ incipit *Nimis iniqua*, illos molestarent, in ipsorum non modicum præiudicium, & grauamen; scripsit Pontifex Epistolam Archiepiscopo Eboracensi, & quibusdam Abbatibus, mandans, quod ipsi, duo, aut vnus illorum, per se, vel per alios, non permitterent prædictos Fratres nostros grauari, aut molestari: molestatores, contradictores, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Ita decreuit Auinione quinto Idus Augusti. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol. 63. pagina 2.* In titulo autem illius habetur, quod *Fratres possint recipere oblationes in Ecclesijs suis*; quo innuitur priuilegium dictum Gregorij Noni confirmatum ab hoc Pontifice esse de huiusmodi oblationibus in Ecclesijs nostris recipiendis. Papæ concessio.

6 Obijt sub hoc anno 30. die Octobris Reuerendissimus Dominus Iacobus de Venetijs Episcopus Euelopensis, vir summa pietate, & eruditione conspicuus. Petrus Lucius Belga *in Additionibus ad Bibliothecam Carmelitarum littera I.* De eo etiàm meminit Leonardus Priolus Venetus in *Præfatione ad Lectorem* præfixa ad opus Michaelis de Bononia super sententias, licet eum appellet *Episcopum Euellonensem*. Alia de ipso non vidimus. Iacobus de Venetijs.

7 Hac tempestate videtur è vita migrasse Ioannem de Sublobijs, insignem Prouinciæ Germaniæ Patrem. Hic fuit illius Prouinciæ Præsul post Rutgerum Parisiensem Baccalaureum, & vt talis astitit Capitulis Generalibus Barcinonensi, Bruxellensi, Lemouicensi, Lugdunensi, & nouissimo Mediolanensi. Cum autem post hoc tempus nulla ipsius in libro Ordinis mentio reperiatur, ideo his annis, è vita migrasse conijcimus. De eo Palæonydorus *lib. 3. cap. 10.* inquit interfuisse Concilio Lugdunensi anno 1363. cum autem eo anno tale Concilium celebratum non fuerit, sed Ioannes de Sublobijs.

anno 1311. Viennense, ac anno 1337. Auenionense, ideo credimus errorem in numeros à Palæonydoro designatos, Typographi forsan incuria irrepsisse, & quod de Lugdunensi dixit, de Viennensi, vel Auenionensi intelligi debere. De eo etiam Biscarretus in *suis Palmitibus Vinea Carmeli*.

Vitalis Artigola.

8 His etiam annis è vita migrasse credimus Vitalem de Artigola ea tempestate inter celebres Carmelitas numerandum. Prior enim Parisiensis nuncupetur in Capitulo Generali Lugdunensi, & in proximo Mediolanensi.

Ann. Christi 1346. Clem. 6. Roman. Pontif. 5. Caroli Quarti Imperat. 1. Palæolog Imperat. Orient. 6 Petri Raymundi General. 5.

Huius anni casus.

1 HOc anno, cum Ludouici Bauari desperata esset conuersio, Pontifex tandem eum Imperio abdicauit, monens Electores, vt ad alterius electionem procederent: quod egerunt, Carolum Luceburgensem filium Regis Bohemiæ eligentes. Nauclerus, Auentinus, Trithemius. Pugnantibus Gallis, & Anglis, pugna luctuosissima Francis extitit; etenim cæsi ad 20. vel 30. millia, & inter eos multi magni Principes. Æmilius, Gordonus, & alij.

Nicolaus Dominæ.

2 Ex nostra Historia id habemus, obijsse sub eodem anno die vndecima Septembris Smyrnis, cum interesset expeditioni de bello Sacro pro Ecclesia Sancta Dei contra Turcas Nicolaum Dominæ Illustrissimi Cœnobij Florentini alumnum. Ex Archiuio Conuentus Florentiæ.

3 Quamuis etiam Beatus Petrus Thomas à Capitulo Generali præcedenti Procurator Ordinis constitutus sit, nihilominus instante Cardinali Petragoricensi, ea tempestate celebri, cui ingenij ipsius capacitas nota, & experientia comprobata erat, quòd aliquandiù ad prandendum secum inuitatum post prandium quæstione mota subtiliter nodum soluisse inspexerat, & quod eiusdem patriæ esset, Parisios reuertitur, vt sic ad Laureā Doctoratus, cum tunc solum Baccalaureus esset, peruenire gloriose posset. Rem promouebat, quod Generalis Petrus Raymundus, propter exigui corporis staturam Beatum Petrum Thomam non satis aptum, vt in Curia pro negotijs Ordinis Procurator compareret, iudicabat, etsi adeo concionibus ibidem emicuit, vt ipsum, vt virum mirabilem populus cerneret. Mazzerius *in vita eiusdem Beati Petri Thomæ capit. 2.* apud Bollandum *supra*.

S. Andreas Corsinus.

4 Sunt qui asserant eo tempore absentiæ Beati Petri Thomæ à Curia Vices Procuratorsi Ordinis exercuisse Sanctum Andream Corsinum Auinione commorantem. Quod etsi verum credamus, vt vel sic Sanctus Sā-

cti vices gereret; & quia Biscarretus noster *in suis Palmitibus*, dum agit de Sancto Andrea, dicit ita legisse in quodam Manuscripto antiquo, dum esset in Gallia: non tamen diù in prædicto munere gerendo Sanctum Andream extitisse, ex eo quod post duos annos in Capitulo Generali Metensi habito anno 1348. prædictus Sanctus Andreas Thusciæ Prouincialis denunciaretur, clare elicitur:

5 Sub eodem anno, vel circiter post Italiam, & Galliam peragratá adprop ia reuersus Illustrissimus Theologus Ioannes Bacho, de quo anno 1333. aliqua diximus, terris moritur, Cœlis victurus. Pro cuius egregijs laudibus, quæ Pitseus *de Illustrib. Angl. Scriptor. Ætate* 14. *num.* 542. non ex proprio Marte, sed ex alijs, ipsaque veritate comprobata, dixit, sic trâscribimus. *Tam ingentia scripsit volumina, vt corpus non tulisset, quod ingenium protulerat; nam si moles librorum eius composita sarcina Auctoris humeris imposita fuisset, homulum sine dubio comprimere suffecisset.* Ex illo *Ordine (quantumuis doctissimorum Carmelitarum ferax Anglia) vix huic vmquam produxit parem, imo vix Orbis Christianus illa ætate doctiorem. Nemo doctius confundebat Iudæos; nemo neruosius confutabat Turcos, vel quoscunque Infideles, nemo felicius expugnabat Hæreticos; nemo solidius Christi Veritatem dilucidabat; nemo manifestius Antichristi falsitatem, & imposturas detegebat, suisque coloribus depingebat; nemo subtilius difficiles nodos soluebat; nemo clarius obscura Sacræ Scripturæ loca explanabat, & sensus reconditos, & Arcana mysteria dilucidius aperiebat: tales enim laudes ei, nec immeritò tribuit Paulus Pansa Doctor Italus. Sed quid hominis virtutes omni laude maiores hic laudare aggredior? loquantur pro Authore opera eius, & illis præbeant copiosam laudandi materiam, qui de eo prolixam laudationem instituere cupiunt. Satis nobis est dicere eum ex suis scriptis apud omnem posteritatem tam immortalem famam esse consequutum; vt illam nulla vnquam delere obliuio, vel obscurare valeat vetustas. Vnde, vt inquit ille. Casurum nullo tempore nomen habet.* Hæc Pitseus supra relatus. — Bachonius.

6 Quæ autem, vel quot volumina à Bachone conscripta sint, quia laboriosum est singula recensere, summatim perstringemus, omissis librorum initijs, quæ prædictus Pitseus etiam refert. Scripsit autem in Genesim *librum vnum*, in Exodum *librum vnum*, in Leuiticum *librum vnum*, in Numeros *librum vnum*, in Deuteronomiũ *librum vnum*, in Iosue *librum vnum*, in lib. Iudicum *librum vnum*, in Ruth *librum vnum*, in libros Regum *libros quatuor*, in Paralyppomenon *lib. duos*, in Tobiam *librum vnum*, in Iudith *librum vnum*, in Hester *librum vnum*, in Iob *librum vnum*, in Psalterium *librum vnum*, in Prouerbia Salomonis *librum vnum*, in Ecclesiastem *librum vnum*, in Cantica Canticorum *librum vnum*, in lib. Sapientiæ *librum vnum*, in Ecclesiasticum *librum vnum*, in Isaiam *librum vnum*, in Hieremiam *librum vnum*, in eiusdem Threnos *librum vnum*, in Baruch *librum vnum*, in Ezechielem *librum vnum*, in Danielem *librum vnum*, in Minores Prophetas *libros duodecim*, in Machabæos, *lib. duos*, — Volumina ab ipso conscripta.

duos, in Euangeliũ Sancti Matthæi *librum vnum*, in Sanctum Matthæum iterum *librum vnum*, in Euangel. Sancti Marci *librum vnum*, in Euangelium Sancti Lucæ *librum vnum*, in Euangelium Sancti Ioannis *librum vnum*, Postillas in Sanctum Lucam *librum vnum*, in singulas Epistolas Sãcti Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephęsios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Timoteum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbræos, *libros singulos*. Rursus in Epistolas D. Pauli *lib. quatuordecim*, in Acta Apostolorum *lib. 4.* In Epistolas Canonicas *lib. septem*, in Apocalypsim *librum vnum*, de æternitate Dei *librum vnum*, in Sanctum Augustinum de Ciuitate Dei *lib. 22.* In eumdem de Trinitate *lib. 15.* in Anselmum de Incarnatione verbi Dei *librum vnum*. In Anselmum cur Deus homo? *libros duos*, de Fide, & Baptismo *librum vnum*, Sermonum *libros duos*, iterum Sermonum *librum vnum*, de Aduentu Messiæ *librum vnum*, Compendium Legis Christi *librum vnum*, de Dominio Christi *librum vnum*, de paupertate Christi *librum vnum*, de Conceptione Mariæ *libros tres*, iterum de Conceptione *librum vnum*, de cessatione Legalium *librum vnum*, Regulas Christianæ fidei *librum vnum*, de præceptis, & consilijs *librum vnum*, Compendium vitæ Christianæ *libros quatuor*, de peccatis, & remedijs *librum vnum*, de dignitate Ecclesiæ *librum vnum*, de perfectione Iustitiæ *librum vnum*, de sanctificatione festorum *librum vnum*, Canones Pontificum *librum vnum*, de generali Iudicio *librum vnum*, de Beatorum visione *librum vnum*, quod in Cœlo sit laus vocalis *librum vnum*, in Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Quęstiones ordinarias *librum vnum*, placita Theologica *libros tres*, determinationum *librum vnum*, de Iurisdictione Claustralium *librum vnum*, Tractatum de suo Ordine *librum vnum*, Speculum Carmelitarum *librum vnum*, incipit, *In primis attende, quod Beata Virgo*, & habetur in volumine *Speculum Ordinis* nuncupato fol. 56. in Regulam Carmelitarum *librum vnum*, incipit, *Cuiuslibet Religionis titulus*; & habetur in eodem Speculo Ordinis *fol. 51. pagina 2.* Item, Compendium Iurium Carmelitarum, quod incipit *Beatus Bernardus*; & habetur etiam in eodem Speculo Ordinis *fol 52.* de non ducenda fratria *librum vnum*, contra superstitiones *librum vnum*, contra vanitates sæculi *librum vnum*, contra idolatriam *librum vnum*, de Sphæra iudiciali *librum vnum*, de Astrorum scientia *librum vnum*, contra Ioannem de Poliaco *librum vnum*, de Iudæorum perfidia *librum vnum*, rationes contra Iudæos *librum vnum*, in prędicamenta Aristotelis *libr. tres*, in Perihermenias *libros duos*, in eius Priora *libros duos*, in Posteriora *libros duos*, in Topica *libros quatuor*, in Elenchos *libros duos*, de Sophismatibus *librum vnum*, in Phisica *libros octo*, in Aristotelem *de Anima*, *libros tres*, Quęstiones de potentijs Animæ *librum vnum*, in Meteora *libros quatuor*, de Cœlo, & Mundo *libros quatuor*, de generatione, & corruptione *libros duos*, de sensu, & sensato *libros duos*, de sensu, & sensibili *libros duos*, de multiplicatione specierum *librum vnum*, de motu Animalium,

lium *librum vnum*, de memoria, & reminiſcentia *libros duos*, de ſomno, & vigilia *libros duos*, de longitudine, & breuitate vitæ *libros duos*, in Politica Ariſtotelis *libros octo*, in Ethica ad Cancellarium *libros decem*, in Metaphyſicam *libros duodecim*. Ex qua longa, & prolixa librorum à Bachone noſtro editorum ſerie non incongrue elicitur ipſum inter maiores totius Eccleſiæ Scriprores iure nominandum fore.

7 Nec refert, quod non omnia, ſed pauca, videlicet in quatuor libros Sententiarum, & Quodlibeta, ac etiam, ſecundum Biſcarretum referendum modo opus illud appellatum *Compendium Legis Christi* Typis mandata reperiantur: eo enim tempore, quo Bachonius ſcribebat Ars Typographica in Orbe non extabat; & plura iſtorum operum hæreſis, & ſchiſma Anglicum abſumpſere. Aliqua nihilominus ipſorum in Bibliothecis, & Archiuijs, præſertim Ordinis noſtri, manuſcripta, membranis etiam, cernuntur. Prout de commentarijs in Epiſtolas aliquas D. Pauli habet Biſcatretus *in ſuis Palmitibus Vineæ Carmeli*, dum de eis loquitur, dicens: *In Archiuio Pariſienſis noſtri Collegij vidi Codicē manu ſcriptum membranis chartis, in cuius principio deſunt aliqua folia, & in fine eſt huiuſmodi nota. Explicit lectura Reu. Magiſtri Ioannis Bachonis Angli Ordinis Carmelitarum, Magiſtri in Sac. Pagina egregij Pariſienſis, quam condidit ſuper prædictas Epiſtolas Pauli Pariſijs, ad Romanos, Corinthiorum* 1. & 2. *ad Galatas, ad Hæbreos*. Infra etiam loquens de libro Conceptionis inquit. *Hic liber extat Sinemuri in Burgundia in noſtra Bibliotheca; cui coniuncti ſunt item de Conceptione Franciſci Martini, & Michaelis* de Bononia *Carmelitarum, libri manu ſcripti. Et Bachonis opus ſic habet. Ego Frater Ioannes Bacconis Magiſter indignus in Sac. Pagina, Ordinis Fratrum Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in hoc Tractatu de Sanctiſſima prima Natiuitate, ſeu Conceptione* Beatæ *Mariæ per decem particulas procedere intendo. In fine vero eſt talis nota: Explicit Tractatus breuis de Conceptione Virginis Matris Dei, compilatus per Fratrem Ioannem Bacconis Magiſtrum in Sac. Pagina, &c. & hoc opus ſcripſit in principio ſuæ Laureæ, poſtquam ſcripſiſſet in Epiſtolā ad Romanos*. Inferius quoq; agens de opere, quod vocatur *Abreuiationes Summæ de Ciuitate Dei D. Auguſtini*, ſic inquit: *Extant in noſtra Bibliotheca Pariſijs manu ſcriptæ in membrano folio: crediderim manu Authoris ſcriptas, nam eſt ſignatum opus Bacconthorp*.

8 Hinc de ipſo, vt præclariſſimo ſui ſæculi viro agunt nedum Hiſtorici noſtri, ſed de extraneis, quamplures; honorifico ipſum titulo honeſtantes. Inter alios Euernerus RouelincK *in Faſciculo temporum*, Iacobus Philippus Bergomenſis, Guilielmus Einſengrineus, eum *Sanctum* appellans, Ioannes Trithemius, Iacobus de Plebe Seruita, Sixtus Senenſis, à quo appellatur *Theologorum ſui temporis Princeps*, Cardinalis Bellarminus, à quo etiam vocatur *Theologus, & Philoſophus doctiſſimus*. Antonius Poſſeuinus, Harpsfeldius, Fabianus Iuſtinianus, Paulus Panſa, Pitſeus, & Apoſtata Balæus.

Obiectio eliditur.

Ann. Christi 1347. Clem. 6. Roman. Pontif. 6. Caroli quarti Imperat. 2 Palæolog. Imperat. Orient. 7. Petri Raimundi General. 6.

Huius anni historia.

1 Bijt hoc anno Ludouicus Bauarus, lapsus equo in venatione, an pœnitens, vel impœnitens non satis constat. Nauclerus, Auentinus, Cuspinus. Prodijt tamen Nicolaus Laurentius vir infimæ notæ; sed tantæ animi audaciæ, vt Romæ Tribunitiam Potestatem sibi arrogarit; Pontificem, & Cardinales citauerit, ditionem Pontificiam sibi subijcere nisus fuerit; & veluti Imperator in omnibus fermè se gesserit. O naturæ monstrum! Bzouius, Odoricus, & alij.

Radulphus Kelleius.

2 Ex Ordine nostro pro hoc anno clarus describitur Radulphus Kelleius, seu Kulley, natione Anglus, Archiepiscopus Casalensis, vir, cui multiplex eruditio, & virtus spectata celebrem contulerunt famam, vt propterea ad prædicti Archiepiscopatus in Hibernia fastigium sublimatus fuerit. Fuit Ordinis nostri Procurator Generalis designatus in Capitulo Generali Albiensi anno 1327. sub Ioanne de Alerio Generali, & in Valencenensi sub Petro de Cæsis anno 1330. ac in Lemouicensi ann. 1339. ac demum in Lugdunensi anno 1342, quo anno ad prædictum Archiepiscopatum euectus fuit. De eo Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Britannia Centuria* 14. dicit, fuisse pro Ordine nostro prolocutorem anno 1336. & sub Petro de Cæsis Generali Generalem Aduocatum: & postea à Clemente Sexto in Archiepiscopum Casalensem anno 1342. constitutum, & aliquos libros edidisse. Hos libros refert Pitseus *de Scriptor. Angl. Ætate* 14. *num.* 546. In Ius Canonicum *librum vnum*. Epistolarum familiarium, *librum vnum*. Non meminit Pitseus de Monachatu Carmeli huius Archiepiscopi, quia id sibi notum non erat; nobis tamen notum id est ex Balæo loco citato, qui vt domesticus testis, rei veritatem noscere potuit, & quod magis, ex libro Ordinis, vbi constat prædictum officium Procuratoris Generalis in Capitulis prænominatis exercuisse.

Nicolaus Sorbolo.

3 Pro hoc etiam anno inter nostros notatur Nicolaus Sorbolo Venetus, Episcopus Scarpatensis. Cuius meminit Leonardus Priolus in Præfatione ad quatuor libros Sententiarum Michaelis de Bononia, & Biscarretus *in suis Palmitibus Vineę Carmeli*, eum vocans Doctorem *clarissimi nominis, & acutissimi ingenij*.

4 Eodem anno videtur constitutum fuisse Prouincialem Thusciæ Prouinciæ Sanctum Andream Corsinum. Etenim in libro Ordinis habetur, quod in Capitulo Generali Metensi anno 1348. celebrato Thusciæ Prouincialis ordinatur *Frater Andreas*, quo nomine antonomasticè sumpto solus Sanctus Andreas Corsinus, generis claritate, & sanctitate vitæ insignis

signis, videtur accipiendus. Cum autem in Capitulis Generalibus ordinentur in Prouinciales illi, qui vt tales ad prædicta Capitula Electores veniunt, iuxta Ordinis consuetudinem; ideo credendum sub hoc anno à Patribus Thusciæ Sanctum Andream Præsulem Prouinciæ electum. Ac proinde munus Viceprocuratoris Generalis loco Beati Petri Thomæ pro modico tempore obtinuisse.

5 Hoc sexto anno Clementis Sexti Auinione decima quarta Kalend. Augusti gratissimam, & plenissimam exemptionem Ordini nostro dedit. Primò, pro ipsius commendatione dicens: *Sacer Ordo vester in agro Dominici diuina dispositione plantatus, & Gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus, Apostolicis gratijs dignè meretur attolli, cuius Professores, mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes insistunt iugiter profectibus animarum.* Deinde, eisdem, quibus Ioannes 22. verbis Ordinem roborans, & confirmans inquit: *Nos autem ad dictum Ordinem quem in statu firmo, solido, & stabili volumus permanere, Apostolicæ considerationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ professores iam dicti nullum internæ pacis patiantur excidium, nullumque Religionis status perferant detrimentum,* &c. Præterea referens concessionē eiusdem Papæ Ioan. quam anno 1317. retulimus, qua nos, & nostra sub protectione Sedis Apostolicæ in Ius & proprietatem Beati Petri, & Apostolicæ Sedis assumpsit, cum omnimoda exemptione à cuiuslibet alterius potestate, subiungit: *Tamen quia indulto huiusmodi exemptionis nō cauetur, quod vos ratione delicti, vel contractus, aut rei de qua agitur conueniri corā Ordinarijs minime valeretis, vos timentes super his posse forsan inposterum molestari, nobis humiliter supplicastis, ut prouidere vobis sub hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur qui vos, & Ordinem ipsum speciali prosequimur in Domino charitate, vestris supplicationibus inclinati, vobis, & Successoribus vestris in perpetuum, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus vt præfato Indultu in suo robore permanente, coram quibusuis Diæcesanis, & locorum Ordinarijs, ratione delicti, contractus, seu rei, de qua agitur, conueniri, vel impediri nullatenus valeatis &c.* Quibus ne dum Clemens Papa, quæ Ioannes concesserat indulget, sed ampliora concedit. Habetur Bulla in Speculo Ordinis *fol.* 67. *pag.* 1. & 2. & fuit authenticata anno 1375. per Petrum Villani Auditorem Curiæ Cameræ Apostolicæ simul cum alijs Notarijs, vt patet in eodem Speculo Ordinis *fol.* 81. Habetur etiam Mari magno per Ioannem Mariam collecto *pagina quarta.* Papæ concessio.

6 Quo anno Conuentus Fori Iulij in nostra Romandiolæ, seu Æmiliana Prouincia à Peppone filio Orabonis fundatus scribitur, sub titulo Sanctissimæ Annuntiatę. Id colligitur ex relatione facta sub Innocentio Decimo. Conuentus Foro Iulij.

7 Brixiensis Monasterij in Lombardiæ partibus siti donatio Ordini nostro facta ab hoc tempore computanda; prout ex relatione Baptistæ Guarganti Mantuanę Congregationis alumni extraximus. Ab ann. 1223. Brixiensis

fratres nostros in ea Vrbe extitisse, quidam dicunt; sed quia id non probatur, huic tempori, vel paulo ante rem adscribimus. Ex litteris enim Clemen. VI. habetur Pontificē hunc concessisse facultatem Prouinciali, & Fratribus Lombardiæ habendi locum in ea Ciuitate: ita tamen, vt duodecim Fratres ibi commorantes congruè, & honestè valerent sustentari. Ecclesiæ moles, non vno, & eodem tempore, aut sæculo, perfecta, sed diuersis protacta; quoad Capellas præsertim, Altaria, chorum, &c. Multis decoratur SS. Reliquijs argento intextis, & inter eas vna ex spinis Coronæ Christi Domini. Icone etiam Deiparæ deuotissima, miraculis fulgente. Vasis quoque, & indumentis Sacris notabilis æstimationis. Est iste Conuentus sub obedientia, & regimine Congregationis præfatæ Mantuanæ, maximè, post varias lites, propter dimissionem eius Conuentus factam à Prouincia, & Prouinciali Venetiarum in Capitulo Prouinciali Veronę celebrato de anno 1495. Inter alumnos porro huius Ciuitatis, vel Cœnobij quamplures valde illustres recensentur, qui doctrina, & vitæ integritate Religionē decorarunt. Inter eos iure censendi Iulianus de Brixia, Angelus Capreolus, Ioannes Angelus Corradelus, Antonius de Auuerraria, Petrus de Græcis, Petrus de Carauaggio, Iouita Gorsonius, Zaccharias Marinus, Theodorus Gorsonius, & alij, quos longa serie Archiuium Sancti Chrysogoni in quadam memoria reseruat. Et vt colligamus vela, Cœnobium hoc inter nobiliora totius Religionis, & Mantuanæ Congregationis locum iure petit; siue structuram Monasterij; siue prædia, aut temporalia bona; siue Officinarum ornatum; siue alumnos, qui ex eo clari fuerunt, siue alia ad insignis Cœnobij splendorem spectantia, inspiciamus. Propterea enim pro Capitulis Generalibus celebrandis congrua sæpe domus fuerit. Plura in relata Guarganti relatione legimus.

Rodulphus Vannis.

7 Obijt sub eodem anno Auenione 31. Ianuarij Rodulphus Vannis Sacræ Theologiæ Lector, Prouincialis Thusciæ per decem annos, Socius Generalis, & Pœnitentiarius Clementis Sexti. Id constat ex Archiuio Conuentus Florentiæ. Ex libro autem Ordinis habetur ipsum fuisse Thusciæ Prouincialem in Capitulis Generalibus Neumausensi anno 1333. Lemouicensi 1339. Lugdunensi 1342.

Paulus Neri

8 Obijt quoque, & sepultus est Perpiniani Reuerendissimus Dominus Paulus Neri Bessi ex Ordine nostro assumptus Episcopus Suanensis. *Archiuium Conuentus Florentiæ.* Eum commemorat Biscarretus *in suis Palmitibus*, & dicit fuisse nobili genere natum, Doctorem celeberrimi nominis, Theologum eximium; & verbi Dei præconem non vulgarem. Est autem Suana Ciuitas in Hetruria, ad Albini fluuium Prouinciæ Maritimæ Senensis in eminenti colle sita. Ferdinandus Vghellius Cisterciensis *in Italia Sacra Tom. 3. in Episcopis Suanensibus.*

Conuentus Pragensis.

9 Hoc eodem anno initium habuit Conuentus noster Pragensis in Bohemia, per Carolum Quartum Imperatorem, die prima post coronationem

tionem eius in Regem Bohemiæ. De qua ita scribit Venceslaus Hagechus præcipuus rerum Bohemicarum Chronographus folio 315. (cuius verba Latinè sonant): *Post peractum hanc Coronationem, & celebre sub tempus illius conuiuium, sequenti die processit nouus Rex extra portam S. Galli, ad locum, qui vocatur in Arenis. Hic manu sua posuit fundamentum Monasterij, in honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, & collocauit in eo Fratres Ordinis Carmelitarum: illaque omnia ædificia, quę erant erecta in foro pro conuiuio Regio, mandauit illis donari; vbi ipsi statim erexerunt ligneam Ecclesiam, & cœperunt præparare necessaria pro ædificanda lapidea.* Fratres autem, qui ad plantandam illam vineam fuerunt vocati, colligitur fuisse Saxones nimirum, quia Conuentus nostri Bohemiæ, Poloniæ, & Daciæ fuerunt sub Obedientia Prouincialium nostrorum Saxoniæ vsque ad annũ Christi 1462. à quo postea in Capitulo Generali Bruxellensi fuerunt absoluti, & subiecti Prouinciali, qui vocabatur Prouincialis Bohemiæ, & Poloniæ: & primus eorum tunc institutus fuit Venerabilis Pater Bernardus Krause Sacræ Theologiæ Baccalaureus Conuentus Gedanensis filius. Carmelitæ autem Pragam per Carolum Quartum Imperatorem introducti, eleemosynis, & pijs suffragijs suorum conterraneorum Saxonum; & aliorum Germanorum (quorum tunc plurimi erant in Aula dicti Imperatoris, & soli Germani tunc Pragę studentes, vt idem Hagechus scribit, quadraginta quatuor, & amplius, millia numerabantur) adiuti facile profecerunt; ita vt breui amplissimum, cum duobus ambitibus, choro, & officinis, Monasterium ædificauerint, & Ecclesiam magna ex parte ex dolato lapide, non vulgarẽ, sed Basilicã, qua Pragæ nulla est altior, quoad minorem Chorũ profecerint: quoad maiorem autem parietes quidem de foris, & colũnas intermedias, quibus debebant fornices inniti, extruxerunt. Cœterũ ipsam fornicem ob interuenientia bella non compleuerunt. Quæ Ecclesia si perfecta esset, non fuisset minor Sancti Pauli Ecclesiæ Romæ, vna de septem. Non tantum autem ipsi nostri Religiosi pro cultu diuino, & suis habitationibus talia ædificia erexerunt, sed & aliqui sæculares ad 30. domus lapideas in fundo ipsorum sibi construxerunt: itaut illud Monasterium, cum Ecclesia, & his domibus sæcularium, videatur speciem alicuius Oppidi referre. Extat adhuc in porta, qua ad omnia illa ædificia ex foro equino itur, ex lapide sculpta Imago Sanctissimæ Trinitatis, antequam est genua flexus, iunctis manibus, licet capite truncatus, Religiosus Carmelita; etiam nunc testatum faciens, illa omnia Carmelitarum fuisse. Hæc accepimus ex relatione Monasteriorum Bohemiæ, ad nos transmissa.

Ann.

Ann. Christi 1348. Clement. 6. Roman Pontif. 7. Caroli quarti Imperat. 3. Palæologi Imperat. Orient 8. Petri Raymundi Generalat. 7.

Gesta hac anno.

1 LVdouicus Hungariæ Rex Italiam ingressus, Neapolitanum Regnum, Ioanna Regina expulsa, vi occupat. Blondus, Bonfinus, Honuphrius. Horribilis quoque pestis totum ferme Orbem inuasit,quę domos, pagos,& Prouincias in solitudinem penes redegit ,adeo vt multorum opinio fuerit vix decimum quemque hominem (in aliquibus saltem partibus id intellige) superstitem relictum. Febris erat pestifera, & inguinum tumor. Et diuinitus immissum flagellum, vt eo territi, timeamus Dei iustitiam, etsi Iudæis attributum,quasi ipsi causa illius extiterint aquas fontium inficientes. Pontifex tamen illos defendit. De hac pestifera lue cuncti ferme authores, specialiter, D. Antoninus, Nauclerus, Manuscriptus Vaticanus, & ex ijs recentiores Chronologi.

Pestis valde nociua

2 Fuit autem hæc pestis nociua valde Religiosorum Ordinibus, Mendicantium præsertim;qui pro suo munere,quod est incumbere animarum saluti, dum confessionibus infectorum audiendis incumbebant, hanc contagiosam luem ebibisse necessum fuit, eamque suis Sodalibus comcommunicasse. Hinc Religiosorum Conuentus, etiam copiosi, fere euacuati dicuntur. Et tunc (vt etiam dicitur) ceperunt Religiones Mendicantium, quę in Ecclesia Dei florebant, tepescere, & relaxari: tum deficientibus in eis ex morbo pluribus PP. & illustribus Viris, qui eas doctrinis, & exemplis ornabant: tum ex causa tot, & tantarum calamitatum, relaxato Obseruantiæ rigore; quiquidem reparari non potuit ex tepiditate superuenientium, tam Prælatorum, quam subditorum. Diu. Antoninus *tertia par.tit.* 21, §. 3. Bocatius *initio Decameronis*, Bzouius *sub hoc anno num.* 12. Adde, ex paucitatę etiam hominum, qui Habitum Religionum induerent.

Generale Capitulum

3 Mirum tamen, quod hac peste grassante, quo tempore hominum coitiones prudenter vitari solent, ne vnus alij morbum pestiferum appingat; nihilominus in Ordine nostro hoc anno Synodus Generalis celebrata fuerit. In Conuentu Metensi Prouinciæ Franciæ. In qua decem & septem Prouinciæ in Capitulis præcedentibus relatæ, & Prouinciales earum, referuntur, ac taxantur. Quibus etiam adiungitur alia Prouincia Alemaniæ cum Prouinciali ipsius, ac perinde duæ Alemanię Prouinciæ referuntur, videlicet Alemaniæ Inferioris, & Superioris, vltimum inter Prouincias locum Superiori Alemaniæ tribuendo. Prouincialis Thusciæ *Fr. Andreas* nominatur: quo nomine antonomasticè sumpto, Sanctus Andreas

Corsinus

Corsinus ea tempestate, generis claritate, & Sanctitate vitæ insignis, vt credimus, & anno superiori diximus, denunciatur. Procurator Ord. nominatur frater Iacobus Martini, quo clarius innotescit id quod anno 1346. diximus, videlicet Beatum Petrum Thomā post munus Procuratoris Generalis in Capitulo Mediolanensi ann. 1345. ipsi impositum, Parisios perrexisse, Laureæ Doctoratus suscipiēdæ causa, vt proinde de nouo Procuratore in Curia Ordo prouidere debuerit.

4 Illustriores Patres huius Capituli pręter numeratos, sunt, Gualterus Kesson Angliæ Prouincialis, Ioannes de Vineta Prouincialis Franciæ; Petrus Durandi Narbonæ; Petrus de Turribus Lector Ordinatus pro Parisiēsi Cęnobio primo anno ad legendum sentētias; Thomas de Padua Lector Bibliorum Parisijs pro primo anno; Ioannes de Regno; pro tertio, Arnaldus Amati Prior Curiæ Romanæ, de quibus sigillatim suo loco dicimus. Patres illustres.

5 Specialiter Arnaldus Amati, qui in hoc Capitulo Prior Curiæ Romanæ vocatur, eodem munere honestatur in Capitulo Mediolanensi anno 1345. & in Lugdunensi anno 1342. ac in Lemouicensi anno 1339. quo insignis ea ætate inter nostros denotatur. Cum autē in posterioribus Capitulis nulla de ipso mentio fiat, credendum, sub hoc tempore perniciosissimæ pestis è vita demigrasse. Forsan hic fuit Arnaldus de Tronca Tholosanus, quem Biscarretus *in suis Palmitibus Vineæ Carmeli* commendat, quod fuerit Doctor non vulgaris famæ, doctrina, ac virtutibus ornatus, & in negotijs peragendis prudentissimus; & Procurator Generalis in Curia ab anno 1351. vsque ad 1366. Arnaldus Amati.

6 Similiter Petrus Durandi, qui in hoc Capitulo Metensi Prouincialis Narbonæ refertur; cum in posterioribus Capitulis nulla de ipso vlterius mentio fiat, eadem peste per id tempus sublatum credimus. Videtur fuisse Procuratorem Ordinis in Capitulo Generali anno 1318. celebrato, nisi nominis similitudine fallimur. Fuit etiam Prouincialis Narbonæ in Capitulo Generali Lugdunensi an. 1342. & in Mediolanensi 1345. Vnde inter grauiores Patres huius æui illum referimus. Præsertim, quia Biscarretus supra eum appellat Doctorem Parisiensem; in diuinis, & humanis litteris versatissimum, in Concionibus, & omni dicendi genere conceptuosum, eloquentem, atque copiosum. Petrus Durandi.

7 Clarior cœteris in Anglia ea tempestate fuit Ioannes Folshamus, *Iolihan* Petrus Lucius vocat, Conuentus Norvvicensis decor, & Cantabrigiæ Sacræ Theologiæ Doctor. Prouincialis Angliæ in Capitulo Generali Lugdunensi anno 1342. & in Mediolanensi anno 1345. ex libro Ordinis dignoscitur. Successit in Prouincialatum Ioanni Polsteyde. De eius virtutibus Ioannes Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptor. Ætate* 14. nu. 549. hæc exarata reliquit. *In omni vita studium virtutum, & bonarum artium semper coniunxit, & pari procedens in vtriusque passu, similes in vtrisque fecit progressus. Aptus per doctrinam, vt alios instrueret in omni tum humanarum,* Ioann. Folshamus.

rum, tum diuinarum rerum scientia; aptior per virtutem, vt suos erudiret in timore Dei, in morum integritate, omnique vitæ sanctimonia. Probè vtique nouit pietatem esse ad omnia vtilem, multumque venerabatur charitatem, quæ ædificat, nec minus verebatur scientiam, quæ inflat. Hac Euangelica, imo Angelica vitę perfectione in multis sui concitauit admirationem, non paucos allexit ad amorem, & suorum maximè conciliauit gratiam, qui eum sibi tanquàm exēplar ad imitandum proposuerunt, in cuius vita, & moribus, quasi in Speculo, illum ad quem aspirabant, contemplati sunt Religiosæ perfectionis eminentem gradum. Scripsit Commentarios in aliquot libros Salomonis flores ex Sancto Chrisostomo *librum vnum*, Quæstiones Theologiæ *librum vnum*, Indices super Anselmum *librum vnum*, de arte Prædicandi *librum vnum*, Moralitatum rerum *librum vnum*, de Matrimonio *librum vnum*, Collatione per annum *librum vnum*, in Isagoges Metaphysic. *librum vnum*. De eo Lelandus Pitseus *vt supra*, Iacobus de Plebe *in Indice Carmelitarum*, Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitarum*, & alij post Ioannem Balæum *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*.

Gedanense Cœnobium.

8 Monasterium nostrum Gedanense, seu Dantizcanum, quamuis quo tempore ceperit, incertum omnino sit: at nihilominus pro hoc tempore, vel annis sequentibus inchoatū fuisse, Alexander KosKischi Prouincialis Poloniæ in relatione Monasteriorum eius Prouinciæ ad me transmissa, testatur. Eo quod illud fundatum fuerit ab Henrico de Ruipero de Magistro Generali Crucigerorum Teuthonicorum, qui ab hoc anno vsque ad ann. 1382. Generalatum suum gessit. Constat etiam illud constructum fuisse in Suburbio *Iungenstad*, prout Ruthenici, & Gedanenses Scriptores, quos idem Alexander refert, attestantur. Vnde primum locum in Prouincia Poloniæ ante Cracouiense, Bytgosuense, & Posnaniense tenere scribit; ac fuisse fortissimis muris, & magnificè structum: etsi postea cum Suburbio demolitum; ac tandem translatum ad Ciuitatem, iuxta Hospitale quoddam leprosorum. Multa etiam temporis cursu tolerant incommoda ab Hæreticis.

Ecclesiæ cōsecratio.

9 Nostri quoque Conuentus Genuensis nobilissimi Ecclesia sub hoc anno ob Alberto Nicomedensi Episcopo in secunda die Paschatis consecrata cum tribus Templi Altaribus. Franciscus Cherascus in libro, cui titulus *Tesori Spirituali della Religione Carmelitana*.

De Petro Cæsio.

10 Eodem 7. anno Papæ Clem. 6. Ecclesiā gubernantis ad meliorem vitam transijt Petrus de Cæsia, seu Cæsis noster quodnam Generalis, & tunc Patriarcha Hierosolymitanus, ac Episcopus Vasionen. Fuit hic primo Prouincialis Aquitaniæ in Capitulo Generali Barcinonensi anno 1324. designatus, & in Valencenensi 1330. Generalis constitutus. Id munus per duodecim annos gerens anno 1341. vel 1342. ad Episcopatum Vasionensem, seu eius administrationem euectus, vt ibidem diximus. Patriarcha etiā Ierosolymit. Sepultus est in Ecclesia Vasionensi, teste Bostio *lib. 7. Specul. historial. cap. 41*, Palæonydoro *lib. 3. cap. 11*. & testatus est moder-

nus

nus Episcopus eius Ecclesiæ illustriss. Ioseph Maria Suarez, dicens se vidisse eius insignia, & statuam, ac mausoleum, ipsique curasse incidi hoc Epitaphium. *Venerabili Petro de Casa Priori Generali Ordinis Carmelitarum Patriarcha Hierosolymitano, huius Episcopatus Administratori, qui obijt 1348. die 3. non. Augusti, & miraculis claruit, Iosephus Maria Episcopus Vasionensis P.C.*

11 Corrigendus ergo est error, qui in Viridario Ioannis Grossi aliquorum incuria irrepsit, dum de hoc Petro de Casa dicitur sepultum in Regno Cypri in Conuentu Famaugustæ Prouinciæ Terræ Sanctæ. Hæc enim de Beato Petro Thoma Patriarcha Constantinopolitano dicuntur: sed similitudo nominis, & Patriarchæ titulus errori ansam dedit. Scripsit super Sententias *libros quatuor*, Sermones de tempore, & de Sanctis *libros duos*, Lecturam in lib. Politicorum, & quædam alia. Fuit in diuinis Scripturis doctissimus, vita, & conuersatione deuotus, vt propterea miraculis corruscans describatur, à Ioanne Grossi, Bostio, & Palæonydoro, *vt supra*, Petro Lucio in *Bibliothec. Carmelit.* & Biscarreto; ac de exteris Sabellico, Trithemio *de Viris illustrib. Carmelitar.* ac Illustrissimo Suarez relato, Euernero Rouelinch *in Fasciculo temporum circa annum* 1364. Idem refert Posseuinus *in Apparatu Sacro*. Et notatur in Epitpahio illius sepulchri in Ecclesia antiqua, vbi sic legebatur. Error Ioan Grossi.

Dicitur à Casa Petrus Geconius ille est,
Diui Carmeli, qui Generalis Apex.
Hunc sibi Doctorem in studijs pietatis amauit
Clemens, cui series nomine sexta fuit.
Et tandem Antistes Solyma moderatus habenas,
Conditur in tumulo, plurima signa dedit.

Illum etiam commemorant cum laude Sixtus Senensis, Bergomensis, & alij.

12 Nec parum laudis gloriæ huius Antistitis accrescit, quod ex clarissima Cæsiorum familia, quæ Reges, & Principes, quin & Syluestrum Secundum Papam, cum multis alijs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, inter suos recenset, originem traxerit; quibusdam ex ea quondam ex Italia Aquitaniam petentibus, ibique commorantibus, vnde nostri Petrus Illustrissimum Germen. Hinc in arbore Genealogiæ Cæsiorum, quæ apud Inclytam hanc Familiam reseruatur, & Romæ sculpta est nouissimè anno 1628. sic habetur. *Hæc aliquando, quod ex Aquitania redierit, Aquitania nomen adepta est, in qua Regione ad hanc vsque diem Casiorum Procerum propago remansit, quæ sub Clemente Sexto Pontifice Maximo* B. *Petrum de Casis Aquitanum Generalem Carmelitarum Antistitem, & Hierosolymorum Patriarcham protulit*; Corrigendi ergo erunt illi, qui Petrum nostrum de Cæsia, aut de Casa nuncupant, cum potius de Cæsis, aut de Cæsia vocandus iure sit, prout vocari constat in libro Ordinis fol. 2. in Capitulo Generali Valencenensi. Sic quoque Bzouius *in historia Siluestri Secundi* Cæsiorum De eodem Cæsio.

siorum familiæ Viros illustres describens nostrum Petrum inter Illustriores collocat.

De titulo Beati.

13 Titulum porrò Beati, propter vitæ sanctitatem, & miracula ab eo patrata, non solum ei tribuit Arbor Cœsiorum relata, sed & Kalendarium Mechlinense Ordinis nostri Sanctos, & Beatos continens pridie nonas Augusti, qua die obijt. Et notatur ex eo, quod Biscarretus refert, ex eius sepulchro, seu statua populum radere solitum fuisse pulueres pro ægritudinibus medendis, teste illustrissimo Suarez relato.

De Petro Bereto.

14 Post obitum ipsius ad eumdem Vasionensem Episcopatum Petrus Beretus, vel Verretus, ex Episcopo Grassensi, & Confessario Clementis Sexti anno sexto Pontificatus ipsius euectus est. De hoc diximus anno 1343. & eum Vasionensem Episcopum nominat Balęus *in Cathalogo Scriptor. Brittann. Centur. 4. in Appendic. ad Robertum Baston*. Clarius Conradus Gesnerus *in Bibliotheca* hæc scripsit de Bereto nostro: *Petrus de Bereto Gallus Narbonensis Carmelita Romani Palatij, &c. & Clementi Sexto à Confessione, Episcopus Vasionensis, scripsit Repertorium quoddam librum vnum; Placita Theologica librum vnum, atque Conciones plures. Claruit anno Domini 1348. Ægidius Faber*. Hæc ille. Circa quæ notandum, quod ex relato superius Episcopo Vasionensi moderno affert Biscarretus *in Palmitibus Vinea Carmel. in Petro de Cæsis*, videlicet, munus Confessarij Pontificis etiam exercuisse ipsum Petrum de Cæsis, eo quod esset annexum eo tempore Vasionensibus Episcopis.

Ann. Christi 1349. Clement. 6. Roman Pontif. 8. Caroli quarti Imperat. 4. Palæologi Imperat. Orient. 9. Petri Raymundi Generalat. 8.

Secta se flagellantium.

1 SEcta se flagellantium hoc tempore prodijt; occasione videlicet pestis sæuientis, & ad ipsam auerundam, vt putabant. Bis se palam de die, semel de nocte clam nudos ad sanguinem vsque flagellabant. Nemo ex illis mendicabat. Mundus illos mirabatur. Iuncti sunt illis Lollardi, Collani, & Begardi, ac Moniales quædam. Nihilominus mendosa quædam fingebant, ac errores sequebantur; vt propterea à Clemente Papa damnati fuerint, & extincti. Nauclerus, Trithemius, Genebrardus, Spondanus. Melius, & aptius ad Dei beneuolentiam conciliandam instituit Pontifex vt Iubilæum iam olim à Bonifacio Octauo pro centesimo quoque anno indictum in quinquagesimum redigeret, incipiendo à sequenti anno 1350. sic constat ex litteris Papæ apud Odoricum, & alios.

Sectatores ipsorum.

2 Adhæserant nominatæ Sectæ *flagellantium* nonnulli pseudo Religiosi, qui suis sermonibus, seu concionibus altos ad ipsam pertrahebant.

Contra

Contra eos propterea Pontifex in dictis litteris procedi mandat Archiepiscopis, & Episcopis.

3 Eo etiam anno noster Sanctus Andreas Corsinus, de quo in præcedentibus, ob mortem Fuligni Carboni Episcopi Fesulani; qui anno præterito contagij labe perierat, ad eundem Episcopatum assumptus est. Sic enim constat ex litteris Clementis Sexti, hoc octauo anno sui Pontificatus, quas referunt Bzouius *sub anno 1373. num. 7.* & Ferdinandus Vghellius Cistertiensis *in Italia Sacra Tom. 3.* dum de Episcopis Fesulanis sermonem habet. Idem sequuntur Franciscus Venturius Episcopus S.Saueri *in eius vita*, Fridericus Chrystofanus eius Compendiator, & Biscarret. Quia autẽ huiusmodi litteræ Papę Clem. extractæ sunt ex Vaticano Regesto, quod summæ authoritatis instrumentum est, corrigi debent authores illi vitæ ipsius, qui hanc ad Episcopatum assumptionem dicunt contigisse anno 58. ætatis ipsius, qui correspondet ann. 1359. vel ann. 1360. vt Bollandus putat, vel 1362. vt Sarracenus: non enim contigit, nisi an. 48. Quomodo autẽ cõtigerit, sic damus ex Surio in Vita ipsius. *Factum est vt Fesulanus Antistes extremum diem clauderet. Canonici, cæterique apud quos ius erat, conuenerunt in vnum, vt inter se de eligendo Pontifice tractarent; à quorum vnanimi consensu Andreas designatur. Ea cum Andreæ nunciarentur, timens ne sub tanto onere premeretur tertio milliario ab Vrbe apud Carthusienses latitauit. Canonici vero illum per omnem Prouinciam quæri iubent; sed vbi nequeunt eum inuenire, iterum congregatio de reuocanda electione decernitur; & dum illorum vacillantia corda in ambiguo versarentur, Spiritus Sanctus per os infantis locutus est dicens:* Elegit Deus Andream in Sacerdotem sibi; ecce enim apud Carthusienses orat, ibi eum inuenietis. *Quibus verbis omnes stupore repleti; quidquid autem prius fuerat confirmarunt. Igitur decernitur, vt ad Carthusienses Legati mittantur, vt Episcopum ad susceptionem Episcopatus hortarentur. Dum hæc Fesulis gerebantur, Andreæ oranti puer in veste candida apparuit, nuncians ei hoc diuino Numine factum, vt Episcopus crearetur, neque laborem subterfugeret; nam datus est ei custos Angelus, qui eius vestigia in Dei voluntate perficeret. Andreas igitur Angeli visione perterritus, ab oratione surgens; Fesulanos se quærentes offendit, qui Episcopum salutantes hortantur, vt gregem suum, & oues pascuæ suę non contemnat. Andreas Deo gratias agens, onus, quod paulo ante excutere nitebatur, constanti mente suscepit.* Hæc Surius. Qualiter autem hac electione Canonicorum à Papa confirmata, in Episcopatu se gesserit, in sequentibus dicemus.

De S. Andr. Corsino.

4 Hac tempestate, cum Beatus Petrus Thomas Parisios, instante Cardinali Perragoricensi, causa suscipiendi Laureolam Doctoratus, circa annum 1346. vt ibi diximus, profectus esset, Lutetiam perueniens, Sacræ Scripturæ abstrusa interpretari, & explanare cepit, & quoniam pro Parisiensis Gymnasij instituto quinquennium ibi permansurus erat, vt Doctoratus gradum accipere mereretur, Cæli, solique Regina Virgo Dei Genitrix fidelem suum seruum Petrum gloriosum efficere volens, rem-

De B. Petro Thoma

sic disposuit, vt, exorta contentione inter Cancellarium Vniuersitatis, & 14. Baccalaureos Theologos, qui iuxta eiusdem statuta eodem anno ad Doctoratus dignitatem promoueri debebant, ipse ad suscipiendum illam à Theologis Doctoribus, litteris, & pietate præclarus vocaretur, ante quinquennium expletum, tertio suorum exercitiorum anno. Hac igitur ratione, & singulari Dei prouidentia Doctor Parisiensis Petrus Thomas effectus est. Mazzerius *in eius vita cap. 2.* apud Bollandum.

Alia de ipso. 5 Interiecto autem modici temporis interuallo, Curiam Papalem Auenionem reuertitur, vbi ob mirabilem concionum dulcedinem, quas etiam (summo Pontifice præsente) facere solitus erat, magna omnium laude, & ingenti honore honestabatur. Ibi Theologiæ Professor, seu Regens creatus est. Concionibus, disputationibus, quæstionumque solutionibus magnum sibi nomen comparauit. Matutinis soluendis horis, & Sacri celebrationi sub auroram assidue intendebat. In Missæ sacrificio plus scientiæ, intelligentiæ, diuinarumque rerum notitiæ, quam inter studendum à Deo accipiebat. Etsi in Cardinalium Palatijs degere posset, semper tamen in Conuentu, & sub Prioris obedientia morabatur. Nunquam extra Refectorium, nec nisi eisdem cum alijs Fratribus cibis edebat. Ab ingressu in Religionem nunquam sine tunica, & Scapulari decubuit. Quibus & alijs virtutibus, animique dotibus (mira videlicet dicendi facilitate, & elegantia, quam plurimos è vitiorum barathro ad melioris vitæ institutum, & pœnitentiam ducebat, vt etiam fœminas à nimio ornatu, cōptis, concinnatisque comis abstraheret) adeo gratus omnibus erat, vt maximas eleemosynas Ordini proinde acquisierit. In suis concionibus parcebat nemini, miroque modo vtilia dulcibus inserens tunc temporis Concionator Summus habebatur. Cuius vita prope diuina, terrenis affectibus exutis, in fidei Catholicæ, & proprij Ordinis exaltatione, animarumque salute promouenda, sancte versabatur. Hæc, & alia Mazzerius *in vita eiusdem Beati Petri Thomæ cap. 2,* apud Bollandum *supra*.

Conuentus Linternensis. 6 Sub hoc anno Linternense Cœnobium in Tyroli sub gloriosa Domo Austriaca, & Comitibus de Vvlchemsteim singularibus Benefactoribus Diœcesis Salisburgensis, fundatur. Id in hoc Cœnobio singulare, quod durante funesto bello, quod his vltimis annis Germaniam afflixit, laus Deo, nil passum: quin potius Religiosos nostros bis Straubinga, & Abensperga hostem sine causa fugientes, aliquando non citra sumptus exceperit, ac detinuerit. Hęc Bartholomæus Eiselim Germaniæ Prouincialis scribebat ad Theodorum Stratium Generalem annis præteritis, dum Suecus Germaniam inuaserat.

Alostensis. 7 Ad hunc annum 1349. referri potest historia concessionis nostri Conuentus Alostensis, quā ex ea Prouincia sic fere accepimus. Cœnobiū Carmelitarum Alostensium primo fuit fundatum in LiedeKercKe in loco vulgariter dicto *Termuylen*, vbi adhuc hodie extat insignis Cappella, quæ vocatur nostræ Dominæ ad mulum, & frequentatur maxima populi cō-

fluentia,

fluentia, præcipuè in festo Annunciationis B. Mariæ Virg. quo die anniuersia celebritate colitur dedicationis memoria, & per octo dies sequentes, Cuius loci, seu Monasterij hoc fuit initium: Henricus de Flandria, & Robertus de Namurco, alijque Milites, ac Scutiferi, Societatis de Mula anno Domini 1349. Oratorium erigebant in honorem Virginis Matris in Sylua LicKerKana, vti de his latè patet ex litteris Domini Ioannis de Teneramunde Abbatis Monasterij SS. Cornelij, & Cypriani, datis ad tertiam Maij anni eiusdem, Patroni in spiritualibus illius loci, volentes, vt aliquot Capellani ibi diuina celebrarent, canerentque quotidie septem horas Canonicas. Hanc Capellaniam generosus, ac potens Vir Arnaldus Van Iauere, Dominus de Reesghem de Leyns, & de LeedeKerKe vertit in Monasterium Ordinis Carmelitarum, quo autem anno hoc contigerit non constat. Satis autem colligere licet id factum circa annum 1411. ex litteris Reuerendissimi Patris Generalis Ioannis Grossi in eo anno 14. Decēbris, datis Brugis, quibus, vt antea Gandaui in Capitulo conclusum erat, designat ex termino Gandensi, & Bruxellensi Paræcias aliquot, pro nostro Conuentu, vt litteræ sonant, sito, & nouiter recepto, prope Castrū, & Oppidum nobilis ac præPotentis Domini, D. de LiedeKerKe, ac per eumdem, & suos nobiles, & deuotissimos Prædecessores, fundato, vocatoque vulgariter Conuentu nostræ Dominæ ad Mulum. Conuentum hunc inhabitarunt vsque ad annum 1497. quo anno 23. Ianuarij commigrarunt Alostum de consensu Philippi Ducis Brabantiæ, & Comitis Flandri, & Henrici de Bergis Archiepiscopi Cameracensis, sua, & Apostolicæ Sedis authoritate;

Ann. Christi 1350. Clem. 6. Roman. Pontif. 9. Caroli quarti Imperat. 5. Palæolog. Imperat. Orient. 10. Petri Raimundi General. 9.

1 CElebrauit hoc anno Pontifex Clemens Sextus Sacrosanctum Vrbis Iubilæum; cum incredibili totius Europæ gentium concursu; adeo, vt cum in Dominica Passionis Sudarium Domini in Ecclesia Sancti Petri ostenderetur, ex nimia pressura multi sint suffocati. Rebdorsius, Villanus, Bzouius, Odoricus. Iubilæi celebratio.

2 Florebat Religio nostra hoc tempore, in Anglię maximè partibus; propter plures, qui litteris, eruditione, voluminibusque editis Orbi fulgebant. Gualterus Hestonus, patria Linconiensis, & Theologię Doctor Cantabrigien. vnus refertur à Balæo, & Pitseo. Constat tamen ex libro Ordinis per plures annos superuixisse, & ideo commodius de ipso anno 1357. dicemus. Gualterus Hestonus.

Secun-

Ioann. Repingalus.

3 Secundus est Ioannes Repingalus Lincolniensis, Cantabrigiensis Doctor, Vir pietatis, & eruditionis laudibus florés; & qui non solum virtutis studio suæ saluti consuluit, sed etiam doctissimis ad populum concionibus multorum profectum in via spiritualis perfectionis promouit. Hunc Ioannes Episcopus Lincolniésis in magno pretio, & sibi à conscientiæ Secretis habuit. Sunt qui asserant tanquam publicum professorem Magistrũ Sententiarum ad aliquot annos auditorio frequenti plausibiliter explicasse, & in omnibus scholasticis concertationibus ob ingenij subtilitatem, doctrinæ soliditatem, & Iudicij maturitatem plurimum valuisse Lincolniensis Præsulis rogatu sua scripta publica fecit, videlicet, Sermones de Dominicis 83. Sermones de Sanctis 42. Sermonum Synodalium *librum vnum*. De Visitationibus Episcopis *librum vnum*. De hoc Patre Pitseus de Illustribus Angliæ scriptor. ætate 14. Posseuinus, & Biscarretus post Balæum *in Catalogo Scriptor* Brittan.

Adamus Saxlinghanus.

4 Adamus Saxlinghanus in Conuentu Noruicensi Monachus inter prædictos numeratur. Vir enim erat in Scholasticis concertationibus tum Sacris tum profanis acutus; & in concionibus ad populum non inelegans: quas conciones, vt ex Lelando colligere est, postea latinus fecit. Scripsisse dicitur Disputationum suarum *librum vnum*. Sermonum per annum *librum alterum*. De eo idem Lelandus, Pitseus *vt supra num.* 567. Balæus etiam *vt supra*, Conradus Gesnerus *in sua* Bibliotheca, Posseuinus, & Biscarretus.

Ioannes de S. Edmundo

5 Ioannes de Sancto Edmundo Cenobij Gippesuicensis alumnus, inter cæteros locum meretur. Erat enim in lectione, & meditatione Sacrarum Scripturarum exercitatissimus, qui & si plura scripsisse dicatur nihil tamen nisi Cómentarium in Euangelium Sancti Lucæ inuenimus. De ipso Pitseus *vt supra num.* 569. Balęus etiam *vt supra*, & Biscarretus.

Ioannes Auonius

6 Accedit Ioannes Auonius Comitatus Northamptoniæ, Sac. Theologiæ Doctor, & Professor. Vir multiplici rerum scientia valde instructus, & concionandi munere satis expertus, multum disertus, eloquens, gratiosus. In Mathematicis disciplinis omnes sui æui superauit, proferens de Thesauro suo noua, & vetera. Scripsit quoddam opus, quod Almanici perpetui vices supplere potuit, quod postea Richardus Maiditonus nostri eiusdem Ordinis Theologus Commentarijs illustrauit. Appellauit illud *Annulum Philosophicum*. Scripsit etiam de rebus Mathematicis *librum vnum*, & de varijs concionibus *librum alterum*. De eo Pitseus *Ætate* 14. *num.* 572. Posseuinus, & Biscarretus.

Adamus de Bodromo

7 De alijs etiam extra Angliam nationibus, clarus quoque sub eodem anno 1350. erat Adamus de Bodromo Germanus. Scripsit Lecturam Sententiarum *lib.*4. Determinationum *librum vnum*. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca* ex Arnoldo Bostio.

Conuentus Doncastriæ.

8 Doncastriæ in Anglia sub hoc anno Ordinis Cœnobium fundatum

citur;

dicitur, sub auspicijs D.Ioannis Lancastrij Ducis, & Ioannis Nibbroaher cum vxore sua Methilda. Speculum Ordinis *fol.60. pag.2.* Idem ferme habet Tabula Chronologica fundationis Monasteriorum Angliæ, quam sæpius citauimus.

Ann. Christi 1351. Clem. 6. Roman. Pontif. 10. Caroli Quarti Imperat. 6. Palæolog Imperat. Orient. 11. Petri Raymundi General. 10.

1 HIc annus ex eo celebrior, quod eo tempore in Hispania inceptus est modus computandi annos à Natiuitate Christi in publicis Instrumentis, relicta *Æra Cæsaris* mentione, de cuius initio diximus *Tom. 1. Annal. sub anno mundi 4011. num. 6.* Tarasa, Genebrardus, Mariana. Quo etiam tempore Summus Pontifex Clemens in eo nauabat opera, vt Armænorum errores de medio tolleret, eos in vera fide instruendo, Odoricus, & alij: ac de huiusmodi Armænorum erroribus Guido noster copiosè *in Tract. de Hæresib.* Casus huius anni.

2 Tachouiense Cœnobium in Bohemia, quatuor leucis è con finijs Bauariæ, in medio foro Ciuitatis fundatum est hoc anno, per Carolum quartum Imperatorē, vt testatur Vvenceslaus Hagelcus rerum Bohemicarum Chronologus fol. 321. Addens etiam prouidisse Fratribus de congrua sustentatione. Illustratum porro postea fuit hoc Cœnobium quando Illustres DD. Barones de Guttenstein (prout Bartholomæus Paprocius in suis Chronicis Bohemicis testatur) ceperunt in ea sepeliri. Tacobiensis Conuentus

3 Pro amplianda deuotione erga Deiparā Sanctissimā deseruit casus, quem noster Carmelita Ioannes à Leidis *in sua historia lib. 29. cap. 20.* & ex ipso Odoricus *sub hoc anno num. 36.* refert his verbis. *Eodem anno frater Suicon Col, & alius Ioannes filius Andreæ famulus cuiusdam pellificis in Oppido Delfensi ambulantes pariter in fori campo eiusdem Oppidi, cernebant quandam pulchram Ecclesiam in sublimitate aeris super locum illum, in quo nunc stat noua Ecclesia in Delfft. Ista visio per triginta annos circa festum Purificationis Beatæ Mariæ semper in aere apparuit. Tandem fabricata est ibidem lignea Ecclesia in honorem B. Mariæ Virginis, & imago eiusdem Beatæ Mariæ Virginis per miraculum inuenta ponitur in eadem Ecclesia.* Deuotio B. Virgin.

4 Celebris etiam illa Beatissimæ Virginis reuelatio nostro Beato Petro Thomæ facta, circa hoc tempus contigisse videtur. Quam verbis Ioannis de Hildenshein Saxonis eiusdem coætanei, socij, & discipuli in *lib. contra detractor. Ordin. nostri cap. 5.* sic referimus: *Tempore fœlicis recordationis Domini Clementis Papæ Sexti, fui studens in Auenione, seruiuique pro tunc recolendæ memoriæ Magistro Petro Thomę tunc scholas Regenti, Viro magnæ scientiæ, magnæ famæ, & opinionis, quo ad sanctitatem vitæ. Cumque* B. Petri Thomæ visio.

more solito, coram ipso dormirem, in sancta nocte Pentecostes vocibus dulcibus, & miris motibus expergefactus repente surrexi, de quo & ipse consimiliter euigilauit. Petij pro tunc ab eo quid habuisset, ipse vero noluit indicare mihi: multiplicaui preces flexis genibus, & tandem vix obtinui, præmisso tamen iuramento, quod non reuelarem, quandiu foret ipse superstes. Et tunc dixit: In tristitia mentis, & feruentibus desiderijs obdormiui desiderans à Beata Virgine Religionis meæ patrocinium, & conseruationem, Ipsa mihi respondit. Petre, non timeas, quia durabit in finem Carmeli Religio vestra, nam, & pro ea supplicauit etiam Filio meo primus Ordinis Patronus Elias in Transfiguratione, & impetrauit. Retulit ista mihi lachrymantibus oculis ipsius præ gaudio ex quo & ego ad consimilem fletum prouocabar. Hæc ille. Quam postea visionem nedũ historici Ordinis acceperũt, sed de extraneis Siluester Marulus Cistertiensis *in Mari Oceano Religionum de Carmelitana tractans*. Imo quoad substantialia in ea contenta approbauit Sacra Congregatio Rituum in Lectionibus Officij eiusdem Beati Petri Thomæ sub Vrbano Octauo, & Cardinalis de Torres recognitione 12. Iunij 1628. Ibi enim dicitur lect. 5. *Pro sui Ordinis perpetua conseruatione, & augmento frequentes ad Deum, & Beatissimam Virginem orationes fundens, intimaque inter orandum edens suspiria, ipsa nocte Pentecostes, cum id instantius postularet, à Beatissima Virgine mirabili hoc responso dignatus est. Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem vsque sæculi est perseueratura. Elias namque eius Institutor iam olim etiam à Filio meo id impetrauit.* Scriptorum etiam nostri Ordinis veneranda cohors eam reuelationem recipit, refert, & approbat. Specialiter ex antiquioribus Arnoldus Bostius *in lib. de Patronat. Virgin. cap. 12.* sic eam pijssimis verbis celebrat. *Cum semel deuotus laudum Mariæ Propagator in Sacra nocte Pentecostes feruentibus desiderijs à dulcissima, præpotentique Patrona Maria, suæ Religionis patrocinium efficax in iugem conseruationem humillime petijsset; ipsa vultu, & habitu coruscans Petri tanquam familiaris, tanquam alterius sui, confidentius ingressa cubiculum, affatu pijssimo, responsum flammiuomum, fauo, ac melle prædulcius ei dedit: Ne timeas inquiens, mi Petre. Audi popule meus, peculiaris Grex Carmelitarum, & contestabor te: Recordabor vtique semper fœderis mei, quod pepigi vobiscum: durabit igitur vsque in finem Religio clarissimorum, & desideratissimorum Fratrum meorum congregatio; nam & pro ea supplicaui Filio meo, & impetrauit primus Ordinis Patronus Elias, dum ei Transfigurationis suæ tempore in gloria, & maiestate coapparuit, excessum feruentissimæ charitatis, quem completurus erat in Hierusalem, cũ mansuetissimo Moyse reuoluens. O charitas immensa viscerum maternorum? O res dicta mirabilis; mirabilis item cogitata? O multum excessiua dilectio Reginę maiestati simmensę, per tam lactiflua verba patescens? Quibus dictis, suus discipulus; qui coram ipso dormiuit, à somno expergefactus, Magistri pedibus voluitur preces multiplicat, vt omnem cælestis visionis seriem reserare dignetur. Tandem exauditur, iuramento præmisso, quod nil eorum reuelaret alicui quamdiu superuiueret collocutor Virginis tam familiaris, prę reuerentia, & gloria*

ria vultus illius adhuc stupidus. O verbum exultationis, & letitia de saluifi-co pijssimi cordis fonte prolatum; verbum dulce, & gratiosum; dignum vtique memoria sempiterna, tam Carmelique Fratribus diligenter, & saporose nominandum. Verbum sanè securitatis, & felicitatis immensa, quo tam primi Patris Elia, quam glorificandissima Patrona Maria (qua per specialem protectionem est in circuitu populi sui) precibus, & meritis iuuari assecurantur. Iure dicam igitur, quod immensa diuina longitatis beneficia exhibita populo Carmelitano, ineffabilem ei conferant dignitatem. Nec enim est, aut fuit aliquando tam grandis natio, qua habeat Institutores Deo appropinquantes per sublimioris vita merita, & assistentes sibi, sicut adest nobis Domina, & Institutrix nostra Maria, simul, & Institutor noster tanta Regina coniunctissimus speciali necessitudine compaternitatis S. Elias. Hæc & alia mellifluus hic author, veritatē huius Reuelationis comprobans, & in sequentibus confirmans, ex eo quod, cum quælibet Religio adminus durauerit pro vita sui Institutoris; sic & deceat quod Carmelitana perseueret, dū Elias viuit: quem constat non moriturū vsque ad finem mundi. Hinc etiam distichon illud in Ordine inualuit.

Dum fluet vnda Maris, curretque per Æthera Phœbus
Viuet Carmeli Candidus Ordo mihi.

5 Huius autem Beati Petri instantissimæ petitiones ad Beatam Virginem pro Ordinis augmento postulando, causam absdubiè dedit violentissima pestis; quæ ea tempestate (vt Historici fatentur) per Orbem grassabatur, quæ Mendicantium Ordinibus ob mortem plurium vetustiorum Patrum, quibus iuniores in gubernio successerant, magnum attulit detrimentum, vt anno 1348. vidimus. Accedit quod sub eodem anno, vt credimus, imo sub eodem die Capitulum Generale, vt dicemus, Tholosæ congregatum de negotijs Ordinis tractabat, vt propterea pius, & deuotus Pater pro ipsius augmento efficacius solito Beatam Virginem Patronam exoraret: & ab ipsa consolatoria hæc verba audire meruerit: Occasio postulationis

6 Abscedat igitur scrupulus, quem huiusmodi visioni opponit pergrauis, & celebris author Lucas Vvadinghus *in vita eiusdem B. Petri Thomæ*: propter ea, quæ diximus to. 1. Annal. circa ann. 4085. nu. 11. quæ viro pio abundè sufficere possunt. Et sanè, cum a S. Congregatione Rituum approbata sit ea reuelatio, vt vidimus, omnino recipi debebat ab eiusdem S. Congregationis Consultore, qualis ipse P. Vvadinghus est. Quia vero mei iudicij trutinæ (qui etiam etsi indignus eiusdem quoque Sac. Cætus Consultorem ago) rei examen relinquit, dicam; nullatenus à viro prudenti reijci, aut improbare posse; quia est quasi expressa verbis lectionis quartæ Officij eiusdem B. Petri iam relatis. Cohæret & tempus angustiæ, qua pressus, Beatiss. eandem Virginem pro suæ Religionis conseruatione prudenter interpellare potuit. Congruit, & viri ardentissima in eandem Dei parentem deuotio, de qua ipse Vvadingus in vita ipsius B. Petri nu. 6. dixit quæ supra retulimus sub ann. 1332. ac inter alia, *incredibili erga eam exarsit deuotionis affectu*: incredibili ergo deuotioni credibile priuilegium reddidit

didit vicem. Quod in ea P. Vvadinghum angit est, quod Elias dicatur *Institutor Carmelitarum*. Cæterum licet hic titulus reperiatur in hac reuelatione, prout à S. Congregatione refertur, & approbatur; nihilominus à Ioanne de Hildeshein, & Bostio relatis, præcauentibus aliquorum non satis beneuolam mentem, non *Institutor*, sed *Patronus* vocatur. Cum reuera institutorem appellari debere ea, quæ adduximus tomo primo superabundè demonstrent. Nec sit inuidia in vocabulo *Carmelitarum*, quia de huiusmodi quæstione, vtporè de solo nomine, nihil nobis curandum: dum tamen vir sapiens fateatur, Eliam, Principem, & Antesignanum status monastici fuisse, prout veneráda Patrum, & Doctorum cohors, quam eo loco retulimus, constanter fatetur. Hic enim Monasticus Ordo ab Elia primordialiter inchoatus in Carmelo, quandoq; solum *Monasticus*, quandoq; *Propheticus*, quandoq; *Elianus*, posterioribus autē sęculis frequētius *Carmeliticus* appellari consueuit. Facessat etiam scrupulus eiusdem, quod videlicet mirabile ipsi appareat, quod Elias in Transfiguratione Christum Seruatorem pro suo grege Carmelitico exorauerit. Quidquid enim sit de Origene, de quo id sumptum quidam dixit, certe prudens nullus refragabitur quin sicut Moyses, qui vnus ex testibus Transfigurationis fuit, iure potuit pro Synagoga, cuius Legifer fuerat, Christum interpellare; sic & Elias testis alter pro Monastico statu à se in Carmelo initiato. Esto etiam quod vterq; prout Euangelista ait, *de excessu* cum Christo præcipuè, & principaliter loqueretur. Hæc respondenda censuimus obiectis à grauissimo Vvadingo, quæ, vt Pater Bollandus post Appendicem ad vit. B. Petri Thomæ dixit, *haud facile omnibus probauerit*. Ad Historiam iam nostram redeamus.

Capitulum Generale.

7 Ergo eodem anno, & die Sacro Pentecostes, Petrus Raimundi Generalis Ordinis Pastor, Tholosæ Capitulam Generale celebrari studuit. In eo 18. Prouinciæ Capitulo proximè præcedenti relatæ cum Prouincialibus ipsarum referuntur, & pro communibus expensis Ordinis taxantur. Principaliores Patres in eo nominati sunt Sualterius de Kesso Prouincialis Angliæ, Ioannes de Vineta Franciæ, Henrricus Bolendorpius, Germaniæ Inferioris, ac Petrus de turribus Prouinciæ Prouinciæ Præsul. Et ex Lectoribus pro Parisiensi Cœnobio designatis Thilmanus de Aquis, Ioannes Balistarius, Ioannes de Regno; de quibus specialiter suo loco dicemus. Ordinati fuerunt in Procuratorem Ordinis Arnaldus TrenKa, in Priorem Curiæ Romanæ Ioannes Ricardi, & in Priorem Parisiensem Ioannes de S. Leodegario.

Ioannes de Regno.

8 Hac ætate clarus erat in Ordine nostro Ioannes de Regno, Gallus, Conuentus Tholosani, in Scripturis Sanctis eruditus, ingenio subtilis, & promptus eloquio. Hic in Capitulo Generali Metensi anno 1348. ordinatus fuit ad legendum Biblia Parisijs pro 3. anno, & in hoc Capitulo Tolosano creatur Lector sententiarum etiam Parisijs pro 7. anno. Cum autem in posterioribus Capitulis nulla de ipso commemoratio fiat, credimus ea tempestate, forsan communi calamitate pestis, obijsse. Scripsit in

Euan-

Euangeliũ Matthæi *lib. vnum*. Sermones de tẽpore, & de Sanctis *lib.* 2. quadragesimale quoq; *lib.* 1. De ipso agunt Trithemius Sixtus Senensis Eisengrineus, Gulielmus de la Perriere: Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus.

9 Figmentum videtur quod Albertus Argentinensis *in Chronicam* sub hoc anno accidisse scribit de quodam Lectore Carmelita: *Qui* (inquit) *sermonem faciens in Missa Papæ, eum, & Cardinales de eorum vitijs reprehendit, quo omnes, qui aderant, terrebantur, qui extitit propter hoc à statu honoris rotatus*. Huiusmodi enim casus, nec apud nostros, nec apud exteros aliqua memoria reperitur. Figmentum.

Ann. Christi 1352. Clem. 6. Roman. Pontif. 11. Caroli 4. Imp. 7. Palæologi Imperat. Orient 12. Petri Raimundi General. 11.

1 VITA cessit hoc anno Papa Clemens, Auinione agens, octauo Idus Decembris; successorẽ habens Stephanum Alberti Cardinalem Ostiensem, dictum Innocentium VI. Platina, Onuphrius, Gordonus, & plerique alij. Sanctorum, & piorum hominum studiosum fuisse hunc Papam Innocentium, vel ex eo, quod valde honestauit nostrum B. Petrum Thomam, licebit conijcere. Specialiter etiam Sacram Carthusiensem familiam valde honorasse habet fasciculus Temporum, & ex eo Odoricus *sub ann. 1356. in fin*. ob quandam reuelationem cuidam Eremitæ factam, quam, quia terribilis est peccatoribus, & eos ad bonam frugem trahere potest, hoc loco referimus: *Vidi* (aiebat) *animas in infernum descendere sicut niues densissimas, in Purgatorium sicut niuem rarissimam, sed ad Paradisum tantum tres vidi introire; scilicet illius Episcopi, ac illius vidua Romana, & illius Prioris Carthusiensis*. Væ nobis, quia peccauimus. Innocentij 6. electio.

2 Emersit sub hoc anno, iuxta Prateolum, & Bzouium, damnatę memoriæ homo Ioannes Vviclephus, Sacerdos sæcularis, artium magister, acer ingenio, & eloquentia non mediocri: sed lingua, calamo, & moribus hæreticus valde perniciosus. Veruntamen, etsi forsan pro hoc tempore suæ malignitatis specimen aliquod præbuisse credi debeat, nihilominus non nisi post nonnullos annos in apertum prodijsse, venena hæresum in alios spargendo, certius est, ex nostro Vvaldensi, qui præcipuus huius hæretici mastix, & malleus fuit, prout in sequentibus dicetur. Ipse enim, ipsiusque errores, Annalibus nostris non paruam Prouinciam suppeditabunt; prout ex dicendis in sequentibus constabit, & dicimus sub anno 1377. & in alijs locis: vtpotè cum ex ijs, qui contra illos scripserunt Carmelitæ nostri maximè fulgent. Specialiter Vvaldensis relatus inter ipsos Princeps; Nicolaus Durhamus, qui contra ipsius articulos librum vnum scripsit; Ricardus Lauingamus, qui etiam alio contra ipsum edito libro fidem Catholicam propugnauit; Thomas Lumbæus æmulator, Ioannes De Vviclepho.

Suuaffamus Banchorensis Episcopus, qui & libris editis, & in Concilio Stanfordiensi, ipsius, & sectatorum Vviclephistarum dogmata confutauit; Ricardus Maidstonius eiusdem Nationis, Ioannes Kininghamus, qui primo contra ipsum in arenam disputatoriam descendit, & libris editis egit; Petrus Stochus, seu Stokes, quem Vviclephus *Canem album* appellabat; Gualterus Dissæus; Ioannes Marrei, seu Marro, quem valde in hac causa commendat Harspfeldius; Stephanus Patringtonus; Alanus de Lynna, qui iuxta Bzouium t. 15. *Annalium anno* 1422. inter Carmelitas, qui plurimum contra Vvicleff errores contulerunt, *primas tulit*.

Conuentus Andegauen. 3 Quo etiam anno 1352. Andegauensis nobilis in Gallia Monasterij memoria hæc extat. Prima Carmelitarum Andegaui commoratio extra Vrbem fuit, vbi hodieq; Veteris domus vestigia supersunt nulli ignota. Verum quo sæculo, quibusue annis in eam Galliæ partem aduenere non indicant monumenta ante annum 1294. Illud indubium ex Bulla Clementis VI. Auenione 10. Aprilis, anno 1352. conscripta, intra Inclytæ Ciuitatis Mœnia fuisse receptos, Renato Siciliæ Rege Duce, Andium solum extruendo Cœnobio regia liberalitate conferente; quod postea indefessis Carmelitarum laboribus, collectisque à fidelibus tantæ pietati subsidijs, ad complementum vsque, fuit instructum Sacellum ibidem Virgini Matri *de Recuperantia* dicatum: ob miracula, quæ frequenter patrata fuerunt, fiuntque quotidie, percelebre est. Appensa fidelium vota tanto numero, vt vix angusti loci spatijs capi valeant, certam faciunt fidem emissis illi precibus Cælorum Reginam propitiari Cælestemque opem pie ibi supplicantibus non deesse. Nam ibi est contueri captiuorum vincula, Rediuiuorum linteamina, claudorum fulcimenta; multæ præterea cereæ Imagines, aliaque eiusmodi indubitata superni auxilij argumenta. Locuples iuxta Sacristiam reliquiarum Thesaurus est, vbi Thecis aureis, argenteisque sacra Diuorum pignora religiosissime inclusa asseruantur. Vbi quoque visuntur lampades argenteæ, Calices per plures, non vulgaris cælaturæ, multa eiusmodi supplex nobiliaque monumenta Andinorum pietatis in Deum, Deiparam, Diuosque omnes. Auget quoque S. Gazophilacij venerationem paruum Sacri Ordinis nostris Scapulare, quod cum multos annos inter conditi cadaueris saniem, integer remansisset, dum Andinæ mulieris honestissimæ sepulchrum de nouo aperitur, repertum est, & consuetis in ea re expertis, Iudicum, Superiorumque decreto, velut in miraculi speciem conseruatum. Nec cadit tot munerum splendori in capsula honoraria, Venerandum B. Ioannis Sorethij olim Ordinis Generalis corpus, qui anno 1471. mortuus est, quique in Ordinis sibi commissi informatione occumbens, virtutes posteris suis imitandas reliquit, quales describuntur in illius vita, ab eius itineris socio prius exarata, & ante aliquot annos ab vno è nostris recognita, & illustrata. Exantlatis difficultatibus nonnullis, Obseruantia Rhedonensis Andegauum translata, in illo celebri Monasterio firmissimas posuit radices anno 1615. illius institutum iubente, & confirmante Reuer. Patre to-

tius

tius tunc Ordinis Generali Sebastiano Fantono; à quo præcipuè tẽpore familia hæc Carmelitarum claret pietate, & doctrina. Vtpote quia ibi adest nobile, Sacræ modo Theologiæ, modo Philosophię, domiciliũ, & viridariũ plusquam quinquaginta Fratribus consitum, siue morum probitatem, siue diuinas litteras spectes, conspicuis. Vnde, & magna animi voluptate ab exteris, præsertim cultioris ingenij Viris, inuisitur nostrum hoc Cœnobium omnium in inclyta Vrbe, Ordinum, in primis vero Illustrissimorum Antistitum protestatione, & beneuolentia notissimum: nec minori oblectamento Bibliotheca diues, & perampla cuiusuis disciplinæ voluminibus instructa, datur conspici in Ædium parte nobiliori. Hæc habemus ex relatione Prouinciæ Turoniæ, ac ex R.P. Leone à S.Ioanne egregio illius alumno *in delineatione Obseruant. Rhedonens. c.13.*

4 Ex eadem quoque relatione habetur, quod eodem anno extructũ fuerit Aulnense Cœnobium à Vice comitibus eius Patriæ, splendidè satis, amplisque censibus dotatum: & sub anno 1554. ab hæreticis dirutum, & exustum; trucidatis Religiosis, qui fidem Catholicam deserere renuebant. Inter quos vnus refertur, qui, ad vlmum (quæ arbor superstes notatur) alligatus, glandibus confossus, Martyris lauream fæliciſſimè consecutus creditur, cum multis alijs. Inde Conuentus desertus, sancta omnia polluta, vsq; ad tempus Rhedonensis Obseruantiæ, quo Religiosi illius in eas partes à Superioribus missi, viderunt sanctificationem desertam, Templum exustum, in eiusque loco virgulta nata, sicut in saltu, aut montibus. Altari ergo primùm curato, modicam Conuentus partem in cellularum vsum Euangelica paupertate adornarunt: in solo nempe pietatis sterili, & in medio nationis prauæ, Caluinisticæ videlicet. Sed Deo, eiusque Genitrice adiuuantibus, & Rege Christianissimo suppetias ferente, sequentibus annis Ecclesia reparata est, totusque fere Conuentus restitutus, aggaudentibus Catholicis, qui nunquam eo loco defuerunt. Similia ferme idem, qui supra Leo c.21. pro solitudine, quæ in eo viget sacram Poesim scribens. Aulnense Cœnobium.

5 Clementis Papæ hoc anno defuncti funus aliquid habet nostris Annalibus proprium. Cum enim ipsius cadauer ad Monasterium Casæ Dei Ordinis Claramontensis S. Benedicti transferretur sepeliendum, curantibus Cardinalibus Hugone, & Guillelmo Presbyteris, ac Guillelmo Nicolao, & Petro Diaconis (Bzouius, & Odoricus) in itinere ab Auenione vsque ad prædictum Monasterium, duodecim factæ sunt stationes, in quibus B.Petrus Thomas enixis Cardinalium, & consanguineorum Pontificis precibus, duodecim interim conciones habuit. Delato autem ad Monasteriũ cadauere, cũ pro more concionaturus iterum pulpitũ condescenderet, itineris labore, hyemis frigiditate, & præcedentibus cõcionibus ita raucus deuenit, vt vix loqui, aut intelligi posset. Quare ad Matrem Misericordiæ opportunum auxilium implorans meruit ab ipsa exaudiri, & in ipsa concione intelligibili loquela donari. Hoc enim singulari fauore ab eadem B. Virgine accepto gloriabatur in Domino: idem B. Petrus B.Petri Thomę gesta.

Thomas

Thomas. Mazzerius *in vita B. Petri Thomæ* c. 2. apud Bollandum supra.

Neostadiense Cœnobiū.

6 Neostadiense, seu nouæ Ciuitatis ad *Salam* fluuium in Germania sitū Diœcesis Herbipolensis Monasterium, hoc anno fundatū dicitur. De quo vix alia suppetunt, nisi quod annis præteritis Hassi Landgrauij militum incommoda sensit: etsi nihilominus subsistere, & à nostris possideri adhuc dicebatur. Hæc ex relatione Conuentuum Germaniæ per Bartholomæum Eiselim facta, & ad Generalem Theodorum Stratium missa, excerpsimus.

Ann. Christ. 1353. Innocent. 6. Rom. Pontif. 1. Carol. 4. Imper. 8. Palæolog. Imper. Orient 13. Petri Raimund. General. 12.

Gesta Cardinalis Carrilli, & Beati Thomę.

1 VNC annum celebrem facit Ægidius Carrillus Albornoz Hispanus Cardinalis, Toletanæ Ecclesiæ Antistes, & patria Conchensis; Qui à Pontifice in Italia Præfectus constitutus Ecclesiæ Romanæ patrimonium paucorum annorum spatio ad Iura Summi Pontificis fœliciter reduxit, Platina, Blondus, Sabellic. Celebrem etiam hunc annum reddit, quod eo tempore nostri B. Petri Thomæ vitæ sanctimonia mundo magis clarescere cepit, Legationibus illi à Papa Innocentio commissis. Prætermissis autem pluribus ilarum, de quibus in sequentibus dicetur, duæ Legationes ipsi hoc anno commissæ sunt. Prima quidem *in Apuliam ad Regem Apuliæ Ludouicum, & ad Reginam Ioannam eius consortem, propter aliqua magna negotia, Ecclesiam Dei, & Regnum Apuliæ tangentia. Quod, & fecit, & præceptum à Sede Apostolica sibi iniunctum ad honorem Dei, & Ecclesiæ laudabiliter fecit, & compleuit. Et hæc fuit prima legatio sua.* Hæc Mazzerius in vita ipsius c. 3.

Alia legatio.

2 Mirum tamen est, quomodo idem Mazzerius diligentissimus Scriptor vitę B. Petri Thomæ, non meminerit alterius Legationis illi à Papa hoc anno commissæ, ad Ianuenses, & Mediolanenses: forsan, quia simul cum illa Apuliensi illi commissa fuit. Quidquid tamen de hoc sit, ea est, certissima, ac constat ex litteris Regesti Vatican. Cum enim Ianuenses crudele bellum cum Venetis, & Aragonijs gessissent, & in eo ipsorum classis, magna clade accepta, fusa, & deiecta esset; quadraginta tribus triremibus amissis, & octo mille hominum cæsis, Pontifex fusum in ea Christianarum sanguinem planxit, & redintegrandæ pacis desiderio (inquit Odoricus sub hoc ann. num 10) *Petrum Thomam Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo religiosum, virum sanctimoniæ gloria clarum ad Genuenses misit, vt ipsos ad pacem cum Venetis, & Aragonijs adduceret: quos etiam, vbi pluribus magno ob acceptam cladem dolore affectum se ostendit, ad concordiæ admittendæ consilia his litteris est cohortatus. Innocentius, &c. dilectis filijs, nobili viro Ioanni de Valente Gubernatori, & communi Ciuitatis Ianuensis. Verebamur*

vtique,

vtique, filij, verebamur quod accidit: verebamur ex vestra, & charissimi in Christo filij nostri Petri Regis Aragonum, illustris, ac dilecti filijs nobilis viri Ducis Venetiarum amara discordia, Christianæ gentis excidium, & effusionem cruoris timebamus humani, quæ discordia ipsa fælicis recordationis Clementis Papæ Sexti prædecessoris nostri, nostrisque deinde laboribus, quos pro illa sedanda subiuimus, vacuatis effectu, intuebamur anxiè imminere quasi præ foribus; & nunc, proh dolor, palpabiliter contigisse sentimus. Pertulit siquidem ad nos multorum nobis amara, & infesta relatio, quod nuper vestris, ac Regis, & Ducis prædictorum gentibus nauali prælio laborantibus inuicem, multos profundum absorbuit, multos gladius deuorauit. In quo, etsi detrimenta defleamus temporaliter populi Christiani; animarum tamen pericula potius, & amarius deploramus. Et quamuis eisdem gentibus vestris minus dicatur prosperè successisse, sperantes tamen, quod vos sicut viri prudentes, & sapientes, bona, & mala de manu Domini, æquo suscipientes animo, sic vos ad aduersa, & prospera præparaueritis, vt nec consternemini in illis, nec in his eleuemini, vniuersitatem vestram ex paternæ, ac solitæ charitatis affectu monemus, requirimus, & hortamur in Domino illam attentè rogantes, quatenus prudenter considerantes, quot & quanta dispendia, pericula, & mala spiritualiter, & temporaliter discordia ipsa deflenda, vtique intulit; & quot, & quanta probabiliter, et euidenter illatura, quod auertat Dominus, timetur, consultius attendentes, bonum pacis, quod in se omnia bona continet, placidè amplexemini, et ad concordiam cum Rege, ac Duce habendam eisdem inclinetis animum, disponatis, et mentem, etc. Datum apud Villam nouam, Auinionensis Diœcesis 3. Kalendas Octobris anno primo.

Refert has litteras per extensum Odoricus *supra*, easque commemorat etiam Bzouius *sub hoc anno num.* 8.

3 Neuter tamen illorum refert alias litteras eiusdem Innocentij aliquot diebus post præcedentes; scilicet nonis Octobris eiusdem anni, datas; quibus præfatum Petrum Thomam commendat omnibus Prelatis Ecclesiarum pro benigna ipsius receptione, & honesta prouisione de necessarijs pro se, & sua familia. Quæ tales sunt. *Innocentius, etc. Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Rectoribus, et alijs Ecclesiarum, et Monasteriorum Prælatis, etc. Cum dilectum filium Petrum Thomæ, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Magistrum in Theologia, latorem præsentium, ad Ciuitatem Iannensem, et Mediolanensem, pro quibusdam negotijs per Nos sibi commissis, duxerimus destinandum, vniuersitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eumdem latorem cum per partes vestras transitum fecerit, ob reuerentiam Apostolicę Sedis, et nostram, benignè recipientes, et honestè tractantes, sibi, quandiu in huiusmodi negotij prosecutione fuerit, diebus singulis in duobus florenis auri pro sui, et familiæ suæ necessarijs, et de secura conductu, cum super his per ipsum, vel eius nuntium fueritis requisiti, in eundo, morando, et ad Nos redeundo, liberaliter prouidere curetis. Ita quod exinde deuotionem vestram commendare meritò valeamus. Alioquin* Aliæ litteræ Papæ.

senten-

sententiam, quam idem Petrus per se, vel alium, seu alios ritè tulerit, contra rebelles, super quo sibi tenore præsentium plenam concedimus facultatem, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, vsque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, infallibiliter obseruari, non obstante, quod aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem Sede indultum existat, quod nuncijs Sedis ipsius aliquam procurationem exhibere, vel in ea contribuere, nisi ad eos declinauerint, minime teneantur, &c. Ita ad verbum extraximus ex Archiuio Vaticano, & Regestro Innocentij Sexti anno primo. Et habet Pater Lucas Vvadinghus *in vita Beati Petri Thomæ in Appendic.* Bullarum, quæ ipsius res gestas concernunt, Bulla prima.

Notatio. 4 Ex his autem litteris, & verbis illis in ipsis contentis, nempe *ad Ciuitatem Ianuensem, et Mediolanensem*, elicimus non solum ad Ianuensem Ciuitatem, sed etiam ad Mediolanensem destinatum fuisse Nuncium, seu Legatum eundem Petrum Thomam. Eo videlicet, quod cum Genuenses, recepta clade à Venetis, & Aragonijs, nimis afflicti, & intestinus odijs, & discordijs aggrauati, alieno Principi se tradere vellent, & alij Regem Gallorum, alij Germanos, quidam Constantinopolitanum Imperatorem, & plures, quorum sententia vicit, Vicecomitem Archiepiscopum, & Principem Mediolanensem sibi asciuerint (Bzouius *supra num.* 9. Odoricus *num.* 12.) propterea Pontifex, vt communis Christianorum Pater, tam ad Genuenses, quam ad Mediolanensem Principem, Petrum Thomam legauit, vt eos in bonum publicum, Ecclesiæ vtilitatem, & maiorem Dei gloriam dirigeret.

Votum Pataiuj. 5 Inclyta Patauij Ciuitas, Deiparæ Virgini Mariæ deuotissima hoc anno piè statutum fecit, quod annis singulis in Festiuitate Purificationis eiusdem Virginis ad domum, & Ecclesiam nostram eidem Virginis nuncupatam, Processio fieret, interuenientibus Excellentissimo Præfecto, Senioribus, & Officialibus Ciuitatis, cum Cereorum oblatione. Angelus Portenarius *de fœlicitate Paduæ lib.* 9. *cap.* 29.

Ann. Christ. 1354. Innocent. 6. Rom. Pontif. 2. Carol. 4. Imper. 9. Palæolog. Imper. Orient. 14. Petri Raimund. General. 13.

Gesta hoc anno. 1 
Vindictam sumunt hoc anno Genuenses de Venetis cladem magnam ipsorum Classi ad Promótorium quoddam Beloponesi infligentes, in qua 28. naues, & 35. triremes illorum ceperunt. Platina, Blondus, Sabellicus, & alij moderni.

Capitulum Perpiniani. 2 Quoad Ordinis nostri res gestas Perpinianense Generale Capitulum hoc anno congregatur. In eo decem & octo Prouinciæ, sicut in Capitulo præcedenti, taxantur, & numerantur cum Prouincialibus earum.

Illu-

Illustriores Patres in hoc Capitulo relati,sunt, Ioannes de Vigintimillio Prouincialis Terræ Sanctæ, Vvalterius de Kesso Prouincialis Angliæ;Ioãnes de Vinera Franciæ Prouincialis, Petrus de Turribus Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ; Henricus Dolendorpius Germaniæ Inferioris; Ioannes Balistarius ordinatus ad legendum sententias Parisijs pro primo anno, Petrus Riui pro septimo; Ioannes Golem pro quarto, & ad legendum Biblia pro tertio; & Arnaldus TrenKa Procurator Ordinis. De quibus sigillatim in sequentibus dicemus. Liber Ordinis *fol.4.pag.2.*

3 In hoc etiam Capitulo, iuxta Palæonydor. *lib.* 3. *cap.* 11. fuerunt confirmata Statuta per Generalem Petrum in vnum collecta. Quod sanè credibile satis videtur; esto in libro Ordinis nihil de hoc legatur, & Arnoldus Bostius *lib.7. cap.*42. in Capitulo Generali Tholosano anno 1355. celebrato id actum fuisse scribat. Acta Capit.

4 Ruminandum porro ex hac Perpiniacensi Synodo decretum, ex quo plura ad Prouincias Hispaniæ spectantia,elici valent. *Ordinamus,quod Conuentus Pampiloniæ, & Sangosæ sint de Prouincia Aquitaniæ, si tamen placuerit R. P. in Christo Domino Sancio Episcopo Segrobecensi. Conuentus autem Barchinonę, Perpiniani, Maioricarum, Petrelatæ, Gerundæ, Campirotundi, Minoricæ, Illerdæ, & Vallium, vnam Prouinciam faciant, quæ Prouincia Cathaloniæ de cætero appelletur. Conuentus vero Valentiæ, Cæsaraugustæ, Oscæ, Calatayutij, Toleti, Requenę, Gibraleonis, & Moræ, vnam Prouinciam faciant, & vocabitur Prouincia Hispaniæ, vt solebat.* Ex quibus primo habetur, Hispaniæ Prouinciam,& sub hoc nomine extitisse. Secundo, quod aliqui Conuentus ad Nauarræ Regnum spectantes, nimirum Pampilonẽsis, & Sangosensis Prouinciæ Aquitaniæ accenseantur; propter vnionem forsan earum Nationum eo tempore. Tertio, quod aliqui Conuentus vetustiores postponantur in prædicta enarratione iunioribus, forsan propter causam,quam sæpius assignauimus. Quarto, quod Conuentus Minoricæ eo tempore erat, cum tamen hoc æuo nulla ipsius memoria extet, quod sciam. Denique quinto; plures Conuentus in Hispania hoc tempore fuisse, quam à nobis sint relati vsque modo: cuius rei causa est, quia de ipsis plenam notitiam non habuerim, ob quorumdam negligentiam: de ipsis tamen loquar, etsi sero, quando ipsam habuerim. Notatio circa hoc Capitulum.

5 Regressus iam ab Apuliæ,Genuæ,& Mediolani Legationibus Beatus Petrus Thomas, de quo anno præcedenti, eiusque industria, & in negotijs peragendis dexteritate cognita, quod præsertim Sanctæ ipsius vitæ, & concionum fama satis ad Pontificis notitiam peruenisset, ob mortem Petri Teuthonici Ordinis Sancti Francisci,Episcopi Pactensis,& Lypparensis, ipsum prædictis Episcopatibus honestauit,sub hoc anno Auinione 16. Kalend. Decembris.Bullæ tenorem hic adiungimus ex Archiuio Vaticano,& Registro Innocentij Sexti anno secundo, *fol.*57. *Bulla* 64. extractum. Quam etiam habet Pater Vvadinghus *in vita eiusdem Beati Petri Thomę in Appendic.* Bullarum eius res gestas concernentium Bulla secunda, & con- De B.Petr. Thom.

Hhhh firmat

firmat Ferdinandus Vghellus Monachus Cisterciensis *in sua Italia Sacra, Tom, secund. in Appendic.* loquens de Episcopis Lypparensibus.

Innocentius Episc. etc. Venerabili Fratri Petro Episcopo Pactensi, et Lipparensi, salutem, Pastoralis officij, cui, disponente Domino, præsidimus, exposcit, vt de vniuersi Orbis Ecclesijs, quarum cura nobis imminet generalis, et de illis præsertim quæ vacationis exponuntur incommodis, sollicitè cogitemus, vt illis præficiantur viri prouidi in Pastores, qui eas in spiritualibus, et temporalibus possint, et sciant, salubriter gubernare. Dudum siquidem bonæ memoriæ Petro Pactensi, et Lippariensi Episcopo regimini Pactensis, et Lippariensis Ecclesiarum inuicem canonicè vnitarum præsidente, nos cupientes eisdem Ecclesijs cum eas quouis modo vacare contingat operationis nostræ ministerio vtilem præsidere personam, prouisionem ipsarum Ecclesiarum ordinationi, et dispositioni nostræ ea vice duximus specialiter reseruandam, decernendo ex tunc irritum, et nunc si secus super ijs per quoscunque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter continget attentari. Postmodum vero præfatis Ecclesijs per obitum eiusdem Petri Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destitutis, nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad prouisionem dictarum Ecclesiarum celerem, et fælicem, de qua nullus præter nos ea vice se intromittere poterat, reseruati ne, et decreto obsistentibus supradictis, ne prolixæ vacationis exponerentur incommodis, paternis, et sollicitis studijs intendentes, post deliberationem, quam de præficienda eisdem Ecclesijs persona vtili, et etiam fructuosa cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad te, Ordinis, Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli professorem in Sacra Theologia Magistrum, et in Sacerdotio constitutum, cui de Religionis zelo vitæ, ac morum honestate, spiritualium prouidentia, et temporalium circumspectione, alijsque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, præfatis Pactensi, et Lyppariensi Ecclesijs de prædictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica duximus prouidendum, teque illis præfecimus in Episcopum, et Pastorem, curam, et administrationem ipsarum Ecclesiarum, et in spiritualibus, et temporalibus plenariè committenda; tibique postmodum per venerabilem Fratrem nostrum Guidonem Episcopum Portuensem, apud Apostolicam Sedem fecimus munus consecrationis impendi, in illo, qui dat gratias, et largitur primo confidentes, quod eadem Ecclesia pro tua circumspectionis industria, et prudentia circumspecta sub tuo fælici regimine, dextera Domini, Tibi assistente propitia, salubriter, et prospere dirigentur. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præfatas Ecclesias cum gratia nostræ benedictionis accedens, curam, et administrationem prædictas sic exercere studeas, solicitè, fideliter, et prudenter, quod dictæ Ecclesiæ gubernatori prouido, et fructuoso administratori, gaudeant se commissas. Tuque præter retributionis æternæ præmium beneuolentiam nostræ gratiæ vberius consequi merearis. Datum Auinione 16. kalen. Decembris Anno secundo.

De hac Bulla.

6 Non viderat Pater Lucas Vvadinghus hanc Innocentij Sexti Bullã,

qua

qua noster Beatus Petrus Thomas ob mortem quondam Petri Theutonici Minoritæ Episcopi Pactensis, & Lypparensis, eisdem Episcopatibus decoratus fuit; & propterea quamplures alias Nunciaturas, Legationes, & Dignitates eidem Beato Petro Thomæ, vt in sequentibus videbimus, concessas, suo illi Petro Theutonieo attribuebat: donec specialissima, & mihi euidentissima Dei prouidentia, ac singularissima eiusdem Beati Petri intercessione, à nobis ab ipso postulata, & ab eo impetrata; quod videret in cælis honoribus sibi in terris à Deo, & Ecclesia concessis, iniustè, etsi, vt credimus, sine vllo dolo, spoliari; actum est, vt eadem Bulla, nobis solicitantibus in Regestis Vaticanis loco relato superius reperta sit, magno cum gaudio Religionis nostræ. Quæ dixerim, quia ex eo tempore maximam deuotionem erga eundem Beatum Petrum Thomam, habere cepi; ac eum intercessorem, in grauissimis necessitatibus, in quibus ad ipsum per orationem recurri, expertus sum. Ipsiusque meritis, & intercessione Dei gratiam, ad eius voluntatem adimplendam, salutem animę meæ, & vitam æternam consecuturum spero.

7 His, veluti per digressionem dictis, ad historiæ nostræ cursum regredientes, certo constare dicimus, quod Pontifex Innocentius, cui relatis duobus Episcopatibus, honestasse Beatum Petrum Thomam satis non erat, eum vlterius Nuncium, & Legatum Sedis Apostolicæ ad Stephanum Regem Rasciæ, simul cum Bartholomæo Traguriensi Episcopo destinauit, hoc eodem anno, mense Decembri. Constat hoc ex litteris eiusdem Pontificis ad prædictum Stephanum Regem, Helenam Reginam, Orosium Regis filium, & alios Regni Principes, ac ad eosdem Bartholomæum Traguriensem, & Petrum nostrum, non iam Petrum Thomam, sed Petrum Episcopum Pactensem, directas, ac ad Ioanichum Patriarcham Seruiæ, quas refert Bzouius *sub hoc anno num. 20. 21. & 22.* Et per extensum habet Pater Vvadinghus *in vita eiusdem Beati Petri Thomæ in Appendice Bullarum, Bulla 3. & 4.* ac agnoscit Ferdinandus Vghellus *supra.* Alia de eodem B. Petro

8 Huius autem Legationis causa ea erat, vt ex prædictis Innocentij Epistolis cognoscitur, quod in illo Rasciæ Regno à quibusdam abominationis filijs, iniuriæ, & extorsiones variæ fierent fidelibus Ecclesiæ Romanæ deuotis, Ecclesijs, & Monasterijs, ipsos priuando, ad reiteranda Baptismatis, & Confirmationis Sacramenta cogendo, varijsque contumelijs afficiendo; vt propterea his inconuenientibus, cum pœnis, tum edictis contra prædicta perpetrantes se ipse Rex opposuisset, & à Summo Pontifice probos aliquos viros, & timentes Deum postulasset, qui prædicto Bartholomæo Episcopo in illis partibus Nuntio Apostolico, studio, & diligentia auxilium præstando assisterent. Ad hoc ergo munus in primis elegit Pontifex prædictum Bartholomæum vtpotè expertum in negotio, deinde nostrum Beatum Petrum Thomam, de quo sic inquit Pontifex in prædicta Epistola ad Regem. *Cui etiam venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Pactensem, Magistrum in Sacra pagina, virum vtique Religiosum* Legationis causa.

vita, moribus, & conuersatione laudabilem, & plenum timore Domini dedimus socium, &c. Encomia sanè tanto viro digna. Vt etiam colligitur ex Epistola eiusdem Innocentij ad prædictos Bartholomæum, & Petrum, quos vocat Apostolicæ Sedis *Nuncios*, in prædictis partibus Rasciæ, Albaniæ, & Sclauoniæ errores Græcorũ, de Spiritus Sancti processione à solo Patre, & de consecratione in pane fermentato, non in azimo, & alij, circa Baptismum, Confirmationem, & Matrimonium, vigebant. Propterea ergo illis præcipit ad dictas partes transmigrare, *Schismas dissipare, Sectas dissoluere, errores euellere, excessus corrigere, deformata reformare, & errantes ad Fidei Catholicæ veritatem reducere*. Extant hæ litteræ per extensum apud Patrem Vuadinghum supra *Bulla sexta*, & aliæ duę commendatitiæ ad Ludouicum Regem Vngariæ, & ad Ducem Venetiarum, quæ sunt 7. & 8. In Epistola quoque Pontificis ad Ioanichum Patriarcham Seruiæ, quæ etiam per extensum habetur apud Vuadinghum *Bulla* 5. dictos Bartholomæum Traguriensem, & Petrum Pactensem Episcopos, *Apostolicæ Sedis Nuncios*, & *viros probitatis expertæ, profundæ scientiæ, probatæ virtutis, & zelum diuinæ Legis habentes* vocat. Fit etiam mentio de huiusmodi Legati à Beati Petri Thomæ ad Regem Rasciæ, à Mazzerio *in eius vita cap.* 3. apud Bollandum sæpius relatum. Vbi etiam de ijs, quæ tam in itinere, quam in præsentia huius Regis acciderunt, quæ nos circa annum 1356. referimus. Illud tamen hoc loco prænotandum, quod occasione huius Episcopatus Pactensis, & ob similitudinem nominis cum *Pacensi*, nonnulli ex nostris, scilicet Coria, & Casanate, & aliqui etiam de exteris, volunt B. Petrum Thomam fuisse Episcopum Pacensem in Hispania, vulgo *Badajos*. Cœterum sine fundamento loquuntur; & ex litteris Vaticanis, Mazzerio *in Vita eiusdem* constat fuisse Pactensem in Sicilia, vulgo *Patti*, sicut eius Prædecessorem; non Pacensem. Et ita notat post Vuadinghum idem Bollandus *in Annotationibus ad hanc vitam* §. 1. *num.* 13.

Ioannes TilesKelus.

9 Sub hoc eodem anno in Anglia Ioannes TilesKelus Doctor Oxoniensis, & in vtroque Iure insignis, ac Concionator celeberrimus describitur. *Vir* (inquit Pitseus) *integræ vitæ, alti ingenij, multæ lectionis, magnæ doctrinæ, nec minoris eloquentiæ in rebus agendis, prudens in negotijs dirigendis, solidi iudicij in expediendis, miræ dexteritatis*. Dicitur Romam missum fuisse pro negotijs Ordinis pertractandis, & ibi diem clausisse extremum. Cum autem Curia Romana vbi negotia tractanda erant, Auenione tũc esset, forsan errore pro Romana Curia Roma dicitur. Quidquid hoc sit circa hoc tempus obijt, &, vt dicitur in Anglorum Schola sepultus est. Reliquit post se plures scriptos libros, videlicet, in vtrumque testamentum, in Apocalypsim Sancti Ioannis, Prælectiones Sacrorum Bibliorum, Sermonum de tempore, & de Sanctis *libros duos*, In Magistrum sententiarum *lib.*4. Determinationes Theologicas *librum vnum*, Quæstiones de Anima *librum vnum*. De eo agunt Lelandus; Pitseus, Balæus, Iacobus de Plebe, Petrus Lucius, & Biscarretus.

Ann.

Ann. Christ. 1355. Innocentij 6. Rom Pontif. 3. Caroli 4. Imperat. 10. Palæolog. Imperat. Orient. 15. Petri Raimundi Generalat. 14.

1 CArolus Imperator hoc anno coronatur Mediolani ferrea corona, pro quarta die Ianuarij, & postea pro quinta Aprilis iterum à duobus Cardinalibus à Papa designatis. Nauclerus, Cuspinus, Trithemius, & moderni alij. Pax item, per nostrum Petrum Thomam, iuxta dicta sub anno 1353. procurata, hoc anno constituta inter Venetos, & Genuenses. Leander, Gordonus. Gesta hoc anno.

2 Rauensburgense Monasterium in Germania, Diœcesis Constantiensis, sub hoc anno fundatur. Plurima, sicut & alia Catholicorum domicilia temporibus sequentibus pro fide perpessum. Nam eius nauem, seu exteriorem Ecclesiæ partem (Carmelitis nostris Chorum duntaxat tenentibus) Lutherani 82. annis, pro cultu hæretico exercendo, vi occuparunt. Quam, procurante Prouinciali Germaniæ, ab Inuictissimo, & pijssimo Ferdinando secundo Imperatore pro Ordine impetrauit, hæreticis alio loco collocatis ann. 1628. Postea ann. 1634. cum Colonellus Horn, patria Suecus, cum suo exercitu Ciuitatem deditione, & pacto caperet, plurima passum est Cœnobium incommoda. Nam 20. personas, triginta equos, cum quatuordecim canibus venaticis, octo septimanis magno cū sumptu alere coactum fuit; imo & ad Castra Suecorum aliquoties victualia transmittere. Vbi Prouincialis, postquam Rottemburgo expulsus est, etsi hic tutum se arbitraretur, nihilominus captus: at intercedente Galliarum Regis Legato exercitum Suecorum comitante, pristinæ libertati restitutus fuit. Sic habetur ex relatione eiusdem Prouincialis Bartholomæi Eiselim ad Theodorum Stratium Generalem. Rauensburgi Cœnob.

3 Similiter Monasterium Stregouiense in Silesia circa hoc tempus initium habuisse, ex relatione Prouinciæ Bohemiæ habemus. Ibi enim dicitur, paulo post Conuentum Tachouiensem, qui anno 1351. fundatus est, fuisse erectum. Id creditur factum ab aliquo Ducum Silesiæ, qui eo tempore domini istius loci erant. Fuit hic Conuentus celebris in Prouincia Bohemiæ, vt patet ex Capitulis Prouincialibus pro an. 1463. & 1508. in ipso celebratis: & quia in ipso erat studium, & studij moderator, vt patet ex Capitulo Iaslensi de anno 1483. Erat etiam numerosus in fratribus; siquidem in Capitulo Prouinciali Posnaniensi ex solo illo recensentur nouem Religiosi, qui auxilia contulerunt pro Canonizatione Sanctorum Ordinis. Stregouiēse.

4 Inter egregios Viros Capitulo præcedenti Generali numeratos refertur Ioannes Golem, seu Golein, lecturus sententias Parisijs pro quarto Ioān. Golein

anno

anno, & Biblia Sacra pro tertio. Insuper in Capitulo Generali Tholosano anno 1351. Lector Biblicus Parisiorum Cœnobij pro nono anno describitur, & in sequenti Ferrariensi anno 1357. congregato ordinatur ad legēdum Parisijs sententias pro primo anno. Insuper in Capitulo Generali Aquensi anno 1372, Diffinitor Prouinciæ Franciæ vocatur. Fuit hic natione Normandus, in pago Blacquevillæ natus, filius, & Prior Rothomagensis; ac Doctor Vniuersitatis Parisiensis, & Prior illius Cœnobij. Vir in Diuinis scripturis studiosus, & eruditus, atque in sæcularibus litteris sufficienter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio. Propterea Papæ Sacellanus fuit. & ab ipso pro grauissimis Ecclesiæ negotijs Legatus destinatus: quo in munere non parum insudauit pro extinguendis tumultibus tunc vigentibus: pluraque ab aduersarijs Ecclesiæ sustinuit mala patienter, ac prudenter. Scripsit non spernendę auctoritatis Opuscula, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam, cum gloria transmisit. E quibus extant super sententias *libros quatuor*, super officium Missæ *librum unum*. Quæstiones quoque varias. De ipso agunt Chronicon Parisiense, Eisengrineus, Trithemius, Posseuinus, Petrus Lucius, ac maximè Biscarretus, qui ait obijsse, & sepultum fuisse in nostro Parisiensi Cœnobio, ac ibi esse Epitaphium quoddam, quod ex Gallico idiomate in Latinum versum sic sonat. *Hic iacet Fr. Ioannes Golain Magister in Theologia, natus in Caulxia in pago* Blacque*villæ, vestitus Rothomagi; alias Legatus, & Sacellanus Sanctæ Sedis Apostolicæ, qui plures labores sustinuit pro bono Religionis, & totius Sanctæ Ecclesiæ; obijt anno gratiæ* 1403. Alia de ipso sub anno 1392.

Ann Christi 1356. Innocentij 6. Rom. Pontif. 4. Caroli 4. Imperat. 11. Palæonydor Imper. Orient. 16. Petri Raimundi Generalat. 15.

1 LVctuosus hic annus Francis fuit, ob cladem illis illatam ab Anglis, & captum eorum Regem Ioannem, ac cæsam plurimam eorum multitudinem. Æmilius, Frosardus, Gordonus, Bzouius, & alij. Bulla *Aurea* vocata à Carolo Imperatore promulgatur, Bzouius. Etsi alij sequenti anno rem tribuant. Celebris etiam hic annus Carmelitico Ordini sit, propter plures, & grauissimas Sedis Apostolicæ Legationes nostro Beato Petro Thomæ commissas, & ab ipso strenuè, ac fideliter gestas.

Anni casus.

2 Eo etenim anno, cum Ioannes Palæologus Græcorum Imperator litteras per suos Apocrisarios ad Summum Pontificem misisset, iurans, & obtestans, quod fidelis, obediens, reuerens, & deuotus Pontificibus Romanis esset futurus, ac toto posse, & conatu facturus, quod omnes populi sibi subditi idem omnino profiterentur. Ideo Innocentius ipsum in bono

Nunciatura B. Petri Tho.

pro-

proposito firmans, ac ad opus perficiendum exhortans Nuncios illi misit nostrum Beatum Petrum Thomam Pactensem, & Guillelmum Sisopolitanum Episcopos, eos valde commendans, & titulis honorificis cohonestans. *Venerabiles* (inquit) *Fratres nostros Petrum Pactensem, & Guillelmum Sisopolitanum Episcopos Apostolica Sedis Nuncios latores præsentium, viros vtique pauperes spiritu, sed insignes virtutibus, & in lege Domini plenius eruditos ad te, ac partes ipsas prouidimus destinandos. Et ideo Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino. Illam attentè rogantes, tibique, tuæque salutis intuitu iniungentes, quatenus eosdem Nuncios pro nostra, & dicta Sedis reuerentia benignè recipias, & eorum & cuiuslibet eorum salutaribus monitis, sicut speramus, & credimus, acquiescas. Dat. apud Villam nouam Auinionen. Diœcesis duodecimo Kalendas Augusti Anno quarto.* Habetur hęc Epistola apud Bzouium *num.* 25. Vvadinghum *in Appendic. Bullar. ad vitam Beati Petri Bulla* 14. & Odoricum *num.* 33. Extat etiam alia Epistola de eadem re ad Patriarcham Græcorum, apud eundem Vvadinghum *Bulla* 15. in qua eosdem Legatos ei commendat, eos vocans *viros quidem pauperes spiritu, & virtutibus multis insignes.* Odoricus etiam *num.* 32. ex litteris Vaticanis habet Papam commendasse dictos suos Legatos Hugoni Regi Cypri, & Rogerio Rhodiorum Magistro. Videndus Bollandus in *dictis Annotationibus* §. 1. *num.* 7. ac maximè Mazzerius *in eius vita cap.* 5. vbi de egregijs ipsius gestis cum Imperatore.

3 Consequenter aliam Epistolam idem Innocentius scripsit ad Ludouicum Regem Vngariæ commendans prædictos Beatum Petrum Thomã Pactensem, & Guillelmum Sisopolitanum Episcopos. *Serenitatem* (inquiens) *tuam attentè rogamus, quatenus ipsos circa prosecutionem itineris eorum, suscipias pro reuerentia Dei, & nostra intercessionis obtentu.* Habetur hæc Epistola in Registro Innocentij Sexti anno quarto fol. 123. vnde illam extraximus: ex ea autem constat versus Constantinopolim iter agendo per Hũgariam transijsse Beatum Petrum Thomam, & Socium. Commendati etiam fuerunt ijdem Episcopi Legati Cielusio Genuensi Mitylenes Principi, Odoricus *num.* 35.

Alia Epist. ad Regem Vngariæ.

4 Subiungit Bzouius *num.* 27. præter negotium Constantinopolitanum commisisse Innocentium nostro Petro Thomæ Episcopo Pactensi, vt ad Regem Rasciæ diuerteret, & errores, ac schismata, quæ in eo Regno pullulabant, tolleret: cæterum, quod Rex ille non ex animo vnionem desideraret, sed vt hoc titulo, bellum, quod illi Ludouicus Rex Vngariæ inferre volebat, subterfugeret, ac proinde effectum desideratum impeditum fuisse. Sic ex Riccardo Cluniacensi *in Chronic.* Non constat tamen an iste accessus Beati Petri ad Regem Rasciç sit idem cum eo, de quo locuti sumus anno 1354. an diuersus ab eo, hoc anno in itinere ad Constantinopolim factus.

Alia Legatio ad Regẽ Rasciæ.

5 Quidquid hoc sit, quæ ipsi Beato Petro circa hoc negotium Regis Rasciæ, memoratu sanè digna, acciderunt, siue hoc anno, siue supradicto 1354.

Quæ circa Regem Rasciæ.

1354: vt credibilius censemus, ex vita ipsius Beati Petri, ex relato Mazzerio per compendium extracta; cum tamen copiosius habeatur in Codice ipsius Mazzerij apud Bollandum *cap. 3. vita eiusdem Sancti*, sic damus: *Petrus Thomas de Legatione facienda solicitus, Italiam, & Sclauoniam peragrauit, cum tanto capitis dispendio, vt tota eius familia iugulum faucibus paratum crederet. At ipse constantior nullis parcebat laboribus, nec mortem, aut corporis molestias timebat, sed in Deo confortatus, totoque inhians pectore ambiens Ecclesiæ vnionem, & animarum salutis auidus, omnia viarum pericula, labores, & ærumnas, iocos æstimabat. Cum aliquando ad littus Sclauonicum, & Achaicum, cum familia cibos caperet, magna Turcarum nauis diuertit ad ipsos inuadendos, quorum nulla arte, aut viribus effugere poterat manus. Tunc Nautæ, & hi, qui comites Petri erant in nauicula, de salute quasi desperantes, ipsum rogauerunt, vt pias supremo Numini preces effunderet quo valerent inimicorum manus effugere. Deprecante ergo Beato Petro Thoma, flexis genibus, & manibus iunctis, & appropinquante sensim Turcarum naue, sereno cælo, & radiante Sole, subitò densa nubes eiusdem Beati Petri cymbam adeo circumcinxit, vt propius accedentes Turcæ ipsam non viderint, & nauicula illius cursum versus littora sumens Turcas eluserit. Alia vice, nauicula, qua Petrus cum socijs vehebatur, tantum incurrit periculum, vt nautæ desperantes tumidi maris fluctibus, ac vndis absque gubernaculo permitterent, Dei autem gratia, ac Beati Petri precibus, omnibus vicinam mortem arbitrantibus, ad terram salua, & incolumis cymba peruenit, in proximum quemdam locum nautis incognitum, ex quo iam tranquillo mari fluctibus pacatis, per terrã in mare deducta sit, cunctis Deo gratias agentibus, qui se de tanto periculo pijs serui sui Petri precibus, & votis eripuisset.* Mazzerius *supra*.

Gesta B. Petri. 6 Postquam autem multis superatis laboribus, syrtibus, & scopulis, dubijsque periculorum discriminibus transactis, pius seruus Dei Petrus ad Rasciæ Regnum appulisset, Regemque adijsset (erat hic corporis proceri insolita mole, & stupenda magnitudine) cum mos iste apud illius Regni Incolas esset, vt quicunque in conspectum Regis accederet, ante alia Regios pedes osculo dignaretur, variaque honoris signa exhiberet, de ijsque monitus Petrus esset, & quod si eis deesset vitæ periculum incideret; nihilominus Ecclesiasticæ dignitatis auctoritatem labefactare nolens, omni timore deposito, Deique auxilio nisus, in conspectu Regis absque vlla corporis deiectione, sed tantum prout decebat ciuili, politicaque vrbanitate præmissa deuenit. Rex Magnatum suorum ingenti stipatus caterua, superbè nimis, arrogantiæque verbis excepit, vt propterea Beatus Petrus agnouerit vnionem Romanæ Ecclesiæ simulatè petijsse, vt bellum, quod sibi à Ludouico Rege imminebat, auerteret. Hinc timor Petri familiarium animos inuasit, eò, vel maximè, quod Rex tyrannior effectus, odium, & inimicitias in Ecclesiam Romanam clarius patefaceret, quippe vellet diuinum officium, quod quotidie Petrus coram se tum rure, tum domi celebrandum curabat, impedire, & sub oculorum effosionis pœna interdiceret

ret

ret, ne quis Beato Petro Sacra facienti præsens adesset. At ipse omni formidine postposita, verum subeundæ mortis pro Christi Ecclesia cupidus, sereno vultu, Catholicis ibi degentibus nunciauit se crastina die solemne Sacrum, etiam renuente Rege, facturum. Adest dies, & Catholici ad Sacra Thomæ venerunt. Quibus peractis, Rex ira exardescens ad se accersitis; Cur (inquit) edicto à me vulgato parere contempsistis? Nescitis quoniam vobis oculorum effosionis pœna imposita, si Sacris inimici nostri interesseris? Cui quidam militum Præpositus, O Rex (inquit) edictum tuum nouimus, sed Deum plusquam te timemus, fidi Romanæ Ecclesiæ Catholici sumus, quomodo eiusdem Sedis Legatum relinquere debebamus? Nedum oculorum effossionem, sed & mortem ipsam libenter pro fide Orthodoxa subire parati sumus. Miratus Rex Beati Petri, & aliorum constantiam aliquandiù placatur, sed post in pertinaciam pristinam, reuerso, & quibusdam Ecclesijs ad vnionem Romanæ Ecclesiæ reformatis Beatus Petrus Thomas post plurima vitæ dispendia, maleuolique Regis insidias ad alia conuersus, Babilonem reliquit curari nolentem. Idem Mazzerius *supra*.

7 Proteruię pœnas exsoluit Rex hic Rasciæ, nam Ludouicus relatus Vngariæ Rex, Papa permittente, à quo id postulauerat per eundem Beatum Petrum Thomam, vt patet ex litteris eiusdem Pontificis apud Odoricum *num.* 27. & Vvadinghum *supra*, *Bulla* 9. (qui etiam Bulla 9. 10. 11. 12. & 13. alias Epistolas habet ad intentum) Regnum inuasit, Regemq; ipsum cepit. Qui tamen postea cum in manus Ludouici ex formula ab Innocentio præscripta iurasset, inque fide, & obsequentia, tum Romanæ Ecclesiæ, tum Regum Vngariæ se futurum promisisset, magnificè donatus Regno, & libertate. Bzouius *num.* 24. Rex punitus

8 Alia etiam Legatio, etsi præcedentibus cohærens, eidem Beato Petro Thomæ hoc tempore à Papa commissa. Cum enim Rex iste Ludouicus Vngarus bello implicitus esset cum Venetis, & Veneti cum Rege Rasciæ fœdera fecisent; quod sine dubio impedire poterat expeditionem sacram Vngari contra Rasciæ Regem; Pontifex, vt hoc impedimentum auerteret, curabat, Vngarum, & Venetum conciliare. Pro quo perficiendo eundem Petrum Thomam ad vtrumque misit Internuncium, litteris datis, quas Odoricus *num.* 29. ex Archiuio Vaticano commemorat. Mazzerius, *cap.* 4. Alia Legatio B. Petri.

9 Obijt eodem anno noster Sancius Dull Albarrazinensis Episcopus, & quondam Papæ Pænitentiarius in Curia: qui Episcopatum per 37. annos tenuit, ac valde decorauit. Carrillus *in historia S. Valerij*. Obitus Sancij Dull Episcopi.

10 Campi rotundi Conuentus in Cathalonia iam erat sub hoc anno, à duobus, vel tribus antea erectus, ex concessione Clemen. 6. sub Deiparæ Virginis protectione, cuius Sanctissimæ Conceptionis titulo gaudet Ecclesia; & Consulum Oppidi concordia pro Processionibus cum ipsis, & Consularibus Insignijs faciendis. Multa pertulit à Gallis Patriam Conuentus Campi rotundi.

inuadentibus, sed populi pietate, & eleemosynis reuiuiscens Deo, & mundo viros probitate, & doctrina notos habuit.

Ann. Christi 1357. Innocentij 6. Rom. Pontif. 5. Caroli 4. Imperat. 12. Palæolog. Imperat. Orient. 17. Petri Raimundi Generalat. 16.

Gesta hoc anno. 1 Palæologus Græcorum Imperator, cum iam maturæ esset ætatis, à Genuensibus, & Turcis adiutus Imperij gubernacula suscepit, quod Ioannes Cantacuzenus nomine tutorio sibi vsurpauerat. Blondus, Honuphrius, Gordonus, Spondanus. Ioannes autem Rex Galliarum ab Anglis captus, in custodia Burdegalæ tenebatur prius; deinde ad Angliam cum filio, & proceribus ductus est. Odoricus, & alij.

Capitulum Generale. 2 Quoad Ordinis statum attinet, Ferrariæ hoc anno celebratur Capitulum Generale: constat ex libro Ordinis *fol. 5. pag. 1.* vt mirum sit nec Bostium, nec Palæonydorum huius Capituli mentionem fecisse. In eo decem, & octo Prouinciæ cum suis Prouincialibus numerantur. Grauiores Patres in eo reperti sunt, Ioannes de Vintimillio Prouincialis Terræ Sanctæ; Vvalterus Keso Angliæ; Ioannes de Vineta Franciæ; Henricus Bolendorpius Alemaniæ; Petrus de Turribus; Petrus de Riui; Michael de Bononia; Franciscus de Baccone; Arnaldus TrenKa, de quibus dicendum.

Bolendorpius. 3 Specialiter ille Bolendorpius huic tempori iure inter nostrorum egregios viros numeratur. Natione fuit Theutonicus, Inferioris Alemaniæ Prouincialis, vir doctus, & eruditus, ac declamator celeberrimus, ingenio præstás, eloquio scholasticus, & disputator quæstionum acerrimus. Scripsit notabile opus super sententias *lib.* 4. In Phylosophiam moralem, Sermones quoque varios, & vtiles, & quędam alia. Moritur in Conuentu Coloniensi, secundum aliquos, anno 1365. secundum quosdam, anno 1375. nos autem huic tempori eum annumeramus, quod post pręcedens Capitulum Ferrariense nulla de eo commemoratio facta reperiatur. De eo in libro Ordinis mentio fit in Capitulo Generali Bruxellensi an. 1336. & ibi instituitur Lector sententiarum Parisijs pro tertio anno. Insuper in Capitulo Generali Tholosano anno 1351. Perpiniacensi anno 1354. & in præsenti Ferrariensi vocatur Prouincialis Germaniæ Inferioris. De eo Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui eum vocat Doctorem Parisiensem.

Vvalterus Keso. 3 Similiter Vvalterus Keso, quem Balæus, & Pitseus *Gualterum Neflonum* vocant, huic tempori ascribimus, quod post præcedens capitulum Generale Ferrariense nulla de ipso in Ordinis lib. mentio reperiatur. Fuit na-

natione Anglus, patria Lincolniensis, Oppido Stanfordio, Doctor in Theologia Cantabrigiæ. Vir integritate morum omnibus amabilis, & tum in Sacris, tum in prophanis eruditus, vt inter nostros, tum Philosophiam, tum Theologiam docuerit, ac per plures annos Angliæ Prouinciæ clauum rexerit. Scripsit de anima *libros tres*, Quarumdam propositionum *librum vnum*. De eo fit mentio in Capitulo Generali Metensi anno 1348 in Tholosano anno 1351. Perpiniacensi anno 1354. & in hoc vltimo Ferrariensi; semper sub nomine Prouincialis Angliæ. De eo etiam, Balæus, & Pitseus, qui etiam refert Lelandum.

4 Quæ Beato Petro Thomæ Constantinopoli, dum Legati munere apud illum Imperatorem fungeretur, acciderunt, ex vita ipsius, quæ compendio habetur, etsi copiosius in Codice apud Bollãdum *cap.5.& 6*, sic capimus: *Post multa pericula, ac vitæ dispendia Constantinopolim venit, Ibi pro germana fidei Catholicæ intelligentia contra Græcos disputans Deo inges preces effundens, corpusque suum, vigilijs, macerationibus, ac ieiunijs affligens, multas Deo animas à schismate ad veræ Ecclesiæ gremium reuocauit, vt propterea Imperator, & alij ad vnionem, & pietatem Romanæ Ecclesiæ, & bellum contra Turcas gerendum animosiores redderentur. Hinc Cyprum pergens in grauem incidit morbum, quo durante, Regina proprijs manibus cibum, & dapes condiente, Dei præcipuè beneficio pristinæ saluti restituitur*, Mazzerius *supra*. De B. Petro Thoma.

5 Fœlicissimam porrò Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum hãc Petri nostri Legatiam extitisse, ex eo conspicitur, quod eo tempore Chalilen Turcam Orchanis filium in potestatem recepit, Matthæum hostem repressit, Gratianopolim occupauit, & Matthæi vxorem cum duobus filijs, totidemque filiabus cepit. Cantacuzenus *lib 4. histor.cap.44.& 45*. Infelix exitus Stephani Rasciæ Regis, & faustus Ioannis Imperatoris, sanè demonstrant Dei benignissimam prouidentiam erga Beatum Petrum Thomam, vt propterea Ioannem Imperatorem illum amicè tractantem, præmijs decorauerit, Rasciensem vero toruè excipientem iuste punierit.

6 Obijt sub hoc anno Petrus Raymundi de Grassa Generalis noster, post quindecim, & fere sexdecim Generalatus annos, in Monte Pessulano sepultus. Vir doctus, & deuotus. Scripsit quædam volumina: super sententias *lib.4*, Ordinis sui Statuta, & alia quædam. Vocatus fuit Lector Parisiensis pro secundo anno in Capitulo Generali Bruxellensi ann. 1336, ac Prouincialis Narbonæ anno 1342. quo anno electus fuit in Generalem Ordinis. De eo Philippus Bergomensis, Iacobus de Plebe, Trithemius, Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui contendit eum non Petrum Raymundi, sed Petrum Raynaudum vocari debere. Palæologi fœlicitas.

7 Ante hoc tempus, etsi non pro multis annis, fundatio contigisse videtur Conuentus Morciani, Prouinciæ Appuliæ, Regni Neapolitani nobilissimæ partis: prout non incongruè elici potest ex nupera ipsius Conuentus relatione ad nos missa, quæ talis est. *Est, & peruetustum, & antiquissimum Cœnobium Carmelitarum Regulares Obseruantia in Terra Morciani,* Obitus Generalis.

plusquam trecentis annis erectum à Rugerio de Sancto Blasio, tunc Domino illius Terræ, vt habetur ex traditione, & manifestè declarant illius Insignia in lapide Lyciensi posita supra portam minorem illius Ecclesiæ, in quorum calce distichon habetur hoc.

Eques auratus Rugerius ille Sacellum
Blasia Sancta Domus dat tibi Virgo parens.

Conuentus Murciani.

Et supra portam maiorem nomen illius sub his litteris R. D. S. B. *Antiquitatem declarant etiam Campanæ illius Ecclesiæ, quæ percolata fuerunt in Anno M. CCCC. LXXX. Totum hoc apparet in summitate illarum. Fuerunt autem ibi Patres non minoris Sanctitatis, vt habetur ex traditione, qui exactissime Regulam obseruarunt. Inter quos fuit frater Petrus Catanensis Laicus de dicta Terra, qui obedientiam non solum in vita, sed etiam in morte manifestauit. Cum enim Superior illius in agonia ei præcepisset, vt statum illius post transitum ex hac vita illi sub præcepto obedientiæ manifestaret, statim post mortem Superiori apparuit, flammis circumdatus. Territus Superior, eum interrogauit quisnam esset, & fratrem Petrum se esse dixit, qui vt obedientiam obseruaret permissu Dei, vt reuelaret statum suum, illuc peruolauit, & in Purgatorio ab illis flammis se teneri asseruit. Et cum subiunxisset Superior, si aliquod suffragium desideraret; respondit illi gratias agere, sed Sabbatho proximo ab illis flammis, per Beatissimam Virginem eripiendum reuelationem habuisse. In tali Ecclesia est Imago Beatissimæ Virginis sub titulo de Annunciatione: talis est enim titulus illius Ecclesiæ, quæ non pauca miracula patrauit, & habetur in magna veneratione, specialiter enim temporibus nostris lampas, quæ quotidie ante illius effigiem accensa detinetur, duabus vicibus ad terram defluxit, & integra perseuerauit, vt testatur de visu frater Philippus Fenicius eiusdem Ordinis de Terra Turris Paludum, qui tunc Prior erat illius Conuentus, & frater Maccarius Rotulus de Migiano. Memorandum videtur etiam, quod in anno 1623. cum esset illa Imago in pariete depicta, vt maior ei haberetur veneratio, fuit in quadro coloribus delineata, & illa in pariete propter hoc cooperta: statim infirmitas magna oborta est in illa Terra, itaut quatuor, quinque, sex, vel septem, vel octo in die morerentur. Illuminatus à Deo quidam frater Constantinus de Constantinis de nocte forbice tantum telæ corrasit, quantum appareret Virgo in pariete depicta, & statim infirmitas ad eius aspectum cessauit, & quasi aufugit.* Hæc in dicta Relatione; in qua maximè considerandum, quod ex visione relata illius Conuersi roboratur id, quod sæpius Sedes Apostolica approbauit, & nos non semel annotauimus, de adiutorio à Deipara Virgine nostris Carmelæis post obitum præstito, maximè die Sabbathi ipsorum mortem subsequenti.

Ann. Christ. 1358. Innocent. 6. Rom. Pontif. 6. Carol. 4. Imper. 13. Palæolog. Imper. Orient. 18. Ioannis Balistarij General. 1.

1 INtestinis bellis, & tumultibus tum Hispania, tum Gallia turbatę, occasionem præbere potuerunt, vt Amurathes Turcarum Princeps, vsus Genuensium nauibus, per Hellespontum in Thraciam traiecerit exercitum, & pręcipuas Ciuitates ceperit, ac Palęologũ Imperatorẽ sibi vectigalem fecerit. Sic ferme Spondanus. Animaduertant hæc Christiani Principes, ne ob eorum discordias similia illis contingant. Huius anni casus.

2 Ex nostra autem historia id habemus, quod eo anno, vel circiter, noster Petrus Thomas Pactensis, & Lypparensis Episcopus, occasione nacta de suo regressu ex Constantinopolitana Legatia, appulsus ad Cyprum, & deuotione erga Sacra Palæstinæ loca, ea deuotissimè inuisebat. Hierosolymam pręsertim, Sanctum Domini Sepulchrum, & alia Saluatoris incunabula, ea pietate, & lachrymarum vbertate, vt omnibus exẽplo Religionis esset. Qua, qualiue, dum sacra faceret, charitate fulgeret, quantoq; Religionis zelo Christianos ad fidem Catholicam conseruandã præmoneret, recensere quis poterit? Martyrij desiderio eo loci pro Christo subeundo flagrasse, vel ex eo liquet, quod cum ipsi à Christianis nunciatum esset se vt Nuntium Apostolicum omnibus notum, nihilominus cõualescens, & confortatus in Christo, verba huiusmodi despiceret, & quandoque Christianos in Monte Sion congregatos concione facta Sacræ doctrinæ pabulo satiaret. Inde Cyprum regressus ab Hugone Rege benignè exceptus, Famaugustæ in Conuentu Ordinis commoratus, vigilijs, & orationibus incumbebat, adeovt sæpius, quasi in extasim raptus, immobilis, & insensibilis permaneret, vt aliquando à familiari pedibus conculcatus, nihil senserit. Hinc, Deo sic prouidente ad maiorem ipsius gloriam, dum orationi huiusmodi toto feruens spiritu intenderet, sępius à vicinis, Græcis etiam, & Schismaticis ignis è cœlo descendens, & supra ipsius cubiculum consistens videbatur. Huius etiam miraculi memoria Conuentus Famaugustæ Fratres Missam singulis diebus sub diluculum celebrare instituerunt. Mazzerius *in vita eiusdem Beati Petri Thomæ cap. 6.* apud Bollandum *supra.* De B. Petro Thomæ.

De Ioanne Balistario decimo sexto Generali Latino.

3 OB mortem Generalis Petri Raymundi nouum Capitulum Generale hoc anno in die Natiuitatis Beatæ Mariæ Burdegalæ celebratur. In eo ad Generalatus apicem eleuatur Ioannes Balistarius Electio Generalis Balistarij:

ſtarius Conuentus Maioricarum alumnus. Hic Pater tempore electionis ſolum erat Baccalaureus, vt teſtantur Ioannes Groſſi *in Viridario Claui 2* & Boſtius *lib. 7. Specul. hiſtor. cap. 44.* Fuit inter Generales Latinos numero 16. & prout teſtatur idem Boſtius librum Statutorum ſui Ordinis per prædeceſſorem ſuum compilatum, confirmauit, & ad diuerſa capita reduxit, ac promulgauit.

Capituli generalis. 4 In hoc Capit. taxantur, & numerantur decem, & octo Prouinciales totidē Prouinciarū, quas in proximè præcedentibus Generalib. Synodis retulimus. Cuius grauiores Patres, de quibus etiam ſigillatim ſuis locis dicimus, ſunt Ioannes de Vintimillio Prouincialis Terræ Sanctæ, Ioannes de Vineta Prouincialis Franciæ; Tilmanus Prouincialis Alemaniæ Inferioris. Lectores Pariſienſes ſententiarum pro primo anno Petrus Riui, pro quinto Michael de Bononia. Lectores Biblici Pariſienſes pro ſecundo anno Ioannes de Hiſdeſſeni, pro tertio Michael de Bononia Procurator Ordinis Arnaldus TrenKa.

De Petro Riui. 5 Hic Petrus Riui ea tempeſtate clarus erat in Ordine, cum Lectorem Pariſienſem in Capitulis Generalibus Lugdunenſi, Mediolanenſi, Perpiniacenſi, Tholoſano, & nouiſsimè in hoc Burdegalenſi nominatum reperiamus, & forſan eſt idem cum *Petro* Itio, vel Iterio, qui in Capitulo ſequenti Treuerenſi Lector ſententiarum, & Bibliorum pro Pariſienſi Cœnobio deſcribitur. Fuit hic natione Cathalanus, patria Perpiniacenſis, ac ſcripſiſſe dicitur ſcriptum bonum ſuper totum Pſalterium. Quæ omnia cum competant Petro Rimes, de quo ann. 1300. diximus, ideo multi credunt, vtrumque eumdem hominem eſſe. Ita Biſcarretus, qui eum etiam vocat *Doctorem* Pariſienſem, & ſuperuixiſſe vſque ad annum 1360. Vtut res ſit hic Petrus Riui vſque ad hæc temporis ſuperſtes fuit, & vix natus pro anno 1300. De eo agitur in Speculo Ordinis *fol. 103. pag. 2.* vbi notatur inter famoſiſsimos Ordinis Doctores, qui ſuper ſententias, & alia opera ſcripſerunt. Scripſiſſe enim dicitur Sermones de Sanctis, & ſuper Pſalterium. Trithemius, Einſengrineus, Poſſeuinus, Sixtus Senenſis.

Prouincia Vaſconiæ. 6 In hoc porro Burdegalenſi Generali Capitulo primum nominatam cernimus Prouinciam Vaſconiam: in taxatione etenim Prouinciarum pro negotijs communibus Ordinis, huic Prouinciæ aſsignantur ſexdecim floreni. Vnde habetur, tum primo, vel paulo antea inſtitutam fuiſſe, & occaſione Capituli in primaria eius ditionis Vrbe habiti hunc illi honorem delatum. Quia tamen de ipſa breuem, ſed accuratam relationem M. Ioānes Cherron Prouincialis ad Reuerendiſſimum Theodorum Stratium Generalem tranſmiſit, eam hic adiungere operæpretium duximus, verbis ex ipſo Cherrone mutuatis, non mutatis: quo nobili huius Prouinciæ notitia, iuxta opinionem ſaltem, quam de Conuentuum illius fundationibus, grauis hic Pater habet, poſteris commendetur. Id tamen annotandum duximus, quod id, quod ait de Conuentu Burdegalenſi, quod ſit in Europa

pa antiquissimus, nec veritati ipsi, nec ijs, quę in præcedentibus diximus, pręsertim to.3.cohærent. Relatio porro talis est, *Ex septemdecim Cōuentibus, quibus Prouincia Vasconiæ coalescit, scilicet* Burdegalensi, *Aginnensi*, Baionensi, *Cōdomiensi, Lectorensi*, Bergeracensi, Tarbiensi, *Aquensi, Lingoniensi, Castillionis, Aculei*, Triæ, *Conensiorum, Pauię, Rapistani, Saluaterræ, & Ionzaci, omnes, præter Burdegalensem, Aginnensem, Baionensem, & Aquensem, hæreticorum immanitate incendio conflagrarunt, & plures omnino diruti fuerunt. Quatuor superstites eorumdem hæreticorum prędatione spoliati; vnde omnia omnium monumenta, et pretiosa perierunt. Conuentus Saluaterræ, Triæ, & Rapistani fundauerant Reges Nauarræ, quorum tanta erat pietas in Ordinem nostrum, vt in Conuentu Rapistani construxerint aulam vicinam Claustro, cuius Reliquiæ adhuc videntur; in qua Rex ipse, & Regina maiori anni parte cum Religiosis nostris viuebant. Tres illi Conuentus erant totius Prouinciæ celebriores, tum structura, tum redditibus, nunc pauperiores; Claustrum enim Triæ erigebatur columnis marmoreis vario opere, & colore distinctis, historiæ veteris, & noui Testamenti mira arte elaboratis. Ioanna Regina Nauarræ Mater Henrici Quarti* Francorum *Regis à fide Orthodoxa, & antecessorum suorum pietate deficiens tres illos Conuentus solo prostrauit, & bona temporalia Conuentus Saluaterræ in hæreticos transtulit. Conuentum Baionæ fundauit ipsa Ciuitas, vbi est Episcopatus. Conuentus ipse sine fundo viuit ex oblationibus* Ecclesiæ, *vbi fit bis in anno concursus fidelium innumerorum, nempe in Vigilia, & festo Sancti Mauri, in Vigilia, & festo* Commemorationis Beatissimæ *Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Accedunt enim ijs diebus non modo Ciues, sed gentes omnes vicinæ à quinque, & sex leucis. Viget in his partibus supra omnes alias huius Prouinciæ deuotio Scapularis. Conuentus Aquensis agnoscitur* Fundator *generosissimus, ac nobilissimus Dominus Dore Baro de Loum: est etiam in ea Ciuitate Episcopatus antiquissimum: asseruaturque in illo Conuentu pars Reliquiarum Sancti Alberti. Conuentus Tarbiæ fundatorem se credit Nobilissimus* Baro *de Bazillac, putatur tamen esse ex fundatione Regum Nauarræ. Conuentum illum notabilem reddit Structura, & Turris Campanaria.* Fuit *& ipse ab hæreticis incensus, sed iam fermè restauratus. Habet Claustrum marmoreum, circuitum amplissimum, riuulo ex pyrænæis defluo, & duobus fontibus limpidissimis, & saluberrimis irriguum. Colitur in Ecclesia concursu pyrænearum gentium Sanctus Eutropius Episcopus, & Martyr, ac Sanctus Antonius Abbas, in quem tanta est deuotio Montanorum eiusmodi pro conseruandis gregibus, vt Religiosos nostros appellent* Fratres *Sancti Antonij. Est in illa Ciuitate, quæ etiam appellatur Tarba* Bigerronum, *Episcopatus insignis; Sedem Episcopalem occuparunt tres ex Ordine nostro, quorum nomina me latent, ob combusta monumenta. Eorum vnus testamento reliquit, vt singulis annis in die Sancti* Gregorij *Magni Prior Conuentus Tarbiæ in Missa maiori sederet in Cathedra Episcopali, & Religiosi Conuentuales Tarbiæ in Stallis Canonicorum, & sic assidentibus per ordinem distribueretur panis, qui nunc quoque vocatur panis Sancti Gregorij. Conuentum Pauiæ fundauit pietas Catholicorum, quorum charitatem excitauit* Nicolaus *Quin-*

tus

tus Pontifex Maximus concedens Indulgentiam plenariam per modum Iubilei porrigentibus manus adiutrices ad eiusmodi Conuentus constructionem. Erat inibi alter digitorum Sancti Ioannis Baptistæ, ac in summa veneratione habebatur; sed bellorum iniuria, vel latuit, vel ablatus est. Illustrissima Domus Candalæa eundem Conuentum dotauit. Conuentus Lectoræ fundatorem agnoscit, saltem Ecclesia, Generosissimum Baronem de Montaut. Est in ea Ciuitate Episcopatus, coliturque in eodem Conuentu Sanctus Frisius Episcopus, & Martyr, ad cuius inuocationem multa miracula erga pueros Deus in dies patrat. Conuentum Condomij fundauit Ciuitas, in qua est etiam Episcopatus. Conuentum illum celebrem fecit educatio Sancti Petri Thomæ. Subsistit adhuc Domus Sancti annuũ censum Conuentui Condomiensi pendens. Coluntur in ipso Conuentu Reliquiæ Sanctorum Eutropij, Medardi, Blasij, & Erasmi. Celebratur quoque Processione publica, & Concione festiuitas Sancti Ioseph. Videtur etiam ibi Sacellum altissimum, mysterijs Passionis Christi Sacrum, parietibus depictis, fornicibus deauratis, etsi hæreticorum rabies, eam Ecclesiam, Claustra, & Dormitoria incendisset, confractis statuis mysteria Christi à Natiuitate ad Resurrectionem repræsentantibus, quæ in eodem Sacello politissima arte visebantur, in puluerem redactis. Ciuitas Aginnensis Episcopatus Conuentum Aginnij fundauit. Colitur in Capitulo Sanctus Neuphasius Confessor, nepos Caroli Magni Imperatoris, cuius Sacellum erat olim domus eiusdem Sancti: frequens est autem concursus populi in die Sancti Rochi, quo confluunt processionaliter duo Insignia Capitula Ciuitatis Sanctorum Stephani, & Caprasij. Reuerendus Pater Georgius de la Pisida Prior eiusdem Conuentus fuit Episcopus ipsius Ciuitatis, ob raras animi dotes, & singularem doctrinam, cui Reuerendus Pater Monaldus de Rosarijs Burdegalensis opus suum de pœnitentia dicauit, vt habetur in Bibliotheca Carmelitarum. Conuentus Aculei Illustrissimum Principem de Mazene pro fundatore reuerebatur; modò Serenissimum Ducem Mantuæ, & Excellentissimam Ducissam Donano sororem prædicti Principis demortui, & proditoriè in obsidione Montalbana interempti, cuius corpus in Ecclesia nostra eiusdem Conuentus insepultus iacet ab anno 1623. lampade, & quatuor facibus noctu, diuque accensis, pro quibus, & Missis quotidianis erogant annuatim Principes parentes quadringentas libras Turonenses. Fertur Ducatum illum Aculei, & consequenter Ius fundationis nostræ deuenisse in potestatem Illustrissimæ Dominæ de Richelieu neptis Eminentissimi Cardinalis. Conuentum Tonensiorum fundauerat, dotaueratque, & multis Reliquijs argento inclusis, ac duobus Calicibus ex puro auro, quæ fuerunt præda hæreticis, ditauerat, antiquissima, & Illustrissima Domus de Caumont, cuius hæres, est pijssima, & Illustrissima Comitissa à Sancto Paulo; sed nuperis bellis ciuilibus, cum Vrbs illa, hæresis Caluinianæ fomentum, bis in Regem nostrum Christianissimum rebellasset, in signum perpetuum perduellionis, radicitus euulsa est, incensus Conuentus noster, & vetitum edicto Regio ne restauraretur. Loco eius successit Conuentus Marmandæ nouus, cui ædificando ciues Marmandenses publicis expensis fundum dederunt: fuitque dicatus per erectionem Crucis Sancto Andreæ Corsino Episcopo Fesulano, ipsa-

met die, & eadem hora, qua Summus Pontifex noster Vrbanus Octauus eundem Sanctum Sanctorum albo ascribebat, quod nullibi terrarum puto contigisse. Conuentum Lingonij ad ripam Barumna, aere saluberrimo, aspectu delectabilem supra omnes alios Conuentus nostra Prouincia, fundauit Illustrissima Domus Candalæa, sed hæretici euerterunt; reparatur in dies. Conuentus Bergeraci fundator creditur Illustrissimus Dux, & Franciæ Par Marescialus de la Force, Caluiniam lue infectus; vult etiam haberi fundator Illustrissimus Comes de Lausun: non constat de fundatione propter instrumenta deperdita, liquet tamen vtramque Domum Conuentum illum dotasse, adeo in illum Conuentum sæuierunt hæretici, vt lapis non remanserit. Ædificauimus à paucis annis Sacellum, & Dormitorium: tota Vrbs omnino hæretica est: vocabantur olim, & superstes est in vulgo memoria, Conuentuales Bergeraci Nobiles Bergeracenses, propter amplissimos redditus; sed certè mutata fortuna, mutatum est & nomen, & dicendi sumus pauperrimi Bergeracenses. Conuentus Castillionis fundationem, & dotationem habuit à Domino de Grely Vicecomite Castillionis, cuius ius nunc obtinet Serenissima Princeps de Bouillon, quamuis hæretica: quæ tamen ritè, & satis piè soluit fundationes Maiorum. Conuentum illum etiam radicitus auulserunt hæretici, sed modo surgit in amplum ædificium, licet maior pars Incolarum sit hæretica prauitate corrupta. Conuentus Ionzaci fundationem Dominæ suæ ascribere conatur clarissimus Comes Ionzaci, sine titulo tamen; reperimus enim Reuerendum Patrem Monaldum de Rosarijs Prouinciæ Vasconię Prouincialem præfatum Conuentum Ionzaci, ex largitione fidelium ædificasse, nec quidquam possidemus à Clarissimo Comite, & antecessoribus eius, præter plaustrum fœni annuum. Fuit Conuentus ille in loco hæreticorum situs, hæreticorum flammis absumptus, & quemadmodum Catholici ex locis vicinis ad eius instaurationem contulerunt, ita conferunt ad eius restaurationem, quantum patitur temporis calamitas, sed nondum aliquid contulit Clarissimus Comes Ionzaci: quinimo cogit Religiosos nostros ad censum annuum pro ipso solo Conuentus. Conuentum autem Burdegalensem miraculosè fundauit nobilissima, antiquissima, & Illustrissima Domus dela Lande, anno salutis nostræ Millesimo nonagesimo nono. Cum enim Ciuitas Burdegalensis obsideretur à Sarracenis, & obsessores, ac obsessi, fame, & morbo premerentur, initum est pactum de singulari certamine, hac conditione, vt qui victor esset in illo certamine, Ciuitate potiretur. Selectus est ex parte Ciuitatis Dominus dela Lande, animo maximus, sed paruulus admodum corpore: Datus è contra à Sarracenis vir proceræ staturæ, vt alter Goliath, cuius aspectu ferocissimo, & gygantæa proceritate perterritus primum homunculus ille miles Burdegalensis, spe in Deum se erexit, flexisque genibus vouit, si vinceret, se in loco victoriæ dicaturum Monasterium Beatissimæ Virgini Mariæ. Facto voto descendit in prælium, irruit in Gygantem, fodit mucrone, & caput amputat; Sicque abeuntibus Sarracenis libertatem adepta est Ciuitas Burdegalensis, quæ ad perpetuam rei memoriam concessit Domui dela Lande, vt in signum libertatis recuperatæ, siquis Iudicum sententia ad patibulum damnatus aliquem ex annulis ferreis, qui ad parietes illius Domus eam ob rem foris affixi sunt (dicuntur

 enim

1354. vt credibilius censemus, ex vita ipsius Beati Petri, ex relato Mazzerio per compendium extracta; cum tamen copiosius habeatur in Codice ipsius Mazzerij apud Bollandum *cap. 3. vitæ eiusdem Sancti*, sic damus: *Petrus Thomas de Legatione facienda solicitus, Italiam, & Sclauoniam peragrauit, cum tanto capitis dispendio, vt tota eius familia iugulum faucibus paratum crederet. At ipse constantior nullis parcebat laboribus, nec mortem, aut corporis molestias timebat, sed in Deo confortatus, totoque inhians pectore ambiens Ecclesiæ vnionem, & animarum salutis auidus, omnia viarum pericula, labores, & ærumnas, iocos æstimabat. Cum aliquando ad littus Sclauonicum, & Achaicum, cum familia cibos caperet, magna Turcarum nauis diuertit ad ipsos inuadendos, quorum nulla arte, aut viribus effugere poterat manus. Tunc Nautæ, & hi, qui comites Petri erant in nauicula, de salute quasi desperantes, ipsum rogauerunt, vt pias supremo Numini preces effunderet quo valerent inimicorum manus effugere. Deprecante ergo Beato Petro Thoma, flexis genibus, & manibus iunctis, & appropinquante sensim Turcarum naue, sereno cælo, & radiante Sole, subitò densa nubes eiusdem Beati Petri cymbam adeo circumcinxit, vt propius accedentes Turcæ ipsam non viderint, & nauicula illius cursum versus littora sumens Turcas eluserit. Alia vice, nauicula, qua Petrus cum socijs vehebatur, tantum incurrit periculum, vt nautæ desperantes tumidi maris fluctibus, ac vndis absque gubernaculo permitterent, Dei autem gratia, ac Beati Petri precibus, omnibus vicinam mortem arbitrantibus, ad terram salua, & incolumis cymba peruenit, in proximum quemdam locum nautis incognitum, ex quo iam tranquillo mari fluctibus pacatis, per terrã in mare deducta sit, cunctis Deo gratias agentibus, qui se de tanto periculo pijs serui sui Petri precibus, & votis eripuisset. Mazzerius supra.*

Gesta B. Petri.

6 Postquam autem multis superatis laboribus, syrtibus, & scopulis, dubijsque periculorum discriminibus transactis, pius seruus Dei Petrus ad Rasciæ Regnum appulisset, Regemque adijsset (erat hic corporis proceri insolita mole, & stupenda magnitudine) cum mos iste apud illius Regni Incolas esset, vt quicunque in conspectum Regis accederet, ante alia Regios pedes osculo dignaretur, variaque honoris signa exhiberet, de ijsque monitus Petrus esset, & quod si eis deesset vitæ periculum incideret; nihilominus Ecclesiasticæ dignitatis auctoritatem labefactare nolens, omni timore deposito, Deique auxilio nisus, in conspectu Regis absque vlla corporis deiectione, sed tantum prout decebat ciuili, politicaque vrbanitate præmissa deuenit. Rex Magnatum suorum ingenti stipatus caterua, superbè nimis, arrogantiæque verbis excepit, vt propterea Beatus Petrus agnouerit vnionem Romanæ Ecclesiæ simulatè petijsse, vt bellum, quod sibi à Ludouico Rege imminebat, auerteret. Hinc timor Petri familiarium animos inuasit, eò, vel maximè, quod Rex tyrannior effectus, odium, & inimicitias in Ecclesiam Romanam clarius patefaceret, quippe vellet diuinum officium, quod quotidie Petrus coram se tum rure, tum domi celebrandum curabat, impedire, & sub oculorum effosionis pœna interdiceret

ret, ne quis Beato Petro Sacra facienti præsens adesset. At ipse omni formidine postposita, verum subeundæ mortis pro Christi Ecclesia cupidus, sereno vultu, Catholicis ibi degentibus nunciauit se crastina die solemne Sacrum, etiam renuente Rege, facturum. Adest dies, & Catholici ad Sacra Thomæ venerunt. Quibus peractis, Rex ira exardescens ad se accersitis; Cur (inquit) edicto à me vulgato parere contempsistis? Nescitis quoniam vobis oculorum effosionis pœna imposita, si Sacris inimici nostri interessetis? Cui quidam militum Præpositus, O Rex (inquit) edictum tuum nouimus, sed Deum plusquam te timemus, fidi Romanæ Ecclesiæ Catholici sumus, quomodo eiusdem Sedis Legatum relinquere debebamus? Nedum oculorum effossionem, sed & mortem ipsam libenter pro fide Orthodoxa subire parati sumus. Miratus Rex Beati Petri, & aliorum constantiam aliquandiù placatur, sed post in pertinaciam pristinam, reuerso, & quibusdam Ecclesijs ad vnionem Romanæ Ecclesiæ reformatis Beatus Petrus Thomas post plurima vitæ dispendia, maleuolique Regis insidias ad alia conuersus, Babilonem reliquit curari nolentem. Idem Mazzerius *supra*.

7 Proteruię pœnas exsoluit Rex hic Rasciæ, nam Ludouicus relatus Vngariæ Rex, Papa permittente, à quo id postulauerat per eundem Beatum Petrum Thomam, vt patet ex litteris eiusdem Pontificis apud Odoricum *num.* 27. & Vvadinghum *supra*, *Bulla* 9. (qui etiam Bulla 9. 10. 11. 12. & 13. alias Epistolas habet ad intentum) Regnum inuasit, Regemq; ipsum cepit. Qui tamen postea cum in manus Ludouici ex formula ab Innocentio præscripta iurasset, inque fide, & obsequentia, tum Romanæ Ecclesiæ, tum Regum Vngariæ se futurum promisisset, magnificè donatus Regno, & libertate. Bzouius *num.* 24. Rex puni[?]tus

8 Alia etiam Legatio, etsi præcedentibus cohærens, eidem Beato Petro Thomæ hoc tempore à Papa commissa. Cum enim Rex iste Ludouicus Vngarus bello implicitus esset cum Venetis, & Veneti cum Rege Rasciæ fœdera fecissent; quod sine dubio impedire poterat expeditionem sacram Vngari contra Rasciæ Regem; Pontifex, vt hoc impedimentum auerteret, curabat, Vngarum, & Venetum conciliare. Pro quo perficiendo eundem Petrum Thomam ad vtrumque misit Internuncium, litteris datis, quas Odoricus *num.* 29. ex Archiuio Vaticano commemorat. Mazzerius, *cap.*4. Alia Legatio B. Petri.

9 Obijt eodem anno noster Sancius Dull Albarrazinensis Episcopus, & quondam Papæ Pænitentiarius in Curia: qui Episcopatum per 37. annos tenuit, ac valde decorauit. Carrillus *in historia S. Valerij*. Obitus Sancij Dull Episcopi.

n. 10. Campi rotundi Conuentus in Cathalonia iam erat sub hoc anno, à duobus, vel tribus antea erectus, ex concessione Clemen. 6. sub Deiparæ Virginis protectione, cuius Sanctissimæ Conceptionis titulo gaudet Ecclesia; & Consulum Oppidi concordia pro Processionibus cum ipsis, & Consularibus Insignijs faciendis. Multa pertulit à Gallis Patriam Conuentus Campi rotundi.

 inua-

inuadentibus, sed populi pietate, & eleemosynis reuiuiscens Deo, & mundo viros probitate, & doctrina notos habuit.

Ann. Christi 1357. Innocentij 6. Rom. Pontif. 5. Caroli 4. Imperat. 12. Palæolog. Imperat. Orient. 17. Petri Raimundi Generalat. 16.

Gesta hoc anno.

1 Palæologus Græcorum Imperator, cum iam maturæ esset ætatis, à Genuensibus, & Turcis adiutus Imperij gubernacula suscepit, quod Ioannes Cantacuzenus nomine tutorio sibi vsurpauerat. Blondus, Honuphrius, Gordonus, Spondanus. Ioannes autem Rex Galliarum ab Anglis captus, in custodia Burdegalæ tenebatur prius; deinde ad Angliam cum filio, & proceribus ductus est. Odoricus, & alij.

Capitulum Generale.

2 Quoad Ordinis statum attinet, Ferrariæ hoc anno celebratur Capitulum Generale: constat ex libro Ordinis *fol. 5. pag. 1.* vt mirum sit nec Bostium, nec Palæonydorum huius Capituli mentionem fecisse. In eo decem, & octo Prouinciæ cum suis Prouincialibus numerantur. Grauiores Patres in eo reperti sunt, Ioannes de Vintimillio Prouincialis Terræ Sanctæ; Vvalterus Keso Angliæ; Ioannes de Vineta Franciæ; Henricus Bolendorpius Alemaniæ; Petrus de Turribus; Petrus de Riui; Michael de Bononia; Franciscus de Baccone; Arnaldus TrenKa, de quibus dicendum.

Bolendorpius.

3 Specialiter ille Bolendorpius huic tempori iure inter nostrorum egregios viros numeratur. Natione fuit Theutonicus, Inferioris Alemaniæ Prouincialis, vir doctus, & eruditus, ac declamator celeberrimus, ingenio præstás, eloquio scholasticus, & disputator quæstionum acerrimus. Scripsit notabile opus super sententias *lib. 4.* In Phylosophiam moralem; Sermones quoque varios, & vtiles, & quędam alia. Moritur in Conuentu Coloniensi, secundum aliquos, anno 1365. secundum quosdam, anno 1375. nos autem huic tempori eum annumeramus, quod post pręcedens Capitulum Ferrariense nulla de eo commemoratio facta reperiatur. De eo in libro Ordinis mentio fit in Capitulo Generali Bruxellensi an. 1336. & ibi instituitur Lector sententiarum Parisijs pro tertio anno. Insuper in Capitulo Generali Tholosano anno 1351. Perpiniacensi anno 1354. & in præsenti Ferrariensi vocatur Prouincialis Germaniæ Inferioris. De eo Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui eum vocat Doctorem Parisiensem.

Vvalterus Keso.

3 Similiter Vvalterus Keso, quem Balæus, & Pitseus *Gualterum Neflonum* vocant, huic tempori ascribimus, quod post præcedens capitulum Generale Ferrariense nulla de ipso in Ordinis lib. mentio reperiatur. Fuit na-

natione Anglus, patria Lincolnienfis, Oppido Stanfordio, Doctor in Theologia Cantabrigiæ. Vir integritate morum omnibus amabilis, & tum in Sacris, tum in prophanis eruditus, vt inter noftros, tum Philofophiam, tum Theologiam docuerit, ac per plures annos Angliæ Prouinciæ clauum rexerit. Scripfit de anima *libros tres*, Quarumdam propofitionum *librum vnum*. De eo fit mentio in Capitulo Generali Metenfi anno 1348 in Tholofano anno 1351. Perpiniacenfi anno 1354. & in hoc vltimo Ferrarienfi; femper fub nomine Prouincialis Angliæ. De eo etiam Balæus, & Pitfeus, qui etiam refert Lelandum.

4 Quæ Beato Petro Thomæ Conftantinopoli, dum Legati munere apud illum Imperatorem fungeretur, acciderunt, ex vita ipfius, quæ compendio habetur, etfi copiofius in Codice apud Bollãdum *cap.5.& 6.* fic capimus: *Poft multa pericula, ac vitæ difpendia Conftantinopolim venit, Ibi pro germana fidei Catholicæ intelligentia contra Græcos difputans Deo inges preces effundens, corpufque fuum, vigilijs, macerationibus, ac ieiunijs affligens, multas Deo animas à fchifmate ad vera Ecclefiæ gremium reuocauit, vt propterea Imperator, & alij ad vnionem, & pietatem Romanæ Ecclefiæ, & bellum contra Turcas gerendum animofiores redderentur. Hinc Cyprum pergens in grauem incidit morbum, quo durante, Regina proprijs manibus cibum, & dapes condiente, Dei præcipuè beneficio priftinæ faluti reftituitur*, Mazzerius *fupra*. De B. Petro Thomæ.

5 Fœliciffimam porrò Ioanni Palæologo Imperatori Græcorum hãc Petri noftri Legatiam extitiſse, ex eo confpicitur, quod eo tempore Chalilen Turcam Orchanis filium in poteftatem recepit, Matthæum hoftem repreffit, Gratianopolim occupauit, & Matthæi vxorem cum duobus filijs, totidemque filiabus cepit. Cantacuzenus *lib 4. hiftor. cap.44. & 45.* Infelix exitus Stephani Rafciæ Regis, & fauftus Ioannis Imperatoris, fanè demonftrant Dei benigniffimam prouidentiam erga Beatum Petrum Thomam, vt propterea Ioannem Imperatorem illum amicè tractantem, præmijs decorauerit, Rafcienfem vero toruè excipientem iufte punierit.

6 Obijt fub hoc anno Petrus Raymundi de Graffa Generalis nofter, poft quindecim, & fere fexdecim Generalatus annos, in Monte Pefulano fepultus. Vir doctus, & deuotus. Scripfit quædam volumina: fuper fententias *lib.4*, Ordinis fui Statuta, & alia quædam. Vocatus fuit Lector Parifienfis pro fecundo anno in Capitulo Generali Bruxellenfi ann. 1336, ac Prouincialis Narbonæ anno 1342. quo anno electus fuit in Generalem Ordinis. De eo Philippus Bergomenfis, Iacobus de Plebe, Trithemius, Poffeuinus, Petrus Lucius, & Bifcarretus, qui contendit eum non Petrum Raymundi, fed Petrum Raynaudum vocari debere. Palæologi fœlicitas.

7 Ante hoc tempus, etfi non pro multis annis, fundatio contigiffe videtur Conuentus Morciani, Prouinciæ Appuliæ, Regni Neapolitani nobiliffimæ partis: prout non incongruè elici poteft ex nupera ipfius Conuentus relatione ad nos miffa, quæ talis eft. *Eft, & peruetuftum, & antiquiffimum Cænobium Carmelitarum Regulares Obferuantiæ in Terra Morciani,* Obitus Generalis.

plusquam trecentis annis erectum à Rugerio de Sancto Blasio, tunc Domino illius Terræ, vt habetur ex traditione, & manifestè declarant illius Insignia in lapide Lyciensi posita supra portam minorem illius Ecclesiæ, in quorum calce distichon habetur hoc.

Eques auratus Rugerius ille Sacellum
Blasia Sancta Domus dat tibi Virgo parens.

Conuentus Murciani.

Et supra portam maiorem nomen illius sub his litteris R. D. S. B. *Antiquitatem declarant etiam Campanæ illius Ecclesiæ, quæ percolatæ fuerunt in Anno M. CCCC. LXXX. Totum hoc apparet in summitate illarum. Fuerunt autem ibi Patres non minoris Sanctitatis, vt habetur ex traditione, qui exactissime Regulam obseruarunt. Inter quos fuit frater Petrus Catanensis Laicus de dicta Terra, qui obedientiam non solum in vita, sed etiam in morte manifestauit. Cum enim Superior illius in agonia ei præcepisset, vt statum illius post transitum ex hac vita illi sub præcepto obedientiæ manifestaret, statim post mortem Superiori apparuit, flammis circumdatus. Territus Superior, eum interrogauit quisnam esset, & fratrem Petrum se esse dixit, qui vt obedientiam obseruaret permissu Dei, vt reuelaret statum suum, illuc peruolauit, & in Purgatorio ab illis flammis se teneri asseruit. Et cum subiunxisset Superior, si aliquod suffragium desideraret; respondit illi gratias agere, sed Sabbatho proximo ab illis flammis, per* Beatissimam *Virginem eripiendum reuelationem habuisse. In tali Ecclesia est Imago* Beatissimæ *Virginis sub titulo de Annunciatione: talis est enim titulus illius Ecclesiæ, quæ non pauca miracula patrauit, & habetur in magna veneratione, specialiter enim temporibus nostris lampas, quæ quotidie ante illius effigiem accensa detinetur, duabus vicibus ad terram defluxit, & integra perseuerauit, vt testatur de visu frater Philippus* Fenicius *eiusdem Ordinis de Terra Turris Paludum, qui tunc Prior erat illius Conuentus, & frater Maccarius Rotulus de Migiano. Memorandum videtur etiam, quod in anno 1623. cum esset illa Imago in pariete depicta, vt maior ei haberetur veneratio, fuit in quadro coloribus delineata, & illa in pariete propter hoc cooperta: statim infirmitas magna oborta est in illa Terra, itaut quatuor, quinque, sex, vel septem, vel octo in die morerentur. Illuminatus à Deo quidam frater Constantinus de Constantinis de nocte forbice tantum telæ corrasit, quantum appareret Virgo in pariete depicta, & statim infirmitas ad eius aspectum cessauit, & quasi aufugit.* Hæc in dicta Relatione; in qua maximè considerandum, quod ex visione relata illius Conuersi roboratur id, quod sæpius Sedes Apostolica approbauit, & nos non semel annotauimus, de adiutorio à Deipara Virgine nostris Carmelæis post obitum præstito, maximè die Sabbathi ipsorum mortem subsequenti.

Ann. Christ. 1358. Innocent. 6. Rom. Pontif. 6. Carol. 4. Imper. 13. Palæolog. Imper. Orient. 18. Ioannis Balistarij General. 1.

1 INtestinis bellis, & tumultibus tum Hispania, tum Gallia turbatę, occasionem præbere potuerunt, vt Amurathes Turcarum Princeps, vsus Genuensium nauibus, per Hellespontum in Thraciam traiecerit exercitum, & præcipuas Ciuitates ceperit, ac Palęologũ Imperatorẽ sibi vectigalem fecerit. Sic ferme Spondanus. Animaduertant hæc Christiani Principes, ne ob eorum discordias similia illis contingant. Huius anni casus.

2 Ex nostra autem historia id habemus, quod eo anno, vel circiter, noster Petrus Thomas Pactensis, & Lypparensis Episcopus, occasione nacta de suo regressu ex Constantinopolitana Legatia, appulsus ad Cyprum, & deuotione erga Sacra Palæstinæ loca, ea deuotissimè inuisebat. Hierosolymam prę sertim, Sanctum Domini Sepulchrum, & alia Saluatoris incunabula, ea pietate, & lachrymarum vbertate, vt omnibus exẽplo Religionis esset. Qua, qualiue, dum secra faceret, charitate fulgeret, quantoq; Religionis zelo Christianos ad fidem Catholicam conseruandã præmoneret, recensere quis poterit? Martyrij desiderio eo loci pro Christo subeundo flagrasse, vel ex eo liquet, quod cum ipsi à Christianis nunciatum esset se vt Nuntium Apostolicum omnibus notum, nihilominus cõualescens, & confortatus in Christo, verba huiusmodi despiceret, & quandoque Christianos in Monte Sion congregatos concione facta Sacræ doctrinæ pabulo satiaret. Inde Cyprum regressus ab Hugone Rege benignè exceptus, Famaugustæ in Conuentu Ordinis commoratus, vigilijs, & orationibus incumbebat, adeovt sæpius, quasi in extasim raptus, immobilis, & insensibilis permaneret, vt aliquando à familiari pedibus conculoatus, nihil senserit. Hinc, Deo sic prouidente ad maiorem ipsins gloriam, dum orationi huiusmodi toto feruens spiritu intenderet, sępius à vicinis, Græcis etiam, & Schismaticis ignis è cœlo descendens, & supra ipsius cubiculum consistens videbatur. Huius etiam miraculi memoria Conuentus Famaugustæ Fratres Missam singulis diebus sub diluculum celebrare instituerunt. Mazzerius *in vita eiusdem Beati Petri Thomæ cap.* 6. apud Bollandum *supra*. De B. Petro Thomæ.

De Ioanne Balistario decimo sexto Generali Latino.

3 OB mortem Generalis Petri Raymundi nouum Capitulum Generale hoc anno in die Natiuitatis Beatæ Mariæ Burdegalæ celebratur. In eo ad Generalatus apicem eleuatur Ioannes Balistarius Electio Generalis Balistarij:

ſtarius Conuentus Maioricarum alumnus. Hic Pater tempore electionis ſolum erat Baccalaureus, vt teſtantur Ioannes Groſſi *in Viridario Claui 2* & Boſtius *lib. 7. Specul. hiſtor. cap. 44.* Fuit inter Generales Latinos numero 16. & prout teſtatur idem Boſtius librum Statutorum ſui Ordinis per prædeceſſorem ſuum compilatum, confirmauit, & ad diuerſa capita reduxit, ac promulgauit.

Capituli geſta.

4 In hoc Capit. taxantur, & numerantur decem, & octo Prouinciales totidẽ Prouinciarũ, quas in proximè præcedentibus Generalib. Synodis retulimus. Cuius grauiores Patres, de quibus etiam ſigillatim ſuis locis dicimus, ſunt Ioannes de Vintimillio Prouincialis Terræ Sanctæ, Ioannes de Vineta Prouincialis Franciæ; Tilmanus Prouincialis Alemaniæ Inferioris. Lectores Pariſienſes ſententiarum pro primo anno Petrus Riui, pro quinto Michael de Bononia. Lectores Biblici Pariſienſes pro ſecundo anno Ioannes de Hiſdeſſeni, pro tertio Michael de Bononia Procurator Ordinis Arnaldus TrenKs.

De Petro Riui.

5 Hic Petrus Riui ea tempeſtate clarus erat in Ordine, cum Lectorem Pariſienſem in Capitulis Generalibus Lugdunenſi, Mediolanenſi, Perpiniacenſi, Tholoſano, & nouiſsimè in hoc Burdegalenſi nominatum reperiamus, & forſan eſt idem cum *Petro* Itio, vel Iterio, qui in Capitulo ſequenti Treuerenſi Lector ſententiarum, & Bibliorum pro Pariſienſi Cœnobio deſcribitur. Fuit hic natione Cathalanus, patria Perpiniacenſis, ac ſcripſiſſe dicitur ſcriptum bonum ſuper totum Pſalterium. Quæ omnia cum competant Petro Rimes, de quo anno 1300. diximus, ideo multi credunt, vtrumque eumdem hominem eſſe. Ita Biſcarretus, qui eum etiam vocat *Doctorem* Pariſienſem, & ſuperuixiſſe vſque ad annum 1360. Vtut res ſit hic Petrus Riui vſque ad hæc temporis ſuperſtes fuit, & vix natus pro anno 1300. De eo agitur in Speculo Ordinis *fol. 103. pag. 2.* vbi notatur inter famoſiſsimos Ordinis Doctores, qui ſuper ſententias, & alia opera ſcripſerunt. Scripſiſſe enim dicitur *Sermones de Sanctis, & ſuper Pſalterium*. Trithemius, Einſengrineus, Poſſeuinus, Sixtus Senenſis.

Prouincia Vaſconiæ.

6 In hoc porro Burdegalenſi Generali Capitulo primum nominatam cernimus Prouinciam Vaſconiam: in taxatione etenim Prouinciarum pro negotijs communibus Ordinis, huic Prouinciæ aſsignantur ſexdecim floreni. Vnde habetur, tum primo, vel paulo antea inſtitutam fuiſſe, & occaſione Capituli in primaria eius ditionis Vrbe habiti hunc illi honorem delatum. Quia tamen de ipſa breuem, ſed accuratam relationem M. Ioãnes Cherron Prouincialis ad Reuerendiſſimum Theodorum Stratium Generalem tranſmiſit, eam hic adiungere operæpretium duximus, verbis ex ipſo Cherrone mutuatis, non mutatis: quo nobili huius Prouinciæ notitia, iuxta opinionem ſaltem, quam de Conuentuum illius fundationibus, gra uis hic Pater habet. poſteris commendetur. Id tamen annotandum duximus, quod id, quod ait de Conuentu Burdegalenſi, quod ſit in Europa

pa

pa antiquissimus, nec veritati ipsi, nec ijs, quę in præcedentibus diximus, pręsertim to. 3. cohærent. Relatio porro talis est, *Ex septemdecim Cōuentibus, quibus Prouincia Vasconiæ coalescit, scilicet* Burdegalensi, *Aginnensi,* Baionensi, *Cōdomiensi, Lectorensi,* Bergeracensi, Tarbiensi, *Aquensi, Lingeniensi, Castillionis, Aculei,* Triæ, *Conensiorum, Pauię, Rapistani, Saluaterræ, & Ionzaci, omnes, præter Burdegalensem, Aginnensem, Baionensem, & Aquensem, hæreticorum immanitate incendio conflagrarunt, & plures omnino diruti fuerunt. Quatuor superstites eorumdem hæreticorum prędatione spoliati; vnde omnia omnium monumenta, et pretiosa perierunt. Conuentus Saluaterræ, Triæ, & Rapistani fundauerant Reges Nauarræ, quorum tanta erat pietas in Ordinem nostrum, vt in Conuentu Rapistani construxerint aulam vicinam Claustro, cuius Reliquiæ adhuc videntur; in qua Rex ipse, & Regina maiori anni parte cum Religiosis nostris viuebant. Tres illi Conuentus erant totius Prouinciæ celebriores, tum structura, tum redditibus, nunc pauperiores; Claustrum enim Triæ erigebatur columnis marmoreis vario opere, & colore distinctis, historiæ veteris, & noui Testamenti mira arte elaboratis. Ioanna Regina Nauarræ Mater Henrici Quarti* Francorum *Regis à fide Orthodoxa, & antecessorum suorum pietate deficiens tres illos Conuentus solo prostrauit, & bona temporalia Conuentus Saluaterræ in hæreticos transtulit. Conuentum* Baionæ *fundauit ipsa Ciuitas, vbi est Episcopatus. Conuentus ipse sine fundo viuit ex oblationibus* Ecclesiæ, *vbi fit bis in anno concursus fidelium innumerorum, nempe in Vigilia, & festo Sancti Mauri, in Vigilia, & festo Commemorationis* Beatissimæ *Virginis Mariæ de Monte Carmelo. Accedunt enim ijs diebus non modo Ciues, sed gentes omnes vicinæ à quinque, & sex leucis. Viget in his partibus supra omnes alias huius Prouinciæ deuotio Scapularis. Conuentus Aquensis agnoscitur* Fundator *generosissimus, ac nobilissimus Dominus Dore Baro de Louis: est etiam in ea Ciuitate Episcopatus antiquissimum: asseruaturque in illo Conuentu pars Reliquiarum Sancti Alberti. Conuentus Tarbiæ fundatorem se credit Nobilissimus* Baro *de Bazillac, putatur tamen esse ex fundatione Regum Nauarræ. Conuentum illum notabilem reddit structura, & Turris Campanaria.* Fuit *& ipse ab hæreticis incensus, sed iam fermè restauratus. Habet Claustrum marmoreum, circuitum amplissimum, riuulo ex pyraneis defluo, & duobus fontibus limpidissimis, & saluberrimis irriguum. Colitur in Ecclesia concursu pyranearum gentium Sanctus Eutropius Episcopus, & Martyr, ac Sanctus Antonius Abbas, in quem tanta est deuotio Montanorum eiusmodi pro conseruandis gregibus, vt Religiosos nostros appellent* Fratres *Sancti Antonij. Est in illa Ciuitate, quæ etiam appellatur Tarba* Bigerronum, *Episcopatus insignis; Sedem Episcopalem occuparunt tres ex Ordine nostro, quorum nomina me latent, ob combusta monumenta. Eorum vnus testamento reliquit, vt singulis annis in die Sancti Gregorij Magni Prior Conuentus Tarbiæ in Missa maiori sederet in Cathedra Episcopali, & Religiosi Conuentuales Tarbiæ in Stallis Canonicorum, & sic assidentibus per ordinem distribueretur panis, qui nunc quoque vocatur panis Sancti Gregorij. Conuentum Pauiæ fundauit pietas Catholicorum, quorum charitatem excitauit Nicolaus Quintus*

tus

tus Pontifex Maximus concedens Indulgentiam plenariam per modum Iubilei porrigentibus manus adiutrices ad eiusmodi Conuentus constructionem. Erat inibi alter digitorum Sancti Ioannis Baptistæ, ac in summa veneratione habebatur; sed bellorum iniuria, vel latuit, vel ablatus est. Illustrissima Domus Candalæa eundem Conuentum dotauit. Conuentus Lectoræ fundatorem agnoscit, saltem Ecclesiæ, Generosissimum Baronem de Montaut. Est in ea Ciuitate Episcopatus, colitur que in eodem Conuentu Sanctus Frisius Episcopus, & Martyr, ad cuius inuocationem multa miracula erga pueros Deus in dies patrat. Conuentum Condomij fundauit Ciuitas, in qua est etiam Episcopatus. Conuentum illum celebrem fecit educatio Sancti Petri Thomæ. Subsistit adhuc Domus Sancti annuũ censum Conuentui Condomiensi pendens. Coluntur in ipso Conuentu Reliquiæ Sanctorum Eutropij, Medardi, Blasij, & Erasmi. Celebratur quoque Processione publica, & Concione festiuitas Sancti Ioseph. Videtur etiam ibi Sacellum altissimum, mysterijs Passionis Christi Sacrum, parietibus depictis, fornicibus deauratis, etsi hæreticorum rabies, eam Ecclesiam, Claustra, & Dormitoria incendisset, confractis statuis mysteria Christi à Natiuitate ad Resurrectionem repræsentantibus, quæ in eodem Sacello politissima arte visebantur, in puluerem redactis. Ciuitas Aginnensis Episcopatus Conuentum Aginnij fundauit. Colitur in Capitulo Sanctus Neuphasius Confessor, nepos Caroli Magni Imperatoris, cuius Sacellum erat olim domus eiusdem Sancti: frequens est autem concursus populi in die Sancti Rochi, quo confluunt processionaliter duo Insignia Capitula Ciuitatis Sanctorum Stephani, & Caprasij. Reuerendus Pater Georgius de la Pisida Prior eiusdem Conuentus fuit Episcopus ipsius Ciuitatis, ob raras animi dotes, & singularem doctrinam, cui Reuerendus Pater Monaldus de Rosarijs Burdegalensis opus suum de pœnitentia dicauit, vt habetur in Bibliotheca Carmelitarum. Conuentus Aculei Illustrissimum Principem de Mazene pro fundatore reuerebatur; modò Serenissimum Ducem Mantuæ, & Excellentissimam Ducissam Donano sororem prædicti Principis demortui, & proditoriè in obsidione Montalbana interempti, cuius corpus in Ecclesia nostra eiusdem Conuentus insepultus iacet ab anno 1623. lampade, & quatuor facibus noctu, diuque accensis, pro quibus, & Missis quotidianis erogant annuatim Principes parentes quadringentas libras Turonenses. Fertur Ducatum illum Aculei, & consequenter Ius fundationis nostræ deuenisse in potestatem Illustrissimæ Dominæ de Richelieu neptis Eminentissimi Cardinalis. Conuentum Tonensiorum fundauerat, dotaueratque, & multis Reliquijs argento inclusis, ac duobus Calicibus ex puro auro, quæ fuerunt præda hæreticis, ditauerat, antiquissima, & Illustrissima Domus de Caumont, cuius hæres, est pijssima, & Illustrissima Comitissa à Sancto Paulo; sed nuperis bellis ciuilibus, cum Vrbs illa, hæresis Caluinianæ fomentum, bis in Regem nostrum Christianissimum rebellasset, in signum perpetuum perduellionis, radicitus euulsa est, incensus Conuentus noster, & vetitum edicto Regio ne restauraretur. Loco eius successit Conuentus Marmandæ nouus, cui ædificando ciues Marmandenses publicis expensis fundum dederunt: fuitque dicatus per erectionem Crucis Sancto Andreæ Corsino Episcopo Fesulano, ipsamet

met die, & eadem hora, qua Summus Pontifex noster Vrbanus Octauus eundem Sanctum Sanctorum albo ascribebat, quod nullibi terrarum puto contigisse. Conuentum Lingonij ad ripam Barumnæ, aere saluberrimo, aspectu delectabilem supra omnes alios Conuentus nostræ Prouinciæ, fundauit Illustrissima Domus Candalæa, sed hæretici euerterunt; reparatur in dies. Conuentus Bergeraci fundator creditur Illustrissimus Dux, & Franciæ Par Marescallus de la Force, Caluiniam lue infectus; vult etiam haberi fundator Illustrissimus Comes de Lausun: non constat de fundatione propter Instrumenta deperdita, liquet tamen vtramque Domum Conuentum illum dotasse, adeo in illum Conuentum sæuierunt hæretici, vt lapis non remanserit. Ædificauimus à paucis annis Sacellum, & Dormitorium: tota Vrbs omnino hæretica est: vocabantur olim, & superstes est in vulgo memoria, Conuentuales Bergeraci Nobiles Bergeracenses, propter amplissimos redditus; sed certè mutata fortuna, mutatum est & nomen, & dicendi sumus pauperrimi Bergeracenses. Conuentus Castillionis fundationem, & dotationem habuit à Domino de Grely Vicecomite Castillionis, cuius ius nunc obtinet Serenissima Princeps de Bouillon, quamuis hæretica: quæ tamen ritè, & satis piè soluit fundationes Maiorum. Conuentum illum etiam radicitus auulserunt hæretici, sed modo surgit in amplum ædificium, licet maior pars Incolarum sit hæretica prauitate corrupta. Conuentus Ionzaci fundationem Dominæ suæ ascribere conatur clarissimus Comes Ionzaci, sine titulo tamen; reperimus enim Reuerendum Patrem Monaldum de Rosarijs Prouinciæ Vasconię Prouincialem præfatum Conuentum Ionzaci, ex largitione fidelium ædificasse, nec quidquam possidemus à Clarissimo Comite, & antecessoribus eius, præter plaustrum fœni annuum. Fuit Conuentus ille in loco hæreticorum situs, hæreticorum flammis absumptus, & quemadmodum Catholici ex locis vicinis ad eius instaurationem contulerunt, ita conferunt ad eius restaurationem, quantum patitur temporis calamitas, sed nondum aliquid contulit Clarissimus Comes Ionzaci: quinimo cogit Religiosos nostros ad censum annuum pro ipso solo Conuentus. Conuentum autem Burdegalensem miraculosè fundauit nobilissima, antiquissima, & Illustrissima Domus de la Lande, anno salutis nostræ Millesimo nonagesimo nono. Cum enim Ciuitas Burdegalensis obsideretur à Sarracenis, & obsessores, ac obsessi, fame, & morbo premerentur, initum est pactum de singulari certamine, hac conditione, vt qui victor esset in illo certamine, Ciuitate potiretur. Selectus est ex parte Ciuitatis Dominus de la Lande, animo maximus, sed paruulus admodum corpore: Datus è contra à Sarracenis vir proceræ statura, vt alter Goliath, cuius aspectu ferocissimo, & gygantæa proceritate perterritus primum homunculus ille miles Burdegalensis, spe in Deum se erexit, flexisque genibus vouit, si vinceret, se in loco victoriæ dicaturum Monasterium Beatissimæ Virgini Mariæ. Facto voto descendit in prælium, irruit in Gygantem, fodit mucrone, & caput amputat; Sicque abeuntibus Sarracenis libertatem adepta est Ciuitas Burdegalensis, quæ ad perpetuam rei memoriam concessit Domui de la Lande, vt in signum libertatis recuperatæ, siquis Iudicum sententia ad patibulum damnatus aliquem ex annulis ferreis, qui ad parietes illius Domus eam ob rem foris affixi sunt (dicuntur

enim illac ad mortem damnati) pede attingeret, absolutus dimitteretur. Dominus autem de la Landa, victor in ipso loco, ubi victoriam reportauerat, Religiosis nostris anno prædicto ex Carmelo vocatis ædificauit. Locum ille adhuc Carmelus vetus appellatur, & quia Ciuitas ea parte amplianda erat, & nouis muris cingenda, Dominus Gaillardus de la Lande, anno Millesimo ducentesimo decimo septimo, nos transtulit in eum locum, quem nunc occupamus, distantia centum passuum à prima habitatione. Mensura ferrea colli Gygantis occisi pendet in Eccl. nostra ad columnam, quæ est proximior Altari maiori, cum versibus antiquis, &c. Hinc apparet Conuentum Burdegalensem *esse antiquissimum totius Europæ.* Illustrem *reddiderunt quinque Capitula Generalia in eo celebrata; toti Ordini commendat depositio Sancti Simonis Stock, cuius precibus, et meritis morborum curationes, qui medicis incurabiles iudicabantur, inuocantibus à Deo præstantur, resurrexerunt et mortui à paucis annis. Iacet corpus Sancti in vno Sacello Capituli, vbi vita ipsius, et pars miraculorum pictura celebri elaborata sunt. Caput includitur theca argentea, pondo triginta duorum, parataque est nouissimè arca etiam argentea, pondo sexaginta quinque, ad locandum corpus, quod in lignea hucusque quieuit. Est aliud Sacellum in eodem Capitulo ad latus Sancti Simonis,* Beatissimæ *Virginis Mariæ recuperandæ salutis dicatum, in quo olim Deus mira patrabat, nunc vero rarius, tepescente fidelium deuotione. Sacella eiusmodi, et Capitulum ipsum ædificarunt Angli, visebaturque in Sacello Beatæ* Virginis *statua Eduardi tertij Regis Anglorum, brachio sclopo perforato, flexis genibus, quia salutem in illo Sacello obtinuerat. Visebatur ex altera parte statua lignea, nuda, referens puellam vndecim annorum, quæ accusata, quod matrem veneno interemisset, et flammis damnata, cum in rogum iniecta fuisset,* Beatissi*mam Virginem Mariam recuperandæ salutis, quæ apud Carmelitas colebatur, precata, combustis vinculis, illæsa fugit in Ecclesiam nostram, et genibus prostrata ante Altare eiusdem Virginis efflauit animam. Idem Conuentus* Burdegalen*sis, duplici adhuc titulo illustratur, nempe, Vniuersitate* Biturigum *viuiscorum ab Eugenio Quarto Pontifice Maximo, et Christianissimo Francorum Rege Ludouico Nono, annis Millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, et Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, in eo Conuentu fundata, et stabilita. Deinde Institutione Equitum Ordinis Sancti Georgij (qui vulgo vocatur de la Iarritiere) inibi à Rege Anglorum erecti. Habet insuper Reliquias Sanctorum Laurentij, Alberti, & Rochi, ad cuius festiuitatem, & Sancti Laurentij, ac Sanctæ Annæ, confluit Ciuitas tota, & Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ S. Andreæ. Diem festum S. Catharinæ Virg. & Mart. alternis declamationibus annuatim celebrant, & celebrare tenentur, assidente Vniuersitate, Collegium Regium Aquitanum, et Patrum Societatis Iesu.* Ecclesia *est vastissima, & ornatissima, Claustrum amplum, et cameratum, Refectorium duplex, quorum maius, & antiquius construxit Eduardus quartus Princeps de Gales, qui postea fuit Rex. Est & Nouitiatus Religiosissimus, Bibliotheca copiosa, Schola Theologiæ, & Phylosophiæ.* Hæc in dicta Relatione, moderanda tamen quoad id, quod in ea dicitur de antiquitate Conuentus Burdegalensis.

Eo anno

7 Eo anno non leuis, nec modica contra Carmelæos nostros, aliosq; Mendicantes in Angliæ partibus procella excitata est; authore præsertim Richardo Archiepiscopo Armachano, alijsque falsa dogmata plura contra ipsos Mendicantes effutientibus. Coerciti tamen sunt per Papam Innocẽtium litteris his datis, & apud Odoricum hic *num.* 5. registratus. *Grauem* (inquit Papa) *dilectorum filiorum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordinum Fratrum querelam accepimus, continentem, quod ipsi tam prætextu quarundam prædicationum in Regno Angliæ per nonnullos contra statum dictorum Fratrum, illum de facto deprauantium, & condemnantium, & non esse in statu salutis falso asserentium, olim factarum; quam, quæstionis, quæ inter venerabilem Fratrem nostrum Richardum Archiepiscopum Armachanum ex vna parte, & Fratres prædictos ex altera, super nonnullis articulis per partes ipsas hinc inde propositis coram quibusdam ex venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ* Ecclesiæ *Cardinalibus, ex commissione nostra apud Sedem Apostolicam pendere dignoscitur, in confessionibus Christi fidelium audiendis, prædicationibus verbi Dei, & libera sepultura, necnon & eleemosinis ab eis fieri eisdem Fratribus consuetis, quas eis facere asserunt mendaciter esse peccatum, contra iustitiam impediuntur, & etiam perturbantur in ipsorum Fratrum preiudicium, & maximam læsionem, &c.* His addit imperia Innocentius intentata anathematis Religione, vt ab his abstineant, neue eorum priuilegijs à superioribus Pontificibus concessis detrahant, donec ab Apostolica Sede secus constitutum fuerit; quibus litteris adiecta dies Kal. Octobris anno sexto.

Controuersiæ in Anglia

8 Quem porro finem hæc controuersia habuerit ex M.S. Bibliothecę Vaticanæ, quod refert Odoricus *sub hoc anno num.* 6. elicitur, sopitam videlicet, fuisse, ob Armachani mortem, cum nemo postea illam vrgeret. Vnde cautè legendus Thomas Vvalsinghamus Rerum Anglicarum Scriptor, dum de hoc tempore agens inquit. *Quo quidem tempore magna controuersia coram Summo Pontifice facta est inter Magistrum* Richardum *Fizraf Primatem Hiberniæ, Armachanum videlicet, & Clerum Anglicanum ex vna parte, & quatuor Ordines Mendicantium ex altera, super statu, &* Regula *eorumdem Fratrum. Qui videlicet Armachanus opiniones suas erga Fratres coram Summo Pontifice diu, pluriesque sustinuit, & ipsos manifeste à suis deuiasse Regulis multis rationibus demonstrauit. Sed tandem (proh dolor) Clero Anglicano sibi subtrahente promissa, & exuberante in Curia Fratrum satis magna pecunia, adhuc lite pendente, Fratrib. sua priuilegia sicut per ante sunt data: noua obtinuerũt.* Hæc cum alijs, quæ contra Mendicantes hic auctor in illa historia scribit, si quis legerit, comperiet facile, vt minus, parum piè, & modestè erga illos se gessisse.

Controuersiæ finis.

Ann. Christ. 1359. Innocent. 6. Rom. Pontif. 7. Carol. 4. Imper. 14. Palæolog. Imper. Orient. 19. Ioannis Balistarij General. 2.

Casus huius anni

1 Vm hoc anno Galli cũ Anglis acriter dimicabant, & Cardinalis Ægidius Ecclesiæ negotia in Italia promouebat, noster Beatus Petrus Thomas, velut alter Sol, vitæ sanctitate, & rebus pro eiusdem Ecclesiæ dilatatione rectè gest,s emicabat; prout sequentia ex litteris Vaticanis, & eius historia excerptis liquido ostendent.

Beati Petri Thomæ gest.

2 Primo etenim Curiam reuersus à Pontifice, & Cardinalibus, ob præclara ipsius gesta gratè exceptus, ad maiora pro Christi fide, & Ecclesia Romana toleranda certamina promouetur. Etenim sexto Idus Maij Pontificatus Innocentij Sexti anno septimo, ad Episcopatum Coronensem, ob assumptionem Lodouici in Patriarchatum Aquileiensem, euehitur. Habetur diploma in Registro Archiuij Vaticani anno septimo Innocentij Sexti Bulla 18. fol. 28. & per extensum apud Vvadinghum *in relata Appendic. Bullar. Bulla* 17, cuius hęc sunt verba: *Nos ad prouisionem ipsius Ecclesiæ Coronensis celerem, et fælicem, ne longę vacationis detrimenta subiret, præuijs, et solicitis studijs intendentes, ac cupientes eidem Coronensi Ecclesiæ talem præficere personam, quæ sciret, vellet, et posset eam præseruare à noxijs, etc.* Et post quædam. *Post deliberationem, quam super his cum eisdem Fratribus habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum Pactensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam diuina gratia multipliciter insigniuit, et quod tu, qui præfatæ Ecclesiæ Pactensi hactenus laudabiliter præfuisti, dictam Coronensem Ecclesiam scies, et poteris auctoritate nostra vtiliter regere, et fæliciter gubernare, direximus oculos nostræ mentis, etc.*

Fit Legatus

3 Insuper cum id tempus Orientem Turcæ infestarent, & contra eos Ioannes Palæologus Græcorum Imperator auxilia deposceret, Innocentius quam militiam pro more aliorum Pontificum ad defensionem Christi fidelium, & præsertim ad Vrbis Smirnæ tutelam edixit, ac Beatum Petrum Thomam iam Coronensem Episcopum, Sedis Apostolicæ Legatum in illis partibus, cum plenissima facultate, viri dexteritate, zelo, ac virtute cognitis, præfecit. Bzouius *num.* 17. Odoricus *num.* 16. De quo extat diploma Pontificium Auinione 5. Idus Maij datum, quod etiam refert Vvadinghus *supra Bulla* 18. Deinde in alijs litteris eidem Petro, necnon Patriarchæ Constantinopolitano, ac Nicosiensi, Cretensi, Smyrnensi, Patracensi, Atheniensi, Thebanensi, Corinthiensi, Colocensi, Noxiensi, Corphiensi, Duracensi, Neopacensi, & Neopatriensi Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis scripsit, vt exercitum Crucesignatorum contra Turcas conscriberent. Item in alijs Vrso Archiepiscopo Cretensi præcepit, vt Beato Petro

cede-

cederet Legationem, & regimen Ciuitatis Smyrnarum. Identidem in alijs Petrum eumdem restituit Generalem Inquisitorem, in partibus suæ Legationis. Extant autem hæ tres relatæ litteræ per extensum scriptæ apud eundem Vvadinghum *supra Bulla* 19. 20. *et* 21. In relata vero Bulla, seu Epistola 18. sic loquitur Pontifex cum eodem Beato Petro tunc Coronensi Episcopo; alijs prætermissis, breuitatis, quam intendimus, causa. *Ad te, qui vir timoratus, et prouidus, et in lege Domini, ipsaque fide Catholica admodum eruditus, ac frequenter in arduis, et præsertim in illis partibus comprobatus, clarus scientia, plenusque multis virtutibus prędicaris nostræ considerationis intuitum conuertentes, deliberatione super hoc cum fratribus nostris præhabita diligenti, tibi in eisdem Patriarchatu Constantinopolitano, et* Regno *Cypri, et in Creten. Smirnarum, Patracen. Athenien. Theban. Corinthien. Colocen. Nixien. Corphien. Duracien. Neopacen. et Neopatriæ Archiepiscopatibus, et eorum, dictique Patriarchatus Prouincijs pro subsidio fidelium, et partium earumdem, omnem alium* Legatum *per nos in partibus illis deputatum reuocantes, plenæ* Legationis *officium auctoritate Apostolica de dictorum fratrum consilio committimus per præsentes, vt ibidem, auctore Domino, recta regens, et dirigens indirecta, et aspera conuertens in plana, sicut diligens cultor euellas, et destruas, dissipes, et disperdas, ædifices, et plantes, quæ pro negotiorum huiusmodi, ac morum, et Ecclesiarum, et* Ecclesiasticarum *personarum* Regni, *Patriarchatus, ac Prouinciarum, et partium prædictarum reformatione, et statu, ac alias ad Legati officium pertinent, et sicut Dominus ministrabit, etc.* Cum alijs amplissimis clausulis ibi notatis. Quæ autem inde euenerint in sequentibus dicetur.

4 Sub eodem anno 1359. in Anglia clarus obijt Ioannes de Sancta Fide, patria Norfordiensis, deinde Prior in Cœnobio Burnhamiensi, ac Professor Oxoniensis, vt auctor est Lelandus. *Erat autem hic Ioannes* (inquit Pitseus) *vir egregius, sanè tum animi, tum corporis dotibus præditus, et qui nihil reliquum fecerat ad summam in omni pietate, et doctrina perfectionem. In communi victu candidus, et sincerus, in Philosophia, et iurisprudentia optimè versatus, in Sacris Scripturis explicandis clarus, et perspicuus, in concionibus ad populum eloquens, et facundus, in fide Catholica promouenda feruidus, et zelosus.* Ea autem, quæ scripsit de illo satis abunde testimonium perhibent. Videlicet, in Euangelium Sancti Matthæi *librum vnum*, Directorium eiusdem operis *librum vnum*, Glossemata in Ioannem *librum vnum*, in Canonicam eiusdem *librum vnum*, annotationes in eandem *librum vnum*, Encomium Sancti Ioannis *librum vnum*, collationes, seu collectiones Scripturarum *librum vnum*, lecturas Scripturarum *librum vnum*, Quæstiones disputatas *librum vnum*, Sermones de Sanctis *librum vnum*, Sermones 63. de tempore *librum vnum*, Tabulam Iuris *librum vnum*, loca contrarietatum, quæ esse videntur *librum vnum*, Concordantias Diui Thomæ *librum vnum*, in Aristotelem de cælo, & mundo *libros duos*, Horum omnium elenchum *librum vnum*. Mortuus, & sepultus est 18. mensis Septembris sub hoc anno in suo Monasterio Burnhamiensi. De eo Lelandus relatus à Pitseo,

Ioannes de Sancta Fide

Ioannes

Ioannes Balæus, Iacobus de Plebe Seruita, Sixtus Senensis, Petrus Lucius, Pitseus, Biscarretus, & alij.

Mathias Coloniensis. 5 Huic anno adest Mathias Coloniensis, à Colonia Agrippina ad oram Rheni in Germania Inferiori, antiqua, & Sancta Ciuitate sua Patria sic dictus: in qua Carmelita factus, ac studijs applicatus adeo profuit, vt Doctor Vniuersitatis Parisiensis euaserit celeberrimus: nam ad vniuersitatem illam à Capitulo Generali missus fuit, dum esset iam Baccalaureus anno 1321. vt in Registro Ordinis habetur. Anno vero 1334. creatus fuit Prouincialis vtriusque Alemaniæ, qui ob nominis sui celebrem famam, ad exteras quoque nationes euocatus, & Episcopali dignitate decoratus fuit, licet Sedis Episcopalis hactenus nomen ignoretur: tamen apparet ex quibusdam Auctoribus ipsum fuisse suffraganeum alicubi in Brabantia, vbi & diem clausit extremum Bruxellis, & in nostra Ecclesia Carmelitana tumulatus 1359. vt ad nos miserunt Patres Colonienses anno 1638. Scripsit Sermones ad populum *librum vnum*. De ipso loquuntur Iosias Simlerus, Posseuinus, Biscarretus, & alij.

Ann. Christ. 1360. Innocentij 6. Rom Pontif. 8. Caroli 4. Imperat. 15. Palęolog. Imperat. Orient. 20. Ioan Balistarij Generalat. 3.

Huius anni casus. 1 Agnum illud bellum inter Galliæ, & Angliæ Reges, de quo anno 1336. diximus, à nostro Beato Cyrillo propheticè prædictum fuisse, hoc anno terminatum est, Rege Ioanne Franco è custodia dimisso, & quibusdam conditionibus odiosis satis Galliæ Regno. Æmilius; Genebrardus, Polydorus, Gordonus. In Italia autem Bononiensis Ciuitas ad iura Summi Pontificis sub Ægidio Cardinali Hispano Legato rediJt. Blondus, Sabellicus, Platina.

De B. Petro Thoma. 2 Quæ vero Beato Petro Thomæ nostri Ordinis egregio Alumno, Coronensi Episcopo, & in partibus Orientis Apostolico Legato euenerint, ex vita ipsius per Mazzerium descripta *cap.* 7. sic per compendium damus. *Ab eo tempore, quo Orientis Legatus constitutus est, formidabilem se omnibus Christi hostibus exhibuit. Vberrimos pro ipso fructus dedit, nunc prædicando, nunc docendo, nunc vero disputando, Deo probante, ac confirmante serui sui verba, pluribus signis, & prodigijs. Infideles Sacro regenerationis Lauacro abluebat, reducebatque Schismaticos ad veræ Romanæ Ecclesiæ consortium. Ipse fortiter, & strenuè contra hostes fidei dimicabat, modo Smyrnæ, modo Rhodi, Constantinopoli, Cypro, & Cretæ, Turcas cum multis aliquando triremibus, aliquando cum paucis expugnando. Interim multos infidorum hominum, falsorumque Christianorum calumnias pertulit; multisque exantlatis corporis laboribus pro vera fide tuenda, & augenda, plura maris, terræ, bellorum hominum,*

& fal-

& falsorum fratrum potissimum petitus insidijs, pericula subijt. Diuino tamen suffultus præsidio tantum profecit, vt toto sua Legationis tempore de Turcis fuerint gloriosæ reportatæ victoriæ. Vnumque è Principibus Turcarum Dominum Alti loci nuncupatum, vectigalia soluere, quod nullus alius Legatorum, aut Christianorum Principum fecerat, & vt Christianos apud se amicè haberet, coegit. Similia Odoricus *sub anno* 1359. *num.* 17.

3 Audita fama hęresis per Cretæ Insulam pullulantis, illuc alijs Legationis suæ posthabitis negotijs, sedulus accessit, & Candiam venit, vbi non vt Sedis Apostolicæ Legatus, sed vt hostis à Cretæ Duce minis exceptus est. Sed Dei seruus rem dissimulans de falso dogmate curiosius inquirebat. Re comperta, hæreseon reos, inter quos præcipuus erat vxoris Ducis cognatus quidam, coram se adduci iubet. Adstant, benignè excipit: at illi benignitatem aspernati, arroganter, & superbè interrogatis responsum dabant. Tunc Petrus à Duce, Ecclesiæ nomine auxilium implorat. Ille in furiam actus, & vxore suadente, multa minitatur mala, conuicia reddit, & per Ciuitatem, ac Insulam rumore sparso, Petrus, & socij capitis subeunt periculum. Sed ille suos animosè confortans, Ducem, & Ciuitatem anathemate ferit, Templa claudi iubet, Campanarum pulsationem interdicit, ac Duci hæc inquit: *Ecclesia Romana fidelibus Regna tribuit, quæ & aufert à perfidis, quæ tibi contingent, si pertinacem, & hæresum Fautorem te præstiteris.* Quibus exterritus, ac pœnitentia ductis veniam à Petro postulabat, & ita hæreticis anathema, & supplicium inflictum est: etsi illis, qui errorem suum, & culpam detestati misericordiam rogabant, impune abire permissum. Vnus ille vxoris Ducis cognatus pertinax, & proteruus in hæresi factus, igni viuus adiudicatus est. Hinc transiens ad aliam eiusdem Insulæ Ciuitatem *Caneam* vocatam, ossa alterius quondam hæretici iam tumulata exhumari præcepit, ac comburi. Hæc ex vita ipsius Beati Petri Thomæ, cap. 7. apud Bollandum: quæ etiam affert ex Ioanne Fauentino, Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centuria* 5. *in Appendice ad Guillelmum de Pagula*. Et Odoricus *sub ann.* 1359. *num.* 19. Gesta B. Pet. in Creta

4 Non pauci Ordinis nostri Alumni sub hoc anno in Anglia florebant. Inter quos vnus Guilelmus Lincholnius Cantabrigiensis Doctor, *Vir* (vt Pitseus loquitur) *ingenij, doctrinæ, pietatis laudibus suo seculo florens.* Reliquit post se super Magistrum sententiatum 25. Quæstiones *librum vnum*, Oppositiones scholasticas *librum vnum*. De eo Balęus, Pitseus, Lelandus ab ipso relatus, Posseuinus, & Biscarretus. Guillelmus Lincolnius.

5 Clarior adhuc erat alter Guillelmus Conuentriensis, vel de Conuentria, à curuatis cruribus, & læsa coxendice *Claudus Conuersus*, à nostris cognominatus, *Claudus*, quidem, propter defectum corporis, *Conuersus* verò propter humilitatem, qua fulgebat, cuius id signum, quod sui nomen operibus, quæ scripsit præfigere non curauit, se ipsum Claudum Conuersum nuncupans. *Hic autem Guillelmus* (verbis vtar Pitsei) *quantumcunque claudicauerit pedum gressu, non claudicauit virtutis, & eruditionis progressu,* Guillelmus Conuentriésis.

gressu, & licet vitiatus corpore, non tamen vitiosus animo, sed integer fuit mente. Erat enim acutus ingenio, comptus stylo, maturus iudicio, sententijs grauis, & in meditandis Sacrorum eloquiorum mysterijs assiduus; in iisdem percipiendis fœlix, in explicandis dexter, clarus, perspicuus, quidquid protulit eleganter elocutus est, quicquid cartis commisit, polito stylo scripsit. Omnem enim Latini sermonis nitidiorem ornatum in promptu habuit, quia primum adolescens in sæculo, postea iuuenis in Monasterio, omnem poesim, Rhetoricam, Dialecticam, & notæ melioris historias ad excolendam linguam Latinam indefessa industria diligenter percurrerat. Omnia eius scripta sonant elegantiam, redolent pietatem, vt ab animo scientiis insigniter instructo profecta, nemo qui legerit, & intellexerit, vnquam dubitarit. Scripta reliquit de laude Religionis *libros duos*, Elucidarium fidei *librum vnum*, Præconia Mariæ Virginis *librum vnum*, contra peccata *librum vnum*, de aduentu Carmelitarum in Angliam *librum vnum*, Scutum Carmelitarum *libros tres*, de Regula, & Confirmatione *librum vnum*. Annales breuiores *librum vnum*, Compendium historiarum *librum vnum*, Carminum diuersorum *librum vnum*; De eo agunt Balæus, Pitseus, Lelandus, Einsengrineus, Posseuinus, & Biscarretus.

Simon Vvinchinghamus

6 Simon Vvichinghamus etiam Anglus, ex Cœnobio nostro Noruicensi, huic sæculo lumen dedit Parisijs. Inter Doctores Sorbonicos hoc gradu insignitus, ita studia pietatis, & doctrinæ coniunxit, vt Ordinis nostri per illa tempora decus esset singulare. Inter quatuor Vvichinghamos Carmelitas, Thomam, Richardum, & Henricum, non infimum locum Simon tenet. Fuit enim Disputator subtilis, & Concionator celebris, vt eius scripta indicant. Sunt autem lecturæ scripturarum *liber vnus*, Sermonum *liber vnus*, Quæstionum ordinariarum *liber vnus*, Quodlibetorum *liber vnus*. De eo Pitseus, Posseuinus, & Biscarretus.

Papæ concessio,

7 Concessit Papa Innocentius sub hoc anno, & quinto Kalend. Augusti fratribus nostris, quod si ad loca quęcunque generaliter interdicta declinassent, possent ibidem Diuina Officia celebrare, & audire, & recipere Ecclesiastica Sacramenta, ianuis clausis, & excommunicatis, & interdictis exclusis, frequenter non pulsatis Campanis, & voce submissa, dummodo non dederint causam interdicto, nec essent specialiter interdicti. Habetur hæc Bulla confirmata ab Vrbano Quinto in Speculo Ordinis fol. 68. & confirmata à Gregorio 11. in Mari Magno Ordinis per Ioan. Mariam Collecto *pag. 5.*

Conuentus Viennensis.

8 Viennæ egregia Austriæ Ciuitate sub anno isto Ordinis nouũ Cœnob. erectum, multa posterioribus annis passum, & belli causa Carmelitis nostris hincinde expulsis, ac trucidatis, in Iesuitarum Patrum manus postea deuenit. Bartholomæus Eiselin Prouincialis Germaniæ *in Relatione ad Reuerendissimum Theodorum Stratium Generalem*. De quo suo loco dicemus. De antiquiore porro nostrorum habitatione Viennæ circa ann. 1100 consulendas Ioann. Cuspinianus *de reb. Austriac. in Leopoldo*.

Circa

9 Circa hoc etiam tempus, cum Carolus Imperator nouam Pragam condidisset, nouis etiam Templis, nouisque Sacerdotibus exornasset, & inter eos etiam nostros Carmelitas in eam Vrbem, habitatione illis concessa, inuexisse. Bzouius *sub ann.* 1360. *num.* 4. & *sub ann.* 1360. *n.* 10. scribit. Cæterum consulenda, quæ sub anno 1347. de hoc Conuentu scripsimus.

10 Ortum egregij Ducis Nunnij Aluari Pereiræ Lusitanorum Comestabilis, & nostri Ordinis postea Professoris, in hunc annum, vel circiter referimus, quod (teste Mariana de Rebus Hispaniæ *lib.* 21. *cap.* 4.) anno 1431. è vita migrauerit ætatis 71. Patrem habuit Aluarum Consaluum Pereira Hospitalis Hierosolymitani Priorem, qui Episcopi Bracarensis filius. Matrem vero Ciriam Gonzalez de Carauaxal fæminam prudentissimam. Huius præclarissimi Viri genus describimus, nedum quia ipse Lusitaniæ strenuissimus Dux, Brigantinę Excellentissimæ Familiæ Conditor, & à quo tota ferè Christianorum Regum Europæ origo; sed quia post habitum Deiparæ Virginis susceptum, sanctitatis magnæ opinione vixerit, clarusque miraculis multis post obitum prædicetur. Didacus Coria *in Chronic. Carmelitar. lib.* 11. *cap.* 21. Franciscus Rodriguez Lupus *in vita ipsius*. Conuentus Pragæ.

11 Pro Conuentu Aureliacensi, eiusque fundatione hæc habemus ex relatione Prouincialis Prouinciæ Aquitaniæ. *Iste noster Carmelus Aureliacensis in Prouincia superioris Aruerniæ constitutus, non solum huius nostræ Prouinciæ Conuentus, sed etiam de primis, & celeberrimis Aquitaniæ, siue superioris, siue inferioris vnus est. Pro cuius fundatione circa annum Millesimum trecentesimum quinquagesimum nonum, insignis Guido de Gaignato Vrbis Aureliacensis Ciuis erga Deiparam, pietate, & deuotione motus, hortulos quinque designauit, vt illorum loco Conuentus Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo ibi construeretur, cui dictus Guido Villam insuper donauit vulgo dictā* de la Mouilliere; *ita tamen, vt in loco Conuentus construeretur, sin minus dictæ fundationis tabulæ essent irritæ. Creditur itaque, vt valde probabile est, dictum Guidonem istius Conuentus verum fundatorem extitisse, qui sibi præ alijs iuribus pro se, suisque successoribus in Ecclesiæ Choro prædicti Conuentus sepulturam sibi reseruauit. Cum vero dictus Guido circa annum Millesimum trecentesimum sexagesimum primum suum primum testamentum infirmasset*, Regnante *Ioanne Francorum Rege, necnon Ducis Burdegalensis, & Aluerniæ filio, insignis Guillelmus de Besfot Prior Conuentus, vir insignitæ virtutis, doctrinæ, & prudentiæ, nomine suæ totius Communitatis, & Religiosorum consensu, prædicta beneficia dicti Guidonis stipulatus est ex quibus, & alijs multis patet dictum Guidonem ipsius Conuentus fuisse fundatorem. Iste Carmelus propter Regni Galliæ bella frequentia, & alias calamitates, & præsertim à Religionis nostræ Catholicæ inimicis, necnon Angliæ Incolis, sicut & alij nostri Conuentus istius Prouinciæ funditus est euersus. Ab anno tamen Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto vsque ad annum Millesimum sexcentesimum quinquagesimum, Religiosorum* Conuentus Aureliacen.

 forum

sorum curâ, necnon Patriæ Incolarum, & præsertim Vrbis Aureliacensis habitantium beneficijs, ac donis, iterum constructus, ac in meliorem statum est redactus. Insignis quidem propter Ecclesiam, præclaris rebus, ac donis Illustrem, præcipue propter Confraternitatem nostri Sacratissimi Scapularis, cuius deuotio in hoc Conuentu, plusquam in alijs istius Prouinciæ Conuentibus elucet. Propter Dormitorium, & Refectorium inter Regni Galliæ Refectoria primum locum tenens, tum propter altitudinem, cum propter Laquear affabre confectum, ac diuersis picturis, & Imaginibus ornatum. In hoc nostro Conuentu Aureliacensi circa annum Millesimum quadringentesimum sexagesimum octauum in die Pentecostes celebratum fuit Capitulum Generale; cui præfuit V. Ioannes Soret totius Ordinis nostri Generalis meritissimus. Anno centesimo post constructionem huius Carmeli decretum fuit inter Priorem dicti Conuentus, consentiente eius Communitate, vna cum Vrbis Aureliacensis Senatoribus, quot quoties negotia publica, tum in Romana Curia, tum in Parisiensi, essent peragenda, Prior iste Conuentus, aut vnus è suis Religiosis ea tractanda, & ad finem vsque deducenda, sumptibus publicis, illuc se conferret. Est hoc solummodo in memoriam, et agnitionem beneficiorum ipsis Religiosis ab Vrbis habitatoribus collatorum. Imo tanta erat vnio inter ipsius Vrbis Incolas, & nostros Religiosos, vt quoties de nouo electus, et creatus erat Prior, et vt talis a suis inferioribus agnitus, et receptus, vna cum Vrbis habitatoribus, sibimetipsis fidè seruare mutuo iuramento se astringerent; vnde prouenit, vt dicti nostri Carmeli Vrbs Aureliacensis protectrix, et restauratrix agnoscatur, et vt talis habeatur. Hæc ex præfata Relatione hausimus, alia si occurrerint, suis temporibus dicturi.

Ann. Christ. 1361. Innocentij 6. Rom. Pontif. 9. Caroli 4. Imperat. 16. Palæolog. Imperat. Orient. 21. Ioan Balistarij Generalat. 4.

Gesta in Oriente.

1 IN Orientis partibus hoc anno Christianorum negotia fœliciter gerebantur. Etenim Ioannes Palæologus Imperator Peloponnesum ingressus hostes debellauit. Iouius, Sabellicus, Gordonus. Petrus etiam Cypri Rex à Beato Petro Thoma nostro coronatus, vt infra dicimus, sancito cum Rhodijs Equitibus fœdere, ac magna comparata classe Sataliam Turcarum Vrbem opulentam improuiso accepit. Villanus, Odoricus. Maximè vero idem Beatus Petrus Thomas, mira in illis partibus operabatur. De quibus postea, dum interim gesta Sancti Andreæ Fesulani eius Concarmelitæ referamus.

De S. Andr. Corsino.

2 Cum iam Fesulanus Episcopus Andreas noster esset, iuxta dicta sub anno 1349. prout ex Laurentio Surio in eius vita habetur. *Incredibile effatu est, quanta Sanctitate floruit; omnes terrenorum cupiditates pedibus subiecit; tantæ fortitudinis factus, vt cunctas animi perturbationes facile*

supe-

superaret. Mulierum colloquia tanquam semina vitiorum, magno studio fugiebat. Temperantiam amplexus, nulla concupiscentia carnis premebatur; macerabat corpus cibum sobriè sumendo: subter tunicam super nudo corpore catena ferrea cingebatur; sarmenta vitium membris suis requiem nocturnam præstabant; pacis seminis præcipuus seminator, bella intestina, seditiones Ciuium, & discordias plurimorum extirpabat. Diuinæ contemplationi intentus, nihil humanum, aut quæ ad scurrilitatem pertinerent, loquebatur. Quanto enim dignitate sublimior, tanto humilitate submissior videbatur. In ædificijs sacris plurimum intentus, Cathedralem Ecclesiam Fesulanam, quæ ruinam vndique minabatur sumptibus datis muniri fecit. Quid de eius commiseratione erga pauperes, quid de pietate eius in populum suum, videre, sed neque audire quidem sine lachrymis poterat: tantæ enim liberalitatis fuit in pauperes, vt omnes egenos, qui tūc Fesulis essent, litteris mandaret, quibus clanculum præbebat eleemosinam. Nemo vnquam egens sine eleemosina ab eo recedebat, quin etiam cum annonę magna penuria esset, & pro eleemosinis ad eum plurimi confluerent, ipse omnem panem in sua Domo repertum pauperibus erogauit, & cū tantæ multitudini minus sufficeret, iussit sibi vltra panes afferri: ministri vero qui sciebant ne panem quidem vnum in arcula se dimisisse, defecisse panes Episcopo *narrauerunt, qui iussit vt in arca attentius quærerent, illi autem ne viderentur* Episcopi *iussa negligere in penum reuertentes, panes in magno numero repererunt: quam rem, mirati retulerunt ad* Episcopum, *illo vero panes accipiens pauperibus erogauit; vt in omnibus Saluatoris vestigia imitaretur.* Hæc Sancti Andreæ in Episcopio acciderunt.

3 Quę autem B. Petro Thomæ in sua Legatione ad Orientē per id tēpus accidering, ex Mazzerio *in vita ipsius c.* 8. apud Bollandum, quibus similia Odoricus *an.* 1360. *n.* 16. & Vvading. *in vit. ipsius*, sic colligimus. *Cum Hugo Rex Cypri vltimum clausisset diem anno proxime præcedenti, Petrus eius filius Regni diadema suscepit. Coronari ergo, & Sancta vnctione Regio more insigniri a Beato Petro Thoma desiderabat. At is tunc* Rhodi *agens febribus grauatus non potuit tam cito Regis voluntati satisfacere. Nihilominus triremibus vectus, magno cum salutis periculo (a quo Dei gratia, & Sancti Gregorij precibus liber extitit) Cyprum appulsus, Petrum in Regem Cypri, & Ierosolymitanum Famagustæ in* Ecclesia *Cathedrali solemni cæremoniarum ritu coronauit, ac sacrauit. Post hæc, consentiente Rege, Schismaticos plures Ecclesiæ Sanctæ aduersantes in maiorem Eccles. vocatos, quēdam præsertim Gregorium* Episcopum *Nicosiensem, ad veram fidem, & Ecclesiæ Romanæ obedientiam, apertis sacrarum litterarum testimonijs reducere conabatur. Multis igitur errorem abiurantibus, Dæmonis inuidia, & cuiusdam Præsbyteri obstinati suggestione factum est, vt ne dum plures ex ijs, qui cum Beato Petro Thoma in templo erant, cachinis exciperent, sed & ex eis, qui extra fores erant (ianuis apertis) tumultu magno ipsum occidendum clamarent.* Interim, *multis de familia* Beati Petri *fugientibus, ijs qui secum remanserant: Confidite (inquit) in Domino: afferte Crucem coram me, & moriamur fortiter pro tuenda fide Catholica. Firmus ergo, & immobilis ante Altare maius residens, constantior coram hostibus aderat, mortem pro Christo subire expectans:* De B. Petro Thomæ

sed Adiutor in opportunitatibus Deus Regis animum excitauit, vt cognito populi Græcorum tumultu, Principem Antiochenum fratrem suum miserit, qui manu armata Beatum Petrum Thoma ab euidenti periculo liberauit: qua de re fideles vniuersi gratias Deo retulerunt, qui eam capitis aleam Beato Petro Thomæ fugiendi gratiam fecerat.

Alia de ipso

4 *Nec propterea ipse a suscepto munere desistebat, schismaticos instruens, minis modo terrens, nunc blanditijs trahens; in quo adeo feliciter laborauit, vt præcipuum, ac primarium illius Insulæ Græcorum Episcopum, cum multis alijs (quod nullus alius) Deo, & Ecclesiæ Romanæ lucrifecerit. Sic ergo in Cypro propagata Ecclesia, templisque, sacerdotibus ornata, illum, qui sibi commissus erat, gregem in Corona Achaiæ visitare studens, illuc peruenit; vbi exemplo, & doctrina suos ædificando, plurimos inde fructus horreo Ecclesiæ accreuerit. Eo loci, cum quædam Principis Achaiæ Vxor masculum fillium desideraret, a viro in Domum vocatus Beatus Petrus Thomas, benedictionem, & certam de masculo concipiendo promissionem dedit, quam rei probauit euentus. Quondam è Rhodo in Cypro nauigante Beato Petro, tantum nauis incurrit naufragij periculum, vt nautæ mortem rati proximam, omni humano destituti auxilio ad Cælum clamantes, anchoras in mare proiecerint, sed sine fructu, fluctibus intumescentibus. Petrus autem a cunctis euocatus, feruidas ad Deum fudit Orationes, & Crucem, quam apud se habebat, in mare misit, tuncque tranquillitas facta est, cunctis mirantibus, & gratias Deo reddentibus, quod serui sui meritis eos è naufragio liberasset. Cum Petrus Rex Ciuitatem quamdam (* Satalium nempe, de qua supra) *ab inimicorum manibus liberasset, illuc Petrus noster mox se contulit, Ecclesiam erexit, Sacerdotes instituit, et Religiosos, qui diuinum ibi Officium cantarent, ordinauit, ac milites Christianos in præsidio Ciuitatis à Rege constitutos, vt animosiores ridderentur gratijs, & priu legijs decorauit, Cyprumque reuersus, solemnes gratias pro victoria à Rege reportata Deo fieri instituit.* Mazzerius *in vita* B. *Petri Thomæ cap.* 9. vbi hæc latè.

Alia.

5 *Magna lues tunc circa Cypri Regnum grassabatur, quæ Famagustam sic infecit, vt breui homines absumerentur. Beatus Petrus, instituta processione, solemni, in qua, nudis pedibus incederetur, ieiunioque in pane, & aqua præmisso, eò pietatis, & feruoris populum incendit, vt etiam infideles Turcæ, & Hebræi ad pietatem verterentur. Sicq; populus, Dei misericordiam, inopinato Serui sui meritis suscepi. Infirmis ad sanitatem redactis, ac peste in ijs partibus extincta.* Mazzerius *supra cap.* 19. vbi de his copiosè.

Ioannes Paschallus

6 Sub eodem anno 1361. ex huius Corporis ergastulo euolauit Ioannes Paschallus natione Anglus, patria Sufforcensis, Ordinis nostri Alumnus. Hic prius Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & Concionator celebris: erat enim miræ facundiæ, singularis gratiæ, & ad mouendum populum plurimi vigoris. Fama eius percrebescente Guillelmus Episcopus Noruicensis eum sibi assumpsit in suffraganeum, annuente Papa Benedicto sub titulo Episcopi Scutariensis. Postmodum Rex Eduardus tertius fama doctrinæ eius motus, eum Laudauensem Episcopum designauit.

Qua

Qua in Ciuitate, & Cathedrali Ecclesia sepultus est. Reliquit post se Homilias 80. de Sanctis *librum vnum*, Homilias 68. de tempore *librum vnum*, Conciones per annum *librum vnum*, de Passione Christi *librum vnum*, Lecturas scripturarum *librum vnum*, Quæstiones disputatas *librum vnum*. De eo Lelandus, Pitseus, Harpsfeldius, Einsengrineus, & Biscarretus.

7 Guillelmus Lubbenhamus, natione quoque Anglus, patria Conuentriensis, & Doctor Oxoniensis, sub hoc anno obijt. Dicitur à Balæo, & Pitseo fuisse 17. Angliæ Prouincialem, cum tamen in libro Ordinis, & Capitulis Generalibus ibidem descriptis, nulla de eo memoria inueniatur, forsan ex aliquo accidenti pauco tempore durauit in Prouincialatu. Vir tamen erat, doctrina, prudentia, & in rebus agendis dexteritate insignis, & eruditionis testes reliquit, In posteriora Aristotelis 53. quæstionum *libros duos*. Item quæstiones Ordinarias *librum vnum*. De eo Balæus. & Pitseus relati, Posseuinus, & Biscarretus. Guillelmus Lubbenham

Ann. Christ. 1362. Innocent. 6. Rom. Pontif. 10. Carol. 4. Imper. 17. Palæolog. Imper. Orient. 22. Ioannis Balistarij General. 5.

1 Obijt hoc anno in mense Septembris Papa Innocentius; & post longam dissensionem creatur Pontifex, nec Cardinalis, nec præsens Guillelmus de Grisaco Abbas Sancti Victoris Massiliensis, Vrbanus Quintus appellatus. Honuphrius, Gordonus, Spondanus, & alij. Quot, & quales dignitates nostro Beato Petro Thomæ hic Pontifex concesserit, ex dicendis in sequentibus constabit. Successio Vrbani Quinti.

2 Interim hoc etiam anno, curante nostro Io: Balistario Ordinis Generali Priore, habitum est Capitulum Generale in Conuentu Treuerensi die Sacro Pentecostes. In eo in primis numerantur, & taxantur 19. Prouinciæ; & totidem ipsarum Prouinciales ordinantur, addita scilicet pro 19. Prouincia Vasconiæ, cum suo Prouinciali: vnde in hoc Capitulo huius Prouinciæ institutio ordinata videtur. Instituuntur, more solito, Lectores Sententiarum, & Bibliorum Parisijs. Procurator Generalis, Prior Conuentus Curiæ, & Prior Parisiorum. Insuper (quod solitum non erat) Socius Generalis ordinatur Bernardus Olerij, & Prior Tholosæ, ac Lectores Sententiarum in Studijs Florentino, & Tholosano. Decernitur studium generale in Conuentu Burdegaliæ. Concessa etiam est facultas à Diffinitoribus Priori Generali, vt posset *Constitutiones nouas facere, & per nos* (inquiunt Diffinitores) *factas interpretari, quando dubium aliquod apparebit, & in eisdem plenariè dispensare*. Confirmatur item in officio Generalatus prædictus Ioannes Balistarius, & cum iam Magister nominetur, cognosci Generale Capitulum

gnosci datur Lauream Doctoratus, cum antea solum Baccalaureus esset, suscepisse. Statuuntur præterea plura circa auctoritatem Generalis de nõ alienandis bonis Monasteriorum; pro fugienda proprietate; circa officia diuina, & processionem mortuorum faciendam septimanatim per claustra. Addita tandem multa sunt Rubricis Generalibus Constitutionum, seu Statutorum Generalium Ordinis, iampridem à Generali Petro Raymundi in vnum collectis, quæ quidem ad maiorem ipsorum explicationem, & obseruantiam digna visa sunt. Quę omnia constant ex libro Ordinis fol.6. vbi hoc Capitulum, cum Actis, & decretis ipsius, ad longum habetur, vt nullum aliud, ex præcedentibus Capitulis doctrina, grauitate, & decretorum institutione, illi par sit, quo sanctus zelus Generalis Ioannis Balistarij agnosci facile poterit.

Viri illustr.

3 Plures illustres Ordinis Alumni in hoc Capitulo censentur. Primo prædictus Balistarius Generalis; secundò, Prouincialis Terræ Sanctæ Ioãnes de Vigintimillio; Angliæ Magister Thomas Broni; Franciæ, Magister Ioannes de Vineta (tunc primum Magister nuncupatus) Alemaniæ Inferioris, Telmanus de Aquis, Bernardinus Olerij Socius Generalis; Prior Conuentus Tholosæ, Arnoldus TrenKa; Lectores Parisiorum Michael de Bononia, Simon de Spira, & Franciscus de Baccone, Regens Curiæ Romanæ, Petrus de Turribus. De quibus sigillatim dicimus suis locis.

Papæ concessio.

4 Quo etiam anno Auinione tertio Kalendas Iunij confirmauit Innocentius Papa Sextus priuilegium à Clemente Sexto Fratribus nostris concessum, de quo anno 1342. videlicet, de non soluendis decimis de ijs, quæ crescunt infra septa murata locorum ipsorum. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto pag. 13.

De Blasio Senensi.

5 Miraculo quodam claruisse sub hoc anno Blasium nostrum Senensem, de quo anno 1229. diximus, dum quidam à medicis ob ęgritudinem desperatus ipsius se meritis commendans, concupitam adeptus est sanitatem. Habetur ex vita eiusdem ex Senarum Monasterio ad nos transmissa.

Petrus Rex Cypri.

6 Venit sub hoc anno ex Cypro, & Oriente, eius Insulæ petrus Rex, partis de Turris victorijs valde Illustris, & tertia die Decembris Auenionẽ accessit. Venit etiam cum ipso noster B. Petrus Thomas, gesta in illis partibus Apostolica Legatione, & Christi cultu amplificato, gloriosissimus. Finis porro huius accessus Regis ad Papæ Curiam is erat; promouere scilicet expeditionem Terræ Sanctæ, & Europæ Principes ad eam excitare. Adiens ergo Petrus noster nouum Papam Vrbanum ipsi declarauit, qualiter Regi Cypri persuasisset, vt bellum commoueret pro recuperanda Hierosolyma. Placuit Pontifici Petri propositum, & eum ex Coronensi Episcopatu ad Archiepiscopatum Cretensem transtulit. Philippus Mazzerius *in vita B.Petri Thom.cap.*11. vbi hæc fusè - Odoricus hoc anno *num.* 17. Alia ipsius gesta, & Legatias ipsi ab hoc Pontifice concessas in sequentibus referimus.

Con-

7 Contigit hoc anno casus historia nostra dignus, & honestæ recreationis gratia lectori suggerendus. Castellum est Neapoli ad tres ferme leucas proximum, *Casaluce* nuncupatum, in quo PP. Cælestinorum Cœnobium hoc tempore erat; & in ipso coruus enutritus, qui Monachorum industria, vel forsan, quia auis ista humanam loquelam facilè addiscere solet, circa Cœnobij ianuam obambulans, Ianitorem ipsum, ceu alios audiens dicere solitos ingredi volentibus, *chi è, chi è*, aut *non si può, non si può*, similia crocitans verba crebrius repetebat. Accidit autem, vt tunc Neapolis Regina Ioanna cum Raymundo Principe per lucum, & syluam, loco, & Monasterio vicinum venationis, seu recreationis ergo, obambulantes, ingenti pluuia, turbine, aut tempestate ingruenti præoccupati, ad ianuam, ingressum, pulsantes postularent, Monachis in Refectorio, & Ianitore longe astantibus; ac vt coruus, solito sibi more crocitaret *chi è, chi è*; quin, & instantibus pro ingressu suo illo *non si può, non si può* replicasset. Hinc ianuæ pulsantes irati discessere, quod crederent vocem alicuius ex Monachis fuisse: & Auersam Vrbem proximè vicinam accedentes, satellites *Casaluce* miserunt, qui Monachos rei inscios è Monasterio eijcerent. Factum ita; & Cœnobium Fratribus nostri Ordinis Auersani Conuentus cum Castello, suisque pertinentijs donatus: eo libentius ab illis receptus, quod in eo in veneratione essent Imago quædam Dei Genitricis, à Beato Luca depicta, & duæ hidriæ ex illis, quarum lymphas Christus Seruator in nuptijs Cana Galileæ in vinum conuerterat. Hi cum Fr. Pino de Messina Priore constituto, Conuentus possessione habita; in Ecclesia Sanctos Ordinis, ac veteris Testamenti, depingi fecerunt, prout hodie etiam cernitur. Sed non multo post, veritate cognita, quod Monachorum culpa in casu nulla fuerit, ipsis omnia restituta. Extat de hoc authenticum Instrumentum, quod vidimus.

Casus Conuentus Casaluce.

8 Ex hac porro historia habetur Vrbis Auersæ Monasterium ante hoc tempus extitisse, imo esse antiquum valde, prout ex Relatione Conuentuum Italiæ sub Innocentio Decimo Summo Pontifice data colligitur. Quin ex Instrumento supra relato constat Priorem Auersæ tunc fuisse, quendam Fr. Eliam, cuius assensu ad Casalucensem nouam mansionem venerunt Fr. Antonius de Iannullo Lector, Fr. Pinus de Messina, & Fr. Philippus de Palermo. Ecclesia porro huius Monasterij titulum habet Beatissimæ Virginis de Monte Carmeli.

Auersæ Monasterium.

Ann.

Ann. Christ. 1363. Vrban. 5. Roman. Pontif. 1. Carol. 4. Imper. 18. Palæolog. imper. Orient. 23. Ioannis Balistarij General. 6.

Anni huius casus.

1 ANtea quidem Turcæ venerant in Europam, sed nunc vsi nauibus Genuensium transmiserunt in Græciam 60. millia armatorum, specie quidem iuuandi Imperatorem, sed reuera, vt occuparent, prout fecerunt, præcipuus Ciuitates, Philippolim, Adrianopolim, aliasque plures: quibus captis, Palæologum Imperatorem sibi vectigalem fecit Amurathes Turcarum Princeps, & ex Imperatore seruum. Sic Gordonus, & Bzouius. Idcirco Vrbanus Papa, Gallum, & Cyprium Regem, ad bellum Sacrum gerendum inducebat; Rege Franciæ creato Duce exercitus, & Legato Apostolico Cardinali Talayrando: sed quia Galliarum Rex iter aggredi cunctabatur, ob Regni sui necessitatem; ideo Regem Cyprium præire Pontifex statuit. Odoricus.

De B. Petro Thomæ.

2 Quoad nostrum Beatum Petrum Thomam iam Archiepiscopum Cretensem creatum illud spectat, quod cum inter Venetos, & Cretenses eiusdem Petri subditos graues intercederent bellici tumultus, adeo quod cum Veneti aliqui in Cretensium manus deuenissent; trucidatis, genitalia, & linguæ à Græcis abscissa, illa dentibus, hę natibus contumeliosissimè inserta, Deum ad vindictam prouocauerunt. Namq; impressione militari facta vrbem Veneti recuperarunt, & de authoribus seditionis supplicium sumpserunt. Hac ergo de causa Pontifex eundem Petrum Thomam Venetiam amandauit, præcipiens Venetorum Duci, vt eidem Petro Archiepiscopo Cretensi, Sedis Apostolicę Legato, in ijs, quæ pacem Cretensium attinerent, obtemperaret. Litteras datas 8. Idus Decembris commemorat Bzouius sub hoc anno num. 11. Meminit etiam huius Legationis ad Venetos nostri Petri Thomæ P. Vvadinghus in notis ad vitam ipsius n. 14. Extant etiam litteræ illius in Registro Vaticano Vrbani Quinti fol. 47. & 68.

De Aduentu ipsius Bononiam.

3 Huius etiam Legationis tempore venisse Bononiam eundem Petrũ Thomam cum Philippo Mazzerio ipsius socio, & eam Ciuitatem adhuc fluctuantem in obedientia Summi Pontificis, pacificasse, ea conditione, vt Pontifex solueret 50. millia florenorum, colligitur, ex Vvadingho relato. Ac maximè ex Balæo, qui *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centuria* 5. dum per *Petrum Thomam Aquitanum Carmelitam* dicit, *Bononia in eius* (scilicet Papæ) *potestatem venit*. De illis tamen commodius dicemus anno sequenti.

Papæ concessio.

4 Concessit etiam Ordini nostro Pontifex Vrbanus sub hoc anno Auenione 13. Kalend. Martij, per Bullam, quę incipit *Deuotionis nostræ*, & habetur in Speculo Ordin. fol. 69. & in Mari Magno per Ioannem Mariã

de

de Nouolaria collecto pag.21.quod possimus vbique,in locis tamen congruentibus,& honestis,extra loca,& Oratoria nostra,coram Prælatis, Principibus, & Magnatibus, cum super hoc per eos, vel pro parte ipsorum fuerimus requisiti,super Altari portatili,Missas,& alia Officia diuina celebrare, absq; tamen iuris parochialium Ecclesiarum præiudicio. Vide tamen, quæ circa hoc priuilegium diximus To. 5. Summæ Quæst. Regular. circa Mare Magnũ Carmelitarum § 37. Nota etiam,ibi per errorem appellari hunc Papã Vrbanum 4.cum reuera non fuerit nisi Vrbanus quintus, siquidem in data Bullę dicitur fuisse Auinione, in qua Ciuitate non Vrbanus 4. sed Vrbanus 5. sedit.

5 Interim etiam eodem anno, vel circiter, è vita decessisse videtur Io. de Vigintimillio nostri Ordinis ea tempestate insignis Professor,& primæuæ Prouinciæ, Terræ Sanctæ videlicet, per 20.fere annos Prouincialis. Talis enim vocatur in Capitulis Generalibus Mediolanensi, Metensi, Tholosano, Perpiniacensi, Ferrariensi, Burdegalensi, & in nouissimo Treuerensi, vt in lib. Ordinis legitur. Cum autem in posterioribus Capitulis nulla de ipso mentio facta inueniatur, ideo suspicamur hoc anno, vel circiter è vita migrasse. De eo agit Biscarretus in suis *Palmitibus vineæ Carmeli*, & dicit eum fuisse Nobilem Panormitanum, insignem,ac doctum; & Regi Siciliæ gratissimum. Ioannes de Vigintimillio.

6 Pariter inter Illustres Religionis Alumnos connumeramus his annis Doctorem Thomam de Padua, qui, vt in sequentibus dicemus, simul cum B.Petro Thoma ex primis Collegij Theologi Bononien. fundator fuit,& vocatur in prædicto libro Bononiensis Collegij *Textualis insignis,& eloquentia clarus.* Dubitari potest an idem sit cum Thoma de Medices,qui in Capitulo Mediolanensi anno 1345. Bononiæ Prouinciali designatur. ordinatus tamen fuit ad Legendum Biblia Parisijs pro anno primo in Capitulo Generali Metensi Anno 1348. Thomas de Padua.

7 Præcipue tamen in Religione florebat Magister Tilmanus de Aquis, sic vocatus à Conuentu Aquensi, natione Teutonicus, & Prior Prouincialis inferioris Alemaniæ. Sacrarum litterarum fuit hic insignis Professor, ingenio præstans, clarus eloquio, ac declamator Sermonum egregius. Ordinatus fuit ad legendum Sententias Parisijs pro secundo anno, & pro primo ad lecturam Bibliorum in Capitulo generali Tholosano anno 1351. Deinde in Capitulo Generali Burdegalensi anno 1358. denunciatur Prouincialis Germaniæ Inferioris. Vocatur ibi Tilmanus de alto lapide; quo denotatur hoc esse proprium cognomen ipsius. Illud vero de Aquis, appellatiuum, à Conuentu nempe Aquensi. Præterea in Capitulo Generali proximæ anno præcedenti Treueris celebrato; vocatur etiam Prouincialis eiusdem Germaniæ Inferioris, & titulo Magistri nominatur. Scripsit super Sententias *libros quatuor*. In Euangelium Sancti Matthæi Lecturam notabilem, quam Coloniæ in Conuentu, publico legit,*librum vnum*. Sermones quoque alios, ac quædam alia. Dicitur claruisse anno Domini 1370 Tilmanus de Aquis.

quia tamen post prædictum Treuerense Capitulum anno præcedenti habitum, nulla vlterius de ipso mentio in libro Ordinis reperiatur, ideo huic tempori illum ascribimus. De ipso agunt Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Sixtus Senensis *lib*. 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, illum multum commendans, quod fuerit præstans ingenio, diuinis, & humanis litteris excultus, Lectoremque Coloniensis Academiæ vocat. Petrus Lucius in *Bibliotheca Carmelitana*, Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*. In Speculo Ordinis inter Doctores famosos Germanos refertur quidam Ioannes de Aquis, de quo dicitur scripsisse super Sanctum Mathęum, ex quo elicitur hunc nostrum Tilmanum esse ibi, per errorem, Ioannem nuncupatum; De eo etiam Biscarretus, eum vocans Doctorem Parisiensem.

Petrus de Turribus.

8 Inter claros etiam huius temporis, & Ordinis nostri Alumnos censemus Petrum de Turribus, natione, vt apparet, Gallum. Hic sæpius in lib. Ordinis nominatus inuenitur. Primo in Capitulo Lugdunensi anno 1342. Lector Biblicus Parisijs pro secundo anno. In Capitulo Generali Mediolanensi anno 1345. Lector sententiarum etiam Parisijs, pro tertio anno, & in Capitulo Metensi anno 1348. Lector sententiarum Parisiensis pro primo anno. Item in Capitulo Generali Tholosano anno 1351. & in sequentibus Perpiniacensi, & Ferrariensi Prouincialis Prouinciæ describitur, Ac demum in proximè celebrato Treuerensi Regens in Curia Romana, & Magister nominatur. Ex quo insignem illius ætatis fuisse virum credimus, etsi quæ scripserit ignoremus.

Arnaldus TrenKa.

9 Arnaldus TranKa, qui in pręcedenti Capitulo Generali Prior Tholosani Cœnobij vocatur, Procurator Ordinis denunciatur in Capitulis Generalibus Tholosano anno 1351. Perpiniacensi anno 1354. Ferrariensi anno 1357. & Burdegalensi anno 1358. Vnde inter claros viros Ordinis nostri pro illa tempestate illum censemus, cum Biscarreto in suis *Palmitibus Vineę Carmeli*.

Ann. Christ. 1364. Vrbani 5. Roman Pontif. 2. Caroli 4. Imperat. 19. Palęolog. Imperat. Orient. 24. Ioan. Balistarij Generalat. 7.

Huius anni casus.

1 Oritur hoc anno Ioannes Francorum Rex, Londini existens, quo perrexerat, vt è potestate Anglorum duos ipsius liberos, & alios Regij sanguinis Principes, qui in Anglia obsides manebant, inuiseret. Pontifex propterea Petrum Regem Cypri classis contra Infideles Imperatorem constituit. Obijt etiam Cardinalis Talayrandus Legatus Apostolicus per eo Sacro bello designatus, & propterea etiam Pontifex de nouo Legato prouidere volens, nostrum Beatum Petrum Thomā ad hoc munus assumpsit. Bzou. Odoric. Vvading. *in vit. B. Pet. Tho. n.* 30.

Monuit

2 Monuit idcirco Pontifex Regem Cyprium de Legatione Beato Petro Thomæ commissa, & causam Legationis in litteris expressit dicens. *Considerantes zelum fidei, scientiæ donum, & circumspectionis industriam, aliaque multiplicia virtutum merita Venerabilis fratris nostri Petri Patriarchæ Cõstantinopolitani, Apostolicæ Sedis Legati, olim in vltra marinis partibus laudabiliter comprobata; eum de negotijs, & statu earundem partium, in quibus dictæ Sedis Legatus extitit, plenariè informatum; & prout per experientiam nouimus, tuæ sublimitati acceptum, &c.* Vvadinghus *supra.* Extat hæc Epistola apud ipsum *in Appendic. num.* 23. Litteræ Papæ Vrbani

3 Ne tamen quis miretur, tot, tantaque, ac sic grauissima negotia vni Petro Thomæ à Summis Pontificibus commissa; sed potius agnoscat incomparabilem ferè virum fuisse hunc nostrum Carmelitanum, ita vt pauci fuerint, qui in similibus eidem æquiparari possint, audiendus Odoricus, qui sub hoc anno *num.* 24. de eo sic loquitur, aliqua ex prædictis, non omnia simul congerens. *Dei Vicarius in locum Talayrandi, cui insigniendarum Crucis symbolo copiarum demandata erat Prouincia, Beatum Petrum Thomam Carmelitani Ordinis, bellique huius Sacri authorem ex Cretensi Archiepiscopo creatum Patriarcham Constantinopolitanum subrogauit. Clarissimum doctrina, sanctitate, miraculis, gestisque Apostolicis Legationibus; modo ad Neapolitanum Regem, vt salubria consilia suggereret; modo ad Rascium, vt schisma extingueret; nunc ad Vngarum, vt illi Romanæ Ecclesiæ vexillum ad fidei hostes proterendos traderet; modo ad Veneros, vt pacis consilia ipsis suaderet: modo ad Imperatorem Constantinopolitanum, vt coniunctionem Orientalis Ecclesiæ cum Romana promoueret: nunc in Asiæ, & Europæ fines, vt Turcas, Schismaticos, atque Hæreticos comprimeret: nunc in Italiam, vt tyrannos ad officium, ac pacem reuocaret. In quibus tanta laude se gessisse refert illius vitæ auctor, vt Pontifex cælestem in eo virum admiratus, honorum incrementa ei detulerit.* B. Petri Thomæ eximia virtus

4 Antequam autem de ipsius Patriarchatu loquamur, de laboribus, quos Petrus noster pro Italia pacanda perpessus est, sæpius ad Romanam Curiam eundo, cum eius fidelissimo socio Philippo de Mazzerijs, fidelissimo quoque eius vitæ Scriptore, sic dat Odoricus *supra num.* 6. ipsius Mazzerij verbis. *Foret referre difficillimum quot labores susceperit, quas operas posuerit, quam fortiter, & quanto animo se gesserit* Bononiæ, *Venetijs, & alijs pluribus in locis, tuendis Ecclesiæ partibus, multis se exponens vitæ periculis, & casibus: quorum aliquot ad maiorem Dei gloriam, & honorem eius Sancti referemus. Namque Principes bene multi, castellani, & tributarij, desiderantes continuari bellum, & ex eo viuentes, quærebant nos quotidie interficere. Cum aliquando de Castro ad Castrum transiremus: ecce triginta circiter Vngari, & alij tributarij, qui pacem abhorrentes, & à nobis vindictam sumere volentes, incitatis equis ex improuiso, incursionem in nos fecerunt, districtis ensibus, & micantibus gladijs, vt nos perimerent: sed Beatus Petrus Thomas spem omnem in Deo reponens firmior, & constans restitit. Tum versus ad hostes grauiter eis dixit quid vultis? Ipsi vero hanc vocem audientes, quasi de cælo percussi; gladios* Quot labores perpessus

subito in vaginas recluserunt; & sic nos dimiserunt retrocedentes. Subiungit item. *Accidit sepius, dum belli horror vehementius ingrueret, quod nos precedentes, & equitantes per medias hostium acies armis omnibus destituti, vt pacem tractaremus, videremus continuo ante, & retro spoliatos homines, & suo sanguine cruentatos, & tamen per medios illorum transibamus ab omnibus periculis immunes per merita* Beati Petri *Thomæ*. Concludit præterea. *Tandem ex multis casibus, & dispendijs diuinitus ereptus, multis petitus insidijs spiritualibus, & corporeis, plerisque perfunctus laboribus, & ærumnis, pluribus probris oneratus, dum procuraret vnitatem Ecclesiæ, & pacem, interclusosque Terræ Sanctæ aditus aperiendos, in Curiam Papalem redijt, et a Cardinalibus, et amicis, tanquam è cælo progreßus exceptus est. Summus Pontifex ad eius aspectum valde gauisus est, laudans magnopere, probansque labores eius, et opera.*

de Bononia restituta.

5 Id quod iste author dicit de laboribus à Beato Petro Thoma susceptis, & operibus positis magno animo Bononiæ *pro tuendis Ecclesiæ partibus*, alludit ad id, quod dicebamus anno præcedenti de Bononia Papa restituta opera Beati Petri Thomæ. Ad quod maximè facit id, quod Odoricus hoc anno *num 3. 4. et 5.* refert de pacis fœdere sancito cum Bernabone, qui in illis partibus Bononiæ bellum contra Papam gerebat, & potens valde erat: ex Actis, & publicis documentis extractis ex Arce Sancti Angeli; & Tabulario Vaticano apud ipsum Odoricum. Ex eis enim habetur huiusmodi concordiæ interpretes fuisse Imperatorem, Reges Franciæ, Vngariç, & Cypri, medijs suis Ambaxiatoribus, & quod Ambaxiatores Regis Cypri fuerint Petrus Archiepiscopus Cretensis, & eius indiuiduus Comes Philippus de Mazzerijs (sic ibi vocatus) de quibus dicitur; *Qui ad Romanam Curiam propterea pluries accesserunt, et redierunt abinde.* Merito ergo dici potest nostrum Petrum cooperatorem fuisse Bononiæ Papæ restitutæ. Vnde Odoricus *supra num 6.* prædictis relatis adiungit. *Quod vero in ijs de Petro Cretensi Archiepiscopo pacis interprete fit mentio, non præterimus fuiße illum Beatum Petrum Thomam Carmelitam, sanctitate, et rebus in Oriente gestis celeberrimum.*

De pace tractata.

6 Clarius id constat ex sæpius relato Philippo Mazzerio, qui in eius vita cap. 12. apud relatum Bollandum multa dicit de huiusmodi pace procurata, & obtenta cum Bononiensibus, media industria, & solicitudine eiusdem Beati Petri: scribit enim ad eam tractãdam missos fuisse à Rege Franciç duos Ambaxiatores egregios Viros: & pro parte Regis Cypri duos alios, videlicet B. Petrum Thomam, & eius Socium ipsum Philippum Mazzerium eiusdem Regis Cancellarium; eosque venisse Mediolanum, vbi erat Barnabous, cum quo pax tractanda erat. Ab ipso benigne susceptos; & eius cognita intentione, ad eam communicandam cum Ægidio Cardinali Hispano Papæ Legato, & Romandiolæ commorante, illuc accessisse, ac eius habita responsione, iterum Mediolanum ad Bernaboum redijsse. Pergit etiam referre casum, Dei prouidentia, & Beati Petri Sanctitate condignum, quod videlicet in pacis Tractatibus Franciæ Ambaxiatores, valde

valde de Regis Franciæ Maiestate præsumentes, tum Regem Cypri, tum eius Ambaxiatores nostrum Petrum, & eundem Mazzerium, vilipendentes, despicientes, ac nihil de ipsis curantes, pacem concludere non potuerunt, sed desperati de ipsius conclusione, & de Barabo male contenti in Gallias reuersi sunt. Petrus autem noster, & Mazzerius, cum Mediolani permansissent, infra duos dies à Barnabo, antea furibundo, & multa mala contra Ecclesiam machinante, clam vocati, ab eo audierunt: *Nunc audacter mecum de pace loquimini*. Cum autem Beatus Petrus, qui ad Deum per crebras orationes pro bono successu sæpius recurrerat, & in spiritu humilitatis Mediolani remanserat, *non verbis humanis, sed per os Sancti Spiritus, velut quidam Angelus Dei* (sic loquitur Mazzerius) Barnabo pacem suasisset, adeo vt dixerit: *Libenter vos audiui, et pacem omnino cum Ecclesia, subditus, et fidelis deinceps sibi esse volo. Eatis ad Cardinalem statim, et pacem tractetis, guerram meam, et pacem meam in manibus vestris pono*, Tunc igitur Beatus Petrus, modo ad Cardinalem, modo ad Barnabum, eundo, & redeundo; modo ad Curiam, postea Bononiam remeando, pax conclusa fuit, Bononia remanente in manibus Ecclesiæ. Hæc ex Mazzerio compendiosè accepimus, ad honorem Beati Petri Thomæ, & Religionis Carmeli, cuius ipse filius erat. Præsertim, quia, vt ipse Mazzerius subiungit. *Non reducitur ad memoriam alicuius viuentis, pacem in Lombardia, tantum vnquam durasse, sicut præsens pax à Rege Cypri desiderata, et à Patre meo* (sic vocat crebrissimè Beatum Petrum Thomam) *nomine ipsius tractata, et me præsente confirmata*.

7 Prosequitur idem Mazzerius in vita eiusdem B.Petri Thomę cap. 13. plura pericula mortis ob dictam pacem procuratam eidem contigisse à maleuolis, non pacem, sed bellum desiderantibus. Eo præsertim, quod cum pace confirmata, & Bononia, præcepto Papæ in manibus Beati Petri Thomæ, & Mazzerij Cancellarij vice Regis Cypri posita esset, plures Bononienses, qui de bello viuebant, ad ipsos occidendos incitati sunt: eo falsissimo prætextu euulgato, quod Ciuitatem tradere vellent Barnabo: quo in vitæ certissimo periculo Beatus Petrus Thomas, Missa deuotissimè celebrata, & concione ad populum habita, sic eum composuit, vt quidam legum Doctor publicè ab eo nomine populi veniam petierit. *O quam bonum est sperare in Domino, mandata eius seruare, et in Deo ponere spem suam*, exclamat idem Mazzerius *cap.* 14. dum Dei beneficia suo seruo Petro Thomæ collata considerat: ea præsertim, quæ modo referimus. Alia de ipso

8 His ergo omnibus, & alijs, quæ prætermittimus, à Pontifice ritè cognitis, agnoscens etiam in Petro nostro diuinam virtutem elucere, ex sententia Cardinalium Patriarchatum Constantinopolitanum ipsi contulit, & præterea illi adiecit Coronæ, & Nigropontis Ecclesias ad vitæ sustentationem. Sic Mazzerius relatus, & ex eo Odoricus *supra num.* 24. Vvadinghus, & alij ipsius vitæ Scriptores. Nota errasse aliquos ex nostris, qui Beatum Petrũ vocant Alexandrinum Patriarcham; cum non nisi Constantino- Constantinopolitanus fit Patriarcha.

tinopolitanus fuerit. Erroris ansam præbuit, quod Patriarcha Constantinopolitanus cum esset expugnationi Alexandriæ, vt Apostolicus Legatus interfuerat, vt dicemus.

Legatus Terræ sanctæ.

9 Nec his contentus Pontifex, Legatum eum constituit Apostolicum pro passagio Terræ Sanctæ procurando, & subsidio Petri Regis Cyprij, & aliorum transfretantium. Habetur Epistola in Archiuio Vaticano in Registro Vrbani Quinti anno secundo, *num.* 62. *fol.* 27. Cuius titulus est, *Venerabili fratri Petro Patriarchæ Constantinopolitano, Apostolicæ Sedis Legato, salutem, & Apostolicam benedictionem.* Initium vero sic: *Ad hoc sumus in eminenti Sedis, &c.* In discursu autem Epistolæ, cum Pontifex retulisset, quod causa recuperandi Terram Sanctam de manu Agarenorum, qui à prædicto Petro Cypri Regis quadamtenus confracti, & humiliati erant, passagium generale Crucesignatorum indixisset sub Talayrando Albanensi Episcopo Legato, & Ioanne Rege Franciæ Capitaneo, & Rectore ipsius passagij, & prædicti Episcopus, & Rex viam vniuersæ carnis ingressi essent, & dictus Rex Cypri quam primum vellet contra Turcas transfretare. *Nunc* (inquit) *attendentes, quod vrgens, et euidens prædictarum vltramarinarum partium, quas fideles inhabitant, necessitas exigit, ad eas à nobis destinari Legatum, qui vice nostra dirigat, & disponat negotium passagij prælibati, & ad te virum vtique morum honestate conspicuum, Religione probatum, ac præclarũ scientia, humilitate sublimem, mansuetudine generosum, multa prouidentia circumspectum, & in lege Domini, ipsaq; fide Catholica admodum eruditũ, qui alias commissum tibi in partibus illis Legationis officium laudabiliter exercuisti, nostræ considerationis intuitum dirigentes, deliberatione super hoc cum fratribus nostris præhabita diligenti, tibi in Patriarchatu Constantinopolitano, ac Regno Cypri, & in Cretensi, Lymernensi, Patracensi, Athenensi, Thebano, Corinthiensi, Collossensi, dicto Rhodo, ac Nixiensi, Carphiensi, Duracensi, Neopatensi Archiepiscopatibus, & eorum dicti Patriarchatus, Prouincijs, & alijs vltramarinis partibus, ad quas per nos est indictum passagium supradictum pro subsidio eiusdem Regis Cypri, & aliorum transfretantium ad Christi fidelium partes, eiusdem plenæ Legationis officium auctoritate Apostolica de dictorum fratrum consilio committimus per præsentes, vt ibidem, auctore Domino, rectè gerens, & dirigens, indirecta, & aspera conuertens in plana, sicut diligens cultor euellas, & disperdas, ædifices, atque plantes, &c.* Et infra: *Præsentium tibi auctoritate concedimus, vt in Patriarchatu, ac Regno, Archiepiscopatibus, Prouincijs, & Terris supradictis, supra huiusmodi, ac vniuersis, & singulis alijs negotijs, de quibus expedire videris, agere, disponere, statuere, ordinare, ac præcipere, & inter Imperatores, & Reges, &* Principes, *aliasque personas Ecclesiasticas, & sæculares in ijsdem partibus consistentes, ad vtilitatem, commodum, & effectum negotiorum ipsorum, fœdera, & confœderationes, societates, seu vniones, statuere, Ordinare, firmare, & facere, & per te, vel alium, seu alios quacumque auctoritate functos initas, tractatas, seu firmatas, approbare, & executioni mandare, ac mandari facere; & inter dissidentes, & discordes, pacem, & concordiam reformare, treguas,*

treguas, seu inducias inire, & firmare, ac reformatas, initas, & firmatas obseruari facere, necnon contradictores, & rebelles cuiuscunque dignitatis, & status, vel conditionis existant, etiam si Episcopali, vel Maiori, aut Regali, vel Imperiali præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censurã Ecclesiast. appellatione remota compellere valeas, fraternitati tuæ plenam, et liberam tenore præsentiũ concedimus potestatem; non obstantibus, &c. Dat. Auinione 6. Idus Iulij anno 2. Habetur etiam hæc Bulla per extensum apud Vvadinghum in Appendice litter. Apostolic. Bulla 22. & apud Odoricum *supra num.* 24.

10. Fuit hæc Legationis commissio B. Petro Thomæ data amplissima, & maximis priuilegijs ornata, vt patet ex Epistolis eiusdem Vrbani in Registro Archiu. Vaticani, præsertim Epist. 63. 64. 65. 69. & fol 27. 28. 88. 90. 91. vbi illi conceditur facultas confessiones suorum omnium, aliorumque in illis partibus audiendi, aliosque ad audiendum approbandi, celebrandi, & faciendi celebrare ante auroram, compellendi Religiosos quascunq; Mendicantes, qui propter quędam ipsis concessa priuilegia eum à Legationis suæ functione impedire vellent, absoluendi ab hæresi, excommunicatione, illegitimo Matrimonio, alijsque Casibus reseruatis, habitandi cum hæreticis, dandi Tabellionatus officium octo Clericis, prouidendi Ecclesijs ab ipso recuperatis, & recuperandis, in dictis partibus, celebrandi in locis interdictis, &c. Scribit insuper Pontifex super hoc negotio ad Archiepiscopos, Episcopos, & subditos omnes Patriarchatus; ad Duces, Marchiones, Comites, Principes, & Superiores Religionum, &c. Scripsit etiam idem Pontifex litteras ad Regem Cypri monens eum de Legatia Beato Petro commissa, illumque ipsi commendans: licet, vt inquit, id *expedire non credamus*. Odoricus autem ait etiam commendasse Laurentio Celso Venetorum Duci, Amedeo Comiti Sardiniæ, & pluribus alijs Principibus, & Præsulibus Orientalibus. Vt merito proinde existimari possit Legationem hanc Beato Petro commissam solemnissimam fuisse. — Legatio amplissima.

11 Nouit Bzouius sub anno 1365. *num.* 5. amplissimam hanc Legationem Beato Petro Thomæ concessam, sed eam nimis strictim tractat, & pro anno sequenti reponit, quæ in anno præsenti acciderunt. Subiungitque ipsi Beato Petro mandatum fuisse, vt Ioanni Palæologo Imperatori vnionem Ecclesiarum commendaret, referens Epistolam Papæ ad prædictum Ioannem. — Alia de ipso

12 Factus ergo Beatus Petrus Byzantinorum Patriarcha, & Sedis Apostolicæ Legatus pro Terra Sancta recuperanda, venit Venetias, vbi multis honoribus, & magnificentia exceptus ad transfretandum necessaria parabat, donec, Diabolo excitante, quæ anno sequenti referimus, eueneret. — Aduentus Venetias.

13 Huic tamen tempori prius ascribendum egregium aliud opus à Beato Petro Thoma Bononiæ patratum, quo sui immortalem memoriam posteris commendauit. Cum enim Innocentius Sextus, Vrbani Quinti tunc regnantis prædecessor, in Bulla *Lignum vitæ* anno 1360. edita; quæ — Alia gesta

extat

extat in Bullario Laertij inter Bullas huius Pontificis *num.* 2. statuerit, vt in Bononiensi Vniuersitate, seu studio generali, Theologicæ etiam facultatis scientia doceretur, & perpetuis temporibus vigeret, hoc anno, quo negotia illius Ciuitatis, industria etiam nostri Petri Thomæ magis pacata erát studium Theologiæ, & facultatis Theologicę institutum est, primo fundatore cum alijs existente eodem Beato Petro Thoma, prout ex monumentis eiusdem Vniuersitatis, seu Collegij hausit Petrus Thomas Sarracenus *in vita Beati Petri Thomæ num.* 12. *&* 13. & ex eo Pater Vvadinghus *in notis ad vitam Beati Petri Thomæ num.* 14. etsi aliquibus demptis, quæ in dicto Sarraceno sunt. Cuius hæc sunt verba. *In libro Collegij Theologorum Bononien. post multa hæc alia sequuntur. Huius rei fama per Vniuersum volante, tempore Reuerendissimi in Christo Patris, et Domini D. Androini Cardinalis Cluniacensis,* Bononiæ, *et in Ciuitatibus Ecclesiæ in Italia constituti Apostolicæ Sedis Legati, atque Venerabilis in Christo Patris, et Domini, Domini Aymerici* Bononiensis *Episcopi nostræ SacræTheologiæ facultatis dignissimi Cancellarij, ad fundandum, & inchoandum* Bononiense *Studium* Theolgicæ *facultatis, ex diuersis mundi partibus huc accesserunt Viri Sacræ lectioni dediti, & in lege Domini eruditi, Doctores vtique Theologi, scientia, moribus, & virtutibus insigniti, quorum Magistrorum nomina digna memoria sunt ista.* 1. *Magister Petrus Thomas, natione Aquitanus, tunc Dei gratia Patriarcha Constantinopolitanus, Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, miraculis clarus.* 2. *Magister Vgolinus de Vrbeueteri, Doctor acutissimi ingenij, Ordinis Heremit. Sancti Augustini.* 3. *Magister Franciscus Adriani* Bononien. *Vir Angelicæ vitæ, Ordinis Minorũ.* 4. *Magister Thomas de Padua* Textualis *eximius, & eloquentia clarus, Ordinis Carmelitarum.* 5. *Magist. Thomas de Fregnano de Mutina, Doctor vtique moribus insignitus, & fidei zelator intrepidus, Ordinis Minor.* 6. *Magist. Petrus Monachus Dumacensis, Domini Cardinalis Cluniacensis Auditor, & socius commensalis.* 7. *Magister Ioannes de Podio Doctor speculatiuus, & hæreticorum malleus, nunquam fessus Ordinis Prædicatorum.* 8. *Mag. Bonau. de Padua, Vir tam diuinarum, quam sæcularium litterarum Commentator præfulgendus, Ordinis Heremitarum.* 9. *Magister Ludouicus de Venetijs vrbanę eloquentiæ Pater, nec habens quidquam rusticitatis admixtum, Ordinis Minorum. Hi omnes veluti nouem Musarum imitatores Almam Theologorum facultatem, & Vniuersitatem instituere, quorum omnium antesignanus est Dominus Petrus Thomas Ordinis Beatę Marię de Monte Carmelo.* Hucusque Sarracenus.

Bononiense Cœnobium

14 Hinc Bononiense Collegium, S Martini nuncupatum Ord. nostri, & Congregationis Mantuanę, eidem Beato Petro Thomæ, tanquam primo fundatori, & Thologici studij institutori, ac Protectori, quotannis prima Dominica post octauam Epiphaniæ, habita oratione, & pulchra Theologicæ disputatione festum celebrat, ex decreto Sac. Congregationis Rituum 20 Decemb. 1614. sub Cardinali Gallo. Insuper in eiusdem Illustrissimæ Congreg. Mant. Constitutionib. c. 16. §. 13. ad perpetuam hujus fundationis memoriá statutum est, nullos posse ad Magisterij gradum promoueri, nisi prius

fuerint

fuerint collegiati in Vniuersitate Bononiensium Theologorum. Sic ferme Petrus Thomas Sarracenus in vita Beati Petri Thomæ. §.14.

15 Placuit ad intentum, quæ impius alias Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ, Centuria quarta*, loquens de Beato Petro Thoma tempore Innocentij Sexti dixit, referre. *Per Petrum Thomam Aquitanum Carmelitam, huius Pontificis Legatum Bononia in eius potestatem venit, qui et illuc Theologiam Sorboniacam primus adduxit, illi propterea Pactensem, Militensem, atque Coronensem Episcopatum, Cretensem Archiepiscopatum, ac tandem Constantinopolitanum Patriarchatum dedit.* Quibus sanè vera falsis admiscet hæreticus homo. Quod etenim Beatus Petrus Thomas Innocentij 6. Legatus fuerit, ex dictis compertum est: quod Bononia in eius potestate ipsius opera venerit, eatenus, vt verum accipiendum, quatenus ipse sua auctoritate, grauitate morum, & vitæ honestate, maximè cum Cardinalibus Ægidio, & Androino Legatis ad id cooperatus fuerit, maximè tempore Vrbani Quinti, iuxta dicta in superioribus. Quod Innocentius Petrum nostrum Pactensem, Lyppatensem (non Melitensem, vt Balæus dixit) ac Coronensem, Episcopum fecerit, liquet ex dictis. Archiepiscopum Cretensem, & Patriarcham Constantinopolitanum, non Innocentius, sed Vrbanus Quintus illius successor eum constituit. Quod Bononię Theologiam Sorboniacam primus adduxerit, prout Balæus loquitur, iam patet ex dictis quomodo accipiendum. — Impij Balæi

16 Ad alia gesta Papæ Vrbani circa Ordinem nostrum redeundo, hoc eo anno, qui secundus erat Pontificatus ipsius, confirmauit, & approbauit Indultum Innocentij Sexti, Ordini nostro concessum, de celebrando tempore interdicti generalis, quod retulimus ann. 1360. Habetur Bulla in Speculo Ord fol.64. pag 2. Vide, quæ circa hoc, vel simili priuilegia diximus *tom. 5. Quæst. Regular. in Mari Magno Carmelitar. circa* §.50. — Vrbani Papæ gesta.

17 Quo etiã anno, prima Sede relicta, in qua Patres nostri Papię habitare ceperant ab anno 1298. nouam adquisierunt in Ecclesia SS. Faustini, & Iouita. Hieronymus Bossus *in Annalibus Sacris Papiæ*. — Papien. Conuentus.

18 Insuper eodẽ ann. PauloPolitanum Cœnob. extructum fuit à Ioan. Britonũ Duce, prout ex Leone à S. Ioan. delineatione Obseruantiæ Rhedonen. c. 19. habemus. Cœterũ primò fundatum fuisse sub an. 1348. ex inscriptione, quam idem Leo affert, elicitur, quæ talis est: *Reuerendissimo Gullielmo Oceserois in Episcopatu Leonensi sedente, Ioannis Quarti, & Mariæ eius vxoris, Britaniæ Ducis, & Ducissæ temporibus; anno millesimo trecentesimo quadragesimo octauo S. Pauli Leonensis Carmelus fuit fundatus.* Renouatum postea liberali Ciuium collatione, quam expromit inscriptio hæc in propilæo descripta. *In honorem Dei, & B. Mariæ de Monte Carmelo, Ioannes quartus Dux Brittanniæ me fecit, & singulari erga me, Cleri, Nobilium, & Populi affectu, Ludouicus XIII. Galliæ, & Nauarræ Rex Christianissimus, me, iam vetustate, & temporis iniuria collapsum, à fundamentis reuocauit; Sanctissimo Paulo Quinto Ro-* — Cœnobium Paulopolitanum.

mano Pontifice, Reuerendissimo Renato de Rieux Leonensi Episcopo, fratre Petro Maillard. humili Prouinciali Turoniæ, & huius Conuentus Priore, octaua April. 1610. Alia apud eumdem Leonem.

Conuentus Tarragæ.

19 Conuentus insuper Oppidi de Tarraga in Cathalonia, hoc anno institutus dicitur; & nonnullis priuilegijs à Regibus Aragoniæ ipsi concessis gaudere. Ecclesia etiam Monasterij ab Oppidanis, & circumuicinis, ob Deiparæ Virginis Carmelitarum deuotione valde frequentata. Ex Relatione Prouinciæ.

S. Alberti miraculum.

20 Hoc quoque anno insigni claruit miraculo noster Sanctus Albertus Drepanensis; ex quo absdubiè ortum habuit celebris illa çunsuetudo per Orbem inualescens, Reliquias eiusdem Sancti Alberti aqua intingendi, eamque in potum ægris dandi. Casum ex Manuscript. Vaticano vitæ eiusdem Sancti Alberti sic damus. Anno Domini 1364. *Dom. Rex Fridericus Regis Petri filius Regni Siciliæ, infirmitate mortali grauatur, ita quod à medicis mortuus est deputatus. Consanguinei ipsum vouerunt Ordini; videlicet, quod habitum ferret tribus annis, si Deus eum liberaret meritis Beati Alberti. Super eum imponunt dicti Sancti Reliquias; aquam tactam dictis Reliquiis tradiderunt ei potandam. Quam cum potasset cognouerunt medicinalem fuisse suæ salutis; & sic secunda die liberatus, de lecto prosiliit: votum confirmat; & habitum pertulit aliquibus diebus, secundum Ordinem dispensatus.* Ferè eadem Petrus Sarracenus *in Menolog. Carmelitarum in vita S. Alberti.* Legenda, quæ de aqua Sancti Alberti diximus sub ann. 1307.

Ann. Christ. 1365. Vrban. 5. Roman. Pontif. 3. Carol. 4. Imper. 20. Palæolog. Imper. Orient. 25. Ioannis Balistarij General. 8.

Imperatoris aduentus.

1 Enit hoc tempore Carolus Imperator ad Papam Vrbanum Auenione agentem, de grauibus negotijs Ecclesiæ acturus; nimirum de instauranda in Asia Religione, & armis contra Turcas vertendis. Exceptus est honorificè à Papa, & Cardinalibus, ac in Sacro festo Pentecostes Imperialibus insignibus redimitus, operante diuinis mysterijs Pontifice, piè interfuit. Odoricus ex alijs. Præcipua tamen negotia Christianitatis hoc tempore per nostrum Beatum Petrum Thomam Patriarcham Constantinopolitanum, & Apostolic. Sedis Legatum, gerebantur; ideoque ad ipsum calamus vertendus. Si tamen alterius in Carmelitana familia eiusdem Beati Petri commilitonis, scilicet Sancti Andreæ Corsini gesta commemoremur, dum in suo Fesulano Episcopatu versaretur: quæ huic anno attribuimus, certum tempus, quo contigere, non habentes.

S. Andreæ gesta.

2 Ergo Laurentius Surius in vita eiusdem Sancti Andreæ Corsini sic scripsit:

scripsit. *Consueuerat vir Dei qualibet quinta feria, in memoriam Dominicæ humilitatis, pauperibus pedes lauare. Accidit, vt quidam ex mendicis illis Episcopo resisteret, ne pedes eius ablueret. A quo, cum causam Andreas peteret, inquit ille; crura mea morbo in putredinem versa timeo ne Excellentiæ tuæ stomachationem inferrent. Cui ait Episcopus: Confide fili in Dominum Iesum Christiani, et infusa aqua in peluim, pauperis crura lauare cepit. O rem mirandam! ille crura lotus, statim morbo solutus est.* Subiungit idem Surius. *Consueuerat noctu post matutinale Officium, vno tantum ministro comite, visitare Ædem, siuè Ecclesiam, quę vulgo Abbatia dicitur, non longe à Metropolitana Ecclesia. Factum est, dum redirent, parietem ex transuerso in via ædificatum inuenerunt. Qua re perterritus minister dixit: Pater Reuerende, quis hic tam cito parietem construxit? Cui (inquit Andreas) Oremus, ne intremus in tentationem, et prostrati in terram cantauerunt Psalmos, Deus in adiutorium, et Domini est terra, etc. et oratione facta paries euanuit.* Sic, sic, Deus amici sui Andreę Sanctitatem signis demonstrabat.

3 Ad Beati Petri Thomæ gesta reuertentes, cum Venetijs Orientem transfretaturus maneret (vbi plures ad bellum Sacrum excitauit; etsi plerique ob moram Regis Cypri discessissent, & Principes Occidentales auxilia pro bello Sacro negassent; prout narrat idem Mazzerius *in vit. B. Petri Thomæ cap.* 14. maximè cum Diaboli instinctu progressus Christianorum in Terra Sancta impedire nitentis, discordia inter Regem Cypri, et Ianuenses oriretur, bellumque ingrueret) Pontifex datis litteris sub hoc anno decimo Kalendas Martij in Regist. Archiuj Vaticani Vrbani Quinti anno tertio fol. 50. & apud Vvadinghum *in Appendic. Bulla* 24. ipsi mandat quatenus pro sedandis discordijs prædictis ad Ianuenses ex parte ipsius Pontificis se transferat. Scripsit etiam ad Petrum Regem Cypri supra fol. 50. & ad Gabrielem Adurnum Ianuensium Ducem pro eadem concordia fol. 51. Quæ litteræ etiam extant apud eundem Vvadinghum *supra Bulla* 25. *et* 26. Post quę 7. Kalendas April. eiusdem anni iterum scripsit eidem Beato Petro Thomæ, monens litteras prędictas missas illi fuisse ad manus Guidonis Archiepiscopi Ianuensis, & quod modo ex noua causa schedulas quasdam in præsentibus litteris ei mittit. Et concludit. *Quare* (si quod absit) *huiusmodi pax, et concordia per te in partibus illis non valeat expediri, volumus, et tua fraternitati mandamus, quod tam Nuncios, et Procuratores eiusdem Regis, quam dictorum Ducis, et Communis cum plenis ad hoc mandatis, procures ad nos celeriter accessuros, tuque cum eis venias, si commode possis, et videas expedire, alioquin nobis notifices, quicquid in dicto negotio per nos tua circumspectio nouerit faciendum. Datum Auinione, etc.* Extant hę litterę in Registro prout supra. — Beati Petri Thomæ.

4 Genuam ergo iuxta Pontificis mandatum Beatus Petrus Thomas venit, & licet primò malè exceptus, nam plures contra Cypri Regem indignati in aliquos de familia Beati Petri lapides coniecerunt, itaut ipse in cuiusdam Cœnobij Capellam confugere compulsus fuerit: postmodum — Venit Genuam.

vero negotium cum Duce tractaturus Palatium conscendit, eumque, ac Senatum mira dexteritate, efficaciumque pondere rationum, pauco interiecto tempore ad pacem cum Rege conciliandam induxit. Venetias ergo reuersus est. Quia tamen, illo abeunte, iterum recrudescere ceperant Ianuæ ijdem rumores, ideo iterum illo reuerti cogitur à Papa, binis litteris datis, apud Vvadinghum *supra Bulla* 27. *&* 28. vbi rem omnino conclusit, intercessioni Beatissimæ Virginis, huius, & aliorum negotiorum faustam expeditionem referens. Mazzerius *in vita Beati Petri Thomæ c.* 15. Odoricus *hic num.* 18, afferens litteras Papæ ad Regem Cypri congratulantis ipsi de concordia inter ipsum, & Ianuenses, media opera Beati Petri Thomæ inita; illum ad bellum Sacrum animantis, & prospera augurantis. Notet tamen lector, quod regressus ille secundus è Venetijs ad Genuā à Vvadingho commoratus non immerito dubius est Bollando *in annot. ad cap.* 15. Mazzerij, cum nec ipse Mazzerius de illo aliquid dicat, & tempus, quo Genuæ mansit, non id petat.

Alia eiusdē Petri.

5 Commissum præterea eo tempore ab Vrbano Papa Beato Petro Thomæ fuit, vt moneret Imperatorem Græcorum, ne matrimonium inter Ioannem Lascari, & Mariam Cantacusenam Imperatoris neptem impediret, prout faciebat. Datis litteris 14. Kalendas Maij. Bzouius hic *nu.* 6. Quia tamen huius Legationis memoriam non videmus in Mazzerio, Vvadingho, aut Odorico, qui Bullas Archiuij Vaticani viderunt; nec nos illas euoluentes perspeximus, credimus, Bzouium deceptum, & pro Paulo, qui tunc apud Græcos Patriarcha Constantinopolitanus erat, nostrum Petrum supposuisse.

Alia.

6 Id certum, quod mille difficultatum montibus superatis, cum iam Rex Cyprius, à bello cum Ianuensibus liber esset, exercitum congregauit, & nauigandum decreuit, Mahumeticum fastum prosternere, Beati Petri Thomæ deuotione, & pietate motus, anhelans. Qui Petrus Legatus (inquit eius fidelis Historicus, & socius Mazzerius cap. 15.) *Exercitum Regis in ministerium Crucis, & Dominicæ Passionis piè confortabat, omnibus transfretandis venerabile signum Crucis dabat, peccatores absoluebat, & orationibus continuis, & diuino Officio mediantibus, institutiones diuinas transferendis piè, & deuotè declarabat.* Odoricus *supra num.* 18.

In Orientē profectus.

7 Iam in Orientem profectus narratu difficile quantis se laboribus pro Terra Sancta recuperanda dederit. Leges vniuerso dabat exercitui. Prædicabat. Confessiones excipiebat. Rixas, & contentiones componebat, inuisebat ægrotos, conuersabatur cunctis, singulos ad vnionem, charitatem, & Terræ, ac Ciuitatis Sanctæ recuperationem exhortando. Tantæ apud omnes opinionis erat, vt tanquam Angelus de Cœlo missus haberetur, & quicunque manus eius exosculans, vel benedictionem ab ipso excipiens, liberum se ab omni infortunio existimaret. Pias, & solemnes Processiones instituebat, Missas decantabat, & in concionibus, quas de Sancta Cruce habebat, lachrymas, luctum, & gemitus audientium excitabat,

tabat, ac terrenis affectibus reiectis ad mortem pro Christi fide subeundam incendebat. Adeo verbis, & exemplis profecit, vt paucis ante diebus quã Rex Cypri aduersus Turcas dimicaturus Rhodo discederet, Christianos cunctos sacra Communione refectos miserit, vix aliquam cibi, potus, vel quietis partem sibi sollicitans, mirantibus vniuersis, quod tanto, ac multiplici labori par esset vnus. Sic colligitur ex ijs, quæ scribunt Mazzerius *in vita B. Petri Thom. cap.* 15. Vvadinghus *ibidem num.* 33. Odoricus *supra*, qui innumera, ipsaque pijssima de deuotione, sanctitate, & pietate nostri Petri ex Mazzerio refert, ad quæ legenda Fratres nostros inuitamus, vt illis auditis, ad Dei amorem, & sui Concarmelitæ deuotionem magis erigantur. Ea tamen breuitatis studio, quam in hoc tomo intendimus, prætermittimus; summatim solum huius sacræ expeditionis successum referentes.

8 Ergo Rex Petrus cum exercitu Alexandriæ Ciuitatem tunc obsedit, & Beatus Petrus Thomas in triremis eminentissimo loco stans manu Crucem perferens acies totis neruorum viribus ad præliandum excitans alta voce clamabat: *Eia agite milites à Christo electi, totam in ipso, eiusque Cruce spem reponite, fortiter, & strenuè dimicate, sperantes laturum vobis victoriam.* Alexandria Obsidetur.

9 Christiani autem Beati Petri exhortationibus excitati Alexandriæ Ciuitatem quarta die mensis Octobris anno 1365. gloriosè ceperunt: sed cunctis fere militibus recedentibus Rex Petrus dolore, & mœstitia pressus Ciuitatem reliquit, triremem conscendit, & versus Cyprum nauigauit. Tempestatem interim exortam Beatus Petrus eorum peccatis ascribebat, qui Ciuitatem gloriosè ceptam ignominiosè relinquerunt. Nicosiam cum Rege perueniens, publicas gratiarum actiones pro reportata victoria instituit; negotiatores in Sultani terris sub anathemate prohibuit, & quæ præsaga mente Alexandrinæ Ciuitatis desertoribus mala prædixerat, cum anathematis effectibus à Deo postea confirmata cernebantur. Hæc ex Mazzerio *in vita* Beati Petri *Thomæ cap.* 16. 17. & 18. per compendium hausimus, alia ad annum sequentem, quo eius pretiosa mors contigit, relinquentes. Capitur.

10 Epistola tamen, quam ad Papam, & Imperatorem manu propria scripsit, qua hunc casum refert, & quæ habetur ex Mazzerio *cap.* 17. apud Bollandum, & Odoricum *supra num.* 20. huic loco adiungendam censemus, vt pietas, & sanctitas tanti viri magis innotescat. Est autem huius tenoris: *Licet communis dolor planctu dignoscatur communi, verum, quod plus tangit plus communicat mærorem, & viscera compunctionis inducit. Et quia ego vsque in senectam, & senium laboraui, & clamans raucus factus sum, frequenter lingua percutiens (cum armis non valerem) vt Christi fideles milites pugiles Iesu Christi arma sumerent, scuto protecti fidei procederent, & Hierusalem matrem nostram, diu sub Agarenorum ritibus; imo potius facibus detentam, magna Christianorum negligentia, & desidia pertinaci; cum nunc in nouissima* Epistola ad Papam.

nuissima hora, & in fine sæculorum, ac in termino temporis, Illustrissimo Principe Petro Rege Hierusalem, & Cypri, discursu laborioso, & impensis grauissimis cum Sanctissimo Domino Vrbano Papa Quinto passagium procurante, cuius indignus Legationis functus fui officio, cum multitudine copiosa venissemus, armato Rege Capitano præsidente cum deuotionis affectu, velis inflatis, mare quieto, & vento prospero, quem Deus de thesauris suis produxerat, vt non per mare iræ viderentur, sed potius, & manu Dei portari sine impedimento; diuersa nauigia nocte, ac die diuisa, & ab inuicem non visa, vna die in portu Alexandriæ inclusa, nutu potius illius, qui Petrum fecit in mare ambulare, quam regimine humano. Quiete indicta à meridie vsque ad tertiam alterius sequentis diei, ante maris egreßum, multitudine infidelium pro egressu resistente, vt probaret Dominus vires nostras, sua virtute paucos de nostris deduxit in littore, quibus terga vertunt infideles, quibus fuga fuit remedium, & inclusio intra muros. Et ex tunc satis cito secuta sunt vaticinia Ezechielis Prophetæ, vt fierent indicia in Alexandria: iudicia, inquam Dei, hominibus ignota, Deo cognita; vt non possent aggrauati armis pergere, muros ascendere, lapides proijcere, nec sagittas balistis trahere, quibus inimici vbique, tam in muris, quam in turribus, quam in hospitijs inuenti sunt vltra modum. Sed non fuit pugna nostra, sed Domini, qui omnibus mirabilibus, hic mirabilior extitit narrabitur in æternum. Pugnauit populus Israeliticus contra Amalech, qui non tuebatur muro; Moyses fatigabatur, & moriebatur populus, cum manus deponebat. Et hic lassari non potuit, nec Sacerdos, nec populus, quia vix extitit vnius horæ pugna, nec in bellando aliquis de nostris extitit mortuus, cum essent inexpugnabiles . . homines ascenderunt primum, nec quæ vana quærunt, iactant se primum in bellis prælium quærentes, quia non fuerunt primi in acquirendo; licet in relinquendo pro tali dolore. Pugnante Iosue franguntur muri, & intrat populus: sed hic, o Deus, relinquuntur turres vt castra, muri vt castra relinquuntur: vacua intrant promiscua. Quis scripturarum discursus? Nullus fuit infidelium occursus, ferreæ comburuntur portæ, gentes traduntur in morte, quas non seruauit Deus fugæ sorte: & sic capitur Ciuitas, vt Parisius habitata, vt Venetiæ grata, vt Ianua rara; plena diuitijs, iucunda delitijs, fœcunda fructibus, irrigata fluminibus paradisi, frequentata mercatoribus: quæ erat Ægypti Regina, baculus infidelium, & porta fidelium, si tenuißent. Sed nostrum gaudium versum est in luctum: vnde & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea. Patior, patior vehementer; & non est qui compatiatur afflicto. Diu laboraui, laboraui in gemitu meo: sed nunc materiam deduco gemitus, in publicum profero. Deo verba mea dolore sunt plena: exitus aquarum deducent oculi mei, & torrentes effluent lachrymarum: sagittæ enim Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Sed torrentes iniquitatis alienæ conturbauerunt me. Vtinam aperiantur catharactæ miseri capitis mei, & totus in lachrymis fluuius; multis enim solatio sunt lachrymæ: dolor siquidem speciem ignis gerit, quia, dum plus tegitur, plus reuiniscit. Si me Dominus in amissione rerum temporalium, aut amicorum morte, aut in afflictione proprij corporis flagellasset, æquanimiter sustinerem: sed pla-

gam

gam sentio, quæ ad interiora mea penetrat: nec minus crucior, quam si quis viscera mea à me violenter auellat. Et quid mirum? imo miror si non morior, quia vidi illata vulnera, ablata fœdera, prolata scelera. O illata vulnera! vulnus, & liuor, & plaga tumens: vulnus in facie, liuor infamiæ, plaga tumens cum infamiæ. O vulnus in facie! vulnerati enim fuerunt principales, consilium facientes in vnum milites, qui videbantur potiores, summi, fortiores, vt facies in corpore. Qui antea vt Petrus Christo Regi dicebant: Si oportuerit nos mori tecum, non te dimittemus: sed timore percussi, non ancillæ voce, quia non astitit, nec aduersariorum posse, quia nullus potuit nocere. Reliquerunt enim eam de Deo non confisi, in nullo prouisi; sed ex toto diffisi, ac si Deus, qui iam introduxerat, fortis non esset pro custodia; non attendentes, quod super muros eius posuit custodes. O liuor infamiæ? nonne dicent gentes, vbi est Deus eorum? Quæ antea dicebant (vt vero percepi relatu) Deus pugnat pro eis: noster Machometus victus est. Deus Christianorum magnus, & fortis est, qui apparebat gloriosus in militibus suis. Et reddebant testimonium qui non nouerunt, nec exquisiuerunt nomen tuum. Gloria nostra versa est in ignominiam: dies festi conuersi sunt in luctum: Sabbathum in opprobrium: homines eius in nihilum: secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: sublimitas eius conuersa est in luctum. Et ego vidi, heu, & vt quid est mihi viuere, cum sit tantus liuor infamiæ, plaga tumens cum insanie? O plaga Ecclesiæ cum insanie, quæ sanari non potest medicamine. Heu, quis medebitur incantatori à serpente percusso? Qui debebant modo incantatores, serpentinos homines, membra serpentis, qui nostros decepit parentes, obmutescere facere, veneno percussi, in animo, non potuerunt stare. Quibus maledixit Dominus. O genti peccatrici, filijs sceleratis, semini procerum, populo graui iniquitate. Dereliquerunt te, alienati sunt retrorsum, & fit magnus planctus in Ecclesia, quia vidit vulnera, nec minor, quia attendit ablata fœdera. Heu dolor intolerabilis, nunquam auditus similis: quos Deus coniunxerat, vt caperetur Ciuitas, diuisit iniquitas: vnus recedit ab alio, & facta est diuisio, & contentio inter Principes, & recesserunt Anglici, qui videbantur fortiores, facta coniuratione cum Principe, cuius ex parentela, & dolosa sequela, nomen tacere debeo: sed doleo, quia super eo est querela. Semper carebit medela, quia narratur, & vulgatur, quod ipse fecit talia, vt sit relicta Alexandria: ei maledicunt Catholici multi (credatis) & Gallici quamplures, Theutonici, & omnes Itali, clamantes: Væ homini illi, per quem scandalum venit: melius erat si natus non fuisset homo ille: quia cum voluisset caput Rex resumere vires velut probus miles, noluerunt hi resistere, sed cum suis Anglicis, qui nolentes in Ciuitate in crastinum pernoctare deuicta, se absentauere, & omnino segregauere à Regis consortio. O dolor in medio cum cancellatis manibus; vna cum Cancellario, milite vero, strenuo, docto in consilio, Philippo de Manzerijs, dolente pro miserijs Christianorum, atque suspirijs, qui se promptè offerebat pro custodia turris, quæ erat magis dubia, cum brachijs quinquaginta, cum socijs quadraginta, in expensis proprijs, instantissime, & cum fletu, vt staremus sine metu inducendo cum exemplis, & hoc multis argumentis, quod poterat custodiri

stodiri

stodiri locus noster, & murus, et instabat apud Regem, custodiendi dando legem: De nostris verbis non fuit cura, sed sequuntur nimia dura. Nulla confidentia de Dei potentia, imo cæperunt contra fari, admirari, & murmurare. Sed non fuit murmur contra me, de quo tristor maxime, sed contra Dominum: de quo credo est iratus Deus ipse, & conturbatus. Et sentiet Admiratus hospitalis militiæ, qui prius nec sententijs, neque verbis alijs hic induci potuit, quod remaneret pro custodia ordine, nisi in Regis agmine, & concedendo negaret, & sic fugam impetraret. Et quia solus ille plures habebat quam mille, turbauit, non immerito, plures à proposito: & sic totus exercitus eius verbis agitatus, recessit quasi fugatus: ipsis enim timorem incutiens prædixit multoties, quod veniret Soldanus sine mora, quasi captans horam. Et tamen licet stantes verecundè ante muros, non iucundè die sexta recessimus, nec venisse quemquam percepimus; immo nec intrare muros audebant: tantum nostros ij timebant. Sed quia scribitur: Fugit impius nemine persequente; verum dixisse nouimus, & in nostris percepimus. Vidimus sic rupta fœdera, & monstrata scelera. In egressu vidimus vanitatem; sed percussit eos Deus; & marinarij præcedebant in hymnis in illo egressu tripudiantes, sed percussit eos Deus, vt quasi cæci palpantes parietem, pretiosa non inuenerunt, & quæ erant sua reliquerunt alienis in egreßu, in infidelitate, quia non cognouerunt Deum; & ideo conqueritur ipse Deus: Audite Cæli, & auribus percipe terra, quia os Domini loquutum est: Filios exaltaui, & enutriui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos poßessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, videns Deum Israel; scilicet populus Christianorũ, qui viderat mirabilia in mari sine periculo, in exitu deuicto populo, in captione Ciuitatis, quasi sine obstaculo. Audite Cæli, & auribus percipe terra, idest præsidentes, Prælati in Ecclesia; & terra; idest Principes terreni, quanta fecit nobis Dominus; & præcede tu, Summe Pontifex, populum exhortando, indulgentias concedendo, thesaurum Ecclesiæ exponendo, quia tibi quasi imponitur plaga præsens; quia si venisset populus in suffitientia, & prouidisset de aliquo Ecclesia, nulla excusatio fuisset de tanti loci custodia. Vide Domine opprobrium nostrum in loco relicto, & attende Dei virtutem, quia cum paucis, & quasi cum nullis, inimicorum comparatione, tradidit tibi Deus Ciuitatem muris circundatam, turribus ornatam, vbi Ægyptij delitiæ, vbi Ægyptij diuitiæ, vbi timor est inconcussus Agarenorum, qui nunquam erit discussus. Insta opportune, importunè, quia non restat aliquid aliud, nisi vt oculos nostros ad te leuemus, vt subuenias, & subito cum gente Agarenorum confligas, quia timor debilitat eos, & Deus nos adiuuat. Et tu inuictissime Imperator, ad quem respiciunt oculi totius Israel, vt incipias tu Rex Regum, & Dominus dominantium, cui Deus plus Salomone sapientiam, plus Pharaone potentiam, & (vt fama habet) satis pecuniam concessit: cui præbebunt Reges auxilium, Veneti, & Iannenses, & maritimi sufficiens nauigium: Dominus Papa indulgentiarum suffragium, & vacabit populus affectus deuotione, clerus ieiunijs, & oratione, & totus mundus in collatione. Ostende, Domine, potentiam tuam, & veni, & libera nos. Libera Sanctam Ciuitatem Hierusalem, quæ tanto tempore fuit ancilla. Ad te clamauit, &

uit, & clamor eius vsque ad aures peruenit Domini Sabaoth: quia si non exaudieris, & audieris, timeo (& non ego solus, sed multi mecum) vt irascatur Dominus contra te, & pereas ante tempus). Insigniuit enim te Dominus tot insignijs, dotauit, et tot priuilegijs, vltra, & supra prædecessores, vt merito, & *ex debito recognoscere debeas, et in illo, quod est sibi magis gratum, vt recuperes locum suum de Hierusalem, et ibi fiat Sacrificium illibatum,* & *vespertinum: quod tibi concedatur per Deum viuum, et Trinum. Amen.*

11 Huius Epistolæ stylum si Lector miretur, animaduertat etiam, esse, non quidem familiarem, aut vulgarem, sed hominis Sancti, angustiati, & afflicti, flentis, & dolentis, præsentem Christianitatis statum; ac proinde, & pro temporis angustia, non tam curantis de methodo ordinaria scribendi, quam dicendi ea quæ Deus ipsi inspirabat, pro suę Ecclesiæ vtilitate. *De Epistolę stylo.*

Ann. Christ. 1366. Vrbani 5. Roman. Pontif. 4. Carcli 4. Imperat. 21. Palęolog. Imperat. Orient. 26. Ioan. Balistarij Generalat. 9.

1 Vrbæ asthuc in Italia à Bernabone Vicecomitum primario, non obstante concordia cum Papa inita, Sequestro nostro Beato Petro Thomæ, iuxta dicta anno præcedenti. In Hispania Petrus Rex Castellæ suis subditis exosus, ob plura crudelia gesta, extorris à Regno factus est, Henrico coronam accipiente. Pontifex autem reditum suum ad Romam intentabat. De his Bzouius, Odoricus, & alij. *Huius anni casus.*

2 Ad nostri Beati Petri Thomæ fœlicissimum transitum, qui hoc anno contigit, vocamur eius deuoti: Deum suppliciter precantes, vt qui per eum tot mirabilia in terris operatus est, eius intercessione in Cælis nostri dignetur misereri. Ergo, cum Christi strenuissimus miles, qui velut alter Paulus ipsius nomen coram Regibus, & Principibus egregiè portauerat, Crucem Sanctam prædicando, & Ecclesiam Catholicam exaltando; Famagustam abijsset, vt, iuxta Regis Cypri voluntatem ad Papam pergeret, nunciaturus ea quæ acciderant: tristis semper, & mœstus propter Alexandriæ Vrbem desertam à Christianis, ita vt ab illo tempore nunquam signum aliquod lætitiæ præseferret: dum in Conuentu nostro hospitatus nauigationis tempus expectabat; postquam in vigilia Natiuitatis Domini anni præcedentis per lutum, & cœnum pedes ex Carmelitana Ecclesia ad Maiorem, vt matutino interesset Officio, accessisset, ibique ea nocte vigilias matutinas Pontificalibus indutus, & Mithra in capite; & sequenti die tres Missas celebrasset, corporis algorem sui morbi initium præsensit. Cum etiam, eo non obstante, nihilominus ieiunijs frequentibus maceratus, vigilijs, & laboribus afflictus, hiemis frigiditate (cum *B. Petri transitus.*

easdem hieme, & æstate vestes ferre consueuisset) languidus esset effectus; & nec sic à quotidianis exercitijs, pijsque laboribus abstineret; adeo vt postridie natalis Domini è Carmelitarum Ecclesia ad Diuę Mariæ de Cœna Templum nudis pedibus per lutum, & sordes incedens, accessisset, diè quadam Martis febris mortalis illum arripuit, quæ sic vultus decorem immutauit, vt de salute ipsius dubitari tunc ceptum. Erat hoc sub initio anni præsentis.

Obitus ipsius.

3 Die ergo, & hora mortis diuinitus edoctus, magnis pœnitentiæ, & contritionis signis exhibitis, generali confessione cum fratre Arnoldo, seu Andrea Solane, sui Ordinis Religioso, eiusque Confessario facta, habita concione coram familiaribus, quos omnes Sacra Synaxi in Missa à prædicto Confessario reficiendos coram se curauit, bene sibi esse cum Deo suo palam professus est. Post, lachrymantibus cunctis, iussit sibi vilem quemdam saccum, & funem afferri, illisque corpore indutus, & collo circumcinctus, deuotionis, pietatis, & animi contriti admirandum exemplum dedit. Humi etiam depositus Crucem osculabatur, & à domesticis venia humiliter postulata, ante se per suum Confessarium Sacrum Dominicum Corpus afferri volens, iunctisque manibus, dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori*, deuotissime *Domine non sum dignus*, & *salue Salus mundi*. &c. Corpore Dominico magna cum reuerentia pastus est. Supra lectum postmodum collocatus, chordam è collo tollentibus dicebat: *Sinite, sinite, ne me hac fune priuetis, qua pro peccatis maiora perpeti dignus sum.* Ab eo instanti oculos sursum eleuans in Dei contemplatione permanebat. Viso ad pedes cruento Dæmone, Crucem sibi iussit apponi, qua illum fugaret. Cum viuens humilitatis studiosus valde fuerit, moriens rarissimum illius exemplum dedit, dum se in Chori ingressu, vt pedibus calcaretur eo ingredientium, corpus suum sepeliri iusserit. Episcopo Laudunensi vocato, ab eo Sacræ vnctionis Sacramentum prædicto sacco indutus, Psalmosque pœnitentiales cum Litanijs recitans, veniaque de defectibus ab Episcopo, Clero, & iterum à sua familia postulata, suscepit. Tandem die sancto Epiphaniæ à Primatibus Regni Cypri visitatus; à Philippo Mazzerio huius vitæ auctore in vltimo agone, quem ad Regem ipse miserat, adueniente, consolatus; pretiosa morte, egregijs pro Christi Ecclesia muneribus perfunctus, meritisque plenus, die Martis in festo Epiphaniæ anni præsentis 1366. (quidquid dicant Sarracenus noster, & Marulus, qui ann. 1376. & Thomas de Iesu, qui ann. 1350. obijsse scribunt) vitam fœliciter finiuit, & more pauperum Religiosorum, habitu, & cappa indutus, manibus chirotecis coopertis, & pedibus Pontificalibus sandalijs, vultu detecto, & Mithra sub pedibus, ad Ecclesiam Monasterij nostri sepeliendus defertur. Hæc summatim ex relato Mazzerio *cap.* 19. & 20. collegimus, plura breuitatis studio prætermittentes.

Meditanda In eius trāsitu.

4 Sed aliqua pro nostra instructione, in eius fœlici transitu meditanda. Primo, quod postridie Natalis Domini, de Ecclesia Carmelitarum

ad

ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Cœna iuerit *nudis pedibus in magno luto extra Ciuitatem*, prout Mazzerius *cap.* 18. scripsit. In quo Vvadinghus in ipsius vita *num.* 38. piè animaduertit quantum à priscorum Patrum spiritu filij declinauerint; cum illi in melotis, pellibus caprinis, afflicti, nudi, &c. incesserint, animæ, non cuti curandæ attendentes; isti verò, non nisi deliciosè, omnino vestiti, &c. Ad hæ, quod magna in Dei voluntatem resignatione cum D. Martino dicebat sæpius: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, eadem est mihi mors, et vita, fiat voluntas Dei mei Iesu Christi*. Mazzerius *cap.* 19. Vbi etiam, quod nunquam exiuit de ore suo, quod moreretur, sed semper dicebat: *Recedam, recedere intendo, recedere debeo*. Mors enim Sanctorum recessus est è mundo ad Deum. Item, quod in hac grauissima infirmitate adhuc volebat Officium diuinum recitare: & dixisse, quod *à die professionis suæ in Ordine suo Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, nunquam horas suas prætermisit, nec pro infirmitate, nec in terra, nec in mari, nec pro aliquo imminenti periculo*. Væ nobis delicatioribus, qui hæc dicere nequimus. Tam placide obijt, vt idem Mazzerius *cap.* 20. hæc dixerit: *Viuit Deus, et anima eius, quod non fuit homo, nec mulier ipsum intuens, qui percipere potuit aliquo signo quando anima beata exiuit à corpore*.

5 Multis præterea Sanctitatis signis post mortem effulsit. Primò, circa quartam noctis vigiliam antequam sepulturæ traderetur, Religiosa quædam fœmina, quæ cum alijs sacrum corpus custodiebat, casu oculos in ipsum conijciens radium splendidum, & luminosum vidit à summitate Ecclesiæ vsque ad corpus ipsius, quod cum alijs narrasset, ipsæ quoque luminis vestigium viderunt, & corpus madidum, ac si recens è balneo extractum, acceptis linteis tergentibus, quibus multa postea patrata sunt miracula. Deinde corpus Sancti post mortem bonum exhalabat odorem, cum viuens ob vitæ austeritatem, vilissimasque, quibus induebatur vestes, pauperiem potius, & corporis inculti signa redoleret, & fœtorem redderet. Item, artus, & iuncturæ præter naturæ ordinem, & mortui corporis conditionem, flexibiles remansere, & per sex dies insepultum corpus, magno populi concursu. Præterea cum frater Ioannes Carmerson de Regno Aragoniæ, Seraphici Ordinis Alumnus, & in Sacra Theologiæ facultate Doctor insignis, iussus à Nicosiensi Archiepiscopo funebrem Orationem de Beato Petro habiturus esset, eum *Sanctum Legatum* in eo orationis cursu nuncupabat. Monitus cur eo titulo decorasset eum, qui nondum erat ab Ecclesia inter Cælites connumeratus, respondit, coactum se fuisse, & vt credebat, diuino afflatum spiritu, maximè, quod dum sermonem scriberet, decreuerat se non eum *Sanctum* vocaturum: nunc autem piè credere eum sanctum esse. De his latè Mazzerius in vita ipsius *cap.* 21. Qui etiam *cap.* 22. encomia Beati Petri canens, eum vocat *Patriarcham, Prophetam, Apostolum, Martyrem, Confessorem, Doctorem*.

Sanctitatis signa.

6 Sed his prætermissis, in Appendice vitæ eiusdem Beati Petri Thomæ apud relatum Bollandum, legitur, quod Ioannes de Fauentia Guardia-

Alia.

nus Conuentus Minorum Paphiensis, qui etiam B. Petri vitam descripsit, schinantię dolore laborans ad corpus ipsius accedens, & dextram faucibus appropinquans sanus effectus est. De fratre Stephano Prouinciali nostri Ordinis in Prouincia Terræ Sanctæ miraculorè sanato meritis Beati Petri Thômæ dicemus anno 1369. Alia omittimus, de quibus in vita ipsius B. mentio habetur.

Cultus Sancti vel Beati. 7. Cultum propterea Sancti, vel Beati Petro Thomæ debitum probant, primò, eximia ipsius merita relata; secundò, miracula propter ipsa à Deo patrata; inter quæ singularissima beneficia ipsius intercessione à Deo aliquibus Religiosis nostris, prout mihi constat, concessa; illud speciatim de inuentione Bullæ, quod retulimus sub anno 1354. numerari inter ea posse, non temere, sed magno cum fundamento suspicamur: tertiò, Martyrologia, quæ de ipso loquuntur; specialiter Ioannis Gilemani Canonici Regularis in Rubea Valle prope Bruxellas, qui floruit anno 1450. *in Agiologio, seu Martyrologio 6. Idus Ianuarij*. Heriberti Rosueidi Iesuitæ *de fastis Sanctorum*. Molani *in Addit. ad Vsuardum die 6. Ianuarij*, Petri Galesini *in Annotationibus ad Martyrologium Romanum 8. Idus Ianuarij*. Philippi Ferrarij *in Cathalogo Generali Sanctorum die 6. Ianuarij*; quartò, opinio Sanctitatis à tempore mortis ipsius; cuius signum est eo tempore vitam eiusdem conscriptam fuisse à Philippo Mazzerio Cancellario Regis Cypri, & Ioanne Fauentino Minorita. Insuper, quod in Capitulo Generali Ordinis Podiensi anno 1375. celebrato, committitur Priori Generali, quod possit taxare Prouincias Ordinis *pro Canonizatione Beati Alberti, et Sancti Legati*, quo nomine per antonomasiam Beatus Petrus Thomas nuncupatur, qui toties, vt vidimus Sedis Apostolicæ Legationes gessit; quinto, Officia Ordinis antiqua de ipso Beato Petro. Nam, in Missali Carmelitano Venetijs anno 1509. habetur in Kalendario die septima Ianuarij Sancti Petri Thomæ Episcopi, & Confessoris. Idem in alio Missali, & Kalendario impressis anno 1551. Item in Kalendario Sanctorum, iussu Capituli Generalis Romani in Conuentu Sancti Martini de Montibus edito anno 1564. idem eodem modo habetur. Sextò, & præcipuè ex approbatione Sacræ Congregationis Rituum sub Paulo Quinto an. 1609. recognoscente, & subscribente Cardinali Bellarmino, & sub Vrbano 8. an. 1628. recognoscente, & subscribente Cardinali de Torres, vbi in Quinterno Sanctorum Ordinis nostri festum Beati Petri Thomæ habetur die 29. Ianuarij sub ritu duplici, & titulo Episcopi, & Martyris. Quo etiam titulo approbatur idem Officium ab eadem Sacra Rituum Congregatione pro Conuentu Sancti Martini de Bononia anno 1614. sub Cardinali Gallo.

De titulo Martyris. 8 Ex quo etiam notandum, quod quamuis in antiquioribus eiusdem Beati Officijs titulus Martyris ipsi concessus non fuerit, in ijs tamen posterioribus iam tribus vicibus à Sacra Rituum Congregatione illi est concessus. Ita vt immerito de hoc pij dubitare possint.

Cui

Cui fauet, quod in Codice vitæ eiusdem, quem apud me habeo, ex Galliarum partibus transmisso, dicitur, quod antequam à vulneribus in obsidione, & captione Alexandriæ acceptis, sanus esset, mortis infirmitas ipsum arripuit. Hoc enim denotari videtur prædictorum vulnerum occasione infirmitatem lethalem incurrisse. Etsi autem Philippus Mazzerius præcipuus author eius vitæ hoc expresse non dixerit, satis tamen colligi potest ex ijs, quæ scribit *cap. 16.* videlicet. *Bello adueniente, & sagittis pluentibus timuit ire? Certe non.* Et infra: *A sagittis infinite volantibus cooperire se cum clypeo, me pluries admonente, nolebat.* Inferius: *Nauigia nostra sagittis cooperuerunt. Tanta enim multitudo sagittarum super Christianos tunc cadebat, sicut pluuia super terram.* Quid mirum igitur, quod ab aliquibus ipsarum vulnus acceperit? Hinc *cap. 22* dicit: *In conflictu igitur, & captione Ciuitatis Alexandriæ vulneratus inimicorum telis obijt.* Quam vocem *obijt* Bollandus *in suis Annotat. ad hanc vitam § 3. num. 22.* sic exponit, *idest, obire potuit, quod ita se periculis ingerebat.* Sed extorte nimis, cum subiungat idem Mazzerius: *Martyr igitur, & voluntate, & facto fuit.* Vnde Ioannes Leydem Batauus Ordinis nostri vir insignis in vita eiusdem Beati Petri Thomæ, de qua postea, expresse ait: *Bello adueniente cum à telis volantibus grauiter vulneratus esset, nec faciem mutauit, nec aliquod signum timoris ostendit.* Hinc etiam alij plures Martyris titulo ipsum cohonestant, specialiter ex nostris Ioannes de Hildeasym eiusdem Beati coætaneus *in libro de principio Ordin. Fratrum Carmelitarum cap. 5.* Palæonydor. Coria, Casanate, Boerlius, Leo à Sancto Ioanne, & alii. Ac de exteris Ferdinandus Salazar Iesuita *lib. de Concept. Virgin. cap. 42. secul. 15* Stephanus Lusignanus Ordin. Prædicatorum *in lib. de Coronis coron. 15.* Franciscus Marulus, & alij. Et sanè (etsi Vvadinghus, & Bollandus refragentur, qui non obstante authoritate Sacræ Congregationis Rituum, de qua supra, negant titulum Martyris illi concedi posse) cum, iuxta dicta Tom. 2. sub ann. 194. & 220. ex Baronio, & Gordono, ac etiam 272. ex vsu Ecclesiæ nomen *Martyris* non solum ijs, qui pro Christo violenta morte occubuerunt, sed & ijs quoque, qui fidei confessionis ergo cruciamenta aliquot subijssent. De quo inter alios Franciscus Biuarius Cistertiensis *in Commentar. ad Flauium Dextrum pro ann. Christi 300. num. 2.* cum noster Petrus innumeris, immensis, & ferè innumerabilibus laboribus exanthlatis interierit, pro Martyre erit habendus. Quare Bostius noster in Patronatu Mariano *cap. 12.* *Martyrem studio* vocat.

9 Doctor etiam valde celebris fuit, prout non solum ea quæ docuit, sed ea quæ scripsit manifestant, quæ sunt de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ *lib. vnum*, in Magistrum sentent. *libr. quatuor*, Sermones varios *librum vnum*, Epistolarum ad diuersos *lib. 1.* Definitiones formalitatum *lib. 1.* extat Manuscript. in Collegio Balliolensi Oxonij in Anglia cum huiusmodi nota, de definitione formalitatum à fr. Petro Thomæ *lib. 1.* Item de esse intelligibili Manuscript. in Accademia Cantabrigiæ *lib. 1.* prout Doctor insignis.

culli.

colligitur ex Cathalogo Thomæ Tames Angli prænotato *Ecloga* impressa Londini 1600. Vnde inter Scriptores eum celebrant, Trithemius, Posseuinus, Bergomensis, Einsengrineus, Gesnerus, Biscarterus, & alij passim.

Scriptores Vitæ ipsius. 10 Vitam ipsius scripserunt Philippus Mazzerius Cancellarius Regis Cypri sæpius nominatus, & Philippus de Nazareis vocatus in Bulla Vrbani Quinti, qua, vt diximus circa ann. 1363. eum cum prædicto Philippo ad Venetos Legatum misit. Fuit autem hic Mazzerius magnæ auctoritatis vir, vt propterea Orator Cyprij Regni apud Sedem Apostolicam postea fuerit, vt colligitur ex Registro Gregorij Vndecimi anno secundo pro 13. Kalendas Iulij, vt habet Bzouius tom. 14. sub anno 1372. num. 22. Hanc porro à Mazzerio vitam conscriptam Bollandus hausit ex Chronico vniuersali Manuscript. circa ann. 1480. compilato à Theodorico Paulo Gorconiensi Presbytero, & Vicedecano Ecclesiæ SS. Martini, & Vincentij in Gorgonio Oppido. De eodem etiam Mazzerio, & vita Beati Petri Thomæ ab eo descripta agunt Conradus Gesnerus in Bibliotheca, Antonius Posseuinus in Apparatu sacro. Scripsit etiam eiusdem Beati Petri vitam, vt testantur ijdem Gesnerus, & Posseuinus, Vvadinghus, Bollanus, & alij, Ioannes Fauentinus, seu de Fauentia Guardianus Conuentus Minorum Paphiensis. Hos sequuntur ex nostris Ioannes Leydem Batauus circa ann. 1494. vitam eiusdem Beati Petri Thomæ scribens in lib. octauo Speculi Carmelitarum per multa capita ex Mazzerio desumptam, quā R. P. Thomas à Iesu totius Alemaniæ Vicarius Generalis Colonia Hispalim R. P. Francisco à Sancta Maria misit anno 1621. ex quo illam accepimus. Latè Arnoldus Bostius, Palæonydorus, Coria, Petrus Thomas Sarracenus, cum alijs: & de exteris ipsi Patres Vvadinghus, & Bollanus, qui etiam doctè, & piè vitam eandem scripserunt, notisque illustrarunt. Vvadinghum etiam compilauit Ferdinandus Vghellus Cisterciensis *in Italia Sacra tom. 2.* dum agit de Episcopis Pactensibus. Insuper, vt testatur noster Grossus *in Viridario Carmelit.* duo Milites Regni Angliæ, videlicet, Dominus Ioannes de Grei, & Milode Stapilton, qui cum ipso in captione Ciuitatis Alexandrinæ fuerunt personaliter, ipsius gloriosam vitam descriptam authenticè ad Angliæ partes deportarunt. Ex ijs porrò vitæ S. Petri Scriptoribus primus extitit Mazzerius, secundus, Fauentinus, & post ipsos alij numerati.

Alij. 11 Preter quos etiam plures alij Beati Petri Thomæ gloriosa facinora, sanctitatem, doctrinam, vel munera, quibus in vita functus est, varijs in libris retulerunt. Specialiter Molanus, Petrus Galesinus, & Philippus Ferrarius *in Martyrologijs*, seu *Cathalogis Sanctorum* iam relatis, Heribertus, Rosveidus Iesuita *in Fastis Sanctorum*. Euerardus Rouelinch *in Fasciculo temporum*, Iacobus Philippus Bergomensis *in supplement. Chronic. ad ann.* 1200. Raphael Volaterranus *in Antropologia lib.* 21. *fol. nobis* 220. Marcus Guazzus *in Chronic. fol. nobis* 275. Stephanus Lusignanus Dominicanus *in Chronograph. Cypri* (habetur in Bibliotheca Vaticana *sub num.* 4844.)

fol. 11.

fol. 11. & 28. Siluester Marulus Cistertiensis *in Mari Oceano Religionum* loquens de Carmelitana, Ioannes de Carthagena Minorita *tom.* 4. *Homil. lib.* 17. *homil.* 3. Rhenatus Chopin. *lib.* 1. *Monastic.* Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Aubertus Myreus *de Incremento Carmelitarum*, Rodericus de Osma *in discursibus patrijs Ciuitatis Pacensis*, Onuphrius Barcinonensis *concione* 22. Ludouicus Thene *in concione Beatificat. Sanctæ Theresiæ*, Octauius Caietanus Iesuita *in Idea insignis historiæ Ecclesiasticæ Regni Siciliæ*, Ludouicus Cellotius in Hierarchia *lib.* 5. *cap.* 9. etsi cum alijs erret eum vocans Episcopum Badaiocensem. Ferdinandus Vghellus Cistertiensis *in Italia Sacra tom.* 2. *in Appendic.* dum agit de Episcopis Lyppatensibus, & Pactensibus. Ioannes etiam Balæus, etsi auctor dannatus, & multis Ecclesiæ sanctis Illustrissimis infensus, Beati Petri Thomæ memoriam sæpius honorificam facit in suo *Cathalogo Scriptorum Brittann.* præsertim *centur.* 5. *post Guillelmum de Pagula in Appendic.* & *Centur.* 4. loquens de Innocent 6. & *Centuria sexta in Appendic. ad Bartholomæum Glauuu*, vbi maximè cōmendat hæreticus homo Beati Petri Thomæ obitum ex testimonijs Ioannis Fauentij, & Mazzerij. Conradus Gesnerus *in Bibliotheca* in ipso Petro Thoma, & in Philippo Mazzerio, ac Ioanne Fauentio vitæ ipsius Scriptoribus: & ex nostri Ordinis Historicis cuncti fere; quibus iungitur insignis Baptista Mantuanus præclara de ipso referens *in Apologia pro Carmelitis*.

12 Pro Beati Petri sepulchri Epitaphio hæc ipsius discipulus Ioannes Hildestym dictauit. Epitaphiũ.

Virgo Virum rege virgineum, qui Virgini almæ
Conspicuum titulum gerit, hinc sibi da loca palmæ.

13 Sub eodem anno 1366. Bzouius refert obitum Beati Auertani nostri Ordinis Alumni; cum tamen non acciderit vsque ad annum 1380. vbi nos de ea re dicemus. B. Auertanus

14 Eodem tamen anno Capitulum Generale celebratur, curante Generali Ioanne Balistario in Montis Albani Monasterio die Pentecostes. In quo 19. Prouinciæ, quæ in Capitulo Generali anni 1362. numeratæ erant, iterum recensentur cum ipsarum Prouincialibus. Ordinantur insuper Procurator Generalis Ordinis, duo Socij Generalis, & Lectores ad legendum sententias, & Biblia Parisijs. Præterea conditiones aliquæ assignantur pro Lectore Tholosani Collegij, & committitur Generali, quod possit facere omnia quæcunque Diffinitores facere poterant, exceptis absolutionibus, & institutionibus Prouincialium libere, & sine culpa; reuocatione, & ordinatione ad gradum Theologiæ in Studio Parisiensi, ac apertione Sigilli communis Ordinis. Illustriores autem Patres huius Capituli sunt Franciscus Bacconis Procurator Ordinis creatus; Magist. Thomas Broni, Angliæ Prouincialis; Franciæ Magister Ioannes de Vineta; Bernardus de Roma Lector Bibliorum Parisiensis pro quarto anno; & Bernardus Olerij Magister Regens in Romana Curia constitutus. Ex lib. Ordinis fol. 7. & 8. Capitulum Generale.

Quo

Arnoldus Besalis.

15 Quo etiam anno clarus describitur ab aliquibus Arnoldus de Besalis Theutonicus ex Ordine nostro assumptus ad Episcopatum Galtelien. qui etiam inter Scriptores numeratur. Scripsit enim sermones Dominicales, sermones de Sanctis, & alia. De ipso tractant Trithemius *de Scriptoribus Carmelitarum*, Gesnerus, Posseuinus, Eisengrineus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui cum alijs eum ponit pro anno 1430. & ait scripsisse dictiones Magistri Sententiar. lib 4. impressas Parisijs 1541. & Lugduni apud Antonium Vincentium;

Ann. Christ. *1367*. Vrban. *5*. Roman. Pontif. *5*. Carol. *4* Imper. *22*. Palæolog. Imper. Orient. *27*. Ioannis Balistarij General. *10*.

Huius anni casus.

1 HOc anno, magna cum Italiæ lætitia, & Galliæ ingenti dolore Pontifex Vrbanus Romam venit; Sedem in Vaticano ponit, Ecclesias restaurat, & Sacras Reliquias ornat. Bzouius, Odoricus, & alij. Obijt incomparabilis ille Ægidius Cardinalis Hispanus, sui ingens desiderium Papæ, & Ecclesiæ relinquens: cuius cineres propterea Toletum vsque piorum humeris relati sunt, certatim populis occurrentibus, & Indulgentias à Papa id facientibus concessas lucrari conantibus. Mariana, & alij Hispani Scriptores.

Gualterus Kellaui.

2 Hoc quoque anno mors refertur Gualteri Kellaui Angli Eboracensis, Cœnobij Aluertonensis non multo antea ab Eduardo tertio fundati Alũni. Hic Oxonij studuit, & ibi multum in doctrina proficiens Sac. Theologiæ supremam lauream adeptus est. Contendebat in homine virtus cũ eruditione, vnde inter nostros magno loco habitus fuit. Scripsit Quodlibeta Theologica *librum vnum*, Determinationum *librum vnum*, Sermonum variorum *librum vnum*. Hæc Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptorib. Ætate* 14. *num.* 614. Illum vocat Prouincialem Angliæ 16. in quo errasse credimus, cum illius memoriam in lib. Ordinis in Capitulis Generalibus, vbi Prouinciales recensentur, non inueniamus. Errandi ansam forsan tribuit Vvalterus Kesso, nomine ipsi similis, de quo anno 1357. diximus, qui hoc munere Prouincialatus functus est.

Ioannes de Vineta.

3 Ioannes de Vineta egregius nostri Ordinis Alumnus, iure huic ætati ascribitur, quod cum in superioribus Generalibus Comitijs crebrius de ipso memoria habeatur, post proximè præcedens Montis Albanensis alto silentio celatur; quo innuitur hoc anno, vel circiter, ad meliorem vitam immortalem migrasse. Fuit hic Armoricus, Brito, & multę eruditionis vir, & magnæ in Ordine æstimationis, prout quæ in ipso habuit officia declarant. Primo etenim in Capitulo Generali Lemouicensi anno 1339. Prior Parisijs, & ibidem Lector sententiarum pro secundo anno nominatur,

minatur: in sequentibus etiam Capitulis Lugdunensi, Mediolanensi, Metensi, Tholosano, Perpiniacensi, Ferrariensi, Burdegalensi, Treuerensi, & nouissimo Montis Albanensis, Prouincialis Franciæ vocatur, quo per plures annos id munus gessisse conspicitur. In duobus autem posterioribus Capitulis titulo Magistri insignitur. Scripsit annotationes ad quartum librum Regum. Vitas trium Mariarum, Librum de Officijs diuinis, Conciones Synodales, Chronicon Ordinis, quod est in Speculo Ordin. fol 57. & incipit: *Cum quidam Fratres nostri Ordinis*. De ipso agunt Sixtus Senensis, Iacobus de Plebe, Posseuinus, Petrus Lucius Belga, Bilcarretus, & alij.

4 Celeberrimi nostri Ordinis Mantuani Cœnobij fundati o huic anno adscribitur, sub Vrbano Quinto Pontifice Romano, Ludouico Gonzaga Mantuæ Domino, ac Ruffino Landi Episcopo. Nostris primo pro habitatione assignata fuit Ecclesia Sanctę Mariæ de Charitate; sed postea translati ad Ecclesiam Sancti Saluatoris: hinc post duos annos ad Ecclesiã Annunciatæ, vbi magnificum, & sumptuosum extat Monasterium. Apparent hæc ex varijs instrumentis, & historia Hyppoliti Donismundi Minoritæ. Cœnobium hoc, nedum ob sumptuositatem egregiam, ornamẽtum pretiositatem; illustrissimum semper erit, ob clarissimam Mantuanã Congregationem ab ipso denominatam, quæ totius Religionis nostræ splendidissimum veluti iubar, Orbi illuxit, quamplures egregios Viros, ac inter eos Baptistam Mantuanum, & Bartholomęum Fanti inter Beatos connumeratos; ac Virgines plerasque, pręsertim Ioannam de Regio, & Archangelam de Trino producens. Horum memoriam cum laude in sequẽtibus recensebimus, & de quibusdam ipsorum P. Ioannes Maria Pensa eiusdem Congregationis alumnus Theatrum scripsit. Conuentus Mantuanus.

5 Insuper eodem anno Schuueinfortense Monasterium in Germania Diœcesis Herbipolensis erectum. His temporibus, quibus hæc scribimus varios casus pertulit. Cum enim Marchio Brandemburgensis Albertus Franconiam bello infestaret, solo fuit æquatum, cuius tamen redditibus potioribus Herbipolensis Conuentus, reliquis autem Bambergensis, & Neostadianus fruuntur. Anno 1619. Prouincialis Bartholomęus Eiselim Viennæ à Cęsarea Maiestate pijssimi Imperatoris Ferdinandi Secundi litteras ad Commissarios restitutionis Monasteriorum, pro recuperatione dicti Monasterij acquisiuit, quę anno 1631. Episcopo Bambergensi, seu Commissario Cęsareo, fuere pręsentatæ, ac proinde Magistratus Schuueinfurtensis Bambergam citatus in causa restitutionis vtriusque tractatum fuit, & iamiam procliues ad aream restituendam Schuueinfurtenses sese exhibuerunt. Verum Suecorum Rege appropinquante, deputati Senatus Schuueinfurtensis, Sueci aduentum, cæci Hębrei Messiæ auidissimè pręstolantes, clam, & re imperfecta, necnon insalutato hospite, abiere. Ex relatione prædicti Bartholomęi Eiselin ad Theodorum Stratium Ordinis Generalem. Schuueinfortensis.

Cófraternitas.

6 Cum nostri Ordinis, & Scapularis Confraternitas à multis annis in Inclyta Patauij Vrbe locum proprium, vbi Confratres congregari possent non haberet, sub hoc anno Fratribus nostris concedentibus, & quodam Gulielmo del Sale impetrante, paruam Ecclesiam, seu Sacellum separatum obtinere cępit. Habetur hoc ex marmorea memoria eiusdem Sacelli, quam refert Angelus Portenarus de *fælicitate Paduæ lib. 9, cap. 45.* quæ talis est. *Hanc Capellam fecit fieri Dominus Gulielmus à Sale in honorem Virginis Mariæ de Monte Carmeli, quam libere donauit in vita, & post mortem Confratalea Virginis Mariæ prædictæ. Quam donationē omnes Fratres Conuentus Paduæ aßeruerunt, & firmauerunt tempore Maßariæ Ser Alberti Linguacij, & Gastaldionum Magistri Francisci filij Magistri Petri de Piazzola, Magistri Andrioli quondam Ser Rolandini à Iugis, Antonij Peliparij quondam Bartholomæi, Francisci Merzarij quondam Magistri Gerardi. Anno Domini 1367. Indict. 4.* Hæc ad verbum, antiqua, etsi barbarè descripta memoria ex dicto Portenaro extracta.

Conuentus Pictauiensis.

7 Insuper circa hoc tempus, prout ex Relatione Prouinciæ Turonensis accepimus, Conuentus Pictauiensis nostri Ordinis erat, ab Episcopo Proceribus, & vniuerso Populo humaniter recepto; cui deinde augmentum accessit circa annum 1574 Qua tempestate sequentibus bellorum tumultibus nostri discedere compelluntur, vno solummodo ad domus custodiam permanente Religioso, donec paulatim in propriam hæreditatem redierunt veteres coloni. Anno tandem 1622. in eam domum abs sapientissimo Præsule Rupi-pozæo, vrbisque Augustissimæ optimatibus euocantur ex Rhedonensi *Obseruantia* Carmelitæ. Quippe, qui domum alioquin egentissimam, rara virtutum omnium praxi mox, tam interno, quá externo splendori restituerunt; vsque adeo vt iam pietatis, & Doctrinæ sedes sit sanè idonea: foretque oportunior, si Fratrum habitationi tàm posset quantotius esset, consultum: quam Sacræ Ædes nobilissimorum Ciuium liberalitate ornatæ sunt, & amplificatæ. Eminet hæc Ecclesia huius Cœnobij iuxta Altare maius Sacello Beatæ Virginis Mariæ, cuius pridem deuotio adeo Pictonum animos incessit, vt Festa, supplicationes, aliæque cœremoniæ circa Ordinis nostri Scapulare, nullibi sint illustriores. De hoc etiam Cœnobio Leo à Sancto Ioanne in Delineatione Prouinciæ Turonensis *cap. 20.*

Cœnobium Castræ.

8 Castræ etiam Cęnobiú in Aquitania Prouincia insigne, ob memoriam Beati Petri Thomæ nostri Ordinis clarissimi Syderis, qui in eo vixisse dicitur, huic saltem tempori adscribendum; quo Cęli palatia iam ipse Petrus ascenderat. De Fundatore nihil certi habetur: etsi quidam nobilissimæ familiæ de Coligni Regibus Christianissimis cognatione, & necessitudine coniunctæ, id tribuant. Esto tamen inclytæ huius familiæ Proceres fundatores huius domus non fuerint, magnificos tamen benefactores extitisse negare non possumus, vt planè constat ex quibusdam præfati Conuentus calicibus, alijsque ornamentis, in quibus illius domus insignia, etiam

etiam num apparent. Certius tamen creditur ipsammet Religionem, Phænicis ad instar, sibimet parentem, & filiam fuisse, hoc Cœnobium proprijs sumptibus construendo, Domus structura intra Vrbis mœnia sita, satis commodè munita, officinis nempe Oratorio, Infirmitorio, aula amplissima pro recipiendis hospitibus; Ecclesia præsertim, atque Sacristia exquisito pauimento, egregioque fornice memorabili ornata præfulget. Diuorum præcipuè, & Beatissimæ Virginis Ordinis Patronæ Iconibus pro Vrbis qualitate insignibus. In eo Viri præclari floruere, quorum memoriam infausta, & Hydræa hæresis circa ann. 1550. sic absorpsit, vt vix duo, aut tres remanerent Religiosi: donec ann. 1619. R.Pat. Ioannis Tuaut, zelo, & diligentia Carmelus reflorere ceperit, vt Tomo sequenti, si Deus concesserit, enodabimus. Annotandum tamen, quod in quadam relatione Conuentuum Galliæ ad nos missa, Cœnobij Castræ fundatio tribuitur D. Rodulpho de Chauuigny.

Ann Christi *1368.* Vrbani *5.* Roman. Pontif. *6.* Caroli *4.* Imperat. *23.* Palæolog. Imperat. Orient. *28.* Ioann. Balistarij Generalat. *11.*

1 CVm Pontifex hoc anno Romæ agens Principes ad eum salutandum certatim confluentes excipit, Bernabos Comes, qui iam, vt anno 1364. diximus, manus, & obedientiam Papæ dederat, solicitante nostro Beato Petro Thomæ, iterum vexat Ecclesiam. Ad eum tamen, & eius sequaces comprimendum, Vrbanus, implorata Caroli Imperatoris potentia, arma assumpsit, & rigidum diploma edidit. Odoricus *sub hoc anno.* Bernabos.

2 Prouidit Pontifex eodem anno, vt Religiosi quidam nostri Ordinis, & aliorum Mendicantium, qui Carolum de Blessis, qui in prælio quodam cum Ioanne Brittanniæ Duce ceciderat, tanquam pro iustitia mortuum, & Martyrem, ac Sanctum prædicabant, compescerentur, litteris datis ad Episcopos per Ducatum Brittaniæ constitutos. Insuper quosdam Religiosos, qui in Italia alios suorum Ordinum, etiam indebite, vt Sanctos celebrabant, alijs litteris compescuit. Odoricus supra num. 11. & 12. Papæ prouisio.

3 Straubinganum Cœnobium hoc anno in Bauaria diœcesis Ratisbonensis erectum dicitur. Plurimas tempestates proximis his annis subijsse compertum; cum Dux Vveinmar Ratisbonam, & Straubingam subiugauit. Non fuere tamen Religiosi eiecti, sed plerique, excepto Priore, Supprioré, & paucis alij, Leontium, & Vsispergam se contulere. Hæc habuimus ex Bartholomæo Eiselim Prouinciali Germaniæ in Relatione Conuentuum eius nationis ad Generalem Stratium missa. Straubinganum Cœnobium.

4 Sub idem tempus non leues in Æthruria motus excitati erant; ad quos sedandos Pontifex curas applicuit: Florentinos præsertim, cum Imperatore, cuius iura grauiter læserant, conciliando, ipsosque hortando, vt ad ipsum Oratores mitterent. Cum autem sub hoc tempore Bononiæ adesset Imperator, ad eum pro pace cum ipso habenda, vt suspicari licet, Andreas noster à Florentinis, Papa præcipiente, missus est. Inter ipsius namq; virtutes eam præsertim locum habuit, vt pacificator Ciuium esset: Vnde in ipsius prima vita cap. 5. num. 21. apud Bollandum pro 30. Ianuarij sic legitur. *Magnam autem prudentiam habebat in pacificando, & concordando Ciues Florentinos, ac etiam Populares, multum vacans ad hoc; vt ipsorum partialitates destruendo, & ad osculum pacis reducendo, vniti essent. Dum semel prædicaret super plateam Fesulanam, & intereßet magna pars Florentinorum, fortiter clamauit: Surgite, & leuate capita vestra, & videatis vnde vestræ rixæ, & partialitates procedunt: & viderunt super Ciuitatem innumirabilem multitudinem Coruorum, & Miluorum ad se inuicem præliantium, qui verè erant dæmones in eadem specie Florentinos promouentes ad bella. Ex qua re pacificati sunt, omnes iniurias remittendo.* Haud igitur sine fundamento credimus huius pacis Florentinorum cum Imperatore Bononiæ agente Sanctum Andream Florentinum Ciuem, in ea Patria Episcopum, & Sanctitate celebrem, sequestrem, & authorem extitisse.

Motus in Aethruria.

5 Quo etiam tempore, vel circiter, Bononienses etiam Ciues eiusdem Sancti Andreæ industria ad pacem inter se habendam, etsi cum ipsius Sancti corporali dispendio, & laboriosa passione, inducti sunt. Casum referebat Cardinalis Sanctæ Crucis in prima vita eiusdem Andreæ cap. 7. num. 35. apud Bollandum relatum, his verbis. *Cum ego eram Episcopus Bononiensis legi qualiter à Domino Papa Urbano Quinto iste Beatus Petrus Andreas fuit missus Bononiam ad ipsos pacificandum, & data fuit auctoritas, & Legatio excommunicandi, & aggrauandi, ac etiam pœnas temporales dandi contra nolentes in pace viuere: qui humiliter iuit, & moram traxit in Conuentu Sancti Martini de Lanisa, & mittebat per partiales, ipsosque ad pacem exortabatur, & concordiam, & quod arma deponerent, quorum vna pars eius voluntati consensit, alia autem pars, quæ nolebat pacem, nec arma deponere, per B. Andream fuit excommunicata, ipsique filij diaboli Beatum Andream incarcerauerunt, & in compedibus posuerunt; ac omnia sibi abstulerunt, famulos suos, ac socios expellantes. Deus autem, qui vindicat de inimicis Sanctorum suorum, quando vult, omnes principales istius diabolicæ partis percussit infirmitate doloris renum, & brachiorum, ita grauiter, quod vlulare, ac clamare non cessabant, supplicando Deo, & Sancto Andreæ, vt de tali parceret iniquitate, & nullus ipsorum potuit liberari, nisi per Beati Andreæ corporalem visitationem. Extrahitur ipse de carceribus, & altera die omnes humiliter amplexabatur, & sic liberati sunt omnes à tali dolore. Et arma deposuerunt, & pacifieati sunt ad inuicem, & postea maximum honorem sibi fecerunt, multaque illi largita sunt; sed ipse vltra suum victum. omnia pauperibus dispensabat. Post vero aliquos dies*

S. Andreæ gesta.

nobiliores Ciuitatis vsque Fesulas eum sociarunt, semper veniam petendo, obsecrandoque, vt pro pace ipsorum oraret.

6 Forsan hæc Bononiensium reconciliatio eadem est cum illa, quam refert Surius in vita Sancti Andreæ; cum vtraque Bononiæ contigerit, vtraque etiam ex Legatione Papæ facta sit; in vtraque quoque sanctitas eiusdem emicuit in liberando illos ab infirmitate. Forsan tamen fuit diuersa, & ex alia Papæ Legatione. Cum enim Vrbanus longa experientia comperisset, qualiter, & quam strenuè Beatus Petrus Thomas eiusdem Sancti Andreæ Socius, & concollega in Ordine nostro, se gesserit in componendis Bononiensiū tumultibus, cognita Sancti Andreæ sanctitate, & generis nobilitate, sæpius ad idem munus eum elegisse, credibile satis. Rem ergo verbis Laurentij Surij in vita ipsius sic damus. *Cum Bononiæ discordia Ciuilis orta esset, adeo vt tumultus ille nullius auctoritate posset sedari. Vrbanus Quintus Pontifex Maximus, qui etiam ob vitæ merita signis claruit, audita Fesularum Episcopi probitate, eum Legatum* Bononiam *mittit, vt diffidentia pectora mitigaret, flecteretque feroces animos Ciuium. Andreas Pontificis iussa perficit, Bononiam profectus est. Ciues vbi Præsulis authoritatem, ac verborum suauitatem perceperunt, mox depositis animis reconciliantur, pauci vero qui huic rei aduersabantur, atroci morbo percussi sunt, qui tandem meritis Beati Andreæ liberati, deposita animi ferocitate pacificantur. Ita vir Dei perfecto negotio, vna omnium commendatione* Fesulas *regressus est.* Facile credendum sub hoc anno id contigisse, vel Barnabæ Vicecomitis tumultibus, vel Androini Cardinalis Legati Bononiæ causa, vt propterea Legati dignitate ab Vrbano exutus sit. Bzouius *sub hoc anno num. 6.* Qualis sit hæc recōciliatio.

7 Cum vsq; ad hoc tēpus in Capitulis Generalibus præcedentibus nō alij numerentur Diffinitores illorum nisi Prouinciales, quia tamen in Capitulo Generali anno sequenti Montis Pesulani celebrato, distincti numerantur Diffinitores à Prouincialibus, illi in priori, isti vero in posteriori loco, ideo prudentia Generalis Ioannis Balistarij factum credimus, vt in Generalib. Comitijs Diffinitores diuersi essent à Prouincialibus, nisi forsan ipsi etiam Prouinciales à suis Prouincijs in Diffinitores eligerentur, prout modo etiam in vsu Religionis conspicitur. De Diffinitoribus Generalibus.

8 Amurates Turcarum Princeps magnos per hæc tempora tum in Europa, tum in Asia fecerat progressus. In cuius potestatem venerat inprimis Rex Misiorum Brageses, necnon Bogdanus, qui Rodopen imperio tenebat. Accessere etiam in ditionem, & alij Europei Duces, Tryballorum videlicet, Græcorum, & Albanorum, vt propterea Ioannes Palæologus Græcorum Imperator ad Papam Vrbanum pro suppetijs petendis venerit. Bzouius sub anno 1367. num. 1. Hæc nos scribimus, vt certus Domini Propheta Sanctus Angelus Carmelita noster noscatur, qui hæc mala Christianitati imminentia ante multos annos præsaga mente prædixerat, vt vidimus dum de ipso ageremus. Amurates.

Ann.

Ann. Christ. *1369.* Vrban. *5.* Roman. Pontif. *7.* Carol. *4.* Imper. *24.* Palæolog. Imper. Orient *29.* Ioannis Balistarij General. *12.*

Palæologus. 1 Alæologus Imperator Græcorum hoc anno Romam veniens, omnique Officiorum genere à Papa, & à Cardinalibus exceptus, se veteres errores reiecisse, & Catholicam fidem tenere professus est. Odoricus sub hoc anno ex Gestis Vrbani. In Hispania Petrus Rex ab Henrico fratre acie fusus, ac fugiens in Oppidum Montielem pugione confossus, & occisus est. Graui documento monstratum (inquit Mariana) *nullis legionibus, opibus, potentia, tutam esse improbitatem.*

Capit. Gen. 2 Sub hoc anno nouum Generale Capitulum in Conuentu Montis Pesulani in festo Pentecostes, & 20. Maij celebratur. In quo primum ex 19. Prouincijs, quæ tunc in Ordine numerabantur, 18. Diffinitores Generales (nam Siciliæ nullus fuit) recensentur, quorum aliqui diuersi sunt à Prouincialibus earundem Prouinciarum, qui postea ibi referuntur; alij vero non ita. Taxantur omnes prædictæ Prouinciæ. Confirmatur in Generalem Ioannes Balistarius, & instituuntur Prouinciales 19. Prouinciarum, Procurator Generalis Ordinis, Prior Parisiensis, & Prior Curiæ Romanæ, & ordinantur Lectores Sententiarum, & Bibliorum Parisijs, & Tolosæ, ac Magister Regens in Curia Romana. Liber Ordin. fol. 8.

Statu Capituli. 3 Commissum est Generali (quem titulo Reuerendi Patris vocant) vt si contingat habere posse corpus Sancti Elisei Prophetæ possit taxare Ordinem pro expensis faciendis. Ex quo inferimus eo tempore sedulo quæsiuisse Patres nostros habere Ecclesiam, vbi eiusdem Sancti Elisei corpus requiescit. Hanc porro Ecclesiam, vbi asseruari dicitur corpus Sancti Elisei, credo esse Eccl. S. Appollinaris Rauennæ, in qua caput huius Sanctissimi Prophetæ piè coli tradunt Hieronymus Rubeus *in Histor. Rauenn. lib. 4.* Asulanus *in Annotat. ad Vsuardum 4. Kalend. Septembris*, Sarracenus noster *in Menolog. Carmelit. in vita Sancti Elisei num. 34.* Deinde eidem Generali commiserunt posse licentiare Conuentus ad vendendos libros librariæ inutiles, vel duplicatos, ita dumtaxat, quod pretium eorum applicetur pro expensis ædificationis Ecclesiæ, Claustri, Dormitorij, aut Refectorij, seu Officinæ Conuentus. Item, commissum est illi facere omnia quæ Diffinitores possent, exceptis tribus illis, quæ in Capitulo Generali anno 1366. excepta erant. Lib. Ordinis, *vt supra.*

Illustriores Patres. 4 Illustriores Patres hoc in Capitulo numerati, sunt, Magister Thomas Broni Prouincialis Angliæ, Magister Franciscus Bacconis Prouincialis, & Diffinitor Cathaloniæ, Bernardus de Roma Prouincialis Romæ, Bernardus Olerij Prouincialis Prouinciæ, Bartholomæus Peioronis Pro-

curator

curator Generalis Ordinis, de quibus suis locis dicimus. Liber Ordinis, *vt supra*.

5 Loquens Ioannes Palæonydorus *lib.3.cap.12.* de hoc Capitulo, quibus ferme similia Bostius *lib.7. cap.44.* dicit in eo ordinatum fuisse, quod in Aduentu semel in hebdomada fieret Officium plenum de Beata Virgine; quod Officium ad longum ibi refert. Veruntamen cum in libro Ordinis, quem præ manibus habemus, & ex quo gesta in Capitulis extrahimus, nihil tale inueniatur, dicendum est, vel memoria lapsum Palæonydorum, vel si prædicta, in hoc Capitulo ordinata fuerunt, viuæ vocis oraculo statuta fuisse. Notat vlterius idem Palæonydorus ad horas prædicti officij ordinatum fuisse fieri sicut in Commemoratione Virginis. Si hoc enim ita est sanè conuincitur antiquitas Commemorationis solemnis Beatæ Virginis, quę iam eo tempore erat in vsu Religionis, & suadetur id, quod circa ann. 1225. diximus, de prima institutione huius Festi. Ordinata in hoc Capitulo.

6 Erat sub hoc tempore, vt colligitur ex præsenti Capitulo Generali, & ex sequenti anno 1372. celebrato, Prouinciæ Cypri, seu Terræ Sanctæ Prouincialis, Stephanus Corteph; cum quo gratiam magnā eritis nostri B. Petri Thomæ, vt ex eius vita elicitur, operatus est Deus. Cum enim ipse in partibus secretis corporis morbo grauatus esset, ad eiusdem sepulchrum veniens; manu terram, vbi corpus humatum iacebat, attingens; deinde locum infirmitatis tangens, sanus factus est. Sic ex vita Beati Petri Thomæ, quæ etiam habetur apud Bollandum *in Actis SS. Tom.2.* pro die 29. Ianuarij. Stephanus Corteph.

Ann. Christ. 1370. Vrbani 5. Roman Pontif. 8. Caroli 4. Imperat. 25. Palęolog. Imperat. Orient. 30. Ioan Balistarij Generalat. 13.

1 BEllum magnum hoc tempore angebat Gallos ab Anglis excitatum: per Caletium enim in Galliam ingressi, omnia diripiebant, & incendebant: cuius belli sedandi occasione Papa Vrbanus, Italia relicta, Auinionem perrexit, magno cum Italorum dolore. Antequam autem discederet, Cardinalem creauit Petrum Corsinum nostri Sancti Andreæ Corsini tunc temporis Fesulani Episcopi, consanguineum, & Florentinum Archiepiscopum. Obijt vero Auenione 19. mensis Decembris, cum Sanctitatis opinione, adeo, vt post aliquot annos de eius Canonizatione actum sit, etsi apud Schismaticum Papam Clementem Septimum dictum. Subrogatur post eius obitum Cardinalis Rogerij Clement. Sexti nepos, Gregorius Vndecimus nuncupatus. Hæc ex horum Pontificum gestis. Bzouius, Odoricus, & alij. Anni præsentis casus.

2 Pro hoc ann. ad minus, aut forsan proximè præcedentib. annumerari potest Conuentus Mazeriæ.

test fundatio Monasterij Mazariensis in Sicilia. Legitur enim in quodam Manuscripto Codice, cuius meminit Rochus Pyrrhus *in notit. Mazariensis pagina mihi* 537. in quo notabantur nomina Fratrum, quod *Fr. Marcus lo Vecchiazo anno* 1371. *sumpsit Religionis habitum in Conuentu de Carmelo Mazaræ, & cum annos* 89. *vixisset, obijt in Prioratu ann.* 1460. *& fuit vnus in principio fundationis.* Coluntur in hac Ecclesia Reliquiæ Sancti Viti, cranium videlicet, Sancti Alberti, de ligno Sanctæ Crucis, Sancti Stephani Prothomartyris, Sancti Laurentij Martyris, Sancti Blasij Episcopi, & Martyr. SS. Catharinæ, Barbaræ, Ceciliæ VV. & Mart. Marthæ V. Mariæ Magdalenæ, & Rosaliæ V. Panormit. Hinc plura virtutum, & litterarum germina pullularunt. Præsertim M. Vincentius de Monte egregius Ecclesiastes, M. Vincentius Letus vir doctissimus, & in prædicationis munere præcipuus, M. Bartholomæus Ragusius, omni scientiarum genere illustris, in regimine præcipuus, Ecclesiastes præclarus, Regi Philippo Secundo charus, Prouincialis Siciliæ, Vicarius Generalis in Diœcesi Agrigentina. Fuit etiam in Religione Socius Generalis Ioannis Baptistæ Rubei, exercuitque varia munia, de quibus in sequentibus dicetur. Sed valde, & singulariter commendatus, quod Episcopatum Tropiæ, & Ordinis Generalatum, non sine Summi Pontificis, & Romanæ Curiæ admiratione recusauit. Hæc, & alia, de hoc Patre, pleraque de alijs eius Conuentus egregijs Alumnis in præfato Pyrrho habet lector.

Nicolaus Linnensis.

3 Ordinem per id tempus illustrabat in florentissima Anglorum Prouincia Nicolaus Linnensis à Linna Ciuitate Regionis Norfolcensis cognominatus. In cuius Vrbis suburbijs, & Conuentu nostro sito ad stagnū Tegeum Carmelitanum sumpserat habitum. Vir in naturalibus scientijs insigniter eruditus, & in Mathematicis, Astrologorum sui temporis celeberrimus. Indiuiduum habuit sodalem, suorumque studiorum socium Ioannem Sombæum eiusdem Cœnobij Alumnum, in quorum duorum laudibus Galfredus Chaucerus admodum est profusus. Opera illius Nicolai magna cura in nobilissima nostrorum Noruicensi Bibliotheca seruabantur. Scripsit pro Ordine nostro *librum vnum*, de Ægrotantibus *librum vnum*, de varijs Genituris *librum vnum*, Canones Tabularum *librum vnum*, de figuris, & signis *librum vnum*, de Sphæra iudiciali *librum vnum*, de natura Zodiaci *librum vnum*, de Planetarum domibus *librum vnum*, Astrologorum dogmata *librum vnum*, de Mundi reuolutione *librum vnum*, de vsu Astrolabij *librum vnum*, de Ecclypsi Solis *librum vnum*, de Astrorum iudicijs *librum vnum*. Circa hoc tempus diem obijt extremum. De eo Balæus, Pitsæus, Harpsfeldius, Posseuinus, Biscarretus, & alij.

Nicolaus Durhamus.

4 Alter etiam Nicolaus, Durhamus, *Dulnhemensis*, vel *Dorhim*, cognomine, eiusdem Prouinciæ, & nationis Anglorum, ac Cœnobij Nouicastrēsis Alumnus, Ordinem sub hoc anno illustrabat. Fuit hic Philosophus, atque Theologus Oxonij insignis, vt ibidem propterea Doctoris insignia susceperit, & honorificè gestauerit. In illis enim scholis solidè docendo,

& subtiliter disputando magnum sibi nomen acquisiuit. Sed in eo maximam meritus est laudem, quod Ioanni Vviclepho nouas tunc hæreses inchoanti pro domo Dei strenuè se murum opposuerit, eiusque impios errores firmissimis rationibus confutauerit. Scripsit super Magistrum sententiarum *lib.4.* Originalia Doctorum *lib. vnum,* Determinationes quæstionum *lib. vnum*, contra Articulos Vviclephi, *lib. vnum.* De eo Balæus, Tritem. Bostius, Lelandus, Pitseus, Einsengrineus, Posseuinus, & ex nostris Petrus Lucius, & Biscarretus, qui eum amicissimum Thomæ Vvaldensi facit: etsi tempora non cohæreant.

5 Inter præcipuos autem, & clariores huius anni Carmelitas merito referimus Ioannem Hildesemensem, vel de Hildenheim, aut de Hildeashtym, vt alij vocant. Fuit hic natione Germanus, patria Saxonius, in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, sæcularium quoque litterarum non ignarus, Philosophus, & Poeta insignis, carmine exercitatus, & prosa, declamator sermonum ad populum formatissimus. Discipulus obsequiosissimus, & valde familiaris B. Petri Thomæ, dum esset Regens Auinione tempore Clementis 6. vt propterea fidele testimonium de reuelatione eidem B. Petro Thomæ de sui Ordinis perpetua duratione, dare potuerit, *in libro contra Detractores cap.5.* vt vidimus sub anno 1351. Optimè etiam meritus de Fratrum Mendicantium statu, quem contra Armachani asseclas strenuè defendit, cum alijs eorundem Ordinum alumnis, teste Nicolao Harpsfeldio *in hist. Anglican. sæcul.* 14. Ordinatus est ad legendum Biblia Parisijs pro secundo anno in Capitulo Generali Burdegalensi. Scripsit plura sui ingenij monumenta clara. Inter quæ egregium est opus de translatione trium Regum in Ciuitatem Coloniæ ad Florentium Episcopum Monasteriensem in Vvestphalia, *Chronic. historie. lib. 1.* Defensorium sui Ordinis *lib. vnum*, De monstris in Ecclesia *lib. vnum.* De fonte vitæ *lib. vnum,* De Antichristo *lib. vnum.* Conra Iudæos *lib. 1.* In turpia pingentem *lib. 1.* Epistolar. 80. *lib. 1.* sermonum variorum *lib. vnum*, & quædam alia, maxime carmina, & epigrammata. De eo Trithemius, Harpsfeldius, Pitseus, Posseuinus, Lucius, & Biscarretus,

Ioannes Hildesemensis.

6 Obijt hoc anno Iacobus Croatensis Episcopus, ex Ordine nostro assumptus, & Conuentus Mechliniensis alumnus. Sic habemus ex relatione Prouinciæ Belgicæ.

Iacob. Croatensis.

Ann. Christ. 1371. Gregor. 11. Roman. Pontif. 1. Caroli 4. Imperat. 26. Palæolog. Imperat. Orient. 31. Ioan Balistarij Generalat. 14.

Gesta hoc tempore. 1 HOc tempore Henricus Castellæ Rex, classe missa in ora Gallica, in causa fuit, Gallos adiuuãdo, vt Angli vincerentur: qua insigni victoria parta, Gallia reuiuiscere cepit. Æmilius, Gordon. Spõdan. Nec mirum cladem hanc Anglis contigisse; cum hoc ferme tempore eorũ vnus Vviclephus errores suos spargere conaretur. Bzouius, Spondanus.

Gesta Gregorij Papæ. 2 Pontifex Gregorius 11. diademate accepto, benignum se erga Ordinem nostrum ostendere cepit. Etenim hoc primo anno, & nonis Aprilis Ordinis Generali auctoritatem absoluendi Apostatas cõcessit: per Bullam, quæ incipit *Prouidi more pastoris*. Ioannes Palæonydorus *lib. 3. c. 12.* etsi error sit in numero annorum, cum dicat id accidisse anno 1370. dicturus anno 1371.

Visitator Ordinum. 3 Deinde, quia in Regno Siciliæ, Ecclesiæ, & Monasteria Ordinum, ab antiquo forsan rigore (quod humanum est) descriuerant, Bertrandum Archiepiscopum Neapolitanum, Visitatorem, & Reformatorem omnium Ecclesiarum, personarum Ecclesiasticarum, & Religiosarum in Regno Siciliæ citra Pharum constituit 4. Kalend. Octobris. Bzouius *num* 11.

Ioannes Suuaffamus. 4 Item Ioannem Suuaffamum, vel vt volunt alij Suuashamum, Anglum Cantabrigiensem Doctorem Ord. nostri Episcopatu Banchorensi donauit. Pitseus *de Illustrib. Angl. Scriptorib. ætate 14. num. 712.* Quo anno id acciderit nobis incorpertum, & ideo in huius Pontificis primum annum id referimus.

Simon Kraimon. 5 Insuper Simonem de Craidmond, vel vt in actis Carmelitanis scribitur *Kraimond*, ex Monasterio nostro eiusdem nominis in Scotia, Patriarcham Antiochenum declarauit hic Papa, vt habet Thomas Dempsterius Scotus *in Apparatu ad histor. Scoticam lib. 1. cap. 11. & lib. 2. in Mantissa ad cap. 12.* referens etiam Democharem *t. 2. pag. 44.* Solum hic aduertendũ, non posse cohærere ea quæ Dempsterius dicit de Patriarchatu Anthiocheno huic Simoni dato à Gregorio X1. instante Carolo 6. Galliarum Rege. Carolus enim ille Regni gubernium cepit anno 1380. quo anno Gregorius è vita iam decesserat, quare pro Carolo 5. qui hoc tempore Galliam tenebat Carolum sextũ per errorem scriptum credimus. Similiter nec subsistit, quod idem Dempsterius de hoc Simone inquit, fuisse videlicet Episcopum Pictauiensem 76. non solum quia in Gallia Christiana Claudij Roberti, vbi diligenter successio Episcoporum Pictauiensium recensetur, Episcopus 76. ponitur Guido Malesicco. Quia tamen pro Episcopo 78. ponitur

Simon

Simon de Cramando, qui magnam nominis similitudinem cum hoc nostro Simone habet; ideo lector monendus diuersos esse hos duos Simones in multis. Primò equidem, quia noster iste, *Craidmond*, vel *kraimond*, seu potius *ketus*, vt Dempsterus notat, cognominabatur; alter vero *Cramandus*. Deinde, quia noster Simon *Scotus* erat, alius vero *Gallus*. Præterea, quia iste Cramandus Gallus, non solum Pictauiensis Episcopus, sed etiam Agenensis, Britenensis, Carcasonensis, Auenionensis, & Archiepiscopus Remensis; imo, & Cardinalis à Ioan.23. creatus fuit; vt habent Ciaconius, & Ferdinandus Vghellus in eod. Ioann.23. hæc autem nullatenus competunt nostro huic *kraimondo* Scoto. Erroris tamen causa potuit esse, quod vterq; fuerit Patriarcha; sed noster *Antiochenus*, Gallus vero nõnisi Alexandrinus. Verba autem Dempsterij in loco relato hæc sunt; *Simon de Craimond, aut, vt in Actis Carmelitanis*, Kraimond, *Monachus Beatiss. semper Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Patriarcha Antiochenus, sic à Monasterio suæ professionis nominatus, cum nomen ei gentilitium fuisset* Kethus, *Comitis hic Martialis Nepos, Regi Roberto 2. gratissimus, cum Vvaltero Vardlau Cardinali ad Carolum 6. Galliæ Regem destinaretur Orator, federis cum ea gente feriendi gratia, tam gnauiter suo munere functus est, vt Carolus eum Episcopatu Pictauiensi donarit, qui 76. in ea catedra sedit, & ne quid dignitati deesset à Gregor. XI. vt Patriarcha Antiochenus declararetur, precibus quidem illius, sed longè magis meritis proprijs impetrauit meminit Democares t.2. pag.44.*

6 Diuionensis Conuentus in Gallijs, qui sub Narbonensi Prouincia est, hoc anno, Duuione sedente Gulielmo Tertio de Pictauia, Lingonensi Episcopo, ea in Ciuitate institutus fuit. Sic enim ex Claudio Roberto in *Gallia Christiana*, dum de Lingonensibus Episcopis agit, ac ex relatione Prouinciarum Galliæ elicimus. Diuionensis Conuentus.

Ann. Christi 1372. Gregor. 11. Roman. Pontif. 2. Caroli 4. Imperat. 27. Palæolog. Imperat. Orient. 32. Ioann. Balistarij Generalat. 15.



1 OB absentiam Pontificis in Italia iterum Bernabos turbines moliebatur, sed à Pontifice, & alijs subsidiarijs repressus fuit. Bzouius, Odoricus. Mortuo Petro Rege Cypri, quem veluti spiritualem filium Beatus Petrus Thomas noster semper habuit, res illius Regni in peius procedebant. Platina, Spondanus, Odoricus. Raimundi Lulli Balearis opera hoc tempore ad iudicium tracta; quibusdam eadem damnantibus, alijs defendentibus; sub trutina tamen Sedis Apostolicæ, sicut & viri probitas, adhuc manet. Bzouius, Vvadinghus, Odoricus. Gesta hoc tempore.

2 Hoc anno, qui secundus erat Pontificatus Gregorij, pro Ordine nostro confirmauit indultum Innoc.6. & quod in aliorum Ecclesijs tempo- Papæ Indultum.

re interdicti possemus diuina celebrare, per Bullam quæ incipit; *Prouisionis nostræ.* Palæonydor.*lib.3.cap.12.* Quodnam fuerit hoc indultũ Innocentij 6, non explicat Palæonydorus, videtur tamen esse id, de quo agimus circa ann. 1360. & ita constat ex Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria Collecto pag. 3.

Monasteriũ Budense. 3 Budense Monasterium in Vngaria sub hoc anno Ordini additum. licet de ipso, ac de Præbidiensi, Eperiensi, QuinqueEcclesiensi, pauca documenta extent, iniuria temporum; Turcarum, & Hæreticarum, qui illa iam pridem occuparunt.

Vincentinũ. 4 Vincentiæ quoq; Nobili Italię Vrbe Ecclesia nostrorum erecta eodẽ anno pia opera & deuotione Illustriss. Domini Ioannis de Surdis de Placentia Episcopi Vicentini. Vt patet ex inscriptione hac, quæ videtur in latere sinistro exteriori Ecclesiæ marmore incisa. *MCCCLXXII. Indictione X. die 24. Iunij Reuerendissimus in Christo Pater, & Dominus Ioannes de Surdis de Placẽtia, Dei gratia Episcopus Vincentinus fundauit istam Ecclesiam ad honorem, & sub titulo D. Iacobi Apostoli de Galitia, quam deputauit Ordini fratrum Gloriosæ Mariæ Virginis de Carmelo, pro remedio animæ suæ, vt ipsi fratres dicti Ordinis in ipsa Ecclesia perpetuò debeant diuina Officia celebrare, & pro anima præfati Domini Episcopi commemorationẽ facere.* Claruerunt in hoc Cœnob. inter alios Magister Hieronimus Calidonius, de quo anno 1540. Magister Iacobus Chericatus in Concil. Tridentino Theologus, de quo anno 1572.

Guillelmus de S. fide. 5 Eodem anno mortuus, & sepultus est Noruici in Anglia in Cœnobio nostro Guilhelmus de Sancta fide insignis ea tempestate Ordinis nostri alumnus. Cantabrigiæ Doctoralem suscepit infulam, eiusque pietatem, & doctrinam scripta ipsius satis declarant. Scripsit autem initiationum Theologorum, & Theolog. determinat. *lib.* 1. De Conceptione B. Virg. Mariæ *lib.* 1. Quodlibetorum *lib. vnum*, sermonum per annum *lib. vnum*. De ipso agunt Balæus, Pitseus, Lelandus ab ipso relatus, Harpsfeldius, Posseuinus, Biscarretus.

Thomas Vvichinghamus. 6 Claruit etiam per idem tempus Thomas Vvichinghamus in nostro Conuentu Noruicensi in Anglia alumnus. Hic postquam in patria sua humaniores litteras, & prima Philosophiæ rudimenta didicit, in inferiorem Germaniam profectus, Coloniæ Agrippinæ Philosophicis, & Theologicis studijs strenuam magno cum prouentu nauauit operam: æmulus aliorum eusdem cognominis, Ordinisque nostri auctorum, quorum memoriam suo tempore agimus. Multos scripsisse libros, Lelandus testis est; sed Pitseus ait vnius solius, scilicet sermonum *libri vnius*, titulus extat. Cæterum Thomas Iames in sua Ecloga ait in Collegio Oxoniensi reperiri Quæstiones Theologicas *lib.* 1. Insuper, teste Biscarreto, in nostra Bibliotheca Conuentus Florentiæ extat volumen in membrana folio sup. Magistrum sententiarum lib. 4. De ipso post Lelandum, Pitseus, & Biscarretus relati.

Fuit

7 Fuit sub eodem anno Synodus Generalis alia in Ordine per Ioannem Balistarium supremum Præsulem celebrata in Conuentu Aquensi, seu Aquis mortuis, vt Bostius *lib. 7. Specul. histor. cap. 44* scribit, die Pentecostes 16. Maij, Occasione forsan, quod Pontifex Gregorius litteris datis, quas ex Registro Vaticano refert Odoricus *sub hoc anno in fine*, præceperat nostris Religiosis, & alijs Mendicantibus, ac etiam Cistertiensibus, vt huiusmodi solemnes Conuentus congregarent pro disciplina Regulari cōseruanda. Recensentur in ea 15. Diffinitores, totidem Prouinciarum, deficientibus Prouinciarum Terræ Sanctæ, Scotiæ, Angliæ, & Siciliæ, Diffinitoribus. Item 19. Prouinciales Prouinciarum Ordinis. Taxantur pro expensis communibus. Constituuntur Prouinciales, & Procurator Ordinis Magist. Bartholomæus Paironis. Nominantur Priores Parisiensis, & Curiæ Romanæ, ac Lectores sententiarum, & Bibliorum Parisijs, & Tholosæ, Regensque, ac Baccalaureus Curiæ Romanæ. Capitulum Generale.

8 Decretum fuit in hoc Capitulo, Generalem posse concedere facultatem vendendi libros librariæ inutiles, & duplicatos, iuxta conditiones tamen in præcedenti Capitulo anno 1369. designatas. Item quod posset facere omnia, quæ Diffinitores facere possunt, exceptis ijs, quæ in Capitulis præcedentibus excepta erant. Præterea ad proprietatem omnino eradicandam (quod forsan Papa in litteris relatis præcipuè intendit) statuitur, quod nullus quicunque fuerit, Religiosus, teneret bona aliqua immobilia, vel animalia, &c. sub pœna proprietariorum. Tandem decretum fuit, quod quicunque fratres obtinentes gratiam aliquam à Priore Generali, vel Prouinciali sub quocunque verborum tenore, tenerētur copiam illius gratiæ dare Priori Prouinciali, vel locali, aut eorum Vicarijs, sub pœna perditionis gratiarum. Constant hæc ex libro Ordinis fol. 9. Decreta.

9 Illustriores Patres huius Capituli sunt præter Ioannem Ballistarium Generalē Magist. Bartholomæus Peronis Procurator Gen. Or. Præsentatus Parisiensis, Bernardus de Roma Diffinitor, & Prou. Romæ; Ioānes Golem Franc. Diffin. Germaniæ Inferioris Diffinitor, & Prouincialis fr. Hermānus; Bernardus O erius Prouinciæ Prouinciæ Diffinitor; Magister Michael de Bononia; Diffinitor Cathaloniæ Philippus Riboti; Vasconiæ Diffinitor, & Prouincialis Philippus de Causaco, Angliæ Prouincialis Thomas Broni, Cathaloniæ Prouincialis Franciscus de Baccone. Lecturus sententias Parisijs tertio anno, & primo Biblia, Blasius Azemarius. Item Lecturus Biblia Parisijs tertio anno, ac Baccalaureus in Curia Romana Franciscus Martini. De quibus omnibus suis locis dicimus. PP. Illustriores.

10 Et quidem Philippus de Causaco, Vasconiæ Diffinitor, & Prouincialis in hoc Capitulo inter insignes Patres referri dignus est. Fuit enim primus eiusdem Prouinciæ Præsul in Capitulo Generali anno 1369. in Treuerensi anno 1362. ac in Monte Albanen. anno 1366. vocatus. Philippus de Causaco.

11 Maximè autem Franciscus de Baccone Cataloniæ Prouincialis in hoc Capitulo institutus, celebris fuit in Ordine nostro, & Hispania. Fuit Franciscus de Baccone.

hic


hic Patria Cathalanus, & Conuentus Gerundensis; vir in diuinis Scripturis eruditus, & in Philosophia sæculari nobiliter doctus, tantumque docendo, & disputando in Parisiensi Vniuersitate valuit, vt Doctor *sublimis* cognominatus sit. Ordinatus fuit in Capitulo Generali Ferrariensi an. 1357. ad legendum sententias Parisijs pro decimo anno, & Biblia pro nono. In Capitulo autem Generali Treuerensi anno 1362. ordinatur ad legendum sententias Parisijs pro tertio anno. Deinde in Capitulo Generali Montis Albani anno 1366. vocatur Procurator Generalis Ordinis, & in sequenti Montispessulani anno 1369. Diffinitor, & Prouincialis Cataloniæ, vbi specialiter titulo Magistri decoratur; quo innuitur lauream Doctoratus eo tempore accepisse. Scripsit inter alia opus magnum, & insigne ex scriptis Sanctorum Patrum, satis vtile diuini verbi declamatoribus, quod prænotare possumus Repertorium Prædicantium *librum vnum*; item super sententias *libros quatuor*, qui habentur in nostra Transpontinæ de Vrbe Bibliotheca, & iuxta decretum, & mandatum Ordinis Typis debent mandari. Fertur præterea quædam alia scripsisse. Claruisse dicitur etiam anno 1410. sed cum in his Capitulis de ipso mentio reperiatur, non autem in sequentibus, ideo huic tempori illum adijcimus. De eo loquuntur Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, Andreas Scottus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui ait obijsse hoc anno in Conuentu Campi Rotundi.

Thenense Cœnobium.

12 Thenensis etiam Cœnobij in Belgica Prouincia fundatio præsenti anno ascribenda, vel circiter; vt ex litteris originalibus à Ioanna Ducissa Brabantiæ constat; et ex alijs Prouincialis, & Guardiani Ordinis Sancti Francisci, quibus permittunt Carmelitis pergere in opere inchoato de anno 1375. ad instantiam prætatę Ducissæ, non obstante indistantia cannarum, quæ prætendebatur. Hæc ex relatione huius Prouinciæ accepimus. Sicut quod ex eo prodierit vir doctissimus Ioannes Beetz, cuius memoriam sępius in nostris operibus Theologicis facimus; & infra circa ann. 1476. Dionysius Stephanus Episcopus Rossensis, & Ioannes Meierius vir eximius.

Ann. Christ 1373. Greg. 11. Roman. Pontif. 3. Carol. 4. Imper. 28. Palæolog. Imper. Orient. 33. Ioannis Balistarij General. 16.

Huius temporis casus.



1 SEcta Turelupinorum, seu Cynicorum, quæ hoc tempore vigebat, à Gregorio Papa damnatur, eradicatur, & flammis addicitur. Adeo enim impudens erat, vt eius asseclæ pudenda ostentarent, & publicè coirent: voce etiam orandum esse negabant. Prateolus, Sanderus, Genebrardus, Gualterius; Vexabat etiam Italiam

Bernabos

Bernabos in superioribus relatus, plura etiam contra personas Religiosas crimina perpetrans, propterea iudiciaria potestas in eum à Pontifice exercetur. Odoricus *sub hoc anno*.

2 Contigit etiã hoc anno, vt pretiosissima morte corporis vitam finierit Sanctus Andreas Corsinus. Cum enim pro iuribus Pontificijs certanti Gregorio Papæ, reformationique Ecclesiarum, & Monasteriorum intento, Andreas ad laboraret (Bzou. *to.* 14. *sub hoc anno n.*7.) accidit vt ann. ætat. suæ 71. in Natiuitatis Domini nocte, anno videlicet 1572. præcedenti, B. Virg. visionem habuerit, quam, eiusque mortem, aliqua etiam mira, quę post ipsam euenere, verbis Laurentij Surij ipsius vitæ Scriptoris, sic damus: *Anno igitur ætatis suæ 71. In nocte Natiuitatis Domini, in* Ecclesia *Cathedrali, dum solemni pompa rem diuinam faceret ei Virgo gloriosa apparuit, nuncians ei obitus sui diem in proximo mense, videlicet octauo idus* Ianuarij*, quo die Epiphania Domini celebratur. Qua quidem reuelatione tanto gaudio repletus est, vt qui prius ob victus parcitatem macilentus, atque scalore perfusus erat, seraphico pene colore perfusus sit. Non secus, vt Beata Virgo prædixerat, morbo correptus, eo die naturæ concessit, in cuius transitu multa diuinitus prodigia facta, illum ad superos euolasse testantur. Ea nocte, qua è vita decessit, multæ Virgines visiones viderunt: namque, vt fertur, puella decem annorum in somnis vidit reseratum cælum, atque scalam, quæ ad cælum vsque pertingebat, per quam Episcopus Pontificali veste indutus ascendit. Hunc alij duo* Episcopi *hinc, & inde comitabantur: quam rem cum matri indicaret Andreas Corsinus, ait illa, conscendit ad superos, & post cognouit* Beatum *Andream eadem hora transijsse, qua Virgo ad Cælos ascendisse Episcopos in somno viderat. Ea nocte alia Virgo nobilis, cui Andreas cum adhuc viueret, diem mortis prædixerat, moriens alta voce clamauit:* Eia *Christi Præsul expecta me, vt vna cælestem Patriam ingrediamur, his dictis ad cælum supplices manus extendens ab hac luce migrauit. Sed quid ego narrem, quæ circa Beati Viri obitum gesta sint, quæ verba, quæ præcepta vitæ, quas traditiones Religionis dederit, quæ lux circumfulserit morientem, quantæ suauitatis odor à Defuncti corpore spirauerit, quam multi ex diuersis languoribus, ac morbis tactu Sacri corporis mirabiliter sanitati restituti sint. Mortuus est anno ætatis suæ 71. Pontificatus anno duodecimo, ab Incarnatione vero Domini anno 1373. octauo Idus Ianuarij, cuius anima cum Beatis Spiritibus superni Regis faciem contemplatur. Corpus eius de more funebri pompa Fesulis in* Ecclesia *Cathedrali lapideo busto conditur; licet testamento reliquerit apud Carmelitas Florentiæ sepultum iri. Oppidani ergo, ob miram viri sanctitatem Corpus Florentiam deferri non permiserunt, namque in eo protectionis plurimum fore sperabant. Carmelitæ autem opportunitatem temporis nacti noctu clam corpus sublatum Florentiam deferunt, vbi ex eo tempore multis miraculis corruscauit.* Hæc Surius in vita Sancti Andreæ Corsini. Alia etiam Odoricus *num.* 27. & 28.

Obitus S. Andreę Corsini.

3 Ex eo autem, quod in prædicta relatione de morte Sancti Andreæ Corsini dicatur, Virgines multas tempore decessus eiusdem è vita visiones

Castitas.

nes habuisse, elicimus illibatam castitatis pudicitiam ad mortem vsque seruasse. Id autem habetur in Officio proprio eiusdem Sancti, à Sacra Congregatione Rituum approbato, vbi in responsorio 5. Lectionis dicitur: *Virginis Mariæ vestigia sequens carnis corruptionem non nouit, & albis indutus vestibus candidiori chlamyde intus in animo tegebatur. Virgo Religionis claustra ingrediens, è corporis ergastulo ab omni immunditia carnis intactus exiuit.* Et in prima Antiphona ad laudes: *Hic est Mariæ Virginis imitator idoneus, qui virgo electus Virginitatis dignitatem perpetua integritate seruauit.* In hymno etiam laudum *Iuuenis pudicus* nominatur, & in Antiphona *Benedictus*, eadem quæ in Responsorio 5. lectionis dicebantur, iterum repetuntur. Deinde Cardinalis Dettus in Relatione Processuum ad Vrban. Octau. in Consistorio: *Quid de eius castimonia?* & infra: *Et licet adolescens ante Religionis ingressum, liberis, dissolutisque moribus fuisset, peculiari tamen Dei beneficio illibatam seruauit ad mortem vsque pudicitiam, quod ipsemet Canonico familiari, commensalique suo post obitum apparens candidis indutus vestibus, lilia, ac rosas, in manibus præferens testatus est, addens illa virginitatis suæ argumenta esse, ideoque cum Virginibus agnum sequi.* Hoc ipsum de virginitate Sancti Andreæ habetur in vita eiusdem Sancti *cap. 5. num. 25.* apud Bollandum pro 30. Ianuarij. Vbi etiam fit mentio de visione ab ipso post obitum facta. Quam etiam refert Franciscus Venturinus Episcopus de Sancto Seuero *in vita eiusdem Sancti Andreæ* dicens: Post obitum apparuisse Canonico Guidoni viro honesto, ac familiari suo multis floribus in manu, ei dicens, illis ornatum esse in signum virginitatis suæ.

Corrigēdus Ribadeneira

4 Vnde corrigendus videtur Petrus de Ribadeneira *secunda par. Flos Sanctorum 6. die Ianuarij*, dum de Sancto Andrea nostro scripsit, in iuuentute concupiscentiæ igne inflammatum, inhonestis voluptatibus deditum fuisse, quod etiam sequitur Ioannes Petrus Maffeus *in vita eiusdem Sancti.* Cum enim Ecclesiæ testimonio, & aliorum plurium, qui vitam, & gesta Andreæ litteris commendarunt, oppositum habeatur, & ætatis quindecim annorum, quo tempore Sanctus Andreas Ordinis habitum sumpsit, id suadeat, sine causa tale crimen Sanctissimo Viro impingitur: cum ea, quæ de Lupinis moribus ipsius ante Habitus susceptionem scribuntur, solum conuincant liberos iuueniles, & inordinatos mores illius ætatis, non autem virginitatis, saltem corporalis, corruptionem.

Apotheosis.

5 Sancti Andreæ apotheosim non modo probant plura, & antiqua Ordinis Officia, ea præsertim, quæ sæpius à Sede Apostolica approbationem meruere, sed maximè solemnissima ipsius Canonizatio ab Vrbano Octauo anno 1629. prout eam eo anno referemus, Insuper relatio Paulo Quinto facta à tribus Sac. Rotæ Auditoribus, Sacrato Archiepiscopo Damasceno, Ioanne Baptista Coccino Decano, & Alphonso Manzanedo, quam refert Bzouius *sub hoc anno num. 9.* & nos afferimus in nostris Consultis varijs, Consult. 1. Quid vero tempore Eugenij Quarti circa id factum est referimus suo loco.

Hinc

6 Hinc in Martyrologijs Sanctorum, idem Sanctus Andreas honoratur, vt in nouissimo Romano, auctoritate eiusdem Vrbani Octaui edito Romæ anno 1632. pro sexta die mensis Ianuarij. Item in Martyrologio, seu Festis SS. Philippi Ferrarij, & in Auctuario Vsuardi: quod etiam faciunt Molanus in Additionibus, Canisius in Martyrologio Germanico, Galesinus *in Annotationibus ad 6. Ianuarij*. Heribertus Rosvvedius *in Fastis Sanctorum*. Ex Martyrologijs.

7 Quamuis autem in huiusmodi Martyrologijs festum Sancti Andreæ pro die sexta Ianuarij afferatur, eo quod ea die obierit: nihilominus Ordo noster, non ea die, sed 30. eius mensis ipsius festum, vt locum relinquat Sacro Epiphaniæ festo, eius Octauæ, & aliorum SS. festiuitatibus eo tempore occurrentibus. Excepto Florentiæ Cœnobio, in quo Sancti Andreæ festiuitas die septima Ianuarij, & prima infra octauam Epiphaniç colitur. Cum vigilia etiam, & ieiunio fratrum die antecedente Epiphaniam, ob tanti Sancti, cuius corpus in ea Ecclesia est, deuotionem. Qua die.

8 Ipsius porro vitam, gesta, & miracula, plures, grauesque Auctores scripserunt, specialiter Franciscus Catanius Dacettus, Fesulanus etiam Episcopus *in gestis Pontificum Fesulanorum*. Laurentius Surius *tomo primo pro die 6. Ianuarij*. Zacharias Lyppelous, *tom. 1.* Gabriel Fiamma *volum. 1.* Alphonsus Villegas *de vitis Sanctorum*. Franciscus Haræus, Petrus de Riuadeneira, Ioannes Petrus Maffeus, omnes *de vitis Sanctorum*, Siluanus Razzicis *de Sanctis Hetruriæ*, Abraham Bzouius, & Odoricus *sub hoc anno*, Franciscus Venturinus Episcopus de Sancto Seuero, Federicus Christophanus, Ioannes Bollandus in Actis SS. pro die 30. Ianuarij, vbi duplicem ipsius vitam sequitur; alteram ex Codice manuscripto Vaticanæ Bibliothecæ, notis illustratam per Dominicum à Iesu Carmelitam excalceatum; & breuiorem aliam ex manuscripto Monasterij Rubeæ Vallis Canonicorum Regularium in Sonia sylua iuxta Bruxellam. Ferdinandus Vghellus Cistertiensis *in Italia Sacra tom. 3.* dum agit de Episcopis Fesulanis. Quibus iunge ex Ordine nostro Historicos, præsertim Palæonydorum *lib. 3. cap. 12.* Didacum Coriam *lib. 11. cap. 10.* Petrum Thomam Sarracenum in Menologio Carmelitarum, Casanate, ac alios. Plerosque etiam alios, qui de ipso honorificam agunt mentionem, prolixitatis vitandæ caussa prætermittimus. Sicut etiam plura alia gesta, & miracula eiusdem Sancti Andreæ, quæ apud præfatos Authores, specialiter Bollandum, & Sarracenum leguntur. Eo quoque, quod intentum nostri operis, non tam est vitas Sanctorum Ordinis nostri referre, quam Annales scribere. Quod dixerim ne quis credat Sancti mihi deuotissimi, & omni reuerentia dignissimi, historiam exactam, & completam me texere noluisse, ex oscitantia, aut negligentia, non autem ex breuitatis studio, vt dixi. Scriptoris.

9 Sed non grauabor hic apponere sepulchralia carmina à Ferdinando Vghello relato adducta, quæ Christianum Vghellum eius fratrem nostri Florentini Conuentus Priorem ad ipsum misisse scribit. Carmina sepulchralia.

 Montis

Montis Carmeli de Religione vetusta,
Raptus ad Ecclesiam, Fesulanamque mytram.
Progenie celebris, virtute celebrior omni,
Hac de Corsinis marmore subtegitur.
Andreas Christi famulus de iure vocatus
Numinis aeterni totus in obsequio.
Virtutis cultor, pater, auxiliator egenis
Exemplo vitae mirus, & eloquio.
Qui qualis fuerit miracula multa fatentur;
Quae Deus ostendit corporis ad tumulum.

Nec ista quę cecinit Varinus *lib. 2. de illustrat. Vrbis Florent.* ab eadem etiam Ferdinando Vghello relata.

Necnon Andreas Corsinus origine clara,
Clarior at longe Carmeli cultor Eremi,
Antiquos superauit auos, Christoque iubente,
Proditus è siluis Fesulanam pastor ad Ædem
Protrahitur, vita quoniam mortalis honores
Spreuerat. Hic populos verbis, & rebus honestis
Erudijt, primum faciens quae lingua docebat.
Plus probitas morum suadet, quam lingua diserta.
Tam Sancti primo memorantur tempore mores,
Cum ferueret adhuc Christi calefacta cruore
Mens Patrum, nec adhuc Ecclesia nosceret aurum.

Blasius Azemarius.

6 Eo etiam tempore clarus describitur in Ordine nostro Blasius Azemarius, vel Andemarius, natione Gallus, Vir doctus in Scripturis Sanctis, & in palestra scholastica notabiliter exercitatus, ingenio clarus, & disputator egregius. Hic fuit in praecedenti Capitulo Generali Lector sentētiarum Parisiensis pro tertio anno, & Lector Bibliorum pro primo designatus. Scripsit super sententias opus valde notabile, *lib. 4.* Quaestiones, & collationes *lib. 1* Dicitur etiam de Philosophia morali, nonnulla quoq; scripsisse. De eo fit mentio in Speculo Ordinis in Cathalogo Doctorum Religionis, vbi etiam nomine *Magistri* vocatur. De ipso quoque Ioannes Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui ad annum 1400. ipsius vitam protrahit.

Ann.

Ann. Christi 1374. Gregor 11. Roman. Pontif. 4. Caroli 4. Imperat. 29. Palæolog. Imperat. Orient. 34. Ioann. Balistarij Generalat. 17.

1 PRomittebat hoc tempore Papa Gregorius à pluribus rogatus se quam primum Sedem Vrbi restiturum. Bzouius, & Odoricus. Iterum recrudescebant Fratricellorum errores, solum apud seipsos verum Papam existere effutientium, contra eos vero Pontifex prouidebat. Vvadinghus, & Odoricus. Gesta huius anni.

2 Orta fuit his diebus grauis controuersia Cantabrigiæ in Anglia, motore Ioanne Stocco, vel StoKes Dominicanæ grauissimæ familiæ, circa Ord. nostri antiquitatem, & confirmationem contra quē insurrexit Ioannes Hornebius Doctor Cantabrigiensis nostri Ordinis alumnus. Qui publicis etiam disputationibus, & libris scriptis ipsi strenuè se obijciendo publicum ab Academia testimonium, & diploma ad tutelam Ordinis, ipsiusque antiquitatem confirmandam impetrauit. Casum referunt Balæus in Catalogo Scriptorum Brittanniæ, Ioannes Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 14. *num.* 636. *&* 637. Decreta tamen Cantabrigiensis Gymnasij sub Ioanne Duvvico Academico Rectore, & alijsque Doctoribus præsertim Rogero de Faleslei Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, & Ioannis de Barnebagh Ordinis Minorum, sunt, quæ sequuntur. Controuersia in Anglia.

2 *In nomine Domini, Amen. Per præsens publicum Instrumentum cunctis appareat euidenter, quod anno eiusdem secundum cursum, & computationem Ecclesiæ Anglicanæ* 1374. *Indictione* 13. *Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri D. Gregorij digna Dei prouidentia Papæ* II. *anno quinto* (*Dic tu anno quarto*) *mense Februarij die* 23. *in quadam Capella Ecclesiæ Beatæ Mariæ Cantabrigiæ in fine occidentali retro ostium Boreale eiusdem Ecclesiæ Eliennensis Diœcesis; Venerabilis et circumspectus vir Magister Ioannes de Donelbico, Canonicus Condonensis, Decretorum Doctor, Cancellarius Vniuersitatis Cantabrigiæ in Prouincia Anglicana, vna cum venerabilibus, & discretis viris Magistris Guillelmo de Goothm, fratre Rogero de Faleslei confratre Ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini, Fratre Ioanne Barnebagh confratre Ord. fratr. Minor. Sac. pag. professoribus: Gulielmo Gramby Licentiato in Theologia, Valtero de Felstede Decretorum Doctore, Rectore Ecclesiæ paroch. de Henneyngforde Lincolnien. Diœcesis, Nich. de Bothishm. Magistro in Artibus, & vtriusque Iuris Baccalaureo Rectore de Capell. Ioanne ket Magistro in Artibus: sibi ad infrascripta vidend. & audiend. ex parte Vniuersitatis prædictæ assignatis, seu deputatis, vt tunc ibidem dicebatur, in mei Notarij publici subscripti, testimoniorumque infrascriptorum præsentia constitutus, dixit expresse, & asseruit, iuxta, & secundum quædam allegata, & exhibita coram eo, &* Decreta Cantabrig. Academiæ.

præfatis venerabilibus personis, per Reuerendum, & Religiosum virum fratrem Ioannem de Hornebi confratrem Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Sacræ paginæ Professorem, in dicta Vniuersitate Regentem, tum videlicet per iura, & doctores in vnum, & idem consonantes, tum per litteras Apostolicas, Regulam, & Priuilegia dicti Ordinis continentes, tum per Chronicas antiquas, & alias scripturas, antiquitus, & à tempore, cuius hominum memoria non existit, compilatas: euidenter sibi liquere prædictum Ordinem Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli, in iure communi confirmatum, & titulo gloriosæ Virginis B. Mariæ Dei Genitricis specialiter fore insignitum, fratresque eiusdem Ordinis, prout eidem Cancellario per prædictas scripturas antiquas apparuit, imitatores, & successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei. Vnde præfatus dominus Cancellarius per eundem fratrem Ioannem de Herneby, ipsius iurisdictioni se in hac parte submittentem, pro declaratione præmissorum, rogatus instanter, & requisitus sæpe: dictum Ordinem fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in iure communi confirmatum, et titulo gloriosæ Virg. Mariæ Dei Genitricis specialiter fore insignitum, & fratres dicti Ordinis imitatores, & successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei pronunciauit, decreuit, & declarauit in hunc modum. Nos Ioannes de Donelbyco Cancellarius Vniuersitatis Cantabrigiæ, auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs, lectis, & examinatis, vna cum Chronicis, & scripturis antiquis, Ordinem fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli in Iure communi, ac speciali confirmatum, tituloq; gloriosæ Virg. B. Mariæ Dei Genitricis fore specialiter insignitum, & fratres dicti Ordinis, prout nobis apparuit per Chronicas, & alias scripturas antiquas imitatores, & successores esse Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei pronunciamus, decernimus, et declaramus. De quibus vero declaratione, decreto, et pronunciatione idem Dominus Cancellarius, et sæpe dictus frater Ioannes de Horneby rogauerunt me publicum conficere Instrumentum. Acta fuerunt hæc sub anno indictione Pontificatus, mensis die, et loco supradictis: præsentibus discretis Magistris Gulielmo Redilhyntir, Gulielmo de Elinhim Magistris in Artibus, et dicta Vniuersitatis procuratoribus, et Thoma Godmecheſtre Clerico Norlhicensis Diœces. Notario Apostolico ad præmissa vocatis, et specialiter rogatis. Et ego Ioannes de Brandeneferia clericus Norlhicen. Diœces. &c.

Aliud Decretum.

Aliud Decretum.

4 Vniuersis Sanctæ Matris Ecclesiæ filijs præsentes litteras inspecturis. Ioannes de Donelbico Cancellarius Vniuersitatis Cantabrigiæ, salutem in Domino sempiternam. Cum nuper à nonnullis Vniuersitatis prædictæ studentibus, institutio, intitulatio, & confirmatio Ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, nimis præsumptuose reuocabantur in dubium, vnde discordiæ, ac rixæ quamplurimæ inter seculares eiusdem Vniuersitatis fuerant suscitatæ, necnon magna perturbatio inualescebat in eadem. Ea propter Religiosus Vir frater Ioannes de Hornebij Sac. paginæ professor dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli confrater, in ipsa Vniuersitate Regens nobis in plena congreg. Regentium humiliter, & deuote pro remedio opportuno per nos ordinando in præmissis instanter supplicauit.

Nos

Nos verò Ioannes Cancellarius ante dictus, cupientes materias dissensionum, ac iurgiorum amputare, & veritatem præmissorum indagare, prout ad nos attinet, quietem eiusdem Vniuersitatis scolaribus reparare, præfiximus certum diem dicto Religioso viro Fr. Ioanni *de Hornebij ad comparendum coram nobis, ac alijs venerabilibus per Vniuersitatem regentium, & non regentiũ vnanimi assensu eorundem, nominatis, electis, & ad assistendum nobis deputatis, omnibus quorum interest in hac parte legitimè præmunitis, exhibituro, ac propositur o euidentias, & monimenta quæcunque, dictas, institutionem, intitulationem, & confirmationem ipsorum fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli concernentia. Quo quidem die idem frater Ioannes comparuit, & quædam priuilegia Sedis Apostolicæ, ac Regulam eorum per eandem Sedem approbatam, ac etiam alia monimenta, & antiquas scripturas coram nobis Cancellario, & deputatis antedictis exhibuit, consensu, & assensu dicti Ord. confratrum præhabitis, & cum instantia nos requisiuit, ac rogauit, nomine suo, ac Ordinis sui, & confratrum suorum prædictorum, vt auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs eorum, Regula, & alijs huiusmodi monumentis, & antiquis scripturis, ac diligenter rimatis, & discussis, super præmissis veritatem decideremus, & declararemus. Nos verò Cancellarius memoratus attendentes præmissa consona esse iuri, & rationi, auditis rationibus, & allegationibus, visisque priuilegijs, lectis, & examinatis, vnà cum nonnullis alijs monumentis, & scripturis antiquis, de consilio, & consensu discretorum, & iurisperitorum dictæ Vniuersitatis nobis assistentium in ea parte, & per eandem deputatorum, dictum Ordinem fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli in iure communi, ac speciali confirmatum, & titulo Beatæ Mariæ Dei Genitricis specialiter insignitum, ac fratres dicti Ordinis, prout sufficienter apparuit per præmissa exhibita, producta, & allegata, Eliæ, & Elisei Sanctorum Prophetarũ fore imitatores, & successores, causæ cognitione, & iuris Ordine in ea parte de iure requisitis ad plenum obseruatis reputamus, decidimus, & decidendo declaramus in his scriptis. Inhibentes quibuscunque nostris, & dictæ Vniuersitatis subditis, nè contra has, decisionem, & declarationem nostras in ipsorum fratrum præiudicio, & dictæ Vniuersitatis vituperium, & studentium in eadem inquietationem, venire temerè præsumant, sub pœnis, & censuris, nostro, & successorum nostrorum arbitrio debitè in contrauenientes ferendis. In quorum omnium, & singulorum testimonium præmissorum, præsentes litteras decretum nostrum continentes, sigilli officij nostri appensione fecimus communiri. Data Cantebriggiæ vigesima tertio die mensis Februarij. Anno D. M. CCC. LXXIIII.*

5 Ioannes Ornebius litis præcedentis propugnator Doctor erat, vt diximus, Cantabrigiensis, ad Fanum Sancti Botulphi in Comitatu Lincolniensi natus, doctus valde, & eruditus, ac Concionator non vulgaris, vt eius scripta indicant. Scripsit enim sermonum ad Clerum pro suo Ordine *librum vnum*, Sermonum ad populum *librum vnum*, Historiam Visitationis Beatæ Mariæ Virginis ad Reginam *librum vnum*, Historiam nominis Iesu *librum vnum*, pro introitu sententiarum *librum vnum*, Determinationes solemnes pro Carmelitis *librum vnum*, Quæstiones ordinarias *librum* Ioannes Ornebius.

cius Belga, & Biscarretus.

9 Aduertit prudenter prædictus Posseuinus, Ioannem nostrum Balistarium diuersum esse ab alio eiusdem nominis, hæretico, qui propterea in Indice Romano inter Auctores primæ classis reponitur; quod ignorauit aut ignorasse finxit Ioannes Balæus; dum *in Catalogo Scriptor. Brittan. Centur. 5. in Appendice 2. ad Guilhelmum de Pagula*, dicit, Balistarium nostrum hæreticos poni à Papistis, & opus illud *de nouissimis temporibus*, seu *de bello forti militantis Ecclesiæ* damnari. Cum enim hic noster Ioannes Balistarius semper fidem Catholicam sine vllo dubietatis scrupulo propugnauerit, quin de ipsa optime meritus fuerit; esto liber ille damnabilis esset (quod nec admittimus) ipse tamen propterea auctor nullatenus in prima classe, in qua solum hęreretici, collocantur, reponi deberet. Errat ergo Balæus in nomine Balistarij. Posseuini annotatio.

Ann. Christ. *1375.* Greg. 11. Roman. Pontif. 5. Carol. *4.* Imper. *30.* Palæolog. Imper. Orient. *35.* Bernardi Olensis General. *1.*

1 PErseuerante Pontifice Gregorio in intentione Romam redeundi cum Curia, à multis Principibus rogabatur ne id faceret; sed tamen ipse Dei instinctu ad sic faciendum moueri respondebat. Odoricus *sub hoc anno.* Papæ intentio.

De Bernardo Olensi 17. Generali Latino.

2 HOc anno, ob mortem Generalis Balistarij Capitulũ Gen. Podij celebratur die solito Pentecostes. In eo primum in Generalẽ electus fuit Mag. Bernardus Olensis de Conuentu Minoricẽsi Prouinciæ Cathaloniæ 17. inter Latinos computatus. Ioannes Grossi *in Viridario*, Arnoldus Bostius *lib. 7. Specul histor. cap. 45.* Palæonydorus *lib. 3. c. 12.* Numerantur in hoc Capitulo decem & nouem Prouinciales totidem Prouinciarum, quas in proximè præcedentibus Capitulis recensuimus. Censentur etiam Diffinitores earumdem Prouinciarum, excepto Prouinciæ Terræ Sanctæ, cuius causa ignoratur nisi forsan ob belli pericula in illis partibus grassantia accedere ad Capitulum non potuerit. Nominantur Procurator Generalis Ordinis, & Prior Parisiensis, & Curiæ Romanæ. Capitulum Generale.

3 Quo ad decreta committitur primo Generali, quod possit licentiare Conuentus Ordinis ad vendendum inutiles libros Librariæ, cum limitationibus in præcedentibus Capitulis adhibitis. Committitur etiam ipsi posse facere quæ Diffinitore facere possunt, exceptis etiam ijs quæ præcedẽtibus Capitulis excepta erant. Ordinatum etiam fuit, quod

in

in qualibet hebdomada per quadragesimam fieret Officium de Beata Virgine, itaut in prima septimana fieret feria 2. si vacauerit, sin autem feria 3. & in secunda septimana fieret feria 3. & in 3. feria 4. & sic de alijs vsque ad vltimam septimanam, in qua non esset faciendum. Dicitur autem faciendum hoc Officium de Beata Virgine cum Euangelio de feria, & Responsorijs proprijs, si fuerint, & commemoratione feriæ in Matutinis, & Vesperis. Ordinatum item est, quod post prandium, & cœnam in choro, & extra chorum post gratiarum, & post *Salue Regina*, vel *Aue Regina Cælorum*, diceretur *De profundis* cũ responsorio pro Defunctis. Decretum etiam est quod per omnes Conuentus Ordinis fieret commemoratio de S. Anna immediate post Commemorationem B.V. Confirmatum est Decretum contra proprietarios. Præterea ad instantiam Domini Regis Nauarræ ordinantur Conuentus Sangossæ, & Pampilonis in Vicariatum, & commissum Generali, quod possit instituere ibi, & mutare Vicarium ad eius beneplacitum.

Decreta Capituli.

4 Alia præterea commissa sunt Generali, scilicet, quod possit dispensare cum Prouincialibus circa functionem suorum officiorũ ante obtẽtam confirmationem Generalis, & quod posset committere Prouincialibus dispensationem, & habilitationem suorum fratrum; eligere etiam sibi socios, & mutare quando voluerit, ac ordinare de locis vacantibus in lecturis Parisijs, & Tholosæ. Maximè tamen ei committitur posse taxare Prouincias Ordinis pro obtinendo loco, in quo sepultus est Sanctus Eliseus, & pro Canonizatione Beati Alberti, & *S. Legati*. Vocatur autem *S. Legatus* Beatus Petrus Thomas, de quo in superioribus. Quod enim sæpius, iteratisque vicibus, quamplurimis Sedis Apostolicæ Legationibus functus fuerit, meritissimè per antonomasiam *S. Legatus* dicitur.

Patres Illustriores.

5 Illustriores Patres in hoc Capitulo nominati sunt, præter Bernardum Olerium Generalem, Magister Simon de Spira Prouinciæ Alemaniæ Inferioris Diffinitor; Magister Bernardus Aureoli Tholosanæ Prouinciæ etiam Diffinitor; Magister Conradus Soluer Alemaniæ Superioris Diffinitor, & Prouincialis; Thomas Broni Angliæ Prouincialis; Bernardus de Roma Prouincialis Romæ; Hermannus de Nucia Prouincialis Germaniæ Inferioris. Michael de Bononia Prouincialis Bononiæ Procurator Generalis Ordinis, Magister Bartholomæus Peioronis. Ad legendum sententias Parisijs pro secundo anno Franciscus Martini. Ad legendum Tholosæ sententias pro quarto anno, & Biblia pro secundo. Ioannes de Condeto, de quibus sigillatim suis locis dicimus.

Franciscus de Senis.

6 In hunc annum referunt aliqui mortem Beati Francisci de Senis Ordinis nostri alumni; licet quidam pro anno 1369. alij vero cum Franco de Senis ob nominis similitudinem eum confundentes, anno 1291. dicãt obdormijsse. Vt vt res hæc fuerit quantum ad obitus annum, vita ipsius sic erat. Senis natus, iuuentutis, & virilitatis annos mundanè excurrit donec ad senectutem perueniens sollicitus de mundi vanitate, inuestigans,

dum

dum non aliud nisi vanitatem, & miseriam esse recognoscit, de salute animæ cogitabat, quam in solo Deo requiem inuenire posse experiebatur. Beatæ Virginis deuotioni valde deditus, ipsius Ecclesiam, sub titulo Sancti Nicolai Carmelitarum bis quotidie visitans, à Deo illuminatur, vt Habitum Religionis susciperet. Carmelitanos proinde valde colebat. Eliæ Prophetæ magnalia cogitabat, & dum ipsorum ingrediebatur Ecclesiam quasi in vetustissimum illud in Carmelo Monte à Carmelitis Deiparæ Templum olim primo dicatum, intraret, dicere solitus erat. Habitu suscepto, & studijs per aliquot annos peractis, Sacerdos effectus feruentissimus euasit Concionator. Hinc, Deo inspirante, Lombardiam, & Cremonam venit, vbi tam in S. Bartholomæi Carmelitarum Templo, quã in publicis plateis, ac locis plerisq; Ciuitatis, diuino zelo Eliæ imitator accensus, acrius in vitia, blesphemiam præcipuè inuehebatur. Quare scelerati quidam cõtra ipsum irati, occidere decreuerunt, quod saxis missis, dum quadam die prædicationi attenderet, exequi non dubitarunt. Carmelitæ autem Corpus tollentes honorificè in eodem suo S. Bartholomæi Cœnobio die 11. Aprilis sepulturæ mandarunt, vbi in magna veneratione habitum multis miraculis resplenduit. Primò etenim Franciscus Incantri saxis percussus è turri, qua ceciderat, disiectis, à medicis desperatus ad B. merita recurrens, sanus efficitur. Quod idem contigit ancillæ ipsius. Quidam seruus Palatij, dum propter nimium laborẽ in ipso fabricando perpessum à filia Sancti deuota, ipsi offertur, valetudinem recuperauit. Galliarum Regina, dũ Senis moraretur, partus dolores acciderunt, B. Francisco votum fecit, & mox Catharinam prolem facile peperit. Fridericus Menante, & ipsius merces à duabus Turcarum galeazzis capta, voto facta vbertatem consecuta sunt In eadem prætereà Cremonæ Ciuitate nobilem fœminam, quæ cruris rupturam casu passa fuit, intercessione liberauit.

7 Hæc fermè ad litteram ex Alexand. Calossi Senensi *in vita* B. *Francisci* extraximus. Ipsius etiam memoria habetur in manuscriptis Sigismundi Titij Presbyteri Aretini. Item in alio M. S. ex Codice vetusto extracto per R. P. Dominicum Guillelmum Dominicanum. De ipso etiam admodum R. P. Gregorius Lombardellus etiam Dominicanus in vita B. Franci Senensis *cap.* 29. in additionibus, ab ipso factis impressionis Senarum 1560. vbi animaduertit errorem Ioannis Grossi *in Viridario*, & Palæonydori *lib.* 3. *cap.* 12. dum Franciscum hunc cum Franco illo confundunt. Grossus enim sic scribit: *S. Francus de Senis cuius corpus requiescit in Prouincia Lombardiæ in Conuentu Cremonæ, vbi per eum multa fiunt miracula.* Palæonyd. autem sic habet: *Æquo modo Francus de Senis Vir Deo, atque sua Genitrici deuotus Carmeli Religionem signis magnopere, & virtute decorans, varioque corpus suum nudum ferro carpens, castigansque, in Conuentu Cremonæ Prouinciæ Lombardiæ, vndecima die Aprilis in pace quieuit multis miraculis clarus.* Melius ergo Authores superius relati *Franciscum*, & *Francum* distinguunt, hunc vetustiorem moderniorem illum; hunc Conuersum, illum Sacerdotem, hunc Senis, illum autem Cremonæ tumulatum. Quod etiam facit De B. Francisc. qui agit

 author

author Anonymus manuscript. Bibliothecæ excellentissimi Ducis Altemps habens hunc titulum *Origo Ordin. Montis Carmeli* in relatione Sanctorum, quos dicit cum cappis albis depingendos esse, vbi primo ponit Beatum Franciscum de Senis, & post alios, deinde B. Lanfrancum de Senis Martyrẽ, vbi licet in nomine horum Beatorũ paralogizare videatur, re ipsa tamen veritatẽ profitetur, dum duos distinguit Senenses, alterum sub titulo Martyris, alterũ sine illo. Distinguunt etiã illos Philippus Metius in Tract. de SS. Ord. Michael Muñozius in propugnaculo Eliæ, Segerus Paulli in notis ad Kalendarium Meclinienſe. Et de exteris Ioannes Cartagena *to. 4. homilia lib. 17. homilia 3.* duos Franciscos Senenses distinguens, alterum sub Martyris titulo, alterum absque illo. An vero Beato Francisco nostro titulus hic Martyris competat propterea quæ in eius vita diximus, affirmare non audemus, Vaticana responsa in eo desiderantes. Agunt etiam de illo Benedictus Gononus *in Chronic. Deiparæ*, Ferrarius in Martyrologio die 11. Apr. quo etiam die ponitur in Kalendario Mechliniensi relato. Coria in *Chronic. Carmelit. lib. 11. c. 14.* & nouissime Ludouicus Iacobellus in lib. de Sanctis & Beatis Senensibus Sanctissimo Domino nostro Alexandro 7. nuncupato.

Variæ concessiones Ordini factæ.

8 Eodem etiam anno, occasione forsan accepta ex eo, quod Ioannem Stoccum, de quo anno præcedenti contra Ordinem dixisse, & *scripsisse* vidimus, curarunt Patres nostri Pontificia aliquot diplomata quibus Religionis gloriosus titulus, Deiparæ nempe Virginis, confirmatio, solidatio, & antiquitas manifestabantur, in authenticam formam reducere. Qua propter Auenione die 10. Octobris præsentis anni, procurante Thoma Ordinis Procuratore pro Illustrissima Angliæ Prouincia coram Petro Villani Domini Papæ Gregorij Capellano, Camerario, ac Curiæ, & Cameræ Apostolicæ Generali Auditore sub Ioanne Brandonesente publico, & Apostolico Notario, authenticari fecerunt. Primo, Bullam Ioan. 22. Pontificatus sui anno 1. qua titulũ Ordinis, eiusq; soliditatẽ confirmat, varia priuilegia, & exemptiones tribuens, quam retulimus anno 1317. Deinde aliam eiusdem Ioannis Bullam sub datis Auenione Kalendis Aprilis anno septimo sui Pontificatus, in qua titulum Ordinis prædictum confirmat, & licentiam loca noua accipiendi concedit, quam etiam attulimus anno 1323. Item, Bullam Clementis Sexti sub datis Auenione anno sexto Pontificatus, in qua titulum eundem Ordinis corroborat, confirmationem tribuit, ac exemptionem à Ioanne 22. Ordini concessam ampliat, & extendit. illam adduximus anno 1347. Præterea aliam eiusdem Clem. 6. sub Dat. Auinione nonis Maij Pontific. ann. 1. in qua, et titulum præfatum Ordinis corroborat, licentiamque fundandi noua loca concedit, prout vidimus anno 1342. Ac tandem aliam supradicti Ioannis 22. Bullam sub Dat. Auinione 6. Kal. Decembris Pontificatus anno vndecimo, qua titulus Ordinis, et antiquitas ante Concilium Lateranense confirmatur, et Constitutio *super Cathedram* à Bonifacio 8. Prædicatoribus, & Minoribus concessa ad Ordinem nostrum extenditur. De ea egimus anno 1326. Horum ergo diplomatum copiam, prout præmittitur, authenticam habemus in Speculo

Ordinis

Ordinis à fol. 81. pag. 2. vſque ad 82. pag. 2.

9 Inſuper ad maiorem cautelam Generalis Bernardus Olerij informari fecit SS. D. Papam ſuper tribus punctis, à prædicto Stocco tactis; videlicet, de ſucceſſione Ordin. ab Elia, & Eliſeo, intitulatione, & cõfirmatione ipſius, prout anno ſequenti, quo id credimus accidiſſe commodius referemus. Informatio Papæ facta.

10 Quibus eodem anno 1375. miraculis claruit S. Albertus Drepanenſis ex Codice Vaticano de vita eiuſdem Sancti ſic deſcribimus. *Anno Domini 1375. in Ciuitate Panormi Iuuenis quidam hydropicus cum omni paupertate vrgeretur, mater medicum habere nequit, et ſic infirmitate nimia grauabatur. Cogitat mater apud ſe ad medicum ſalutis recurrere, ſcilicet ad Sanctum Albertum, et ſic ſtans ante pedes Imaginis ipſius pie ſic eum alloquitur, O Beate Alberte, ſcio quia amicus Dei es, et tuis meritis intercedentibus, multa ſuper terram operatus es miracula ijs qui inuocauerunt nomen Sanctum tuum. Audi ergo clamorem huius paupercula matris, et attende infirmitatem languentis: & aſſumpto lampadis oleo, pueri ventrem perunxit. Cumque modicum ſomni ſumpſiſſet, euigilans inuentus eſt omnem putredinem emittere hydropicalem per vmbilicum oleo perunctum.* Hæc ibi. S. Alberti miraculum.

11 Item ibidem. *Eodem anno Sacce D. Nicolaus filius Comitis Guilielmi de Peralta cum eſſet de ſtirpe Regali, mortaliter febricitat, ad quem medici confluunt cateruatim, remedium ſanitatis cauſatiuum non reperiunt, ſed parentibus condolentibus puer paraſiſmo feritur, et ad mortem labitur, ad quod viſcera materna commouentur. Luget mater, plorat pater ſuper dilecto filio, qui cum præ triſtitia dormitarent, vidit quidam quaſi in ſpiritu Dei, deuotus frater, ipſum puerum in vlnis Sancti cuiuſdam, ac deuoti Religioſi iucundari intra Eccleſiam fratrum Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & ex ſomno exurgens intellexit viſionis expoſitionem, Matri inclyti Ducis viſionem pandit. At illa, et pater fratri inquiunt, quod Deus vult per hoc innoteſcetur. Et frater ad eos ait, forſan filium veſtrum humano auxilio non poſſe liberari, ſed duntaxat meritis ſerui Dei Alberti, qui in illa Eccleſia experitur miraculis corruſcare. Illa tunc mater mente ſincera promittit vigiliam cum ſuo feſto ſolemnizare, veſteſque deauratas illi præſentare, Imaginem argenti fabricare, pauperes in ſui honorem induere, ipſum deuotè viſitare, ac puerum habitu Sanctæ Religionis certo tempore veſtiri. Pater pænitentiæ, ſcilicet frater noſtræ Religionis Reliquias Sancti huius transferri fecit, aqua eiſdem intingit, atq; orationem B. Alberti, ſcilicet: Quæſumus Domine Deus noſter infirmitati huic ſalubre digneris auxilium, vt qui Beati Alberti Confeſſoris tui memoriam venerantur in terris, ipſius meritis a cunctis gaudeant aduerſantibus liberari. Per Chriſtum Dominum. Cum trinis Pater noſter, et Aue Maria, eam puero iuſſit bibendam. Sumit aquam puer, et refrigerium illico ſentit. Sequenti die ſimiliter agitur, et puer incolumis exurgit, et ſic tandem Magnifici eius parentes vota expleuerunt.* Ex hoc autem miraculo, ſicut ex illo eiuſdem Sancti, quod anno 1364. retulimus, conſuetudo illa, de qua ſub an. 1307. dictum, abſdubiè inoleuit, aquam Reliquijs S. Alberti tactam ægrotis, febricitantibus maximè, potandã tribuere, prout in vſu Religionis cernitur. Aliud.

Sſſs 2 Hæc

Hæc duo miracula cum alijs eiusdem Sancti Alberti habet Petrus Sarracenus in eius vita.

Ann. Christ. 1376. Gregor. 11. Roman. Pontif. 6. Caroli 4. Imperat. 31. Palæolog. Imperat. Orient. 36. Bernardi Olensis Generalat. 2.

Gesta hoc tempore. 1 BElli tumultibus Italiæ, Florentinorum maximè, hortante etiam Sancta Catharina Senensi, hoc tempore sanctitate clarissima, Pontifex motus, Sedem Pontificiam Romam referre constituit: postquam Auenione per 71. annos extiterat. Platina, Honuphrius, Spondanus. Carolus etiam Imperator, dum filium suum Vvenceslaum puerum Regem Romanorum constituere tentauit, Imperatoriam Maiestatem valde depressit. Spondanus, Bzouius, Odoricus.

Oppositio facta Ordini. 2 Circa hoc tempus, cum Ioannis Stocci Angli Ordinis Prædicatorum, de quo anno 1374. diximus, impugnationibus, noster Ordo, non obstantibus Vniuersitatis Cantabrigiensis fauorabilibus decretis, obuiare deberet, pro maiori firmitate ad Sedem Apost. recurrere decreuit. Quia autem Purpuratos inter PP. vnus erat Petrus Corsinus Florentinus nostri Sancti Andreæ Corsini consanguineus, ac propterea Ordinis deuotus, ideo ad ipsum pro Papa informando, relationem scripsit Generalis Bernardus Olerius de tribus punctis, scilicet, *de successione Ordinis ab Elia, & Eliseo*, titulo *Beatæ Mariæ Virginis*, ac *confirmatione eiusdem*. Quorum veritatem dilucidè, doctèque ostendit, testimonijs, authoritatibusque, & rationibus; prout conspicitur in Speculo Ordinis à *fol.* 53. *vsque ad* 56. Quia tamen sub hoc anno, vt diximus, Papa, & Curia, ex Auinione Romam transferri cepta sunt, annoque sequenti eò peruenerint; & immediatè proximo mors Papæ subsecuta est, ideo suspicamur informationem prædictam solum pro Vrbano Sexto successore Gregorij deseruijsse, ac proinde ipsum prouide datis diplomatibus præsenti negotio pro nostrorum defensione occurrisse, vt suo loco inferius videbimus.

Simon de Spira. 3 In hunc etiam annum referri posse videtur Simon de Spira nostri Ordinis inter Illustres Patres iure nominandus; quod cum illius memoria in Capitulo Generali proximè præcedenti anno celebrato reperiatur, postea in sequentibus alto silentio inuoluitur, quo credi datur paulo post è vita mortali ad immortalem transijsse. Etsi oppositum, vt postea dicemus, habeatur ex relatione Conuentus Coloniensis, quam sequitur Bilcarretus. Fuit hic Pater natione Theuthonicus, Parisiensis Magister, in scripturis sanctis eruditissimus, & in philosophia Aristotelica notabiliter doctus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, & qui in Gymnasio Coloniensi multo tempore Theologiam gloriose docens, magnam eruditionis

suæ

suæ laudem ab omnibus comparauerit. Scripsit postillam in Epist. Pauli à se Coloniæ expositas; In libros item 4. Magistri sententiarum, librum contra Iudæos, sermones ad populum habitos. De ipso Sixtus Senensis, Einsengrineus, Trithemius, Posseuinus, Lucius, Biscarretus, & alij. Hic Posseuinus, & alij ex nostris vocant eum Prouincialem Germaniæ, & Palçonydorus *lib. 3. cap. 3.* Alemaniæ Prouinciales hoc Ordine successiuè recenset, *Simonem de Spira, Henricum de Dullendorp, Tilmanum Aquensem, Magistrum Gotschalcum, Magistrum Hermannum*. Verumtamen in libro Ordinis, quem præ manibus habemus, est Ioannem de Sublobijs, qui in Capitulo Generali Mediolanensi Germaniæ Prouincialis describitur, in sequenti Capitulo Generali Metensi anno 1348. vbi Prouincia Germaniæ in duas diuisa cernitur, Alemaniæ Inferioris vocatur Prouincialis Nicolaus de Trocinio, Germaniæ vero Superioris Conradus Necumbrot; & in Capitulo sequenti Tholosano anno 1351. Alemaniæ Inferioris Prouincialis est Henricus de Dolendorp, & Superioris prædictus Conradus; quod item reperitur in Capitulis proximè sequentibus, videlicet Perpiniacensi anno 1354. & Ferrariensi anno 1357. In Burdegalensi autem anno 1358. Prouincialis Germaniç Inferioris dicitur Tilmanus, & Superioris Conradus, & ordinatur ad legendas sententias Parisijs pro secundo anno, & pro primo Sacra Biblia noster Simon de Spira. Item in Capitulo Generali Montis Albani anno 1366. Prouincialis Germaniæ Inferioris dicitur Gonscalcus, & Superioris Conradus, nulla mentione de Simone nostro ibi facta. In Capitulo vero Generali Montispessulani anno 1369. Prouincialis Germaniæ Inferioris vocatur Hormannus, & Superioris Conradus, nulla etiam mentione de Simone facta, quod idem contingit in sequenti Capitulo anno 1372. Cum ergo in Capitulo Generali Podiensi anno præcedenti celebrato ijdem Prouinciales referantur; & solum nominetur Magister Simon de Spira Diffinitor Generalis Alemaniæ Inferioris dicendum est errasse Palæonydorum, & alios, qui Simonem credunt Prouincialem fuisse. Quæ prolixius diximus pro historiæ veritate dilucidanda: Ad quam etiam spectat hoc loco adiungere ea, quæ de hoc Simone habet Biscarretus *in suis Palmitibus Vineæ Carmeli* sic scribens. *Hic Simon pluribus annis fuit primarius Regens sui Cœnobij Coloniensis: inde cum fuisset primus ex Ordine Mendicantium Fundator, seu restaurator Vniuersitatis Coloniensis 1388. anno sequenti factus fuit illius Vniuersitatis publicus Cathedraticus Theologiæ, quam per plures annos egregie docuit, sicut prius fecerat Parisijs. Tandem ob præclara illius merita factus fuit Episcopus (cuius Sedes adhuc ignoratur) & Suffraganeus Coloniensis, vt habetur in Matricula Vniuersitatis illius. Optimo fine quieuit ibidem plenus dierum, & Coloniæ ante summum Altare tumulatus die 7. Ianuarij 1403. vt ex libro Anniuersariorum illius Ecclesiæ constate scripserunt PP. nostri 1638.* Hæc Biscarretus.

4 Eadem etiam tempestate clarus litteris, & doctrina erat Franciscus Martini, Catalanus Cœnobij Barcinonensis, vir in diuinis Scripturis studiosus, Franciscus Martini.

diosus, & eruditus, ac diuini verbi Concionator egregius, scripsit eruditè, & doctè de Conceptione B. Mariæ semper Virginis *lib.* 1. Compendium sui Ordinis *lib.* 2. Designatus fuit ad legendum in Parisiensi studio Biblia pro tertio anno in Capitulo Aquensi anno 1372. quo etiam Capitulo instituitur Baccalaureus in Curia Romana. In Capitulo autem Generali Podiensi anno proximè præcedenti habito ordinatur Lector sententiarum Parisiensis studij pro secundo anno. De ipso agunt Iacobus Philippus Bergomensis in supplemento histor. Marcus Antonius Sabellicus lib. 5. Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitarum. Maximè Biscarretus supra relatus; qui de ipso hæc scribit: *Hunc Philippus Bergomensis Magistrum insignem multorum discipulorum, & Marianæ puritatis scriptorem: quod pariter affirmat Raphael Volaterranus in sua Antropologia; & etiam Rovvelinch in suo Fasciculo temporum. Scripsit enim Tractatum de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, quem septem Tractatibus complexus est, vt ego vidi in nostra Bibliotheca Sinomurensi in Burgundia 1631. manuscript. in pergameno in quarto, cuius initium est: Fratribus vniuersis, & singulis iuuenibus Ordinis B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, proficere deuote cupientibus in præfatæ Virginis illibatæ speculatione, ac Purissimæ Conceptionis eiusdem, Fr. Franciscus Martini in S. Pagina minimus Magister vestri Ordinis, & Prouinciæ Cataloniæ.*

Ann. Christ. 1377. Gregor. 11. Roman. Pontif. 7. Caroli 4. Imperat. 32. Palæolog. Imperat. Orient. 37. Bernardi Olensis Generalat. 3.

Acta hoc anno.

1 ROmam peruenit hoc anno cum Curia Romana Pontifex Gregor. magnificentissimè à Romanis exceptus. Ciacon. Bzou. & alij plures. Quo etiam tempore circiter Procuratorem Gen. Ordinis Curiam secutum fuisse haud dubium videtur. Cum autem Ioannes Vviclephus in Anglia errores suos apertius seminare contenderet, Pontifex, litteris datis ad Archiepiscopum Cantuariensem, & Episcopum Londinensem, vt eum reprimerent, quin etiam caperent, examinarent, & ad Sedem Apostolicam eius responsa mitterent prouidebat; interim ipso in carceribus detento. Vvalsinghamus, Bzouius, Odoricus, & alij.

Carmelitæ contra Vviclephum.

2 Pessimus hic homo Vviclephus, prout dicere cepimus sub ann. 1352. largam nostræ historiæ materiam suppeditabit; cum contra ipsum plures ex nostris Catholicæ veritatis Pugiles insurrexerint. De quibus in sequentibus erit sermo. Specialiter tamen ex illis fuerunt Thomas Vvaldenus, seu Vvaldensis, & Stephanus Patringtonus.

B. Theodoricus.

3 Clarus celebratur, & insigni Sanctitate conspicuus in Ordine nostro Beatus Theodoricus Alemannus, cuius aliqua Sancta gesta in Italia, ex Ioanne Palæonydoro *lib.* 3. *capit.* 12. sic habemus. *Porrò*

San-

Sanctus Theodoricus Alemannus Ordinis nostri, summa Sancti Spiritus gratia praeclarus miraculorum gloria insignis, Carnis domitor mirabilis, postquam super nudo loricam ferream quotidie fuißet indutus, praesente Vrbis Romanae Senatore, puellam à Daemone liberauit, vnde in Ciuitate Senensi surdo auditum restituit. In Ciuitate Florentina insuper contractum ex toto sanauit. Tandem in Conuentu Venetiarum diem clausit extremum. Ibi ad eius Sepulchrum visum mulier caeca recepit. Alia similiter illuminata est Cappam illius oculis admouens. Hæc ille. Quibus similia Coria in *Chronic. Carmelitarum lib. 11. cap. 12.* & Biscarretus in *Palmitibus Vineae Carmeli*. Ioannes autem Grossus Ordinis Generalis huius ferme ætatis Synchronus, & scriptor sic de eodem Theodorico in Viridario Ordinis Claui 2. dixit Sanctos Ordinis referens. *Quartus decimus fuit Sanctus Theodoricus de Alemania, per quem Deus tam in vita, quam in morte multa fecit miracula, quae in Conuentu Venetiarum Prouinciae Bononiae habentur, vbi eius corpus requiescit*. Eadem habet Baptista Venetus de Cathaneis *in speculo Ord. fol. vltimo in Indice de Sanctis Ordinis*. Muñozius vero in Propugnaculo Eliæ pag. 318. solum dicit. *Theodoricus Alemannus, corruscus miraculis, Venetijs iacet, ex quo pergit ad supernam patriam post annum 1371. quo claruit*. A cæteris vero discrepat Philippus Metius, qui in vitis SS. Ordin. de eo sic scribit. *Beatus Theodoricus, Germaniae quondam Prouincialis, cum Reuerendiß. Priorem Generalem in Terra Sancta residentem visitaßet, rediens, terra, et mari, tanta (intercedente diuina gratia) edidit miracula, vt omnium ore Apostolus Terrae Sanctae diceretur. Mirabilis fuit suae carnis domitor; super nudum etenim corpus ferream quotidiè portabat loricam. Charitate in fratres, et pietate in Deum fuit insigni. Qui cum Magistratu suo fuisset bene perfunctus, tandem in Conuentu Venetiarum diem clausit extremum. ann. 1310. miraculis, et viuus, et mortuus excellens. Eius intercessionibus Veneti his etiam temporibus nostris gaudent.* Philippum Metium sequitur Segerus Pauli in notis ad Kalendarium Michliniense Ordinis nostri. Vbi etiam ait eius vitam scripsisse Ioannem Grossum in Opusc. M.S. de SS. Ordinis, & ex ea colligi ipsum ex fratre Conuerso factum fuisse Clericum, & Presbiterum; & sex patrasse miracula. Quis tamen fuerit hic Generalis, quem in Terra Sancta visitauit, & quomodo dicatur obijsse ann. 1310. cum Palæonydorus, Coria, *Muñoz.* & Biscarret. imo Philippus à S. Iacobo in Cathal. Vir. Illust. Ord. circa hoc tempus obijsse dicat, pro nunc prætermittimus donec clariora innotescant. Interim nos Carmelitæ imitari studeamus eius gesta, & mirabilem carnis mortificationem; quam relati authores dicunt exercuisse. Cultum propterea *Sancti*, vel Beati ipsi tributum esse ex Kalendario iussu Capituli Generalis Romæ in Cœnobio Sancti Martini de Montibus celebrato anno 1564. constat, vbi 5. die Octobris sic dicitur: *Theodorici Confessoris Ordinis Carmelitarum. Duplex*. Inter Sanctos etiam, seu Beatos Ordinis cappis albis depingendos ipsum reponit Anonymus manu script. de Origine Ordinis Montis Carmeli in Bibliotheca Ducis Altemps Romę repertus. Idem sequitur de extraneis Cartagena Tom. 4. *homilia*

lib 17.

lib 17. homilia tertia, ac Ioannes Molanus *in Additionibus ad Martyrologium Vsuardi*.

Ann. Christ. 1378 Vrban. 6. Roman. Pontif. 1. Carol. 4. Imper. 33. Palæolog. Imper. Orient. 38. Bernardi Olensis General. 4.

Anni huius gesta.



1 Vidit hic annus mortem nō solum Caroli 4. Imperatoris Occidentis mense Nouembris accidit; sed, & obitum Papæ Gregorij prò mense Martij, quæ valde, multumque turbauit Ecclesiam Etenim post ipsius obitum perniciosissimum subortum est schisma per 50. annos vehementissimè Orbem Christianum affligens. Cum enim Itali Cardinales, Romanum, aut Italum Papam eligendum vellent, ne si Gallus fieret Romanæ Sedi, iterum necessum esset Auinionem remigrare; Galli è contra Gallum aliquem in medium vocarent qui Romam exhorrescens Galliam repeteret, factum est, vt Archiepiscopus Barensis, qui tunc Romæ versabatur, in Papam sub nomine Vrbani Sexti electus esset. Cum autem postea rigidius forte quam par esset, ex nimio zelo ductus, Cardinales tractaret ipsorum iracundiam contra se sic concitauit, vt Fundos, Vrbe relicta se conferentes, Antipapam Robertum Geneuensem, Clementis Septimi nomine inaugurarent. Gordonus, Spondanus, Ciaconius, & alij Annalistæ, & Historici.

Pessimum schisma.

2 Pessimum autem hoc, & pestilentissimum schisma à Beato Cyrillo nostro in suo ille, quod sæpius adduximus, Oraculo Angelico, prædictum fuisse, vel ex testimonio Theolosphori de Cusentia Eremitæ, huius ætatis authoris *in lib. de Magnis tribulationibus, et statu Eccl.* qui inter aliqua opera Abbat. Ioachim habetur impressus, manifeste elicitur. Hic ergo author, quē vt pium commendat Balęus *in Catalogo Scriptor. Britaniæ Centur. 6. in appendic. ad Ioan Hornebium*, ac alij, in prędicto libro refert, quod cum ipse tristis, & dolens de præsentis schismatis malis instantibus, ieiunijs, & orationibus Deum interpellasset, vt ipsi ostendere dignaretur finem, & causas illius, de eo visionem habuisse huiusmodi: *Anno à Natiuitate Domini 1386. circa auroram diei resurrectionis præfati Domini nostri mihi dormienti leuissimè, & quasi ex hoc stupenti vnum vidêre extitit Angelum Domini virginei vultus, et altitudinis cubitorum duorum, ornatum duabus alis valde nitentibus, alba lata, et talari veste amictum, mihiq; ue dulciter alloquentem hæc verba: Dominus exaudiuit preces tuas dicens, quod seruis suis dilectis Cyrillo Presbytero, et Eremitæ in Monte Carmelo, Ioachim Abbati, et multis alijs seruis suis instans schisma futurum, et eius causas, et quis esset eorum Pontifex, et quis Pseudopontifex, finemque ipsius, et post ipsum schisma futurum Ecclesiæ regimen per Spiritum Sanctum, et Angelum iam indicauit, et aperuit. Quæras igitur prædictorum libros, et scriptu-*

scripta, & tunc tua erit satisfactum voluntati, & quod in ipsis libris reperies scriptum; & alijs pro tua, & ipsorum salute indica, & reuela, &c. Refert postea quæsiuisse libros, & inuenisse Cyrilli librum, qui incipit. *Domui totius sapientiæ*, quod est initium Epistolæ Beati Cyrilli ad Ioachimum; vt vidimus suo loco.

3 In quo autem Capitulo præfati Oraculi Angelici de isto schismate loquatur Sanctus Cyrillus, clare videtur ex ipso contextu in capite 7. de illo pronunciari illis verbis. *His diebus concernes mirabilem volatum insularum, fletumque, Caluorum, nudatis eorum verticibus. Decas quidem tribuum raptarum, à Ieroboam, euersis exedris, mutatisque sub Archo latabitur fastuoso. Ex hoc autem conflato schismate decadis, diadisq; non pauci ex Etheo Virginis rapientur à Satana. O Thoda ex ossibus tibiarum, quid Thoda quietes exturbans? Tunc palam flere inibunt filij lapidis insecabilis, eorum sincipite paulatim denudato, rimaque detecta. Tunc quoque si subleueris specula, & ianuas non lippus expanderis, fruges albere, falcesque molliri, ad stipites intueberis. Post hæc vix tetrade temporum operieris, & rogus succissorum struetur, vt virgulæ molles adoleant ad frondes, flores, fructusque perpetuos.* Ex cap. 7.

4 Quorum explanatio ex Ioachimo Abbate in expositione huius Oraculi Angelici, alijs adiunctis ex historiæ veritate experientia ipsa comperta hæc est. *Volatum Insularum, fletumque Caluorum nudatis eorum verticibus.* Idest, mutationem Cardinalium, Episcoporum, & aliarum Dignitatum, quæ his contigit temporibus ob separationem factam per schismaticum Clementem Septimum, à vero Papa Vrbano. Clausula illa *Decas quidem tribuum &c.* manifeste denunciat, quod quemadmodum, vt Regum narrat historia Sacra, Ieroboam ex 12. tribubus Israel à vero Rege Roboam scissionem faciens sibi decem arrogauit, duabus tantum Roboamo relictis; sic Pseudopapa Clemens maiorem Ecclesiæ partem, Hispaniam scilicet, Galliam, & alias Prouincias suæ ditioni tyrannicæ adiunget, minori parte Vrbano vero Papæ relicta. Illa: *Ex hoc autem conflato schismate non pauci, &c.* vel se eis exponuntur, quod multi à Sathana seducti de gremio Matris Ecclesiæ (quæ in Oraculo Angelico Cyrilli sæpius *Virgo* nuncupatur) *rapientur*, & in errores ducentur. *O Thoda ex ossibus &c.* Thoda auis est carens ossibus tibiarum, & propterea robore subsistendi, vt proinde vaga, & instabilis semper maneat. Quæ proculdubio, corporis, & animæ huius Pseudo Papæ inconstantiam designant. Ea verba: *Tunc palam flere inibunt filij lapidis &c.* non incongruè denotare videntur fletum Romanorum, qui ob diuisionem factam Pontificum incommoda multa passuri erant. Ea etiam: *Tunc quoque si subleueris specula*, subindicant, quod qui oculos aperierint, cõsiderare potuerunt multorum perditionem, quæ per messes albas, & stipites cui falces apponuntur demonstratur. Illa denique *Post vix tetrade operieris, &c.* tempora durationis schismatis designant. *Tetras* enim grecè, latinè quaternarium numerum denotat. Forsan ergo quatuor tempora Summorum Pontificum ab illo, qui Ieroboam dictus est. Prout Ioachimus exponit.

Ioann Clipstonus. 5 Circa prædictum annum 1378. Ioannes Clipstonus nostri Ordinis alumnus in suo Cœnobio Nottinghamiæ, mortuus, & sepultus est. Nutricem in bonarum litterarum studijs habuit Academiam Cantabrigiensem, vbi Sacræ Theologiæ primum Doctor, deinde Professor constitutus, Sacras ibi Scripturas multo tempore docuit, & mysteria diuina magna cum laude, & pari fructu in publico auditorio discipulis aperiebat. Erat enim linguę promptæ, politi sermonis, subtilis ingenij, solidi Iudicij, elegans etiam Poeta, Orator disertus, Concionator facundus, & quod omnium caput est, à progressu in litteris nunquam disiunxit, aut separauit virtutis cultum, seu Religionis amorem. Elegantiam in scriptis non vulgarem ostendit; vt lucubrationes, quas edidit, testes sunt. Scripsit enim expositionem Sacrorum Bibliorum *lib. 1.* Exempla Sacræ Scripturæ *librum vnum*, in varios Sacros textus, *lib. plures*, Postillam in Sanctum Ioannem *lib. 1.* Quæstiones in Magistrum sentētiarum *lib. 4.* Disceptationum scholasticarum *lib. 1.* Sermones per Aduentum, *lib. 1.* Sermones hyemales, *lib. 1.* Sermones æstiuales *lib. 1.* Sermones de proprio Sanctorum *lib. 1.* Sermones de communi Sanctorum *lib. 1.* De ipso Pitseus, Posseuinus, Biscarretus, & alij, ac ex hæreticis Baleus *in Catalogo Scriptorum Britan.*

Conuentus Basignani. 6 Per idem quoque tempus Vrbanus Papa ad instantiam Vniuersitatis, & Incolarum Terræ de Basignano, Papiensis Diœcesis, concessit fratribus nostris facultatem erigendi Monasterium in prædicta Terra, non obstāte Cōstitutione Bonifacij 8. qua inhibetur, ne fratres Mendicatium Ordinum locum ad habitandum de nouo recipere possent, &c. Extat Bulla in Archiuio Transpontinæ. Ex ea autem colligimus ea tempestate nostrum Monasterium de Basignano erectum fuisse.

Papæ concessio. 7 Eodem quoque anno 5. die Septemb. concessit idem Vrbanus Papa Priori nostro Generali, auctoritatem absoluendi fratres ab excommunicatione, & irregularitate. Incipit Bulla, *Exigentibus tui Sacri Ordinis*. Deinde eodem anno 6. Kalen. Octobris, quod possemus vota commutare, iniustaque bona incerta loco restitutionis recipere. Incipit Bulla *Meritis vestræ Religionis*. Palçonydorus *lib. 3. cap. 13.*

Conuentus Pragæ. 8 Memorat Bzouius to. 15. sub hoc anno n. 43. fundationem nostri Conuentus Pragensis in Bohemia pietate Caroli 4. Imperatoris factam. Sed de ea veluti in proprio loco diximus sub ann. 1347. Huius tamen Imperatoris in nostros Carmelitas deuotio merito ipsorum memorię proponitur, vt huius beneficij, grato animo semper recordentur.

Abulensis Conuentus. 9 Abulensis insignis Conuentus Abulæ nobilissimæ Castellę veteris Ciuitatis auspicia præsenti anno 1378. tribuenda. Initium habuit in antiquissima eius Vrbis Parochia Sancti Syluestri cognominata, gratia, & benignitate Illustrissimi Domini Didaci Roelas Abulensis Episcopi: testimoniū præbente memoria reperta in Capella eidem Sancto Siluestri nuncupata, antiqua forma extructa, ad quam singulis annis Ciuitas pro quibusdam electionibus ministrorum, seu Officialium, concursum habet, & cuius Pa-

troni nominantur nobiles Equites familiarum Triuiñorum, & Guillamarum. Ecclesiæ fabrica illustrissima, est tribus nauibus marmoreis columnis affabrè elaboratis, compacta, & viginti Sacellis, præter Capellam, quam vocant Maiorem, per nobiliores eius Ciuitatis dotatis, singulariter ornata: & in quibus sepulta sunt suorum Prædecessorum cadauera. Sacellum præcipuè, seu Capella Deiparæ Virginis subterraneæ, vel, de Gratia dictæ, ob deuotionem eiusdem Sanctissimæ Virginis, & quia ex vetustioribus, & mirabilioribus Ciuitatis Iconibus est, à populo celebratur. Sabbatho præsertim ante Dominicam primam Maij, quo annuatim solemni processione defertur ad Parochiam Sancti Ioannis, in memoriam, vti dicitur, gratiæ receptæ à Sanctissima Virgine tempore grassantis pestis, & obsidionis per Mauros. Huius porrò Capellæ Fundator agnoscitur perillustris Dominus Franciscus Guillamas Regum Catholicorum Philippi Secundi, & Philippi Tertij Magnus Cubicularius. Alia etiam Capella Dominæ nostræ de Angustijs dicata, magnæ deuotionis, & venerationis, populo quoque est: idque significat Confraternitas in ea fundata, cuius Confratres omnes pene Abulensis Ciues sunt: qui eam ornatissimam conseruant. Ex qua etiam solemnis processio quotannis in feria sexta Parasceue, magno populi concursu, & se flagellantium copioso numero, per Vrbem incedit. In ipsa quoque eidem Deiparæ solemne Festum die 8. suæ Purificationis celebratur. Conuentus ipse ex celebrioribus eius inclytæ Vrbis est, nobili claustro, Aula, seu Classe pro Lectione scholastica habenda, prout crebrius contingit, Refectorio insigni, dormitorijs, & cellulis amplis, etsi honestis, pro copioso numero Religiosorum, qui quadragenarius, vel circiter esse solet, valde ornatus, aptus proinde ad obseruantiam Religionis manutenendam, & vt sæpè cogitaui, congruus valde pro ijs, qui mundi vanitatibus relictis, soli Deo, & animarum saluti vacare volunt.

10 Plures proinde ex ipso illustres Viri prodierunt, inter quos numerantur, Illustrissimus Ferdinandus del Barco, Salaminensis Episcopus, & à Concionibus Carolo Quinto Imperatori, de quo suo loco dicetur: qui & fundauit Capellam in eo, Archangelo Michaeli dicatam, Altare maius conseruauit, & quādam campanam, quam deuote audiunt fideles, cum tempore turbinis, & tempestatum sonatur. Item Magister Rengifus, ex nobili Rengiforum familia oriundus, à confessionibus, etiam eiusdem Caroli 5. Imperatoris, & fundator Conuentus Sanctæ Annæ Metimnensis, de quo etiam suo loco. Præ cæteris autem pro alumno gaudet venerabili P. Didaco de Mathia condito in claustro Monasterij, de quo Sancta Virgo Therosia cap. 38. suæ vitæ hoc protulit testimonium. *Alter nostri Ordinis valde bonus Religiosus, cum grauiter infirmaretur, & ego Missam audirem, intellexi per interiorem intelligentiam, quod iam obijsset, & ad Cœlum ascendisset sine purgatorij pœnis. Obijt ea hora, qua intellexi, prout postea agnoui. Mirata valde fui, quod non purgatorij pœnis purgaretur: sed intellexi ideo sic factum, quia Bullæ Ordinis illi profuissent, ne in Purgatorium ingrederetur eo, quod sua Religionis professio-* Viri illustres

nem rectè obseruasset. Vnde postea subiungit, solum istum Religiosum, & B. Petrum de Alcãtara, ac quendam Patrẽ Dominicanum ad Cælum ascendisse vidisse, non trãseũdo per Purgatorij pœnas. Plura etiã mirabilia, terribilia quoque in hoc Conuentu accidisse, propter diuersas Spirituum, seu animarum apparitiones, sæpius audiui; maximè circa puteum quemdam, qui in eo quondam dicebatur esse. Præsertim autem horribilis ille casus, de quo memini in Opere *de Reformatione Regularium cap. 6. num. 22.* in Impressione Romana de anno 1641. ex nostro Gratiano *de Disciplina Regularium cap. 4.* in hoc Conuentu Abulensi, accidisse fertur. Videlicet, flagellatum vsque ad internecionem fuisse quemdam ex nostris, ab alijs, qui ex iam defunctis in visione apparuerunt; eo quod Matutinas horas tempore debito non celebrabant eo tempore Fratres. Alia de hoc Conuentu Tomo sequenti dici debent.

Ann. Christ. 1379 Vrban. 6. Roman. Pontif. 2. Vvenceslai Reg Rom. 1. Palæolog. Imper. Orient. 39. Bernardi Olensis General. 5.

Gesta hoc anno.

1 Egitimum fuisse Pontificatum Vrbani 6. & Robertum Gebennensem intrusum singulari miraculo apud Aquilam Brutiorum Ciuitatem Deus manifestare non destitit: victoria quoque contra Antipapam obtenta. Sententiam etiam Vrbanus contra ipsum, eiusque Sectatores pronunciat. De his Bzouius *sub hoc anno* post alios.

Papæ concessiones.

2 Quod vero ad propria Carmelitarum nostrorum gesta spectant, hoc tempore Nicolaus de Luca nostri Ordinis Regens in Romana Curia, & Locumtenens Procuratoris Ordinis, vt elicitur ex Capitulo Brugensi hoc anno habito, duas supplicationes Domino Papæ porrexit. Primam, occasione Capituli Generalis hoc anno Brugis celebrandi, vt omnibus, & singulis fratribus nostris dignaretur concedere facultatem eligendi Confessorem, qui eos de omnibus peccatis absoluerent, nisi talia commisissent propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda. Secundam, tenoris sequentis. *Pater Beatissime, quia idem Ordo fratrum Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli tam de iure positiuo, quam per Sanctos Romanos Pontifices diuersis fuerat ab antiquis temporibus confirmatus, & gloriosæ Virginis Mariæ titulo specialiter insignitus. Quidam tamen, non obstantibus confirmatione, & intitulatione supradictis, eidem Ordini detrahere non desistunt, dicentes, nec ipsum Ordinem, nec fratres eiusdem Ordinis esse, vel fuisse iure positiuo confirmatum, vel confirmatos, nec ipsos esse fratres Beatissimæ Dei Genitricis, sed potius cuiusdam Mariæ hæreticæ inhabitantis Montem Carmeli per Angelum conuersæ &c. Supplicat igitur Sanctitati Vestræ Nicolaus de Luca Procurator Ordinis supradictus pro parte deuoti filij vestri Prioris Generalis, & omnium, & singulorum Vestræ Sancti-*

Ctita-

ctitatis deuotorum fratrum Ordinis supradicti, quatenus eadem Sanctitas Vestra contra taliter obloquentes, & detrahentes, in fauorem, & honorem Ordinis supradicti dignetur de opportuno remedio prouidere, & omnibus Christi fidelibus, qui Ordinem ipsum, & fratres eiusdem Ordinis Ordinem, seu fratres Beatissimæ Mariæ Genitricis Dei de Monte Carmeli vocauerint, nominauerint, seu appellauerint, si in gratia extiterint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum concedere gratiose temporibus perpetuis duraturam, cum alijs clausulis necessarijs, & opportunis.

3 Quibus supplicationibus de benignitate Sedis Apostolicæ paternali affectu annuens ipsas libere in eadem forma concessit. Insuper ampliorem gratiam faciens omnibus fratribus Ordinis, qui auctoritate Apostolica confessi fuerint, & absoluti, vt in prima concessione continetur, pro quolibet ipsorum tres annos Indulgentiæ concessit. Habentur hæc Indulta ex testimonio Bartholomæi titulo de Sancto Marcello Cardinalis, ac Ordinis Protectoris, de quo anno 1381. dicimus, Romæ septimo Kalend. Maij sub hoc anno in Speculo Ordinis fol. 84. Papæ concessio.

4 Nugatur, vt solet, impius Balæus circa hoc Indultum Vrban. 6. dũ in Cathal. Scriptorum Brittanniæ Centuria sexta in Appendic. ad Ioannem Hornebij inquit. *Hinc Carmelitæ post quatuor annos ab Vrbano Sexto Romano Pontifice pecunijs obtinuerunt, vt quicunque eos nominarent, aut dicerent, esse Mariæ fratres, pro qualibet vice haberent trium annorum Indulgentias, & totidem quadragenas: cum tamen nullibi legatur illos fuisse Beatæ Virgini consanguinitate, vel affinitate coniunctos. In contemptum igitur huius Indulgentiæ quidam statim asseruerunt: eos esse Ægyptiacæ meretricis Mariæ fratres, & heretici sunt adiudicati.* In quibus primò falsum est, pecunijs nostros hanc gratiam à Pontifice obtinuisse. Deinde, procaciter, & impudenter assertum, Carmelitas non posse dici *Virginis fratres*, quia ipsius consanguinei, aut affines non fuerint; cum huiusmodi fraternitas non vinculo carnis, aut sanguinis, sed spiritui, & deuotioni Ordinis, qui ipsam vt Matrem, & Patronam elegit, innititur. Quod sequitur insigne mendacium impudentissimi hominis est, & propterea contemnendum. Balæi nugæ.

5 Eodem etiam anno die 29. Maij Brugis in Flandria Ordo pro nouo Capitulo Generali celebrando congregatur. In quo primum Diffinitores leguntur Terræ S. Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ superioris, & Vasconiæ. Quia tamen Diffinitorum Terræ Sanctæ, Siciliæ, Romæ, Hispaniæ, & Bononiæ nomina supprimuntur, forsan Capitulo defuerunt. Instituuntur deinde Prouinciales 19. Prouinciarum, quæ in superioribus Capitulis relatæ erãt, & vlterius Prouinciæ Neapolitanæ, ex quo elicitur tunc primum prædictam Prouinciam erectam. Vnde postmodum declaratur dicendum in Ordine nostro esse 20. Prouincias, & quod Neapolitana sit 20. cui assignantur Conuentus Capuæ, Auersæ, Neapolis, Cryptæ Mainardæ, Baguli, Capitulum Generale

& Ardreuillæ à Prouincia Romana diuisi. Commissum est Priori Generali, quod posset ordinare Procuratorem Generalem, & Priores Curiæ Romanæ, & Parisiorum, ac Regentem Curiæ Romanæ, illosque mutare quando sibi placuerit. Ordinantur etiam Lectores sententiarum, & Bibliorum Parisijs, & Tholosæ. Ordinatum præterea fuit, quod de Conuentibus Brugensi, Gandensi, Iprensi, & alijs in Flandria recipiendis fieret Vicariatus Flandriæ sub immediata potestate Generalis. Decretum etiam est reuniri Conuentus Pampilonæ, & Sangossæ Prouinciæ Hispaniæ. Instituta etiam de nouo duo alia Studia generalia, videlicet Valentiæ, & Pragæ. Commissa etiam sunt Generali ea quæ in præcedẽtibus Capitulis commissa erant, & cum eisdem limitationibus, & electio sociorum ipsius. At tandem declaratum est Generalem Olerium à nullo fuisse accusatum, neque in aliqua culpa reprehensum, quin per omnes postulatum, & confirmatum in Officio Ordinis. Hæc cum alijs, quæ omittimus, acta, & gesta in hoc Capitulo, constant ex libr. Ordinis à fol. 1.r.

Clariores Patres.

6 Clariores, qui in hoc Capitulo recensentur Patres, sunt, Generalis Bernardus Olerius; Magist. Bartholomæus Perronis exprocurator Ord. Magister Thomas Broni Diffinitor, & Prouincialis Angliæ; Hermannus Diffinitor, & Prouincialis Alemaniç Inferioris, Magister Philippus Ribboti Diffinitor, & Prouincialis Cathaloniæ; Bernardus de Roma Prouincialis Romæ; Michael de Bononia Prouincialis Bononiæ; Bernardus Aureoli Prouincialis Tholosæ; Mathæus de Bononia Lector Biblicus Parisiensis pro quarto anno; Ioannes de Condeto Lector sententiarum Parisijs *pro* tertio anno, & Biblia pro primo, cum alijs, de quibus suis dicimus locis.

Generalis depositio.

7 Non obstante autem testimonio Capituli Generalis de inculpabili vita Magistri Bernardi Olerij Ordinis Generalis, quia tamen partes Pseudo papæ Clementis Septimi cum Hispania, Gallia, & Cathalonia sectabatur, ab officio Generalatus depositus est; cum absens esset à Curia, à Papa Vrbano, qui, vt dicitur, eum vocauerat, vt ad se veniret: quod forsan facere nequiuit ab Antipapa in Gallijs detentus. Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*. Id certius, quod in eius locum titulo Vicarij Geeralis electus sit celebris ille Doctor Michael Ayguanus, de Bononia nuncupatus, de quo plura in sequentibus. Ita Arnoldus Bostius *lib.7. Specul. histor. cap.47.* vbi latè de hoc schismate; Video etiam in Archiuio Cœnobij Sancti Chrisogoni de Vrbe haberi Bullam huius Institutionis datam ann. 1380. pro 13. Kalendas Maij. De eo quoque Grossi in *Viridario*, Ioannes Palæonydorus *lib.3. cap.13.* Mansit tamen Bernardus Rector super illos, qui Clementi obediebant. Bostius, & Palæonydorus supra.

De

De Præsulatu Michaelis de Bononia 18. Ordinis Præsulis.

8 ALiqui nostri Ordinis Historici nec hũc Michaelem de Bononia, nec alios, qui tempore schismatis Ordinem rexere, inter Generales connumerant. Sed sanè immeritò: essi enim ij Ordinis Generales, qui sub Pseudopontificum obedientia degebant, à vero Generalis titulo arceri iure possint; ij vero, qui sub legitimo Papa Ordinem regebant, legitimi etiam Religionis Præsules appellari debent. Quod maxime dicant de hoc nostro Michaele, viro clarissimo, litteris, & doctrina celeberrimo; prout ipsius scripta, ea præcipuè, quæ super Psalmos sub nomine *Incogniti* extant, ostendunt. Generales censendi.

9 Magister Bartholomæus Peyronis in hoc Capitulo ex Procurator Ordinis nuncupatus, cum & in posterioribus Capitulis nulla de ipso habeatur memoria, conijci potest, quod sub hoc anno, vel hac saltem tempestate e vita migrauerit. Sed non sic res habuit; vixit enim vsque ad annum 1406. factus Episcopus Elnensis in Cathalonia (ex qua parte ipse natiuus erat, à Clem. 7. vel Benedicto Decimotertio pseudo Pontificibus, quorum partes sequebatur. Auenionem etiam se recipiens ibi testis fuit examinatus in fauorem Antipapæ Clementis. Sic enim ex Registro Pontificio Romam Auenione nuper translato hausit Illustriss. Ioseph Suarez Episcopus Vasionensis, qui casum nostris retulit; cumque affert Biscarretus in *Palmitibus vineæ Carmeli in hoc Peyroni.* Ante huiusmodi autem Ecclesiæ turbationem clarus fuit in Ordine nostro, vtpote, qui in Capitulo Generali Montis Albani anno 1366. socius Generalis, & in Capitulo Generali Montispessulani anno 1369. Aquensi anno 1372. ac Podiensi anno 1375. Procurator Ordinis nominetur. In præsenti autem Capitulo Prouinciæ Prouinciæ Diffinitor, & Prouincialis nuncupatur Prouinciæ Neapolitanę. Bartholom. Petron.

10 Magister Bernardus de Roma Ordinis nostri insignis alumnus, & Doctor Parisiensis, circa hoc tempus creatus fuit Episcopus Sutrensis. Hinc prouenit, quod à tempore huius Capituli nulla de ipso vlterius memoria reperiatur. Fuit primum Lector Biblicus Parisiensis designatus anno 1366. in Capitulo Generali Montis Albanensis, & Romę Prouincialis in Capitulis Montispessulani anno 1369. Aquensi anno 1372. Podiensi anno 1375. & Brugensi hoc anno. Vocatur Sanctę Romanę Ecclesiæ Cardinalis, ex nostris à Philippo Meno Priore Bambergensi *in Tract. de Viris Illustribus Ordinis*. Biscarreto *in Palmitibus Vineæ Carmeli*, ac de exteris à Conrado Gesnero in *Bibliotheca littera* B, & Antonio Posseuino *in Apparatu Sacro littera* B, *in Appendic.* Alij vero Cardinalium Cathalogistę, nihil de ipso. Latere enim potuit ipsos, sicut alij etiam latent, qui quotidie è tenebris eruti Cardinalitia dignitate fulsisse comperiuntur. Sic erit, & Bernardus iste, de quo clariora monumenta vsque modo non vidimus. Extare tamen videtur memoria ipsius in Italia Sacra Ferdinandi Vghelli, dum de Bernardus de Roma.

Epi-

Episcopis Sutrinis agit, & dicit Innocent. 7. potestatem fecisse condendi testamentum Bernardo Episcopo Sutrensi ann. 1406. ex libro *de diuersis formis*. Scripsit Lecturam sententiarum *libros quatuor*, Sermones ad Clerum Romanum *librum vnum*. De eo prędicti Gesnerus, & Posseuinus. Biscarretus, & Cathalogus Doctorum Ordinis *in Specul. Ordin. fol.* 193.

Ioannes de Condeto. 11 In idem etiam tempus referendus videtur Ioannes de Condeto qui in præsentis anni Generali Capitulo Lector sententiarum pro tertio anno, & Bibliorum pro 1. nuncupatur, & in Capitulo Podiensi anno 1375. destinatus fuit ad legendum Tholosæ sententias pro quarto anno, & Biblia pro secundo. Patria fuit Hannoniensis, Cœnobij nostri Valencenensis alumnus, & Theologus celebris. Scripsit *librum vnum* in Canonicam Epistolam Ioannis. Item lecturam *in lib.* 4. *sententiarum*. Sermones de tempore, & Sermones de Sanctis. Bostius, Posseuinus, & Biscarretus.

Ioannes Elinus. 12 Ioannes Elinus, vel Helinus, natione Anglus, patria Norfolcensis Cœnobij Linnensis alumnus, sub hoc anno Londini diem clausit extremum. Doctor in Sacra Theologia Cantabrigiensis erat, vt propter singularem eruditionem, & meritam sanctitatis opinionem, magni aliquando per Angliam nominis, & apud nostros eæ auctoritatis, vt communi electus suffragio Conuentui Londonensi Prior præficeretur. Ibi sanctè, prudenterque regendo, bonis exemplis prælucendo, & ad populum frequenter concionando, magnos fructus fecit. Et de eo prius conceptam opinionem meritis auxit: imo virtutibus longe superauit. Assiduus erat in meditatione Mysteriorum, quæ in Apocalypsi Sancti Ioannis habentur, composuitque quasdam imagines meliori quo potuit modo res illas arcanas adumbrantes, adiunxitque simul commentarios, vt illa secreta diuina partim à doctis per explicationem intellectu perciperentur, partim à simplicioribus per Icones oculis subijcerentur. Scripsit ergo Commentarium prædictum in Apocalypsim *librum vnum*, Lecturas Sacrarum Scripturarum *librum vnum* Conciones *librum vnum*, Quodlibeticas quæstiones *librum vnum*. De eo Balæus, Pitseus, Harpsfeldius, Biscatretus.

Ann. Christ 1380 Vrban. 6. Roman. Pontif. 3. Vvenceslai Reg Rom. 2. Palæolog. Imper. Orient 40. Michael de Bonon. Vic. General. 2.

Hoc anno gesta. 1 HOc anno turbines plures in Orbe Christiano, propter dissidia, quæ in eo erant inter Vrbanum legitimum Papam, & Clementem intrusum. Alia quoque cernebantur in Orbe, quæ præsens schisma adũbrabant. Eo etenim tẽpore nouus falsæ Religion. ritus inter Mau metanos inuectus est à Sophi quodam, qui sectam hanc in Persidem inuexit. Gordonus *sub hoc ann.* ex Cælio Augustino. Tormentorũ bellicorum inuen-

inuentio, ad humani generis ruinam plusquam ad Vrbium, & Mænium euersionem; huic quoque tempori adijcitur, quodam Monacho (vt dicitur) authore. Idem Gordonus ex alijs Casum illum de quibusdam Religiosis defunctis in quodam Conuentu apparentibus, & dicentibus: *Ambitio, & crapula duxerunt nos ad Tartara*, de quo *in Opere de Reformatione Regularium cap.13 numero 12*. diximus, circa hunc annum contigisse habet Bzouius numero 17. Ad instructionem sane Regularium, qui à recto tramite Regularis obseruantiæ declinantes ambitioni, crapulæ, & similibus vitijs vacantes ad tartareas flammas iter accelerant. Legatur in eodem Bzouio. Qui etiam numero 16. aliud prodigium de quodam Abbate bonorum sui Monasterij dissipatore, qui cum se iustificare volens præ Monachis, qui eum accusabant, Cælites exorasset, vt signo aliquo demonstrarent veritatem, repente *in amentiam versus, ore ad terga conuerso, instar bouis mugiens misere perijt*. Audiant hæc qui excusationes falsas afferunt in suis peccatis, quibus mundus plenus est.

2 Beatus Auertanus Ordinis nostri gloria sub anno isto 1380. ex hac peregrinatione ad cælestem patriam ascendit. Natione fuit Gallus, patria Lemouicensis, & Ordinem ingressus Sanctitate eminenti, ac sublimi, vitam peragebat. Cum autē itinerando (Romā versus, vt creditur peregrinationis, vel deuotionis causa) Lucensem Ciuitatem ingredi vellet, ab Vrbis Custodibus repulsam accepit: morbo ergo grauatus, carnis sarcinam spiritus cælestia petens dereliquit, miraculis clarus, etsi alias incognitus. Paulus Gabrielis Vgubinus Lucensis Episcopus, informatione accepta, & Ciuitatis Rectorum voluntate cognita, Sancti corpus ad Parochialem S. Petri Ecclesiam magna deuotione, populique frequentia transferri curauit, vnde postea ad Cathedralem Ecclesiam anno 1513. processionaliter, & honorifice delatum fuit. Vbi in plumbea vrna, simul cum Beati Henrici Romæi eiusdem socij, de quo postea, in eiusdem Cathedralis Sacristia occlusa seruantur. De ipso Authores inferius adducendi. B. Auertanus.

3 Cultum Beati illi debitum constare videtur ex Quinterno SS. Ordinis approbato à Sac. Congregatione Rituum sub Paulo Quinto anno 1609. recognoscente, & subscribente Cardinali Bellarmino, & etiam postea sub Vrbano Octauo recognoscente, & subscribente Cardinali de Torres. Insuper ex Kalendario Ordinis, iussu Capituli Generalis Romani in Conuentu Sancti Martini de Montibus anno 1564. edito, vbi pro die 25. Februarij Officium eiusdem sub ritu duplici reponitur. Cultus Beati.

4 Ipsius vitam scripserunt Cæsar Franciottus Sacerdos Congregationis Beatæ Virginis Lucensis, in historia Sanctorum Lucensium. Abraham Bzouius *tom.14. Annal. sub anno 1366*. Ex nostris Ioannes Palæonydorus *lib.3. cap.12*. Didacus Coria *in Cronic. Carmelitar. lib.11. cap.13*. Petrus Thomas Sarracenus *in Menologio Carmelitar*. Imo, vt audio, etsi non viderim, Segerus Pauli Coloniensis diligens author. De ipso etiam meminerunt generaliter historici Ordinis, & specialiter Ioannes Grossi *in Viridario* Scriptores Vitæ ipsius.

dario Chiui 2. Baptista de Cataneis in *Speculo Ordin*, ac de exteris Syluester Marulus Cistertien. in Mari Oceano Religionũ, de Carmelitana loquẽs. Io. Carthagena to. 4. homil. lib. 17. hom. 3. Marius Florentinus in poemate Italico, cui titulus; *Il Romito, Idillio*. Typis mandato cum Cæsare Franciotto relato. Item liber Anonymus Manuscrip. Bibliothecæ Excellentissimi Ducis Altemps, cui titulus *Origo Ordinis Montis Carmeli*. Vbi inter Sanctos Ordinis, quos cappis albis depingendos dicit, Sanctus Albertanus de Gallia describitur.

Henricus Romæus. 5 S. Auertani socius erat frater quidam Conuersus, sanctitate etiam celebris, à quibusdam *Romæus*, ab alijs vero *Henricus*, & vt credi potest, vtroque nomine, Henricus Romæus nuncupatus. Hic ergo Henricus Romæus Sancti Auertani Comes, fideli orbatus socio, & dilectissimi fratris forsan morte nimis afflictus, volente Deo, grauiter cepit, & ipse infirmitate laborare; septem dies mansit infirmus, primis illis morbus nihil remisit; sequentibus vero febris ardor ita incalescit, vt octauo die ad coelum sit euocatus. Sepultus in eodem loculo, quo sanctus Auertanus, vbi etiam miraculis coruscus dicitur. De ipso Cæsar Franciottus, Pet. Thom. Ioannes Grossi, Baptista de Cataneis, Ioannes Carthagena, Marius Florentinus, & Anonymus Bibliothecæ Ducis Altemps superius relati. Specialiter Segerus Pauli in Annotationibus ad Kalendar. Mechlinien. pro die 17. Iannar. sic de eo discurrit. *Agitur de eo in maiori Ordinis Specul. fol. 103. his verbis Decimus septimus fuit S. Henricus, cuius corpus Lucæ requiescit, in quadam Ecclesia Parochiali, vbi multa per eum fiunt miracula.* Sic ibi. Philippus Metius in tractatu de Sanctis sui Ordinis hęc de eodem: *Beatus Henricus Vir deuotus, bonus, & Religiosus, visitandi limina Apostolorum causa, è Prouincia Turonia Romam proficiscens peruenit, vbi cum ob mira facta; publica Sanctitatis nomen acquisiuisset, Lucam cõcessit, ibi tribus annis sanctè seruiens, & sanctissime moriens in Cælum conuersatur. Corpus nunc Lucæ in Ecclesia Cathedali conditum est. Ex archiuio. Sic ille. Hic alio nomine Romæus, seu binomius Henricus Romæus appellatur Bina vice Romam proficiscens, in altera vice socius adhibitus Sancto Auertano, Lucam duntaxat peruenit. Vbi octiduo post Sanctum Auertanum obijt Anno 1380. die 4. Martij. In hoc tamen kalendario continetur forsitan dies eleuationis, seu translationis corporis eius. De quo plura vide in vita eiusdem Sancti Auertani à nobis edita, ac notis illustrata.* Hæc Segerus.

Memoria antiqua. 6 Extat vtriusque Auertani, & Henrici Romæi antiqua memoria in Ciuitate Lucensi in Ecclesia Sancti Petri eiusdem his versibus:

Carmeli quondam, nunc Auertanus Olympi,
Cultor, in hac moriens ossa reliquit humo.
Græcus Ioannes Lucensis origine nuper
Eruit, & celso sustulit illa loco.
Romæumque dedit comitem, quo iungeret vrna
Vnus honor, quibus est ætheris vna domus.

Et

Et quia perpetuæ regnant cum Principe vita,
Luca sub ipsorum nomina tuta valet.

Hęc Cæsar Franciottus *loco supra relato*.

7 Hac etiam tempestate nostri Ordinis Cœnobium iampridem extra muros Ciuitatis Lucensis constructũ, vt diximus an. 1318. intra Ciuitatem fuerat translatum. Annus certus ignoratur: Sed cum hoc eodem anno B. Auertanus, & socius ipsius Henricus Romæus in Hospitali extra Vrbis muros hospitati fuerint, absdubie credendum Ordinis Monasterium iam intra mœnia constructum. Accedit quod (teste Franciotto) pro anno sequenti 1381. inter alios Religiosos Ciuitatem incolentes Carmelitæ numerantur. Titulus huius Cœnobij, & Ecclesię est Sancti Petri Cigoli: est Parochialis, cui Clemens Septimus, & Gregorius Decimustertius multas Indulgentias concesserunt, aut confirmarunt. Gaudet sequentibus Reliquijs; de ligno Sanctæ Crucis, de ossibus Apostolorum Petri, Pauli, Iacobi, Philippi, & Bartholomæi. Item Sanctorum Stephani Prothomartyris, Laurentij Martyris, Blasij, & Appollinaris Episcoporum, & Martyris, Cosmæ, & Damiani, & Georgij Martyrum, Nicolai Episcopi, & Confessoris. Dauini Confessoris, Ludouici Regis Galliarum, Luciæ, Agnetis, & Margaritæ Virginum, & Marti ac Pudentianę Virginis. Habet etiam duas ampullas cum sanguine, & alijs incertis Reliquijs. Maximè multa mirabilia operatus dicitur Deus cum quadam Reliquia B. Virginis Mariæ, vt dicitur (*Frontale* appellant) ex Hierosolyma delata anno 1006. & ipsi Ecclesiæ a nobili quadam fœmina concessa, vt ex instrumento antiquo illius Monasterij constare dicitur. Cæsar Franciottus *in histor. Sanctorum Lucensium* loquens de Ecclesia Sancti Petri Cigoli. Conuentus Lucæ.

8 Hoc etiam anno diem obijt extremum Thomas Bronius Anglus, Oxoniensis Doctor, & Angliæ Prouincialis per decem & septem annos, vt constat ex libro Ordinis, vbi hoc titulo Prouincialis Angliæ decoratur in omnibus Generalibus Capitulis ab anno 1362. vsque ad proximè præcedens, in quo, etsi pro Angliæ Prouincialatu instituatur Robertus Yuoris, prædictus tamen Thomas Bronius Diffinitor, & Prouincialis Angliæ describitur; Prior etiam fuit Conuentus Londinensis, & tanta cum prudentia, grauitate, auctoritate, & vitæ sanctimonia præfuit, vt altiore Magistratu dignus ab omnibus putaretur. Omnis quidem virtutis cultor, sed castitatis singularis amator prædicatur; sicut, & pius, ac deuotus in Diuos. Multa librorum volumina edidit. De laudibus Sacræ Scripturę *librum vnum*, in præfationem Sancti Hieronymi *librum vnum*, in Paulum ad Romanos *librum vnum*, Lecturam Theologiæ *librum vnum*, Sermones de tempore *librum vnum*, Quæstiones varias *librum vnum*. De ipso Lelandus apud Pitseum, Balæus, Ioannes Pitseus, Posseuinus, Biscarretus, & alij. Thomas Bronius.

9 Quo etiam tempore in eadem Angliæ Prouincia Guillelmus Colkisfordus Monasterij Linnensis alumnus, & Cantabrigensis Doctor, florebat, Guillelmus Colkisfordus.

bat. In ea enim Academia docendo, disputando, concionando, & scribendo, magnum apud omnes sibi conciliauit honorem. Erat enim Vir insignis ingenij, multæ sanctitatis, magnæ in studijs sedulitatis, in Sacris litteris, & in omni etiam sæcularis Philosophiæ genere eruditissimus. Scripsit Postillas in Sacram Scripturam *librum vnum*, in Canticum Moysi *librum vnum*, super Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Sermones de tempore *librum vnum*, Sermones de Sanctis *librum vnum*. De ipso Trithemius, Iacobus de Plebe, Einsengrineus, Petrus Lucius, Pitseus, Posseuinus, Biscaretus, & alij, qui plura etiam ipsius opera commemorant.

Ioannes Tomsonus.

8 Florebat etiam eodem anno in eadem etiam Angliæ Prouincia Ioannes Tomsonus, eiusdem nationis, & Oxoniensis Doctor. Fuit hic ingenio florentissimo, solido iudicio, sermone affabili, eloquio clarus, & copiosus, & Concionatorum in Anglia suo tempore Princeps. Sed laudent eum in portis opera eius. Scripsit enim in Ecclesiasticum *librum vnum*, Postillas in Sanctum Ioannem *librum vnum*, Directorium dictarum postillationum *librum vnum*, Moralitates Sacræ Scripturæ *librum vnum*, Indices harum moralitatum *librum vnum*, in Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Lectionum locos communes *librum vnum*, Abbreuiationes Doctorum *librum vnum*, plures Sermones de tempore *librum vnum*, Sermones de Sanctis *librum vnum*, Sermones Quadragesimales *librum vnum*, Sermones ad Clerum *librum vnum*, De mirabilibus mundi *librum vnum*, ex Rideuallo ad Fulgentium *librum vnum*, ex Triuetho de transformatis *librum vnum*, & alia plura, quæ simul cum istis diu asseruata esse dicuntur in pulcherrima nostrorum Bibliotheca Norvvici. De hoc authore, & insigni Carmelita tractant Ioannes Baleus, Lelandus, Iacobus de Plebe, Einsengrineus, Petrus Lucius, Pitseus, Posseuinus, Biscarretus, & alij.

Guilelmus Badbius.

9 Guillelmus Badbius Vvigorniensis Episcopus, ex Ordine nostro assumptus, eodem quoque anno florebat. Doctor fuit Oxoniensis, & partim in illa Academia, & partim alibi suis elegantissimis Concionibus magnam sibi famam acquisiuit. Illum Ioannes Lancastriæ Dux tanquam Patrem habebat, & ad secreta Confessionum adhibuit. Scripsit Concionum celebrium *librum vnum*, de Pœnitentia *librum vnum*, Constitutionum *librum vnum*, De ipso Robertus Yuorius, Lelandus, Ioannes Pitseus, Harpsfeldius, & Posseuinus, qui oblitus est eum *Carmelitam* appellare.

Randazzi Conuentus.

10 Monasterium Randazzi in Sicilia extra, & prope Vrbem situm, hoc anno fundatum dicitur in Relatione Conuentuum Italiæ, iussu Innocentij Decimi.

Barletæ.

11 De Conuentu autem Ciuitatis Barlettæ in Prouincia Appuliæ, habetur in eadem Relatione non inueniri certum aliquod monumẽtum pro ipsius fundatione; sed in Archiuio ipsius haberi Instrumentum quoddam in forma priuilegij à Regina Ioanna, continens concessionem quarumdam Domorum factam Monasterio sub hoc anno 1380. Ecclesia porro, quæ titulum habet Virginis Mariæ de Monte Carmelo, decoratur valde Icone

 quadam

quadam eiusdem Virginis pulcherrima, deuotissima, & antiquissima, vtpote, quod à trecentis annis depicta. Floruit in hoc Cœnobio Petrus Cernouicchius, homo sanctæ vitæ, & clarissimi Regij sanguinis, de quo plura Tomo sequenti dicenda.

Ann. Christ. 1381. Vrban. 6. Roman. Pontif. 4. Vvenceslai Reg. Rom. 3. Palæolog. Imp. Orient. 41. Michael. de Bonon. Vic. General. 3.

1 MVndus hoc maximè tempore in maligno positus, schisma inter Vrbanum, & Antipapam Clementem tolerabat; Romanorum Regem ignauum ad Imperiū credebat; Orientalis Eccl. ad Turcarum ditiónem pergebat: & bellis, ac tumultibus populi vexabantur; Principum, & Imperantium maximè culpa. Gordonus *sub hoc anno*, ex alijs. Mundi status.

2 Quo etiam anno noua Ordinis Synodus Veronę celebratur in die Sacro Pentecostes. In qua primum Magister Michael de Bononia, qui post Bernardum Olerium à Papa depositum in Vicarium Generalem erat assumptus, vt vidimus in præcedentibus; in Generalem ab omnibus de gremio vnanimiter fuit electus. Deinde 17. Diffinitores totidem Prouinciarum, videlicet, *Siciliæ*, Anglię, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Romæ, Hispaniæ, Hyberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Cathaloniæ, Alemanię Superioris, & Vasconiæ numerantur; aliarum Prouinciarum Diffinitoribus non recensitis. Hi autem Diffinitores 19. Prouinciales totidem Prouinciarum ordinarunt, ac Flandriæ Vicarium. Priores etiam Romanæ Curiæ, Parisiorum, & Brugensem, necnon Procuratorem, Magistrum Regentem, Suppriorem, & Baccalaureum prædictæ Curiæ Romanæ. Inter Prouinciales autem electos recensentur etiam Prouinciales Prouinciarum, quæ sub Antipapæ Clementis obedientia degebant, quales erant Hispaniæ, Cathaloniæ, & Galliarum, quamuis ipsæ per Prouinciales alios, quos credimus in Capitulo non comparuisse, gubernarentur. Liber Ordin *fol. 12. pag. 2. & fol. 13.* Video etiam in Archiuio Conuentus Sancti Chrisogoni de Vrbe conseruari Bullam Papæ Vrbani Sexti, vbi plura concedit Michaeli de Bononia ad huius Capituli celebrationem attinentia. Capitulum Generale.

3 In hoc Capitulo inter alia minoris ponderis hæc præcipuè ordinata, & decreta fuerunt. Primum, quod quilibet frater nostri Ordinis iurare deberet fideliter obedientiam, & fidelitatem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Domino Papæ Vrbano, prout fecerunt omnes Capitulo præsentes. Deinde decretum fuit, Prouinciales omnes electos in Capitulo pro Prouincijs schismaticis posse manere in suis natiuis Prouincijs, cum loco, & Statuta.

voce actiua, & passiua, donec ad Prouincias sibi commissas possent accedere. Item ordinauerunt, quod Diffinitores huius Capituli Generalis, qui erant Papæ auctoritate electi, possent in sequenti Capitulo ad idem Officium eligi; cum non fuissent iuxta morem Ordinis electi, sed potestate Pôtificia. Præterea damnarunt, ac reprobarunt antiquum sigillum, tam Capituli Generalis, quam Officij Generalis, & noua alia fabricari statuerût: quod ex eo absdubiè factum fuit, quia Bernardus Olerius, exauthoratus Generalis, & pars Ordinis, quæ illi obedientiam præstabat, prædicta antiqua sigilla apud se retinerent. Ordinati sunt quoque Lectores sententiarum, & Bibliorum Bononiæ cum studentibus, quibus eædem gratiæ, ac Parisiensibus concessæ sunt. Plura tandem alia in Capitulo præsenti referuntur circa expensas pro diuersis Ordinis negotijs factas, ex quibus plura quoque ex ijs, quæ in illo turbulentissimo tempore acciderunt, cognosci possunt. Liber Ordin. *vt supra fol.* 13. *&* 14.

Cardinal. Protector. 4 Maxime tamen in hoc Capitulo memoria reperitur de Cardinali Protectore Ordinis, qui titulo *Reuerendissimi Domini nostri decoratur*. Fuit autem hic Dominus Cardinalis Bartholomæus Mezavaca Bononiensis, Episcopus Reatinus, & tituli Sancti Marcelli. Occasione autem Legationis ad Regem Neapolitanum, in qua non se iuxta Pontificis voluntatem gessit, & quod ipsi suspectus esset, Cardinea Purpura, & alijs dignitatibus ab eo priuatur. Licet post à Bonifacio Nono redintegratus est, Sub titulo tamen Sancti Martini de Montibus. Ciaconius *de vitis Pontificum in vita Urbani Sexti*.

Illustriores Patres. 5 Illustriores, qui in hoc Capitulo recensentur Ordinis Patres, sunt Magister Michael de Bononia tunc Generalis electus, Magister Nicolaus de Luca Procurator Ordinis, Magister Hermannus Prouincialis Germaniæ Inferioris, Magister Ioannes de Raude Diffinitor Prouinciæ Prouinciæ, & Prouincialis Lombardię, Magister Bernardus de Bononia Prouincialis illius Prouincię, quos suis locis referimus.

Angliæ casus. 6 Eodem anno magna miseria in Angliæ Regno contigit, vt tumultuantes rustici, seu rurales homines, Archiepiscopum Cantuariensem, & plures alios occiderent. Thomas Vvalsighan *in histor. Angl. sub hoc anno*, Bzouius *sub hoc anno à num.* 12. Inter eos autem, qui iniustè interfecti sunt ab impijs vnus erat clarissimus Doctor Ordinis nostri Richardus Lauinghamus in ipso ætatis flore. Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate* 14. *num.* 669. Qua autem de causa à tumultuantibus illis interemptus sit, vix assignari potest, nisi dicamus, ad explendam tunc crudelitatem rusticorum dominantium factum id fuisse; vt in simili de aliorum occisione in eodem tumultu narrat idem qui supra, Vvalsighamus. Qualis, & quantus vir fuerit hic noster Richardus inferius dicimus.

7 Interim eodem etiam anno Cantabrigienses Oppidani magno furore correpti in Collegia, & Scholas irruerunt. Inter alia autem praua ipsorum gesta illud numeratur, quod tam in Ecclesiam Beatæ Mariæ, quam

in

in Ædes Carmelitarum inuadentes, chartas, Bullas, litterasque patentes Regias, scripta, & monumenta omnia eruta igne cremarunt. Bzouius *num.* 13. Hinc mirum haud sanè est, quod aliqua Ordinis monumenta in isto communi improborum tumultu igne consumpta perierint.

8 Richardus Lauinghamus, de quo supra, natione Anglus, patria Suffolcensis, & Ordinis nostri, vt diximus, alumnus, in Monasterio Gippesvvicensi à puero educatus, pietatis, & bonarum litterarum amorem, quas primum post lac nutricis alimentum imbibit, Charismata meliora æmulatus, omnes suos Commilitones habuit amatores, atque admiratores, paucos tamen imitatores, superiorem, aut etiam parem planè neminem. Oxonij studiorum gradibus superatis Theologici Magisterij supremam adeptus fuit Lauream, vbi etiam Sacræ Theologiæ Professor factus est. Tum demum qualis, & quantus vir esset omnibus innotescere cępit. Erat enim subtili ingenio, fluente eloquio, acri iudicio, ad quas naturæ dotes, cum accessisset multiplex scientia, & Doctoralis auctoritas, domi, forisque celeberrimus effectus est. Habuit sane fœlix hoc ingenium per infœlicia, in quæ incidit tempora, quo se satis, superque exerceret. Tunc enim Vviclephi, & Lolhardorum Hæreses grassantes omnem Ordinem peruertere leges, & Reges, Deum, & Sanctos contemnere, & vilipendere cœperunt. In quorum hæresibus refutandis, & præcipiti audacia comprimenda, multum adhibuit industriæ, magnos pertulit labores, insignem demonstrauit doctrinam, incredibilem ostendit zelum, ingentem denique fecit fructum. Hos tanquam inimicos Dei iuratos, & Ecclesiæ Capitales hostes perfecto odio oderat, disputationibus publicis oppugnabat, imo viriliter expugnabat. Hos in concionibus vehementer agitauit, hos libris scriptis euidenter confutauit, condemnauit; profligauit. Regi Richardo secundo à Confessionum secretis fuit, Simoni Sudberio Cantuariensi Archiepiscopo charus, & in morte, vt diximus, socius. Hęc cum alijs Ioannes Pitseus in huius Illustris Patris commendationem dixit: sed quæ magis ipsum commendant opera eius sunt, quæ scripsit. Videlicet, Dictionarium Sacræ Scripturæ *librum vnum*, Commentarios scholasticos in Isaiam *librum vnum*, Annotationes in Tobiam *librum vnum*, in Sanctum Paulum ad Titum *librum vnum*, Lecturas Scripturarum *librum vnum*, Quæstiones super Magistrum sententiarum *libros quatuor*, Determinationes notabiles Oxoniæ, & Londini publicè lectas pro lib. Reuelat. Sanctæ Brigittæ *libros septem*, Historiam trium Magorum *librum vnum*, ex Sanct. Augustin. de Ciuitate Dei *librum vnum*, Abbreuiationes Bedæ *librum vnum*, Argumenta in Epistol. Diui Hieronymi *librum vnum*; Exceptiones Doctorum *libros decem*, Compendium Gualteri Reclusi *librum vnum*, De fundatione sui Ordinis *librum vnum*, Clypeum paupertatis *librum vnum*, Quæstiones ordinarias *librum vnum*, Lectiones Oxonienses *librum vnum*, Orationes ad Clerum *librum vnum*, Sermones de tempore *librum vnum*, Sermones de Sanctis *librum vnum*, Determinationes contra

Richardus Lauinghamus.

tra

tra Lolhardos, & Vviclephistas *librum vnum*, Contra quoscunque hæreticos *librum vnum*, Contra Ioannem Puruecium *librum vnum*, Encomium virtutis *librum vnum*, in Ethica Aristotelis *libros decem*, Vocabularium Theologiæ *librum vnum*, de Inuentoribus rerum *librum vnum*, de futurorum euentu *librum vnum*, Quæstiones Vesperiales *librum vnum*, Dicta Senecæ, & Tullij *librum vnum*, Causas naturales *librum vnum*, Terminos naturales *librum vnum*, Speculum naturale *libros octo*, Quæstiones Physicorum *libros octo*, De scientia, & sensu *librum vnum*, Compendium Meteororum *libros quatuor*, De scire, & nescire *librum vnum*, de proprietatibus elementorum *librum vnum*, De finito, & infinito *librum vnum*, De proportionibus *librum vnum*, De distantia Planetarum *librum vnum*, Compendium de Anima *librum vnum*, De potentijs Animæ *librum vnum*, De potentijs actiuis, & passiuis *librum vnum*, De primo instanti *librum vnum*, De natura instantium *librum vnum*, De Cœlo, & Mundo *libros duos*, De identitate, & diuisione *librum vnum*, De Regulis consequentiarum *librum vnum*, De Arte obligatoria *librum vnum*, De conuersione propositionum *librum vnum*, Probationes propositionum *librum vnum*, De exceptiuis, & exclusiuis *librum vnum*, De ampliatiuis *librum vnum*, Summas Logicales *librum vnum*, Sophismatum Canones *libros duodecim*, De speciebus Argumentorum *librum vnum*, De suppositionibus *librum vnum*, De Insolubilibus *librum vnum*, Syntagmata rerum *librum vnum*, De fallacijs *librum vnum*, De decem prædicamentis *librum vnum*. Si tanta in iuuentutis flore decedens librorum volumina edidit, quot edidisset, si ad maiorem vsque ætatem superstes fuisset Vir doctissimus? De ipso Lelandus apud Pitseum, Iacobus de Plebe, Trithemius, Abraham Bzouius, qui *sub anno 1415. num. 58.* de illis, qui contra Vviclephum egregie dimicarunt, loquens, ipsorum agmen ducere Richardum nostrum fatetur, & in ipsius, & Lolhardorum erroribus refutandis, multum posuisse industriæ, magnos pertulisse labores, insignem demonstrasse doctrinam, incredibilem ostendisse zelum, ingentem denique fecisse fructum. Petrus Lucius, Harpsfeldius, & alij.

Conuentus Norlingæ. 9 Casus notatu dignus pro pia in venerabile Sacramentum deuotione, ac cuiusdam nostri Cœnobij Norlingę fundatione huic tempori adijciendus, quem ex libro Germanico, cuius titulus est *Peregrinatio DecKendorff in Bauaria* Latinè factum sic hausimus. *Norlingæ 1381. feria quarta post Pascha grande contigit miraculum, quod non immeritò quemlibet Christianum etiam Achatholicum, non solum ad adorandam Sanctissimam Eucharistiam, eique omnem venerationem exhibendam, sed etiam fidem Catholicam amplectandam commonere deberet. Hoc enim tempore habitabat in dicta Ciuitate Norlingana, vir quidam, nomine Vlim Mayngez, eo in loco, quo modò Altare Saluatoris nostri in Conuentu Carmelitarum cernitur, cui in infirmitate sua, iuxta Catholicorum ritum Corpus Domini pro viatico erat porrigendum; cubiculum verò, in quo iacebat, erat supra fornices stratum. Cum igitur Sacerdos infirmo Sanctis-*

ctissimum porrigere vellet, ecce ruptis fornicibus cum astantibus cadit, & Ciborio euerso inter cadendum quasdam consecratas perdit particulas. Ne igitur Sanctissimum Sacramentum sub terra remaneret occultatum totus Clerus cum vniuerso Ciuitatis populo ad dictum locum accedit, summa cum reuerentia quæsiturus, quod perierat. Et cum omnes particulæ, præter vnam essent inuentæ, illa vero adhuc desiderata nullo modo inuenibilis, facto igne, & ligna, terram, & quidquid præsens in eodem fuit loco in cineres redegere. Quo facto, rursum quærentes, inuenerunt particulam illam desiderabilem adeo incorruptam, atque illæsam, ac si Sacerdos illam iamiam ex Ciborio sumpsisset. Et cum locus ille postmodum pro deserto haberetur, contingeretque, quod custos armentorum, sæpius cum bobus, vaccis, alijsque pecoribus transiret, nullum horum vnquam dictum locum, aut tangere, aut transire, multo minus desuper comedere voluit. Vnde locus incepit haberi miraculosus, itaut paulo post ibidem extructum sit paruum Sacellum, in quo Omnipotens Deus multa operatus est miracula: quorum fama Christifideles commoti, vt de longinquo turmatim, ac processionaliter eo confluerent, sua vota Deo persoluentes, & gratiam recipientes; quorum largis eleemosynis postmodum præfatum Sacellum in amplum conuersum est Templum, cui etiam adiunxere Claustra, eaque prout modo cernuntur Patribus Carmelitanis dono dedere. Ad augendam Christifidelium erga hunc locum pietatem diuersi Cardinales ad instantiam Reuer. Pat. Ioannis Bachmanni eiusdem Ordinis dicto Templo diuersas concessere Indulgentias: & hoc Monasterium in hodiernum vsque diem ab incolis (licet modo pessimis Hæreticis) Saluatoris Monasterium intitulatur. Considera Lector, diuersa documenta. *Primum, quam miro ordine in hoc casu conseruatum sit Sanctissimum Sacramentum. Secundum, antiquam consuetudinem Communicandi sub vna specie. Tertium, quod non solum in sumptione (prout Lutherani volunt) sed etiam extra eam sit verissimum Sacramentum. Quartum, quanta reuerentia tunc Clerus cum toto Ciuitatis populo quærentes Sacramentum inuenerunt, idque tanto Templo, & Cœnobio honorando dignum æstimarunt.* Hucusque ex dicto libro. Circa quæ Lector noster in aliquibus præmonendus. Primò, quod sit Ciuitas ista grandis, & Imperialis, celebris illa victoria Serenissimi Infantis Hispaniæ cōtra Ducem Saxovvaimarum 1634. Anno. Deinde, quod Religiosi nostri tempore Lutheri fuerunt expulsi, & loco illorum Minister hæreticus immissus, & ab ipso hucusque semper inhabitatus, Ad hæc tertio, quod in penultima irruptione Suecorum in Bauariam facta, tanta lætitia incolæ malo Bauarorum perfusi fuere, vt ad aures Serenissimi Ducis Bauariæ, Principis valde Catholici, peruenerit; qui id memoria retinens, discedentibus postmodum Suecis è Bauaria, suo Supremo Generali exercitus mandauerit, vt Norlinganis Incolis pro gestata lætitia habiti damni ab Suecis, non vt caperet Ciuitatem, sed tantummodo per viginti quatuor horas bombulis ignitis gratias ageret. Hæreticorum etenim ignis pabulum est. Quo facto, Ciuitas in tantum incendium conuersa, vt plusquam tertiam partem ædium absumpserit, nec extingui potuit, donec perueniret ad limites nostri Conuentus, vbi cessauit incen-

dium , & Carmelitarum Cœnobium intactum reliquit , forsan Deo sic disponente , vt aliquando Patres nostri redirent , Deoque , & suæ Sanctissimæ Matri ibidem denuo famularentur . Hæc ex eiusdem Patriæ pio Religioso recepimus .

Ann. Christ. 1382. Vrban. 6. Roman. Pontif. 5. Vvenceslai Reg. Rom. 4. Palæolog. Imp. Orient. 42. Michael. de Bonon. Vic. General. 4.

Temporis præsentis status.

1  Igebat schisma in Ecclesia , magno cum totius Christianitatis detrimento . Vigebat & hæresis Vviclephiana in Angliæ partibus. Contra eam tamen pugiles multi ex nostris Carmelæis pugnabant ; prout tum ex dictis in superioribus , tum ex dicendis in sequentibus notum erit . Interim Vvillelmus Courtneius Archiepiscopus Cantuariensis designatus ipsam damnauit , & in eius sequaces suam potestatem exercuit . Bzouius *sub hoc anno num.* 12. In Concilio etiam Londinensi eadem hæresis damnata fuit . Gordonus *hic* ex Vvaldensi nostro .

Rosbertus OrmesKircus.

2 Diem suum obijt circa annum istum Rosbertus OrmesKircus Ordinis nostri Professor , & Oxonij Doctor Theologus . Multæ lectionis hic Pater , & eruditionis fuisse perhibetur , multaque scripsisse . Sed solum propugnaculum Ordinis sui *lib.* 1. inuenitur, quod opus in Oxoniensibus Bibliothecis ad annos bene multos asseruatum ferunt . Illud absdubiè erat contra Ioannem Stochum Dominicanum , qui nostris aduersari ijs annis , vt diximus in superioribus, cæperat . De eo loquuntur Balæus, & Pitseus .

Richardus Vvichinghamus.

3 Eadem etiam tempestate, vel circiter clarus describitur Richardus Vvichinghamus eiusdē nationis,& Ordinis Prior, & Professor in Cœnobio Burneamensi . Vir laudatę pietatis, & scientiæ, qui & in scholis eruditè docuisse , & coram populo cum applausu prædicasse , & in vtroque non mediocrem progressum cum fructu fecisse, memoratur . Communicauit posteritati scripta in primum , & secundum sententiarum *libros duos* , Sermonum 106. *lib.* 1. Pro hoc graui Religioso testimonium ferunt Lelandus, quem citat , & sequitur Pitseus , Balæus, Posseuinus, & Biscarretus .

Richardus Depedalus.

4 Pariter etiam circa id tempus claruit in eadem Anglorum Prouincia Richardus Depedalus in Cœnobio Linnensi ad Viciniam Maris , in Prouincia Norfolcensi Sacræ Theologiæ Doctor , & in suo Cœnobio Professor . Vir dicitur eruditionis non contemnendæ, & celebris diuini verbi prædicator : quin & Biscarretus noster *in Palmitibus Vineæ Carmeli*, ait, ipsum fuisse publicum Cathedraticum Papię, & Lombardiæ Prouincialem ; ac vt talem accessisse ad Capitulum Generale Albiense ann. 1327. In lucem emisit , De Vita Christiana *librum vnum* , Sermonum de tempore *librum*

vnum.

vnum. De eo loquuntur Lelandus, Balæus, Pitseus, Posseuinus, & Biscarretus.

5 Sub eodem anno inter alia impia Vvicleрhi, & Sectatorum dogmata contra Mendicantes hæc vulgabantur 1. *Si Ordines fratrum essent certi, & in Christo fundati, non quærerent confirmationem à Papa*. 2. *Beatus Paulus acquisiuit victum pro se, & discipulis, suis manibus, & sic deberent Religiosi suis manibus laborare, & non publicè mendicare*. 3. *Si istæ nouæ Sectæ, quæ quasi hesterno die venerunt, asserunt vitam suam perfectionem, quam Religionem Christi communem, & Apostolorum, volunt sic facere Christum fatuum*. 4. *Eo ipso, quod aliquis ingreditur Religionem quamcunque priuatam, redditur ineptior, & inhabilior ad obseruantiam Dei mandatorum*. 5. *Sancti instituentes quascunque Religiones, priuatas, tam Possessionatorum, quam Mendicantium in institutione peccauerunt*. 6. *Religiosi viuentes in Religionibus priuatis non sunt de Religione Christiana*. 7. *Fratres tenentur habere manuum non mendicatione victum suum acquirere*. Thomas Vvalsighamus *in Historia Anglica*, & Bzouius *sub hoc anno*. Contra hæc tamen Religiosi tum nostri, tum ex Mendicantium institutis plurimi. Vvichlephi dogmata.

6 Maximè tamen Petrus Stoccho, seu StoKes eiusdem Nationis, ac Ordinis nostri alumnus, de quo anno 1399. sub hoc anno Regia munitus auctoritate, & Cantuariensis Archiepiscopi Guillelmi Courtnæi, de quo supra, diplomate instructus, Oxonium venit, vt hæresim Vvicleffi publico examini subijceret, & solemni disputatione refutaret, vbi irrefragabilibus argumentis fœliciter perstitit, quod animosè in se susceperat. Conuictus Vviclephus nihilominus recalcitrauit, & postea nonnulla contra Victorem suum scripsit, quem tamen nonnisi albi canis, ob pallium album Religionis, vocabulo compellauit, suppresso præ pudore vero eius nomine: Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate* 14. *num.* 722. Petrus StoKo.

7 Ex illustri etiam Florentiæ Cænobio Reu. Pater Franciscus Bastali Prior Curiæ Romanæ, & Procurator Ordinis, moritur Romæ sub hoc anno die tertia Decembris. Archiuium Conuentus Florentiæ. Quo autem tempore id munus Procuratoris Generalis exercuerit, ignotum: facile tamen credi potest, post Capitulum Brugense anno 1379. id accidisse; eo enim Capitulo facultas datur Generali nominandi Procuratorem Ordinis. Fráciscus Bastali.

8 Quo etiam tempore, quæ diabolus per suos ministros labefactare conabatur, Deus incrementis augebat. Cum enim præcedenti anno sub vndecimo Kalendas Maij Summus Pontifex Vrbanus nostris concessisset facultatem duo loca in Anglia de nouo recipiendi, non obstante Constitutione Bonifacij Octaui, in eis acquirendis, vel ædificandis, fratres nostros incubuisse sub hoc tépore putamus. Indulti verba, quia honorifica Ordini nostro sunt referimus. *Vrbanus Episcopus, &c. Sacer Ordo vester in Agro Dominico, diuina dispositione plantatus, & Gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ titulo specialiter insignitus, in eo Sidereo nitore corruscans, Dominicum gre-*

 gem

gem illuminat, & currentibus in stadio iter insinuat, quo ad salutis brauium facilius peruenitur. Cupientes igitur, vt hic Ordo conspicuus per Orbem eo amplius propagetur, quo ipsius Sacra Religio virtutum fecunditate refecta ex suæ institutionis exordio per insignium gratiarum meritorum, & exemplari vitæ doctrinam vberes hactenus in vniuersali Ecclesia honestatis fructus protulit, & salutis, &c. Vide Bullam in Speculo Ordinis *fol. 72. pag. 1.*

Ann. Christi 1383. Vrban. 6. Roman. Pontif. 6. Vvenceslai Reg. Rom. 5. Palæologi Imp. Orient. 43. Michael. de Bonon. Vic. General. 5.

Status Ecclesiæ. 1 Vm hoc tempore schisma inter fideles, bella, discordiæ, & cædes inter Europæ Principes vigebant, Turca amplificationi sui Imperij intentus, nihil prætermittebat quo magis promoueretur. Armenia quoque ab ipso occupata. En, ò Catholici, fructus, quos vestræ dissensiones, contra Deum, pro Diabolo, & inferno, gignunt. De illis Bzouius post alios.

Olerij obitus. 2 Hoc etiam anno, Bernardus Olerius olim Generalis Ordinis, etsi postea ab Vrbano Sexto depositus, quod partes pseudo Papæ Clementis Septimi sectaretur, vt diximus anno 1379. suo cessit officio. Palæonydorus *lib. 3. cap. 13.* Cum totum Ordinem fermè quinque annis, partem vero illam, quæ prædicto Clem. adhærebat gubernasset annis quatuor. Libera cessione id fecisse ex prælatis Palæonydoro, ac Bostio *lib. 7. cap. 46.* elicitur. Quo autem tempore obierit, incertum est: etsi Biscarretus sub anno 1390. contigisse credat. Quidquid tamen de hoc fuerit, Bernardus iste in Religione celebris fuit, & doctus, vt eius scripta indicant. Scripsit enim de antiquitate Ordinis sui, *librum vnum*, De Conceptione Beatissimæ Virginis *librum vnum*. Fuit primum Socius Generalis designatus in Capitulo Treuerensi anno 1362. vbi etiam Lector sententiarum Parisijs pro quinto anno describitur. Deinde in Capitulo Generali Monti, Albani an. 1366. Ordinatur Magister Regens in Curia Bomana. Ac in Capitulo Montis Pessulani anno 1369. Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ. Item in Capitulo Generali Aquensi anno 1372. erat Diffinitor Generalis eiusdem Prouinciæ, ac etiam Prouincialis. Demum in Capitulo Generali Podiensi ann. 1375. totius Ordinis Generalatum ascendit. Ex quo habemus, inter insigniores Patres Ordinis iure referendum, nisi sui nomen Clement. Septim. pseudo Papæ partes sectando, fœdasset. De ipso Conradus, Petrus Lucius, Posseuinus, Valerius Taxander, cum alijs.

Hermannus. 3 In eumdem etiam annum referimus Magistrum Hermannum de Nucia, vel Nussia Prouinciæ Germaniæ Inferioris Prouincialem. Nominatur Prouincialis prædictæ Prouinciæ in Capitulo Generali Montis Pessulani anno

anno 1369. & in Aquensi anno 1372. vbi etiam Diffinitor Generalis eiusdem Prouinciȩ dicitur. In Capitulo etiam Podiensi anno 1375. eodem titulo Prouincialis decoratur. In sequenti autem Capitulo Brugensi anno 1379. Doctor in Theologia, Diffinitor Generalis, & Prouincialis eiusdem Prouinciæ nuncupatur. Ac demum in vltimo Capitulo Veronensi anno 1381. eodem titulo Diffinitoris Generalis, & Prouincialis dictæ Prouinciæ insignitur. Vnde videtur saltem per duodecim annos Prouincialatus munere fuisse functum. Scribens de eo Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli*, ait fuisse etiam Vicarium Generalem per omnes Prouincias Franciæ; gratissimum extitisse præclarissimȩ Principi Ioannæ Brabantiæ Ducissæ; quæ eum in suum Confessarium elegit, ac per plures annos id munus egisse: ac tandem bonis operibus plenum ann. 1394. die 24. Maij in pace quieuisse Bruxellis, in nostroque Conuentu sepultum. Alius eiusdem nominis, Officij, & Prouinciȩ, quasi è mortuis rediuiuus post 50. annos refertur, de quo dicemus circa annum 1445.

4 Sub eodem anno aliqui constituunt Ioannem Schodeouenensem, seu Schoonhonium Germanum Mechiliniensem Priorem. Vir fuit in Diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, & in sæculari Philosophia non ignarus, in declarandis sermonibus ad populum excellentis ingenij. Scripsit ad vtilitatem prædicatorum non spernenda volumina, de quibus extant subiecta Opus insigne de vitijs, & virtutibus, & omni materia prædicabili secundum ordinem alphabeticum duobus voluminibus, quod prænotauit Polypodium *libros duos*, Sermonum *libros duos*. De ipso agunt Trithemius, Posseuinus, Lucius, & Biscarretus. Schodeouenensem

5 *Si* aliquando prophetia Sancti Angeli clarius conspicitur adimpleta, hoc anno fuit. Eo enim temporis Turcarum Imperium magnopere amplificatum est. Turbatis enim vndique rebus, Christianis Principibus, simultatibus, bellisque, ac discordijs animo dissitis, & quod plus tota Christianitate in duas scissa partes altera, vt æquum erat, Vrbani Pontificatum sectante, altera respuente, & Clementi Antipapȩ iuncta, Baiazetus Turcarum Imperator commoditatem temporis nactus, quidquid opportunum prædæ fuerat, rapiebat, & integras Prouincias in suam dictionem redigebat. Bzouius *sub hoc anno num.* 16. Hoc vero prædixerat Sanctus Angelus, vt vidimus circa ann. 1219. Cum enim de incremento Turcarum tyrannidis à Domino audiuisset, vlterius intellexit. *Istud erit quando Ecclesia erit sæpissimè diuisa, & vnusquisque alteri aduersabitur, & quando duo, vel tres Summi Pontifices effici voluerint, & quando Ecclesia erit à multis Tyrannis expoliata, &c.* Quæ omnia hoc anno, & illi proximis, accidisse legenti historias euidenter constare poterit. Ex eis autem vt ad nos attinet, solum id elicimus, Sanctum Angelum fidelem Dei Prophetam repertum esse. S. Angeli Prophetia.

6 Conuentus, seu solitudo Pontis Abbatensis ad Oceani Armorici sinum, iuxta P. Leonem à Sancto Ioanne in delineatione Obseruantiæ Rhedonen- Conuentus Pontis Abbatensis.

donens. *cap.* 22; initium habuit hoc anno. Ea sedes Sacris Ædibus peramplis, Cœnobio eleganti è lapidibus quadris: hortis, viridarijs, paruoque nemore pergrata, sacrarum litterarum otio, solitudinis, ac contemplationis studijs, non vulgare præstat domicilium. Inde prospectus, tum in aduersam planitiem, tum in subiectum fluminis alueum, quoties dietim mare intumescit, nauium grandiscularum capacis. Cœnobium vero ob genium solitudinis Carmelitanum, tum à Domino fundatore, tum à fœlicis memoriæ Episcopo olim Caisopitensi; ex Inclyta Rosmacediorum familia, id, quod gentilitia stemmata, vbique ædificiorum impressa commostrát, aliorumque succedentibus sæculis liberalitate, mediocriter dotatum, cæteræ Vrbis modicæ, viciniæque eleemosynis sustentatur. Ipsa certè ædificiorum moles, concinna operis structura in paucis visenda, suo Ecclesiæ splendore, Populi maximè Catholici, pietatem prouocat, & accendit. Addita est hæc Heremus obseruantiæ Rhedonensi de anno 1628. florentibus ab eo præsertim tempore viris Religiosis: qui toti Armoricæ inferiori virtutum gloria prælucent. Hæc ex Leone relato.

Ann. Christ. 1384. Vrban. 6. Roman. Pontif. 7. Vvenceslai Reg. Rom 6. Andronic. Imp. Orient. 1. Michael de Bonon. Vic. General. 6.

Orientis Imperium.

1 Ræsenti anno, cum in Orientis partibus Andronicus Palæologi Imperatoris filius, contra ipsum de Imperio decertaret, Baiazetis auxilio ipsum occupat; iurans se eius clientem futurum. Parens autem in carcerem conijcitur. Laonicus, Gordonus, & Spondanus.

Raimundus Baquerij.

2 Sub hoc anno cum pars illa Ordinis, quæ Clem. Sept. pseudo Papæ factionem sequebatur, ob cessionem Bernardi Olerij ex Generalis, sine capite mansisset, Auenioni Galliæ Capitulo Generali celebrato, Magistrum Raymundum Baquerij Prouinciæ Narbonensis in Generalem elegit. Ioannes Grossi *in Viridario Claui* 2. Bostius *lib.* 7. *Specul. histor. cap.* 46. Ioannes Palçonydorus *lib.* 3. *cap.* 13. Gubernauit autem iste Raymundus Prouincias sibi subiectas per quatuor annos, & aliquot menses. Bostius *supra*.

Michael de Bononia.

3 Per id tempus Generalis Michael de Bononia ex Italia discessit Prouincias Angliæ, & Germaniæ visitaturus. Constat hoc ex lib. Ordinis in Capitulo Generali anno sequenti celebrando.

Casus in Anglia.

4 Casus accidit sub hoc anno in Anglia, qui si superficie tenus spectetur, ignobilis, & iniurius Ordini nostro habebitur, sin autem circunstantiæ inspiciantur, è contra gloriosus apparebit. Erat tunc temporis Anglorum Rex Richardus secundus, ætate iuuenis, & parum beneuolentiæ à populo

pulo adeptus, quia immeritis gratiæ conferebant, aulicorum forsan auaritia. Res ista effecit, vt in caput Richardi sit coniuratum: Deus autem voluit coniurationem patefacere, & hac ratione gratiam Regi referri, quod is constantissimè pro Christi in terris Vicario Pontifice Vrbano aduersus coniuratos eius hostes, stetisset, & pugnasset. Duo ergo fuerunt qui fulmen indicarunt, Eques vnus, quem modo omittimus, Carmelita alius, nomine Ioannes Latymer, Oxoniensis, in Theologia Baccalaureus. Hic schedam Regi obtulerat, in qua coniurationis Principem Ducem Lácastriæ, quasi voluisset Regem repente opprimere, Regnumque occupare, indicabit, simul tempus, locum, & cœtera, quę huius rei facere poterant argumentum ostendebat, & super S.Eucharistiæ Sacramento, iuramento cócepto, vera esse quæ scripsisset confirmabat, simulque ne Duci excusanti fidem abhiberet, neve eum à se dimitteret admouebat. Vocatus Dux negabat, excusabat, & tum purgationem, tum duellum offerebat ad innocentiæ probationem. Dedit Rex aurem, & fidem excusanti, ac postulante illo Carmelitam in custodiam dedit, die crastino ad responsionem producendum. Nocte antecedente diem designatum inquisitioni Ioannes Holland frater consobrinus Regis, vna cum Henrico Greneue nobili Equite, Carmelitam comprehensum, truculentissimum in modum excarnificarunt. Collo enim illius funem circumligarunt, alio partes, quas natura occultauit, strinxerunt, sicque arcuatum in ligno quodam suspenderunt, atque super ventrem illius ingentis ponderis lapidem posuerunt, qui & verenda fortius stringeret, & guttur citius præfocaret, & spinam dorsi prærumperet, & omnia interiora comprimeret, vt non vno tantum supplicio, sed quatuor tormentis vitam finiret. Die subsequente, cadauer exanime crati vimineæ super impositum per loca publica, velut si proditoris esset, traxerunt, vt suspicionem tollerent mortis iniustè illatæ. De hoc casu Thomas Vvalsighamus *in Historia Anglica sub hoc anno*, Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum* Brittanniæ *Centuria* 6. *in Appendice ad Guillelmum Thorne*, Bzouius, & Spondanus *sub hoc anno*.

5 Non fuisse autem casum hunc nostro Ordini ignominiosum, propter innocentiam huius nostri Religiosi, multa, quæ ipsam suadent conuincunt. Primò, quod extra iudicium, nocte scilicet antecedenti diem destinatum, interfectus sit. Secundo, quod à Magnatibus, qui forsan coniurationis occultandæ causa id fecerunt. Tertio, quod iuramento concepto super SS. Altaris verum propalasse, testificabatur: Quarto, quod nullus ex Scriptoribus illius temporis eum de falsitate accuset. Quinto, & præcipuè, quod Deus iustus innocentium vindex, miraculis ipsius innocentiam comprobasse creditum sit. Vt enim apud prædictum Vvalsingamum, Bzouiú, & Spondanum habetur; *sunt qui dicunt cratem sutam super quam fratris corpus tractum erat, reuiruisse* (erat, vt diximus, viminea) *floruisse, & folia produxisse, & quemdam cæcum ad eamdem cratem lumen amissum recepisse*. Subiungit Vvallighamus, *Sed si vere id asseuerauerint, vel amore, vel odio* — Qualis sit is casus.

per-

personarum nondum scitur. Subiungimus nos, Vvalsighamum parum æquum in Mendicantium Ordines se iudicem præbuisse, vt illam Angliæ historiam ab ipso descriptam legenti constare poterit: & ita nobis piè suspicandum, dum aliud clarius non innotescat, miraculis Deum fratris nostri innocentiam demonstrare voluisse.

Conuentus Regiensis. 6 Ad hoc tempus referri debere institutionem Conuentus Regiensis colligitur ex quodam testamento Pinotis Iurisperiti Regiensis, in quo illum nostris fratribus donauit: volens, quod Religio manu teneret sex Sacerdotes, quorum vnus sit Prior, & Concionator. Alia in dicto testamento. Conuentus iste sub obedientia PP. Congregationis Mantuanæ manet.

Ann. Christi 1385. Vrban. 6. Roman. Pontif. 8. Vvenceslai Reg. Rom. 7. Andronici Imp. Orient. 4. Michael. de Bononia Vic. General. 7.

Papæ pressuræ. 1 NOn pauca hoc tempore ab aduersarijs patiebatur Vrbanus Papa: & inter alia proditionem, vt propterea plures Cardinales in carcerem coniecerit, torserit, & dirè afflixerit; Regem, & Reginam Neapolis excommunicauerit, ac Regno priuauerit; in Luceria obsessus fuerit, & Genuam confugere coactus fuerit. Niemus, Gobelinus, Vvalsingham, Krantzius, Simontius, & alij.

Capitulum Generale. 2 Iam ad Generalem Michaelem de Bononia reuertentes, anno præsenti in Conuentu Bambergiæ Prouinciæ superioris Alemaniæ in Festo Pentecostes Capitulum Generale celebrari fecit. In eo primù ipse Michael in Generalem Ordinis à Diffinitoribus confirmatus fuit. Numerantur solum nouem Diffinitores Generales, Prouinciarum, videlicet Sicilię, Angliæ, Romæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Thusciæ, Bononiæ, Alemaniç superioris, & Vasconiæ. Instituti sunt Prouinciales Terræ Sanctę, Siciliç, Angliç, Narbonç, Romæ, Franciæ, Inferioris Alemaniæ, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciç, Bononiæ, Tholosç, & Cathaloniæ. Prouincialem Vasconiæ voluntati Generalis commiserunt. Institutus præterea fuit Vicarius Vicariatus Flandriç. Ac statuerunt, quod Prouinciales pro Prouincijs Schismaticis instituti in suis Prouincijs natiuis possent remanere cum voce, & loco actiuè, & passiuè, donec ad Prouincias ipsis commissas possent accedere.

Decreta Capituli. 3 Quoad decreta, primo Ordinatus est in Generale Studium Conuêtus Viennensis superioris Alemaniæ, cum priuilegijs Parisiensis studij. Deinde reassumpserunt librum antiquum Ordinis, & sigillum Capituli Generalis, quæ in Generali Capitulo Veronensi fuerant derelicta. Item renouatum est decretum Capituli Burgensis, quo dicitur, quod Generalis possit

possit omnia ordinare, & facere quæ Diffinitores, exceptis, &c. Præceptum etiam fuit sub virtute Sanctæ Obedientiæ, vt fratres post prandium ad Ecclesiam eant pro gratijs reddendis. Præterea circa curam infirmorum habendam, proprietatem abdicandam, & alia minoris ponderis, quæ omittimus, salubria decreta statuta sunt. Ac tandem commissum Generali prouidere de Officialibus Romanæ Curiæ, scilicet Procuratore, Priore, Regente, & alijs, ac de Socijs ipsius. Constant prædicta ex lib. Ordinis *fol.* 15.

4 Grauiores Patres, qui in hoc Capitulo recensentur sunt, Magister Michael de Bononia Generalis, Magister Nicolaus de Luca Procurator Ordinis, ac Prouincialis Romæ, Magister Ioannes Bramach Diffinitor, & Prouincialis Germaniæ Inferioris, Magister Ioannes de Raude Diffinitor, & Prouincialis Lombardiæ, Magister Conradus de noua Ciuitate Prouincialis Germaniæ Superioris, Magister Robertus Yuonis Prouincialis Angliæ, Magister Matthæus de Bononia Prouincialis Tholosæ, Magister Philippus Ribboti Prouincialis Cathaloniæ, Magister Bernardus de Bononia illius Prouinciæ Prouincialis. De quibus suis locis. Patres grauiores.

5 Duplici miraculo claruit sub hoc anno Sanctus Albertus noster Drepanensis. Cataniæ scilicet, & in Terra Calata Nixeta nuncupata. Cataniæ etenim; cum puer quidam Nicolaus nomine occultam quandam infirmitatem pateretur, dum memoria Beati Alberti ageretur, causa festi ad Priorem venit, à quo interrogatus morbum propalauit, tunc Prior eum ad Capellam Beati Alberti duxit, & docuit, vt diceret: *Beate Alberte Sana me, & ego perpetuo tibi seruiam.* Quo ter dicto, tribuit eidem aquam Reliquijs intinctam ad bibendum, *præmissis tribus Pater, & Aue Maria* cum Oratione supradicta, & coram pluribus sæcularibus ibi existentibus puer incolumis surrexit, & factus est frater Ordinis, & valde Religiosus vsque ad mortem. Codex Vaticanus manuscript. *de vita Sancti Alberti.* S. Alberti miraculum.

6 Item in prædicta Terra Nixeta nominata, quædam nobilis fœmina vermes patiebatur fœtentes longo tempore in mammilla. Audiens autem Beatum Albertum in die solemni memoriæ ipsius prædicari, ac commendari, votum vouit Deo, & ipsi B. Alberto Imaginem argenteam oblaturam, pannis aureis Altare ipsius ornaturam, si sanitatem recuperaret. Aquis ergo Reliquiarum Sancti pota à vermis liberatur, & dum vixit B. Alberto deuotè seruiebat. Idem Codex Vaticanus, *vt supra.* Aliud.

Ann. Christ. 1386. Vrban. 6. Roman Pontif. 9. Vvenceslai Reg. Rom 8. Andronic. Imp. Orient. 3. Michael de Bonon. General. 8.

Papæ gesta. 1 Oc anno Papa Vrbanus Genuæ agens, cum ab amicis Cardinalium, quos in carcere detentos habebat, tam veneno, quam nocturnis armis tentatus fuisset, ab ijs se expedire deliberans, eos, quinque videlicet, vel saccis insutos in mare demersos; vel in carcere strangulatos, vel securi percussos interfici fecit. quin & alios insignes Prælatos. Niemius, Blondus, Platina, Bzouius, Spondanus, cum alijs. Iustitiæ zelo Christi Vicarium hoc fecisse credendum est.

Generalis absolutio. 2 Generalem quoque nostrum Michaelem de Bononia ab officio Generalatus absoluit. Causa ignoratur in libro Ordinis, nec de hoc aliud habetur, nisi quod ipse eo tempore Genuam ad visitandum Dominum Papam accesserit. Non abs re iudicari potest, ideo suspensum à Generalatu, quod alicui Cardinali Papæ infenso adhæserit; vel quia cuidam suo discipulo Burgensis Ecclesiæ Archidiacono Papæ suspecto amicabiliter adhæreret. Constituitur autem Vicarius Generalis Ordinis à Papa Magister Ioannes de Raude, seu Raudensis Prouinciæ Lombardiæ. Grossi *in Viridario Claui 2.* Bostius *lib. 7. Specul. histor. 46.* Palæonydorus *lib. 3. cap. 13.* Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli*, in Michaele de Bononia.

De Ioanne Raude 19. Præsule Ordinis.

Ioannes de Raude. 3 HVnc etiam Præsulem à numero Generalium quidam ex nostris excludunt; non alia de causa, nisi quia tempore schismatis Ordinem rexerit. Cœterum, vt in simili diximus de Michaele Bononiensi agentes, immerito, & contra rationem id faciunt; eo quod hic Pater tam sui Vicariatus, quam Generalatus tempore, sub obedientia legitimi Christi Vicarij degiit, & Ordinem gubernauit. Nullo ergo iure à veri Præsulis nomine eliminari potest. Nec debuit, cum etiam hoc Vicariatus Generalis anno, minime obstante eius ægra valetudine, Prouincias Romæ, Thusciæ, & Bononiæ visitauerit. De ipso alia in sequentibus.

Bernardus de Bononia. 4 Eius etiam Præsulatus tempore inter alios egregios viros, quibus Ordo cohonestabatur, vnus Magister Bernardus de Bononia iure censetur, ipsi tempori ascribendus; eo quod, cum in duobus Capitulis præcedentibus Prouincialis Bononiæ describatur in posterioribus nihil de ipso inuenitur. Fuit Vir doctus, imo & Parisiensis Doctor, iuxta Biscarretum, ac disertissimus Verbi Dei preco; & ita de ipso refertur librum Sermonum edidisse, & alia. Gesnerus, Posseuinus, & Biscarretus. Fuit hic Bernardus

Mi-

Michaelis de Bononia Generalis frater, & ambo filij Stephani Ayguani, cuius in monumento Bononiensis Cœnobij in primo Claustro, & lapide marmoreo hoc extat Epitaphium.

Hic ego qui iaceo Ayguanis stirpe duorum
Stephanus in vtero genui membra virorum,
Iacobi Serenis maior extat, Michael quorum
At minor Bernardus, ambo nos ex fonte Doctoris
Hùc petra sic tegit, sub bis centum, & quin-
quaginta Francorum.
Lustris ter nouem, rota quinta, in festo Magorum.

5 Inter claros etiam Ordinis Viros sub hoc tempore meritò referimus Philippum Ribboti nostri Ordinis Illustrem valde Professorem, natione fuit Hispanus, patria Catalanus, & Gerundiæ, vulgo *Girona*, natus. Diffinitor erat Generalis Prouinciæ Cataloniæ in Capitulo Generali Aquensi anno 1372. & in Burgensi anno 1379. Diffinitor, ac Prouincialis Cataloniæ: vocaturque in Sacra pagina Doctor. In vltimo autem Capitulo Bambergensi etiam Prouincialis Cataloniæ nominatur. Cum autem hoc tempore schismatis, ij, qui partes pseudo Pontificis sectabantur, in Capitulis Generalibus, muneribus, aut officijs, non dignarentur; non incongruè in laudem nostri Philippi elicimus, vero Pontifici Vrbano Sexto, non Clementi prætenso adhæsisse, siquidem à Religione honoribus decorabatur. Nec mirum sanè; erat enim Vir in Scripturis Sanctis studiosus, & eruditus, & sæcularium Litterarum non ignarus, vita, & conuersatione venerabilis, sui Ordinis amator, & custos egregius. Scripsit pro ædificatione fratrum suorum non contenenda opuscula, quibus zeli spiritualis feruorem erga suam familiam ostendit, & posteris nominis sui memoriã commendauit. Hoc est illud præclarum volumen, de quo sæpius nos egimus, quod generali vocabulo *Speculum Ordinis* nuncupatur; imo, & *magnum Speculum Ordinis*, ad differentiam alterius, quod *paruum Speculum Ordinis* dicitur. In quo, quæ de Ordine ipso Ioannes Hierosolymitanus Patriarcha in libro de institutione Monachorum in veteri lege exortorum, & in noua perseuerantium ad Caprasium (quem legitimam ipsius Ioannis prolem fuisse tomis præcedentibus efficaciter comprobauimus) scripsit, & quæ Beatus Cyrillus Constantinopolitanus *in Epistola ad Eusebium*, Guillelmus de Samuco in Chronica *de multiplicat. Ordin.* & Sibertus de BeKa *in Tractat. super Regul. Carmelitarum* scripserunt, compilauit. Scripsit etiam *de Illustribus Viris Carmelit. lib.* 1. Sermones, Epistolas, & alia. Obijt anno 1391. Petræ latæ in Catalonia sepultus in medio chori sub insigni lapide, teste Biscarreto. De ipso Trithemius, Eisengrineus, qui eum *Sanctum* vocat, Posseuinus, & communiter Ordinis historię.

Philippus Ribboti.

6 Cum Cardinalis de Sancto Marcello Ordinis Protector ab Vrbano Papa priuatus fuisset, Cardinalis Carracciolus, titul. Sancti Cyriaci, Protectoris, vel Vice Protectoris Ordinis munus gerebat vsque ad ann. 1389,

Cardinalis Protector.

quo excessit, iuxta Ciacconium *in Vitis Pontif. & vita Urbani Sexti*. Hoc autem tempore prædictum Protectoris munus exercuisse conijcimus ex libro Ordinis in Capitulo Generali anno sequenti 1387. celebrato, vbi inter expensas Ordinis numerantur florini sex pro cera data Domino Cardinali Sancti Cyriaci, quod nulla alia ratione fieri posse videtur nisi titulo Protectoris Ordinis.

Contra schismaticos.

6 Huius autem Cardinalis mandato, qui forsan etiam à Papa ad id agendum, præceptum habuit, cum aliqui ex nostris Michaeli de Bononia Generali doposito nimis adstricti, & non satis æqui Papæ eo tempore Genuæ commoranti, essent; à Vicario Generali Raudensi citati sunt, ipsorumque depositiones coram Notario audiuit, & incarcerauit. Sic conijcimus ex libro Ordinis in Capitulo Generali Brixiensi anno sequenti celebrato. Gratulandum Religioni nostræ, quæ semper pro posse schismaticos abhorruit, & legitimo Pontifici adhęrere studuit, aduersarios impugnando, & compescendos.

Siclensis Conuentus.

7 Quo etiam anno Siclense Cœnobium in Sicilia, & Diœcesi Syracusana, fuit; nempe in *D. Iacobi Intercisi*; nunc autem in *D. Annunciatæ* Æde. Inter fratres porro huius Conuentus referuntur, Seraphinus Carusius, qui Concilio Tridentino interfuit, Martinus Lauaccara, Albertus Gelosius, & Hieronymus Peralta. Sic fermè Pyrrhus *in notit. Ecclesi. Syracusan.*

Gualterus Disse.

8 Eodem tempore Ioannes Lancastriæ Dux Anglus Constantię vxoris nomine, Castellæ, & Legionis Regnum, quasi iure hæreditario debitum petebat. Suadente Gualtero Disse Carmelitano nostro Anglo, de quo anno sequenti, & sub anno 1404. plura. Ad id enim dictum Gualterum excitauerat Vrbanus Papa. Alia de hoc Illustri Viro *locis relatis*.

Robertus de S. Fide.

9 Quo etiam anno, vel circiter, in Hispaniæ partibus obijt Robertus à Sancta Fide Anglus, & Noruicensis Conuentus alumnus, qui cum post bene inchoata studia Romam venisset, & ad Papam Vrbanum prudenter se insinuasset, eius virtutem, eruditionem, & in rebus agendis dexteritatem habens exploratam; aliquando in Angliam, in Hispaniam aliquando cum magna authoritate Legatum misit; absdubie contra eidem Vrbano schismaticos aduersantes. Sic enim testantur Balæus *Appendic. 2.* Pitseus de *Scriptoribus Illustribus Angliæ in Appendic. Centur. 4.* Addit Lelandus plura scripsisse, sed quænam fuerint, nec ex ipso, nec ex Pitseo constat. De eo etiam Biscarretus.

Ann.

Ann. Christi 1387. Vrban. 6. Roman. Pontif. 10. Vvenceslai Reg. Rom. 9. Manuel. Imp. Orient 1. Ioann. Raudens. General. 1.

1 PAlæologus Orientis Imperator, qui, iuxta dicta sub anno 1384. à filio Andronico in carceribus tenebatur, elapsus è custodia, apud Turcarum Principem (ò Christianorum miseria) tantum effecit, vt Manuel alter ipsius filius potiretur Imperio, non Andronicus. Laonicus, & Gordonus *sub hoc anno*. Imperium Orientis.

2 Quod ad propria Ordinis nostri spectat, cum occasione depositionis Generalis Michaelis de Bononia, & electionis anno præterito á Pontifice factę Magistri Ioannis Raude in Vicarium Generalem Ordinis, hoc anno 1387. sequente noua Religionis Synodus in Ciuitate, & Conuentu Brixiensi in Festò Pentecostes celebratur. In ea primum prædictus Ioannes Raude de Mediolano (hoc enim etiam cognomine ibi vocatur) in Priorem Generalem vnanimiter eligitur. Numerantur ibi Diffinitores Terrę Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemanię Inferioris, Lombardiæ, Aquitanię, Hispanię, Hibernię, Prouinciæ, Scotiæ, Thuscię, Bononię. Tholosę, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, & Vasconiæ, & Vicariatus Flādriæ. Ordinantur Prouinciales dictarum Prouinciarum. Committitur Generali, vt possit prouidere de Conuentus Parisiensis, & Curiæ Romanæ Prioribus. Procurator, & Regens Curiæ Romanæ pro primo anno post Capitulum instituitur Magister Antonius de Ianua, & pro alijs tribus subsequentibus Magister Dominicus de Cremona. Ordinati tandem sunt Baccalaurei Curiæ Romanæ, Biblici, & Lectores Sententiarum pro Conuentu Bononiæ, ac Lector Sententiarum in Conuentu Florentię *secundum formam* (inquiunt) *Statutorum Domini nostri Papæ*. Constant hæc ex libro Ordinis *fol.* 16, *&* 17. Capitulum Generale.

3 Quoad decreta huius Capituli, multa in eo statuta sunt. Potiora hæc. Primò, quod singulis diebus quando fit commemoratio de Beata Virgine fiat etiam de Beata Anna Matre eiusdem Dei Genitricis. Ex quo antiqua deuotio Ordinis in Beatę Virginis parentes dignoscitur. Quæ etiā ostenditur in multis eiusdem Conuentibus, qui Sanctæ Annæ attitulati sunt: in quorum vno (quod mihi congratulor) scilicet Sanctæ Annæ Oppidi del *Alberca* in Prouincia Castellæ anno 1600. Religioni nomen, & ipsius habitum (etsi indignus) suscipiens, die Sancti Lucę 18. Octobris eius anni: in cuius S. Euangelistæ peruigilio hoc anno 1654. hæc scribo. Secundo, ordinauerunt Magistrum Bartholomæum de Sacca Procuratorem pro procuranda Canonizatione Beati Alberti, moti absdubiè nouis miraculis ab ipso patratis anno 1385. vt ibi diximus. Tertio, idem, quod in Decreta.

Capi-

Capitulis præcedentibus statutum fuerat circa residentiam Prouincialium Prouinciarum Schismaticarum in suis Prouincijs natiuis renouatum est. Ac tandem quartò commissum est Generali eligere sibi Socios,& prouidere de Officialibus Curiæ. Liber Ordinis *fol.* 17. & 18.

Illustriores Patres.

4 Illustriores Patres, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt, Magister Ioannes de Raude Generalis Ordinis; Magist. Dominicus de Cremona, & Antonius de Ianua Procurator Ordinis, & Regentes Curiæ; Magister Mathæus de Bononia Diffinitor Tholosæ; Magister Robertus Yuoi Prouincialis Angliæ, Magister Ioannes Bramach Prouincialis Alemaniæ Inferioris; Magister Gualterus Disse Prouincialis Hispaniæ; Albizus Azolinus de Florentia Thusciæ Diffinitor, & eiusdem Cœnobij Sententiarum Lector: de quibus suis locis specialiter dicitur.

Antonius de Ianua.

5 Inter quos prædictus Antonius de Ianua celebris ea tempestate in Ordine fuit. Hic in Capitulo Generali Brugensi anno 1379. ordinatus est Lector Biblicus Tholosæ pro quinto anno. In præsenti autem Capitulo erat Diffinitor Terræ *Sanctæ*, & pro primo anno post Capitulum ordinatur Procurator Ordinis, & Regens Romanæ Curiæ. Ante Capituli vero celebrationem idem munus Regentis Curiæ exercebat: vnde in expensis ipsius ea computatur, quam fecit prædictus Magister Antonius, *quando iuit de Ianua vsque ad Portum Veneris, vt faceret sermonem coram Papa in Vigilia Vigiliæ Natiuitatis Domini*. Ex eo autem virum doctum hunc Antonium fuisse primo elicimus. Secundo, Ianuam, vbi tunc Papa erat, conuenisse. Ac tertio sermonem coram Sanctissimo fieri ab vno Ordinis nostri Religioso quarta Dominica Aduentus etiam hoc tempore obseruatum fuisse. Neque enim alia de causa in Vigilia Vigiliæ Natiuitatis Domini sermo iste ab hoc Magistro Antonio fieret, nisi ratione quartæ Dominicæ Aduentus eo die occurrentis. Addit Biscarretus, dum de hoc Patre loquitur in suis *Palmitibus Vineæ Carmeli*, plura aduersa sustulisse: nam, dum ex Ianua ad portum Veneris transfretaret, à pyratis captus, omnibus vtensilibus, quæ habebat, spoliatus fuit: & officium Procuratoris Ordinis exercuit tempore calamitoso, quo illi agendum erat cum Schismaticis, qui in Ordine erant, & cum Armachani Sectatoribus contra Mendicantes, plura effutientibus.

Gualterus Disse.

6 Maximè tamen eximiè clarus erat hac tempestate Gualterus Disse Anglus, de quo anno præcedenti. Hic enim ab Vrbano Papa maxima priuilegia accepit dispensanda ab ipso in Regnis Hispaniæ: inter quæ illud erat, quod posset Papæ Capellanos creare secundum formam iuris,& consuetudinem Romanæ Curiæ. Thomas Vvalsinghamus *in Historia Anglicana sub anno 1387. §. per idem tempus*. Clarius rem narrat Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 736.* dicens: *Per idem tempus dictus Ioannes Dux Vxorio iure Regnum Castellæ, & Legionis repetijt: hanc expeditionem omni quo potuit auxilio, & consilio iuuit, & promouit Dissæus: qua occasione anno Domini 1387. ab Vrbano Papa Sexto, & deinde ab eius successore*

cessore Papa Bonifacio Nono, vt ex Trithemio, & alijs colligo, creatus, & confirmatus est de latere Legatus ad Regnum Angliæ, Hispaniæ, Granatæ, Castellæ, Portugaliæ, Legionis, Aragoniæ, Cathaloniæ, Nauarræ, & ad partes Vasconiæ, atque alias Prouincias, vt Crucem Christi contra Infideles, hæreticos, & schismaticos prædicaret: Subiungit Balæus in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ, in hoc Gualtero: *In quibus omnibus auctoritatem per quatuor Bullas habebat quinquaginta Doctores, ac totidem Portionarios constituendi, prophanata vbique Templa reconciliandi, & spurios quacunque ventre natos ad Sacra legitimandi.*

7 Quam strenuè autem in huiusmodi Legati munera noster Gualterus se gesserit, sic habet Pitseus, vt supra: *Fecit ille, & quidem ita strenue munus iniunctum, vt ad celebritatem sui nominis magnam fecerit accessionem. Itaque multiplices hominis virtutes tantam apud posteros consequutæ sunt famam, quantam nulla vnquam vetustas obscurabit, nulla delebit obliuio.* Sed qui melius (etsi hæretico stylo) Gualteri Magnalia expressit relatus Ioannes Balæus est, qui *in Cathalogo Scriptorum* Brittanniæ in forma grandi, *Centuria septima in Appendice ad ipsum Gualterum* sic de eo loquitur: *Ex omni Papisticolarum turba non fuit eo tempore hoc nostro Gualtero in AntiChristi negotijs quisquam auctuosior, neque ex vllo locustarum genere (Monachorum Ordine) scorpio nocentior.* Parcatur improbo Authori, dum Catholicos *Papisticolas*, Papam *AntiChristum*, & Monachos *Locustas* appellare non confunditur; Et cum Gualterum nocentissimum scorpionem vocat, id credamus asseruisse, propter eximia ipsius opera in obsequium Christi, & Apostolicæ Sedis præstita. Alia huius Gualteri gesta anno 1404. referimus.　Eius gesta.

8 Hoc eodem anno, qui decimus erat Vrbani Sexti, vndecimo Kalendas Septembris, confirmauit Constitutionem Benedicti Duodecimi, quod nostræ Religionis fratres non se transferrent sine licentia Summi Pontificis ad Ordines Sancti Benedicti, vel Bernardi; Incipit: *Prouisionis nostræ debet.* Palæonydorus *lib.3. cap. 13.* Mare Magnum per Ioannem Mariam de Nouolaria collectum *pag. 14.*　Papæ côcessio.

9 Eadem tempestate nouum Angliæ Carmeli, & totius Ecclesiæ iubar Thomas Vvaldensis (alias Vvalderus) micare cœpit. Hic ab Oppido natalitio cognomen accepit, nam alioquin à familia progenitorum *Notterus* ei cognomentum erat. Ioanne, & Mathilde parentibus, in Anglia natus, Londini fratrum nostrorum institutum adolescens suscipit sub disciplina Regulari, tempestiue discens iugum portare Dominicum. Erat profecto ad virtutem, & bonas litteras à natura, & gratia factus, & formatus homo, & propter indolem præclaram, & spem, quam de eo iure, meritoque nostri conceperant, ad pietatem, & studia bonarum artium accuratè nutritus est. Hæc de ipsius adolescentia, & primo ingressu in Religionem dicimus, plura sequentibus annis dicturi. Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate 15. num. 796.* Qui de ipso dicturus hæc protulit affectuosi animi in tantum virum indicia. *Hinc extra meum morem, bona lecto-*　Thomas Vvaldensis

ris

ris cum venia, liceat mihi in præstantissimi viri laudes, & virtutes paulò liberius expatiari, quas ex tribus præcipuè capitibus, & certo colligere, & meritò decantare poterimus. Primo à testimonijs hominum litteris, & pietate insignium. Secundo, à Summis, quæ obiuit penè omnis generis in Republica muneribus. Tertio, ab eruditissimis, quas scripsit, libris, quibus de re Litteraria, de Catholica Ecclesia, & de omni posteritate cum optime meritum esse constat.

Ann. Christi 1388. Vrban. 6. Roman. Pontif. 11. Vvenceslai Reg. Rom. 10. Manuel. Imp. Orient 2. Ioann. Raudens. General. 4.

Papæ gesta. 1 Edijt hoc anno Vrbanus Papa Romam, Perusio relicto, quo pertexerat, Italiæ negotijs, Neapolis præsertim, & Clementinorum schismate, eum perurgentibus, Niemis, Frosardus, Spondanus. Addit Gobellinus quadam Sancti Petri visione, & cuiusdam Eremitæ hortatu confortatum fuisse, vt Romam accederet, & insigni honore receptum esse.

Cõtrouersia Parisiensis. 2 Circa hoc tempus grauis orta est dissensio inter Vniuersitatem Parisiensem, & Ordinem Prædicatorum, occasione quarundam propositionum Ioannis de Montesono eiusdem Ordinis, quæ inter alia, tangebant etiam opinionem de Immaculatæ Virginis Conceptione. Multa propterea Doctor iste, & plures alij eius Sacræ Religionis à Parisiensibus passi sunt; & ab Vniuersitatis corpore abscissi; ita vt non nisi longo post tempore eidem Ordo restitui potuerit. Rem latè narrat Spondanus sub anno præcedenti, ex alijs, quos refert. Quoad nostræ verò Religionis Alumnos attinet, etsi eos credamus huic grauissimæ Prædicatorum Familiæ, propter doctrinæ integritatem, quam ex Angelici Doctoris fonte potauit, addictos merito fuisse; in puncto tamen de Deiparæ Conceptione, Michaelem de Bononia, & alios Carmelitanos, eis non adhæsisse, suspicamur.

Raimundus Aquerius. 3 Viuebat hoc tempore Raimundus Aquerius Vicem Generalis in ea parte Ordinis, quæ Clementem pseudoPapam sectabatur, gerens. De cuius gestis, Ordinis monumenta, quæ vidimus, pauca tradunt. Id pro comperto, quod nisi suum nomen schismate fœdasset, alioquin virum fuisse venerandum ex eo conijcimus, quod ab Hispanis, & Gallis, alijsque Principibus, pro vero Ordinis Pastore haberetur. Fuit etiam Vir doctus; quippe in Capitulo Generali Podiensi de anno 1375. in Studio Tholosano Lector Biblicus pro primo anno, & Lector Sententiarum pro tertio designatus.

Ann.

Ann. Christi 1389. Vrban. 6. Roman. Pontif. 12. Vvenceslai Reg. Rom. 11. Manuel. Imp. Orient. 3. Ioann. Raudens. General. 3.

1 DVm in Gallijs Antipapa Clemens à Carolo Rege, alijsque Principibus Gallorum inuisebatur; ipseque vicissim pinguia plura beneficia Ecclesiastica ipsis conferret; vt propterea merito probi, & litterati Viri conquererentur, quod virtuti nauantes ad honores pertingere non valerent: Papa interim Vrbanus festum Visitationis Beatiss. Virg. Mariæ instituit, vt precibus eiusdem Dei Genitricis suam Eccles. donis cælestibus Deus visitaret: Iubilæum etiam plenissimum pro anno sequenti Romæ indixit, vt singulis deinceps 33. annis celebraretur, sicut Bonifacius 8. singulis centenis, & Clemens 6. singulis quinquaginta celebrari præceperat. Gobellinus, Spondanus, & multi alij. Papæ gesta 2

2 Obijt autem hoc anno idem Vrbanus, non sine suspicione veneni, à quo, vt caueret, à Sancta Catharina Senensi, vt dicitur, admonitus erat. Qui, studio castitatis, & iustitiæ, odio simoniæ, & luxus, vitæque austeritate, ac ferme continuæ carnis maceratione per ieiunia, & cilicia, inter laudatissimos numerari potest. Habuit successorem Petrum, seu Perinum Tomacellum Neapolitanum sub nomine Bonifacij 9. coronatum. Platina, Onuphrius, Ciaconius, & alij. Fuit hic Pontifex in Cardinales ab Vrbano 6. exauctoratos clemētior ipso, eos restituendo suis dignitatibus. Inde Bartholomæum Mezzavacam Ordinis nostris Protectorem ab eodem Vrbano priuatum, restituit, sub titulo nostræ Ecclesiæ Sancti Martini de Montibus. Ciaconius, & Bzouius. Obitus Papę

3 Archiepiscopatum etiam Dublinensem Ricardo Northalo Ordinis nostri professori contulit, vt sub anno 1397. ex Balæo, & Pitseo dicemus, & plures ex nostris honorificis legationibus pro Sedis Apostolicæ negotijs peragendis, creauit, vt etiam ex dicendis liquescet. Richardus Northalus.

4 Cessit hoc tempore Raimundus Aquarius, Generalis vocatus eius partis Ordinis, quę Antipapam Clementem sequebatur, suo muneri, & idcirco occasione vacantis Generalis, Patres, qui ex nostris pseudoPontificem sectabantur, congregati in Conuentu Perpiniacensi hoc anno in Natiuitate Beatæ Mariæ Magistrum Ioannem Grossi in Generalem elegerunt. Testatur id idem Grossi *in viridario Ordinis Claui 2*. Bostius *lib. 7. cap. 47.* & Palęonyd. *lib. 5. cap. 13*. Huius autem Capituli acta, vtpote inter legitima Ordinis non computata, vel non extant, aut non vidimus. Is porro Ioannes Grossi, Gallus natione erat, ex Prouincia Tholosana, Conuentus Appamiarum Alumnus, Doctor insignis in Theologia, in regimine prudentissimus, & apud omnes, tum Hispanos, tum Gallos magnæ authoritatis. Erat Ioan. Grossi

autem hic annus primus sui Magistratis: ex quo, & ex multo tempore, quò Religionis regimen tenuit, colligimus tunc fuisse non multæ ætatis. Pius tamen, & bonæ mentis pro Catholicæ fidei sustentatione erat, & pro schismate abolendo multum laborauit. Quæ, & alia de ipso in sequentibus constabunt.

Guilelmus Beufû. 5 Circa hunc etiam annum Guilhelmus Beufû Ordinis nostri Monachus, natione Anglus, & Oxoniensis Gymnasij Doctor, in Cœnobio suo diem clausit extremum. Vir erat non vulgari doctrina institutus, & raris virtutum ornamentis insignitus. Fratrum nostrum Prior fuit; & quædam ex ingenij sui thesauro deprompta edidit, & alia ex Gallica in Latinam linguam transtulit, quæ illum celebri decorarunt nomine. Sunt sequentia; Speculum Sancti Edmundi translatum *librum vnum*, De miraculis Mariæ Virg. *librum vnum*, Lecturam Sententiarum *librum vnum*, Collationes varias *librum vnum*. De ipso Balæus, Piseus, Lelandus ab ipso relatus, Posseuinus, & Biscarretus.

Ann. Christ. 1390. Bonif. 9. Roman. Pontif. 1. Vvenceslai Reg. Rom. 12 Manuel. Imp. Orient. 4. Ioann. Raudens. General. 4.

Papæ Bonifacij gesta. 1 Elebrauit hoc anno Papa Bonifacius Romæ Iubilæum, magno cum Populi Christiano concursu. Niemus, Diuus Antoninus, Boniusegnius, & recentiores. Nec sine fructu concursu iste pius Christianitatis fuit; cum eo tempore Amurathes Turca Christianorum hostis ob vno ipsorum fuerit occisus; cuius cædis occasione, si ipsi considerassent Turcarum Imperium deiecissent: sed ignauia, vel discordia (vt sæpissime contigit) Sarracenis robur adiecit. Regnat ergo Baiazetus Christianorum Mastix. Bzouius, Spondanus, & alij. Sed contra illum Tamerlanus surgit, qui totam ferme Asiam, semper victor, semper fœlix domuit. Laconicus, Sabellicus, Gordonus.

Alia. 2 Occasione autem anni Iubilæi Romę indicti pro præsentibus necessitatibus, & præsertim ad hostes Ecclesiæ, tum domi, tum foris comprimendos; cum expensis pro huiusmodi faciendis impar esset Bonifacius, Commissarios vbique terrarum hoc anno dispersit, vt aliqua subsidia á pietate Christiana obtineret. Quamuis autem nonnulli ex istis à Papa missi fuerint, qui sua potestate abusi, ad proprium commodum, turpem lucrum, & sacrilegum quæstum, eam conuerterent; vel pecuniam malis artibus extorquerent, seu Ecclesiæ comparatam defraudarent: vt idcirco contra ipsos processisset, in aliquos animaduertendo, puniendo, seu varijs pœnis mulctando; alij vero, Deo sic permittente, sibi necem intulerint: alij quoque à populis malè tractati, seu interfecti fuerint,

rint, de quibus tamen Bzouius, & Spondanus vetustiores historicos sequẽtes: nihilominus alios extitisse, qui suum munus fideliter peregerint, dubitari nequit. Forsan ex illis vnus fuit Benedictus à Sancta Fide Anglus, de quo anno sequenti dicetur ex Balæo, & Pitseo, fuisse Legatum Bonifac. Noni in rebus ad Ecclesiam Romanam spectantibus.

3 Idem suspicari quis poterit de alio celeberrimo Anglo hoc tempore superstite, Gualtero Disse nuncupato, de quo sub anno 1387. nonnulla diximus. Cœterum, etsi id forsan sic contigerit; nihilominus grauiora alia negotia ipsi à Papa sub titulo etiam Nuncij, & Legati Apostolici, scilicet Cruciatæ prædicationem contra hæreticos, & schismaticos, commissa fuisse, certius est. Etenim Trithemius *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis nostri*, de eo dicit: *Hic fuit Nuncius, & Legatus Bonifacij Papæ Noni in Regnis Angliæ, Hispaniæ, Portugalliæ, Nauarræ, Aragoniæ, & in partibus Vasconiæ, Crucem contra hæreticos, & schismaticos prædicans*. Idem colligitur ex Pitseo, & Balæo anno 1387. relatis. Alia de ipso sub an. 1404. quo diem vltimum clausit. Gualterus Disse.

4 Clarus etiam per id tempus, imo clarissimus, videtur fuisse Bernardus Aureoli, de Ambasia appellatus, quia Ambasia in Gallia ipsius patria erat. Is Pater in Capitulo Ferrariensi de anno 1357. nominatus Lector Parisiensis pro nono anno, & Bibliorum pro 8. & in Capitulo Treuerensi ann. 1362. Lector Sententiarum Tholosæ 3. anno, & Bibliorum pro primo. In Capitulo autem Montispessulani an. 1369. Diffinitor General. Tholosę: idem in Cap. Gen. Podiensi de an. 1375. In Brugen. autẽ de ann. 1379. Prouincialis Tholosæ instituitur. Postea, teste Posseuino, factus fuit Sac. Apost. Palatij Romæ Lector, & inde Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. An à vero Pontifice Romano, an vero ab Antipapa huius temporis, incertum. Illud pro comperto, fuisse virum valde doctum; prout eius scripta indicant. Scripsit enim in Epist. Diui Iacobi *librum vnum*, in Canonicam Sancti Ioannis *librum vnum*, in Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Sermones æstiuales *librum vnum*, Hyemales *librum vnum*, Quadragesimal. *librum vnum*, Collationes variæ *librum vnum*. De ipso Sixtus Senensis, Posseuinus, Fabianus Iustinianus, & Biscarretus. Bernardus Aureoli.

5 Pariter etiam per id tempus describitur Aloisius Sadoch de Panormo Siculus Ordinis nostri. Scripsit enim Disputationes quasdam *librum vnum*, Sermones quoque plurimos, & alia. De ipso Gesnerus ex Martino Persona. Errant tamen, dum hoc tempore claruisse volunt, quo forsan nedum lucem viderat. De illo nos anno 1450. opportunius. Aloisius Sadoch.

6 Sub eodem tamen anno Thomas Lumbæus Ordinis nostri in Anglia, & Conuentu Linnensi professor, ac Sacræ Theologię in Academia Oxonij Doctor vitam finiuit. Vir sanè integritate vitę, & eminente doctrina clarus. In acutis Disputationibus, eruditis Lectionibus, Concionibus denique, & libris editis doctrinam suam satis testatam posteritati reliquit. Zelum etiam, & pietatem in eo declarauit, quod hæreses omnes, Thomas Lũbęus.

& errores, potissimum Lolhardorum, & Vvicleph istarum, qui hoc tempore vigebant, exosos habuerit; non *nigro calculo* (vt Balæus procaciter dixit) Vvicleph um detestatus fuit, sed alba veste agnum sine macula Christum sequens, lupum rapacem ab Ecclesię caulis abigebat. Nisi nominis fallimur similitu ine Diffinitor fuit in Capitulo Generali Montispessulani anno 1369. Scripsit plura sui ingenij testimonia. Lecturas in Sacram Scripturam *librum vnum*, super Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Determinationes Theologiæ *librum vnum*, Quęstiones Ordinarias *librum vnum*, de Incarnatione Verbi *librum vnum*, Sermonum per annum *lib. 1.* Contra Lolhardos, & Vvicleph istas *librum vnum*. Ipsum celebrant Lelandus apud Pitseum, Balæus, Trithemius, ipse Pitseus, Iacobus de Plebe, & ex nostris quamplures.

Rodulphus Spaldingus. 7 Circa idem etiam tempus diem obijt extremum in suo Cœnobio Stanfordiensi sepultus Radulphus Spaldingus nostri quoque Ordinis Professor, natione quoque Anglus, & Sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis; Philosophus, & Theologus non contemnendus: nisi quod fuerit in opinionibus nouis excogitandis curiosus, in propalandis temerarius, & in asseuerandis adeo pertinax, vt tandem, teste Lelando, in hæresis suspicionem inciderit. Vnde, & Thomas Vvaldensis eiusdem nostræ professionis Sectator, sed magis fidei Catholicæ defensor, de hoc Spaldingo dixit, non ad sobrietatem, sed plusquam oportuit sapuisse, imo vero hæresim Vvicleph ianam nonnihil sapuisse. Cum tamen eius opera damnata non sint, & ipse in Cœnobio nostro Ecclesiasticam meruerit sepulturam, facile credimus, vel resipuisse, vel sine pertinacia ad hæresim requisita errasse. Scripsit Sermonum *librum vnum*; in Elenchos Aristotelis quæstiones 45. Determinationes Sacræ Scripturæ *librum vnum*. Ipsum commemorant Lelandus relatus, Balæus, & Pitseus.

Conradus Alpendorp. 8 Notatur etiam pro eodem tempore Conradus Alpendorp Germaniæ Superioris Alumnus; qui dicitur Doctor celeberrimus, vir moribus insignis, doctrina præclarus, prudentia singularis, dexteritate vnicus, in verbi Dei prædicatione eximius, ac Theologiæ expositione profundus, vt propterea Episcopus Arotensis factus fuerit. Scripsit Historiam Diu. Cyrilli Carmelitæ *librum vnum*. De ipso Posseuinus, & Biscarretus, à quo hæc hausimus.

Ioannes Lopcius. 9 Pariter eodem tempore, vel circiter, Ioannes Loncius Anglus Ordinis nostri, & Conuentus Londinensis, ac Sacrę Theologiæ Doctor Oxoniensis, clarus prędicatur obijsse. Vir acuti ingenij, magnę doctrinæ, multæ Lectionis, boni zeli, multæ industriæ. Cuius laudes non tacet Thomas Vvaldensis in suo zizaniorum Fasciculo. Videtur etiam Oxonij publicè Theologiam docuisse, & multa de Mysterijs Fidei nostræ subtiliter, & neruosè disputasse. Qui hominis labores eo fuerunt Ecclesiæ Dei, & Reipublicæ litterariæ salubriores, quo illis temporibus periculosius pullulabant hæreses. Ex præfato Vvaldensi colligitur, eum varias, & periculoses e-

di-

didisse quæstiones om ı bona doctrina refertas. Scripsit de Spiritu Sancti missione *librum vnum*, & alia. De illo agunt Balæus, Pitseus, Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus.

10 Monasterium Annunciatæ Virginis in Vrbe *Modica* Diœcesis Syracusanæ in *Sicilia*, sic appellatum in memoriam Nazarethicæ Domus quam in Terra *Sancta* nostri olim habuerunt, & postea amiserunt, circa hunc annum erectum dicitur Vrbis, & populi consensu, in Relatione data iussu Innocentij Papæ Decimi. Alia de hoc Cœnobio alibi.

Ann. Christ. 1391. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 2. Vvenceslai Reg. Rom 13. Manuel Imp. Orient. 5. Ioann. Raudens. General. 5.

1 TOtus fermè Christianus Orbis hoc anno contra Papam Bonifacium, agente maximè eius aduersario Roberto Antipapa, conspirabat. Carolus præsertim Galliarum Rex; Pandulphus Malatesta in Italia; in Belgio Philippus Princeps; ac alij Christiani Dynastæ. Papa ergo his necessitatibus coactus, exhausto ærario, annatas beneficiorum vacantium Sedi Apostolicæ reseruauit, Angli è contra Leges, & Statuta contra Sedis Apostolicæ authoritatem faciebant. Niemis, Meierus, Zurita, Vvalsinghamus, Bzouius. Huius temporis gesta.

2 De nostra autem Historia hoc anno Guillelmus Starnefeldius, vel *Strenefeld*, natione Anglus, patria Cantianus, ex Cœnobio nostro Nevvendeuiensi, & Doctor Oxoniensis, ex hac vita migrauit. Vir, cuius nomen ratione pietatis, & doctrinæ posteritatem latere non potuit. Domesticas sui tum Ordinis, tum maximè Cœnobij, cuius Alumnus erat, Historias diligenter peruoluit, & quæ memoratu digna iudicauit in bonum ordinem digesta luce donauit. Posteritati tradidit Historiam Nuuendeniensis Cœnobij *librum vnum*, Lecturas *librum vnum*. De ipso loquuntur Balæus, Pitseus, Lelandus ab eo relatus, & Biscarretus. Guillelmus Starnefeld.

3 Eodem etiam tempore claruit Oxoniæ, vbi Baccalaureus fuisse dicitur, Richardus Tenettus, vel Kenettus, alijs Gunetius, liberalium Artium, & Philosophiæ Magister, Ordinis nostri Professor. Hic post absoluta studia philosophica, rei herbariæ se dedit, & varietate distillationum delectatus, herbarum, florum, aquarum, radicum, qualitates, operationes, vires, naturas, curiosissimè seruatus, rem medicam intelligere, & inter suos exercere cœpit. Didicitque varijs ægritudinibus vtcumque commoda afferre remedia. Postea tamen, vt scribit Lelandus, ad Sacrarum litterarum studium, vt suo statui congruentius se contulit. in quo non tam corporum, quam animarum salutē positam considerauit. Proditum est, quod varia de varijs scripserit, sed solum inuenitur de virtutibus aquarum Richardus Tenettus.

rum *librum vnum* . De ipso tractant Balęus, Pitseus, & Lelandus . quem ipse refert, ac Biscarretus.

Ioannes Beuerlaius. 4 Ioannes Beuerlaius ab Oppido suo *Beuerlaio*, Eboracensis agri, vt creditur, Ordinis nostri, Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor Oxoniensis circa hoc tempus claruit. Magnam ingenij, doctrinæque famam apud omnes consecutus est: quam vt æternitatis memoriæ consecraret monimenta litteraria apud posteros in perpetuum victura in lucem emisit, quæ Oxoniæ in Collegio, quod vulgo *Regina* dicitur, diu reposita fuerunt. Scripsit Quæstionum in Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Disputationum Ordinariarum *librum vnum*; Ipsum refert inter Illustres Angliæ Scriptores, Pitseus.

Benedictus de S. Fide. 5 Maximè tamen florebat Romæ ijs annis, & Pontificatu Bonifacij 9. Benedictus de Sancta Fide, Ordinis nostri, Anglus, ex Cœnobio Norvvicensi. Hic in patria fœliciter consummato studiorum cursu, augendę sciētiæ causa Regiones exteras petijt, & tandem Romam peruenit. Coluit in primis Henricum Minutilum, vel Minutulum Archiepiscopom Neapolitanum, & tandem Tusculanum Cardinalem. Cuius opera etiam Summo Pontifici Bonifacio Nono commendatus erat; ideoque honorificis non semel, Pontifice mittente, Legationibus functus est. Hęc Pitseus de Illustribus Angliæ Scriptoribus *in Appendic. Centur. 1. num. 36.* Dubitari potest an hic Pater idem sit cum Roberto de Sancta Fide eiusdem Ordinis, nationis, & cognominis, de quo anno 1386. diximus. Verumtamen, quia Ioannes Balæus, etsi malę fidei auctor, diligens tamen Brittanniæ rerum, ac virorum indagator, in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ *Centuria 6. in Appendic. 2. ad Ioannem Scharpe*, diuersum hunc Benedictum ab illo Roberto facit, illi standum, dum aliud non constiterit: maximè quia ille Robertus sub Vrbano Sexto Legationibus functus est, hic autem Benedictus, nonnisi sub Bonifacio Nono: vnde Balæus citato loco, post quam de illo Roberto scripsit quæ retulimus anno 1386. immediate de Benedicto loquens, dicit: *Benedictus de Sancta Fide etiam Carmelita, Romæ præclaris Viris innotuit, præsertim cuidam Henrico Neapolitano Cardinali, & Episcopo Sabinensi, cuius opera Legationis munere in rebus ad Ecclesiam Romanam spectantibus functus est*. Constat autem hunc Henricum Cardinalem à Bonifacio Nono creatum anno 1389. vt habet Ciaconius. De ipso idem Balæus, Pitseus, & Biscarretus.

Ann.

Ann Christi 1392. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 3. Vvenceslai Reg. Roman. 14. Manuel. Imp. Orient. 6. Ioann. Raudens. Generalat. 6.

1 ADhuc etiam hoc anno plura pati oportuit Papam Bonifacium, qui male à Romanis habitus, per Italiæ Vrbes vagari fuit coactus, Perusium, Asissium, Spoletum; inde Romam reuersus. Diu. Antoninus, Niemis, Spondanus. Baiazeti etiam Turcæ Imperium cum Christianitatis detrimento crescebat. Bzouius ex alijs. Anni casus

2 Sub anno quoque isto Abensbergense Cœnobium in Bauaria, & Diœcesi Ratisbonensi habitum Ordini est: quod annis 1614 & 1615. renouatum, ac restauratum fuit. Dum autem Suecus his nouissimis infaustis temporibus Germaniam deuastaret, & Ingolstadium oppugnare cuperet, miles hinc inde excurrens Monasterium spoliauit, Religiosis crudeliter verberibus exceptis; quod similiter euenisse creditur Vveimmarensi Duce in Bauaria grassante. Monasterium tamen in suo vigore persistere, relatione Bartholomæi Eiselim Prouincialis Germaniæ Superioris ad Generalem Theodorum Stratium, habetur; et si modo in quo statu sit nobis incompertum. Abensbergensi Conuētus.

3 Quo etiam anno Londini suum diem obijt Robertus Yuorius Ordinis nostri grauis Pater, sic cognominatus à Ciuitate quadam in Normannia, vnde auus eius erat, ex locupletioribus Mercatoribus oriundus. Ipse vero Londini in Anglia natus à puero inter nostros educatus, adolescens institutum sumens vsque ad finem vitæ sanctè perseuerauit, non solum pietatis, sed etiam ingenij magnam speciem præseferens, & futuræ doctrinæ signa ostendens. Post perceptas in Monasterio litteras humaniores Cantabrigiam ad maiora studia destinatus est, vbi sic fœliciter aliquot annos in melioribus litteris collocauit, vt inter doctissimos illo tēpore numeraretur. Erat enim Philosophus acutus, Theologus solidè doctus, Concionator Clero, populoque perutilis. Post Doctoralem in Theologia gradum Cantabrigiæ susceptum, Sacrarum Scripturarum lectioni, & contemplationi miro seruore se dedit. Crescente cum eruditione iudicij maturitate, prudentia, grauitate, auctoritate, constitutus est in Capitulo Generali Brugensi ann. 1379. Angliæ Prouincialis; in sequenti autem Capitulo anno 1381. celebrato Veronæ Diffinitor, & Prouincialis eiusdem Prouinciæ dicitur. Et in Capitulo Generali Bambergensi ann. 1385. ac Brixiensi anno 1387. Prouincialis quoque itidem eiusdem Prouinciæ scribitur. Vnde credibile est, quod Pitseus scribit, per tredecim annos Prouincialatum gessisse, & hoc anno Officium cum vita deposuisse. Dum Prouincialis Magistratum gereret, Londinensis Cœnobij bibliothecam, selectissimis ijsdemque Robertus Yuorius.

que vetustissimis Codicibus instruxit, et ornauit. Quamuis autem hæc, quæ de ipso diximus, personam cohonestent, sed quæ scripsit immortalitati commendant. Sunt sequentia. Commentarij in Ecclesiasticum *librum vnum*, in Apocalypsim *librum vnum*, Lecturæ Scripturarum *librum vnum*, Concionum ad Clerum *librum vnum*, Sermonum ad populum *librum vnum*, Registrum Monumentorum Prouinciæ *librum vnum*. De hoc nostro graui Religioso multi loquuntur; specialiter Lelandus relatus à Pitseo, Iacobus de Plebe, Balæus, Posseuinus, Pitseus, Petrus Lucius, & Biscarretus. Qui duo posteriores credidisse videntur errasse Sixtum Senensem, dum hunc authorem Ordinis Prædicatorum esse dicit. Cœterum Sixtus non loquitur de hoc Roberto, sed de Roperto, & libri quos scripsisse dicit, diuersi sunt ab illis, quos Robertus noster composuit: vnde de diuerso authore loqui videtur; prout etiam indicat Posseuinus.

Ioānes Goulam. 2 Refert Spondanus *sub hoc anno num.* 5. ex Monacho Dionysiano, & Iuuenali, Clementem Antipapam misisse Lutetiam Magistrum Ioannem Goulam Carmelitam, qui largitione Indulgentiarum viam vnionis in Ecclesia dissuaderet, & omnes in Bonifacium Papam concitaret, & qui magno odio habitus est Lutetiæ. Cœterum si hic Ioannes Golam est ille Ioannes Golem, seu Goleim, de quo sub anno 1355. diximus; prout ex nominis similitudine esse videtur, ille erat Parisiensis Doctor, vir valde grauis. & doctus, de Ecclesia benemeritus, & qui plura ab aduersarijs perpessa patienter, & prudenter sustinuit. Moderanda ergo ista, quæ authores relati de ipso scribunt.

Synodus Stanfordiensis 3 Sub eodem tempore Synodus Stanfordiensis in Anglia habebatur contra Vviclephistas. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus*, *Ætate* 14. *num.* 711. Cui Concilio Rex Ricardus secundus, & alij Episcopi, & Doctores affuerunt, & cum ipso noster Ioannes Suuaffamus, vel Suuafmus Episcopus Bancorensis, Vsteclephistas, eorumque errores confutans. Pitseus *vt supra num.* 112. De eo dicimus anno 1394.

Ann. Christ. 1393. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 4. Vveneeslai Reg. Rom. 15. Manuel Imp. Orient. 7. Ioann Raudens. Generalat. 7.

Imperatoria praua gesta. 1 CVm Vvencessaus Romanorum Rex, sæuitijs, luxurijs, commessationibus, ebrietatibus, ac socordia in regimine suam defœdasset dignitatem, adeo vt suorum propterea magnum odium incurrisset; in carcerem publicum eum detrusere, & per menses quatuor in fœtore, & squalore miserè afflixere, donec inde, quadam industria euasit: sed iterum non melior factus, iterum captus, & in turri quadam abstrusus, cum postea etiam aufugisset, tandem ab Imperio fuit depositus post

post aliquot annos. Rem narrat Dubrauius rerum Bohemicarum descriptor, ex quo Spondanus, & alij sumpsere; in exemplum sanè prauorum Principum.

2 Nostri autem Ordinis curam solicitè gerens Generalis Magister Ioannes Raude Capitulum Generale Francfordiæ hoc anno celebrari fecit. In quo primum Diffinitores Siciliæ, Angliæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Hiberniæ, Thusciæ, Bononiæ, & Alemaniç Superioris tantum numerantur; reliquarum Prouinciarum, schismatis, bellorum, vel alterius rei, quam ignoramus causa, Diffinitoribus, non relatis. Deinde à Generali, & prædictis Diffinitoribus instituti sunt Prouinciales Siciliæ, Angliæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Hiberniæ, Thusciæ, Bononiæ, Alemaniæ Superioris, & Vasconiæ; reliquarum Prouinciarum Ordinis Prouincialibus, nec nominatis. Item salubria statuta ordinauerunt pro Baccalaureis, & Biblicis destinatis, & in futurum destinandis: de non procuranda acceleratione pro gradu Magisterij, & de modo legendi Sententias in Vniuersitatibus Italiæ. Præterea approbarunt, & incorporarunt Vniuersitatem Coloniensem, modum præscribentes circa promouendos in ipsa, & alijs Vniuersitatibus citramontanis. Ordinauerunt insuper Lectores pro Conuentu Viennæ Prouinciæ Alemaniæ Superioris, & pro Cōuentu Papiæ Prouinciæ Lombardiæ, pro Conuentu Bononiæ, & pro Conuentu Ferrariæ, absdubiè, quia anno 1391. Albertus secundus Ferrariensium Princeps Gymnasium Ferrariæ erexerat (Bzouius eo anno *num.* 13.) Alia denique ad studia spectantia prudentiæ Generalis commissa sunt, Liber Ordinis *fol.* 19. Capitulum Generale.

3 Aliæ quoq; Ordinationes, & Constitutiones in hoc Capitulo institutæ sunt. Et inter alias, quas omittimus, primo quoad Officium diuinum, est, quod fieret omni anno Festum Sanctæ Mariæ ad Niues, Visitationis Beatæ Virginis ad Elisabeth, & Præsentationis eiusdem. Deinde quoad fratres, qui se gerunt pro Capellanis honoris Papæ prouisum quid agendum. Ordinatum item ne quis ad Curiam Romanam accederet sine licentia Prouincialis, nec habitum internum minus honestum gestaret. Ac demum in Procuratorem, & Regentem Curiæ Romanæ elegerunt Magistrum Dominicum de Cremona, in primum Socium Generalis Magistrum Bartholomæum de Sacca Prouinciæ Siciliæ, & in secundum, Thomam Peruele de Anglia. Liber Ordinis, *vt supra*, *& fol.* 20. Alia statuta.

4 Deuotio autem Ordinis in Beatam Virginem Dei Genitricem, non solum ex eo conspicitur, quod tria eiusdem festa, videlicet, Visitationis, Præsentationis, & Commemorationis miraculi ad niues, acceptata de nouo sunt in hoc Capitulo, sed etiam, quia festum Sanctissimæ Conceptionis eiusdem à Capitulo Brixiensi anno 1387. celebrato, per sex sequentes annos expensis Ordinis communibus, magna cum solemnitate in Curia celebratum sit: prout apparet ex quadam partita, quç habetur in hoc Capitulo inter Ordinis expensas in Generali factas, quæ est tenoris sequentis. Deuotio in Beatiss. Virginem.

Item, pro Festo Conceptionis Beatæ Mariæ pro sex annis in prandio Prælato, qui facit Sermonem, & pro illo, qui celebrat Missam, & pro potu famulorum Dominorum Cardinalium, dando quinque florenos in anno, florenos triginta. Vnde apparet, Dominorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum concursu festum hoc celebratum esse à tempore prædicto. Absdubiè, quia Ecclesia, & Religio grauissimis necessitatibus eo tempore oppressa ad *Thronum gratiæ*, & *Matrem misericordiæ* pro opportuno remedio postulando recurrendum censebat. Eiusdem quoque Festi solemnis celebratio in sequentibus Capitulis Generalibus Balneolanensi, Montispessulani, Appaniensi, Nannetensi, Rauespergensi, Astensi, Romano, Auenionensi, Parisiensi, Bruxellensi, & Aurelianensi reperitur, vt ex libro Ordinis constat.

Grauiores Patres. 5 Grauiores ex paucis Patribus, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt Generalis Magister Ioannes Raude de Mediolano, Magister Dominicus de Cremona Procurator, & Regens Curiæ, Magister Ioannes Bramant Diffinitor, & Prouincialis Germaniæ Inferioris, Magister Matthæus de Bononia Diffinitor etiam, & Prouincialis Bononiæ, Magister Bartholomæus de Sacca Siculus, primus Socius Generalis, de quibus suis locis.

Conuentus Hennebontensis. 6 Hoc etiam tempore ante annum 1374. iuxta nostrum Leonem à S. Ioanne *in lib. de Obseruantia Rhedonens. cap. 23.* Conuentus Hennebontensis ope Ioannis Brittonum Ducis constructus fuit. Verum, cum semel, atque iterum parua domus tumultu bellico obruta esset; postea circa ann. 1622. Rhedonensi Obseruantiæ traditus floret. Non alibi pax maior, aut vita suauior. Accedente præsertim populi benignitate, quæ triginta Fratribus domicilium, & alimenta præbere potest. Hęc ex eodem Leone, & alia eius Prouinciæ relatione.

Vesuntoniēs. 7 Cœnobium Vesuntionense, nec ignobile Burgundiæ Emporium circa hoc tempus initium habuit, per Clarissimum Virum Ioannem de Vienna Equitem, Dominum de Rolans, Franciæ Admiralem, ac Ioannam Doyselet eius Vxorem. Sic enim liquet ex Diplomate Parisijs dato anno 1392. Causa erectionis huius Cœnobij huic strenuissimo Militi fuit euersio alterius Carmelitarum Monasterij, quod in obsidione Vrbis suo Principi rebellis necessum illi fuit prosternere: hinc proprium Palatium cum plurimis domibus, hortis, & pomarijs de suo pro hac Bisuntina Domo contulit, Prouinciæ Franciæ primitus aggregata; postmodum autem ab Henrico Siluio Generali sub ann. 1610. Narbonensi fuit in sui initio Ædes pulcherrima; sed postea igne absumpta, mutatus est color optimus: etsi, temporis cursu in nobile quoque, ac egregium, Deo auspice, Cœnobium resurrexerit. Tribus decoratum Præsulibus, cum virtutum tum scientiarum dotibus prǽditis: nempe Henrico de Gotnai, & Guidone Rosseleti Philadelphiæ Episcopis; ac tertio quodam Segostironensi Antistite, cuius memoriam bellici furores, qui crebrius in ea parte fuerunt, sustulere. Maximè etiam decoratur huius Cœnobij Templum pluribus nobilissimarum Familiarum eius Vrbis, & Comitatus insignium personarum sepulchris.

chris. Signatim vero Ioannis de Vergij aurei Velleris Equitis; Clarissimæ Dominæ de Cossui; Elisabethæ de Niuchatel; Illustris Familiæ de Achoi; Ioannis de Sai; Ioannis, & Simonis de Mesligny; Philibertæ de Loagnei; Ludouicæ de Rochefort; Seueri de Alnaij Germani. Præ alijs autem huius Ecclesiæ nobilissimis ornamentis, fulget Granuellanæ Domus amplissimum Sacellum, ad Chori dextrum latus, structura adeo mirabili, & magnifica, vt vnum inter elegantissima totius Europæ merito numeretur, vt idcirco à pluribus primæ notæ hominibus existimatum, eius exemplar sibi procurarint; Ibi Cardinalium pilei (includimus in hoc famigeratissimum illum Cardinalem Granuellæ, Bisuntinum Archipræsulem, Neapolitanum Proregem, Sacri Romani Imperij Principem) Coronę, Velleris aurei torques, cassides, militaria Saga, vexilla equestria. Alia prætermittimus, non quod valde insignia non sint, sed quia ad vlteriora historia nostra progredimur.

Ann. Christi *1394.* Bonifac. *9.* Roman. Pontif. *5.* Vvenceslai Reg. Rom. *16.* Manuel. Imp. Orient. 8. Ioann. Raudens. Generalat. 8.

1 Obijt hoc anno Antipapa Clemens Septimus, non benemeritus de Ecclesia Catholica, qui Christi tunicam inconsutilem scinderet; quod eius mors declarat, quæ ex apoplexia ortum habuisse dicitur. Post ipsius autem transitum, contra plurium Principum, qui nouam electionem differre suadebant, voluntatem, Conclaue ingressi Cardinales illius factionis, Petrum de Luna Hispanum sanguinis nobilitate, iuris notitia, & multis pro Antipapa Legationibus clarissimum, suum Papam elegerunt. Sic fermè Historici cuncti vetustiores, & recentiores. Pontifices Schismatici.

2 Hic Petrus de Luna, Benedictus Decimus tertius inter suos nuncupatus, etsi alias, vt diximus, clarissimus in multis esset, nihilominus suā famam fœdauit, maxima proteruia, qua in schismate per multos annos durauit. Cum incomparabili Reipublicæ Christianæ, & animarum dispendio. Sub quo etiam pars illa Ordinis, Hispania scilicet, & Gallia, quæ suū Generalem eo tempore agnoscebat Ioannem Grossi, quasi sub vero Christi Vicario militabat. Petrus de Luna.

3 Claruit eo tempore Ioannes ille Suuaffamus, vel Suuashamus Anglus, Cœnobij nostri Linnensis Alumnus, & Doctor Theologus Cantabrigiensis. Vir magnæ pietatis, paris doctrinæ, incredibilis zeli, quique strenuè, siquis alius, in eo laborauit, vt rapaces illos Vviclephianæ sectæ lupos grege Dominico, quam longissime arceret. Hos gladio verbi Diuini confodere, hos calamo proterere, in animo statuit. Opera Gregorij Vndecimi Banchorensis Episcopus factus est, vt diximus in præcedentibus, et Ioan. Suuaffamus.

postea ijs annis cum Rege Angliæ Richardo secundo interfuit Concilio Stanfordiensi, vna cum alijs Episcopis, et Doctoribus Vviclephistarum errores damnaturus, vt diximus anno 1392. Scripsit contra illos *lib. vnum*, Concionum variarum *librum vnum*. De ipso loquuntur Leland, et Vvaldensis noster, maximè Balæus, Pitseus, Harpsfeldius, Posseuinus, et Biscarretus.

Conuentus Cracouiæ

4 Quo etiam tempore Vladislaus Rex Poloniæ in suburbano Cracouiensi occiduo Carmelitis nostris Monasterium condidit, titulo Sanctæ Mariæ in Arena nuncupatum, vt ait Bzouius *sub hoc anno num. 7.* qui etiam *sub anno 1399. num. 11.* à Regina Poloniæ Hedvige erectum esse scribit. Cœterum de huius insignis Conuentus fundatione, copiosius sub anno 1397. dicetur.

Papiæ.

5 Eodem etiam anno Fratres nostri Papiæ commorantes in Ecclesia qua nunc sunt diuina Officia celebrare cœperunt, ea, quæ Sanctorum Faustini, & Iouitæ dicebatur, relicta, de qua anno 1364. diximus. Rem narrat Doctor Hieronymus Bossus in Annalibus Sacris Papiensis Ciuitatis.

Michael de Bononia.

6 Concessit etiam hoc anno pro Octauo Kalendas Augusti Papa Bonifacius celebri nostro Doctori Michaeli de Bononia munus Vicarij Generalis Prouinciæ Bononiensis cum plena facultate gubernandi, reformandi, &c. Iure tamen, & potestate Generalis reseruatis. Bulla extat in Archiuio Sancti Chrisogoni. Hinc aliqui, neque incongrue, autumare videntur vestigium aliquod Mantuanæ Reformationis hauriri posse. Sed de ea nos dicimus suo loco.

Dominicus Cremona.

7 Credimus sub eo anno, vel initio sequentis ex vita migrasse Magistrum Dominicum de Cremona, quod à Capitulo Generali præcedenti anno celebrato, nulla vlterius de ipso memoria in Ordine habeatur: imo constat ex libro Ordinis in Capitulo Generali anno sequenti Placentiæ habendo, quod solum duobus annis post Capitulum Francfordiense prædictus Dominicus Ordinis Procuratoriam gesserit, & post ipsum Ioannes Cechalensis, quare sub fine huius anni, vel principio sequentis, vt diximus, obijsse credimus. Vir fuit doctus, & in Religione celebris, vtpote, quia ipsum officijs, & muneribus in libro Ordinis honestatum conspicimus. Etenim in Capitulo Generali Montispessulano anno 1369. Lector Biblicus pro tertio anno in Studio Tholosano ordinatur, & in Capitulo Generali Aquensi anno 1372. Lector Sententiarum pro primo anno in eodem Studio Tholosano instituitur. Postea in Capitulo Generali Viennensi anno 1381. vocatur Diffinitor Prouinciæ Lombardiæ, & tunc primo titulo Magistri decoratur. Insuper ab eodem Capitulo Prouincialis Prouinciæ eligitur; quia quamuis ipse Italus esset, illa tamen Prouincia sicut & aliæ Hispaniç, & Galliæ, schismate diuisæ non comparebant in Capitulis sub vero Papa Vrbano Sexto congregatis, vt propterea illis tanquam absentibus, et rebellibus de Prouincialibus à vero Ordinis Generali, et Capitulo prouideretur. In Capitulo etiam Bambergensi anno 1385. habito eodem titulo

Prouin-

Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ vocatur, sicut et in Capitulo Brixiensi anno 1387. Diffinitor, et Prouincialis eiusdem Prouinciæ nuncupatur. Quo etiam Capitulo Procurator Curiæ Romanæ, et Regens eiusdem pro tribus annis instituitur. Ac demum in vltimo Capitulo Generali Francofordiensi Procurator, et Regens eiusdem Curiæ. De ipso habet Biscarretus, quod à Francofurto Coloniam veniens plurimas Sanctorum Reliquias obtinuerit, easque Cremonam detulisse, ac in Sacristia Conuentus reseruari; ferrique de ipso, quod 4 Augusti 1400. obierit.

8 Hoc anno fundatus fuit Conuentus Viennensis in Delfinatu, & Prouincia dicta Prouinciæ à Petro del Riual in propria domo sub Theobaldo de Rubeomonte Archiepiscopo 87. Viennensi, vt colligitur ex Claudio Roberto in Gallia Christiana in hoc Theobaldo. Et ex Epitaphio dicti Petri Riualij, quod legitur in medio Chori Ecclesiæ, *Hic iacet nobilis, & potens Petrus Riualij Dominus Loci Dei, qui fundauit hunc Conuentum die 3. Octobris anno 1394. Generosus, & admodum colendus Vir Culielmus Riualij supradicti piæ memoriæ Petri Riualis successor Dominus Loci Dei, Blancaci, Sonæ, & Argentinæ Galliæ Regis nobilis Cubicularius quotidianus hunc Tumulum Bellorum Ciuilium tumultu funditus euersum peculiaribus impensis instaurauit; atque in pristinum statum erigi curauit hoc anno 1588.* Conuentus Viennensis.

Ann. Christ. 1395. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 6. Vvenceslai Reg. Rom 17. Manuel. Imp. Orient. 9. Ioann. Raudens. General. 9.

1 PEr id tempus Papa Bonifacius pro vnitate Ecclesiæ laborabat, adiuuantibus ad idem intentum, Galliæ Rege, & alijs Principibus: sed Benedictus Antipapa surdis auribus hęc audiebat, & non nisi verba solicitantibus dabat. Diuus Antoninus, Bzouius, Spondanus. Papæ gesta.

2 Hoc etiam anno, qui sextus erat Pontificatus Bonifacij Noni Romæ apud Sanctum Petrum, sexto Kalendas Aprilis, confirmauit Bullam, Ioannis Vigesimisecundi damnantis propositiones Ioannis de Poliaco, quibus contra confessiones factas nostris Religiosis, & alijs Mendicantibus, mordicus irritas esse contendebat, quem retulimus anno 1321. Habetur hæc Bulla simul cum prædicta illa Ioannis 22. in nostro Speculo Ordinis fol. 75. & 76. Concessio.

3 Forsan huiusmodi Bonifacij diploma ea de causa concessum Mendicantibus fuit, quod Lolhardi in Anglia cum suis fautoribus in omnem malitiam efferati affixerunt publicè Londonis abominabiles contra Ecclesiasticos criminationes, vt si possent Religiosos Ordines cōfunderent: vt propterea ij ad Papam recurrere pro remedio coacti sint. Casum referunt Vvalsinghamus *in historia Anglicana*, & Bzouius *sub hoc anno* 10.

Sub

Richardus Northallus. 4 Sub eo anno Richardus Northallus, de quo anno 1393. Archiepiscopus Dublinensis in Hibernia à Bonifacio Nono, & Richardo secundo Angliæ Rege constituitur, ob egregia ipsius merita. Duobus autem tantum annis in Archipræsulatu, morte vrgente, perstitit. Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate 14. num. 718.*

Bartholom. Sacca. 5 In idem tempus referimus Magistrum Bartholomæum de Sacca Siculum, Ordinis nostri Alumnum, & primum Socium Generalem in Capitulo præcedenti anno 1393. habito designatum. Fuit in Capitulo Generali Veronensi 1381. Lector Biblicus Bononiensis Cœnobij designatus, & in Brixiensi anno 1387. celebrato Diffinitor Prouinciæ Siciliæ, & in subsequenti Francfordiensi dicto anno 1393. primus Socius Ordinis declaratus, vt diximus. Constat etiam ex Capitulo Generali Placentino sequenti anno celebrando ipsum Procuratoris Generalis Munus aliquandiu exercuisse, maximè in prędicto Brixiensi Capitulo Procurator designatur ad impetrandum litteras à Principibus Regni Siciliæ pro Canonizatione Sancti Alberti.

Vortpurgense Cœnobium. 6 Vortpurgense Monasterium hoc anno 1395. in Stiria, & Germania, ac Diœcesi Secouiensi fundatur: quod singulariter annis præteritis, cum Sueci Germaniam inuaderent, nihil, Deo prouidente, passum damni; nisi quod è Bauaria fratres aufugientes, cum eò se recipere coacti fuerint, plures sumptus in eorum sustentationem pertulerit. Prouiderat autem antea Deus, vt Prior eius Conuentus, agris, vineisquę coemptis, illud, ac si nouus esset fundator, egregiè ditauerit; vt sic charitati fraternæ, pro subleuanda pauperum fratrum ab hæreticorum manibus fugientium indigentijs sufficeret. Sic narrabat Bartholomæus Ei.elim Prouincialis Germaniæ Superioris in Relatione scripta ad Generalem Theodorum Stratiũ.

Ann. Christi 1396. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 7. Vvenceslai Reg. Roman. 18. Manuel Imp. Orient. 10. Ioann. Raudens. Generalat. 10.

Anni huius Casus. 1 HVngari, & Franci, qui in Orientis partibus Nicopolim in Misia obsidebant, à Baiazeto oppressi, & victi, magnam cladem acceperunt. Gordonus, & Spondanus ex alijs. Bonifacius autem Papa inter alias Ecclesiæ curas, huic maximè incumbebat, vt Lollardos, & Vviclephistas in Anglia grassantes reprimeret, prout fecit media Synodo Londini congregata. Vvalsinghamus, Vvaldensis noster, & alij post ipsos.

Miraculum Eucharistiæ. 2 Contigit prope idem tempus insigne miraculum pro venerabilis Sacramenti veritate firmanda, quod noster Vvaldensis *tom. 2. de Sacrament. cap. 63.* veluti testis ocularis sic refert: *Historiam refero, quam ego*

præsens vidi oculis carnis meæ in Cathedrali Ecclesia Sancti Pauli Londiniæ, vbi venerandus Cantuariensis Antistes fælic. recordat. Thomas Arundinel. filius, & frater Comitum, pro loco iudicij, assistentibus sibi Noruicensis Ecclesiæ, tunc Præsule Alexandro, & alijs Episcopali Sede, verba quadam, & interrogationes proponebat de fide Eucharistiæ ad quendam sartorem de partibus Vvigorniæ deprehensum in hæresi. Cum flecti ad fidem omnino non posset, nec aliud, quam Benedictum panem Sacratissimam Hostiam nolebat appellare, vel credere: tandem iussu facere reuerentiam Hostiæ, respondit blasphemus. Verè (inquit) dignior est aranea reuereri. Ac statim de alto culmine tecti descendens ingens, & horrida visu aranea, ad os blasphemi directo filo peruenit. Et vt loqueretur, vt intraret per polluta labia solicitè procurauit, & multorum manibus vix potuit prohiberi. Astitit illustris Princeps Thomas Exoniensis Dux, tunc Cancellarius Regni, & vidit prodigium. Illud etiam referunt quamplures alij Vvaldensis authoritati multum deferentes, vt par est.

3 Celebrata deinde est anno præsenti à Generali Ioanne de Raude noua Generalis Synodus Ordinis in Conuentu Placentiæ Prouinciæ Lombardię. In qua etiam occasione Schismatis in Ecclesia grassantis, pauci Diffinitores nominantur, octo videlicet Prouinciarum, Siciliæ, Angliæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Thusciæ, Bononię, & Alemanię Superioris. A quibus Generalis Raude in officio Generalatus confirmatus remansit. Ab eis etiam cum Generali octo prædictarum Prouinciarum Prouinciales instituti sunt. Electi etiam sunt Socij Generalis, & ipsi commissum vt posset ordinare Prouinciales in Prouincijs Hiberniæ, & Scotiæ. Institutum est, approbatum, & incorporatum Studium Generale in Conuentu Papiæ: pro quo etiam destinati sunt Lectores Sententiarum, & Bibliorum, sicut & pro Conuentibus Curiæ Romanæ, & Bononiæ. Pro Vniuersitate autem, & Conuentu nostro Viennensi Lector Biblicus solum designatur. Ordinati præterea sunt pro Conuentu Curiæ Procurator Generalis, Magister Regens, Baccalaureus, Prior, & Megister Studentium, ac commissum Generali, vt eos posset mutare prout sibi melius videretur. Constant hęc ex libro Ordinis *fol. 21. pag. 2.*

Capitulum Generale.

4 Quoad statuta, aliqua ordinata in hoc Capitulo fuerunt circa Lectores, eorumque exercitia; circa fratres ad Romanam Curiam accedentes; & pœnas ijs infligendas, qui sine legitima causa, & licentia venissent. Concessum etiam est, vt quicunque voluisset facere causa deuotionis festum nouem Lectionum de Sancto Christophoro in crastino Octauarum Sanctæ Mariæ Magdalenæ id facere potuisset. Alia denique ordinata in prædicto Capitulo fuerunt, maximè circa computa data, vel accepta pro Ordinis expensis, de quibus in dicto libro Ordinis *vt supra.*

Statuta.

5 Præcipui Patres, qui in hoc Capitulo recensentur sunt, Magister Ioannes Raude Generalis; Ioannes Chechalensis Procurator Ordinis, & Prouincialis Romæ; Philippus Prouincialis Siciliæ, ac Diffinitor eiusdem Prouinciæ; Magister Henricus de Balein Diffinitor Germaniæ Inferioris;

Clariores Patres.

Magister

Magister Philippus de Parma Diffinitor, & Prouincialis Lombardiæ; Magister Albizus Diffinitor, & Prouincialis Thusciæ; Magister Michael de Bononia quondam Generalis, Diffinitor Bononiæ; Magister Ioannes Chininghanus Prouincialis Angliæ; Magister Ioannes Bramach Prouincialis Alemaniæ Inferioris; Magister Matthęus de Bononia Regens Romanæ Curiæ, quorum memoriam cum alijs in suis locis agemus.

Philippus de Sicilia.

6 Erat sub hoc tempore vnus Ordinis nostri, & Regni Siciliæ insignis valde Pater, Philippus de Sicilia in libro Ordinis commemoratus, qui, vt Prouincialis, & Diffinitor eius Prouinciæ recensetur in Capitulo Generali Placentiæ hoc anno celebrato. Hic Pater, quantum ex Libro, seu Registro Ordinis, valde authentico, & in quo Acta Capitulorum Generalium referuntur, haberi potest, in Capitulo Generali Francfordiensi de anno 1393. etiam erat tunc Diffinitor, & Prouincialis Prouinciæ Siciliæ, sicut & in hoc præsenti. Quia tamen ordinatus fuit Lector Sententiarum in Curia Romana pro hoc anno, & Lector Bibliorum pro anno 1398. ac eiusdem Curiæ Baccalaureus, ideo conijcimus, Romæ mansisse hoc tempore. Veruntamen ex Rocho Pyrrho Abbate Netinensi *in Notitijs Ecclesiarum Siciliæ*, dum loquitur de Ecclesia Pactensi circa ann. 1401. habetur, hunc nostrum Philippum cognominatum fuisse *de Ferrario*, ex patre Simone de Ferrario, Viro honesto, & cui ob filij merita Martinus Rex Siciliæ annuos quingentos aureos dedit; & quod eximius Dei verbi Ecclesiastes fuerit, ac post obitum Nicolai de Marino Catanensis, totius Siciliæ Prouincialis, atque Vicarius (intelligo Generalis) in Regno Siciliæ, & Cypri. Maximè autem habet, quod cum esset vir magnæ æstimationis, ac nominis idem Rex Martinus hoc anno, litteris datis Catanæ 8. April. eum commendauerit Papæ Bonifacio Nono, & Cardinalibus Menopolitano, Florentino, & Nouiomensi, vt propter ipsius merita in prima vacanti Ecclesia Siciliæ præficeretur. Hæc omnia, & alia, quæ dicimus sub anno 1399. 1402. & 1414. habet idem Pyrrhus ex authenticis instrumentis Regni Siciliæ.

Alia de hoc Patre.

7 Insignis hic Pater Alumnus videtur fuisse Conuentus Calatanixettæ in Sicilia, & Diœcesi Agrigentina. De quo idem Pyrrhus *in Notitijs Ecclesiæ Agrigentinæ* dicit fuisse sub titulo Sanctæ Mariæ Annunciatæ, peruetustum, & in eo Reliquias Sancti Alberti in magna esse veneratione. Notet Lector, qualiter magna pars Conuentuum Siciliæ sub titulo Annuntiatæ describantur, ad imitationem Conuentus Drepanensis, qui propter celeberrimum illud Virginis simulachrum ibi summa deuotione habitum, *Sanctissima Annuntiata* dicitur. Notet insuper, qualiter etiam eius Regni Monasteria Sancti Alberti Reliquias semper in veneratione habuerint, & apud se retinere studuerint.

Conuentus Calataxirons.

8 Eadem notare poterit de alio simili Conuentu Siciliæ in Diœcesi Syracusana, & Vrbe *Calataxiron* dicta, qui etiam titulo *Annuntiationis*, & Reliquijs Sancti Alberti potitur, vt habet idem Pyrrhus *in notit. Eccles. Syracu-*

racusan. dicens etiam esse nobile, & antiquum Cœnobium.

9 Obijt sub eodem anno Kalendis Iunij Ailesfordiæ in Anglia Ricardus Maidstonius eiusdem nationis præclarus valde, & insignis Ordinis nostri alumnus. Hic ab oppido Natalitio Diœces. Rosensis in Cantia cognominatus, Cœnobij Ailesfordiensis filius, post Oxonij, vbi de societate Collegij Mertonensis fuerat, in Sacra Theologia supremam lauream, tum Doctoris, tum cathedrati Professoris accepit. In multis præclare se gessit contra hæresim Viclephianam. Erat enim Vir omni scientiarum genere instructissimus, Poeta, Rhetor, Mathematicus, Philosophus, & Theologus celeberrimus: miti fuit ingenio, candidis moribus, & in familiari congressu valde affabilis. Singularem in concionibus habuit gratiam, omnemque sermonem apposite accomodare nouit ad hominum beneuolentiam conciliandam, salua tamen, vt credimus, regula prudentiæ. Vnde factum est vt Viris Principibus, quibus placuisse (vt inquit ille) nō vltima laus est, mirè fuerit charus, tanquam Vir prudens, & pius, omnique genere virtutis, & eruditionis insigniter excultus. Inter alios Ioannes Lancastriæ Dux eum sūmo habuit in pretio, illius vsus, animæ causa familiari colloquio, & in arduis Reipublicæ negotijs prudenti consilio. Et, quod omnium caput est, quasi suam animam illi committens, eum adhibuit in confessionum secretis, conscientiæ suę moderatorem. Quæ autem scripsit multa sunt, videlicet, in Canticum Moysi *lib.* 1. in Cantica Canticorum, *lib.* 1. in septem Psalmos Anglicè, *lib.* 1. Compendium Diuini Augustini *lib.* 1. Præcationes metricas, *lib.* 1. Sermones de tempore *lib.* 1. Sermones de Sanctis *lib.* 1. Sermones Oxonienses *lib.* 1. Conciones sexdecim ad Clerum, *lib.* 1. De Sacerdotali functione *lib.* 1. Super Magistrum sententiarum *lib.* 4. Lecturas scholasticas *lib.* 1. Quæstiones Ordinarias *lib.* 1. Determinationes *lib.* 1. Protectoriū pauperis *lib.* 1. Determinationes contra Ioannem Ashuuarbi, *lib* 1. Contra Lolhardos *lib.* 1. Contra Vvichlephistas *lib.* 1. Conciones in annulum Philosophicum Ioannis Auonij *lib.* 1. Super concordia Regis Richardi, & Ciuium Londonensium, *lib.* 1. De hoc grauissimo Patre sermonem cum laude instituunt, Balæus, Trithemius, Eisengrineus, Pitseus, Harpsfeldius, Biscarretus, & alij. Richardus Maidston.

10 Concessit hoc anno Papa Bonifacius Nonus Fratribus nostris per Angliam constitutis, vt possent diebus illis, quibus alijs de iure, vel consuetudine non est eius carnium interdictus, vesci licitè carnibus, dummodo iuramento, vel voto speciali ad huiusmodi abstinentiam non essent astricti. Constat hęc concessio ex declaratione facta á Landulpho Cardinali, tituli Sancti Nicolai in carcere, Ordinis Protectore (post Bartholomæum Mezavaca eo tempore mortuum) quæ extat in Speculo Ordinis folio 66. pagina secunda. Hoc autem Indultum, *qua causa*, occasioneve à Patribus nostris Anglię à Papa postulatum sit. vix dicere possumus, nisi diuinando. Vtcunque res fuerit, per illud nihil derogatum fuisse Regulæ nostrę, saltem pro tota Religione, pro comperto est, cum vsque ad tempora Papæ concessio.

Eugenij Quarti semper à carnibus abstinuerint.

Conuentus Astensis. 11 Quo etiam anno Illustris Dominus Thomasius Rhotarius Astensis Ciuis largis eleemosynis Conuentus eiusdem Ciuitatis fabricam adiuuit. Franciscus Cherascus in Relatione de Prouincijs Ordinis, loquens de Lombardia, & Conuentu Astensi. Quod grati animi monumentum posteris transmittimus, Extat enarratio huius legati, cum alijs, quæ postea acciderunt, in Archiuio Transpontinæ.

Ann. Christ. 1397. Bonif. 9. Roman. Pontif. 8. Vvenceslai Reg. Rom. 19. Manuel. Imp. Orient. 11. Ioann. Raudens. General. 11.

Congressus. 1 Varij Conuentus hoc tempore fiebant pro schismate extirpando; Francofurti videlicet in Germania; Salmanticæ in Hispania, Rhemis in Gallia, etsi frustra, quia nec verus Papa Bonifacius desistere volebat; nec alij, quibus Religio quæstus erat Meierus, Niemis, Mariana, Bzouius, & Spondanus.

Cracouiensis Conuentus. 2 Hoc anno insignis Conuentus Cracouiensis in Polonia, dictus Sanctæ Mariæ *in Arenis*, Ordini nostro datus est ab Vladislao Iagelone Rege, & Huduige consorte, prout ex rerum Poloniarum Scriptoribus Nugolo *in lib. Benefic. Diœces. Cracouiens.* Et Mathia à Miechoa *in Chronic.* hausit Alexander Koslius Poloniç Prouincialis in relatione huius Prouinciç ad me trãsmissa. Vbi etiam quod ex fratribus Praga Craconiam venientibus hęc fundatio ceperit; & ex quibusdam hortis, & areis donatis, & à Bonifacio nono anno 12. Pontificatus per diploma datum confirmata: ac quod donati ei fuerint ab eodem Rege redditus 20. Marcarum in perpetuum in salis fodinis, de anno 1413. & pro anno 1430. aliam marcam ex custodia piscium capienda. Alia etiam priuilegia huius Regis Cœnobij à Regibus concessa idem Alexander refert. Et quod deuotissima Deiparæ Virginis Imagine miraculis, seu gratijs receptis clara decoretur; ita vt Ecclesia hęc inter præcipua Cracouiæ loca numeretur.

S. Martini de Montibus. 3 Quo etiam tempore fratres nostros recuperasse Monasterium Sancti Martini de Montibus, de quo sub anno 1296. aliqua diximus, constat ex lib. Ordinis fol. 24. Ibi enim dicitur, quod in Capitulo Generali in Conuentu Siluarum celebrato anno 1399. taxatus Ordo fuerit *pro recuperatione Conuentus Sancti Martini.* Qua porro de causa Ordo indiguerit huiusmodi recuperatione nobis vsque modo incertum. Plura de hoc insigni Cœnobio totius Ordinis gemma pretiosissima, diximus to. 3. pręcedenti.

Richardus Northallus. 4 Obijt hoc anno Ricardus Nortallus Archiep. Dublinen. Ord. nostri insignis alumnus, Londini in Anglia Prætoris Filius natus in eadem Vrbe Carmelitanum suscepit habitum. Ab ineunte ætate in bonis litteris, & pijs

moribus

moribus sollicitè semper institutus, erudientium spem non fefellit, sed expectatos reddidit fructus, vel potius expectatione maiores. Vnde temporis successu meritis præmia successerunt, magni videlicet honorea. Etenim Angliæ Regi Richardo secundo propter singularem in Concionibus gratiam gratus, & acceptus; Imo intimè familiaris erat: cuius fauore, & Bonifacij Noni consensu, post Robertum Vvaldebium translatum ab Archiepiscopatu Dubinensi ad Episcopatum Cicestriensem, successit, & factus est Archiepiscopus Dublinensis 17. Hinc Dubliniæ mortuus, & in Ecclesia sua Cathedrali sepultus. Reliquit post se studiorum fructus: Sermonum per annum *librum* 1. ad Ecclesiarum Parochos *lib.* 1. De ipso Pitseus, Harpsfeld. Posseuin. & Biscarret. Ioannes etiam Balæus *in Catal. Scriptor. Britanniæ in Galfrido Alicuaunt* affirmans, Ordinem nostrum, præter Episcopos, quos in Anglia tunc plures habebat, Richardum Northallum, de quo in præsenti, Archiepiscopum Dublienensem, ac Richardum Quye Episcopum Clouensem ad Hibernos, & Stephanum Broune Episcopum Rossensem ad Scotos misisse.

5 Obijt sub hoc anno Eberhardus senior (quem ad alterius Eberhardi Billici differentiam sic cognominamus) Episcopus Caronensis, & Suffraganeus Coloniensis. Præditus erat eximia doctrina, vitæ integritate, & insigni humilitate: ideoque adeo humilem in Choro sui Cœnobij Coloniensis elegit sepulturam, vt ne ex minimo quidem signo sepulchri sui, qualenam fuerit, agnosci possit, nisi ex solo nomine in simplici lapide inciso. Cuius tamen Inscriptio sepulchralis propter communem transitum ferè pedibus attrita, sequentia adhuc verba retinet. *Die 11. Kalendas Februarij obijt Reuerendus in Christo Pater, & Dominus Dominus Eberardus.* At vero in aula hospitum eiusdem Cœnobij ad depictam effigiem eius isthæc apposita est Inscriptio, *Reuerendus Dominus Eberardus Episcopus Caronensis Suffraganeus Coloniensis obijt anno* 1397. 11. *kalend. Februarij*. Hęc ibi. De eo etiam agit Biscarretus *in suis Palmitibus Vinea Carmeli* eum vocans Euerardum VvinK. Eberhardus

6 In idem tempus referimus Magistrum Philippum de Parma ea tempestate in Ordine nostro clarum. Fuit hic Pater Diffinitor Prouinciæ Lombardiæ in Capitulo Generali Podiensi anno 1375. & Brixiensi anno 1387. quo etiam Capitulo Prouincialis eiusdem Prouinciæ instituitur: Item in Capitulo Francofordiensi anno 1393. etiam Lombardiæ Prouincialis vocatur. In proximè autem præcedenti Placentino Diffinitor, ac Prouincialis ipsiusmet Prouinciæ dicitur. Post quæ memoria ipsius in libro Ordinis non inuenitur. Philippus de Parma.

7 Celebris etiam erat ea ætate in Ordine nostro Magister Nicolaus de Luca, quem obijsse tempore hoc intermedio inter Capitulum Generale Placentinum proximè præcedens, & immediatè sequens Conuentus Syluarum, prout ex huius Syluarum Capituli Actis dignoscitur. Plura in Religione nostra hic Pater officia exercuit. Primo enim in Capitulo Gen. Vero- Nicolaus de Luca.

nensi 1381. Diffinitor Romæ dicitur, & Procurator Romanæ Curiæ. Constitutus est in Capitulo Bambergensi 1385. Prouincialis Romæ, Constat etiam ex prædicto Capitulo Veronensi fuisse Regentem Curiæ Romanæ, ac Locumtenentem Procuratoris Ordinis anno 1377. Scripsit tractatum, in quo quorundam æmulorum, sui Ordinis titulum calumniantium falsitatem confutat. De ipso agit Biscarretus *in suis Palmitibus Vineæ Carmeli*, addens vlterius, contra Rogerium peritum Doctorem iura Ordinis defendisse; ac ad Generalem Olerium Cursorem Parisios misisse, vt de mandato Papæ (Vrbani *Sexti* videlicet) Romam veniret; & alia.

Ann. Christ. 1398. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 9. Vvenceslai Reg. Rom. 20. Manuel Imp. Orient. 12. Ioann. Raudens. Generalat. 12.

Petrus de Luna.

1 CVm Petrus de Luna Antipapa à diuersis monitus desistere nollet, Galli plures, & alij ab ipso discedunt; & Auinione obsident, ipso adhuc in sua sententia permanente, & à Martino Aragoniç nouo Rege suppetias expectante. Frossartus, Mariana, Zurita, Spondanus.

Bydgestiensis Conuentus.

2 Contigit circa hoc tempus fundatio Conuentus Bydgestiensis in Polonia; quam confirmauit Papa Bonifacius sub anno 1404. & donationibus Christifideles plures illustrarunt. Vt latè Alexander KoslinsKi in Relatione Monasteriorum Prouinc. Poloniæ describit, Illustratur autem hoc Cœnobium corpore Beati *Stanislai* à Bidigostia crediti Martyris, Ordinis nostri, de quo sub ann. 1420. loquimur.

Thomas Peuerellus.

3 Eo etiam tempore, dum Angliæ Rex Richardus secundus, secunda vice in Hiberniam expeditionem faceret, Thomam Peuerellum Ordinis nostri Professorem, Ossariensi donauit Episcopatu ex quo postea sequenti anno Landouensem, & post Vvigolniensem quoque Episcopatuum Præsulatus accipere meruit. De hoc Præsule loquimur anno 1418. quo anno de ipso etiam Balæus, & Pitseus loquuntur.

Thomas Vvaldens.

4 Per idem tempus, vel circiter Thomas Vvaldenus, vel Vvaldensis, de quo anno 1388. positis intra priuatos Monasterij parietes solidè primis doctrinæ fundamentis, ad sublimiora capessenda missus est Oxonium. Vbi ita musas coluit, & adeo neruosam industriam ad acumen ingenij adiunxit, vt docendi potestatem, tum in Philosophia, tum in Theologia acceperit, & insignia supremi magisterij communi *Senatus* Academici suffragio solemniter collata cum honore gestauerit. Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 796.* Quantum inde commodi, & vtilitatis Ecclesiæ Sacrosanctæ Dei peruenerit, ex ijs, quæ dicimus ann. 1410. & 1415. & 1419. & quo mortuus est anno 1430. liquido constabit.

Illustris

5 Illustris sub hoc anno describitur, tum generis nobilitate, tum Episcopali dignitate, sub titulo Venecompanensis, Conradus Arusberg filius Illustrissimi Comitis de Arusberg, Germanus, Ordinis nostri, & Conuentus Coloniensis, in quo memoria ipsius extat, insignis videlicet Dei Genitricis Imago, alumnus. Quem Coloniensem Doctorem, & Coloniæ Suffraganeum vocat Biscarretus. Eum suspicamur fuisse Magistrum Conradum Prouincialem Germaniæ Superioris, qui hac tempestate designatur in libro Ordinis, & Capitulis Generalibus Bambergensi anno 1385. & Brixiensi 1387. Scripsit Sermones ad Clerum, & Populum *librum vnum*, Collationes feriales *librum vnum*. De eo Conradus Gesnerus, & Posseuinus. Conradus Arusberg.

Ann. Christi 1399. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 10. Vvenceslai Reg. Roman. 21. Manuel Imp. Orient. 13. Ioann. Raudens. Generalat. 13.

1 CVm Tamerlanus Mahumetanorum potentissimus, adeo, vt eius exercitus octingentium millium hominum esset, & Baiazetem Turcarum Imperatorem cepisset, ac caueæ inclusum per Asiã circumduxisset, tanto opprobrio, vt conscendens equum pro suppedaneo vteretur, & mensæ assidens canis loco haberet (ad exemplum sane superborum Principum) Manuel Imperator Græcorum sibi metuens à Christianis Europæ auxilium postulabat. Paruo cum fructu, propter schisma vergens. Vualsinghamus, Gordonus, & Neotherici alij. Tamerlani gesta.

2 Habita est hoc anno alia Generalis Synodus Ordinis a Generali Ioanne de Raude in Couentu Syluarum Prouinciæ Thusciæ. In qua numerantur solum octo Diffinitores, Prouinciarum Sicilię, Angliæ, Romæ, Germaniæ Inferioris, Lombardiæ, Thusciæ, Bononiæ, Germaniæ Superioris. Constituuntur Prouinciales earumdem Prouinciarum: & Prouincialis Angliæ constituitur Vicarius Hiberniæ, ipsique committitur per salutarem Obedientiam, vt dictæ Prouinciæ per electionẽ illius, vel prout sibi melius videbitur, de Pastore prouideret. Commissum præterea Generali, vt posset ordinare Prouincialem in Prouincia Vasconiæ, prout melius sibi videretur. Ordinati Socij Generalis, Prior Curiæ Romanæ, Regens ibidem, ac Prior, & Lector Conuentus Coloniensis. Institutum est Studium Artium in Conuentu Cataniensi Prouinciæ Siciliæ, & Studium Papiæ positum in Ciuitate, & Conuentu Placentiæ, vbi etiam Lector destinatus. Commissum Magistro Philippo Prouinciali Siciliæ, vt supplicaret Sanctissimo Domino Papæ pro Canonizatione Beati Alberti de Trapano. Hæc cum alijs minoris notæ, quæ prætermittimus, constant ex libro Ordinis fol. 23. Capitulum Syluarum.

3 Quantum ad Constitutiones, & decreta sic ordinatum est. Primo, quod Cõstitution.

quod de Sancto Eliseo Propheta Montis Carmeli fiat omni anno festum duplex maius, & de Sancto Cyrillo Doctore Montis Carmeli, & Confessore eodem modo. Secundo, quod alternatim per septimanas cantaretur feria quinta Missa de Sanctissimo Sacramento, & de Spiritu Sancto. Tertiò, quod nullus, cuiuscunque gradus, aut conditionis, auderet impetrare aliquod Officium à Curia Romana sub pœnis priuationis loci, & vocis ipso facto, & inhabilitationis gradus, & honoris, &c. Taxantur prætereà Ordinis Prouinciæ etiam plus solito eo quod Prouinciæ Schismaticę nihil pro communibus expensis Ordinis contribuerunt. Liber Ord. *vt supra fol. 23. & 24.*

Grauiores Patres.

4 Grauiores Patres, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt, Magister Ioannes de Raude Generalis Ordinis; Ioannes Cechalensis Procurator in Curia Romana, Magister Philippus de Sicilia Diffinitor, & Prouincialis Siciliæ, ac Regens Curiæ Romanæ, Euerardus de Odendorup Diffinitor Prouinciæ Alemaniæ Inferioris; Diffinitor Bononiæ Magist. Carolus de Bononia; Magister Ioannes Kininghamus Prouincialis Angliæ; Magister Ioannes Bramant Prouincialis Germaniæ Inferioris, Magister Antonius de Massenzana Prouincialis Lombardiæ; Magister Albius Azolinus Prouincialis Thusciæ, Magister Matthęus de Bononia Prouincialis Bononiæ, de quibus cum alijs sigillatim dicemus.

Ioannes Kininghamus.

5 Ex quibus Ioannes Kininghamus, eodem anno è vita plenus dierum decessit quarto Idus Maij, quare absens instituitur in præsenti Capitulo Generali Prouincialis Angliæ, & Vicarius Hiberniæ. Alumnus erat Conuentus Gippesuuicensis Comitatus Suffolensis in Anglia, Sacræ Theologię Doctor Oxoniensis. Vir Modestus, prudens, & vt Lelandi verbis vtar, Philosophus grauis Theologus Sanctus. Quibus nominibus Ioanni Lancastriæ, & Aquitaniæ Duci plurimum dilectus: quem etiam vsque ad vitæ finem fecit sibi, & Coniugi à Confessionum Secretis. Vocatur Diffinitor, & Prouincialis Angliæ in Capitulo Generali Francfordiensi anno 1393. & in sequenti Placentino anno 1396. Prouincialis itidem eiusdem Prouinciæ Angliæ. Multum sanè ad istius Patris honorem, & gloriam facit, quod primus fuerit (teste Vualdensi in Zizaniorum fasciculo) qui in arenam Scholasticarum concertationum contra Vviclephum descenderit. Quanta porro doctrina fulserit ex multis, & doctissimis ab ipso voluminibus editis cõprobatur. Scripsit enim in Threnos Hieremiæ *librum vnum*, in Ezechielem *librum vnum*, in Canonicam Iacobi *libros duos*; Scripturæ Sacrę præconia *librum vnum*; super Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, De Natiuitate Christi *librum vnum*, de Passione Christi *librum vnum*; de Spiritu Sancto *librum vnum*, de Natura Angelica *librum vnum*, Sermonum de tempore *librum vnum*; Sermonum de Sanctis *librum vnum*; Quæstionum variarum *librum vnum*, contra Propositiones Vviclephi *librum vnum*, super Ideis eiusdem *librum vnum*, de primo sui ingressu *librum vnum*, de temporis ampliatione *librum vnum*; de esse intelligibili *librum vnum*,

Ad

Ad quædam loca allegata *librum vnum*. Commentarios in Metaphisic. *libros duodecim*, & alia plura præsertim in Sacram Scripturam. Ipsius virtutes commemorant Ioannes Balæus, Lelandus apud Pitseum. Pitseus ipse, addens Eboraci diem suum sanctissime obijsse, Einsengrineus, Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus.

6 Pariter eodem anno carnis sarcinam deposuit Petrus Stoccus, seu StoKes Anglus, Cœnobij Huchinensis Comitatus Hartfordiensi in Diœcesi Londinensi filius. Vir pius, doctus, & zelo Dei plenus, ac tanto apud Oxonienses Doctores in honore habitus, vt authore Lelando, proximum ab Academiæ supremo præside Magistratum ibi gesserit. Anno Domini 1382. contra Vviclephum disputaturus Oxonium *venit, vidit, vicit*, etsi perfidus ille contra Stoccum nostrum (quem *canem* appellabat *album*) recalcitrans scripserit, prout eodem diximus anno. Scripsit hic Pater eruditionis, quam habebat, testes, non pauca volumina, videlicet Commentariorum in Sacra Biblia *librum vnum*, Præconia Sacræ Scripturæ *librum vnum*; contra Vviclephi articulos *librum vnum*, Ordinariarum Quæstionum *librum vnum*, in Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, Conclusiones 54. *librum vnum*, Lecturas Scholasticas *librum vnum*, Collationes varias *librum vnum*, replicationes Lectionum *librum vnum*, de superioritate Cleri *librum vnum*, Defensorium Holcotti *librum vnum*, contra Philippum Repingtonum *librum vnum*, contra Nicolaum Horfordium *librum vnum*. & alia plurima. Ipsius laudes commemorant Balæus, Pitseus, Harpsfeldius, Einsengrineus, Posseuinus, & Biscatretus. Petrus Stocchus.

7 Philippus autem de Sicilia in Capitulo Generali huius anni vocatus Diffinitor, & Prouincialis Siciliæ, & Regens Curiæ Romanæ, dum Romæ adesset, non solum in mandatis habuit agere de Canonizatione Sancti Alberti, à Capitulo Generali, quod etiam de exteris authoribus notat Rochus Pyrrhus *in notitijs Sicil. Ecclesi. in notit.4. Ecclesi. Pactensi.* §.22. sed etiam, eodem Pyrrho teste, habuit grauissima negotia Regis, & Regni Siciliæ peragenda apud Papam Bonifacium. A quo etiam consecratus fuit Episcopus Pactensis, prout anno 1402. dicemus. Philippus de Sicilia.

8 Hoc etiam anno Thomas Peuerellus nostri Ordinis Ossariensis Episcopus à Richardo secũdo Anglorum Rege, consentiente Bonifacio Nono, Laudauensem in Cambria accepit Episcopatum. Vnde postea ann. 1407. ad Vvigorniensem euectus est. Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 769.* post Balæum *in Catalogo Scriptorum Brittanniæ*. Thomas Peuerellus.

9 Pariter eodem anno Thomas Colbius Anglus nostri Ordinis, & Cœnobij Norvvicensis ad Episcopatum Lismorensem, & Vvatersordensem in Hibernia, suis meritis procurantibus, euectus est. Dicimus de eo anno 1402. & 1406. Thomas Colbius.

10 Quo etiam anno Posnaniæ in maiori Polonia insigne illud miraculum in Sacrosancti Eucharistiæ Sacramento particulis, quæ in nostro eiusdem Posnaniæ Conuentu maxima populi deuotione celebrantur, accidit. Miraculum ss. Eucharist.

Casum

Casum breui penicillo describimus, quem à Bzouio, & Spondano sub hoc anno, ac maximè ab Alexander Koslinki in relatione Conuentuum Poloniæ prolixius scriptum, post alios habemus. Iudæi Posnaniæ Christianam seruam pretio corrumpunt, vt Sacratissimam Eucharistiam surreptam ad illos deferat. Sacrilega mulier è vicina Prædicatorum Ecclesia tres Hostias surripit, in linteolum album reponit, ac Iudæis perfidis ad illudendum tradit. Hi in locum subterraneum descendentes in mensam proiecerunt. Vnus autem ex eis diabolico furore percitus, cultro vnam Hostiam perfodit; ex qua Sacratissimus cruor erupēs perditissimi nebulonis faciem copiosè respersit, illique ita fortiter adhæsit, vt nullis artibus ablui, vel detergi vnquam potuerit. Huius exemplum cæteri Iudæorum secuti alias itidem Hostias crebris pugionum ictibus percutiebant. Cameræ ergo columnam, parietes, & pauimentum, Christi Sanguine perfudere. Crescente inter Hebræos huius celebris casus fama, Hæbrea mulier, quæ ab ipsa natiuitate cæca fuerat, se interne Christo commendans, ab eo, corporis, & animæ lumen recepit. Iudæi facinoris perpetrati notitiam ad plures deuenisse noscentes nihil non tentabant, vt Sacras Hostias absconderent: Hoc præ cæteris alijs consilium amplexi sunt, vt extra Vrbem progressi, vbi prata, & paludes erant, illic venerabile Sacramentum demergerent, & luto obruerent. In itinere languido eleemosynam præbent, qui illico sanatur. Agonizans reuiuiscens Christum transijsse conclamat: nec ijs commoti ad locum peruenientes duabus perticis cespitem eruentes in foueam illam Sacratissimum Corpus proiecerunt. Illis abeuntibus, bubulcus postea cum puerulo Paulo ad pascua, in quibus venerabile Sacramentum delitescescebat, boues duxit; sed relicto pro custodia puerulo, ipse ad Sacra audienda in Ciuitatem reuersus est. Interim tres Sacræ illæ Hostiæ in altum eleuatæ, volitare in aere ceperunt, instar candidissimorum papilionum. Factum puerulus aduertit: cumque iumenta etiam in genua procubuissent, vt Corpus Christi adorarent, ipse idem fecit, ac patri è Ciuitate reuerso rem narrat. Sed leuitati puerulí fidem adhibere negligens, non multo post boues in genua procumbere videt, & super volitantibus super paludes Hostijs cultū adorationis exhibere. Quo miraculo stupefactus iterum ad Ciuitatem perrexit, Magistratui indicat, qui eum vt delirum in carcerem conijcit. Sed de illo mirabiliter ereptus iterum se ipsius obtutibus representat. Miratur Consul, & accito Parocho, Episcopum adit, casum exposuit, & vt ad locum illum cum suis accedens Sacratissimas Hostias auferret, postulauit. Annuit Episcopus cum Clero, ac processione eas excepit, & in Eccles. Parochiali deposuit, dū quid agendū maturius deliberaretur. Quidam Sacra pignora in Ecclesia Cathedrali desiderabant, Dominicani Patres sua iura dicebant, Magistratus in Parochiali Ecclesia relinquēda esse contendebat: sed Christus ipse lites composuit, dum tametsi in Parrochiali clauso tabernaculo diligenter custodirentur, in loco tamen inuentionis semper spectandum se exhibuit, vt propterea cespite eruto; & lo-

co

co purgaro, Sacellum ibi pro tempore erigendum curatum sit. Donec anno 1414. vt ibidem dicemus, Vladislaus Rex Sacram hanc ædem augere constituit, & redditibus assignatis, Monasterium nostri Ordinis illic erexit, vt cum Matre filius honoraretur. Fundatus fuit hic Conuentus ex fratribus Bohemis, vnò præsertim, qui primus illius Prior fuit, & Fr. Leo vocabatur. Plurimis etiam donariis, tum à Rege, tum ab aliis decoratur: ac plurimis votis, in signum gratiarum, quas fidelis populus à Christo recipit. Ex ijs plurima de aquarum submersione liberatis; ignis periculo ereptis; diuersis infirmitatibus sanitati restitutis; mortuis resuscitatis; dæmoniacis liberatis; à periculio mortis ereptis; cœcis illuminatis; & puerperis in extremo discrimine saluatis, habet Bzouius sub hoc anno num. 14.

11 Per idem tempus quidam fanatici homines, & nequissimi nebulones de Scotiæ partibus ad Italiam venientes, vnum ipsorum Sanctum Eliam prophetam, & protoparentem nostrum esse dicebant, & de Paradiso exijsse, mundumque in breui terræ motu perire debere. Sed pœnas dedere promeritas trufatores isti, vel ex eo solum dignas, quod Sanctissimi hominis personam sceleratus nequam mentiri non est veritus. Casum referunt Theodoricus Niem, Bzouius, & Spondanus. Albis vestibus indutis incedebant, vt vel sic Eliam suum melius fingerent. Nec mirum nebulonem Eliæ sibi personam arrogasse, quod & postea Lutherus omnium nequissimus, facere non erubuit, dum ad Archiepiscopum Moguntinum se vocari, & esse velle Eliam professus est. Cum vix duo in Orbe dissimiliores, vel concipi possent. Fanatici homines.

12 Refertur præterea in Tabula Chronologica Monasteriorum Angliæ, cuius in superioribus sæpius memoriam fecimus, quod hoc anno 1399. erectum fuerit nouum Cœnobium nostrum Dembighiæ in Cambria sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ, fundatore Ioanne de Sunimore. De quo Conuentu nihil aliud cognouimus. Conuentus Dembighiæ

Ann. Christi 1400. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 11. Vvenceslai Reg. Rom. 22. Manuel. Imp. Orient. 14. Ioann. Raudens. Generalat, 14

1 Electores Imperij in Germania hoc tempore Vvenceslaum Regem deponunt, & loco ipsius Rupertum, seu Robertum Comitem Palatinum Rheni substituunt. Honuphrius, Cuspinus, Krantzius. Interim Romæ celebrabatur annus Iubilæi, nec Papæ deerant aduersarij, qui contra ipsum coniurarunt. Theodoricus, Niem; Bzouius. Gesta hoc tempore.

2 Hoc anno claruit in Anglia inter alios nostri Ordinis Alumnos, Ioannes Multonus in Cœnobio Norvvicensi. Vir pius, eruditus, & elo- Ioannes Multonus.

 quens,

quens, cuius laus in Concionibus suo tempore non erat postrema, quo in genere testimonium posteris reliquit, videlicet *Sermonum nonaginta per annum librum vnum*. De eo Balæus, Ioannes Pitseus, Posseuinus, & Biscarretus.

Ioannes Borsellus. 3 Eodem quoque anno Ioannes Bortellus eiusdem nostri Ordinis in Anglia quoque florebat. Erat enim Philosophus eruditus, acutus, & facundus, quique in rebus maxime Logicis cum subtilissimis, & expertissimis sui temporis meritò fuit conferendus. Scripsit de vtilitate Logicæ *librum vnum*, Summularum Logicalium *librum vnum*. Hæc de ipso referunt Pitseus, & Biscarretus.

Arnoldus de Austria. 4 Circa hunc annum Arnoldus de Austria Conuentus Viennensis; litteris, doctrina, & scriptis clarus erat. Publicus in Academia Viennensi Cathedraticus in Theologia describitur; & in Capitulo Generali Bononiæ celebrato de anno 1411. vocatus Arnoldus de Vienna, prout suspicari licet. Scripsit autem super *Sententias libros quatuor*, Sermones etiam elegantes, & varias in Scripturis quæstiones, & alia. Ipsum commemorant Trithemius de Scriptoribus Germaniæ, Einsengrineus, Langius, Gesnerus, Posseuinus, Lucius, & Biscarretus.

Michael de Bononia. 5 Clarissimi, & Excellentissimi Doctoris Michaelis Anguani, communiter nuncupati de Bononia, obitum huic anno iure adscribimus, Epitaphio sepulchrali marmore inciso ducti, quod in Ecclesia nostrorum Bononiæ visitur. Illud inferius afferimus, & sanè ni fallimur, vt legenti apparebit, hoc anno ipsius mortem contigisse demonstrat, etsi alij pro anno 1416. minus accuratè; alij vero, sicut Biscarretus post ann. 1411. (eo deceptus, quod in Capitulo Generali eo anno celebrato memoria fiat de Michaele de Bononia, cum tamen non fiat memoria nisi de Mathæo de Bononia) alij ignauius, anno 1396. euenisse describant. Fuit noster Michael natione Italus, patria Bononiensis, familia Ayguanus. A primoribus annis Beatissimæ Mariæ Religioni nomen fœliciter dedit. Et cum esset ingenio clarus, disertus eloquio, in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, factus est Lector Parisiensis in Capitulo Generali Ferrariensi anno 1354. Burdegalensi anno 1358. & Treuerensi anno 1362. Deinde in Capitulo Generali Aquensi anno 1372. Diffinitor dicitur Prouinciæ Bononiæ, & titulo Magistri decoratur. In Capitulo autem Rodiensi anno 1375. & Brugensi anno 1379. Prouincialis vocatur suæ Prouinciæ. Postea autem ob depositionem Bernardi Olerij Vicarius Generalis Ordinis fuit, ac tandem Generalis vnanimiter electus Veronæ in Synodo Generali anno 1381. Celebrauit suo tempore Capitulum Generale Bambergæ in Prouincia Germaniæ Superioris anno 1385. vbi à Diffinitoribus Ordinis in Generalem fuit confirmatus: sed paulo post ab Vrbano 6. depositur vt diximus, anno 1386. nec depositionis causa alia assignari potest, præter eam, quam ibi attulimus. Anno autem 1396. in Capitulo Generali Placentino, quasi rediuiuus Diffinitor Bononiæ vocatur. Post hæc demum præsenti anno hu-

mani-

manitatis debitum soluit. Iure numerandus inter primos Ordinis nostri Scriptores, propter plura, egregiaque volumina facundissimi ingenij fœtus, quæ edidit. Scripsit enim primo egregium opus super Sententias *libros quatuor*, quod Typis mandatum est, tum olim anno 1510. Mediolani industria Magistri Stephani de Basignano, tum postea Venetijs anno 1622. industria Magistri Leonardi Prioli. Item Tabulam Sententiarum *librum vnum*. Maximè celeberrimum opus super Psalmos Dauidicos. Id sine titulo ex Italia in Hispaniam delatum per aliquod tempus delituit in Bibliotheca Monasterij Hieronymiani, vulgo *Toros de Guisando*, donec anno 1524. Domini Ioannis de Fonseca Burgensis Episcopi, pietate, ac zelo, Typis Compluti mandatum fuit sub titulo *Auctoris incogniti*, & iterum Lugduni 1588. Cum autem postea post annum 1598. collatio fuisset facta à Viris doctis cum Manuscript. Authoris, quod in Venetiarum Carmelitana Bibliotheca videbatur, auctoritate etiam inclytæ illius Ciuitatis Patriarchæ, & omnino simile fuisset repertum, sub veri Authoris iam cogniti nomine prodijt Typis expressum Venetijs anno 1600. Pro quo legenda Epistola Basilij Anguiolæ Procuratoris Generalis Ordinis huic operi adiňcta. Scripsit etiam in Euangelium Mathæi *librum vnum*, in Euangelium Lucæ *librum vnum*, Tabulam Moralium Gregorij Papæ in Iob *librum vnum*. Tabulam super Decret. *librum vnum*. Item Quæstiones Sententiarum, Sermones varios, Quadragesimale, super multos libros Aristotelis, in Valerium Maximum, ac varia in Philosophia, Iure Canonico, & Oratoria, & multa alia. Inter quæ insigne Opus est de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis ad Cardinalem Sanctæ Mariæ Transtyberim, celebre illi nomen dedit. Illud autem reseruari in nostra Bibliotheca Sinemurensis Cœnobij in Burgundia, simul cum Tractatibus alijs de eadem materia nostrorum Ioannis de Baccone Angli, & Francisci Martini Cathalani, refert Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli*, dum de eo agit: vbi etiam de alijs eius Operibus ab ipso visis in varijs Ordinis Bibliothecis memoriam habet. Inchoasse dicunt quidam, sed non perfecisse, nisi vsque ad litteram C, nobilissimum quodam Dictionarium, quia morte præuentus finire non potuit. Sed hoc Dictionarium, quod Theologicum, vel Sacræ Scripturæ, appellare possumus, integrum, & perfectum reperitur in nostra Transpontinæ Bibliotheca. Libellum etiam quendam Manuscript. in quo tota Christi Passio diligenter expenditur, composuisse, quidam affirmant, quem non vidimus: etsi Biscarretus dicat conseruari Senis. Sed vtut res hęc fuerit, merito de ipso Reuerendissimus Gregorius Canalis Ordinis Generalis, in Epistola ad Cardinalem Pinellum; hæc de ipso protulit. *Inter viros omni laudis excellentia preclaros, quos ad vtilitatem Christianæ Reipublicæ Ordo Carmeliticus edidit, floruit insignis Doctor Parisiensis Michael Angrianus Bononiensis, in omni scientiarum genere ita peritissimus, vt tanquam diuinum Oraculum haberetur, nulli vnquam litterarum exercitationibus pepercit labori, nunquam, vel publice legendo, aut preclara rudimenta scribendo defessus est.*

fessus est. Hinc de ipso magno cum honore scribunt, non solum, qui Cathalogos Scriptorum, vt sunt Trithemius, Iacobus Seruita, Ioannes Clessius, *Sixtus Senensis*, Einsengrineus, Bellarminus, Posseuinus, & Petrus Lucius. Sed etiam ex Historicis plures, specialiter Philippus Bergomensis, Paulus Langius, ac maximè Euernerus Rovvelinch *in Fasciculo temporum circa annum* 1414. hæc de ipso habet: *Michael de Anguanis Carmelita, totius Christianitatis luminare, post editionem multorum voluminum terras liquit*. Subiungit immediatè id, quod in Tractat. de Reformationem diximus, quod olim regnabat *conscientia*, postea sublato *con*, regnauit *scientia*, ac tandem vltimo ablato *sci* regnant *entia*. Sed concludit, vt videtur ad intentum nostri Michaelis; *Verumtamen aliqui, licet pauci, con cum conscientia retinentes, conscientia pura, & scientia sancta illuminati, multos ad iustitiam erudierunt*.

Epitaphium ipsius.

6 Hoc autem illi in Ecclesia Carmelitana Bononię, ante maius Altare marmore incisum Epitaphium.

Michael Doctor hic est, Ayguana Bononias illum
Stirps dat; Carmeli, quem tulit Ordo caput.
In Dauid eius ouat calamus, stupor estque Latinis,
Et Gallis virtus, ingeniumque Senis,
Bis septingentos annos, patet esse Nouembrem,
Atque bis octenos expliciuisse dies.

7 Aliud Epitaphium in eodem Monasterio sepulchro Stephani Ayguanis nostri Michaelis Genitoris referimus in præcedentibus.

Conuentus Viuonensis.

8 Quo etiam anno 1400. erectio Conuentus Viuonensis in Pictauiensi agro contigisse dicitur; auspicantibus Dominis Viuoniæ, ex Illustri familia de Mortuo Mari Baronibus. Idoneus satis, & florens, plures siquidem magni nominis viros aluit; & in eo Comitia Prouinciæ non pauca celebrata. Ab hæreticis tamen circa ann. 1575. demolitus, & ab anno 1629. Obseruantiæ Rhedonensi additus, reædificatus, & renouatus est. Leo à Sancto Ioanne *in Relation. Obseruantiæ Rhedonens. cap. 24.*

Conuentus S. Antonini.

9 Plura Ordinis Cœnobia hoc anno, vel circiter exordium habuere. Vnum est Sancti Antonini in Prouincia Aquitaniæ, prout constat ex quibusdam antiquis tabulis, iuxta Portam ad Orientem respicientem, quæ adhuc *porta Carmelitarum* vocatur. Hæreticorum postea Caluinistarum perfidia omnia ipsius ædificia vsque ad fundamenta funditus euersa fuere, Religiosis, alijs in ignem iniectis, alijs in flumen demersis, alijs ense confossis, vel interemptis. Hæc habemus ex relatione cuiusdam Prouincialis eius Prouinciæ. Quæ vero in sequentibus illi acciderunt tom. seq. dici poterunt.

Bituntinum.

10 Aliud est Bituntinum in Appulia; cuius Ecclesia titulo Beatissimę Virginis decoratur. In ea autem insignis Imago cernitur eiusdem Deiparæ muro depicta, quam deuotissimam esse numerus ingens votorum, quę ad ipsam cernuntur appensa, testatur. Clari etiam Viri eius Conuentus nonnulli describuntur; & inter eos Ioannes Baptista Cyprianus Theologus

ma-

magnus, & quinquies eius Prouinciæ Prouincialis.

11 Alterum est in terra Synagra Diœcesis Messanensis, Archiepiscopi authoritate, & Dom. Antonii eius Terræ Baronis consensu, cum duorum prædiorum assignatione, quę tamen fluuii inundatione dissipata sunt, erectum. Gaudet etiam 25. scutorum monetæ Romanæ possessione. Sic ex Relatione huius Conuentus Innocentii Decimi Papæ authoritatę facta. Synagrensis.

12 Item fluuii de *Nisi*, seu *Fluuij Dionysij* in horrida Sylua ab Oppido distantis, sub tit. SS. Trinitatis, & deuotione populorum circumadiacentium eius Diœcesis Messanensis insignis. Quod Cœnobium mihi gratissimum, æmulatur enim Priscorum PP. huius Religionis sanctam montem, qui populorum turbam fugientes, Deum in solitudine quęrebant. Fluuij de Nisi.

Ann. Christ. 1401. Bonif. 9. Roman. Pontif. 12. Rupert. Reg. Roman. 1. Manuel. Imper. Orient. 15. Ioann. Raudens. General. 15.

1 Nouus Romanorum Rex Rupertus hoc anno in Italiam venit Ioanni Galeazio Mediolanensium Duci bellum indicit; ab ipso tamen superatus, Principum Italiæ subsidia postulat D. Antoninus, Aretinus, Corius. Nauclerus. Imperator Rupertus.

2 Hoc anno Norlingensis Ciuitatis Imperialis Monasterium Ordini acquisitum. Sed tota Ciuitate hæresi annis præcedentibus, tempus, quo hęc scribimus, infecta, Conuentus iste in Hæreticorum manus venit: Aliquando duo millia florenorum pro Monasterio Ciuitas offerebat; sed Prouinciali tunc existenti haud videbatur consultum illud alienare, licet multi Ordinis fautores id suaderent. Esse enim magis à re censebant pensione centum florenorum gaudere, quam hac simul cum Monasterio priuari. Ordo interim iure suo repetendi Monasterium non est destitutum, & ita anno 1629. decretum de restituendo in Aula Imperatoria impetratum est. Quia tamen, Deo suam causam iudicante, anno proximo 1634. magna victoria cessit Serenissimis Dominis Ferdinando Vngariæ Regi Imperatoris filio, & Ferdinando Cardinali, & Castellæ Infanti, Philippi Quarti Hispaniarum Monarchæ fratri, contra Suecos, & fautores, ideo magna fuit spes prædicti Monasterij Norlingensis, cum alijs Germaniæ Ordini restituendorum. Norlingens. Conuentus.

3 Eodem anno in Anglia Henricus Quartus nouus Rex (erat enim Regni ipsius hic annus secundus) Parlamento facto Londonij, in ipso contra Lolhardos decreuit, vt vbicunque deprehenderentur suam prauam doctrinam amplexantes caperentur, & Diœcesano Episcopo traderentur; & quod si perseuerauerint pertinaciter opiniones suas defendere degradarentur Decretum Regi Anglorum.

rentur, & iurisdictioni sæculari committerentur. Vvalsinghamus *sub hoc anno*. Hæc nostrorum Annalium tangunt historiam, quia credimus non parum pro tam sancto decreto edendo è nostris Fratribus iuuisse Stephanum Patringtonum eiusdem Prouinciæ Prouincialem in summo apud ipsum Henricum Regem pretio habitum; Robertum Mascallum Regi mire charum, & à secretis intimis in ijs, quæ ad Deum sunt, & conscientiæ moderamen concernunt, ac Thomam Vvaldensem illius temporis splendidissimam facem, & eidem Henrico Quarto percharum. Ioannes Pitseus de *Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num 766. 768. & 796.*

Ann. Christi 1402. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 13. Ruperti Reg. Rom. 2. Manuel. Imper. Orient. 16. Ioann. Raudens. General. 16.

Acta hoc anno.

1 Oc tempore Sigismundus Hungariæ Rex à suis incarceratus è carcere tamen industria quadam liberatur, Bonfin. Blondus, Gordonus. Moritur Galeazius Mediolanēsis, qui Bononiam occupauerat, de Florentia cogitabat, ac de tota Italia triumphaturum sperabat; Blondus, Sabell. Iouius, Bzouius.

Philippus de Sicilia.

2 Quo anno noster Philippus de Sicilia, cum à Papa Bonifacio Episcopus Pactensis Consecratus fuisset, mandato Regis eæ litteræ executioni mandatæ sunt. Sic enim ex authenticis documentis Regni Siciliæ affert Rochus Pirrhus *in notit. Ecclesi. Sicil. notit. 4. Eccles. Pactens. §. 22.* Vbi etiam quod fuerit effectus Aulæ Regiæ Sacellanus Maior, obitu Archiepiscopi Messanensis; ac Eleemosinarius Regis: pluraque alia tanto viro digna à Rege habuisse.

Hussitarum hæresis.

3 Quo etiā anno (iuxta Bzouium) Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga in Bohemia à Vvicleftitis docti impia dogmata contra Ecclesiā asserere non erubuerunt. Alij sub ann. 1407. hunc Husitarū errorem ascribunt. Iacobus Gualterius in Chronologia sæculo 15. Relatio autem quædam ad me trāsmissa de rebus Bohemicis anno 1404. id ascribit. Vtvt res fuerit, eò istorum praua placita referimus, vt ex nostris Carmelitis impugnatores contra ipsos non defuisse, ostendamus. Quod non leuiter innotescet ex ijs quæ circa annum 1410. dicemus de odio, ac maleuolentia huius Hieronymi Pragensis erga nostros eiusdem Ciuitatis Monasterij alumnos, præsertim Patrem Nicolaum ab impio hoc Nebulone carcere, contumelijs, & tormentis afflictum.

Thomas Colbius.

4 Viuebat sub hoc tempore Thomas Colbius Ordinis nostri Monachus Anglus in Cœnobio Norvvicensi, qui elegantissimis suis Concionibus à Rege Angliæ id promeritus fuit, vt ad Lismorensem, & Vvatertordensem Episcopatus in Hibernia euectus sit. Qui fuerit hic Rex, concer-

tatio

tatio est, etenim ex Balço *in Catalog. Scriptor. Brittann.* colligi videtur fuisse Henricum quartum, ex Pitseo autem de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 741. fuisse Ricardum secundum. Quidquid de hoc fuerit, iste Thomas Vir fuit inter præclaros Ordinis connumerandus, quod præter Episcopales dignitates, quas habuit, confirmant etiam multa ipsius edita, de quibus anno 1406. quo tempore dicitur obdormisse, loquemur.

Ann Christi 1403. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 14. Ruperti Reg. Roman. 3. Manuel Imp. Orient. 17. Ioann. Raudens. Generalat. 17.

1 FVgit hoc anno Antipapa Benedictus è carcere, quo Auenione detinebatur, opera Hispanorum, vt Hispani Scriptores aiunt: vel Gallorum, vt Galli. Ad eum plures venerunt, & inter ipsos egregius ille Ioannes cognominatus *Gerson*, pro Ecclesiæ Vnitate stabilienda. Gerson, Zurita, Spondanus. *Gesta hoc anno*

2 Circa hunc annum è vita migrasse videtur aliquos ex nostris Fratribus grauioribus, quos in Capitulo Generali præcedenti anno 1399. habito, commemorari diximus; cũ de ipsis in posterioribus Capitulis nulla mentio habeatur. Ex quibus Ioann. Cechalensis vnus est. Fuit iuxta Biscarretũ Doctor Theologiæ rarus, ac Orator eximiæ facundiæ. Et ideo primo Prouincialis Romæ in Capitulo Generali Francfordiensi anno 1393. & in sequenti Placentino anno 1396. vocatur Diffinitor, & Prouincialis Romę, simulque in eodem Capitulo pro Curia Romana instituitur. Constat; etiam ex actis Capituli idem munus Procuratoris antea per vnum annum exercuisse in Capitulo etiam Syluarum, vbi Diffinitor, & Prouincialis Romæ, ac Procurator Curiæ, nuncupatur. *Ioannes Cechalensis.*

3 Pari quoque titulo Euerardum de Odendorup, qui in precedenti Capitulo Generali Diffinitor Prouinciæ Alemaniæ Inferioris erat in hoc tẽpus referimus. Huius memoria sub eo nomine non reperitur: quia tamẽ alius eiusdem nominis, licet cognomine diuersus, sub eodem anno a Gesnero, Posseuino, & Biscarreto inuenitur, videlicet *Euerardus Mainarus Germanus*, patria Moguntinus, ideo eumdem hominem esse, suspicamur. Hic ergo Euerardus Mainardus insignis Ordinis nostri Pater demõstratur propter scripta volumina. Quæ sunt, de triplici vita *lib.* 1. Sermones de tempore *lib.* 1. Sermones post Trinitatem *lib.* 1. Sermones per Aduentum, *lib.* 1. Quadragesimale *lib.* 1. Claruit sub hoc anno 1403. vt diximus. Ipsum commemorant Gesnerus, Posseuinus, & Biscarretus relati. *Euerardus Odendorup.*

Ann.

Ann. Christ. 1404. Bonifac. 9. Roman. Pontif. 15 Ruperti Reg. Rom. 4. Manuel Imp. Orient. 18. Ioann. Raudens. Generalat. 18.

Gesta hoc anno.



1 Hoc anno 1404. Petrus Luna Benedictus 13. appellatus, Massiliæ existens, Nuncios, seu Legatos ad Papam Bonifacium misit, vnitatis Ecclesiæ, causa procurandæ. Recepti autem à Pontifice, cum acrius debito cum ipso loquerentur, nihil obtinuerunt, sed ipsi, alias ægrotanti, febrem excitarunt, & mortem attulerunt, quæ contigit Kalendis Octobris, successorem habuit Innocentium Septimum. De his late Platina, Ciaconius, Spondanus, & alij.

Obitus Generalis Raudensis.

2 Obijt quoq; noster Ioannes Raudensis Gen. Vir sane inter insigniores Ordinis iure recensendus. Fuit enim ex nobili Comitum Raudensium (seu de Rho) familia ortum, teste Biscarreto; dum de ipso in *Palmitib. Vin. Carmeli* loquitur. Et de Religione nostra benemeritus, prout ea, quæ de ipso diximus, & quæ habentur in lib. Ordin. in Capitulis Generalibus Aquensi de anno 1372. Podiensi 1375. Brugiensi 1379. Veronensi 1381. Bambergensi 1385. Brixiensi 1387. & Francfordiensi, Placentino, & Syluarum ab ipso, dum Generalis esset, celebratis. Pro bono Ordinis laborans aliquot Bullas Pontificias à Papa obtinuit, pro Conuentibus Francfordiæ, & Argentinæ. Prout testatur idem Biscarretus. Qui etiam de illo sic concludit. *In omnibus ijs Capitulis, & suis visitationibus benignè semper se gessit, optima condendo decreta, virtutem promouendo, Collegia instituendo, & alia opportuna faciendo. Quare memoria illius in æternum non peribit.*

Mathæus de Bononia.

3 Ob cuius mortem Vicarius Generalis Ordinis constitutus est Mathęus de Bononia. Constat autem ex Actis Capituli Generalis Bononiensis sequenti anno celebrati, cepisse officium Vicariatus Generalis exercere à mense Octobris anni præsentis. Vnde paulo antea mortem Generalis Raudensis contigisse, conijcitur.

Gualterus Disse.

4 Obiit etiam eodem anno Gualterus Disseus, de quo ann. 1387. diximus. Hic humili in Anglia loco natus ex Disso Comitatus Norfolcensis adolescens nostrum habitum in Conuentu Noruici suscepit; studia bonarum litterarum cum disciplina Monastica, & virtutis cultu ita semper cōiunxit, vt in virum doctrina, & pietate celebrem euaserit. Cantabrigię tā strenuam philosophicis, & Theologicis scientiis dedit operam, vt ibi ad supremum Doctoralis dignitatis gradum suo iure fuerit euectus. Deinde Parisiis, & postea Romæ studuit, disputauit, docuit, nonnunquam etiam Conciones habuit, vt non immeritò concionator illustris ab aliquibus vocatur. In his omnibus cum laudabiliter se gereret celebrem famam acquisiuit, & viris Principibus charus esse cepit. Anno 1387. in Capitulo Genera-

rali Brixienſi Prouincialis Hiſpaniæ inſtitutus eſt. Cum enim Hiſpaniæ, & Galliæ Fratres Clementi Septimo Antipapæ tunc adhærerent, ex alijs nationibus illarum Prouinciarum Præſules inſtitui poterant à veris Generalibus Ordinis. Eodem etiam anno ab Vrbano 6. & deinde ab eius Succeſſore Bonifacio 9. creatus, & confirmatus eſt veluti de latere Legatus ad Regna Hiſp. videlicet Caſtellæ, Portugalliæ, Legionis, Aragoniæ, Cataloniæ, Nauarræ, & Granatæ: inſuper ad Angliæ, & Vaſconiæ partes, ac alias Prouincias, vt Crucem Chriſti contra Infideles, Hæreticos, & Schiſmaticos prædicaret. Quàm egregiè id fecerit anno prædicto diximus ex Balæo, & Piſeo eius Patriæ teſtibus. Addit Biſcarretus *in ſuis palmitibus Vineæ Carmeli*, adhuc in Hiſpania conſpici huius Legationis monimenta, in quibuſdam folijs indulgentiarum Bullæ Cruciatæ, quæ tunc dabatur. Ibi enim ſunt depicti Fratres Carmelitani cum huiuſmodi initio. *In principio Eccleſiæ narratur à Magiſtro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quod poſt Reſurrectionem Chriſti noſtri Redemptoris, Apoſtoli aliquos ſumpſerunt ex his, qui morabantur in Monte Carmelo ad prædicandum Sanctum Euangelium, &c.* Ait inſuper, hanc etiam Bullam ſic incipientem conceſſiſſe Iulium 3. Ordini Carmelitarum ad inſtantiam Imperatoris Caroli 5. ann. 1553. & Imperatorem eam procuraſſe, quia nouerat ea, quæ tempore noſtri Gualteri facta fuerant, & quomodo Carmelitæ ſolerter, & promptè tales expeditiones executioni mandabant. Huic etiam opinioni ſuffragatur traditio, quam ab antiquis Religioſis in Hiſpania audiui, quod videlicet Bulla quędā noſtrę Religionis quandoque pro Bulla Cruciatæ fidelibus communicabatur. Quo tempore in Anglia moram fecit, Excellentiſſimo totius Anglię Principi Duci Ioanni Lancaſtriæ, & Conſtantiæ eius Coniugi Sereniſſimæ à confeſſionibus erat. Sed nec his diſtentus, librorum editioni pro communi vtilitate non vacauit, plures enim ſcripſit, videlicet in quoſdam Pſalmos *lib.* 1. in Magiſtrum Sententiarum *lib.* 4. Quæſtiones Theologicas *lib.* 1. Sermones de tempore, *lib.* 1. Sermones de Sanctis *lib.* 1. Contra Vviclephiſtas, & Lolhardos, *lib.* 1. Determinationes varias, *lib.* 1. De Schiſmate Eccleſiæ *lib.* 1. Ad Præſides Eccleſiarum, *lib.* 1. Epiſtolas ad Vrbanum, & Bonifacium Pontifices *lib.* 1. & alia quædam. Ipſius geſta, & virtutes multi referunt, ſpecialiter Balæus, Trithemius, Pitſeus, Einſengrineus, Poſſeuinus, Harpsfeldius, Biſcarretus relatus, & alij ex noſtris, ac Spondanus ſub anno 1387. ex Vvalſinghamo.

5 Similiter eodem quoque anno Thomas Maldonus Anglus in ſuo Maldonenſi Cœnobio ſpiritum ſupremum exhalauit, & ibidem ſepulturā accepit. Hic Ordinis noſtri adoleſcens viam ingreſſus, magnum in litteris, & pietate fructum fecit. Succeſſu temporis Cantabrigiam ad altiora ſtudia capeſcenda miſſus, peragratiſque cum Sacræ, cum prophanæ Philoſophiæ campis, collectiſque in vtroque genere non ſolum amœniſſimis floribus, ſed etiam vtiliſſimis fructibus, tantam fecit meſſem, vt ſupremo in Sacra Theologia Magiſterio honorificè tandem inſigniretur. Plura de ipſo Balæus, Thomas Maldonus.

plura quoque Pitseus; sed ijs omissis, laudent eum opera eius. Quæ sunt, in Magistrum sententiarum *lib.* 4 Quæstiones ordinariæ *lib.* 1. Quodlibeta Theologiæ *lib.* 1. Actus vesperiales *lib.* 1. Sacrorum Bibliorum introitus *lib* 1. Littera, seu expositio super Genesim *lib.* 1. Lectiones in Ps. 48. *lib.* 1. in Epistolam Iacobi *liber vnus*, Sermones 36. de tempore *liber vnus*, Sermones 34. de Beata Virgine *librum vnum*, Collectiones solemnes *liber vnus*, Determinationes Theologiæ *liber vnus*. Agunt de ipso Lelandus, Balæus, Pitseus, Posseuinus, & alij.

Conuentus Salgar. 6 Datus est Ordini nostro hoc tempore Conuentus Salgar Prouinciæ Cataloniæ; qui titulo *SS.* Virginis fruitur, ad fluuij ripam situs; quo loco olim Arx erat contra circumuicinos Mahometanos; vbi etiam quidam Eremitæ habitauerant. Imago eiusdem Dei Genitricis in eo celebrata, inter rupes illas reperta, miraculis postea claruit. Proinde ad ipsam ex remotioribus etiam locis pie concurritur, deuotionemque auget ipsa domus, quæ instar eius, quæ fuit in Carmeli Monte, separatis cellis constructa fuit. Prædijs multis, Territorio cum ciuili, & criminali potestate, ac cymbæ vsu pro fluminis transitu gaudent fratres.

Ann Christi 1405. Innocent 7 Roman. Pontif. 1. Ruperti Reg. Rom. 5. Manuel Imper. Orient. 19. Mathæi de Bononia General. 1.

Gesta hoc tempore. 1 HOc anno Benedictus Antipapa contra Innocentium legitimè electum verum Papatũ ambiebat, Genuam veniens; etsi postea ob pestis timorem recedére coactus sit, & Massiliam redire. Zurita, Folieta, Bzou. Innocentius autem Papa à Romanis exagitatus Viterbium fugit, Diu. Antoninus, Niemus, & Spondanus.

Conuentus Dolensis. 2 Dolensis Conuentus hoc anno, vel circiter Ordini nostro datus est in Ciuitate Dolensi in Brittannia, à Richardo Dolensi Episcopo, & licentiá concedente Benedicto de Luna Papa cognominato, Cui Gallia, & Brittannia, cum Hispania obedientiam præstabant. Vt patet ex litteris eiusdem Benedicti datis Massiliæ hoc anno 1405. pro 15. Febr. apud Leonem à Sancto Ioanne *in Tract. de obseruant. Rhedon. cap.* 25. Vbi etiam, & in alia relatione Prouinciæ Turoniæ, ad quam hoc Cœnobium spectat, quod adiunctum fuit Rhedonensi Obseruantiæ de anno 1616. habetur, celebre illud esse ob miracula, quę in Sacello Beatissimæ Virginis Mariæ concernuntur. Inter quę istud insigne. Iuuenis quidam è vicinia, cui solemne erat horis matutinis quolibet die Sacram istam Ædem visitare, humilesq; ibi effundere preces, è viuis excessit anno 1590. Effertur tumulo condendus. Sed ecce, toto funebri comitatu stupente, è feretro exurgens dicit, Se eodem

Vir-

Virginem non salutasse, ac eius Templum velle adire. Properat igitur, intrat, gratias agit, gaudet prima valetudine, & viuit. In cuius signum idem Leo testatur se vidisse sub anno 1620. resuscitati Iuuenis feretrum iuxta Sacellum conseruatum. Aliud etiam insigne refert idem Leo: De quodam Lutherano, qui cum enauigans naufragium illi immineret, cuiusdam adolescentis Catholici consilio vota nuncupauit Beatissimæ Virgini Carmelitarum Dolensium; incolumitatem postea assecutus ad nostram Ædem venit, & ibi à Deo tactus Lutheranismum adiurauit. Alia ibi P. Leo ...

3 Ex relatione etiam Prouinciæ Belgicæ habemus circa hoc tempus Fratres nostros habitare cepisse Antuerpiæ inclytæ Brabantiæ Vrbe; sed ibi non habitasse tunc, nisi tanquam terminarios Conuentus Mechliniensis, habentes Conciones quibusdam anni temporibus. Formatum autem Monasterium habere non cepisse vsque ad annum 1493. prout eo loco dicemus. Antuerpiæ Conuentus.

4 Habetur etiam hoc anno noua Ordinis Generalis Synodus Bononiæ. In qua primò, ab omnibus de gremio vnanimiter in Priorem Generalem est electus Magister Mathæus de Bononia, qui propter obitum Ioannis Raudensis Generalis, Vicarij Generalis munus exequebatur. Deinde numerantur Diffinitores Prouinciarum, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Aquitaniæ, Romæ, Hispaniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, & Vasconiæ. Qui cum Generali electo Prouinciales instituerunt 19. Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, & Vasconiæ, simul cum Priore, Procuratore, Regente, Suppriore, & Baccalaureo Romanæ Curiæ. Commiserunt autem Priori Generali dictorum Curiæ Officialium mutationem, & Studiorum, ac Studentium dispositionem. Ac propter Schisma, quod erat in Ecclesia, ordinauerunt Studium Parisiense in Conuentu Bononiæ, & tandem circa Studia, & Studentes, illorumque gradus Ordinationes fecerunt. Constant hæc ex libro Ordinis *fol.* 25. Generale Capitulum.

5 Circa Ordinationes, & Decreta, prætermissis alijs minoris ponderis, statuerunt primum, ad instar Capitulorum præcedentium, quod Prouinciales instituti pro Prouincijs Schismaticis, possent morem trahere in suis Prouincijs natiuis, cum loco, & voce actiua, & passiua, donec ad prædictas Prouincias accedere possent. Secundo, quod qnilibet Frater Ordinis iurare teneretur fidelitatem, & obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Summo Pontifici Innocentio Septimo, prout fecerunt omnes Fratres Capitulo præsentes. Tertio, sub præcepto Sanctæ Obedientiæ ordinatum est, ne fratres facerent de festo trium lectionum festum nouem lectionum. Liber Ord. *fol.* 26. Decreta.

6 Clarioris nominis Patres huius Capituli fuerunt Mathæus de Bono- PP. Clariores.

nia Generalis Magister; Magister Andreas de Luca Prior Curiæ Romanæ; Diffinitor, & Prouincialis Franciæ; Magister Henricus Dales Prouincialis, & Diffinitor Germaniæ Inferioris; frater Philippus de Mersala de Sicilia Diffinitor, & Prouincialis Thusciæ; Magister Stephanus Patringtonus Prouincialis Lombardiæ; Magister Carolus de Bononia Prouincialis Bononiæ, de quibus cum alijs suis locis dicemus.

Lis in Curia. 7 Constat ex expensis in hoc Capitulo receptis, aliquos Magistros, Ordinis libertatem vsurpare voluisse, vt propterea pro ipsius defensione lis in Curia Romana ijs temporibus habita. Ex quo id habemus, Ordinis Magistros, qui doctrinam cum humilitate coniungunt, ipsi vtiles esse, superbos autem, contentiosos, & ambitiosos Ordinis obseruantiam, penitus relaxare, ac proinde illi inutiles, & nocitiuos æstimari debere.

De Mathæo de Bononia 20, Generali.

Matheus de Bononia. 8 DE isto Matheo Bononiensi Ordinis Generali, vix aliquid habetur pro tempore sui Generalatus; nisi in eo perseuerasse per sex annos, Prouincias, quæ erant sub obedientia legitimi Summi Pontificis gubernando. Sic enim habet Bostius *lib. 7. Specul. histor. cap. 46.* Reliqua autem gesta ipsius, ob schismatis, & bellorum turbines nos latent.

Ann Christ *1406*. Inncecen. *7*. Roman. Pontif. *2*. Ruperti Reg. Rom. *6*. Manuel Imp. Orient. *20* Mathæi de Bonon, Generalat. *2*.

Huius anni status. 1 REdijt hoc anno Viterbio Romam Pontifex, bene à Romanis receptus; etsi res adhuc quietæ non essent, eo quod Castrum Sancti Angeli à Ladislao Neapolis Rege detinebatur, & ex eo hostiles actus exercebantur. Obijt tandem hoc eodem anno ex apoplexia, fere septuagenarius. Diu. Antonin, Niemus, Aretinus, & recentiores. Electus autem est post ipsum in Papam Gregorius 12, Venetus, vocatus antea Angelus Corrario, Honuphrius, Gordonus, & alij.

Thomas Colbius. 2 Noster Thomas Colbius Episc. Lismorensis, & Vvaterfordensis, de quo anno 1399. & 1402. sub anno isto, vt dicitur, in Domino obdormiuit. Doctor fuit in Sacra Theologia, etsi Oxoniensis, an Cantabrigiensis fuerit, ignoretur. Erat sane Colbius vir acuti ingenij, linguæ promptissimæ miræ eloquentiæ, quique dicendo id quod voluit plerumque persuadebat. Hinc elegantissimis suis concionibus populo placuit, & profecit. Deinde Magnatibus notus esse cepit, & Principum beneuolentiam, Regumque gratiam conciliauit. Qua sibi ratione viam ad summos honores parauit.

uit. Nam Rex Angliæ eum magno pretio habuit, &, vt diximus an. 1399. eo tempore ad Lismorensem simul, & Vvaterfordensem Episcopatus in Hibernia euexit. Hunc quidem amplum honorem detulit ei Rex, sed multo ampliorem habet, habebitque semper, authore Lelando; ex doctis operibus, quæ victuris chartis commendauit. Sunt qui scribunt eum non solum patrias, sed etiam exteras Academias visitasse, & cum Viris doctis conferendo non paruam ad sua studia fecisse accersionem. In Thesaurum Reipublicæ litterariæ hæc contulit ingenii sui signa. Indices, & Annotationes in Genesim *librum vnum*, in Orationem Dominicam *librum vnum*, Præceptorium diuinæ Legis *librum vnum*; Lectiones Sacræ Scripturæ *librum vnum*, Collectanea Sacrorum dogmatum *librum vnum*, Conciones Sacras *librum vnum*, de Ecclesiæ puritate *librum vnum*, Scripsit etiam Indices, & Tabulas in Dialogos Sancti Gregorij Papæ, & Pastorale eiusdem; in homilias eiusdem; in Sanctum Augustinum de Trinitate; in eumdem de verbis Apostoli; in Quæstiones 83. eiusdem; in Polychronicon Carnotensis; in Guillelmum Senghanum de fide, & legibus. De ipso scribunt Lelandus apud Pitseum, Balæus, Eisengrineus, Posseuinus, & Biscaretus.

Ann. Christi *1407*. Gregor. 12. Roman Pontif. *1*. Rupert. Reg. Roman. *7*. Manuel Imper. Orient. *21*. Mathæi de Bononia Generalat. *3*.

1 BOna spes hoc anno fuit vnitatis Ecclesiæ restaurandæ; cum Papa Gregorius litteras ad Benedictum, Papam etiam appellatum, pro ea misisset, & Benedictus ipse vicissim alias ad eum idem intentum approbans scripsisset. Res tamen impediebatur ob difficultates, quæ erant circa congressum vtriusque, & locum, in quo conuenire debebant, & propter aliquos, qui tali vnioni ob proprium commodum, occulte saltem repugnabant. Bzouius, & Spondanus ex alijs vetustioribus Chronologis. Dum autē inter Ecclesiasticos hæc fiebant, ex sæcularibus vnus omni sæculo laude dignus, Ferdinādus Henrici Regis Castellæ iam defuncti frater, cum ipsi Proceres Regnum offerrent, ille acri voce, & vultu dixit: *Quem, nisi Ioannem fratris mei filium?* Erat autem hic Ioannes infans nondum duorum annorum: Rex ergo fuit acclamatus, Mariana, Iustus Lipsius, Bzouius. O quam pauci *Ferdinandi* sunt in mundo. Huius temporis casus

2 Ex nostra historia hoc anno 1407. Coloniæ mortuus est, & terræ commendatus Magister Ioannes Bramant Prouinciæ Germaniæ inferioris Prouincialis. Fuit hic in Ordine nostro ea tempestate celebris. Etenim in Capitulo Gen. Bambergēsi an. 1385. & Frācfordiensi an. 1393. Diffinitor, & Prouincialis eiusdem Prouinciæ nominatur. In Capitulis autē Brixiensi Ioannes Bramant.

1387. Placentino 1396. & Siluarũ 1399. Prouincialis eiusdẽ Prouinciæ dicitur. Erat, iuxta Trithemium de Scriptoribus Ecclesiasticis, patria Aquensis, natione Teutonicus, Vir in diuinis scripturis studiosus, & eruditus, & sęcularis Philosophiæ, iuxta consuetudinem scholasticorum illius temporis enucleator celeberrimus, ingenio, & eloquio clarus, in declamandis sermonibus ad populũ Doctor egregius. Scripsit pro vtilitate Fidelium non spernenda opuscula, quibus ingenium suum exercitans nominis sui memoriam ad posteros transmisit. De quibus extant super sententias, *libri* 4. Sermones varij *liber vnus*. Multa etiam alia scripsisse dicitur; pręsertim varias Quęstiones. Maximè vero ex Conuentus Florentię Bibliotheca constat, referente Biscarreto, ipsum scripsisse plura alia, scilicet, de Sanctissima Trinitate; de veritatibus Theologiæ; de visione Dei; de Beatitudine animæ; de Deo in se; de paradiso terrestri; de mundo; de aduentu Christi contra Hebræos; de Sancto Sacrificio Missæ; de Suffragijs pro defunctis. Merito ergo de hoc nostro Ioanne cum laude loquuntur, Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus, qui eum vocant Doctorem Parisiensem, & Ægidius Fabri, qui dicit obijsse anno 1408. Quia tamen Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 13. dicit anno 1407. id contigisse, ei adhęremus cum alijs.

Thomas Peuerellus.

3 Noster Thomas Peuerellus Landauensis in Cambria Episcopus sub hoc anno ab Angliæ Rege Henrico quarto, annuente Gregorio duodecimo, ad Episcopatum Vvigorniensem euectus est. Thomas Valsighamus in Histor. *sub hoc anno*. Ioan. Pitseus *de Illustrib. Angliæ Scriptorib. Ætate* 15. *n.* 769

4 Grati animi ergo in Dominum Robertum Knollem Anglum, qui nostri Conuentus Londonensis insignis prouector fuit, scribimus, hoc anno diem clausisse extremum strenuissimum Ducem, pluriumque laudabilium operum authorem. In lucis, & pacis sedibus requiescat. Thomas Vvalsighamus *in Historia Anglicana sub hoc anno*.

Ioannes Vrothanus.

5 Viuendi etiam finem fecit sub eodem anno Ioannes Vvrothanus Anglus Cœnobij nostri Londinensis. Hic ad Oxoniense missus Gymnasium strenuè laborans merito suo creatus fuit Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor inter nostros. Vir, qui ingenio, memoria, iudicio, & facundia, multum valuit, & cum præcipuis sui temporis tum Theologis, tum Concionatoribus suo iure comparari potuit. Post accuratè imbibitas Philosophicas scientias, vt author est Lelandus, reliquum vitæ in studijs Sacrę Theologię diligenter posuit; fere semper discendo, vel docendo occupatus. Ad senium tamen vergens in Conuentu Portus Icis (Caletum communiter vocant), electus est Prior, vbi præfuit vsque ad mortem. Scripsit in varios Sacræ Scripturæ textus Commentarios, *librum vnum*; in Cantic. Canticor. *librum vnum*, Sermones 22. de B. Virgine *librum vnum*, Sermones quadragesimales 21. *librum vnum*, Sermones Hyemales, *librum vnum*, Sermones æstiuales *librum vnum*, In Magistrum Sententiarum *lib. quatuor*. De ipso scribunt Lelandus apud Pitseum, Balæus, Sixtus Senensis, Einsengrineus, Harps.

Harpsfeldius, Pitseus, Posseuinus, Iacobus de Plebe, Petrus Lucius, & Biscarretus.

6 Quo etiam anno mundum reliquit Ioannes Marro, vel Mare, etiam Anglus, pago Ducatus Eboracensis, ex quo natus, & cognominatus est: qui locus distat tribus circiter milliaribus Anglis ab Oppido Doncastrio, vbi adolescens bonis litteris operam dedit, & Ordini Carmelitano se addixit. Quod Institutum, vbi peracto probationis tempore, plenè, planèque amplexus esset, studiorum causa missus est Oxonium, vbi, teste Lelando, primum litteras humaniores exactius repetijt, deinde philosophicas scientias, & tandem Theologiam didicit. Nec progredi cessauit, donec supremum Doctoratus gradum consequeretur. Erat vir eruditus, pius, & diuinæ gloriæ zelo plenus. Finito studiorum curriculo, susceptaque, vt dixi, suprema doctrinæ laurea, ad commune Reipublicæ litterariæ bonum publicè docere cœpit, omnesque ingenij neruos eo conuertit, vt turbulentos, & seditiosos Vviclephi sectatores subtilissimis disputationibus, eruditis concionibus, & libris etiam scriptis, aut conuerteret, aut confunderet. In quibus congressibus eorum fallaces imposturas clarissimè detexit, & tenebrosas ambages manifesta veritatis luce dispulit, & dissipauit. Mirum hominis accumen, & multiplicem doctrinam non vulgariter laudat Trithemius. Sed ipsa eius opera suum vberius commendant auctorem: nam testibus Trithemio, Sixto Senensi, Petro Lucio, & alijs, ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ publicum bonum, ad nominis etiam sui memoriam sempiternam, & omnis posteritatis vtilitatem, sequentes libros in lucem emisit, & secuturis sæculis reliquit. Postillas in Cantic. Canticorum *lib.* 1. super Magistrum sententiarum *lib.* 4. Determinationes contra Vviclephiltas *librum vnum*, Sermonum *librum vnum*, Quęstionum *librum vnum*, Tabulam Originalium *librum vnum*, Compendium Originalium, *librum vnum*, in Epigrammata Martialis *librum vnum*. Sepultus est Doncastrię in suo Cœnobio. De hoc Authore scribunt Lelandus apud Pitseum, Balæus, Einsengrineus, Trithemius, Sixtus Senensis, Pitseus, Iacobus de Plebe, Posseuinus, Petrus Lucius, & Biscarretus. Ac maximè Harpsfeldius, qui in *Historia Anglicana* sęcul. 15. eum dicit fuisse inter Doctores illius sæculi celebrem; & in *Histor. Vviclephiana, cap.* 15. ait: *Omnibus viribus suis vsus est, vt Vviclephianam hæresim penitus euerteret.*

Ioan. Marro

Ann.

Ann. Christi 1408. Gregor 12. Rom Pontif. 2. Rupert. Reg. Roman. 8 Manuel Imper. Orient. 22. Mathæi de Bononia General. 4.

Congressus; 1 Rant hoc anno, causa procurandæ vnitatis Ecclesiæ, & congressus inter Gregorium Papam, & pseudoPontificem Benedictū habendi, Gregorius quidem Senis, & Lucæ, Benedictus autem in Portų Veneris. Res autem infecta manet, & Cardinales ab vtroque deficiunt, & Pisas se conferunt. Sic ferme Historici noui, ex antiquis.

Casus. 2 Cum autem Lucæ detineretur Gregorius Papa, & Dominica quarta Quadragesimæ, quæ *lætare* dicitur, occurreret, qua die Ordo noster in Capella Papæ coram ipso, & Cardinalibus Sermonem, seu Orationem solitus est habere, quidam Theologus noster in eo Sermone Papæ exprobrauit, quod vota, & Sacramenta ab ipso emissa, videlicet, de vnione Ecclesiæ procuranda, & tollendo schismate, violasset. Cardinalis propterea Camerarius eum in vincula coniecit, & à Concionatoris munere interdixit. Hincque ortum habuisse dicitur, vt nemo coram Papa sermonem haberet, qui non prius Magist. Sacri Palatij eum in scriptis ostendisset. Sic fermè Theodor. Niem *in lib. 3. de schism. cap. 25.* quem refert Bzouius *sub hoc anno num.* 8. Si huic Niemio, qui maledicentiæ vitio à multis notatur, omnino creditur in hoc casu, iste Lucensis Theologus Carmelita erit Andreas de Luca Ordinis nostri Procurator Generalis eo tempore, de quo sub anno 1418. qui alias vir insignis fuit. Excusabilis etiam aliquantulum in hoc facto, quia non deerant aliqui, qui Papam Gregorium in hoc notabant, eum propterea non Gregorium, sed *Errorium* appellantes. Spondanus *sub anno* 1406. *num.* 5.

Conuentus Rauennæ. 3 Rauennę inclyta Italię Vrbe anno isto 1408. sub Ioanne Archiepiscopo, & Opizone Polentano Gubernatore, Templum, & Cœnobium Diui Ioannis Baptistæ nostris Fratribus ad habitandum concessa, sub certis conditionibus. Erat pridem hæc Ecclesia sub vno Sacerdote, qui Canonicus illius vocabatur: nomine autem Religionis, & Generalis Magistri Mathæi de Bononia prædictas conditiones acceptauit Iacobus Versellus Bononiensis Ordinis nostri alumnus. Hieronymus Rubeus *in historia Rauennatum lib. 7. sub hoc anno.* Qui Ordinem nostrū *vetustissimum* dicit, & eius Religione ductum Opizonem. Extat in hac Ecclesia Petri Trauersarij Rauennæ quondam Domini monumentum, quod ab Alexandro Fori Cornelij Flaminię Ordinis nostri Prouinciali circa ann. 1501. Franchino Ciue Rauennate sollicitante, apertum, & nobilissimi Trauersarij Cadauer ab omni parte integrum visum fuit, & in cingulo litteris Græcis hæc inscriptio: *Regum Socius Petrus Stemmatis Magnorū Trauersariorum, Rauen-*

natis Vrbis vetustissimę Rector, auspicijs semper vsus melioribus, Rubeus *vt supra lib.* 8.

4 Neti etiam Nobili Siciliæ, & Syracusanæ Diœcesis Vrbe fratres nostri, etsi extra Mœnia olim existentes in Templo D. Iacobo, & postea *Diuæ Mariæ à gratia* nuncupato, hoc anno nundinas à Martino Rege impetrarunt. Deinde anno 1586. intra Vrbem in vetustum D. Martini Templum recepti sunt: & translata est Imago Deiparæ Virginis cum tota illa parietis parte, in qua fuit à frequentis populi pietate venerata. Deinde nouis ædificijs Templum, & Cœnobium amplificarunt. Claruit in illo magni nominis Ecclesiastes M. Ægidius Iuliana; Hæc pauca hausimus ex Rocho Pirrho *in notit. Eccles. Syracusanæ*. Netensis.

5 Non prætermittendum, etsi extra rem id appareat, quod in hac Netina Vrbe extet domus quædam Hospitalis sub titulo *S. Eliæ*, quæ superba, & vetusta mole, quamuis exiguo sub loco, nulli in Sicilia cedit: immanibus enim, eisdemque quadratis saxis fundata est. Fama est à primis insulæ huius colonis, vt illinc Pachyni littora prospicerent, super impositis sine cæmento saxis ædificata. In lapide incisum hoc distichon cernitur. Eliæ cultus

Quæ fuerat quadam moles operosa Gigantum,
Ceptus in hac viuens Elias Æde coli.

Hæc Pirrhus loco supra relato, à nobis lectori proposita, vt de vetustissimo Eliæ nostro cultu ab hominibus ei exhibito pie discurrat.

Ann. Christ. 1409. Alexand. 5. Roman. Pontif. 1. Rupert Reg. Roman. 9. Manuel. Imper. Orient. 23. Mathæi de Bonon. General. 5.

1 CONcilium Pisis sequenti anno 1409. habetur, Cardinalibus, tum eis, qui Papæ Gregorij sectatores erant, tum ijs, qui Pseudo Benedictum pro Pontifice agnoscebant, eò confluentibus; eo quod cernerent neutrum Papatui cedere velle, & Schisma perniciosissimum, quod à triginta circiter annis in Ecclesia vigebat, alio modò extingui non posse. Pro pace ergò, & vnione Ecclesiæ, abdicato Papa Gregorio Duodecimo, & antipapa Benedicto, eligitur Alexander Quintus mense Iunio. Honuphrius, Genebrardus, Ciaconius, ac alij. Alexand. 5. electio.

2 Interfuerunt huic Concilio pręter Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos, Legati Principum complures. Ex Anglis autem inter alios, noster Thomas Vualdensis. Pitseus *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 15. *num.* 796. de eo subiungens: *Perorauit, disputauit, de pace, & concordia ineunda Conciones habuit, & multum ad vnionem Ecclesiasticam conciliandam laborauit, multum etiam effecit*. Vnde inter opera ipsius Vualdensis numerat idem Pitseus librum vnum. *De responsis in Con-* Concilium Pisanum.

in Concilio Pisano, qui incipit, *Tempus*, *&* *responsionem*, &c. & librum alterum ad Clerum in eodem Concilio, qui incipit: *Dedi te in Ducem gentium*, &c. Qui etiam eiusdem Thomæ encomia sic prosequitur. *Admirandum hominis ingenium, singularem prudentiam, incredibilem diuinæ gloriæ zelum, & multiplicem doctrinam plerique deprehendebant, multi suspiciebant; inimici etiam laudabant. Erat enim optimis quibusque naturæ dotibus imbutus, & omni genere diuinarum, humanarumque disciplinarum insigniter instructus, Græcæ etiam, & Hebraicæ linguæ valde peritus, moribus grauis, eloquio suauis, comis, mitis, modestus, acer ingenio, ad disputandum subtilis, Philosophus acutus, in Scholastica Theologia multum exercitatus, in lectione, & meditatione Sacrarum Scripturarum assiduè versatus, firmus in fide, integer in Religione, omnique vita sanctimonia conspicuus; Concionator præcellens, vtpotè qui in persuadendo neruosus, in redarguendo vehemens, in exhortando potens, quæ volebat apud Auditores plerumque efficiebat.* Encomia certe eximia, & tanto viro digna.

Conuentus Pisanus.

3 Ex huius autem Concilij *sess. 13*, constat in nostro Carmelitarum Pisano Cœnobio factas, vel repositas fuisse attestationes de articulis contra prætendentes Papatum; Dicitur enim in fine prædictæ sessionis 13. *Si essent aliqui de Concilio, qui vellent videre ad longum attestationes, quod irent die Lunæ, & Martis proxima ad Conuentum Carmelitarum, & ibi reperirent Notarios, qui omnia ad plenum eis ostenderent, de quibus, &c.* Ciaconius in Alexandro Quinto. Bzouius *sub hoc anno num. 7.*

Alexand. 5. gesta.

4 Pontifex Alexander Quintus, qui in hac Synodo electus fuit, sicut cunctis bonus erat, nostris etiam Carmelitis probus fuit sui Pontificatus tempore. Primò generaliter cum aliis Ordinibus Mendicantium: etenim (Meiero *lib. 15. Annal.* teste) quatuor Ordinibus Mendicantium concessit decimas Ecclesiarum Parochialium, propterea quod ipsi docendis populis seriò incumberent. Quæ res magnas turbas Parisiis inter eos, & Vniuersitatem concitauit, cum Schola Parisiensis sese concessioni opposuisset, & fraude subreptum diploma fore contenderet. Bzouius *sub hoc anno numero 16.*

Papæ concessio.

5 Deinde eodem anno Pisis quarto Idus Octobris gratiosissimam Mendicantium Ordinibus concessionem fecit per Bullam *Regnans in excelsis*, quæ habetur in nostro Speculo Ordinis fol. 76: in qua referens Constitutionem Bonifacij Octaui, quæ incipit *Super Cathedram*, & extensa fuit ad Ordines Sancti Augustini, & Carmelitarum, & condemnationem Ioannis de Poliaco factam à Ioanne Vigesimo secundo, eas obseruari præcepit. Addit Spondanus *num. 21. & 22.* ex Dionysio Monacho, & Codice Victorino, quod hac occasione Vniuersitas Parisiensis valde commota fuerit in Mendicantes, etsi placata cum Carmelitis nostris, & Prædicatoribus, eo quod dicerent eam Constitutionem obtentam fuisse, ipsis nescientibus; non autem cum Minoribus, & Augustinianis; Minoribus præsertim, qui authores eius rei fuisse credebantur. Cæterum hæc omnia credimus

contigisse occasione alterius Bullæ superius relatæ de decimis recipiendis, quia res erat singularis, & insolita, ac clericis sæcularibus maximè præiudicialis: non vero occasione præsentis Bullæ, cum res in ipsa contentæ iampridem essent à Summis Pontificibus Prædecessoribus decisæ contra a Poliacum, & alios Mendicantium aduersarios; prout in superioribus dictum est.

6 Tertio, specialiter Bullam, *Sabbatinam* vulgo dictam, à Ioanne 22. Carmelitis concessam; approbauit, & confirmauit Alexander 5. die Decembris, huius anni, vt vidimus anno 1322. per aliam, quæ incipit *Tenore cuiusdam priuilegij*. Cuius nonnulla exemplaria eo loco retulimus. In eis tamen is superest scrupulus, quod Bulla dicatur data prædicta die septima Decembris Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem: cum tamen Pontifex hic Romæ nunquam fuerit, sed ex Pisis Bononiam tendens, ibi vitam finierit. Cæterum nodus iste multipliciter soluitur à Viris grauissimis, Ioãne Cheron Burdegalensi, Feslajo, Thoma Aquinate à Sancto Iosepho, & Irinæo à S. Iacobo, qui cum alijs, quos eo loco retulimus, huius Bullę defensionem susceperunt contra Neothesicum quendam Parisiensem ipsius impugnatorem. Ostendunt enim Bullas aliquot Alexandri 5. Romæ datas, vel, vt aliqui putant, quia ipse Romæ fuit; vel quod verum est, esto quod non fuerit; quia nomen *Romæ* non pro ipsa Vrbe *materialiter*, sed *formaliter* pro Romana Curia accipitur; vt etiam dixi de alia Clementis 5. concessione sub anno 1306. Dato etiam quod erratum sit in Bullæ Data, non ex eo spuria censeri debet, sed id tribuendum, Scriptoris, transcriptoris, aut amanuẽsis negligentiæ, seu inscitiæ; à quo næuo vix aliqua scriptura liberatur, vt experientia notissima constat, & colligi potest ex D. Hieronymo in Prolog. ad chronicon. Eusebij. Quod maximè in præsenti contingere credimus, si hæc Bulla data est *Bononiæ*, nam pro *Bononiæ* nomine facile irreatitus scriptor potuit dicere *Romæ*, propter aliqualem similitudinem. Bononiæ autem etiam extare Ecclesiam sub titulo *Sanctæ Mariæ Maioris*, prout in dicta Data legitur, omnes sciunt. Demum pro huius Bullæ defensione legendi, quæ diximus sub eo anno 1322. & ipsi applicanda.

De Bulla Sabbatina.

Ann. Christ. 1410. Ioann. 23. Roman. Pontif. 1. Ruperti Reg. Rom. 10. Manuel Imp. Orient. 24. Mathæi de Bonon, Generalat. 6.

1 ALexander Pontifex hoc anno Bononiæ decessit; illique subrogatur Ioannes Vigesimus tertius dictus, Balthassar Cossa antea nominatus. Honuphrius, Genebrardus, Gordonus, & alij. Obijt etiam Rupertus Romanorum Rex; illi succedente Sigismundo Rege Vngariæ. Platina, Bzouius.

Ioann. 23. Papa.

Benedictus de S. Fide.

2 Quo etiam anno Benedictus de Sancta Fide, de quo anno 1391. Neapolis satis concessit, Legationibus Pontificiis, vt ibi diximus, functus, & eruditis non paucis opusculis pro communi vtilitate editis. Pitseus ex Lelando, & Biscarretus, addens in Carmelo maiori Neapolitano sepulturam habuisse.

3 In hunc etiam annum, vel saltem in proximè praecedentes post Capitulum Generale Bononiense anno 1405. & ante subsequens anno 1411. etiam Bononiae celebratum, referimus viros aliquos nostrae Religionis, qui ea tempestate è vita decessisse videntur, cum post praedictum Bononiense Capitulum nulla ipsorum in libro Ordinis memoria inueniatur. Ex quibus vnus est Magister Antonius de Messanzana, Prouincialis Lombardiae. Fuit hic patria Mediolanensis, & primùm Diffinitor Prouinciae Hiberniae in Capitulo Generali Brixiensi anno 1387. & Lombardiae in Capitulo Generali Francfordiensi anno 1393. Socius Generalis in Placentino an. 1396. & Prouincialis Lombardiae in Capitulo Siluarum anno 1399. Vnde non incongruè inter grauiores illius aeui, & Prouinciae Lombardiae Patres illum nominamus.

Henricus Dales.

4 Alter est Magister Henricus Dales Prouincialis, & Diffinitor Germaniae Inferioris in praedicto Capitulo Bononiensi anno 1405. Hic primùm Diffinitor eiusdem Prouinciae nominatur in Capitulo Generali Brixiensi anno 1387. & in Placentino anno 1396. De ipso loquitur Palaeonydorus lib. 3. cap. 13. dum inquit in illa Prouincia successorem fuisse Ioannis Brammart, & praedecessorem Magistri Nicolai.

Casus nostri Conuentus Pragae.

5 Accidit sub praedicto anno 1410. vt Hieronymus de Praga improbus homo, qui vt haereticus relapsus post in Concilio Constantiensi comburi iussus est, in nostrum Pragense Coenobium Imperiale, Caroli quarti Imperatoris pietate erectum, ingressus, Reliquias ibidem positas, & per vnum Fratrem, subsidium pro fabrica mendicantem, custoditas, contemptibiliter in terram proiecisset, & Fratres indignè vituperasset. Insuper Fratrem Nicolaum in eo Coenobio nostri Ordinis Concionatorem, quod dánationem articulorum Ioannis Vviclefi comprobasset, manu violenta extrahi fecit simul cum duobus alijs è Monasterio Fratribus, & captiuos abduci ad Iudicem nouae Ciuitatis Pragensis, qui duos illos haud secus, ac fures, in publico detinuit carcere, Nicolaum vero domi in priuato carcere retinens, diuersis tormentis excruciauit, & cum non posset illum ad reuocandum ea, quae contra doctrinam Vviclefi dixerat, compellere, fecit educi ad flumen, vt submergeretur. Proiectus itaque ille è naui submersus, vtique perijsset, nisi clientis cuiusdam auxilio ereptus fuisset. Negauit hic Hieronymus in processu facto contra ipsum in Constantiensi Synodo casum proiectionis Reliquiarum, sed fictum mendacium simpliciter dixit. Ad eum autem de violatione Monasterij, & incarceratione Nicolai Concionatoris cum alijs duobus, respondit, quod cum intrasset Monasterium praedictum orandi causa, Fratres reperisse tumultuátes

tes cum certis familiaribus, & dum eos reprehenderet, prædictum Concionatorem verbis iniuriosis insurrexisse contra ipsum, vt propterea conquestus esset Magistro Ciuium, qui dedit sibi certos familiares de suis, vt faceret eos capi, & sic cepit tres, quorum duos dedit ad quemdam Schatlamam, & tertium retinuit pro se: cui sæpe minatus est, quod vellet eum submergere, licet reuera nunquam habuit animum ipsum offendendi, quamuis sæpius ad aquas duxisset. Sed hæc, nugas potius, quam veras excusationes pro delictis obiectis fuisse, ex praui Nebulonis vita, morte, moribus, & gestis elicimus, & quod à Promotore Concilij ea illi fuerint exhibita. Maximè tamen ex Sermone Reuerendissimi Domini Iacobi Episcopi Laudensis in sess. 21. eiusdem Concilij die 30. Maij anno 1416. habito, ante eiusdem sententiæ publicationem, vbi sic contra ipsum Hieronymum de Praga Dominus hic Episcopus inuehebatur. *Quot solemnes Clerici detrusi? quot violenter expulsi, & exilio relegati? quot spoliati? quot verberibus cæsi? quot desolatæ Ecclesiæ? quot Altaria prophanata? quot Monasteria destructa? & si volebas, Hieronyme, persequi malos Clericos, cur bonos afflixisti? quid in sanctorum virorum de Praga Carmelitarum innocentia, quorum Prædicatorem cepisti, & Monasterium expoliasti, culpæ reperisti?* Sufficiat nobis pro iniuriæ ab homine scelerato illatæ recompensatione, quod sanctitas, & innocentia nostrorum Conuentus Pragæ fratrum in publica Concione, ac Generali Synodo à Reuerendissimo hoc Præsule maneat vindicata. Hic autem pius Pater Nicolaus idem videtur esse cum Nicolao Purstet Diffinitore Prouinciæ Bohemiæ in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. Bzouius *tom. 15. Annal. sub anno 1415. num. 48. & 49. & sub anno 1416. in sess. 26. Concilij Constantiensis.*

6 Tumultus, & hæc cæses hoc tempore in Bohemiæ Regno grassantes prædixerat iam à multis annis Beata Angela Bohemia Ordinis nostri, vt patet ex eius vita, de qua egimus in superioribus. B. Angela.

Ann. Christ. 1411. Ioann. 23. Roman. Pontif. 2. Sigismundi Reg. Roman 1. Manuel Imper. Orient. 25. Ioannis Grossi Generalat. 1.

1 Recrudescebat Schisma hoc anno; cum, non obstante Synodo Pisana, & electione Alexandri Quinti, & Ioannis Vigesimi tertij, nihilominus Gregorius Duodecimus, & Benedictus Decimus tertius appellatus, se Pontificatu abdicare nolebant: proinde enim iam tria Capita in Ecclesia numerabantur, Ioannes, Gregorius, & Benedictus. Sigismundus ergo Romanorum Rex, pro schismate hoc extinguendo piè, meritoque laborabat. D. Antoninus, Mutius, Bzouius. Schisma recrudescens.

De

Benedictus de S.Fide.

2 Quo etiam anno Benedictus de Sancta Fide, de quo anno 1391. Neapolis fatis concessit, Legationibus Pontificijs, vt ibi diximus, functus, & eruditis non paucis opusculis pro communi vtilitate editis. Pitseus ex Lelando, & Biscarretus, addens in Carmelo maiori Neapolitano sepulturam habuisse.

3 In hunc etiam annum, vel saltem in proximè præcedentes post Capitulum Generale Bononiense anno 1405. & ante subsequens anno 1411. etiam Bononiæ celebratum, referimus viros aliquos nostræ Religionis, qui ea tempestate è vita decessisse videntur, cum post prædictum Bononiense Capitulum nulla ipsorum in libro Ordinis memoria inueniatur. Ex quibus vnus est Magister Antonius de Messanzana, Prouincialis Lombardiæ. Fuit hic patria Mediolanensis, & primùm Diffinitor Prouinciæ Hiberniæ in Capitulo Generali Brixiensi anno 1387. & Lombardiæ in Capitulo Generali Francfordiensi anno 1393. Socius Generalis in Placentino an. 1396. & Prouincialis Lombardiæ in Capitulo Siluarum anno 1399. Vnde non incongruè inter grauiores illius æui, & Prouinciæ Lombardiæ Patres illum nominamus.

Henricus Dales.

4 Alter est Magister Henricus Dales Prouincialis, & Diffinitor Germaniæ Inferioris in prædicto Capitulo Bononiensi anno 1405. Hic primùm Diffinitor eiusdem Prouinciæ nominatur in Capitulo Generali Brixiensi anno 1387. & in Placentino anno 1396. De ipso loquitur Palæonydorus lib. 3. cap. 13. dum inquit in illa Prouincia successorem fuisse Ioannis Brammart, & prædecessorem Magistri Nicolai.

Casus nostri Conuentus Pragæ.

5 Accidit sub prædicto anno 1410. vt Hieronymus de Praga improbus homo, qui vt hæreticus relapsus post in Concilio Constantiensi comburi iussus est, in nostrum Pragense Cœnobium Imperiale, Caroli quarti Imperatoris pietate erectum, ingressus, Reliquias ibidem positas, & per vnum Fratrem, subsidium pro fabrica mendicantem, custoditas, contemptibiliter in terram proiecisset, & Fratres indignè vituperasset. Insuper Fratrem Nicolaum in eo Cœnobio nostri Ordinis Concionatorem, quod dánationem articulorum Ioannis Vviclefi comprobasset, manu violenta extrahi fecit simul cum duobus alijs è Monasterio Fratribus, & captiuos abduci ad Iudicem nouæ Ciuitatis Pragensis, qui duos illos haud secus, ac fures, in publico detinuit carcere, Nicolaum vero domi in priuato carcere retinens, diuersis tormentis excruciauit, & cum non posset illum ad reuocandum ea, quæ contra doctrinam Vviclefi dixerat, compellere, fecit educi ad flumen, vt submergeretur. Proiectus itaque ille è naui submersus, vtique perijsset, nisi clientis cuiusdam auxilio ereptus fuisset. Negauit hic Hieronymus in processu facto contra ipsum in Constantiensi Synodo casum proiectionis Reliquiarum, sed fictum mendacium simpliciter dixit. Ad eum autem de violatione Monasterij, & incarcerationc Nicolai Concionatoris cum alijs duobus, respondit; quod cum intrasset Monasterium prædictum orandi causa, Fratres reperisse tumultuá-

tes cum certis familiaribus, & dum eos reprehenderet, prædictum Concionatorem verbis iniuriosis insurrexisse contra ipsum, vt propterea conquestus esset Magistro Ciuium, qui dedit sibi certos familiares de suis, vt faceret eos capi, & sic cepit tres, quorum duos dedit ad quemdam Schatlamam, & tertium retinuit pro se: cui sæpe minatus est, quod vellet eum submergere, licet reuera nunquam habuit animum ipsum offendendi, quamuis sæpius ad aquas duxisset. Sed hæc, nugas potius, quam veras excusationes pro delictis obiectis fuisse, ex praui Nebulonis vita, morte, moribus, & gestis elicimus, & quod à Promotore Concilij ea illi fuerint exhibita. Maximè tamen ex Sermone Reuerendissimi Domini Iacobi Episcopi Laudensis in sess. 21. eiusdem Concilij die 30. Maij anno 1416. habito, ante eiusdem sententiæ publicationem, vbi sic contra ipsum Hieronymum de Praga Dominus hic Episcopus inuehebatur. *Quot solemnes Clerici detrusi? quot violenter expulsi, & exilio relegati? quot spoliati? quot verberibus cæsi? quot desolatæ Ecclesiæ? quot Altaria prophanata? quot Monasteria destructa? & si volebas, Hieronyme, persequi malos Clericos, cur bonos afflixisti? quid in sanctorum virorum de Praga Carmelitarum innocentia, quorum Prædicatorem cepisti, & Monasterium expoliasti, culpæ reperisti?* Sufficiat nobis pro iniuriæ ab homine scelerato illatæ recompensatione, quod sanctitas, & innocentia nostrorum Conuentus Pragæ fratrum in publica Concione, ac Generali Synodo à Reuerendissimo hoc Præsule maneat vindicata. Hic autem pius Pater Nicolaus idem videtur esse cum Nicolao Purster Diffinitore Prouinciæ Bohemiæ in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. Bzouius *tom.15. Annal. sub anno 1415. num.48. & 49. & sub anno 1416. in sess. 26. Concilij Constantiensis.*

6 Tumultus, & hæreses hoc tempore in Bohemiæ Regno grassantes prædixerat iam à multis annis Beata Angela Bohemia Ordinis nostri, vt patet ex eius vita, de qua egimus in superioribus. B. Angela.

Ann. Christ. 1411. Ioann. 23. Roman. Pontif. 2. Sigismundi Reg. Roman 1. Manuel Imper. Orient. 25. Ioannis Grossi Generalat. 1.

1 Recrudescebat Schisma hoc anno; cum, non obstante Synodo Pisana, & electione Alexandri Quinti, & Ioannis Vigesimi tertij, nihilominus Gregorius Duodecimus, & Benedictus Decimus tertius appellatus, se Pontificatu abdicare nolebant: proinde enim iam tria Capita in Ecclesia numerabantur, Ioannes, Gregorius, & Benedictus, Sigismundus ergo Romanorum Rex, pro schismate hoc extinguendo piè, meritoque laborabat. D. Antoninus, Mutius, Bzouius. Schisma recrudescens.

De

De Generalatu Ioannis Grossi 21. Generali.

Ioan.Grossi. 2 SVmmus Pontifex Ioannes Vigesimus tertius, quem magna pars Ecclesiæ, vt Papam verum agnoscebat, repudiatis Gregorio Duodecimo, & Benedicto Decimotertio, qui in Pisana Synodo fuerunt depositi, Magistrum Mathæum de Bononia, & Ioannem Grossi Ordinis Generales diuisos, cum Prouincialibus, & Patribus vtriusque partis in vnum vocauit Capitulum Bononiæ anno isto Dominica secunda post Pascha: vbi vtroque officium resignante, Magister Ioannes Grossus ab vtraque parte vnanimiter fuit electus. Idem Ioannes Grossi *in Viridario*, Bostius *lib.7. cap.* 47. & Palæonydorus *lib.5. cap.* 13.

Diuisio Prouinciarum. 3 In hoc Capitulo, in quo primum titulus Reuerendissimi Patris Generali apparet concessus, numerantur duodecim Diffinitores totidem Prouinciarum, videlicet Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Aquitaniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Vasconiæ, & Turoniæ. A quibus ordinantur, & instituuntur Prouinciales Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, & Bohemiæ. Ex quibus infertur (imo expresse habetur in Actis huius Capituli) in ipso superadditas Ordini fuisse duas illas posteriori loco numeratas Prouincias, videlicet Turoniæ, & Bohemiæ. Bohemia enim à Prouincia Germaniæ Superioris diuisa fuit, Turoniæ autem à Prouincia Franciæ. Assignatæ autem sunt Prouinciæ Bohemiæ sic diuisæ, Regiones Bohemiæ, Poloniæ, Prussiæ, Hungariæ, Saxoniæ, Turingiæ cum Conuentibus in eisdem contentis. Qui vero Conuentus Prouinciæ Turoniæ designati sint nihil exprimitur in Actis Capituli. Statuitur etiam sub pœna excommunicationis, & alijs, quod nullus habeat loqui de reunione, aut diuisione prædictarum Prouinciarum. Constant hæc ex libro Ordinis *fol.*27.

Gesta in Capitulo. 4 Nominantur etiam, ac instituuntur Procurator Generalis, Prior, Regens, & Baccalaureus Curiæ Romanæ, Socij Generalis, Prior Parisiensis, Regens Conuentus Burdegalensis, ac Lectores sententiarum, & Bibliorum in Conuentibus Parisiorum, Florentiæ, & Tholosæ. Insuper Lectores sententiarum in Studio Bononiensi. Item ordinauerunt studium Generale in Conuentu Paduano Prouinciæ Bononiæ, & Lectorem Sententiarum in Conuentu Pisarum. Liber Ordinis *vt supra*.

5 Decreta etiam, & ordinata plura sunt in hoc Capitulo pro bono regimine Ordinis, ex quibus præcipua sunt. Primum, quod in Ordine numerari debeant 21. Prouinciæ. Secundum, quod Conuentus Burdegaliæ Baionæ, Aquis, & de Saluaterra, reducantur ad Prouinciam Vasconiæ, de qua alias erant. Tertium, quod quilibet Prouincialis habeat omni anno visitare

sitare Prouinciam suam in propria persona propter reformationem Ordinis, & Conuentuum; & non per Vicarium, nisi propter infirmitatem, aut debilitatem, &c. Quartum, quod de Prouincia Angliæ veniant, & mittantur ad Concilium Generale, si contigerit celebrari, duo Magistri, siue Doctores in Theologia, & totidem de Prouincia Franciæ, duo de lingua Occitana, duo de natione Alemaniæ, & duo de natione Italiæ, ad sumptus communes Ordinis. Quintum, circa locum, & præcedentiam Magistrorum, & aliorum Fratrum, quid tenendum, & obseruandum.

6 Maximè circa Officium Diuinum ordinatum est, quod de Sancta Anna fieret per totum annum commemoratio ad Vesperas, & Matutinum. In signum sanè singularis deuotionis, quam noster Ordo semper habuit in Matrem B. Virginis Mariæ. Deinde præcipitur fieri Festum duplex de Sancto Eliseo 14. Iunij, & de Beato Cyrillo Eremita Montis Carmeli die 6. Martij, & de Beato Alberto Trapanensi in die Sancti Donati, & de Beato Basilio Cæsariensi Episcopo. Item, quod de Festo Conceptionis Beatæ Virginis fierét Octauæ solemnes. Præterea ordinatum est, quod post *Salue Regina*, seu *Aue Regina Cælorum*, in prandio, & cæna post gratias diceretur Ps. *De profundis* &c. *Kyrie eleison, Pater noster, A porta inferi, Domine exaudi Orationem meam, Dominus vobiscum*, cũ Orationibus, *Deus veniæ largitor, & Absolue, &c* Demum, quod quilibet Sacerdos nostri Ordinis diceret pro statu Summi Pontif. tres Missas, vnam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Virgine, & tertiam de Cruce. Et pro familiaribus, & benefactoribus Ordinis, tam viuis, quam Defunctis, & litteras confraternitatis habentibus, septem Missas, duas de Spiritu Sancto, duas de Beata Virgine, & tres de Mortuis. Liber Ordinis *vt supra*. De Officio Diuino.

7 Grauiores Patres in hoc Capitulo nominati, sunt, Magister Ioannes Grossi iam olim Generalis partis Ordinis, quæ Benedictum 13. sequebatur, & in hoc Capitulo à toto Ordine receptus; Magister Matthæus de Bononia, qui Generalatum resignauerat; Magister Carolus de Bononia Diffinitor, & Prouincialis Bononiæ; Magister Stephanus Patrington Prouincialis Angliæ; Magister Arnoldus de Vienna Prouincialis Germaniæ Superioris. Procurator Ordinis Magister Nicolaus de Luca; Magister Nicolaus de Rizzo Lector Sententiarum Bononiæ; Antonius Fidei Lector Bibliorum Florentiæ, de quibus, & alijs suis dicemus locis. PP. grauiores.

8 Circa personam Magistri Mathæi de Bononia ex Generalis, qui Officium resignauerat, declaratum est, exemptam esse à cuiusque inferioris Generali iurisdictione, quod etiam de Socio per eum eligendo decernitur. Hoc enim exemptionis priuilegio dignum iudicarunt Patres tantum Magistrum. Mathæus de Bononia.

9 Quo etiam tempore, pro confirmanda deuotione, & institutione Confraternitatum nostri Ordinis, & aliorum Mendicantium, mirabile signum operatus est Deus, de quodam Sacerdote, qui cum illas impugnaret, à Deo admonitus tum verbis cuiusdam deuotæ Virginis, tum fulmine, Casus notabilis.

quod

quod secus ipsum cadens domum incendit, & socium ad mortem percussit, ab eo tempore cautius deinde prædicauit, & tutor, ac susceptor Religiosorum deuotus effectus est. Casum refert Ioannes Nider *lib. 4. cap. 8.* & & ex ipso Bzouius *sub hoc anno num. 7.*

10 Refert Spondanus *num. 5.* ex Codice Manuscript. Bibliothecę Collegij Nauarrici Parisiensis, Guillelmum de Hildernissen Ordinis nostri Sacerdotem, & prędicatorem, abiurasse quosdam prauos articulos, quos docuerat, tam Cameraci, quam Bruxellæ, tanquam caput cuiusdam sectæ nuncupatæ *Hominum intelligentiæ*, cum quodam Ægidio Cantoris, eosq; publicè, vt hęreticos, & erroneos reuocasse, & abiurasse. Cœterum, cum, neque in nostris, nec in extraneis historijs nihil inueniamus de huiusmodi Guillelmo Carmelita, dubitari iure poterit, quam fidem mereatur Codex iste Manuscript. à Spondano relatus.

Ann. Christi 1412. Ioann. 23. Roman. Pontif. 3. Sigismudi Reg. Rom. 2. Manuel. Imper. Orient 26. Ioann. Grossi General. 2.

Gesta hoc anno.

1 ELigitur hoc anno 1412. in Regem Aragoniæ, & Sicilię Ferdinandus Infans Castellæ, optime meritus de Fide Catholica ob plures victorias de Mahumetanis reportatas; quas referunt Historici Hispanici, & alij. Non sic apparebat Ladislaus Rex Siciliæ dictus, qui Romam occupando, & Pontifici Romano contra dicendo, Ecclesiæ Statum perturbabat. Bzouius, Spondanus, & alij.

Philippus de Ferrario.

2 Hinc ad Ferdinandum istum Aragoniæ, & Siciliæ Regem, vt Legati totius Siciliæ Regni, missi sunt Vbertinus Panormitanus Archiepiscopus, & noster Philippus de Ferrario Episcopus Pactensis; ab eo efflagitantes, vt quempiam è liberis Siciliæ Regem constitueret: qui eis cum titulo Proregis vnum nobilem illis transmisit. Quo tempore, cum Archiepiscopus Messanensis munus Capellani Maioris Regij, quod noster Philippus possidebat, extorsisset, & ipse Philippus de hoc conquęreretur, Rex in fauorem ipsius declarauit. Rochus Pirrhus *in Chronolog. Reg. Siciliæ sub hoc anno*, & in notitijs Ecclesiæ Pactensis *num. 22.* ex alijs.

Mathæus de Bononia.

3 In hunc annum iure referre possumus Magistrum Mathęum de Bononia ante proximè præcedens Generale Capitulum Pręsulem Generalem Ordinis, quem vt doctum valde, ac grauissimum nostrę Familiæ Patrem commendamus. Inter prima Ordinis Officia Lector Bibliorum Parisiensis Cœnobij pro quarto anno numeratur in Capitulo Generali Brugensi anno 1379. Deinde in Capitulo Generali Bambergensi anno 1385. Tholosanæ Prouinciæ Prouincialis instituitur, & in sequenti Capitulo Brixiensi anno 1387. eiusdem Prouinciç Tholosę Diffinitor, ac Prouincialis vocatur.

catur. Sed in Capitulo Francfordienſi anno 1393. Prouinciæ Bononiæ Diffinitor, & Prouincialis dicitur. Inſuper in Capitulo Generali Conuentus Siluarum anno 1399. eiuſdem Prouinciæ Bononiæ Prouincialis ordinatur. In Capitulo vero Bononienſi anno 1405. in Generalem Ordinis eſt electus. Poſt quæ in ſequenti Capitulo etiam Bononienſi anno 1411. poſt Officij renunciationẽ, & electionem Magiſtri Ioannis Groſſi, de ipſo Mathæo Bononienſi honorifice actum eſt, vt vidimus anno præcedenti: eum ab omnibus inferioribus Generali, eorumque iuriſdictone eximendo, cum Socio per eum eligendo. Scripſit hic noſtri Ordinis Pater librum, quem prænotauit *Quæstiones Theologiæ*, præter id, quod libris tribus emiſerat in Summulas Petri Hiſpani. De ipſo Poſſeuinus, & Biſcarretus pro hoc anno eum referens, etſi dicat ignorari eius obitum.

4 Laurentius etiam Vannez Sacræ Theologiæ Lector, qui fere 20. annis Prouinciam rexit Thuſciæ, Romanam etiam adminiſtrauit, & Vicarius Generalis per quatuor annos extitit, ſub hoc anno vitæ curſum conſumauit; prout habetur ex Archiuio Conuentus Florentiæ. Conſtat ex libro Ordinis ipſum fuiſſe Prouincialem Thuſciæ in Capitulis Generalibus Montispeſſulano anno 1369. Aquenſi 1372. Brugenſi 1379. Bambergenſi 1385. Brixienſi 1387. & Francfordienſi 1393. ac Socium Generalis in Capitulo Bononiæ anno 1405. Vnde inter graues Patres illius tempeſtatis eum nominamus. Laurentius Vannez

5 Magiſter Arnoldus de Vienna, qui in Capitulo Generali anno proximè præcedenti habito Prouincialis Germaniæ Superioris dicitur, abſdubie, ſi nomen, cognomen, & patriam aduertamus, is idem eſt, ac Arnoldus de Auſtria, de quo anno 1400. diximus. Vnde nedum inter Scriptores, ſed inter Patres Ordinis, vtpotè egregiæ illius Prouinciæ Præſulẽ referri neceſſe eſt. Quo tempore è vita deceſſerit, cum è libro Ordinis nihil habeatur, incompertum manet. Credit tamen Biſcarretus circa annum 1415. obijſſe. Arnoldus de Vienna.

6 Antonius de Fide, qui in Capitulo Generali anno proximè præcedenti habito, Lector Biblicus Florentiæ deſignatur, Epiſcopus Suanenſis in Hetruria ea tempeſtate creatur, ſub anno videlicet 1414. & Gregorio 12. iuxta Vghellum *in Italia Sacra to. 3.* dum agit de Epiſcopis Suanenſibus. Qui, & addit, eodem anno pro die 17. menſis Octobris poſſeſſionem inijſſe eius Epiſcopatus. Cum tamen eo anno 1414. Ioannes 23. Pontificatum geſſiſſet, Gregorio 12. depoſito, credi debet hunc Ioannem Papam approbaſſe electionem à Gregorio factam; idque feciſſe etiam Martinum 5. vtriuſque ſucceſſorem anno 1418. habet idem Vghellus. Vt propterea anno 1422. cum Benozzo Federico Epiſcopo Feſulano aſtiterit conſecrationi noſtræ Eccleſiæ Ciuitatis Florentiæ, vt ibidem dicemus ex Patre Lucio *in Compendio Historiali, cap.* 14. Imo, & anno 1430. conſecrauerit Eccleſiam Sancti Georgij montis Marani, teſte eodem Vghello, ex quadam inſcriptione ibidem in pariete reperta. Fuit hic noſter Antonius aliquorum Antonius de Fide.

librorum Scriptor, quibus sui nomen posteris commendauit, videlicet; Quæstionum Theologiæ *librum vnum*, de Fide Catholica *librum vnum*, ad plebem Concionum *librum vnum*. De eo Gesnerus, licet erret, dum anno 1370. claruisse scribit, eo etenim tempore, vel nondum natus, vel valde iuuenis erat, cum vsque ad annum 1433. superuixerit, & Lucæ sepultus fuerit, iuxta Archiuium Florentię, & Petrum Lucium *in Bibliothec. in Addit.* etsi Vghellus dicat anno 1434. decessisse. De eo agunt Authores relati.

Ann. Christ. 1413. Ioann. 23. Roman. Pontif. 4. Sigismundi Reg. Rom. 3. Manuel Imp. Orient. 27. Ioann. Grossi Generalat. 3.

Gesta huius anni. 1  Præsenti anno 1413. cum Hussitarum hæresis in Bohemia grassaretur, magna cum Catholicæ fidei iactura, Ioannes Pontifex Romæ in Basilica Sancti Petri Concilium celebrauit, quo illa hæresis damnata extitit, & Hussij libri atramento Satanæ conscripti, à ministris Iustitię ad schalas Basilicæ Vaticanæ igne combusti. Ladislaus autem iterum Romam occupat, multaque ibi execranda committit. Gordonus, Bzouius, Spondanus ex alijs. Adfuisse præfatæ Romanæ Synodo nostrum Generalem Grossi constat ex Capitulo Generali Balneolarum anno 1416. celebrato, vbi numerantur expensę factæ eo Concilio per Generalem.

Reformatio Conuentus Siluarum. 2. Fœlicem valde huius nostri Grossi Generalatum fuisse non solum comprobatur ex eo, quod ipse personaliter decem Conuentus Ordini in partibus Galliæ adquisierit, & eius tempore duabus Prouincijs; Turoniæ videlicet, quæ quando hæc scribimus florentissima est, & viris Illustribus abundans; & Bohemiæ, auctus fuerit; sed etiam, quia isto anno 1413. (quod vix, aut raro annis præteritis visum fuerat) cum Religionis rigor in aliquibus partibus ob bella, schismata, & fragilitatem humanam notabiliter declinasset, strictior Obseruantia, seu reformatio in Conuentu Siluarum, de quo sub anno 1343. dictum manet, cepit. Iacobo Alberto, Thusciæ Prouinciæ alumno, & Sacræ Theologiæ Lectore Institutore. Vir etenim istè apprimè doctus, ac Regularis Obseruantiæ amator, eam in multis locis collabentem, suo exemplo, & doctrina fœliciter instaurauit. In eaque Prioris munus exercuit vsque ad ann. 1419. Item in ea, magna sanctitate vitæ vixit Angelus Augustinus, vulgo *Beatus Angelinus* nuncupatus, de quo anno 1438. Ex hac etiam istius Conuentus reformatione, Obseruantiæ Illustrissimæ Congregationis, vocatæ *Mantuana*, Origo deducitur, vt dicemus circa annum 1440. Erat autem hoc tempore huius cœptæ reformationis in Siluarum Conuentu Thuscię Prouincialis Bartholomæus Ioannis. Ita enim colligi videtur ex Capitulo Generali præcedenti de

anno

anno 1411. In eo enim iste Bartholomæus vocatur Diffinitor, Prouincialis, & Magister. In Capitulo autem Prouinciali Senis hoc anno celebrato, vocatur Bartholomęus de Florentia. In quo Capitulo, & a ijs sequentibus eius Prouinciæ, approbantur omnes gratiæ concessę à præfato Prouinciali eidem Conuentui Reformato: ex quo elicitur tam hunc Prouincialem, quam Patres illius temporis gratam habuisse eam Reformationem. Eas quoque confirmauit P. Generalis, prout dicitur in Capitulo Prouinciali de an. 1414. Alia de præfato Iacobo Alberto damus sub annis 1419. & 1426. Ea autem, quæ diximus de huius Conuentus Siluarum reformatione: ex *Actis* Prouinciæ Thuscię, Relatione ab ipsa missa; & Biscarreto, dum de isto Iacobo Alberto loquitur, extraximus.

3 Illustris erat circa hoc tempus in Ordine Michael Hembrant de Duren, natione Theuthonicus, Sacrę Theologiæ Lector, & Prior Conuētus Crucinanensis in Diœcesi Moguntina. Vir doctus, & declamator adeo insignis, vt non solum in vicino, sed etiam ad remota loca, & Cathedrales Ecclesias euocatus, magna admiratione habitus, conciones habuerit. Hic apud Ioannem Comitem Spanhemensem magnæ familiaritatis, & authoritatis erat, & multa ab eo pro suo Conuentu bona obtinuit. Scripsit inter cœtera, elegantes Sermones de tempore *librum vnum*, de Sanctis *librum vnum*, Collationes Synodales *lib.* 1. De ipso agunt Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, & Biscarretus. Michael Hembrant.

4 Indicitur sub hoc anno Cōcilium Generale Constantiense à Papa Ioanne 23. causa sedandi schismatis, quod adhuc vigebat etiam post celebratam Pisanam Synodum, & extinguendi errores Ioannis Vviclephi, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga. Cum autem, iuxta decretum Capituli Generalis præcedentis de anno 1411. celebrati, ad Generale Concilium, si celebrandum esset, venire deberent duo Magistri, siue Doctores Ordinis nostri ex Anglia, duo ex Francia, duo ex Lingua Occitana, duo ex Alemania & alij duo ex Italia, credimus pro Concilij celebratione paratos fuisse hos Ordinis nostri Doctores. Quos autem venisse constat, sunt, Generalis Ioannes Grossi, vt liquet ex Capitulo Generali anno 1416. celebrato, vbi numerantur expensę factæ ab ipso in duobus Concilijs Generalibus, quorū vnū est istud Constantiense. Et ex Capitulo Generali Montispessulani anno 1420. vbi etiam numerantur expensę ab ipso factæ in hoc Concilio. Thomas Vvaldensis, vt dicemus anno 1415. Item Robertus Mascallus Episcopus Herefordiensis, ex nostro Ordine assumptus, & ab Angliæ Rege ad Concilium missus, vt eodem quoque anno dicimus.

Ann. Christi 1414. Ioann. 23. Roman. Pontif. 5. Sigismundi Reg. Roman. 4. Manuel. Imper. Orient 28. Ioannis Grossi Generalat 4

Concilium Constantiense.

1 Andem hoc anno 1414. Concilium Constantiæ celebrari ceptum est, & per sequentes annos continuatum. Synodo adfuerunt Ioannes Pontifex, Sigismundus Rex Romanorum, & plures ex aliis nationibus. Damnati sunt, & combusti Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga. Quamuis autem Ioannes Papa Synodum congregasset, nihilominus Constantia discessit, vt propterea Patres ipsum à Pontificali dignitate deposuerint, vt in sequentibus dicitur. De his communiter Scriptores, tam noui, quam veteres.

Stephanus Patrington.

2 Quo etiam anno Stephanum Patringtonum, quem aliqui Petrigonensem vocant, Henricus quintus Angliæ Rex, cum primum Regale solium conscendisset, Oxonium destinauit Commissarium contra Vviclephistas, & Lolhardos, vt de illorum, & aliorum erroribus inquireret, & iudicaret. Qua Legatione dum fungeretur à Rege destinatus est Episcopus Menenensis, idest ad Sanctum Dauidem in Vvallia. Charus erat hic Pater Henrico V. vtpotè ipsi, dum Princeps Vvalliæ esset, Reginæ, aliisque Primarijs Regni Viris, à secretis Confessionum. Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, Ioannes Piiseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus*, *Ætate 15. num. 766.* Erat etiam hic Patringtonus Regis Henrici 5. Confessarius, quod latuisse videtur Balæum, & Pitseum relatos. Sed hoc testatur Thomas Vvalsighamus *in Histor. Angl. sub hoc anno* dicens: *Confessor Regis Magister Stephanus Patrington de Ordine Carmelitarum, Vir eruditus in triuio, & quadriuio, factus est Episcopus Meneuenensis.* Iam iterū diximus hunc Vvalsighamum, parum pium se authorem ostendere in Mendicantes omnes, quod ex eius scriptis, plus æquo manifestè liquet, & idcirco, *in triuio, & quatriuio* eruditum nostrum Patringtonum describit, quem tamen Theologicis quoque rebus doctissimum fuisse anno 1417. demonstrabimus.

Philippus de Ferrario.

3 Hoc quoque anno noster Philippus de Ferrario Siculus, de quo nonnulla sub ann. 1396. 1399. 1402. & 1412. diximus, ex Ecclesia Pactensi, ad Agrigentinum Episcopatum euectus est, & multis honorum gradibus cohonestatus. Fuit etiam à Ferdinando Aragonum, & Siciliæ Rege Consiliarius Regius hoc eodem anno constitutus: ex scripto priuilegio in Villamorella hoc anno. An Ecclesiam Agrigentinam Philippus hic noster à Benedicto Decimotertio Antipapa, sed pro Papa legitimo habito à pluribus, cuius fuerat aliquando Cubicularius, tenuerit; an vero à legitimo Papa, incertum: in dubio tamen hoc posterius tenendum. Rochus

Pirrhus

Pirrhus *in notit. Eccles. Agrigent. num.* 36. & *Eccles. Panormitanæ num.* 22; Qui tamen in eisdem *notit. Eccles. Agrigent. num.* 35. §. *compositis tandem*, ait primitus habuisse hunc nostrum Philippum hanc Ecclesiam Agrigentinensem à Benedicto Decimo tertio Antipapa, litteris etiam datis pro eo; cæterum ob resistentiam illi factam habuisse in recompensationem à Rege prouentus Prioratus Sanctæ Mariæ de Sambucho Leocatæ.

4 Insuper eodem anno Vladislaus Lagello Poloniæ Rex, Monasterium nostri Ordinis Posnaniæ Fratribus nostris dedit, amplioribus donarijs Sacram Ædem constituens, & redditibus assignatis adaugens. Causa fuit, quod cum Regina Heduigis Vladislai Coniux in grauissimam infirmitatem incidisset, pius Rex votum pro illa ad Sacellum Corporis Christi, in quo Sacræ ipsius Hostiæ à Iudæis vulneratæ, vt diximus ann. 1399. seruabantur, fecit. Sed Deus aliter deposuit. Nam postquam Regina Bonifaciam filiam, quæ tertio post die, enixa esset, ipsa quoque non multo post extremum diem clausit. Vladislaus tamen Rex, promissionis ad Deum factæ memor, dum propter bella, quæ illi cum Crucigeris erant, voto satisfacere præsens non posset, fabricam Ecclesiæ Corporis Christi in Ciuitate Posnaniensis sumptibus Regia munificentia dignis, in loco Inuentionis Venerabilis Sacramenti, aggressus est, quę pluribus annis continuata pulcherrimo schemate ad exitum deducta, ipsi Regi, videndi operis desiderium ingessit. Quamobrem à bellis aliquantulum respirans præsenti anno 1414. Posnaniam venit, & in Sacro hoc loco, profusis lachrymis, Deo liberatori pro receptis beneficijs agens gratias, amplioribus donarijs Sacram Ædem augere constituit, & redditibus assignatis Monasterium illi adiecit, in quo Carmelitanos nostros collocauit: vt quemadmodum Filius in Venerabili Sacramento, ita, & Sanctissima Virgo eius Mater, vno eodemque loco, in hoc Ordine, cuius singularem protectionem gerit, honoraretur. Hæc ferè Bzouius anno 1399. Aliqua ex multis miraculis ibi patrata ad longum referens. Conuentus Posnaniæ.

5 Valdę pretiosum donum sub hoc anno nobilissimo nostrorum Ianuæ Conuentui concessum: Spina videlicet Dominicæ Coronæ, quæ nunc temporis in concauo parietis cuiusdam Capellæ reseruatur; & feria 6. infra Octauam Paschæ magna populi deuotione, & frequentia quotannis ostenditur. Tribus clauibus clauditur fenestella: vnam Prior Conuentus, aliam ex senioribus Patribus vnus, & aliam Capellæ patronus custodiunt. In exteriori parte fenestellæ hæc Inscriptio cernitur: *Propter munificam liberalitatem Clari Ciuis Petri de Persio, cuius alia multa fuerunt beneficia in hũc Conuentum, & memorabile in primis vnius Spinarum Dominicæ Coronæ donum in hoc Templo ab eo repositæ, Rev. Pater Dom. Fr. Hieronymus Prior, ac totus consentiens Conuentus Missam vnam perpetuo die quolibet celebrare pro animabus ipsius benefactoris sui, vxorisque, ac Præcessorum, descendentium, promiserunt; pro meritis ipsis spiritualia dona compensantes.* 1414. *die* 20. *Ianuarij*. Ianuensis.

Ann.

Ann. Christ. 1415. Sed. Roman. Vacat. Sigismundi Reg. Roman. 5. Manuel Imper. Orient. 29. Ioannis Grossi Generalat. 5.

Gesta hoc anno.

1 Continuatur anno sequenti Synodus Constātiensis, in qua Pontifex Gregorius 12. abdicat se Papatu, & Ioanni 23. ac Benedicto 13. Pontificatus abrogatur, ita vt propterea Sedes vacauerit. Æmilius. Genebrardus, Gordonus cum alijs.

2 Ad hanc Synodum hoc anno accessit Robertus Mascallus Episcopus Herefordensis, ex nostro Ordine assumptus, quem cum duobus alijs Episcopis ad id munus destinauit Henricus 5. Anglorum Rex. Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate 15. num. 766.* Idem habet Thomas Vvalsighamus in Historia Anglicana *anno* 1414. dum Sarisburiensem, Bathoniensem, & Herefordiensem Episcopos à Rege ad Concilium missos scribit.

Thomas Vvaldens.

3 Missus etiam est ab eodem Henrico V. ad hoc Constantiense Concilium noster Thomas Vvaldensis. Cum enim post reditum è Concilio Pisano electus fuisset Angliç Prouincialis post assumptionem Stephani Patringtoni ad Meneuensem Episcopatum anno præcedenti, Regique Henrico 5. intimus à Consilijs esset, & Confessarius ipsius, post prędictum vtique Patringtonum, ad Concilium, ad Hussitarum errores, contra quos iam multum laborauerat, destinatur ab ipso. Quod verbis Ioannis Pitsei de *Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 796.* sic describimus: *Porro reuersus in Angliam totius Ordinis sui in patria factus est Prouincialis vigesimus tertius, quod munus ad quadriennium prudenter, fideliter, soliciteque administrauit. Cumque, iam dedisset magnum specimen sui in grauibus negotijs tractandis consilij, in dirigendis prudentiæ, in expediendis dexteritatis, Rex Henricus quintus eum sibi adiunxit, vt esset in ijs, quæ Rempublicam concernebant, intimus à Concilijs, & in ijs, quæ ad moderamen suæ conscientiæ spectabant à Confessionum secretis. Et quoniam erat vir inuicti, & implacabilis spiritus in hereticos, anno 1415. ab eodem Rege missus est ad Concilium Constantiense, quod habitum est contra Hussitas. Aduersus quorum errores iam multum laborauerat. Nam quoscumque deprehendit à Catholicæ Fidei via deflectentes, hos, vel conuertendos, vel penitus euertendos, & nulla ratione ferendos iudicauit. In his refutandis strenuam semper operam nauauit, contra hos penè quotidie disputauit, conciones frequentes habuit, multos etiam libros scripsit. Alijs etiam doctis viris suasit, contra tales, nocte, dieque, docendum, disputandum, concionandum, declamandum, scribendum. Vt vel resipiscerent, vel nullam quietis horam haberent, & si minus ratione flecti, importunitate saltem cogi ad veritatem agnoscendam possent.* Hæc Pitseus de nostro Vvaldensi, eiusque ad Constantiæ Synodum

dum missione dicebat. Vnde inter opera eiusdem Vvaldensis ab eodem Pitseo relata refertur liber Orationum corá Sigismundo Cæsare, qui incipit *Domine sim tempore hoc &c.* & liber alter ad Concilium Constantiense: quę videntur ab eo in prædicto Concilio edita. Fuit quoque prædictus Vvaldensis in Synodo dicta Constantiensi, pro Anglię Rege Henrico quinto Nuncius, & Orator. Ioannes Balęus in *Cathalogo Scriptor. Brittanię Centur.* 13. agens de Conrado Tremonio ipsius Vvaldensis socio. Alia de ipso habet in Cathalogo prædicto, dum loquitur de eodem.

4 Damnatæ sunt in hoc Concilio sess. 8. sequentes propositiones impiæ memoriæ Ioannis Vviclephi contra Religiosos prolatæ, quæ propterea nostris Annalibus debentur. *Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto. Siquis ingreditur Religionem priuatam qualemcunque tam possessionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obseruantiam mandatorum Dei. Sancti instituentes Religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt. Religiosi viuentes in Religionibus priuatis non sunt de Religione Christiana. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem. Peccant fundantes Claustra, & ingredientes sunt viri diabolici. Omnes de Ordine Mendicantium sunt heretici, & dantes eis eleemosynas sunt excommunicati. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad seruandum diuina præcepta, & per consequens ad perueniendum ad Regna Cælorum, nisi apostatauerint ab eisdem. Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi penituerint de hoc, quod habuerint possessiones, & instituerunt, & intrauerunt Religiones: & sic, à Domino Papa vsque ad infimum Religiosum, omnes sunt heretici. Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo.*

Damnatio Vviclephi.

Damnauit ergo Concilium has propositiones, & authoris Vviclephi ossa, si ab alijs fidelium corporibus discerni possent, exhumari, & procul ab Ecclesia sepulturæ iactari fecit. Deinde sess. 10. & 12. depositus est Papa Ioannes 23. á Papatu propter crimina, & delicta illi obiecta, cui sententiæ acquieuit, & consensit. Renunciauit etiam Papatui Gregorius 12. sess. 14. Insuper sess. 15. inter articulos alios Ioannis Vviclephi hi proponuntur contra Religionem; & Religiosos omnes. *Omnes Religiosi moderni seipsos necessitant, vt hypochrisi maculentur. Ad hoc enim sonat sua professio, vt sic ieiunent, vt sic induant, & vt sic faciant, quidquid indifferenter ab alijs obseruatur. Omnis priuata Religio sapit vt sic imperfectionem, & peccatum, quo homo indisponitur ad Deo libere seruiendum. Religio, siue Regula priuata sapit præsumptionem blasphemam, & arrogantem supra Deum, & Religiosi talium Ordinum per hypochrisim defensionis suæ Religionis præsumunt se super Apostolos exaltare.* Qui etiam ibi damnantur. Hæc latissimè Bzouius, & Spondanus ex alijs.

5 Eodem etiam tempore, vel circiter, Stephanus Patringtonus ex Prouinciali Angliæ, & Episcopus Meneuensis, de quo anno præcedenti, cum iuxta Regiam commissionem contra Vviclephistas, & Lolhardos munere suo fungeretur, Cicestrensis Episcopus electus est. Sed prima sua Sede Meneuensis

Stephanus Patringtonus

neuensis

neuenensis Præsulatus contentus, secundam hanc noluit acceptare. Ioannes Pitsæus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 15. *num.* 766.

Conuentus Vichensis. 6 Vichensis Cœnobij erectio hoc anno facta ad ipsius enarrationem calamum cogit. Eo in loco Xenodochium instrui debebat ex legato cuiusdam Vichensis ciuis; sed animaduerso, quod Ciuitas congruum Hospitale haberet, voluntas testatoris, annuente Benedicto Decimotertio, qui tunc temporis pro legitimo Papa ea in Regione habebatur, prout ex Archiuio eiusdem Cœnobij apparet, cõmutata est: cum tamen iampridem in quadã domo titulo *nostræ Dominæ de Spe* cognominata, Ciuitati proxima, locũ Fratres tenuissent: etsi à quo tempore incertũ. Viris insignibus domus hæc claruit: his maximè nouissimis tẽporibus, quibus Collegiũ, seu vniuersitas in ea Ciuitate floret, cuius Lectores semper aliqui ex nostris extiterunt. Habet Fratres tertij etiam Ordinis, vt dicitur, qui Sacramentorum frequẽtia, & operum bonorum exercitio, tum sibi, tum nostris bonæ opinionis odorem pios inter ciues ascìscunt. Hæc ex Relatione Prouinciæ.

Ann Christi 1416. Sed. Rom. Vacat. Sigismundi Reg. Roman. 6. Manuel. Imp. Orient. 30. Ioannis Grossi Generalat. 6.

Continuatio Concil. Constantiæ. 1 Ontinuatur anno sequenti 1416. Synodus Constantiensis, & sessione 21. damnatur vt hęreticus, & inhæresim relapsus Hieronymus de Praga, & propterea traditus est potestati sæculari, & combustus. In processu autem, qui contra ipsum formatus fuit, inter capitula illi obiecta 23. & 24. erant de irreuerentia Sacris Reliquijs, & fratribus nostris Pragæ Monasterij habita, sacrilega eiusdem inuasione, Fratrum vulneratione, ac captione Fratris Nicolai Concionatoris eiusdem Monasterij, prout scripsimus anno 1410. Bzouius *sub hoc anno*.

Capitulum Generale. 2 Dum autem Ecclesiæ Patres Constantiensis Synodi prosecutioni attenderent, noster Generalis Ioannes Grossi Capitulum Generale hoc anno die Pentecostes in Conuentu Balneolarum Prouinciæ Narbonæ congregari fecit. In quo quidem primum numerantur Diffinitores 22. Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonę, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardię, Aquitaniæ, Hispanię, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Bohemiæ, & Aragoniæ. A quibus confirmatus fuit in Officium Generalis prædictus Magister Ioannes Grossi. & ab ipso cum alijs Diffinitoribus ordinati sunt Prouinciales dictarum Prouinciarum. Instituuntur etiam Procurator Generalis Ordinis, Socij Prioris Generalis, Prior Conuentus Parisiensis, Regens Auinionis, Lectores sententiarum, & Bibliorum Parisijs, Tholosæ, & Coloniæ. Relicti tamen

sunt

sunt ad dispositionem Generalis, Regens, Prior, & Baccalaureus Curiæ. Liber Ordinis *fol.* 28. *&* 29.

3 Diuisa fuit in hoc Capitulo Prouincia Hispaniæ in duas, quarum vna vocatur Castellæ, retinens locum Prouinciæ Hispaniæ, & altera Aragoniæ vltimum locum inter Prouincias retinens. Ex quo elici potest ideo sic prouisum, quia Conuentus Castellæ antiquiores erant Conuentibus Aragoniæ. Qui autem Conuentus, vel quæ Monasteria illis assignata fuerint, non constat ex Libro Ordinis. Prouinciæ Hispaniæ.

4 Colligitur etiam tam ex hoc Capitulo, quam ex præcedenti anno 1411. celebrato, litem ijs annis fuisse controuersam in Curia Romana inter nostros, & Patres Augustinianos pro loco in Scholis, & Processionibus habendo, & latam fuisse sententiam in nostrorum fauorem: expensasque factas per Conuentum Tholosanum in litis prosecutione fuisse 180. Francorum, seu Turonensium: & cum hoc ad totius Ordinis spectet vtilitatem, taxis communibus soluendas decerni. Lis cum Augustinianis.

5 Quoad decreta, seu statuta, quibusdam prætermissis, quæ pro bono regimine Studiorum ordinata sunt, primo decretum fuit, ne vllus Prior localis à refectorio abesse posset, nisi rationabili necessitate excusatus. Secundo, ne Prędicatores, aut alij sinistrè loqui, aut prædicare de quocunque Domino præsumerent sub pœna carceris transgressoribus infligenda. Tertiò, vt Studentes Doctores nostri Ordinis allegare in suis actibus tenerentur. Quartò, quod quilibet Conuentus, & Sacerdos Ordinis pro Fratribus, & benefactoribus, ac litteras Confraternitatis habentibus defunctis celebrare deberet tres Missas de Mortuis, & alias tres; scilicet primã de Sancto Spiritu; secundam de Beata Virgine; tertiam de Angelis pro fratribus, & familiaribus, ac benefactoribus, & Dominis Prælatis, ac Principibus; ac semel vnam Missam de Beata Virgine pro Domino Cardinali Protectore Ordinis, & aliam de Spiritu Sancto, ac aliam de Defunctis pro suis Progenitoribus. Quinto, quod quilibet Conuentus Ordinis diceret vnam Missam semel in anno de Sanctissima Trinitate pro salute, pace, & vnione omnium Dominorum Prælatorum, & Illustrissimorum Regum, & Principum: quæ cum alijs constant ex prædicto Libro Ordinis *fol.* 29. *&* 30. Statuta.

6 Præcipui Patres, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt, Magister Ioannes Grossi Generalis; Magister Bernardus Bacherius Procurator Ordinis; Magister Andreas de Luca exProcurator; Venerabilis Magister Thomas Vvaldensis Prouincialis Angliæ; Magister Albizus Atolinus de Florentia Prouincialis Thusciæ; Magister Carolus de Bononia Prouincialis Bononiæ, de quibus cum alijs suis locis dicimus. Patres celebriores.

7 Ex quibus Thomas Vvaldensis hoc tempore in Angliam patriam reuersus Socium habebat Conradum Tremmonium Germanum Ordinis nostri doctum Patrem, vt eius scripta testantur, quæ referimus ann. 1419. quo è vita migrauit. Habet hoc Balæus *in Cathalogo Scriptorum Britanniæ* Conradus Tremonius.

Centur. 15. hunc Tremmonium Vualdensis *Socium* appellans à Concilio Constantiensi, in quo fuerat Nuncius, & Orator, ad Angliam redeuntis.

Ann. Christi 1417. Sed. Roman. Vacat. Sigismundi Reg. Rom. 7. Manuel. Imper. Orient. 30. Ioann. Grossi General. 7.

Damnatio Petri Lunæ. 1 AD Synodum Constantiensem animum conuertentes referimus anno sequenti 1417. approbatam ab ea fuisse *sess.* 30. substractionem obedientiæ factam per Regem Aragonum Petro Lunæ Benedicto Decimotertio in sua obedientia nuncupato. Insuper *sess* 32. eum legitimè citatum, vocatum, expectatum, & non comparentem, declarauit contumacem, ac *sess.* 35. statuit, decreuit, & declarauit iuramenta, & promissiones facta à Regnis Castellæ, & Legionis de non recedendo ab obedientia ipsius, cassa, irrita, & nulla esse, nulliusque roboris, vel momenti. Præterea *sess.* 37. diffinitiua sententia contra ipsum lata, eum declarauit periurum, vniuersalis Ecclesiæ scandalizatorem, fautorem, & nutritorem schismatis, scismaticum, & hæreticum, &c. Vnde propterea *sess.* 41. in Papam electus est Cardinalis Odo de Columna, qui Martinus Quintus fuit nominatus; eo quod die Sancti Martini id acciderit. Æmilius, Gordonus, & alij communiter.

Gesta in Bohemia. 2 Quo etiam tempore, cum Bohemi, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga Discipuli, Calixtini, Thaboritæ, vel similibus vocati nominibus, igni traditos antesignanos nouissent; velut rabidi canes in Sancta, Sanctorumque Religiosorum Cœnobia exarserunt. Ex quibus quidam pseudo Sacerdos apud Pragam, Ioannes nomine, ex Ordine Præmonstratensium impius Apostata, cum prædicaret apud Sanctum Stephanum in Piscina, neque bene sapere videretur, suadentibus Hæreticis, vt suam potentiam ostentarent, Imperiale nostrum Carmelitanum Cœnobium inuasit. Forsan inuasionis causam dedit, quod Hieronymi Pragensis damnatio inter alia lata fuerit, propter irreuerentiam eidem nostrorum Ecclesiæ, fratri Nicolao Concionatori, & alijs Fratribus irrogatam; quam retulimus anno 1410. & 1416. Vtut fuerit, apud hanc nostram Ecclesiam, quam inuaserant, conuenientes Hæretici, mille scelerum patrare aggressi sunt. Æneas Siluius *in histor. Bohem, cap.* 36. *&* 37.

Stephanus Patrington. 3 Diem suum sanctè obiit sub hoc anno Londini in Anglia inter nostros sepultus, Stephanus Patringtonus quondam illius Prouinciæ Prouincialis, Episcopus Meneuenensis. Fuit patria Eboracensis, & in eadem Regione Ordinis nostris Professor, Doctor postea Oxoniensis, & Prouincialis per plures annos. Ipsius memoria habetur in Lib. Ordinis in Capitulis Generalibus Bononiensi an. 1405. & alio Bononiensi ann. 1413. vbi Angliæ

Prouinciæ Prouincialis nuncupatur. Vir erat omnibus præstantioribus animi dotibus, omnibus virtutibus præditus, & multiplici doctrinæ veritate instructus. In Oxoniensi Academia magnitudine, & multitudine laborum, felicitate Ingenij, soliditate iudicij, varietate doctrinæ, subtilitate argumentorum, acumine disputationum, elegantia publicarum Concionum celeberrimam sibi famam acquisiuit. Vocatus aliquando Londinum, vt ibi Concionaretur ad Populum, ita conciliauit Auditorum animos, & beneuolentiam, vt eum tanquam Oraculum quoddam sequerétur, fiebatque, vt scribit Lelandus, incredibilis ad eum audiendum concursus. In tantum igitur illic fama eius eruditionis breui tempore percrebuit, vt Principibus viris innotesceret, & ad Aulam Regiam vocatus in summo apud ipsum Regem esset pretio. Hinc factus est, & primogenito Regis Filio Principi Vvalliæ, alijsque primarijs Regni Viris à secretis Confessionum. Quam primum autem Henricus quintus Regale Solium conscendisset suum hunc Stephanum Oxonium destinauit Commissarium contra Vviclephistas, & Lolhardos, vt de illorum, & aliorum erroribus inquireret, & iudicaret, vt diximus anno 1414. Qua Legatione dum fungeretur Episcopatus Meneuenensis onus suscepit, quo contentus Cicestrensem oblatum recusauit. Eius tempestate porrectum est Parlamento statutum, ne quis permitteretur Ordinem ingredi Mendicantium ante 21. ætatis annum, quod sustinere non valens Stephanus, contra illud scripsit. Multa autem edidit, quibus sui memoriam posteris commendauit. Videlicet in D. Paulum ad Titum *librum vnum*, Sermones de Sãctis, *librum vnum*, Sermones 72. de tempore, super Magistrum Sententiarum *libros quatuor*, de Sacerdotali functione, *librum vnum*, Quæstiones Ordinarias, *librum vnum*, Determinationes, *lib.* 1. Collectaneorum, *lib.* 1. Repertorium argumentorum *lib.* 1. contra Statutum Parlamenti *lib.* 1. contra Vviclefistas, *lib.* 1. contra Lolhardos, *lib.* 1. Contra Nicolaum Herfordum, *librum vnum*, Lecturas notabiles supra Sacra Biblia, *librum vnum*, Epistolarum ad diuersos, *librum vnum*, super Eglogas, *librum vnum*, in Fabulas Æsopi, *librum vnum*, & alia quædam. De ipso agunt Lelandus à Pitseo relatus, Balæus, Pitseus, Bzouius *to.* 15. *Annal. sub anno* 1419. *num.* 30. referens Viros Illustres Ordinis nostri in Anglia, *ad tuendam Fidem Catholicam, & libertatem Ecclesiasticam*, (vt ipse loquitur) *natos*. Thomas Vvalsighamus *anno* 1414. relatus, licet tam frigidè, & insulæ de tanto Doctore, Episcopo, Regio Confessario, ac Commissario in causis fidei locutus sit, eum eruditũ *in triuio, & quatriuio* appellans, vt vix, vel suspicari possimus, quo Spiritu id dixerit. Quæ enim conuentio insignis Concionatoris, Doctoris celebris, grauissimi Præsulis, ac plurimum voluminum Theologicę, & Sacræ Scripturæ scientię Scriptoris cum *triuio*, & *quatriuio*. Trithemius, Einsengrineus, Plebe, Posseuinus, & multi alij.

4 Eodem quoque anno viuendi finem, & requiescendi initium habuit alter ex Ordine nostro, & eadem Angliæ Prouincia præclarus Pręsul Robertus Mascallus.

 assum-

assumptus, Robertus Mascallus, Fuit hic Ludlouiæ in Cambria natus, nostramque Religionem ab Adolescentia professus. Vbi ad magnam, tum virtutis, tum eruditionis perfectionem ascendit. Nullum vitæ suæ momẽtum bene collocatum iudicauit, quod pietati, vel litteris, non impédisset. Oxonij primum Philosophicis, deinde Theologicis Studijs ita vigilauit, vt ad summum in vtrisque gradum peruenerit, Regi Anglorum Henrico quarto mirè charus erat, & ab eius intimis secretis, in ijs, quæ ad Deum, & conscientiam spectant. Nec minorem gratiam, quasi iure hæreditario apud Hæredem Regis, & Regni, Regem Henricumlquintum habuit. Vtriusque enim Regis in eum singularem beneuolentiam ipsa facta satis ostendunt. Prior enim, prætterquamquod, vt dictum est, eum in confessionibus adhibuit; eius etiam opera non raro vsus est in grauibus Regni negotijs, & in legationibus apud externos Reges: eumque tandem ad Episcopatum Herefordensem euexit. Posterior, vt alia taceam, anno 1215. eum cum alijs duobus Episcopis, ex Anglia misit ad Concilium Constantiense. Cum autem hoc anno, nõdum finito Concilio, in patria sua diẽ vltimum obierit, intelligi datur, ante Synodi finem, ex ea, aliqua, quam ignoramus, causa, egressum. Scripsit Sermones coram Rege, *librum vnum*, Sermones vulgares, *librum vnum*, de suis Legationibus *librum vnum*. ad Herfordienses, & Salopienses, *librum vnum*. De quo memoriam faciunt Balæus, Lelandus, quem citat, & sequitur Pitseus, Arpsfeldius, Posseuinus, & Bzouius *to. 15. Annal. sub Anno* 1419. *num.* 30. eum referens inter Viros illustres Ordinis nostri in Anglia *ad tuendam Fidem Catholicam, & libertatem Ecclesiasticam natos*.

Thomas Cranleius.

5 Thomas quoque Cranleius, vel Czanleius, Anglus, Vir, vt cum Lelando loquar, qui non modo, ingenio, verum etiam calamo, vtpotè bonis instructus artibus, plurimum valuit, hoc anno obijt sub Henrico 5. Anglorum Rege. Virtutis, & eruditionis nomine ab Henrico 4. Dubliniensis Archiepiscopus in Hiberniа institutus Sedem hanc Archiepiscopalem annis 20. rexit. Constitutus etiam fuit ab eodem totius insulæ Prorex, sed Iberni reluctantes eum ferre noluerunt; vt propterea ipse Epistola elegantissima coram Rege conquæreretur. De ipso Pitseus: etsi tamen non vocet Carmelitam; ceterum Bzouius sub ann. 1419. num. 30. inter Carmelitas eum recensere videtur, quod etiam faciunt Biscarteus, & Romanus.

Ann.

Ann. Christi 1418. Martini 5. Roman. Pontif. 1. Sigismundi Reg. Roman. 8. Manuel Imper. Orient. 32. Ioannis Grosi Generalat. 8

1 Concilium Constanciense finem habuit hoc anno 22. die mensis Aprilis. Dicitur autem in hoc Concilio Canonem factum de Religiosis Mendicantibus non admittendis, vel recipiendis ad Monasticos Ordines (Charthusiano excepto) sub pœna excommunicationis ipso facto tam recipientibus, quam receptis, & facti irritationis: sed quicquid de eo sit, Papa Martinus Quintus hoc anno sub 3. Calend. Augusti in Constitutione, quæ incipit *Viam ambitiosæ* idem præcepit, & sub eisdem pœnis. Palæonydorus *lib. 3. cap. 13.* Bzouius *sub hoc anno num. 3. & 4* vbi Constitutionem ipsam affert. Habetur etiam in Mari Magno Ordinis nostri per Ioannem Mariam collecto pag. 14. Concilij Cõstant. gesta.

2 Culmense, vel Kullembachense Cœnobium in Germania sub hoc anno à nostris possessum, sed in terris Hereticorum situm, vbi nullum propemodum mansit Catholicus. Iampridem in bellicis tumultibus, proh dolor, cum alijs perijt, nec vlla spes recuperandi affulget, nisi Incolæ in tenebris, & in vmbra mortis sedentes, ab Oriente ex alto illuminentur. Bartholomæus Eiselim Prouincialis Germaniæ *in Relatione ad Theodorum Stratium Generalem*. Conuentus Culmensis.

3 Sub eodem anno ex hac peregrinatione ad patriam ascendit Thomas Peuerellus Anglus Ordinis nostri, & Oxonij, vbi Doctor erat, decus. Hunc, vti auctor est Lelandus, morum probitas, & eruditio singularis, ita commendatum magnatibus reddiderant, vt hoc intuitu magnas consecutus fuerit dignitates. Tres enim successu temporis habuit Episcopatus. Nam in primis, dum Angliæ Rex Richardus Secundus, secunda vice in Hybernium expeditionem faceret, eum illic anno Domini 1398. Ossariensi donauit Episcopatu, vt ibidem diximus; Anno sequenti ab eodem Rege Londauensem in Cambria accepit, confirmante Bonifacio Nono. Denium anno 1407. vt etiam ibi notauimus, ab Henrico quarto Angliæ Rege, annuente Gregorio Duodecimo, ad Episcopatum Vvigorniensem euectus est. Nec solum apud ceteros dignitatibus cohonestari meruit, sed, & apud nostros etiam: etenim in Capitulo Generali Francfordiensi an. 1393. creatus fuit Socius Generalis Magistri Ioannis de Raude, vt constat ex Libro Ordinis *fol. 20.* Scripsit Sermonum solemnium *librum vnum*, Ordinationum sui Cleri *librum vnum*, Questionum Theologiæ *librum vnum*. Sepultus tandem in sua Ecclesia Cathedrali Vingorniæ, in Domino requiescit. Ipsum commemorant Lelandus apud Pitseum, Balæus, Pitseus ipse, Harpsfeldius, & Posseuinus, ac Thomas Vvalsighamus in *Histor. Anglic.* Thomas Peuerellus.

sub

sub anno 1407. Bzouius *sub anno* 1419. *num.* 30. inter egregios Carmelitas eum censens.

Ioannes Vvanifletus. 4 Claruit eodem anno in eadem Anglia nostrorum Prouincia Ioannes Vvanifletus Doctor Cantabrigiensis, & in Cœnobio Lincolniensi Sacrarum Litterarum publicus Professor. Hic cum ab adolescentia ipsa semper esset in bonarum artium studijs diligenter enutritus, suam dignitatem in omni, quo fuit statu, optimè tuebatur. Nam in humaniori litteratura versatus sermonis elegantiam, in Philosophia subtiles argutias, in omni denique Theologia solidę veritatis, & sectabatur, & consequebatur fundamenta. *Sacrarum Scripturarum* Interpres Fidelis, Concionum declamator zelosus, Mysteriorum Fidei scrutator industrius. Has enim, aut similes laudes ei tribuit Lelandus in suo Scriptorum Catalogo. Cuius etiam veritatis locuples præbent testimonium monimenta litteraria, quæ posteris tradidit. Quorum titulos saltem istos inuenimus. Commentariorum in Sacram Scripturam, Determinationum Theologicarum, *lib.* 1. & alia non pauca. De ipso scribunt Lelandus citatus, Pitseus, Posseuinus, & Biscarretus, ac Bzouius *sub hoc anno* 1419. *num.* 30. inter eximios viros Ordinis nostri eum referens.

Albizus Azolinus. 5 In eumdem annum referimus Magistrum Albizum Azolinum de Florentia, vt ea tempestate in Ordine nostro venerandum Patrem, de quo post Capitulum Generale Balneolarum proximè præcedens anno 1416. habitum, nulla in posterum in libro Ordinis memoria reperitur. Fuit primum Diffinitor Prouinciæ Thusciæ, & Lector Sententiarum Florentiæ in Capitulo Brixiensi 1387. & in Placentino anno 1396. Diffinitor, & Prouincialis eiusdem Prouinciæ, ac in Capitulo Syluarum anno 1399. iterum Prouincialis institutus. Post in Capitulo Bononiensi anno 1405. Prouincialis etiam, & Diffinitor Prouinciæ eiusdem Thusciæ dicitur. Ac tandem in Capitulo Balneolarum anno 1416. etiam Prouincialis Thuscię nominatur. Qua autem vitæ sanctimonia à Deo præditus fuerit anno 1428. quo è vita cælum versus migrauit, dicemus.

Andreas Luca. 6 Pari etiam iure, & quod à posteriori Capitulo Generali Balneolarum nulla de ipso memoria in libro Ordinis reperiatur, in hoc tempus referimus inter Illustres Patres eius æui Magistrum Andream de Luca. Fuit primum in Capitulo Generali Placentino anno 1396. designatus Lector Sententiarum, & Bibliorum Papiæ. In Capitulo Generali Conuentus Syluarum anno 1399. *Socius Generalis* ordinatur. In Capitulo porrò Bononiensi anno 1405. Procurator Curiæ Romanæ dicitur, & Diffinitor, ac Prouincialis Franciæ. Deinde in Capitulo alio Bononiensi 1411. etiam Procurator Generalis Curiæ Romanæ vocatur: Quo titulo etiam insignitur in Capitulo Generali Balneolarum an. 1416. Ex quo colligitur, quod quamuis ob libertatem in Concionando coram Gregorio Duodecimo fuerit incarceratus, & à Concionatoris munere interdictus, iuxta dicta *sub anno* 1408. postea fuerit redintegratus. De ipso loquens Balæus in *suo Cathalogo*

logo, *Centuria 7. in Appendice* ad Thomam Coldij, inquit, quod in vincula ob veritatis enarrationem coniectus erat per Gregorium Duodecimum: est autem diuersus à Nicolao de Luca antiquiori, de quo anno 1397. diximus. Quamuis hic noster Andreas etiam Nicolaus vocetur in prædicto Capitulo Balneolarum.

Ann. Christ. 1419. Martini 5. Roman. Pontif 2. Sigismundi Reg. Roman. 9. Manuel Imper. Orient. 33. Ioannis Grossi Generalat. 9.

1 HOc anno Ioannes ille 23. Papa cognominatus ad pedes Martini Quinti procumbens Florentiæ, Cardinalis Episcopus Thusculanus, & Collegij Decanus creatus est. D. Antoninus, Platina, Honuphrius, Spondanus. Ita Deo prouidente pro suæ Ecclesiæ pace. *Ioann.23.olim Papa.*

2 Cum autem bellum, magnumque dissidium ijs annis esset inter Vladislaum Poloniæ Regem, & Cruciferos, seu Theuthonicos, vt propterea ad pacem conciliandam inter ipsos Martinus Papa Legatos illi miserit (Bzouius, & Spondanus) Henricus Quintus etiam Anglorum Rex Thomam Vvaldensem nostrum ad prædictum Vladislaum, & Michaelem in Prussia Magistrum Generalem Theuthonicorum hoc sub anno Oratorem destinauit. In qua Legatione Viennam transiuit, vbi multa ab Hebræis se didicisse testatur, quę ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionem auricularem confirmandam spectant; multa etiam verè Apostolici viri officia, & in illo itinere, & in alijs pro occasionibus oblatis piè semper præstitit. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num.796.* inter quæ id etiam iure numeratur, quod in hac Legatione Vitoldum Lithuanorum Ducem, illamque Regionem, & gentem in Christi fide instruxit. Balęus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ in ipso Thoma Vvaldensi*: Quod non sic accipiendum, quasi tunc primum hæc gens ad Deum fuerit conuersa, cum ab anno 1386. vel 1387. aut circiter, Christiana fuerit illa patria, sed quia tanti Doctoris Vvaldnesis Magisterio, & aliorum Catholicorum, tum suis tum aliorum Ordinum prædicationibus, firmata, & in fide melius roborata, & instructa fuerit. *Vvaldensis.*

3 Vigebat hoc tempore Obseruantia Conuentus Siluarum incepta per Iacobum Alberti, de quo sub anno 1413. dictum est. Ac propterea hoc anno in Capitulo Prouinciali eius Prouinciæ Thusciæ Prati celebrato, Frater Angelus Augustini, magnæ sanctitatis vir, de quo eo anno 1413. dictum, & in sequentibus dicetur, Prior instituitur. Hic fuit primus filius eius Obseruantiæ: & cum videret mundum in dies ad deteriora labi; pristinamque PP. disciplinam negligi, Propheticæ vitę amore accensus, ad eum Conuentum accessit; & ibi cum aliquot socijs eiusdem Propositi Mo- *Obseruātia Siluarum.*

nastici

nastici Instituti Obseruantiam restituere conatus est. Fuit autem Prior vsque ad ann. 1430. Acta eius Prouinciæ.

Conuentus Pragæ historia.

4. Sub hoc eodem anno refert Bzouius *num.* 9. historiam de Ecclesia nostra Pragensis Ciuitatis ab Hussitis, & Ioanne Præmonstratensi apostata prophanata, de qua egimus anno 1417. Sed melius nos eo anno accidisse diximus, cum Aeneas Siluius, qui illam scripsit, ante mortem Vvenceslai Regis euenisse commemorat, quę anno præmisso 1417. contigit. Melius tamen huic anno applicatur historia Ioannis ZisKę Hussitę, qui, occasione accepta, quod in Constantię Synodo puniti fuissent Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga Hæresiarchę in Ecclesiasticos exardescens; collecto ex populi fæce exercitu, omnia fere Templa Catholicorum in Bohemia diripuit, spoliauit, deuastauit. Plurima Monasteria deleuit. Sacerdotes, quos habere potuit, & Religiosos, crudelissime mactauit, seu combussit. Quod damnum præ cæteris nostrum Pragense celebre Cœnobium persensit. Hoc etenim anno à plebe Pragensi inuasum, & spoliatum fuit: adeo, vt tota nostrorum Ecclesiastica, & Monasterij supellex, libri, & priuilegia, ob tam inopinatam irruptionem ab Hussitis ablata fuerint. Qui enim, nec muris ipsis pepercerunt, quomodo aliis, etiam Religiosorum personis, parcerent? Columnas quoque lapideas excellenter elaboratas, quæ erant in Ecclesia nostra deposuerunt, & ad mœnia Carolstemensia deportarunt. Sic fermè habuimus ex diligenti Relatione Prouincię Bohemię ad nos transmissa.

Conradus Tremonius.

5. Obijt sub hoc anno Londini in Anglia, Conradus Tremmonius Germanus, Ordinis nostri alumnus, ac socius Thomæ Vvaldensis è Concilio Constantiensi reuertentis. Suæ doctrinę testes reliquit volumina conscripta, videlicet, super Sententias *libros quatuor*, Cathalogum sui Ordinis, *librum vnum*. De ipso loquuntur Balęus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ, Centuria* 13. Gesnerus *in Bibliotheca littera C.*

Carolus de Bononia.

6. Carolum de Bononia nostri Ordinis, hac ętate celebrem in hunc annum referimus, quod post Capitulum Generale Balneolarum proximè pręcedens, nulla de ipso in Libro Ordinis memoria reperiatur. Ordinatus est Lector Sententiarum Bononiensis Conuentus pro primo anno in Capitulo Generali Brixiensi anno 1387. celebrato. Deinde in Capitulo Generali Placentino anno 1396. & in Bononiensi anno 1405. Prouincialis Bononiæ designatur. In Capitulo Siluarum anno 1399. Diffinitor eiusdem Prouinciæ dicitur. In Capitulo vero Bononiensi anno 1411. Diffinitor, & Prouincialis erat eiusdem Prouincię. Ac tandem in Capitulo Balneolarum anno 1416. solum Prouincialis Bononiæ scribitur. Post quæ, vt diximus, nulla de ipso memoria in Libro Ordinis inuenitur.

Ann.

Ann. Christi 1420. Martini 5. Roman. Pontif. 3. Sigismundi Reg. Roman. 10. Manuel. Imp. Orient. 34 Ioannis Grossi Generalat. 10.

1 HÆresum sentina hoc tempore Bohemia fuit Vigebant etenim in ipsa non solum Hussitæ Vviclephistarum proles, sed, & Thaboritæ, Adamitæ, & Orebitæ; magno cum dispendio Ecclesiæ Catholicæ, nostræque Religionis in eo Regno tunc florescentis. *Spon*danus ex alijs. Hæreses Bohemiæ.

2 Iacturam porro hanc Religionis nostræ compensabat vbertim ob plurium virorum *S*anctam, & virtuosam conuesationem qua illustrabatur. Primo etenim hoc tempore Beatus *S*tanislaus Bidigostia, Posnaniensis Diœcesis Carmelita, deuotissimus, ac eximiæ Sanctitatis, Ordinis sui in Regno Poloniæ decus, omni genere virtutum, & miraculorum gloria conspicuus dicitur. Is ad prędicandū Verbū Diuinum in Prussiam missus vberem fructum in Vinea Domini, cum mercede apud Deum multa, ibidem retulit, Multos etenim ad agnitionem veri luminis, idest Christi Iesu, pijs exemplis, & doctrina sana, vita immaculata, omnisque prorsus reprehensione vacua pertraxit: ita vt passim gens illa, non sine Spiritus Sancti in eam inspiratione ad eum concurreret; vanisq; Idolis abiectis, soli Deo adhæreret. Quo Sacerdotes Idolorum, comperto, multos ab insano eorum cultu auelli conspicientes, stimulis, & furore Sathanæ agitati, subornato vno, ex Idolatris, Virum Dei clam, cum in aperto propter nouos Christianos non possent, è vita tolli proponunt; qui opus conceptum perfici iurans, solum in oratione præsentem gladio transfixit, sanguinemque ipsius innocentem effudit. Itaque Vir cælestis martyrio coronatus est. Sed nec occisor impius pœnas Diuinas euasit: illico etenim disparuit; ignoraturque an à Dæmonibus raptus, an vero terræ hiatu absorptus fuerit: cum eiusdem nulla notitia extiterit. Sacrificuli vero Idolorum oculorum cæcitate, à Deo puniti sunt, misereque finierunt. Beati Viri Corpus Christiani repertum, maximo cum honore, & deuotione Bidgostij in Cuiauia in Monasterio sui Ordinis sepelierunt hoc ann. 1420. die secunda Maij. Hæc omnia habet Biscarretus noster *in Palmitibus Vin. Carmeli*, ea desumens ex Catalogo SS. Regni Poloniæ Patronorum Romæ approbato, & conscripto per Varseuicium Cracouiensem Canonicum an. 1602. & ex Martino Baronio Clerico Iaroslavizch, in libello de vita, & Miraculis Beati *S*tanislai Poloniæ. De eo etiam noster Philippus Metius Strabingensis *in Tract. de Illustrib. SS. Ordinis nostri cap.* 8. sic scribit: *Sanctus Stanislaus Polonus, Vir Religioni, & animarum zelo comprimis clarus, virtutum, & Sanctitatis laude inter præcipua Polonici Regni Luminaria conspicuus habetur. Qui pro Fide, nomine, & gloria Chri-* B. Stanislau

sti, ab immanissimis, & inhumanissimis Scythis Christi inimicis, crudelissimè interfectus est.

David Chirburius. 3 Dauid Chirburius Anglus Ordinem nostrum, & Patriam illustrabat. Titulo enim sanctitatis, & eruditionis ad Episcopatum Dormorensem in Hybernia promotus fuit. Vir, vt Lelandi verbis vtamur, in Theologiæ cognitione clarus. Sed quæ scripserit ignorantur. Vixit vsque ad annum 1446. quo tempore in Episcopatu successorem habuit alterum ex Ordine Venerandum Patrem Thomam Scroppum, vt eo anno dicemus. Ad ipsum Nicolaus Kentonus eiusdem Prouinciæ egregius Pater librum à se cōpositum direxit, vt in eodem Kentone dicemus. In Conuentu nostro Ludloæ sepulturam accepit. De ipso Lelandus à Pitseo relatus, & Pitseus ipse *de Illustribus Angliæ Scriptoribus in Appendic Centur. 1. num. 52.*

Ioann. Leicestre. 4 Quo etiam tempore Ioan. Leicestre Smyrnensis Archiepisc. ex Ordine nostro assumptus humanæ naturę debitum soluit. Ipsum commemorat Ioānes Balæus eiusdem nationis author, & diligens antiquitatis perscrutator, vtinam sanæ, & Catholicæ Fidei assecla, *in Catal. Scriptor. Britt. in Roberto Rosse.*

Henricus Tonlins. 5 Obijt, & alius nostri Ordinis Episcopus Henricus de Tonlins Antistes Rossensis, & Suffraganeus Cameracensis, & Leodiensis, qui in Traiecto inferiori cursum viuendi fecit. Sic ex Relatione Prouinciæ Belgicę, dum agitur de Conuentu Mechliniensi, cuius alumnus dicitur.

Ioannes Tacesphale. 6 Refertur in eumdem annum obitus Ioannis Tacesphali Angli, qui pro clarissimo Doctore Thoma VValdensi Romam ad Martinum quintum Papam missus fuit, libros ab eo editos ipsi deferens, vt à Sede Apostolica approbarentur. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 783.* Verumtamen intempestiue satis sub hoc anno huius Doctoris mors describitur, cum constet ex Bulla Martini 5. data anno decimo sui Pontificatus eo tempore ab ipso VValdensi volumina accepisse, ac perinde vsque ad alios annos superstitem extitisse.

Robertus Rosse. 7 Potioris iure Robertus Rosse eiusdem nostri Ordinis, & Anglicanę nationis, sub hoc anno describitur. Alumnus fuit Norvvicensis Cœnobij, & Oxoniensis Academiæ Doctor Theologus. Vir bonarum artium amantissimus, & qui, teste Lelando, partim propter ingenij felicitatem, partim propter laborem, & industriam, intimos tum Philosophiæ, tum Theologiæ penetrauit recessus, & in vtraque facultate doctissime scripsit. Conuentus autem sui Prior electus, à sęculari strepitu penitus remotus, ardentius quam vnquam prius studia repetijt, & quasi in portum desiderij sui nauigans, noctes, & dies Sacrarum Scripturarum lectioni, & meditationi iugiter inuigilauit, & extra communes orationes, atque Festis, ac Dominicis diebus ad populū Conciones, omne suum tempus Diuinis eloquijs exponendis diligentissimè impēdit, adeo vt in ijs deinceps studijs omnino consenuerit. Edidit Commentarios in Genesim *librum vnum*, in Exodum *librum vnum*, in Leuiticum *librum vnum*, in Ecclesiasticum *librum vnum*, in D. Paulum ad Titum *librum vnum*, Sermones per annum *librum vnum*,

Lectu

Lecturas Theologiæ, *lib.* 1. De naturis animalium, *librum vnũ.* Ipsum cum laude referunt Balæus, Sixtus Senensis, Posseuinus, Pitseus, referens Lelandum, Petrus Lucius, Biscarretus, & alij. Inter quos Harpsfeldius hæc de ipso, & alijs Carmelitis Anglis scribit. *Sed cæteros omnes in hac litterariæ Palestræ scriptionis laude, Carmelitæ, vt, & in alijs fere sæculis, superant. Ex quibus fuerunt, apud Norouicum Robertus Roseus, Ioannes Torpeus, Henricus VviKinghamus,* Ioannes Keningalus.

8 Adamus Hemlingtonus eiusdem nostri Ordinis, & eiusdem Anglorum nationis, in eumdem quoque annum, vel circa, clarus commendatur. Patria fuit Norfolcensis, & Oxonij primum, deinde Lutetiæ, scientias, tum Philosophicas, tum Theologicas affatim hausit, vsque ad supremam Lauream, quam consecutus est. Vir erat ingenio ad bonas artes aptissimo, ex quo hi fructus prodierunt. Concionum, *liber vnus*, Quæstionum ordinariarum, *liber vnus*, De actu Parisiensi, *liber vnus*. De ipso scripserunt Lelandus apud Pitseum, Gesnerus, referens Balæum, iPtseus ipse, Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus. Adamus Hẽlingtonus.

9 Qualis, quanta quamque præclara nostri Cœnobij Londinensis Bibliotheca sub hoc anno esset, ex Francisco Suuertio, in libro, cui titulus, *Athenæ Belgicæ*, sic damus. *Bibliotheca Carmelitarum Londinensium* (tota iam, proh dolor, perijt) *multitudine, et antiquitate superauit omnes quotquot erant Lõdini, vt in ea erant nobilium Auctorum volumina, maiusculis Romanis scripta, vt illa ætas, 10. ad minimum aureorum milibus æstimauerit, anno nimirum Christianæ salutis* 1420. Et sane Bibliotheca, quæ illo tempore 10. millia aureorum ęstimabatur, abs re non erit dicere hac nostra tẽpestate multo pluribus millibus aureis appretiandam. Hæc porrò Londinensis Bibliotheca nostra, libris Vvaldensis nostri industria adquisitis, duobus aureorum millibus pretio dignis, aucta videtur, vt colligitur ex Pitsæo *de illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 15. *num* 796. Bibliotheca Londinensis.

10 Habita est sub hoc anno noua Synodus Generalis Ordinis in Conuentu Montispessulani, Prouincię Narbonæ, in Festo Pentecostes, procurante solicito Pastore Ioanne Grossi Generali Priore. Vbi primum numerantur Diffinitores Prouinciarum Narbonæ, Alemaniæ Inferioris, Aquitaniæ, Prouincię, Thusciæ, Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, & Bohemiæ. A quibus deinde, cum Generali instituuntur Prouinciales Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Prouinciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Castellæ, Hiberniæ, Scotiæ, Thusciæ, Coloniæ Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconię, Turoniæ, Bohemiæ, & Aragoniæ. Instituuntur etiam in eodem Capitulo Procurator Generalis, Magister Regens in Curia, & Auenione, Socij Prioris Generalis, & Prior Conuentus Parisiensis. Remittitur tamen dispositioni Prouincialis Romæ Baccalaureus, & Prior Curiæ Romanæ. Insuper ordinantur Lectores Sententiarum, & Bibliorum Parisijs, Tholosæ, Generale Capitulum

Coloniæ, & Viennæ, ac prouidetur de Studijs Florentiæ, & Auinionis. Liber Ordinis *fol.* 31.

Decreta. 11 Præcipua decreta in hoc Capitulo hæc sunt: Primum, confirmare Constitutiones factas circa indumenta tam exteriora, quam interiora fratrum. Secundum præcipere in virtute Sanctæ Obedientię Prouincialibus, quod in visitationibus Conuentuum habeant examinare Fratres de Missis celebrandis, & Confessionibus audiendis. Tertium, quod deinceps fieret in Ordine festum totum duplex de festis Præsentationis, & Visitationis Beatę Marię, ac de festo Niuium. Quartum, quod in omnibus Conuentibus depingeretur Imago Beati Alberti cum radijs. Quintum, quod Capitula Prouincialia deinceps de biennio in biennium celebrarentur. Sextum, quod quilibet Sacerdos diceret tres Missas de Spiritu Sancto, tres de Beata Virgine, & quinque de Mortuis pro statu, & conseruatione Ordinis, & benefactorum.

Ordinatio. 12 Ordinatum insuper est, quod Frater Iacobus Mogonde, qui effectus fuerat Magister contra voluntatem Reuerendissimi Generalis, & non sub Magist. Natali Guarrigas, sub quo debebat talem gradum Magisterij assumere secundum morem studij Barchinonensis, priuatus maneret omnibus gratijs, & libertatibus, quibus Magistri in Theologia gaudere soliti erant, donec ad obedientiam rediret, & tali Magistro satisfactum esset.

PP. clariores 13 Insigniores Patres, qui in hoc Capitulo nominati sunt, Reuerendiss. Magister Ioannes Grossi Generalis, Nagister Bernardus, seu Bertrandus Vvaquerius Procurator Generalis, Magister Nicolaus de Rizzo Prouincialis Siciliæ, Venerabilis Magister Thomas Vvaldensis Prouincialis Angliæ, Magister Ioannes Martini Prouincialis Castellæ, Ioannes Falli Lector Bibliorum Tholosę pro quarto anno, de quibus cum alijs, suis locis dicimus.

Ann Christi 1421. Martin. 5. Roman. Pontif. 4. Sigismundi Reg Roman. 11 Ioann. Imper. Orient. 1. Ioannis Grossi Generalat. 11.

Status huius anni. 1 Oc anno, iuxta Gordonum, mortuus est Manuel Imperator Orientis, & eius filius dictus Ioannes 7. post ipsum Imperat. Heresis etiam Hussitarum adeo in Bohæmia vigebat, vt Conradus Archiepiscopus Pragensis ijs adhæreret, & Conciliabulum contra Ecclesiam celebraret. Coclhæus, Spondanus.

Philippus de Ferrario. 2 Eodem etiam anno noster Philippus de Ferrario Episcopus Agrigentinus, ad nobiliorem Ecclesiam translatus est. Sic enim habet Rochus Pirrus diligens inuestigator Ecclesiarum Sicilię *in notit. Eccles. Pactens. num.* 22. Idque

que supponit in *not. Eccles. Agrigent. num.* 36. Quæ tamen sit hæc nobilior Ecclesia, ad quam translatus dicitur, in ipso non videmus. Ac ideo credibile est fuisse Ecclesiam *Pacensem* in Hispania, vulgo *Vadaloz*. Siquidem Gesnerus in Bibliotheca, Antonius Posseuinus in *Apparat. Sacro*, Trithemius *in lib. de Scriptoribus Ecclesiast. Ordin. Carmelitan.* Coria *lib.* 1. *cap.* 10. & alij, eum vocant Episcopum Pacensem: quod non solum per errorem, & propter similitudinem cum *Pactensi*, sed etiam, quia verè habuit vtramque Ecclesiam, dici potest.

3 An autem fuerit Cardinalis, prout Coria, Biscarretus, Romanus, & alij eum vocant, res non satis comperta. Forsan ex eo, quod à Benedicto Antipapa ipsius amico eum titulum acceperit, & propterea in Ordine pro tali habitus non fuerit. Id certius, non multo post tempore obijsse. An Cardinalis.

4 Confirmauit hoc anno 1421. Papa Martinus Quintus sub Bulla data anno quarto sui Pontificatus 11. Idus Aprilis concessionem Gauij Cõuentus à Reuerendissimo Pileo Genuensi Archiepiscopo Ordini nostro factam, Occasione scilicet cuiusdam Ecclesiæ extra Burgum prope superiorem molectinam, siue pristinum, sub inuocatione Sancti Eusebij existentis, & ab eodem Reuerendissimo Pileo Religioni donatæ, vt ex eadem constat Bulla. Fuit autem Conuentus postmodum intra Burgum Gauij translatus, vt dicemus circa an. 1465. & 1530. Conseruatur in hoc Conuẽtu priuilegiũ Clementis sexti ratione cuius Ordo noster immunis est à quacunque iurisdictione, tum sæcularium, tum Episcoporum, & immediate pro quauis causa, siue delicto, Religiosi Carmelitæ Sedi Apostolicæ sunt subiecti. Dat. Aueuione 14 Kalend. August. Pontificatus sui anno 6. quod nos retulimus anno 1347. Conuentus Gauij.

5 Circa idem tempus clarus valde in Religione, & clarissima Anglorum Prouincia, Doctor Alanus de Linna diem clausit extremum. Patria fuit Norfolcensis, ex Oppido Linna oriundus, vbi primum Monachus, deinde ad annos multos Prior optimè suis præfuit. In Academia Cantabrigiensi Doctoralem gradum, (teste Lelando) suscepit, & cum honore sustinuit. Erat enim Philosophus, & Theologus insignis, & subtiliter disputando, dilucidè docendo, erudite concionando, sibi magnam conciliauit laudẽ, & multis parem attulit vtilitatem. Vir mire industrius, & nullis laboribus fatigabilis, Sacras Scripturas indefessa diligentia peruoluit, & in diuinis eloquijs multa difficilia explicando reddidit faciliora. In quo pio conatu optimam viam secutus, & alia cum alijs Sacræ Scripturæ loca conferens, & ad antiquos Ecclesiæ Patres, Sãctosque recurrens Doctores, nihil temerè, solumque suo ingenio nixus, interpretatus est. Sacras etiam traditiones, & perpetuam doctrinæ successionem examinare non omittens, à primis Ecclesiæ primitiuæ Doctoribus exordium laboris sumens, nunquã interrupta serie per ordinem vsque ad suum tempus deuenit. Selectissimos quosque cuiusque ætatis perlegit, quid quisque suo tempore crediderit, docuerit, tenuerit, scripserit, accuratè notauit, & omnia, vel ad documenta Alanus de Linna.

fidei,

fidei, vel ad mores recte formandos, omnemque vitam bene instituendam, piè, prudenter, & eruditè retulit. Quod autem præfatos Doctores non perfunctoriè percurrerit, vel cursim legerit, sed cum attentione perlegerit, argumento est, quod indices (Tabulas ille vocat) in plerosque sedulitate incredibili composuerit, ex quibus omnes materiæ notæ melioris apud quemque Doctorem ad communes locos referuntur. Scripsit autem Elucidarium Sacræ Scripturæ *lib.* 1. Moralia Bibliorum *lib.* 2. de vario Scripturę sensu *librum vnum*, Sermones notabiles *lib* 1. Prælectiones Theologiæ *librum vnum*, Elucidationes Aristotelis *librum vnum*. Insuper in omnes sequentes Authores Indices composuit. In Reductorium Bibliorum, in Antiquitates Iosephi; in Sanctum Hieronymum super Iosue; in Quęstiones Sancti Augustini; in Homilias Sancti Basilij; in Moralia Sancti Gregorij; in eumdem super Ezechielem; in Homilias eiusdem; in Richardū super Threnos, ; in eumdem super somnum Nabuchodonosor, & super Psalmos; in eumdem de duodecim Prophetis; in Sanctum Bernardum super Cantica; in eumdem super *Missus est*; in tria oscula eiusdem; in Threnos Lotherij; in Gorrham super Diu. Mathæum; in eumdem super Lucam; in Costasini super Apocalypsim; in Dialogum Sancti Augustini; in Cantica Necchami; in Miracula Sanctæ Mariæ; in Mariale maius; in Mariale minus; in stimulum amoris; in Reuelationes Sanctæ Brigittę; in Prophetias eiusdem; in Homilias Alcuini; in Petrum de Aurora; in Gerardum Laodicensem; in Officiarium Ioannis Beleth; in Hugonem de Sancto Victore; in Compendium Theologiæ; in Opus de Scriptorib. Britann; in Petrum Blesensem; in Sermones Gilberti; in Sermones Parisiensis; in Distinctiones eiusdem; in Sanctum Thomam de Aquino de perfectione; in Sententias eiusdem; in Sententias Scoti; in Sententias Bachonthorpij; in Ægidium de regimine Principis; in Sermones Losani; in Quadragesimale Voraginis; in Sermones proprios, in conflictu vitiorum; in proprietates Bartholomæi, in Historiam Lombardicam, in Chronicon Rogerij Houodeni, in gesta Carmelitarum Philippi Ribboti; in Origenem; in Hilarium, in Eusebium, D. Ambrosium, in Rabbanum Maurum, in Sanctum Ioannem Chrysostomum; in Cyrillum; in Ioannem Cassianum; in Sanctum Ioannem Damascenum; in Sanctum Remigium; in Venerabilem Bedam; in Haimonem; in Gassiodorum; in Sanctum Anselmum; in Berchorium, & alios. Quę omnia sicut, & multa alia eius scripta, diligenter seruata fuerunt in Anglicanis Bibliothecis, insigni præsertim illa nostrorum apud Norvvicum. Ex quibus non incongruè elicitur inter magnos Ecclesiæ Scriptores nostrū Linnam computandum, Vnde de ipso honorificè loquuntur Lelandus apud Pitseum, Balæus, Pitseus ipse, Einsengrineus, Trithemius, Gesnerus, Petrus Lucius, Posseuinus, qui Alanum nostrum totum Christo addictum vocat, Bzouius *sub anno* 1422. vbi loquens de Illustribus Carmelitanis, qui ad errores Vviclephistarum extirpandos plurimū in Anglia contulerunt, *ex his* (inquit) *primas tulit Alanus de Linna*, *&c.*

Quem

Quem valde commendat, verbis superius à nobis relatis.

6 Præ cœteris autem eius insignis nationis Theologus vnus noster Thomas Vbaldenus, vt Sydus Ecclesiæ lucebat. Is enim non solum verbis, sed factis hæreticis aduersabat: vt patuit in Guilielmo Vvhite, hæretico Vvhiclephista, quem examinauit. Sorores etiam, seu Moniales Ordinis hoc anno habitu Religionis induit. Præsertim Nordovvitæ Dominam Emmam Milonis Stapiltoni Equitis aurati filiam; Northamptoni Aleciam VanKleyne, Illustris etiam generis fœminam, Gyppesuici Margaritam Auteem, & Ligne Ioannæ Kadfeldæ, Agnetem Gransether Cantabrichę, atque alias alibi: præfatæ autem Dominæ Emmam inclusæ sorori quinque viros castos, & honestos pro tutoribus, & commonitoribus dedit, ac inter eos Ioannem Torpè. Hæc omnia ex Balæo in *suo Cathalogo Centuria septima*. Thom. Vvaldens.

7 Ex testamento D. Vitalis Valguarnera Baronis Terræ de *Asaro* Diœcesis Catanensis extet memoria Conuentus eiusdem Terrę sub titulo *Sanctæ* Petronillę, ab ipsa per 80. passus distantis. Hoc scripserunt PP. nostri in Relatione Conuentuum Italię, iuxta Innocent. X. præceptum. Conuentus Asarensis.

Ann. Christ. 1422. Martini 5. Roman. Pontif 5. Sigismundi Reg. Roman 12. Ioann. Imper. Orient. 2. Ioannis Grossi Generalat. 12.

1 MArtinus Papa hoc tempore Sacram Militiam in Germania vrget contra Hussitas, & eorum Ducem, etsi cæcum, ZisKam; qui adeo in Ecclesiasticas personas insaniebat, vt aut viuas cremaret, aut exectis testiculis, aut alijs supplicijs, interimeret, vel torqueret. Gordonus, Bzouius ex alijs. Gesta hoc anno.

2 Obijt eo anno Henricus Angliæ Rex, nec sine nostri Ordinis dispendio, cuius plures Alumnos sibi charos habuit, vt de Roberto Mascallo, & Stephano Patringtono, qui ipsi à Confessionum secretis fuerat, in superioribus diximus. Inter eos autem Clarissimus Doctor Thomas Vvaldensis primas tenet, in cuius sinu animam efflauit, cui viuens semper animæ statum commiserat. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate 15. num. 796.* Eius successor fuit in Regni moderamine eius filius Henricus Sextus, cui adhuc penè puero à Confessionibus fuit idem Vvaldensis, & pro cuius postea coronatione solemni Parisijs peragenda missus in Galliam. Pitseus ibidem. Regis Angliæ obitus.

3 Hoc etiam anno, in Octauą Paschæ, die decimanona Aprilis, ab Aymerico Corsino primo Archiepiscopo Ecclesia nobilissimi nostri Florentiæ Ciuitatis Monasterij solemniter consecrata est, assistentibus Antonio de Fide ex nostro Ordine Episcopo Saunensi, & Bonoso Frederiguo Florentinus Conuentus.

Epi-

Episcopo Fesulano. Petrus Lucius *in Compend. Historial. Carmelitarum, cap. 14.*

Anglicana Synodus. 4 Prouisum est hoc anno in Synodo Anglicanæ Ecclesiæ de Nuntijs, & Procuratoribus ituris ad Concilium Papiæ anno sequenti, iuxta sententiam Concilij Constantiensis celebrandum. Ad quod missus est ex nostris Ioannes Bestonus Doctor insignis, vt eodem sequenti anno dicimus. In hac porrò Synodo Anglicana Henricus Vvebbe Vviclephista pœnæ fustiũ adiudicatus est, & Henricus Vvit Presbyter dogmatibus renuntiare cogitur. *Ad hos errores Vvicleffitarum extirpandos plurimum in Anglia contulere ea tempestate viri aliquot Illustres ex Ordine Carmelitano; ex his primas tulit Alanus de Linna*, &c. Hæc Bzouius sub hoc anno.

Nuñus Aluarus. 5 Hac etiam tempestate illustrare volens Deus in Hispaniæ, & Lusitaniæ partibus ipsius Genitricis Carmeliticum Ordinem, Nuñium Aluarum Pereiram Clarissimum Lusitanorum Achylem, Comestabilem Lusitaniæ nuncupatum, & plurimis victorijs obtentis gloriosum, mundum vale dicere, Christum sequi, & Virginis habitum inter nostros assumere inspirauit. Construxit primo Magnus hic Princeps Illustrissimum Olisipone Cœnobium sub titulo Sanctæ Mariæ de Victoria, accersitisque Fratribus nostris in Mauræ Conuentu iam diu commorantibus, illud tradidit, donarijs, & dotationibus dicatum; in eoque Deo victurus sub Carmelitæ Virginis vexillo cõtra spirituales hostes, qui corporeos debellare didicerat militare sanctè studebat. Maioris humilitatis exercendæ causa, non Clericorum, sed Conuersorum habitum, eum videlicet, quem semifratris Ordinis gestant, induit. Vitę ratio gerendæ hæc erat. Tribus diebus extra Aduentum, & quadragesimam, aliosque generaliter abstinentiæ dies septimanatim ieiunabat. Binis, aut ternis Missis quotidie assistebat; vili, ac rudi fratrum operiebatur panno. Hostiatim mendicare, & ad Eliæ imitationem peregrinari in votis erat. sed illi non permissum ab Eduardo, & alijs Regis filijs. Pauperibus etiam alendis, Diuorum Templis exędificandis (quæ non pauca in Lusitania extant, Aliubarrotæ vnum, D. Georgij nomine loco, & tempore Victoriæ contra Castellæ Regem obtentæ, Beatæ Mariæ alterum ad Villam vitiosam) pietatisque operibus exercendis singulare mundi Principibus Nuñius hic noster præbuit documentum. Eo pręsertim tempore, nouem scilicet annorum, quo sub nostri Ordinis disciplina vixit, vsque ad annum 1431. Beatissimæ etiam Virginis, cui deuotissimus fuit quandoque visitationibus honestatum opinio multorum est. Mariana *de rebus Hispanię lib. 21. cap. 4.* Didacus Coria *in Chronic. Carmelit. lib. 11. cap. 22.* Franciscus Lupus *in Vita eiusdem cantu 20.* De prędicto porro Vlisiponensi nostrorum Cœnobio à tanto Viro extructo alio loco dicimus.

Ann:

Ann. Christi 1423. Martini 5. Roman. Pontif. 6. Sigismundi Reg. Rom. 13. Ioann. Imp. Orient 3. Ioann. Grosi General. 13.

1 POrrò sequenti anno 1423. iuxta Honuphrium, & Spondanum, Romæ celebratum est Iubilæum; etsi forsan non ita solemne; sicut aliis ànnis, ob Ecclesiæ turbationes, quę tunc erant. Id magis pro comperto, quod cum Papa Martinus, iuxta præscriptum Concilii Constantiensis Papiæ congregari fecerit Concilium, & ad illud Prælatos quosdam præmiserit, ex Transalpinis Regnis pauci aliqui, & ex Anglia Ioannes Bestonus Doctor Ordinis nostri alumnus ad Concilium Orator, aduenerunt. *Ioannes Pitseus de Illustrib. Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 787.* Bzouius *sub hoc anno num. 1.* Papiam deinde peste inuadente, mutare locum Patres Concilii coacti sunt, ac proinde Senas migrarunt. quo maior iam ex omni natione multitudo conuenit. Bzouius, Senis ergo Concilium inchoatur die 22. Augusti, & interim ingens numerus Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Prælatorum, Oratorum a Principibus missorum, Doctorum, & Theologorum quotidie succrescebat. Bzouius, Spondanus. Constat autem certo ex Ordine nostro, præter Bestonum relatum, qui ex Anglia Orator missus fuerat, affuisse etiam Concilio ex Italia Magistros Mathæum de Florentia, & Antonium de Pisis. Etenim in Capitulo Generali Conuentus Appaniarum anno 1425. habito inter expensas Ordinis numeratas, sic habetur: *Item pro expensis factis in Concilio Senensi per Magistrum Matheum de Florentia, & Magistrum Antonium de Pisis 25. ducatos.* Liber Ordinis *fol. 32. pag. 2.* Concilium porrò ob Patrum discordiam, pestis metum, & alijs de causis, breui dissolutum est, vt ex eisdem Authoribus elicitur. Iubilæum.

2 Conuentus Montis Drepani in Sicilia, hoc anno, sumptibus, & in Ædibus Bernardi Militaris Archipresbyteri conditus. Decoratur Reliquijs Sancti Alberti Patroni, & de Cruce Beati Aloysii Rabbatæ: Simulachris etiam marmoreis Annuntiationis, qui est Titulus eius Ecclesiæ, sicut & plurium aliarum eius Regni, ad imitationem celeberrimi Cœnobij Drepanensis *de Annunciata* dicti. Honestatur etiam illustribus Viris, qui in eo floruerunt, maxime Timotheo Theodoro eximio Concionatore; Vito Salerno Ecclesiaste pręcipuo, & Cataldo de Anselmo, qui, iuxta Pirrhum *in notitijs Eccles. Mazariensis,* dum loquitur de Monte Drepano, fuit Prouincialis Siciliæ post Sanctum Albertum: etsi tempora non congruant. Alia ipse Pirrhus. Qui etiam in sequentibus ostendit Sanctum Albertum, & Beatum Aloysium Rabbata ex hac Vrbe oriundos fuisse. Conuentus Montis Drepani.

3 Circa idem forsan tempus Conuentus Salemis Vrbis in eadem Diœcesi Conuentus Salemis.

cesi

cesi Mazariensi ortum habuit: quem Pirrhus idem supra vocat locuplex, & peruetustum Cœnobium.

Castri Veter Conuentus. 4 Idem de Castri Veterani Conuentu in eadem Diœcesi suspicandum: de quo idem Pirrhus supra dicit, quod ob vetustatem ruinam minabatur.

Partensis. 5 Item de Partanensi in eadem Diœcesi; quem idem Pirrhus etiam vocat *peruetustum*.

Angiensis. 6 De Conuentu Angiensi hoc habemus ex Relatione Prouinciæ Belgicæ. Fundatus est extra Ciuitatem ad 1000. circiter passus, anno 1423. penultima Martij. Fundum dedit Petr. de Luzemburge Comes Conuersan, & Domus Angiæ. Olim, & modo appellatus est hic Conuentus Sancti Ioannis Baptistæ, ob miraculorum Imaginem Sancti Ioannis, ad quã varijs ex locis instituuntur peregrinationes. Anno 1578. 20. Aprilis, conseruandæ Ciuitatis Angiensis gratia, ex metu obsidionis ab Hispanis, qui tunc pro hostibus habebantur, Monasterium hoc, vna cum toto suburbio à Præfecto Angiensi Henrico Ægidij, consentiente Comite Egmundano, qui tunc in Vrbe erat, traditum est flammis, & incendio penitus est absumptum. Quo tempore coacti sunt etiam vendere Calices, Vasa argentea, aliaque Ecclesiæ cimelia ad sustentationem Fratrum, & militum, ad summam 988. librarum Flandricarum vndecim solidorum, id est 1977. ducatorum ex itusterorum. Anno 1579. emerunt sibi Religiosi magnam Domum cum hortis ad habitationem in Ciuitate; in quo loco fabricauerunt, & adhuc manent.

S. Alberti miraculum. 7 Pestis contagium Bononiam tunc vexabat, vt ex insigni miraculo, quo, illa grassante, Sanctus Albertus noster effulsit, conspici licet. Habetur in celebri Conuentus nostri Bononiensis Bibliotheca in Manuscripto pergameno per Dominum Laurentium de Pinis Archiepiscopatus publicum Notarium, & Ciuem Bononiensem actum, vt refert Petrus Thomas Sarracenus *in vita S. Alberti* ijs verbis; *Bernardinus de Muletis, filius Francisci de Muletis, Ciuis, & Procurator Bononiensis, dum anno 1423. Ciuitas Bononia pestilentia contagio acriter vexaretur, vxorem duxit, nomine Bonam, Filiam D. Minij de Scardois, quæ graui pestis morbo detenta, deposita, & à Medicorum ope abdicata, abortiua pro mortua multis horis iacuit. Vir eius D. Alberto vota fecit, preces lachrymatus fundit, aquam Sancti Reliquijs benedictam potu tradit. Mirabile dictu, emisso voto, ipsa melius se habet, & cum tota domo pretinus liberatur. Vouerat pro obtinenda vxoris sanitate, Imaginem Diui Alberti, cum miraculis in Cathedrali Ecclesia Sancti Petri Bononiæ, proprijs Expensis pingendam fore ad læuam ostij veteris Sacristiæ; sed dum Bernardinus picturam curat, Episcopus prohibet, oratione instat, vt promissum votum adimpleat, nec valet. En miraculum miraculo additum; Episcopo sequenti nocte Beatus Albertus apparet, & valida febre percutit. Episcopus pœnitentia ductus Bernardino amplissimam facultatem facit excogitata pictura pingendæ, & aquam Diui Alberti pro sanitatis recuperatione sumit, atque Officium eiusdem*

Sancti

Sancti Alberti Cathedrali Ecclesia concelebrari, dum viueret mandauit. Hæc Petrus Thomas Sarracenus ex Notario qui supra. Creuerat forsan deuotio erga Sanctum Albertum Bononiæ, ob decretum Capituli Generalis Montispessulani anno 1420. celebrati, quo præceptum fuit, *quod in omnibus Conuentibus depingeretur Imago Beati Alberti cum radijs.*

8 Hoc etiam anno Ioannes de Burgo Vicarius Generalis Conuentus Burdegalensis, & Guillelmus Costali Prior localis, ambo in Sacra Pagina Doctores, concesserunt Ioanni Hazeinhere Prouinciæ Franciæ brachium, duas costas, & vnam partem gutturum corporis Sancti Simonis StoK, quem mirificis, & multiplicibus miraculis post mortem testantur claruisse. Quas Reliquias secum deferens præfatus Hazeinglsere, brachium illud S. Simonis in Ecclesia Gandensi nostri Ordinis collocauit. Testatur id Arnoldus Bostius *in libro de Patronatu Mariæ, cap.* 10. & litteras testimoniales de concessione istarum Reliquiarum apud nos habemus. B. Simon.

9 Clarus erat per id tempus in Hibernia Guillelmus Quaplodus Ordinis nostri alumnus, & ex eo ad Kildariensem Episcopatum assumptus: sub cuius protectionis vmbra Bertramus Fisalamus eiusdem nostri Instituti litteris, & libris à se conscriptis etiam florebat, de quo sub anno sequenti. Lelandus, Pitseus, & Biscarretus. Guillelmus Quaplodus.

Ann. Christi 1424. Martini 5. Roman. Pontif. 7. Sigismundi Reg. Roman. 14. Ioann. Imp. Orient. 4 Ioannis Grossi Generalat. 14.

1 OBijt sequenti anno 1424. sui Pseudopontificatus 30. Benedictus Decimus tertius, senio, & calamitatibus grauissimis oppressus, & apud omnes prodigij instar; ne dum propter obstinatam hominis circa Papatum opinionem; sed quod in maxima rerum varietate, tantisque procellis vsque ad annum 60. vitam protraxerit. Sunt qui dicát, cadauer ipsius adhuc incorruptum manere. Id certum, quód post ipsius obitum pauci illi Cardinales, qui eum sequebantur, Ægidium Munozium Barcinonensem Canonicum sub nomine Clement. 8. in Pseudopontificem ipsi subrogasse. Mariana, Ciaconius, Bzouius, & alij. Specialiter Hieronymus Ichon Ordinis nostri Alumnus, qui eius gesta descripsit, vtpote ipsius Confessarius, de quo sub anno 1433. dicemus. Obitus Benedicti Antipapæ.

2 Obijt sub eodem anno Lincolniæ in Anglia Bertramus Fizalanus nostri Instituti Carmelitani filius. Illustri in Anglia natus prosapia, Oxonij strenuam operam bonis litteris dedit, nec à studijs cessauit, donec ibi Doctoralibus insignibus solemniter esset donatus. Singularem amicum, & patronum habuit, teste Lelando, Guillelmum Quapludum eiusdem Bertramus Fizalanus.

nostri Ordinis Monachum, & Episcopum Kildariensem in Hibernia, quo ad multos annos familiarissimè vsus dicitur. Porro Bertramus tum diligẽtia propria, tum amicorum expensis, insignem Bibliothecam erexisse, & instruxisse perhibetur. Pietatis etiam, & eruditionis monimenta hæc posteris dereliquit. Quæstiones Theologicas *librum vnum*; Super lib. Sentent. *librum vnum*; Concionum ad Populum *librum vnum*; Excerpta quędam ex Authoribus *librum vnum*. Ipsum commemorant Lelandus relatus, Balæus, & Pitseus.

Conuentus Boni doni. 3 Pro hoc anno refertur fundatio Conuentus *Boni doni* appellatus, non procul ab Armericorum Venetensi Ciuitate, à Ioanne 5. Brittannorum Duce nostris Carmelitis concessi. In loco certè peramœno, hortis, viridarijs, nemore, & pratis, decoro, & aptissimo pro nostri Ordinis Obseruantia, quæ eo tendit, vt soli Deo, turbis relictis, corde, & animo vacemus. Vno per mensem die fit solemnis celebratio in Deiparæ Virginis Ordinis Patronæ honorem; alijs diebus altum silentium. Cessit postea hæc Eremus obseruantissimis PP. Turonensis Prouinciæ circa an. 1626. vbi Elianam, & Anachoreticam vitam æmulari videntur. Leo à S. Ioanne *in delineat. Obseru. Rhedonen. cap. 26. & Relatio Prouinc. Turon.* Alia ad hoc Cœnobium spectantia sub anno 1463. dicemus.

Vualdensis. 4 Hoc etiam tempore, etsi annus certus ignoretur, Venerabilis ille noster Thomas Vualdensis, inter egregia quoque in Dei honorem opera patrata, Monialium nostri Ordinis in Angliæ Prouincia institutor extitit. Qua enim apud Regem, & alios Magnates authoritate valebat, facile hoc negotium peragere potens fuit. Modum, quo id gesserit, Monasteriaue, quæ fundauerit è nostrorum memoria, temporum varietate, maxime tamen confusione Babilonica, Hæresi videlicet, ac Schismate illam Regionem occupantibus, periere. Id solum, quod diximus, ex Balæo cepimus *in Catal. Script. Brittann. Centur. 7. in Appendic. ad Guillelmum Vvnyte*, Authore sanè reprobo, sed in rebus historicis nostri Ordinis, vtpote qui ab eo apostatauit, non reprobato.

Ioan. Grossi. 5 Quo etiam anno refert Palæonydorus *lib. 3. cap. 13. & 14.* iuisse è sæculo Generalem Grossi, & sequenti anno 1425. in Generalem electum Bartholomæum Raccoli. Sed perperam. Constat enim ex lib. Ordinis authentico, & originali, quem præ manibus habemus, Capitulum Generale Conuentus Appaniarum sequenti anno sub eodem Ioanne Grossi ipsoque præsente, habitum. De anno autem, quo è vita migrauit, & Bartholomæus Raccolus in Generalem assumptus est in sequentibus dicimus.

Ann.

Ann Christi 1425. Martin. 5. Roman. Pontif. 8. Sigismundi Reg Roman. 15. Ioann. Imper. Orient. 5. Ioannis Grossi Generalat. 15.

1 CVrabat hoc anno Papa Martinus nouum Pseudopontificem Clement.8. dictum, & in ditionibus Alphonsi Regis Aragonum regnantem, amouere, Legato misso ad eundem Regem Cardinali Fuxo, viro insigni; nihil tamen effecit, Bzouius, & Spondanus. Papæ gesta.

2 Bonus autem senex Reuerendissimus Generalis Ioannes Grossi hoc anno, die solito Pentecostes in Conuentu Appaniarum Prouinciæ Tholosanæ Capitulum Generale aliud celebrari fecit. In quo primum numerātur Prouinciarum 17. Diffinitores, scilicet Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Bohemiæ, & Aragoniæ. A quibus expensæ Ordinis receptæ fuerunt, & inter illas, quæ factæ sunt in Concilio Senensi per Magistrum Mathæum de Florentia, & Magistrum Antonium de Pisis, ex quo certo elicimus hos Patres affuisse prædicto Concilio. Ordinati deinde sunt Prouinciales 23. Prouinciarum, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Castellæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Bohemiæ, Aragoniæ, & Portugaliæ, Ex quo habetur tunc primum institutam esse Portugaliæ Prouinciam, ac separatam à Castellæ. Absdubiè hoc factum, Nuñij Aluarez Pereira Excellentissimi quondam Lusitaniæ Comestabilis, tunc vero Ordinis nostri professoris, beneplacito, vt inter Castellanos, & Portugalenses veteres inimicitias sedaret. Instituti præterea sunt in eodē Capitulo Prior Curiæ Romanæ Procurator Generalis Ordinis, Socij Reuerendissimi Generalis, Baccalaureus eiusdem Romanæ Curiæ, Regens Auinionis, Prior, Regens, & Lectores Sententiarum, ac Bibliorum Parisijs, Lectores etiam Sententiarum Tholosæ, Auinione, & Montispessulani, Magister autem Regens Romanæ Curiæ ad Reuerendiss. Generalis voluntatem, Constant hæc ex Actis huius Capituli in Libro Ordinis *fol. 32. pag. 2.* Capitulum Generale.

3 Quoad Constitutiones, & Decreta, hęc præcipue, alijs prætermissis minoris notæ, ordinata sunt. Primum, quod Conuentus Terrasciæ esset Conuentus Barcinonensis, qui soluere deberet expensas factas pro defensione talis Conuentus Terrasciæ per Fr. Ioannem Cifrerij. Secundum, quod nullus de cœtero irēt de Conuentu ad Conuentum, vel de Prouincia ad Prouinciam, sine licentia Priorum Prouincialium, & quod transgressores caperentur, & punirentur. Tertium, quod de cœtero in Capitulo Decreta Capituli.

Gene-

Generali non aperirentur litteræ Principum, & Dominorum sæcularium, vel Prælatorum, nisi lecta tabula Capituli Generalis, vel Prouincialis. Quod decretum ideo absdubiè factum est, vt ambitionis locus Fratribus procurantibus Officia Ordinis fauore sæcularium præcluderetur. Quartũ, quod de Sancto Mauro fieret festum nouem Lectionum, & de Sancto Honorato Officium duplex in Prouincia Cataloniæ. Quintum, quod omni anno fierent Octauę de Ascensione Christi. Liber Ordinis *fol.* 33. *et* 34. Ordinatus item est Procurator Generalis ad impetrandum litteras Dominorum Prælatorum, & aliorum, pro Canonizatione Sancti Alberti Magister Ioannes de Scolio.

Clariores Patres.

4 Clariores Patres, qui in hoc Capitulo nominantur sunt Magister Ioannes Grossi Generalis; Magister Bernardus Vaquerius Procurator Ordinis; Magister Nicolaus Rizius Prouincialis, & Diffinitor Siciliæ; Venerabilis Magister Thomas Vvaldensis Prouincialis Angliæ; Magister Ioannes Fasci Prouinciæ Diffinitor, & Prouincialis, ac Auinionis Regen.; Magister Ioannes Martini, Prouincialis Castellæ, & alij, de quibus suis locis.

Magister Vaquerius.

5 Ex quibus Magistrum Bernardum, seu Bertrandum Vaquerij in id tempus iure referre possumus inter claros Religionis viros, quod in sequentibus Capitulis nulla vlterius de ipso in Libro Ordinis reperiatur memoria: quo sub hoc tempore obijsse suspicari possumus. Fuit is Procurator Generalis Ordinis in Capitulo Generali Balneolarum anno 1416. & Mõtispessulani 1420. vbi etiam Prouincialis Romæ instituitur. Ac nouissime in hoc Capitulo Appaniarum, vbi non solum Procurator Ordinis, sed & Prouincialis Romæ nuncupatur.

Conuentus Mantuę.

6 Hoc etiam tempore Conuentus Mantuanus inter Italiæ Monasteria, insignis valde, Obseruantiæ etiam Regularis nobilissimum Emporium, in sui societatem admittens Conuentum etiam Gerundensem Diœcesis Sedunensis, de quo alijs locis dicimus; de licentia proculdubio Generalis Ioannis Grossi Capitulum etiam celebrauit hoc anno pro decima octaua Augusti, in quo Præsidentis titulo elegit P. Franciscum Thomam de Francia, & Procuratores Romæ, Patres Gigum de Francia, & Iacobum de Mantua. Sic habet Ioannes Maria Pensa nostræ Congregationis Mantuanæ alumnus *in lib. de Viris Illustribus eius Congregat. p.* 20. Quamuis autem ipse propterea contendat ab hoc tempore eiusdem Illustriss. Congregationis primordiale initium sumi debere, nihilominus, quia in Congregationum Regularium institutione maximè attendi debet ad tempus approbationis, seu confirmationis Apostolicæ, cum hæc non accesserit huic Congregationi hoc tempore, sed solum ab Eugenio Quarto pro annis 1442. vel 1443. vt sub his annis dicemus, ideo tunc eadem clarissima Mantuana Congregatio incepisse dicenda, proprius, & rigorosius loquendo.

Franciscus Thomas.

7 Hunc tamen Patrem Franciscum Thomam de Francia inter illu-

ſtri Ordinis Patres referimus; vtpote, qui primus huius Congregationis Superior appellari meruit. Eo etiam, quod ex memoria eius Mantuani Cœnobij per Theodorum Cambium inſignem Patrem Congregationis ad nos transmiſſa, titulo *Beatiſsimi* hic Franciſcus Thomas appellatur. Dicitur enim in ea *Authoritate Capituli nostræ Congregationis celebratæ in Conuentu nostro Mantuæ die tertia Maij anno Domini 1427, in quo Præſidens fuit noster Pater Gregorius Neapolitanus, & occurrit propter Beatiſsimi P. nostri Thomæ mortem, qui Romæ obijt anno prædicto*, &c. Etſi enim *Beatiſsimi* titulus concedi non debeat, niſi Papæ, aut inſigni alij Sancto, ex eo tamen, quod conceſſus ſit huic P. Thomæ, elicitur in bono conceptu Sanctitatis vixiſſe. Illi ergo in Congregationis Superioritate ſucceſſerunt ille Gregorius Neapolitanus pro anno 1427. prout in ea memoria habetur; Ioannes Sellæ pro anno 1429. Gigus de Francia pro anno 1431. Robinus de Francia pro 1433. Ioannes de Fonte 1435. Mauritius de Gerundia Gerundiæ electus 1437. Guillelmus de Fonte 1439. & 1441. ac demum Ioannes Sellæ ſub anno 1442. Quo tempore Diploma Pontificium Eugenianum Congregatio impetrauit. Hæc omnia Penſa relatus *pag.* 21.

8. Pariter etiam inter celebres huius ætatis Doctores Magiſtrum Nicolaum de Rizo in id tempus referimus, quod poſt illud nulla de ipſo vlterius in Libro Ordinis memoria reperiatur. Conſtat illum fuiſſe deſtinatum Lectorem Sententiarum pro primo anno in Studio Bononienſi anno 1411. Deinde Prouincialis Siciliæ dicitur in Capitulis Generalibus Monteſpeſſulano anno 1420. ac nouiſſimo Appaniarum; vbi etiam Diffinitor eiuſdem Prouinciæ nominatur. Scripſit opus notabile Quadrageſimale, quod Bononiæ prædicauit, tempore, quo ibidem fuit. Sermones etiam de tempore, & de Sanctis. Diuerſus videtur (etſi Biſcarretus cum Einſengrineo, Trithemio, & Poſſeuino oppoſitum credat) à Nicolao Rictone Gallo Tholoſano, etiam noſtri Ordinis eximio Profeſſore. Hic enim Nicolaus, de quo in præſenti, Siculus fuit, & Catanienſis, ſeu Saccenſis, prout ex Ægidio Leone ſcribit Rochus Pirrhus *in notitijs Eccleſiæ Agrigentinæ*, dum loquitur de Sacca *num.* 9. vbi etiam, quod obierit in Conuentu Cataloniæ. De ipſo agitur *in Speculo Ordinis fol.* 103. & eum commemorant Authores relati, & Lucius in ſua Bibliotheca.

Nicolaus de Rizo.

Ann.

Ann. Christ. 1426. Martini 5. Roman. Pontif. 9. Sigismundi Reg. Roman 16. Ioann. Imper. Orient. 6. Ioannis Grossi Generalat. 16.

Huius anni casus. 1 Oc anno, vel paulò post, ingens clades Christianis Cyprijs à Soldano Ægypti, in vindictam direptionis Alexandrinæ Vrbis à Petro Cypri Rege, & Beato Petro Thomæ nostro, de qua in superioribus factæ, illata est. Rex enim captus, tota ferme Insula à Sarracenis occupata; Ecclesiæ, & Monasteria incensa, & vniuersus pene populus occisus, vel in captiuitatem ductus, fuerunt. Lusinianus in Cypri historia, Gordonus, Spondanus, & alij. Quia tamen Famaugusta, quæ à Genuensibus valido præsidio tenebatur, in Sarracenorum manus non deuenit; ideo nec huius Ciuitatis Conuentus, & forsan alij, de quibus sub ann. 1194. dictum, in suo esse manserunt.

Conuentus Præbidiensis. 2 Præbidiense Monasterium in Hungaria sub anno isto Ordini nostro subiacebat; nunc autem sicut & alia eiusdem Prouinciæ, Budense scilicet, Epperiense, & Quinque Ecclesiense, sub ditione Turcarum, partes illas occupantium manent. Nec de illis extant alia documenta litteraria, nisi quæ in libris manuscriptis quorundam Catholicorum asseruantur. Bartholomæus Eiselim Prouincialis Germaniæ *in Relat. suæ Prouinc. ad Reuerendiss. Theodorum Stratium.*

Syracusanus. 3 Similiter Syracusis in Sicilia hoc anno hospitij iure nostris Fratribus datum est Templum Sanctæ Mariæ de Itria, iuris Patronatus Thomasiæ de Balena nobilis Syracusanæ. Deinde anno 1543. in Cœnobium est erectum, & anno 1555. prostrato hoc Cœnobio ad mœnia construenda pro Vrbis munimine, aliud construxerunt intra Vrbem. Hæc Rochus Pirrhus *in notit. Eccles. Syracus.*

Ioann. Barathus. 4 Insignis erat sub hoc anno, & his temporibus, Ioannes Barathus, patria Hannoniensis, Valencenarum Cœnobij, ac Doctor Parisiensis. Singulari Vir pietate, & diuinarum, atque humanarum rerum cognitione supra modum excultus. Multa pius homo eius ætatis Clero, Prælatis, ac Monachis objciebat, & quod statim essent ob eorum praua facta in opprobrium, subsanationem, ac derisum, gentibus (idest Hæreticis) dandi ex scripturis prædixit, quoniam Deus (inquiebat) spernit eos, qui hominibus placent. Adfuit etiam de mandato Ordinis Concilio Basiliensi, vbi (vt Biscarretus ait) *sui ingenij apparuit fœcunditas, doctrinæ soliditas, atque in omnibus dexteritas, mira prudentia, atque eruditio.* Scripsit plura, quibus sui nomen, ingenium, & pietatem posterorum commendauit memoriæ. Videlicet *de Reuelatione diuinarum*; in Magistrum Sententiarum *lib.* 4. Determinatio.

nationes Theologiæ *librum vnum*; Quæstiones ordinarias, Postillam in Apocalypsim *librum vnum*; in Epistolam Sancti Pauli ad Hæbræos, Collationes Synodales, de vtilitate Sacræ Scripturæ, de temporis sui malis; Quadragesimale, & alia. De ipso Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittan. Centur. 7. in Appendic.* post Thomam Vualdensem, Franciscus Suuertius in lib. cui titulus *Athenæ Belgicæ*, & Biscarretus; ac maxime Liber Ordinis, ex quo constat fol. 36. in Capitulo Generali Rauespergensi an 1434. ipsum prędicto Concilio adfuisse, & pro expensis ab eo ibi factis computari 10. ducatos.

5 Obijt sub eodem anno Lector Iacobus Alberti, Thusciæ Alumnus, qui anno 1413. primus Institutor fuit Obseruantiæ, seu reformationis Conuentus Siluarum, iuxta eo anno dicta: ex qua etiam fuit Angelus Augustinus dictus Beatus Angelinus, de quo anno 1419. diximus, & dicemus anno 1438. & vnde ortum habuit primitus Mantuana Congregatio. Moritur autem in prædicto Conuentu Siluarum. De quo extat hæc memoria. *Pater Iacobus Alberti Sacerdos, & Lector, huius Conuentus filius, primus inceptor Obseruantiæ Siluarum, plenus dierum tam in sęculo, quam in Religione, obijt Siluis anno 1426. die vigesima quinta* Iunij. Hæc ex Actis eius Prouinciæ.

Iacobus Alberti.

6 Edidit hac tempestate eximius Doctor noster Thomas Vualdensis, iuxta sui nominis ethimologiam *Validus ensis* Ecclesiæ, contra Lolliardos, Vviclephistas, & Hussitas Christi iuratos hostes, egregium, & exactissimum illud opus, cui titulum fecit *Doctrinale antiquitatum fidei Ecclesiæ Catholicæ*, quatuor Tomis digestum; quorum primum, in quo de Deo, Christo, Petro, Ecclesia, ac Religiosis agitur Martino 5. dicauit, vt Apostolicæ Sedis lima discussus validius Hęreticorum confringere posset perfidiam. Extat nuncupatoria Epistola ad Papam eidem primo Tomo præmissa, in qua Sanctæ Sedi obedientiam, & subiectionem debitam grauissimè Author demonstrat. Cum autem opus placuisset Pontifici, hortatusque fuisset Doctorem Vualdensem, vt id, quod restabat in materia de Sacramentis, videlicet secundum Tomum *prædicti Doctrinalis*, simili studio, & diligentia perficeret, id opere impleuit, & pręfatum secundum Tomum, latore Ioanne Tacesphalo Oxoniensi Doctore, Ordinis etiam nostri Alumno, ad Papam transmisit, vt similiter à Sede Apostolica discussus, & approbatus maiori auctoritatis pondere perfidorum proteruiam eneruare valeret. Romam ergo Tacesphalus veniens, sequenti anno 1427. opus Pontifici obtulit, qui illud examinandum viris doctissimis tradidit. Cepit autem examen fieri 15 Kalend. Iulij, & durauit vsque ad 10. Kalend. Augusti, quo die ab omnibus commendatum iterum præsentatum fuit Papę in Consistorio, pręsentibus Cardinalibus, & Prælatis, per Commissarios, videlicet Dominum N. Presbyterum Cardinalem Sancti Petri ad Vincula, & Dominum Bernardum Episcopum Cauallacensem, Doctorem in Theologia. Octauo ergo die Augusti litteras ad Vualdensem dedit, ea, quæ

Thom. Vualdens.

KKKKK gesta

gesta diximus narrans, ipsius studium vtile, & salutare Ecclesię commendans, Bullam damnationis Vviclephi illi mittens, simulque præcipiens, vt Tomum tertium prædicti operis, qui est *de Sacramentalibus* postqua m perfecisset, transmitteret. Habentur hęc in prędicto secundo Tomo simul cum Epistola Papæ, quæ talis est. *Dilecte fili, salutem &c. Placuit Nobis Opus, quod edideras contra Hussitas Hæreticos, teque fuimus hortati, vt id, quod restabat in materia de Sacramentis simili perficeres studio, & diligentia, quod te fecisse gaudemus, & tuum studium vtile, & salutare Ecclesiæ commendamus. Recepimus enim nuper de manu dilecti filij Ioannis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Magistri in Sacra pagina, latoris præsentium, volumen secundum de Sacramentis, quod per solemnes viros videri, & examinari fecimus, sicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum: ex quo desideramus, vt volumen tertium de Sacramentalibus cum illud perfeceris nobis mittas. Cæterum, vt damnatas conclusiones Vviclephi securius valeas confutare, mittimus tibi Bullam de damnatione librorum prædicti Hęretici. Et cupientes quantum possumus erga te propitiare Dei gratiam, pro cuius causa laboras, benedictionem nostram dedimus tibi & omnibus Fratribus tuæ Prouinciæ. Dat. Romæ apud SS. Apostolos sub annulo Piscatoris 8. die Augusti, Pontificatus nostri anno decimo.*

Ioann. Tacesphalus

1217 Harum porro litterarum lator designatus Ioannes Tacesphalus, qui etiam prędictum Tomum *de Sacramentis* Papę detulerat, vix suæ Legationis negotio absoluto, Romæ diem suum obijt. Natione fuit Anglus, patria circa Norvvicum in eiusdem Ciuitatis Cœnobio Ordinis nostri Alumnus, & ibidem Prior, Sacræ Theologiæ Doctor Oxonij, pietate insignis, ingenio subtilis, sermone comptus, humanioris litteraturæ non ignarus, in Sacris litteris versatissimus, & vt Author est Sixtus Senensis, sui temporis Concionator celebris; apud Trithemium celeberrimus, ac Vvicleffi, omniumque eius errorum osor constantissimus. Scripsit quædam opera præclara, quibus suum ingenium exercuit, alios instruxit, suumque nomen ęternitati consecrauit. Edidit enim Lecturam, quam vocant Notabilem, seu Commentarios scholasticos in Apocalypsim Sancti Ioannis, *lib.* 2. Sermonum de tempore *lib.* 1. Sermonum de Sanctis *lib.* 1. Super Magistrum Sententiarum *lib.* 4. De ipse agunt Pitseus, licet in eo hallucinetur, dum inquit circa annum 1420. mortuum, cum constet ex Bulla Martini Quinti relati vsque ad annum 1427. superstitem, Sixtus Senensis, Trithemius, vbi in eo deficere videtur, quod dicat illum Norvvici obijsse. Posseuinus, Lucius, & Biscarretus, qui aliter discurrit circa tempus mortis huius Doctoris.

Ann.

Ann. Christi 1427. Martini 5. Roman. Pontif. 10. Sigismundi Reg. Roman. 17. Ioann. Imp. Orient. 7. Ioannis Grossi Generalat. 17.

1 CVm per id tempus Hussitæ Bohemiam, proximasque Prouincias valde vexarent, Papa Martinus pro illis Prouincijs Henricum Cardinalem Anglum, virum egregium Legatum destinauit cum amplissima authoritate. Æneas Siluius, Krantzius, Bonfinius, Spondanus. In Castellæ etiam Regno diuersæ factiones erant ob Regis Ioannis iuuenculam ætatem. Garibai, Mariana, Spondanus. Gesta hoc tempore.

2 Mortuo Ioanne Tacesphalo, vt credimus, anno præcedenti, litterarum Martini Quinti ad Vualdensem nostrum notitiam ferre ipse non potuit. Alius ergo id munus gessit. Vualdensis autem, iuxta Pontificis mandatum tertium Tomum prædicti *Doctrinalis fidei*, qui de *Sacramentalibus* agit, eidem nuncupauit, vt constat ex dedicatoria Epistola ipsi præmissa. In qua etiam de alio quarto Tomo, quem præ manibus videbatur habere mentionem facit: in quo *de ieiunijs, Indulgentijs, iuribus, & immunitatibus Ecclesiasticis, fide quoque, & hæresibus* acturus erat. Quem perijsse, proh dolor, dubitatur, nisi quod, vt innuit Pitseus, dicitur haberi in MM. SS. Oxonij, & Cantabrigiæ in Collegio Mertonensi, & Sancti Benedicti, ac in priuata Bibliotheca Baronis de Lumleio. Ad minus etsi tres alij Tomi Parisijs, Salmanticæ, & Venetijs Typis mandati sunt, Quartus tamen iste omnino deficit. Thomas Vualdensis.

3 Latorem porro prædicti tertij Tomi *de Sacramentalibus*, iuxta dicenda anno 1451. credimus Ioannem alterum Keningalum eiusdem Ordinis nostri in Anglia Prouincia egregium Alumnum, vt propterea à Papa Martino meruerit Nuncij Apostolici in causis Ecclesiasticis munere honestari, & postea Prouincialatum Angliæ multos annos gerere. Pitseus *de Illustr. Angl. Scriptor. Ætate 15. num. 845.*

4 Annus iste 1427. natalitius fuit celebris valde Heroinæ Franciscę d'Amboise Brittanniæ Ducissæ, & Ordinis nostri egregiæ Alumnæ: nedum propter insignem eius generis claritudinem, sed & quia vitæ sanctimonia Sydus Carmeli nostri fuit. Ipsius primordia, & gesta aliquot, ijs relictis, quæ non valde ad intentum nostrorum Annalium spectant, ex vita ipsius per Albertum le Grand Dominicanum descripta inter vitas Sanctorum, & Sanctarum Brittanniæ sic depromimus. Ludouici de Ambasia Thouarsij Vicecomitis, Talmonis Principis, & Domini, ac Mariæ de Riecz præclaræ Principis coniugum filia fuit. Piè à matre educata puella virginitatem seruare proposuit, illam tamen postulauit pro vno ex suis filijs Georgius Francisca Amboisę.

de la Trimouille Regis Gallicarum tunc Belli Rector, sed parentes recusarunt; vnde nonnulla bella, & cædes ortum habuere. Puella existens spiritualia libenter aspiciebat, puerilem ætatem superando; & sæpe ante Crucifixum stabat. Visa Sancti Francisci effigie nudo pede, calceos suos afferri iussit, inquiens; Sanctus, cuius nomen habeo, nudis incedit pedibus; confestim deferte illi calceos: magnæ quidem pietatis, & simplicitatis indicium. Munuscula quæ sui iuris erant pauperculis erogabat. A puerilibus abstinebat: pijs operibus, aut orationibus intenta Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum summa deuotione, ac reuerentia colebat; adeo vt quoties publicè exponeretur tanto pietatis sensu commoueretur, vt eius oculi in lachrymarum riuos erumperent, & præcipuè diebus festis, quibus Dux cũ Coniuge sua, totaque Regia sese ad Sacram Synaxim accingerent: tunc enim adeo affligebatur, vt, nec de cibo, nec potu cogitare vellet. Huius rei, tantæque tristitiæ causam cum sciscitaretur, tum sic mentem suam operiens: Hei mihi (inquit) Illustrissima, Dominus meus, totaque ipsius Regia hodie Sanctissimum Christi Saluatoris nostri Corpus excepit, ego vero sola gratię huius beneficio priuata remaneo, viderit quæso, num flendi iustissimam occasionem habeam. Concessa igitur ipsi, etsi in tenerrima ętate Sanctiss. Eucharistię sumptio, assentiente Reu. P. Yuone Ordinis Prædicatorum Alumno. Deinde Ioanni Brittannię Duci traditur educanda: qui illam vni ex suis filijs coniungere statuit: optionem illi offert: illa recusasset, nisi futura bella horruisset, Quare postremum natu Petrum filium elegit, qui postea fuit patris successor, & fratrum. In Matrimonio virginitatis integritatem seruasse, Petrus moriens testatus fuit. Ieiunia tamen, cilicia, orationes, & cœtera pia exercitia vnicè excoluit, viro suo subdita semper. Cum autem diaboli inuidia, & falsa quorumdam relatione Dux male suspicatus de Francisca fuisset, illam pessimè tractauit, flagris, ac pugnis, omnia patientissime ferentem, quæ vicissim in Christi passione solatia sua habebat, omnibus famulis priuata, præsertim nutrice, cuius conuersatione in spiritualibus valde profecisse sentiebat. Mœrore propterea confecta in morbum incidit, idcirco ei restituitur nutrix; & maritus suum agnoscens errorem ab ipsa veniam genuflexus petijt, flet, lacrymas profundit. Quem illa blande excipit, excusat, atque solatur. Sana vero facta cõcorditer cum eo vixit, simulque anno 1450. coronati sunt Duces Brittannię. Pauperes aluit Francisca, vestijt, eorum sępe pedes lauit, proprię mẽsę admisit, pecunias illis elargita. Verbum Dei libenter audiebat; Ecclesijs vasa, & alia ornamenta à se elaborata donabat. Audientiam, & eleemosynam vix vlli dare recusauit. Monasterium Sanctæ Claræ fundauit, & dotauit Nanneti. Iustitiæ, & populi moribus reformandis incumbebant; ita vt adhuc eorum memoria viuat sub titulo Bonorum Ducum. Mortuo marito, male habita fuit à successore Arturo; sed ipso breui sublato, reintegratur Francisca, Francisco secundo hærede ipsam honorifice tractante. Alia in sequentibus de ipsa dabimus.

Obijt

5 Obijt eodem anno 1427. mense Iulij Ioannes Franciscus Florentini Conuentus decus, & Institutor Monialium S. Barnabæ *Archiuium Florentiæ*. Collige ex hoc, simulque ex ijs, quæ diximus anno 1424. de Thoma Vvaldensi Fundatore Monialium Angliæ ea tempestate; tum in Anglia, tum in Italia Monialium Monasteria plura extructa. De hoc autem Sancti Barnabæ Monasterio iterum.

Ann. Christi 1428. Martin. 5. Roman. Pontif. 11. Sigismundi Reg. Roman. 18. Ioann. Imper. Orient. 8. Ioannis Grosi Generalat. 18.

1 Bononienses hoc anno contra Papam rebellantes interdicto, & bello puniti sunt. Blondus, Sigonius, Spondanus. Florebat tamen vitæ sanctimonia Cardinalis Nicolaus Albergatus Carthusiensis, Bononiæ Præsul; sed nihilominus indigne à Bononiensibus pertractatus, & fugere coactus. Sigonius, Garnefeltius *in vita ipsius*. Huius anni gesta.

2 Quo etiam tempore, vel circiter dum Henrici sexti Angliæ Regis pueri exercitus Aurelianum Galliæ Vrbem Clarissimam expugnaret, obsidioneque cingeret, tantum obsidionis metus Gallos inuaserat, vt ipsi obsessi, Templa, & Ecclesias Ciuitatis solo æquauerint, & diruerint. Inter quæ Carmelitarum nostrorum Ecclesia eamdem ruinam perpessa est. Bzouius *sub hoc anno num.* 20. Aureliani obsessio.

3 Maximè tamen eodem tempore nominatissimus, & valde celebris vnus frater Thomas Conecta Ordinis nostri Alumnus, Gallus, Britto, & Rhedonensis erat, Eo præcipue, quod tanta populi admiratione, fauore, & concursu Sacras habebat Conciones, in Belgio præsertim, Cameraci, Tornaci, Attrebati, Samorabrigæ, Taruanę, alijsque locis, vt, quod vix videtur credibile, sępius in vna Concione 16. aut viginti millia hominum numerarentur, fune per medium Templi tenso, viros à mulieribus dispescente. Grauissimè autem inuehebatur in velamina quædam fœminarum, quæ turrita eo tempore super capita gestabant, sic vt in tanto mortalium numero ne vna quidem ad eum modum ornata conuenire ausa fuerit ad eius audiendas Conciones. Incitauerat enim pueros, vt turres illas de capitibus quarumcumque detraherent, illasque conuitijs aggrederentur. Simul in quosdam malos Sacerdotes vehementer quoque inuehebatur. Verum vbi illorum in se odium adeo concitatum intelligeret, vt metuendas eorum insidias iure existimaret, nauigio conscenso in Brittanniam vnde venerat, secessit. Meierus *Annal. Fland. lib.* 16. Bzouius *sub hoc anno num.* 21. Alia in sequentibus de ipso; maxime tamen qualiter talis, tamque insignis, & egregius Concionator, iusto Dei iudicio, hominibus occulto, Romæ miserè perierit, sub anno 1433. dicemus. Thomæ Conecta.

B. Ioanna de Regio.

4 Nata est sub eodem anno Rhegij in Æmilia Ioanna virgo; postea Ordinis nostri Monialis, sanctitate, & miraculis clara. Parentes habuit pios, & honestos, Simonem, & Catharinam Scopelli. Fundatrix hæc Virgo fuit Monasterij Virginum Carmelitarum eiusdem Rhegij Ciuitatis, quod *Sancta Maria de Populo* dicitur, sub obedientia nostrorum Patrum Congregationis Mantuanæ. De ipsa dicimus anno 1452. 1484. & sequentibus vsque ad 4491. quo cælum petijt. Benedictus Muttus Rhegiensis in *vita eiusdem*.

Albizus Azolinus

5 Obijt eodem anno Thusciæ, & Florentiæ grauissimus Pater, probitatis quoque opinione præclarus, Magister Albizus Azolinus; qui nedum litteris, & totius Prouinciæ regimine per multos annos claruit; sed, quod præcipuum est, vitæ quoque sanctimonia. Ieiunijs enim, atque vigilijs perpetuo vacans, bonę opinionis posteris exemplum dedit. Architium Conuent. Florentiæ.

Io. Bestonus

6 Obijt quoque Linnæ in Anglia in suo Cœnobio, vbi etiam Prior fuerat, Ioannes Bestonus, alijs Bastonus, nostri Instituti Alumnus. Vir felicis ingenij, constantis iudicij; cui etiam pietas, & doctrina celebre nomen dederunt. Erat enim insigniter eruditus, disputator vehemens, Concionator facundissimus: de quo scribit Alanus de Linna, quod in suis Concionibus clarè, dilucidèque aperire solebat quadruplicem Sacræ Scripturæ sensum. Ex Lelando conijcitur eum Cantabrigiæ primum in Anglia, deinde Parisijs in Gallia, ita studuisse, vt vtrobique Sacræ Theologiæ Doctor, & aliquando etiam Professor fuerit. Missus est Orator Senas ad Concilium ibi celebratum, vt diximus anno 1423. vbi honoratissimam Legationem laudabiliter obiuit. Eorum porro, quæ diximus de eruditione, & doctrina huius Authoris testes sunt libri ab ipso editi. Videlicet, Lecturæ Sacræ Scripturæ *lib.* 1. Sermones in Euangelia *lib.* 1. Sermones in Epistolas *lib.* 1. Compendium Theologiæ moralis *lib.* 1. de Virtutibus, & vitijs oppositis *lib.* 1. Quæstiones Ordinariæ *lib.* 1. Super vniuersalibus Holcothi *lib.* 1. Rudimenta Logices *lib.* 1. Epistolarum ad diuersos *lib.* 2. & alia quædam. Hunc Patrem commemorant Thomas Vvaldensis *in suis Epistolis*, Alanus de Linna, & Lelandus relati, Iacobus de Plebe, Eisengrineus, Balæus, Pitseus, Harpsfeldius, Posseuinus, & ex nostris Petrus Lucius, Biscarretus, & alij.

Ioann. Haintonus.

7 Pariter etiam eodem anno obijt alius eiusdem Angliæ nostræ Prouinciæ egregius Doctor, Ioannes Haintonus Lincolniensis, cuius etiam Monasterij tandem Prior fuit. Vir egregijs animi dotibus prędítus: ingenium sic excoluit, vt Oxoniæ liberales Artes, omnemque, tum Aristotelicam; tum Christianam philosophiam accuratè didicerit; nec sine applausu docuerit. Nam ibi Sacræ Theologiæ Doctor enituit, & in eadem facultate professor multos habuit egregios Discipulos, vt satis insinuat Lelandus; qui addit, eum pro illius sæculi felicitate fuisse eruditiorem, quam eloquentiorem, meliorem quam elegantiorem. Rerum enim vigorem per

per ea tempora magis scrutari, quam inanem verbum fucum sectari homines curabant. Erat tamen Concionator celebris, in explicandis diuinis eloquijs fælix, clarus, dilucidus. Nam propter acumem ingenij, solidumque iudicium, adiuuante Dei gratia, dum studebat, verbum Dei intelligebat, & propter perspicuitatem, & facilem explicandi modum, dum docebat intelligebatur. Vtrumque Dei donum, & quidem magnum. Erat insuper (quod non parum ad hanc rem confert) Hæbraicæ linguæ peritus, & Græcæ non ignarus. Sed loquantur Opera ipsius, quorum testimonium est omni ratione locupletius. Scripsit autem Annotationes in Sanctum Mathæum *lib.* 1. in Sanctum Lucam *lib.* 1. in Sanctum Ioannem *lib.* 1. in Epist. ad Corinthios *lib.* 2. in Epist. ad Hæbræos *lib.* 1. in Canonicam Sancti Ioannis *lib.* 1. Annotationes in eamdem *lib.* 1. in Apocalypsim Lectiones 46. *lib.* 1. Sermones de tempore *lib.* 1. Sermones de Sanctis *lib.* 1. Summam de virtutibus *lib.* 1. Quæstiones Theologiæ *lib.* 1. Collectanea quædam *lib.* 1. in Vesperas Gualteri Huncti *lib.* 1. & alia plura, quæ olim in Angliæ Bibliothecis reperiebantur. De ipso loquuntur Lelandus, Balæus, Pitseus, Bzouius *sub anno* 1429. *num* 99.

Ann. Christ. 1429. Martini 5. Roman. Pontif 12. Sigismundi Reg. Roman 19. Ioann Imper. Orient. 9. Ioannis Grossi Generalat. 19.

1 FAustissimus hic annus toti Ecclesiæ, ob cessationem schismatis, quod ab anno 1378. durauerat. Quo Ægidius Munozius, Clemens Octauus Antipapa Pontificatus nomen abdicauit, & insignia deposuit, *non vi, dolo, seu metu, nec alias modo aliquo circumuentus, sed simpliciter, purè, liberè, & sponte,* vt ipse in diplomate dicebat; simulque cum Cardinalibus suæ sectæ, quatenus ab eis fieri potuit, Martinum Quintum in Romanum Pontificem elegerunt, ac receperunt. Sicque iam vnus, & omnino indubitatus fuit Pontifex, quales etiam sunt omnes ipsius successores. Bzouius, Spondanus, & alij. Alphonsi etiam Aragonum Regis pietas hoc tempore commendatur in recipiendo, & honorando Petro Fuxo Cardinali Papæ Legato ad eum misso. Mariana, Spondanus. Cessatio schismatis.

2 Quo etiam anno plures, & Illustres nostri Ordinis Viri in Illustrissima Angliç Prouincia litteris, & doctrina florebant. Etenim præter Thomam Vualdensem (de quo anno sequenti, quo mundũ reliquit) Ioannes Batus apud Transabrinos in Anglia natus, & Eboraci educatus, ibi, vt scribit Lelandus, Ordinem nostrum assumpsit, & successu temporis Prior factus est. Vir pius, prudens, & eruditus, Philosophus non contemnendus, Theologus insignis, Græcarum etiam disciplinarum non imperitus. Oxonij diù studuit, & ibidem Doctorum ascriptus est Cathalogo: quam Ioan. Batus.

digni-

dignitatem, ne inaniter accepisse videretur, & ad exemplum aliorum, qui illam ambiunt, non vt ædificent, sed vt ipsi honorificentur, non vt fideles doceant, sed vt otio melius deseruiant, plures insignes libros sui ingenij manifestos iudices doctè exarauit. Videlicet, Encomium Theologiæ, seu Theosophiæ *librum vnum*, Pro introitu, seu introductione sententiarum *librum vnum*; Actus ordinarios *librum vnum*; Determinationes *librum vnum*; Replicationes argumentorum *librum vnum*; de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis *librum vnum*; Sermones per annum *librum vnum*; Collationes Synodales *librum vnum*; ad Clerum Oxoniensem *librum vnum*; Compendium Logicæ *librum vnum*; super vniuersalia Porphyrij *librum vnum*; super prædicamenta Aristotel. *libros tres*, in sex principia Porretani *librum vnum*; Quæstiones de Anima *librum vnum*; de constructione partium Orationis *librum vnum*, & alia multa. Eboraci tandem inter nostros sepultus sub hoc anno septimo Kalendas Februarij. Balæus, Einsengrineus, Pitseus, Iacobus de Plebe, Possevinus, Lucius, & Biscarretus.

Ioan. Bernegamus.

3 Claruit etiam eodem anno Ioannes Bernegamus eiusdem nationis, & nostri Ordinis Theologiæ Doctor; in omnibus scientijs, tam Sacris, quā prophanis nobiliter doctus, sed præcipuè in Theologia. Nam in subtilibus Sacræ Scripturæ Quæstionibus explicandis, in Concionibus ad populum declamandis, & in scholasticis difficultatibus dilucidandis, multum suo tempore enituit. Eorum vero, quæ scripsit solum præclarum opus super Magistrum Sententiarum *lib.* 4. reperitur. Pitseus, Trithemius, Possevinus, Bzouius *anno sequenti num.* 87. Lucius, & Biscarretus.

Ioann. Tilmæus.

4 Item Ioannes Tilmæus eiusdem quoque nationis, & nostri Conuentus *Gareni*, idest, ad ostium *Gareni* fluminis in Norfolcia, Prior, Cantabrigiensis Doctor, & in eodem Gymnasio aliquando professor, eodem anno claruit. Celebris quippe ei fama fuisse dicitur propter eruditas lectiones, subtiles disputationes, & pias ad populum conciones. Erat enim felicis ingenij, tenacis memoriæ, copiosæ eloquentiæ, solidæ doctrinæ, in moribus candidus, & sincerus, & vitæ per omnia integerrimæ. Nec contemnendos eruditionis, & ingenij sui fructus posteris communicauit. Scripsit enim in Apocal. Sancti Ioannis *lib.* 1. Compendium Sententiarum *lib.* 1. Lecturas scholasticas *lib.* 1. Sermonum 44. *lib.* 1. & alia nonnulla. Iacobus Seruita, Einsengrineus, Pitseus; referens etiam Lelandum, Possevinus, Lucius, & Biscarretus.

Ann.

Ann. Christi 1430. Martin. 5. Roman. Pontif. 13. Sigismundi Reg. Roman. 20. Ioann. Imper. Orient. 10. Ioannis Grossi Generalat. 20

1 CElebris est pro hoc anno historia illa de puella Aurelianensi, *Ioanna* nomine, quæ Gallos suos ab Anglis liberauit, multaque gessit, ob quæ mirificè ab illis extollitur; ab istis vero capta comburitur: an iuste, vel iniuria, digladiantur Scriptores. Quia tamen authoritate Callixti Tertij Pontif. Max. hæc Virgo innocens declarata fuit, ita tenendum, & Deus glorificandus, qui *infirma mundi eligit, vt confundat fortia*. De hac historia S. Antoninus, Siluius, Fulgosius, & innumeri alij. Puella Aurelianensis.

2 Cecidit hoc anno turris illa fortissima, & propugnaculum validissimum Ecclesiæ contra hæreticalem perfidiam, Venerabilis noster Thomas Vvaldensis. Cum enim pro coronatione Henrici Sexti adhuc pueri Anglorum Regis, qui Gallorum quoque Regnum sibi iure debitum arbitrabatur, Gallias profectus esset, Rothomagi diem clausit extremum, & in sui Ordinis Monasterio die tertio Nouembris tumulatus, in Domino sanctè quieuit. Non sine iactura Christiani Orbis obijsse, quæ gessit, docuit, scripsit, magnalia, testantur. Ipsius egregia facinora, quæ in Concilio Pisano anno 1409. & Constantiensi anno 1415. & apud Prussiam, & Lituaniam anno 1419. gesta diximus corroborant. Quæ vero scripsit; tot, & talia sunt, vt vix numerari, multo minus dignè commendari possint. Ferunt eum in omnes Sacrorum Bibliorum libros scripsisse scholasticam postillam; sed saltem edidit Commentarios in Genesim *librum vnum*; in Exodum *librum vnum*; in Leuiticum *librum vnum*; in Sapientiam *librum vnum*; in Epistolam Diu. Pauli ad Romanos *librum vnum*; in Acta Apostolorum *librum vnum*; in primam Sancti Petri Canonicam *librum vnum*; in Magistrum Sententiarum *lib.* 4. Quæstiones Ordinarias *lib.* 1. Lecturas ordinarias *lib.* 1. Determinationes *lib.* 1. de veritate Euangelica *lib.* 1. & super omnia exactissimum illud opus *Doctrinale fidei* nuncupatum, quod quatuor Tomis dissectum, Summo Pontifici Martino Quinto dicatum, & iussu ipsius reuisum, & recognitum, ac à Sede Apostolica commendatũ diximus in superioribus anno 1426. & 1427. Contra hoc egregium opus tres libros edidit Ioannes Balæus à Fide, & Religione nostra Apostata. Sed mille Balæi contra vnum Vvaldensem pro nihilo sunt, nec in aliquo prædicti operis grauissimæ authoritati derogare valerent. Scripsit præterea de Corpore Christi *lib.* 1. Dialogos de Fide *lib.* 7. de paupertate Christi *lib.* 1. de præscientia, & Prædestinatione *lib.* 1. Defensorium pacis *lib.* 2. Sermones coram Rege *lib.* 1. Sermones ad Clerum Oxoniensem *lib.* 1. Ser- Thom. Vvaldensis.

mones in funere Regis *librum vnum*; de Diuinatione ad Principes, *librum vnum*; de Religione perfectorum *librum vnum*; Fasciculum zizaniorum Vviclephi *librum vnum*. Contra quod etiam opus Balæus ille librum scripsit, sed etiam inaniter. Responsa in Concilio Pisano *librum vnum*; ad Clerum in eodem Concilio *librum vnum*; coram Sigismundo Cæsare Orationum *librum vnum*; ad Concilium Constantiense *librum vnum*; Epistolarum 164. *librum vnum*; Collationes solemnes *librum vnum*; Propositiones ad Principes *librum vnum*; Grauamina Fratrum contra Oxonienses *librum vnum*; in Remediarum Conuersorium *librum vnum*; de re Grammatica *librum vnum*; Sophismatum Strophas *librum vnum*; de Prædicabilibus *librum vnum*; de decem Prædicamentis *lib.* 3. Introductiones naturalium *librum vnum*; Quæstiones naturalium *librum vnum*; in Phisicam Aristotelis *lib.* 8. in eiusdem libros de Cœlo, & Mundo *lib.* 4. de Generatione, & corruptione *libr.* 2. in Meteora *libr.* 4. in libros de Anima *libr.* 4. Quæstiones de Anima *librum vnum*; in eius Metaphisicã *libr.* 12. in eius Ethica *libr.* 10. Lecturas, Epistolas, Ambasiata, & alia plurima Opuscula. Dicuntur autem omnia eius scripta Oxonij reperiri in noua Bibliotheca publica, partim MM. SS. partim Venetijs impressa.

Encomia Vvaldensis.

3 Hinc de illo tanquam de eximio Ecclesiæ, & Ordinis nostri Doctore, honorificam mentionem faciunt plerique authores grauissimi. Specialiter Raphael Volaterranus *lib.* 21. *Antropologiæ*, eum inter Beatos connumerans, Nicolaus Harpsfeldius *in histor. Vviclephiana* sic dicens: *Sed & ex his, qui contra Vviclephum egerunt, qui etiam nostram ætatem antecessere, cæteris Thomas Vvaldensis, & quem præceptorem ille suum appellat, Gulielmus Vvodfordius, palmam sibi præripiunt; quorum ego singularem diligentiam, & excellentem doctrinam, dum eorum libros perlegerem, non potui satis admirari*. Sixtus Senensis *in Bibliotheca*. Andreas Vega *de Iustificatione*, eum, *Fontem* appellat, à quo postea vniuersi, qui contra nouos Hæresiarcas scripsere, hauserunt. Alphonsus à Castro de eo dixit, & verissimè, eum ita *omnes errores Vviclefianos impugnaße, ita fidem Orthodoxam defendiße, vt ex multis, qui in vtroque laborauerunt, nemo vberius, neruosius, solidius, vtrumque præstiterit*. Iacobus Gualterius *in Tabula Chronographica sæculo* 15. eum appellat *Potentissimum Vviclephistarum, & Hussitarum flagellum*. Pitseus de eo loquens, & Alphonsi à Castro verba relata afferens, supra omnes ipsius laudes commemorat, & de eo plura egisse refert in Cathalogo, quem de Apostolicis Anglicanæ nationis Viris, conscripserat; Bzouius *sub hoc anno num.* 87. ipsius vitam cum laude commemorat. Commendatur etiam ab Hosio, Coclæo, & maximè Posseuino, non solum in *Apparatu in littera T.* dum de ipso agit, ac inquiens: *Scripta omnia Vviclephi, & Petri Vineæ, ac reliquarum pestium ab eodem Thoma Vvaldensi, & quidem Anglo, viro verè doctissimo, & sancto, fuisse omnino euersa*. De eo etiam scripserunt Lelandus, Balæus, Trithemius, Iacobus de Plebe, Bellarminus, & plerique alij, cum nostris Scriptoribus, Specialiter Biscarretus,

qui

qui plures ipsius Operum impressiones refert, & notam quandam eius libris appositam nostra ætate in Academia Cantabrigiensi Angliæ, ab Hæretico aliquo, vt videtur, inscriptam.

4 Inter Beatos illũ referunt Raphael Volaterranus adductus, Gerbrandus, Ægidius Faber, & Iulianus Hasart à Balæo relati, Einsengrineus eum absolute *Sanctum* vocat; quod etiã facit Posseuin. *sup.* Bzouius quoque ipsius vitam describens, titulo *Beati* eum in margine cohonestat. Cum opinione etiã sanctitatis obijsse, plures ex adductis notant. Cum eadem quoq; vixisse, rectè ponderat relatus Biscarretus, dum ab eo vocatur *firmus in fide, integer in Religione, omnique vitæ sanctimonia conspicuus*; & quod subiunxit: *Amplissimos honores sæpe oblatos, Euangelicam amplexus paupertatem, constantissimo animo recusauit, non sequens mundi fastum, sicut quidam modo faciunt.* Merito proinde honorifica sepultura in Conuentu Rhotomagensi, vbi obijt, decoratus dicitur; & Coria noster *in Chronic. lib. 11, cap. 19.* quamuis inter Sanctos eum non numeret, quia non est ab Ecclesia Canonizatus, bene tamen inter *Beatos Religionis*. Inter Beatos.

5 Circa eumdem annum quasi tantam Ordinis iacturam ob mortem pijssimi Doctoris Vualdensis resarcire volens Deus, ad eumdem Ordinem nostrum vocauit Thomam Scropum Anglum, Benedictinum primò Monachum. Hic nobilissima familia natus, claritatem generis optimis litteris, & præclaris virtutibus illustrauit. Relicta enim Benedictina Religione ad arctioris vitæ genus aspirans Mendicantem Carmelitanum accepit. In Cœnobio Norvvicensi Professionem, & habitum suscipiens, vitæ austeritate, doctrina, & exemplo mirè effulsit Ecclesiæ Dei, & Religioni nostræ. Sacco Cilicino, & catena ferrea circuncinctus mundo Euangelium prædicabat. Extra prędicationem fere semper cella inclusus vitam ibi agebat Anachoreticam, donec ab Eugenio Quarto anno 1446. ab hac vita Eremitica ad Episcopatum Dromorensem in Hibernia, & postea ad munus Legati in Rhodios vocatus fuit. Hæc inter alia, quæ de ipso dicimus sub ann. 1446. 1449. & 1491. Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*, & Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 896.* Thomas Scropus.

De Bartholomæo Roquali 22. Generali.

6 HAbita etiam est eodem anno 1430. Ordinis Synodus Generalis in Conuentu Nannetensi Prouinciæ Turoniæ quarta die Iunij in festo Pentecostes. Vbi cum Reuerendiss. Magister Ioannes Grossi, attenta prouecta sua ætate, corporisque, & membrorum debilitate, libere, ac sponte resignasset Generalatus officium, Magister Bartholomæus de Roquali vnanimiter, & concorditer ab omnibus ritè, & canonicè in Generalem est electus. Constat hoc apertè ex Libro Ordinis fol. 34. & 35. Vnde habetur errasse Arnoldum Bostium, dum lib. 7. Specul. historiali cap. 48. dicit anno 1424. obiisse Ioannem Grossi Generalem, & Generale Capitulum.

anno sequenti electum fuisse Bartholomæum Roquali,& Ioannem Faci anno 1430. Ac Palæonydorum *lib.3. cap* 14. Bostium sequendo. Etenim, non anno 1425. sed anno 1430. hoc Capitulum habitum fuit, nec è vita decesserat Ioannes Grossi, sed Officium resignauit, & per aliquot annos postmodum vixit, vt ex dicendis notum erit, Nec Ioannes Faci electus in Generalem fuit nisi in Capitulo Rauespergensi anno 1434. In multis ergo hallucinantur isti Authores circa horum Capitulorum celebrationem; quia videlicet Librum, seu Registrũ Ordinis nõ viderunt, sicut nos vidimus.

Nominati in Capitulo.

7 Numerantur in hoc Capitulo Diffinitores Siciliæ, Angliæ, Romæ, Franciæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hyberniæ, Bononiæ, Tholosæ, Scotiæ, Vasconiæ, Turoniæ, & Aragoniæ, A quibus, more solito, taxatæ sunt Prouinciæ pro communibus Ordinis expensis: inter quas computantur eę, quæ factæ, & faciendæ erant pro Reuerendissimo Ioanne Grossi veniendo ad hoc Capitulum Generale, & redeundo ab eodem. Pro cuius etiam congrua sustentatione designantur ex communibus Ordinis quinquaginta ducati annuatim soluendi. Liber Ordinis *fol.* 34. *columna* 2.

Instituti ab Officiis.

8 Instituti sunt Prouinciales Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ(quæ est Castella) Hiberniæ, Prouincię, Scotię, Thusciæ, Bononiæ, Catalonię, Alemanię Superioris, Vasconię, Bohemiæ, Turoniæ, & Aragonię, Prouincialis autem Tholosæ electio remittitur Reuerendiss. Generali Bartholomæo Roqualio, vt eam faceret in Capit. Prouinciali eiusdem Prouinciæ proximè celebrãdo. Quod ideo factum absdubiè fuit, quia ipse Gener. Bartholomæus Prouincialis illius Prouinciæ venerat ad Capitulum, & ob eius assumptionem ad Generalatum Prouincialatus vacauerat. Ordinati etiam sunt Prior Curiæ Romanæ Procurator Generalis Ordinis, Regens in Curia Romana, Socij Generali, Regens Auenionis, Prior, & Regens Parisiorum, Lectores Sententiarum, & Bibliorum Parisijs, & Biblici Tholosæ, Auenione, Bononiæ, & in Vniuersitate Romana, Liber Ordinis, fol. 34. & 35.

Decreta.

9 Quoad decreta, omissis quibusdam minoris notę, primo Ordinatum fuit, quod Magistri extraordinarij, qui *Bullati* ibi appellantur, locum, & vocem vbique teneant post ordinariè promotos, ex quo habetur iam ab illo tempore inquietari cepisse Ordinem ob Magistros *de gratia* nuncupatos; volentes æquari ijs, qui de iustitia gradus Magisterij obtinuerant. Secundo, quod Prouinciales mitterent ad Generalem copias omnium Bullarum à Sede Apostolica nostro Ordini indultarum infra tres annos, sub pœna excommunicationis. Tertio, quod quilibet Sacerdos Ordinis dicere deberet tres Missas de Spiritu Sancto, tres de Beata Virgine, & quinque de Mortuis, pro Fratribus, & Benefactoribus. Liber Ord. *fol.* 35.

PP. Illustriores.

10 Clariores Ordinis nostri Patres, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt, primus, Generalis Magister Bartholomæus Roqualius, Reuerendissimus Magister Ioannes Grossi exGeneralis, Magister Ludouicus Sadoch

Diffi-

Diffinitor Siciliæ, Magister Ioannes Keningalus Diffinitor, & Prouincialis Angliæ, Magister Ioannes Martini Diffinitor, & Prouincialis Hispaniæ, idest Castellæ, Magister Thomas Auis Prouincialis Franciæ, Magister Ioannes Fasci Prouincialis Prouinciæ, Procurator Generalis Magister Natalis de Venetia, Ioannes Soreth Lector Bibliorum Parisijs pro an. 1433. Bardinus Sansonis Lector Sententiarum ibidem pro anno sequenti. De quibus cum alijs suis locis.

11 Parum ab hoc anno Conuentus Calatafimensis in Sicilia, & Diœcesi Mazariensi acceptus creditur; teste Rocho Piirro *in notitijs eius Ecclesiæ*, huius Cœnobij fundationem sic describens, *ab* anno 143. . denotans sanè paulo post hunc annum contigisse. Conuentus Calatatimẽsis.

Ann. Christi 1431. Eugen. 4. Roman. Pontif. 1. Sigismundi Reg. Roman. 21. Ioann. Imper. Orient. 11. Bartholomæi Roqualls Generalat. 2.

1 Obijt hoc anno Martinus Pontifex mense Februarij. Antequam autem ex humanis discederet, Concilium Generale ad præscriptum Concilij Constantiensis Basileæ celebrandum indixit. Eugenij 4. electio. Successorem Patres dederunt Cardinalem Condulmerium, qui Eugenij 4. nomine ad quartum nonas Martij inauguratus est: Prædecessorisque vestigia sequens Concilium Basiliense indixit. Quibusdam autem impedimentis subortis, potestatem dedit Legato Cardinali Iuliano Cæsarino à Martino Quinto electo, & à se confirmato, vt Basiliensem Synodum dissolueret, Bononiamque transferret. Cum autem, qui aduenerant, quorumdam persuasione Papæ obedire nollent, sed prosecutioni Concilij attenderent, ipse Pontifex authoritate sua, & diplomate dato illud dissoluit, Bononiamque transferendum decreuit. Sed nihilominus Basilienses in proposito continuationis Concilij permanentes, aliquas sessiones habuerunt, Concilium supra Papam esse affirmarunt, & pestilentissimo schismate à Christi in terris Vicario disiecti sunt. Sic ferme constanter vetusti, & moderni Chronologi.

2 Adfuerunt huic Basiliensi Concilio ex nostri Ordinis Professoribus, Concilij Basiliensis celebratio. etsi diuersis temporibus, plures, specialiter, provt habetur in Libro Ordinis fol. 36. dum numerantur expensæ Capituli Generalis Rauespergensis Prouinciæ Alemaniæ Superioris anno 1434. celebrati, Vicarius Prouincialis eiusdem Prouinciæ, qui, vt ex eodem Capitulo colligitur, erat, Lector Simon de Rezir, seu Rizer; Magister Natalis de Venetia Procurator Generalis; Magister Thomas Auis Prouincialis Franciæ; & Magister Ioannes Barach. Insuper in eodem Capitulo statutum fuit, quod assisterent prædicto Concilio Basiliensi Reuerendissimus Generalis Ordinis, qui tunc erat Magister

gister Ioannes Faci; Magister Ioannes Keningalus Prouincialis Angliæ, Magister Petrus de Nona Ecclesia Prouincialis Germaniæ Inferioris; Magister Hieronymus de Castellano Prouincialis Lombardiæ; & Magist. Natalis de Venetia Prouincialis Romæ, & Procurator Generalis Ordinis; & pro expensis in dicto Concilio per quatuor menses faciendas illis assignati fuerunt ducenti floreni. Adfuit, & eidem Concilio Ioannes Gauuer, alias Theutonicus, de quo dicimus sub an. 1437. Astitit etiam Ioannes Langtonus Anglus ex Ordine nostro ad Concilium missus, & in eo mortuus, vt dicemus anno 1433. & 1434.

Arnaldus de Limone.

3 Eodem anno idibus Augusti Papa Eugenius Arnaldum Gulielmum de Limone Ordinis nostri, ex Pœnitentiario Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, ad idem munus gerendum in Ecclesiam Sancti Petri transtulit. Extat Bulla quam vidimus in Archiuio Vaticano sub hoc anno primo Pontificatus Eugenij.

Regulæ mitigatio.

4 Hoc etiam anno 1431, vt tota Historicorum nostri Ordinis cohors tuetur, Eugenius Quartus Summus Pontifex Regulæ nostræ mitigationem fecit. in Bullæ etenim data hic annus designatur. Sed valde mirandũ est viros doctos in tam apertum errorem cæcis oculis incidisse. Si enim, vt in prædicta Data habetur, quinto decimo Kalendas Martij diploma fuit cõcessum, cum Eugenius ea die Pontifex nondum fuerit, nec eius Prædecessor Martinus vita functus, quippe Martinus obijt 23. Februarij an. 1431. & Eugenius in Papam electus mense Martio sequenti eiusdem anni, quo iure existimare potuerunt eo anno datam Bullam fuisse. Deinde, vt in Data habetur, concessa fuit primo anno Pontificatus Eugenij, primus autem annus Eugenij incipit à mense Martio anni 1431. vsque ad Martium anni 1432 Cum ergo dies Datæ sit quintus decimus Kalendas Martij, qui est in mẽse Februarij, manifeste elicitur mense Februarij anni sequentis 1432. factam Bullam. Erroris causa nostris Historicis fuit non animaduertisse annorum computationem in Bullis, aut Rescriptis, vbi designatur annus *ab Incarnatione Domini*, sumendam non esse à die Natalis Domini, seu prima die Ianuarij, sed à 25. Martij, quæ est dies Annunciationis B. Virginis. Quia ergo in prædicta Bulla annus computatur ab Incarnatione Dominica, ideo data dicitur anno 1431. cum tamen secundum computum nostrum, quo annorum initium sumimus à prima die Ianuarij annus ille esset 1432.

Bartholom. Roqualius.

5. Eodem tamen anno, vel circiter, Bartholomæus Roqualius Ordinis nostri Generalis Prior ad Episcopatum Massiliensem assumptus est, cum breui tempore Generalatum gessisset, vt propterea ab aliquibus ex nostris historicis inter Generales non computetur. Assumptum autem ad Episcopatum Massiliensem Roqualium nostrum fuisse communi calculo tenent Ordinis Historici, specialiter Bostius *lib.* 7. *cap.* 48. Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 14 & alij post ipsos, & de exteris Conradus Gesnerus *in Biblioth.* Claudius Robertus Lingoniensis *in Gallia Christ. in Catal. Episcop. Massilien.*

De

De Ioanne Faci General. 23.

6 QVis post assumptionem Bartholomæi Roquali ad Massiliensem Episcopatum Ordinem rexerit, non satis compertum in nostris historijs. Veruntamen, quia in Bulla Eugenij 4. de qua anno sequenti, quam vidimus pro hoc intento in Archiuio Vaticano, Magister Ioannes Faci Generalis Ordinis tunc nominetur, credendum proculdubio, Apostolica authoritate Papæ creatum fuisse, etsi in libro Ordinis nihil tale reperiatur. Verum quidem est in eodem Libro in Actis Capituli Generalis Rauespergensis anno 1434. in Germania habiti, vocari Vicarium Ordinis Simonem Rizer Germaniæ Superioris Prouincialem: sed id, vt credimus, contigit, quod cum hac tempestate schisma esset inter Papam Eugenium, & Basiliense Concilium, Papa Ioannem Faci in Generalem elegerit, Concilium autem Simonem illum Vicarium Ordinis nominauerit. Schisma autem hoc Ordinis in prædicto Rauespergensi Capitulo, vbi in Generalem à toto Ordine admissus est Facius extinctum fuit. Ioann. Faci Generalis.

7 Obijt sub eodem anno prima die Nouembris magnus ille Ordinis nostri Alumnus, Maximus Equitum Lusitaniæ Magister, Portugalliæ Comestabilis, Barcelosi, & Oreni Comes, non armis modo, sed etiam curis ciuilibus, Illustrissimus Nuñus Aluarus Pereira. Hic, Olissiponensi nostro Cœnobio erecto, ibique habitu Conuersorum, vel Semifratrum more suscepto, vt diximus anno 1422. egregia facinora, egregia gesta, insigniaq; trophæa, sancta morte coronauit. Humanarum rerum inconstantiam veritum, quidam putant intra Monasterij Claustra inclusum, sed de ipsius animi generositate potius diuinum promeriturum numen, errataq; iuuentutis correcturum, id egisse iudicandum. Sanctè in eo vixisse ibidem scripsimus. Sanctis ergo operibus intentum, Ecclesiæ Sacramentis susceptus, à fratribusque humiliter benedictione habita, Beatæ Virginis, cui fuerat deuotissimus, visione, vt dicitur, consolatum mors oppressit, ætatis anno 71. ex quo Magister Equitum factus erat 46. funus Rex Ioannes Lusitanorum primus insigni apparatu curauit, omnium Ordinum concursu. Id enim pignus amoris Defuncti meritis dedit, cui debebat imperium. In eodem ergo suo, & nostrorum Cœnobio conditum honestissimè manet. Hoc elogium aliqua ipsius gesta enarrat: Nuñus Aluarus Pereira.

Qui Lusitanæ supremo munere gentis
Militiæ functus, officioque Ducis,
Et Bargantiaci generosi stemmatis Auctor,
Regibus, & multis foris, & origo fui
Exhaustis postquam bellis, sceptrisque relictis
Vnus Carmeli de grege factus eram.

De

Authores. 8 De ipso plures Authores, specialiter Antonini Vasconcellius Iesuita in Anacephaleosi Regum Lusitaniæ Anacephaleos. 13. dum loquitur de Eduardo primo Portugalliæ Rege, & Ioanne Emmanuele ipsius filio, Ordinis nostri professore, & Episcopo Septensi, & Egitanensi. Ioannes Mariana *in historia Hispana* sæpius, maximè *lib.* 21. *cap.* 4. vbi post alia *Eius* (inquit) *semper in Hispania viuet authoritas, memoria vigebit*. Didacus Coria *in Chronica Carmelitarum l.b.* 11. *cap.* 21. eius vitam describens, Franciscus Rodriguez Lupus, qui eius gesta Lusitano poemate per 20. cantus egregio libro cecinit. Ioann. Cartagena *in homil.* Bzouius *sub hoc anno*, & alij plures.

De Beati titulo. 9 Cultum Beati illi tribuendum videntur probare pia, & sancta opera, quæ viuens gessit, antiquæ ipsius cum radijs depictæ Imagines, miracula, quibus post obitum claruisse describitur, visiones Beatæ Mariæ Virginis, quas etiam habuisse traditur, & vox populi Lusitani, qui eum antonomasticè *Conte Santo*, idest, *Sanctum Comitem* appellat. Veruntamen, etsi piè credamus ipsum Dei visione in Cœlo cum Sanctis gaudere, nullum tamen *Sancti*, aut *Beati* cultum illi adscribimus, donec Sedis Apostolicæ suffragio illi concedatur. Esto, quod *Beati* titulo ob antiquum huius cognominis ipsi tributi vsum, appellari posse videatur.

Eius Soboles 10 Vnum non prætermittendum de hoc egregio Viro, etsi obiter, & incidenter, quia nostrum potius est gesta eius sancta, & religiosa commendare, quàm sobolem, & progeniem recensere. Eum videlicet, Patrē, fontem, & originem plurimis Europæ Regibus, ac Principibus extitisse. Ex vnica enim hærede filia Beatrice, quæ nupserat Alphonso Ioannis primi Lusitaniæ Regis filio Nepotes habuit Alphonsum Comitem Aurenensem, & postea Marchionem Valentiæ; Ferdinandum Comitem Arraiolensem, ac Marchionem Villæ vitiosæ: ex quibus Illustrissimæ Principum, & Magnatum Castellæ, & Lusitaniæ familiæ, originem trahunt, ac Elisabetham, quæ Ioanni Ioannis Regis filio, auunculoque suo nupta mater fuit Beatricis, & Elisabethæ, ex quibus non solum Lusitaniæ, & Castellæ Reges, sed; & Imperatores Carolus Quintus, Ferdinandus, & alij similes Dinastę prodierunt. Inter quos iure censemus Serenissimos Duces Sabaudiæ, & Parmæ, cum alijs, quos longum referre. Sufficiat breuiter indicasse Nunium hunc Carmelitam Patrem, & originem extitisse cunctis ferè Regibus, & Principibus Europæ. De quo Didacus Coria, & Franciscus Lupus locis relatis, quibus iungitur Duardus Nonnius *in lib. de vera Regum Portugallię genealogia*.

Conuentus Eppeniensis. 11 Eodem etiam anno Eppeniense Cœnobium in Vngaria, sub nostrorum ditione erat. Nunc autem, tum Turcarum rabie, tum Hæreticorum perfidia vix nomen inter nostros retinet, licet in MM. SS. monumentis piorum reseruetur. Bartholomæus Eiselim *in Relat. Conuent. German. ad Reuerendiss. Theodor. Strat.*

Erat

12 Erat per id tempus in Siciliæ Regno inter nostros vnus Fr. Gerardus de Drepano, quem, vacante Sede Episcopali Pactensi, quam olim obtinuerant Beatus Petrus Thomæ, & Philippus de Ferrario in superioribus relati, Canonicorum Capitulum pro Episcopo postulauit: sed id non admisit Rex, dicens sui iurispatronatus esse electionem. Ita Rochus Pirrhus *in notit. Ecclesi. Pactens. num. 14.* Gerardus de Drepano.

12 Circa idē etiam tempus Martinus Sculthropius natione Anglus, patria Norfolcensis, Sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, Ordinem nostrum decorabat. Fuit enim Concionator suo tempore non incelebris, & multiplici eruditione nobiliter instructus. Cuius hæc opera in quibusdam Bibliothecis reperta nominamus, Conciones Academicas Latinas *lib. 1.* Determinationes scholasticas *librum vnum*. Lelandus, Pitseus, & Biscarretus. Martinus Sculthropius.

Ann. Christi 1432. Eugenij 4. Roman. Pontif. 2. Sigismundi Reg. Roman. 22. Ioann. Imper. Orient. 12. Ioannes Faci Generalat. 2.

1 Contentio erat hoc anno inter Papā, & Congregatos Basileę pro Concilij celebratione, Papa nolente eius continuationem, illis autē eā volentibus. Accusabatur Pontificis contumacia, pluraq; decreta contra ipsum fiebant. Sic ex Actis Concilij Scriptores cōmuniter. Contentio.

De Septimo Ordinis Statu, & Regulæ mitigatione per Eugenium Papam Quartum.

2 Caepit ab anno 1432. Ordinis nostri notabilis mutatio, non in habitu, aut professione, sed in Regulæ, eius videlicet, quam à B. Alberto Hierosolymorum Antistite acceperat; & quam eo vsque professa fuerat, mitigatione, seu moderatione. Obseruauerant Patres nostri iampridem Regulam prædictam Alberti ab anno 1247. iuxta correctionem, seu declarationem factam iussu Innocentij Quarti per Hugonem Cardinalem S. Sabinæ, & Gulielmum Anteradensem Episcopum, vt vidimus circa eum annum; & sub ipsius obseruantia plures, celeberrimique Sancti, Doctores insignes, Prælati clarissimi, pijssimiq; Religiosi; Deo sanctè vixerant, & mundo odore bonæ vitę salutaria documenta præbentes, optatum fructum per vniuersum ferme Orbem plantati mirifice retulerant. Quia tamen longa experientia compertum habebatur propter arctitudinem, & rigorositatem Regulæ, vtpote, quia ab ipsa præcipiebantur abstinentia perpetua carnium, ieiunia ab Exaltatione Sanctę Crucis vsque ad Pascha Resurrectionis, Dominicis diebus exceptis; iugisque, ac cōtinua die, ac nocte in cellis clausura, nonnullos Ordinis Professores, tam Regulæ mitigatio.

ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea dispendium suæ salutis sæpius incurrisse, plures etiam sæculares asperitatem huiusmodi pertimescentes ab ingressu in Ordinem retardari, ideo ad Summum Pontificē Eugenium Quartum pro huiusmodi rigore, ac Regula moderandis, ac mitigandis recurrere decreuerunt.

Pontifex annuit.

3 Pontifex autem, prędictis ponderatis rationibus, & præsertim ad Ordinis conseruationem attendens, quę absdubiè temporum, & personarum qualitatibus perspectis talem Regulæ rigorem quadamtenus moderari exigebat ad instantiam Generalis, Prouincialium, Priorum, & cœterorum fratrum diploma concessit, in quo tria prędicta Regulæ Capitula, *de abstinentia carnium, ieiunio, & mansione in cellulis* mitigauit, & reformauit. Eius porro copiam damus ex Registris Vaticanis extractam, quod ea, quæ communiter circumfertur aliquibus scateat erroribus. Id solum in Data Bullæ animaduertendum iuxta dicta sub anno præcedenti, quod licet in ea ann. 1431. designetur (quia annus in illa cōputatur ab Incarnatione Christi, qui à die 25. Martij initium sumit) quia tamen secundum commune, & historicum computum, quo annus à prima die Ianuarij habet exordium, annus ille erat 1432. ideo in hunc annum Bullæ concessionem referimus: quæ est huiusmodi tenoris, ex Mari Magno Religionis per Ioannē Mariam de Pollucijs collecto extracta: ea etenim, quæ ad finem nostrarum Constitutionum habetur aliquibus, vt diximus, scatet erroribus.

Bulla Eugenij Papæ.

4 *Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis prouidentia circumspecta nonnunquam ea, quæ ad propagationem Religionum quarumcunque, & in illis diuinis obsequijs mancipatarum personarum prosperum statum conseruandum, ac animarum salutem earumdem salubriter instituta fuerant, si fructum non afferant exoptatum reformat, & moderatur, & vt Religiones ipsæ, præsertim à Sede Apostolica approbatæ, in suo vigore perdurent, prout temporum qualitate pensata in Domino prospicit expedire, libenter impendit solicitudinis suę partes. Sanè cum, sicut nobis pro parte dilectorum filiorum Ioannis Faci Magistri Generalis, & Prouincialium, & Claustralium Priorum, & vniuersorum fratrum Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli nuper fuit expositum, quod cum in certis Capitulis Regulæ fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Hierosolymitanum traditæ, inter cætera caueatur expressè, quod fratres Ordinis prædicti ab esu carnium abstineant, nisi pro infirmitatis, aut debilitatis remedio sumantur. Eisdem etiam, quod singulis diebus, Dominicis duntaxat exceptis, à festo Exaltationis Sanctæ Crucis, vsque ad festiuitatem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ieiunare teneantur. Quodque etiam singuli eorum manere debeant in cellulis suis die, ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes præcipitur; & propterea nonnulli ipsius Ordinis Professores, propter arctitudinem, atque rigorositatem Regulæ huiusmodi, tam ex fragilitate humana, quam ex debilitate corporea nequeuntes eamdem Regulam obseruare, dispendium suæ salutis incurrunt. Quamplures*

plures etiam asperitatem huiusmodi pertimescentes ab ingressu eiusdem Ordinis retrahuntur. Nos vero, qui & plantare Sacram Religionem, & plantatam modis omnibus fouere intensis desiderijs affectamus; super hoc quantum nobis est possibile prouidere salubriter cupientes; & rigorem huiusmodi quadam temperie mitigantes, ac Regulam ipsam moderantes, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, ordinamus, ac concedimus, quod dicti Ordinis Professores, qui nunc sunt, & qui pro tempore erunt, tribus duntaxat diebus singularum septimanarum, etiam quibus, vt praefertur, ieiunare, iuxta eamdem Regulam sunt astricti, praeterquam in Aduentu, & Quadragesima, & alijs generaliter prohibitis diebus, carnium vesci, ac horis congruis in eorum Ecclesijs, & in illarum Claustris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare libere, & licitè valeant. Decernentes, eos, & eorum singulos circa praemissa ad arctiorem obseruantiam, quam supra exprimitur, occasione professionis in dicto Ordine emissę, vel in posterum emittendae minimè teneri. Et nihilominus Fratribus eisdem, qui Regulam ipsam, ita vt praemittitur moderatam obseruauerint, quod eis in remissionem proficiat peccatorum, & omnibus, ac singulis priuilegijs, indulgentijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, protectionibus, & praerogatiuis eidem Ordini à Sede Apostolica per antea concessis, vti, & gaudere possint, eadem auctoritate concedimus per praesentes, Constitutionibus Apostolicis, & Statutis, consuetudinibus, & praedictis, ac alijs Ordinis, ac Regulae praedictorum Capitulis, iuramento confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate vallatis, caeterisque contrarijs non obstantibus quibuscunque. Et vt Fratres ipsi in humilitatis, & paupertatis spiritu, ac castimonia virtutum Domino famulantes ad huiusmodi mitigatam Regulam obseruandam feruentius animentur, omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis praesentibus, & futuris dumtaxat, qui Regulam ipsam sicut praetermittitur moderatam deuotè obseruauerint, seu in obseruantia ipsius obierint, vt Superiores ipsorum dicti Ordinis Professores, vel alius quicunque idoneus eiusdem Ordinis Sacerdos, omnium peccatorum suorum, de quibus, corde contriti, & ore confessi, fuerint, semel tantum in mortis articulo, plenam remissionem eis, in sinceritate fidei, vnitate Sanctae Romanę Ecclesiae, ac obedientia, & deuotione nostra, vel Successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium; necnon obseruantia praedicta persistentibus, auctoritate Apostolica concedere valeant, deuotioni eorum tenore praesentium indulgemus. Sic tamen, quod ijdem Superiores de ijs, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eisdem Fratribus per ipsos, si superuixerint, vel per alios, si tunc forte transierint, faciendam iniungant, quam ipsi Fratres teneantur facere, vt praefertur. Et ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam praedicti Fratres reddantur procliuiores ad illicita in posterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi praedicti Fratres aliqua fortè committerent, quo ad illa praedicta, remissio eis nullatenus suffragetur. Et insuper, quod per vnum annum, ex quo praesens nostra concessio ad eorum Fratrum pro tempore existentium notitiam peruenerit computandum, singulis sextis ferijs, impedimento legitimo cessante ieiunent. Quod si praedictis ferijs ex pręcepto Ecclesiae, Regulari obseruantia, iniuncta poenitentia, voto,

vel alias, ieiunare teneantur, vna alia die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum non sint astricti, ieiunent. Etsi in dicto anno, vel aliqua eius parte essent legitimè impediti, anno sequenti, vel alias quam primum poterunt, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Porro si forsan alias prælibatum ieiunium in toto, vel in parte quandocunque adimplere commode non potuerint, eo casu Superiores ipsorum ieiunium ipsum in alia pietatis opera, prout animarum illorum saluti viderint expedire, commutare valeant, quæ ipsi pari modo debeant adimplere; alioquin huiusmodi nostra præsens concessio, quoad non obseruantes duntaxat nullius sit roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, Ordinationis, Constitutionis, concessionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo trigesimo primo, quintodecimo Kalendas Martij, Pontificatus nostri anno primo.

A quo Generalis;

5 Sed à quo Generali hæc Regulæ mitigatio postulata sit, aliqui sine causa in dubium vertunt. Et sunt qui asserant Bartholomæum Roqualium, de quo anno præcedenti diximus, eam postulasse, mediante Ioanne Faci Procuratore Generali Ordinis, & propterea errorem esse in Bulla, dum Ioannes Faci in ea Generalis vocatur, qui nonnisi Procurator Generalis tunc erat. Sic habet Petrus Lucius *in Compend. historial. cap. 14.* & Didacus Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 12. cap. 2.* Sed hi Patres, bona ipsorum venia, media luce offendunt, & turpiter errant. Cum enim in ipsamet Bulla (prout ex ea constat) & etiam ex originali Archiuij Vaticani, quod ad hoc intentum oculis nostris perspeximus) dicatur pro parte *Ioannis Faci Magistri Generalis* petitionem Papę factam, quo iure in dubium id reuocare præsumunt? Errant etiam, dum credunt hoc anno Roqualium Generalis, & Facium Procuratoris Generalis, munus egisse; cum vere Facius ipse, assumpto iam Roqualio ad Episcopatum Masiliensem, Generalis esset, & Ordinis Procurator Generalis Natalis de Venetia, vt ex Libro Ordinis constat. Quod autem opponunt, videlicet ex quodam Instrumento publico acto Basileæ, quod habetur in Speculo Ordinis pag. 65. haberi hanc Regulæ mitigationem à Concilio Basileensi per Ioannem Faci tunc Procuratorem Generalem vocatum postulatam fuisse, error est peior priore. Tum quia tunc Facius non petebat Regulæ mitigationem à Concilio Basileensi, sed authenticationem quarumdam litterarum, seu Bullarum Eugenij Papæ, quarum vna est ea, quam adduximus de Regulæ mitigatione. Tum quia ipse Facius expresse nominatur etiam bis in dicto instrumento Magister Generalis, quamuis simul Syndicus, & Procurator ad prædicta etiam nominetur. Tum quia anno 1435. quo prædictum Instrumentum fuit confectum, certus, & indubitatus Ordinis Generalis Facius erat. Male ergo re perspecta prædicti Patres de hoc puncto scripserunt.

Melius

6 Melius dubitari posset quomodo in prædicta Bulla dicatur instantiam Papæ factam ex parte Generalis, Prouincialium, Priorum, & cæterorum Fratrum, &c. Cum enim in Capitulo Generali Nannetensi anno 1430. celebrato, aut aliquo alio Capitulo nihil de hoc negotio actum, vel tractatum reperiatur, non videtur ex consensu omnium Prouincialium, Priorum, & Fratrum rem factam. Sed facile solui nodus potest, si dicamus, re vera in prædicto Nannetensi Capitulo de hoc puncto actum, maturaque discussione decretum, quod à Papa prædicta Regulæ moderatio postularetur, quamuis in actis Capituli nihil de eo scriptum reperiatur, quod non semel euenisse in alijs Capitulis comperimus. Deinde, esto, quod in Capitulo prædicto nihil de hoc negotio discussum fuerit, potuit Generalis Facius nuper à Papa electus, habita per litteras consultatione cum Prouincialibus, Prioribus, & cæteris Ordinis Fratribus, ipsorumque consensu, rem pertractare. Quo ex his modis res acciderit, incertum, sed prior maiorem credibilitatem præsefert. Dubiū aliud

7 Cum autem in hac Eugeniana Bulla nihil, vel vnum verbum, conspiciatur, quo Pontifex præcipiat Regulam eo modo ab ipso moderatam obseruari, in quo differt hæc Regulæ mitigatio ab ea, quam fecit Innocentius Quartus anno 1247. per Bullam, quam eo anno retulimus (prout notarunt Hieronymus Gratianus in Disciplina Regulari 1. *par. cap.* 5. §. 4. & Ioannes Pintus de Victoria *in Hierarc. Carmelit. tractat.* 2. *c.* 16.) in prædicta enim Innocentij Quarti Bulla expresè nostris dicitur *Regulam declaratam, & mitigatam firmiter obseruetis, & ad instar eiusdem alias Regulas vestras corrigi faciatis*, ideo liberum fuit Patribus, & Conuentibus Ordinis hanc Eugenij mitigationem acceptare, vel respuere. Propterea Conuentus Montis Oliueti iuxta Genuam Vrbem de anno 1514. extructus, Eugenij mitigationem non suscepit, sed vsque ad hæc nostra tempora Innocentij Quarti declarationem, & mitigationem sequitur. Notatio.

8 Circa id, quod in hoc Eugenij diplomate habetur, de ieiunio seruando per vnum annum singulis sextis ferijs, vel alio die, à nostris fratribus, postquam ad eorum notitiam præsens concessio peruenerit, id ànimaduertendum, quod quamuis plures existiment positum esse à Pontifice pro gratia mitigationis Regulæ potienda, & ita sit ipsis consulendum, eo, vel maximè, quia ita aliquo modo in ipso Bullæ contextu denotari videtur; probabile tamen est positum non esse nisi pro obtinenda Indulgentia plenaria in articulo mortis, quam ijsdem Religiosis ibi concessit. Ita enim infertur, tum ex contextu Bullæ, tum ex alia simili eiusdem Eugenij pro Monachis Benedictinis Vallisoletani Monasterij, & ita diximus *in nostra Summ. Quæst. Regul. cap.* 7. *num.* 5. sequentes Ioannem Pintum de Victoria *in Hierarc. Carmelit. Tract.* 2. *cap.* 16. Dubitatio.

9 Sunt autem quidam, qui adeo toruo aspectu, iniquis oculis, & auersa facie hanc Regulæ moderationem ab Eugenio factam aspiciant, vt Opinatio quorundam.

post

post ipsam nedum nostrorum spiritum mitigatum; sed & propterea nullum in Ordine Sanctum, aut rem memoria dignam fuisse, litteris commẽdauerint. Verba sunt cuiusdam ex nostris (cuius nomini parcitum volumus) doctrina, & grauitate præclari, si hoc vnum demas, quod in tam crassum prolabens errorem, non paucas excitarit tragædias, seminans inter Fratres discordias. Qua charitate id fecerit iam á Deo iudicatus est: quanta porro falsitate, ea, quæ in sequentibus afferemus, manifestè ostendent. Ex eis enim constabit, post istam Eugenianam mitigationem, plures vtriusque sexus vitæ sanctimonia conspicuos claruisse; plerosque Prælatijs, & Dignitatibus illustres Ecclesiam totam decorasse; quamplures voluminibus, & libris à se editis Orbi Christiano illuxisse; alios sanguine, & nobilitate præclaros extitisse; multos præterea etiam miraculis, & signis corruscasse. De quibus tam in hoc, quam in sequenti Tomo, Deo dante, dicemus: in confusionem sanè huius, quem tacito nomine, referimus, authoris.

Concilij Basiliensis gesta

10 Vt autem ad historiæ nostræ, à qua digressi sumus, cursum regrediamur; dum Synodus Basiliensis, quæ hoc anno ab Ecclesię Prælatis Basileæ congregatis habebatur, contra Papam insurgens, plura contra ipsum, vt diximus supra, decreta edidisset: videlicet *sess.* 2. Synodum immediatè à Christo potestatem habere, & Papam ipsi obedire teneri, nec ab eo dissolui, aut ad alium locum transferri posse: Et *sess.* 3. idem prosequens intentum, Papam Monitorio interpellans; aliaque plura in sequentibus sessionibus contra ius diuinum, authoritatemque Summi Pontificis; quem supra Concilium esse pro comperto est, agens, ac decernens: proculdubio nobis occurrere potuit, hoc tantum, tamque Ecclesiæ perniciosum piaculum prædixisse nostrum Sanctum Cyrillum Montis Carmeli Eremitam, de quo in superioribus plura diximus; dum in suo ibi relato Oraculo Angelico *cap.* 8. dixit: *Volauit Palumbus nidificans in corona Vranici*. Per palumbum enim Spiritus Sanctus designatur, qui sub Columbæ specie super Discipulos venit. Volasse autem dicitur, quatenus huic Patrum Congregationi in Pontificem insurgenti defuit; affuturus, si ritè, & legitimè sub obedientia Papæ processisset. Ideo enim dicitur Spiritus Sanctus *Nidificans in corona Vranici*, idest, assistens semper Generali Ecclesiæ Concilio sub Papæ obedientia procedenti. Quod *Vranicum* vocatur ab *Vrano*, idest, *Cęlo*; cum Concilia, & Conciliares Patres, Cælum, & cælestia solum, aspicere teneantur. Eo autem hæc attulimus, vt eiusdem Sancti Cyrilli prophetia, tam sæpe in alijs pluribus Ecclesiæ euentibus comprobata, vt sæpius vidimus, etiam in isto suæ veritatis robur obtineat.

Thom. Connette.

11 Quantæ Porro bonæ existimationis hoc anno in Gallijs esset noster ille Thomas Connette, de quo anno 1428. agere cepimus, ex ijs, quę Claudius de Rubis Consiliarius Regius in Histor. Lugdun. *lib.* 3. *cap.* 48

re

pag 337. his verbis ex Gallico sermone in Latinum versis, clari innotescit. *Anno 1432. quidam Religiosius Ordinis Carmelitarum nomine frater Thomas Connette Rhedonensis in Brittannia minori, quem vulgus nominabat* Sanctum hominem, *iter Lugdunum asello insidens fecit. Hunc quidam fratres, & multipl. bei magis vita illius exemplari, quam doctrina illecti sequebantur. Populum ad pœnitentiam suo trahebat zelo. Lugduni concionem tanta cum efficacia habuit, vt nobiles fœminæ omnia sua dexteriola, inaures, torques, & alios ornatus muliebres extemplo deposuerint. Lusoresque, chartis lusorijs, taxillis, & aleis, coram ipso combustis, ludendi consuetudinem abijciebant. Qui asellum, cui insidebat habenas conducere poterat, vel pilos ipsius secum habere, se beatum existimabat. Romam ad reformandum Papam, & Cardinales se proficisci dicebat. Verum Romam ingressus, cum Papa, & Consistorio nimia libertate obloqueretur, pro hæretico habitus est, & vt talis combustus obijt.* Hæc iste Author.

12 Quantum vero ex nostris Ordinis memorijs elici potest, priusquam Romam accederet iste Thomas, Reformationem, quam primo in Gallijs prædicare, & introducere cepit, etiam in Conuentu nostro Gerundensi Diœcesis Sedunensis prope Alpes, cum fratribus sibi socijs plantare curauit; vel saltem promouit. Inde in Italiam veniens, in Cœnobio Siluarum in Thuscia prope Castrum Lastræ, vbi iamdiu ab anno 1413. vt eo tempore diximus, introducta erat, collocatus fuit. Credimus etiam Mantuæ aliquo tempore mansisse, veræ, & reformatæ obseruantiæ Religiosæ speculum se ostendendo; ac inde Venetias migrasse; vnde Romam peruenisse ex dicendis anno sequenti compertum erit. Semper tamen antiquæ Carmelicolæ disciplinę sectatorem se præbuisse, non abs re ex Baptista Mantuano fere eidem Thomæ coæuo elicitur, dum *in Dialogo de vita Beata prope ad finem*, de antiquis Eliæ sectatoribus, qui ex Syriæ Carmelo Gallias aduenerant loquens dicit: *Inter quos Thomas quidam Gallus, qui pristinum feruorem adhuc in pectore fouebat, cum paucis in Italiam se contulit. Sic enim Deo visum est, vt ea Regio, quæ cæteris omni munere præstat, hoc etiam virorum haberet ornamentum.* Loqui autem de hoc Thoma Connetta in sequentibus manifestat, quæ nos afferimus sub anno sequenti. Gesta ipsius

Ann.

Ann. Christi 1433. Eugen. 4. Roman. Pontif. 3. Sigismundi Reg. Roman. 23. Ioann. Imper. Orient. 13. Ioann. Faci Generalat. 3.

Gesta Basiliensium.

1 On meliora quam anno præcedenti anno etiam 1433. contra Pontificem moliebantur Basilienses. Etenim censuras Eugenij aduersus eos, qui cœtui Basiliensi adhæserant abrogarunt; eũ ad sua subsellia traxerunt; contumacem appellarunt, & quasi interpontificium iam esset, de Summo Pontifice eligendo tractarunt; et terminum, intra quem, aut veniret, aut acta illorum probaret, præfixerunt. Constant hæc ex Actis Concilij. Mirum hæc absurda accidisse, tot, ac tantis Viris doctissimis ex nostro, & alijs Ordinibus Basileæ præsentibus.

Thomæ Connettæ casus.

2 Casus ille infœlicissimus de misera (quoad homines) morte celeberrimi illius Thomæ Connettæ Brittanni, de cuius eximiæ sanctitatis signis, anno 1428. & 1432. diximus, hoc anno contigisse videtur; teste Diuo Antonino, qui hoc tempore eum refert: non anno 1431. prout Spondanus, cum constet ex dictis anno 1432. præcedenti Lugduni Conciones habuisse. Postquam ergo ille Dei verbi prædicationibus tam feruidè in Gallijs multo tempore vacasset, vt quandoque 16. & etiam viginti millia auditorum habuisset; innumeros ad bonam frugem, rectamque vitam adduxisset; adeoque vitæ sanctimoniæ laude clarus esset, vt vulgo *Sanctus Homo*, veluti per antonomasiam, diceretur: ac eum, vel asellum, quo vehebatur, tangere, populus desideraret; Italiam cum alijs socijs Carmelitis pergens, ac Gerundense Cœnobium in Alpibus, & Siluatum in Ethruria; &, vt credimus, Mantuanum etiam, per tempus aliquod frequentans; Venetias venit: vbi cum Venetorum Oratoribus, qui eum affectuosè Pontifici commendabant, Romam peruenit. Ibi, vt idem Antoninus ait, *Captus ad instantiam Cardinalis Rothomagensis* (is erat Ordinis Protector) *tunc Vicecancellarij, & Procuratoris Ordinis ipsius Carmelitarum, pro hæresibus prædictis examinatus* &c. Hic tamen sistendum, cum nullus, quem viderim, ex ijs, qui eius gesta scripserunt, hæreses prædicasse, dixerit. Illud etiam, quod idem Sanctus Antoninus subiungit, *vt relapsus conuictus*, à nullo quoque, quem legerim, dicitur: & sic non incongruè Sanctum Antoninum aliqua vulgari opinione ductum (piorum enim, & Sanctorum proprium est (credere nullum mentiri) id scripsisse. Præsertim, cum multa sint, quæ suadeant, hunc Thomam Fidei Catholicæ integerrimũ professorem semper extitisse. Primo, probatissima ipsius vita, etiam miraculis, vt dicitur, cõprobata, qua morũ reformationi tum in claustris, tum extra procurandæ, attentius incumbebat. Secundo, vberrimus prædicationis eius fructus, cum maxima animarum vtilitate. Tertio, quod de ipsius interfe-

ctione

ctione Papa ipse Eugenius, vt iniusta videlicet, doluerit. Quæ omnia Carmina ista in Nicolai Harlemensis *Collectionibus* reperta, & à Baleo *in Catalog. Scriptor. Brittann. in Appendic. ad Ioann. Torpe*, relata, ostendunt.

Claustra Thomas Gallus primus qui lapsa reformet
Carmeli gregis, heu cadit immerito.
Compulit hunc seruor Domini conspargere semen,
Exitium vitijs vita modesta dabat.
Dogmata Præconis miracula concomitabant;
Illum, quæ doceant pectus habere pium.
Quantum sic populi Zabuli de dentibus egit,
Et vita, & verbo credere nemo potest.

Distichon aliud prætereo, quia sic decet pro Sanctæ Sedis Romanæ honore, qui in eo iniustè laceratur. Subiungitur tamen causa internecionis ipsius eidem imposita, sed reiecta.

Sistitur hæreseos, fictus, quod sitque Sacerdos
Eugenio Papa, & friuola quæque patent.
Instituit Sacris Antistes hunc Rhedonensis,
Testis apud Gallos publica fama volat.

Aliud etiam, quod sequitur, Distichon, prætermitto, quia veneno plenum contra eandem Sanctam Apostolicam Sedem. Id porro, quod subiungitur, tolerabile est.

Vrget ad hoc primas Guilelmus Rothomagensis
Cardinei cœtus. Sic perit innocuus.

De genere autem mortis sic prosequitur hic Carminum Author.

Perstitit igne Thomas constanti pectore firmus,
Quod Christi exemplo viuere Clerus habet.

Quod vero diximus de displicentia pij Eugenij Papæ ob tanti Viri internecionem, sic pergit dicens idem Poeta.

Eugenius memorans tandem, quod insidiosa
Morte viri fuerit credulus ipse malis,
Ingemuit crebro vir, quod tam sanctus obijsset.
Hoc quoque præ cunctis conquaritur abiens.

Concludit demum sic:

Non nocuit flamma ista Thoma, sed martyrium dat
Immortalis ei parta corona manet.

Accedit & hoc Distichon:

Per tormenta pius, sibi dant quæ carcer & ignis
Martyr ad æthereas conuolat ille domos.

Eadem corroborat Baptista Mantuanus pius, & percelebris eius sæculi author, *in lib. seu dialogo de vita beata in fin.* hæc dicens. *Non solum Italia, sed etiam Viro Sancto Deus ipse consuluit; illi enim dedit, cuius vitam posset imitari, isti vero purpurei diadema Martyrij. Nam dum bene, beateque viuere à qui-*

busdam inuidis apud Summum Pontificem capitis accersitur, & post carcerem, post tormenta, post cruciatus: tandem cum nihil damnabile reperijssent, grauius inuestigantes, quod iure non potuerunt iniuria perficere fortiter accinguntur, & comburendum scelerato rogo commiserunt, At quo prorumpis efferate liuor? Videbasne candidissimum eius amphibalum, qua, vt nos, vtebatur, pura conscientia testimonium esse? Quod si non vt hominem verebare, saltem, vt magna Matris militem veritus esses, Sed tamen illum non occidisti; nec enim anima potuit extingui, sed illius terrenum corpus violando fecisti, vt citius vita donaretur æterna. Huius flammas non Sceuolæ rogo, sed Laurentij posse comparari non dubito: dicant, quod velint, obstrepant, clamitent, & insaniant; ille summo viuit olympo.

Notatio. 3 Quamuis tamen hęc à Mantuano dicta pijssima sint, & veritati conformia videantur, eo, quod iste Thomas nimio zelo accensus omnium vitia, piaculaque auersando, acriter carperet, vrgeret, exprobraret; vt perinde ipsorum inuidiam sibi conciliare posset, prout contigisse plures etiã autumarunt: at nihilominus, pro Sedis Apostolicæ, & Ministrorum ipsius reuerentia; & quia pro sententia Iudicis est præsumendum, vt Iura clamant, omnino dicendum, non leuibus, aut inanibus pro externo foro fundamẽtis permotos fuisse Cardinalem Rothomagen. & alios ad huius Patris, quoad Deum forsan, si dicere licet, innocentissimum, necem procurandam. Dei ergo iudicio, cui omnia reseruantur incerta, res relinquenda, ac pensandum, quod de simili casu in Hieronymo Sabaranola Dominicano egregio, plures scribunt.

Ioann. Langtonus. 4 Eodem tempore clarus micabat in Anglia Ioannes Langtonus Ordinis nostri Alumnus, & Doctor Oxoniensis, qui nedum zelo Dei, quo fruebatur, contra Hæreticos illius ætatis disputando, & scribendo, multum laborauit, multumque profecit, verum in patrijs historijs euoluendis curiosus antiquitatum domesticarum scrutator erat. Veritatem Catholicam strenuè defendit, erroneas opiniones fortiter expugnauit, imo fœliciter oppugnauit, Missus fuit ad Basiliensem Synodum (quod in hunc annum referimus) vbi anno sequenti vltimum diem clausit, vt ibidem dicemus, Ioannes Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate 15. num. 806.*

Hieronymus Ocho. 5 Claruit eodem anno Hieronymus Ocho Nauarrus ex Ordine nostro Benedicti Decimi tertij nuncupati Papæ, Confessarius. Vir in Sacris litteris eruditus, vita, & conuersatione spectabilis. Cui solum hanc inurimus notam, quod Antipapæ Confessarius adhæserit, nisi eadem, qua multi alij etiam Sanctissimi, ipsius Benedicti, bona fide, & intentione sectatores excusatione protegatur. Scripsisse dicitur multa de litteris, & virtutibus ipsius, quæ sanè probatione digna essent, nisi sciremus ipsum in Antipapatu obtento obstinatè nimis se gerendo multis damnis in Ecclesia authorem fuisse. De nostro Ochone Martinus Carrillus *in Vita Sancti Valerij cap. 13.* & alij.

Coloniensis Conuentus. 6 Quo item anno Ecclesia Cęnobij Coloniensis Deiparæ Virgini Ma-

tiæ consecrata: mox in eiusdem Virginis honorem sub eius titulo Confraternitas, cui Proceres Ciuitatenses, & Viri Consulares nomina sua dederunt; etiamnum magna animi deuotione eandem concelebrantes, instituta fuit. Inter cœteras huius Basilicæ Reliquias potiores sunt. Primò, quatuor Capita cum duobus brachijs ex societate Martyrum; item quatuor Capita ex societate Sanctæ Vrsulæ, & Sociarum; item Mandibula Sancti Laurentij Martyris Archileuitæ; item Mandibula Sanctæ Dorotheę Virginis, & Martyris; item, de Sancta Apollonia Virg. & Mart. item, partes notabiles de Sancta Cruce. Erhardus Vinheim Carthusianus *in libro de Sacrario Coloniæ, in Ecclesia Carmelitarum num. 21.*

Ann. Christi *1434.* Eugenij *4.* Roman. Pontif. *4.* Sigismundi Reg. Roman. *24.* Ioann. Imp. Orient. 14 Ioannes Faci Generalat. *4.*

1 Venit anno sequenti 1434. Florentiam Papa Eugenius, Romam vix fugiens, deserens ob varia sibi imminētia pericula à Romanis, & Ducibus Mediolanensis Ducis, & interim contra ipsum Conciliabulum Basiliense acriter procedebat. Blondus, Antoninus, Spondanus. Eugenij Papæ casus.

2 Sed Basileæ diem clausit extremum ad Synodum missus Ioannes Langtonus Ordinis nostri Doctor Oxoniensis celebris, de quo anno præcedenti. Hic prius in Synodo alia Londini celebrata anno 1411. celebrem Orationem ad Clerum habuit super illa verba: *Stellæ dederunt lumen*, & cum tanto ardore, vt mirabile nomen adeptus fuerit. Reliquit autem doctrinæ monumenta hæc scripta. De rebus Anglicis Historiarum *librum vnum*; Examen Henrici Crumpi Hybernensis hæretici *librum vnum*; contra errores eiusdem *librum vnum*; Actus Ordinarios *librum vnum*. De eo Piseus, Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus. Ioan. Langtonus.

3 Quo etiā anno in Conuentu Rauespergensi Prouinciæ Alemaniæ Superioris Capitulum Generale Ordinis die solito Pentecostes celebratum fuit. In quo primum Reuerendiss. Magister Ioannes Faci Generalis nominatur. Cum enim à Papa post Bartholomæi Roqualij ad Massiliensem Episcopatum assumptionem in Generalem fuerit electus, ideo Patres huius Capituli, vt veri filij Ecclesiæ, ipsum in Generalem admiserunt, quamuis Conciliabulum Basiliense, vt inferius dicemus, alium in Vicarium Ordinis nominasset. Deinde Diffinitores sequentium Prouinciarum referuntur. Videlicet Terrę Sanctæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ; Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Bohemiæ, & Aragoniæ. De quorum assensu taxæ Ordinis pro communibus negotijs Capitulum Generalem.

ordinatæ ſunt. Inter quas præcipuè numerantur eæ, quæ factæ erant in Congreſſu Baſilienſi per Vicarium Prouincialem Alemaniæ Superioris, qui (vt conſtat ex eodem Capitulo, erat Simon Rizer Lector in Theologia) per Magiſtrum Natalem de Venetijs, Magiſtrum Thomam Auis, & Magiſtrum Ioannem Barach. Quibus aſſignantur pro expenſis in dicto Conciliabulo Baſilienſi factis 237. ducati. Hoc modo prædicto Vicario Prouinciali 140. Magiſtro Natali 77. duobus vero alijs Magiſtris 20. pro quolibet 10. Conſtant hæc ex Libro Ordinis *fol. 36. pag. 1.*

Notatio. 4 Vbi notandum, prædictum Prouincialem Alemaniæ Superioris, vt videtur, fuiſſe Vicarium Generalem Ordinis poſt aſſumptionem Generalis Bartholomæi Roqualij ad Epiſcopatum Maſſiliæ. Quod etſi clarè non exprimatur in Actis Capituli, ſufficienter tamen indicatur, tum quia vocatur in numeratione prædictarum expenſarum *Vicarius Ordinis*, qui titulus ſolum Vicario Generali concedi poteſt. Tum, quia numeratur primo loco ante Magiſtrum Natalem de Venetijs, qui erat non ſolum Procurator Ordinis, ſed etiam Diffinitor primæ Prouinciæ, videlicet Terræ Sanctæ, ac in prędicto Capitulo inſtitutus Prouincialis Romæ; & ante Magiſtrum Thomam de Auis, qui erat Diffinitor, & Prouincialis Franciæ, quæ Prouinciæ antiquiores ſunt Germania Superiori. Tum denique, quia in prædicta taxatione præponitur alijs tribus magno exceſſu, cum illi tribuatur 140. ducati, Magiſtro Natali 77. & alijs duobus 20, vnicuique decem, quod abſdubiè indicat ipſum fuiſſe Ordinis Caput. Vnde ex eo Vicarium Prouincialem vocari credimus, quia ſcilicet erat Vicarius Generalis Ordinis, & Prouincialis, videlicet Germaniæ, prout etiam nuncupatur inter Diffinitores, dum dicitur *Diffinitor Alemaniæ Superioris Venerabilis Lector Frater Simon de Re. Prouincialis*. Nec à veritate alienum putamus eum à Concilio Baſilienſi, ea tempeſtate, vt diximus, contra Papam inſurgente, Ordinis Vicarium poſt aſſumptionem Roqualij nominatum fuiſſe, non vero ab Eugenio Papa.

Ordinationes. 5 Ordinati ſunt in hoc Capitulo Prouinciales 21. Prouinciarum ſequentium. Videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonę, Franciæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Caſtellæ (quæ vocatur Hiſpaniæ) Hiberniæ, Scotiæ, Thuſciæ, Bononiæ, Tholoſæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vaſconiæ, Bohemiæ, Turoniæ, & Aragoniæ. Prouincialis autem Prouinciæ electio remiſſa eſt facienda in Capitulo Prouinciali eiuſdem Prouinciæ per Generalem: ex quo infertur vacaſſe Prouincialatum Prouincię Prouincię, ob aſſumptionem in Generalem Magiſtri Ioannis Faci, qui ante Capitulum Prouincialis illius erat. Inſtituti præterea fuerunt Prior Curiæ Romanæ, Procurator Generalis Ordinis, Regens in Curia Romana, Socij Generalis, Prior Conuentus Pariſienſis, & Lectores Pariſijs, Coloniæ, Tholoſæ, Auinione, & Montiſpeſſulano. Liber Ordinis *fol. 36. & 37.* Inſuper ordinatum, quod Reuerendiſſ. Ioannes Groſſi quondam Generalis haberet à toto Ordine quandiù ſuperſtes

fuiſſet

fuisset quinquaginta ducatos, ex quo elicimus tempore huius Capituli prędictum Grossum vixisse, & perperam nonnullos ante hoc tempus ipsius obitum designasse. Praeterea pro Reuerendissimo Generali, ac Reuerendis Magistris Prouincialibus Angliae, Alemaniae Inferioris, Lombardiae, & Romę, qui futuri erant in Concilio Basiliensi per quatuor menses taxati sunt 200. floreni soluendi pro rata à Prouincijs Ordin. & mittendi infra duos menses ad Generalem in Basilea, Declaratumque, quod si Generalis, & prędicti Magistri permansissent in Basilea vltra dictos quatuor mẽses, quod Ordinis Prouincię illis etiam prouidere deberent. Commissum etiam illis est, vt ex Reuerendiss. Dominis Cardinalibus in Concilio residentibus vnum sibi magis gratum, & Ordini vtiliorem pro Protectore Ordinis eligerent. Quia tamen ij, qui Basileae existebant contra Summum Pontificem Eugenium perperam tumultuabant, nullum ex eis Protectorem Patres nostros elegisse credimus, nec aliquem hoc munus egisse vsque ad sequentes, de quibus suis locis dicetur.

6 Quoad decreta, principaliora hęc sunt. Primum, quod Generalis non posset constituere Vicarios in quacunque Prouincia, nisi requisitus à Prouinciali, vel maiori parte Prouinciae. Secundum, quod Magistri quoquo modo per Bullam Magistrati priuarentur omnibus exemptionibus, nisi à sua Prouincia acceptarentur, & cum consensu Generalis. Tertium, quod Magistri in Sacra pagina, qui ordinarie gradum Magisterij fuissent adepti, haberent vocem actiuam, & passiuam in Capitulis Prouincialibus. Quę cum alijs minoris notae decretis constant in dicto Libro Ordinis *folio* 37. Decreta.

7 Clariores Patres huius Capituli sunt Generalis Magist. Ioãn. de Faci, Magister Natalis de Venetia Procurator Ordinis, Diffinitor Terrę Sanctę, Prouincialis, ac Regens Romę; Magister Thomas de Auis Diffinitor, & Prouincialis Francię, Magister Hieronymus de Castellacio Diffinitor, & Prouincialis Lombardię, ac designatus pro Concilio Basiliensi cum Generali, & Procuratore Generali; Magister Petrus de noua Ecclesia Prouincialis Germanię Inferioris, ac etiam destinatus pro prędicto Concilio; Magister Iulianus Ioannis Diffinitor, ac Prouincialis Thusciae; Magister Ioannes Kelengale Prouincialis Anglię, etiam destinatus ad Concilium Basiliẽse; Magister Ioannes Martini Prouincialis Prouinciae Castellae, quę antiquo retento vocabulo vocatur *Hispaniae*; Magister Hermannus de Nussia vnus ex Socijs Generalis; Baccalaureus Ioannes de Gauuer ordinatus pro Studio Coloniensi. De quibus in alijs locis erit nobis sermo. Patres clariores.

8 Eodem anno 1434. nouo sanctitatis signo claruit Sanctus Albertus noster Drepanensis. Cum enim D. Flora D. Baptistae de Mezzavachijs filia, febribus grauissime vreretur ad mortem, voto vouit Imaginem ceream pro sanitate obtinenda, & impetrauit. Habetur hoc ex manuscripto pergameno Bononię Bibliothecę per publicum Notarium. Petrus Thomas S. Albertus.

mas Sarracenus *in Menologio Carmelitarum in Vita Sancti Alberti*.

Conuentus Clareuallensis. 9 Clarevallensis domus Carmeliticæ anno 1434. fundamenta tribuuntur; fundatore nobilissimo Viro Gulielmo de Villers, domino Clarevallis, & Castelli de Ioux, & Carola de Noyz eius vxore, approbante, & confirmante Eugenio Quarto, vt patet ex diplomate Florentiæ dato an. 1435. pro sexto Kalend. Aprilis anno Pontificatus 5. Tempore autem bellorum de anno 1637, bellico furore euersa. Numeratur inter Conuentus Narbonensis Prouinciæ. Et, vt audio, iam de nouo ædificatus.

Ann. Christi 1435. Eugen. 4. Roman. Pontif. 5. Sigismundi Reg. Roman 25. Ioann. Imper. Orient. 15. Ioann. Faci Generalat. 5.

Aquileiensis Cōgregatio. 1 Lurima hoc tempore statuebant PP. Aquileæ congregati, vtilia sanè; sed ob authoritatis defectum, quia non sub obedientia certa Papæ Eugenij, & quia ipsius authoritati quadamtenus videbantur contraria, subsistentia postea caruere. De his Acta ipsa Concilij, & Historici tum veteres, tum recentiores.

Concordia Religionum. 2 Res autem piæ memoriæ commendanda hoc anno Basileæ, die secunda Aprilis contigit, quam propterea nostris Annalibus inserendam operepretium æstimamus. Aderant in eadem Ciuitate eo anno, & die quatuor Sacrorum Mendicantium Ordinum Reuerendiss. Patres Generales, nempe Bartholomæus Texenius Prædicatorum, Gulielmus de Casali Minorum, Gerardus de Arimino Heremitarum Sancti Augustini, & Ioannes Facius Carmelitarum. Hi ergo animaduertentes ex pace, amore, & charitate inter Regulares, Dei gloriam, plebisq; Christianæ ædificationem hauriri; ex eorum tamen dissidijs non nisi scandala, Religionum vilipendia, ac contemptum emanare, ideo mutua charitate allecti, sub publici instrumēti fide, litteras has patentes concordiæ, & pacis dederunt; quas ne tam pij operis memoria obliuioni mandetur, placuit ad verbum referre, prout in Archiuio Transpontinæ reperiuntur, & anno 1607. Craconiæ Typis mandatæ sunt per Hiacyntum Suscium Ordinis Prædicatorum. *Uniuersis, & singulis Fratribus Sacrarum Religionum, & Ordinum Prædicatorum Beati Dominici, Minorum Beati Francisci, Heremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Beatæ Mariæ, Fratres Bartholomæus Texerij Generalis Magister Ordinis Prædicatorum, Guillelmus de Casali Minister Generalis Ordinis Minorum, Gerardus de Arimino Prior Generalis Ordinis Heremitarum Sancti Augustini, & Ioannes Phacij Prior Generalis Ordinis Carmelitarum Fratrum B. Mariæ, æternæ salutis, ac perpetuæ pacis munus: Summa diuinæ bonitatis affluentia, fratres charissimi, quæ multis modis peccatores ad pœnitentiam vocans,*

cans, neminem vult perire, sed omnes homines saluos fieri, vel in eo, quam latissime patet, quod in nouissimis quoque diebus, languenti iam morum sterilitate mundo, remedia sanitatis afferre dignatus est, humiles, ac spirituales seruulos sibi deligens, qui populum acceptabilem studiose ei pararent, ac fidelibus monitis instituerent. Itaque quatuor Ordinum Mendicantium Religiones Sacras, velut quatuor flumina Paradisi in omnes suorum fidelium Regiones, mira benignitate diffudit, quæ exemplo piæ vitæ, doctrinæque, ac prædicationis vbertate terrenorum hominum mentes velut cælesti quodam humore fouerent; mitesque, ac saluberrimos æternæ vitæ alerent fructus, ægris peccatorum animis, non opem modo, sed & diuinæ suauitatis gustum optimum allaturos, cuius dulcedine illecti fideles omnem Diabolicæ suggestionis infectionem vitare discerent, & in solo supernæ voluptatis desiderio iocundari. Verum sanctissima huius nostræ irrigationis operationem tam prudenti, & concordi moderatione exerceri, ac regi necesse est, ne ipsæ Religiones, aut mutuo exhaustę penuria sacri humoris arescant, aut suis inuicem fructibus obruantur. Nam profecto si vllus ipsorum Ordinum, dum exuberare cupit, spernat, & impugnet cæteros, fama, honoribus, aut commodis, ipsos euacuare laborans, necesse est illud accidere, vt alio repugnante, aut referire moliente, multi vtrinque, ad contentiones, & aduersas prædicationes incitentur, sicque studia, quæ non ad propriam modo, sed ad alienam salutem, ac concordiam susceperunt, conuersis inter se odiosis animis, graues discordias nutriant. Quo pessimo exemplo, & multorum fidelium mentes auctoritatem, vitæ, ac doctrinæ nostræ contemnunt, & nos ipsi alterius occursibus dissidentes in magna nostræ scandala, ac damna præcipitamur. Quæ mala, vt in futurum, Deo fauente, vitemus, omnesque intelligant Sacrarum Religionum ritus, quamquam plura diuersitate varios, ex vnico tamen diuinæ gratiæ fonte profluere, atque eadem charitatis via, vnum finem, ac terminum petere. Nos prænominati quatuor Ordinum Mendicantium Priores Generales, Sanctissimorum Patrum nostrorum vestigijs inhærentes, qui vnitatem spiritus ad pacis vinculum cum omnibus tenentes ab omni semper fuerunt discordia remotissimi, habito in ea re multorum Reuerendorum Prouincialium, & aliorum Sacræ Theologiæ Magistrorum, qui ex diuersis ipsorum Ordinum Prouincijs ad Sacrum Basiliense Concilium conuenerant, sano, ac maturo consilio, nonnulla inter nos, ac Religiones nobis creditas, communi auctoritate, & consensu ordinanda, ac statuenda esse censuimus, quæ ab vniuersis eorundem Ordinum Fratribus vbique terrarum perpetuo obseruata, pacifice, & commode ipsarum Religionum toto Orbe consulerent; & rebus, quæ inter Fratres dissidium vllum, aut scandalum excitare possent, opportunis ordinationibus obuiarent. Earum autem ordinationum forma, ac series talis est.

3 Firmam Sacrarum quatuor Religionum pacem perpetuo duraturam, iusto, ac stabili fœdere coniuncturi, dignum ducimus inde initium facere vnde nobis ad ipsam conseruandam, tuendamque præstari auxilium cupimus, ab Sanctis videlicet, quos Religiones veluti primos cuiusque authores, aut illustratores, cultu præcipue venerantur. Hos enim etsi equum sit, summis Fratrum suorum laudi- Ordinationes concordiæ.

bus

bus celebrari, quos omnes eximia pietate colere, ac venerari debemus: tamen quoniam temerarium est tam sublimiter de vnius meritis disputare, tamque excellenter sentire, vt alteri, vel Religioni, vel Sancto in comparationem adducto derogetur, & ex cælestis Regni beatitudine, vbi summa pax, & æterna felicitas est, causa litium contrahantur, vnumquemque nostrarum Religionum Fratrem; qui in derogationem SS. alterius Ordinis Patronorum, aut Professorum, seu vniuersalis status, & honoris ipsius, scienter, & publicè linguam laxare præsumpserit, à Priore, seu Guardiano, aut altero Superiore suo, ad quem pertineat, digna punitione volumus castigari, & nihilominus ad reuocationem, aut aliam iustam emendationem dicti, eodem loco, quo offenderat, omnino compelli.

Ana.

4 *Scholasticos quoque Fratres, etsi nemo prohibeat diuersorum Doctorum doctrinam, atque opinionem sequi, ea tamen moderatione linguam honestare præcipimus, ne quis aliorum Ordinum Doctores vllo contemptu, aut turpi dicto insectari præsumat, à quibus forte ipse aliorum imitator de veritate dissentit. Illud vero permaximè est cauendum, ne contra confirmationem, approbationemque alicuius harum Sacrarum Religionum quispiam aliorum Ordinum Frater, aliquid prædicare, aut disseminare præsumat: sed magis omnes studeant illarum dignitatem inuicem attollere, ac profiteri, quarum non dubitent charitatem sancto vinculo sociatam fortiorem ad communè præsidium posse succedere. Itaq; habentes auctoritatem audiendi Confessiones, & absoluendi diligentissime omnes caueant, ne prædicatione, aut assertione sua, in vllo aliorum Ordinum, minorem, aut disparem faciant videri, sed alterna potestati, & auctoritati non modo consentiant, sed diligenter faueant, parique laude, & approbatione alijs tribuant, quæ ab illis ipsi desiderant. Omnino autem in Romana Curia, vnde tamquam ex primo fonte, seu coniunctionis nostræ bona, seu dissensionis mala ad cæteras Orbis partes facile deriuari, atque diffundi possunt, solidam pacem, & tanquam indiuiduam rerum, ac periculorum omnium seruari conuenit societatem, vt quoties necessitas, & æqualis periculi metus impendat, Procuratores Ordinum, qui in ipsa Curia fuerint, cuiuscunque alterius Ordinis negotia, non aliter, quam sui curent, atque sustineant, collatis insuper æquali sorte sumptibus, vbi, & causæ magnitudo, & communis rei discrimen ita exigere videatur. In cæteris vero inuicem sibi faueant, assistantque quantum, & honestas permiserit, & rerum opportunitas postulauerit. Neque vllus ipsorum acceptis à quibusdam Fratribus, aut Conuentibus sui Ordinis aduersus Fratres alterius Religionis querelis, litem contra illum moueat, ac moueri sinat, seu litteras impetrari, nisi Prouincialem, aut alterum illorum Prælatum, contra quos querelæ producantur, ad quem pertinet, prius admonitum esse, & in administranda iustitia negligentem fuisse cognouerit, etsi eiusmodi causa sit, quæ videretur extra Curiam commodè agitari non posse. Illud præterea in eo loco seruari volentes, vt quicquid litis, & controuersiæ inter duarum Religionum Fratres, ac proinde inter earum Procuratores suboriri videatur, alij duo Procuratores omni diligentia, & studio componere, & interceptam causam iusto moderamine terminare procurent. Illis, qui litem acturi erant, nihil interim mouentibus, quibus præcipimus, & mandamus, vt omnem causam suspensam*

teneant; donec alij tentatæ concordiæ, fortunam experiantur. Alia Statuta

5 *Cum vero inter seruos Dei, qui non est Deus dissensionis, sed pacis, aut nullæ lites habendæ sint, aut quam celerrimè finiendæ: Decernimus tenore præsentium, & iubemus, vt si quando inter duorum Ordinum Fratres supradictos, nimia vicinitate, aut alijs impedimentis, ob quæ aliorum loca commode ædificari non possint, controuersia aliqua fuerit exorta, Priores, & Ministri Prouinciales, si super hoc se duxerint requirendo, ad locum vbi litis occasionem nasci cognouerint, intra duorum mensium spacium se personaliter transferant, & omnem controuersiam subortam, curent vnius mensis ab eorum aduentu spacio terminare. Qui si in vnam sententiam conuenire nequiuerint, tres arbitros eligant, qui similiter intra mensem omnem litem iusto fine decidere teneantur: & quicquid tres simul, aut duo eorum decreuerint, firmiter obseruetur. Quod si prædicti Priores, Prouinciales, & Ministri, ex iustis causis, & legitimis, illuc commode ire non potuerunt, aut noluerint se transferre, committant quibusdam Fratribus amatoribus pacis, & concordiæ vices suas, qui susceptæ causæ arbitrium vsque ad iustam determinationem intra vnius mensis spacium, vt prediximus, exequantur: & quicquid per eos, vel per arbitros ab ipsis electos ordinatum fuerit, robur obtineat firmitatis.*

6 *Ordinationibus quoque; & inhibitionibus Apostolicis est parendum, ne vllius Ordinis Fratres ad constructionem Monasterij Ecclesiæ, seu Oratorij, locum Fratrum alterius Ordinis infra centum quadraginta cannarum spacium per Sedem Apostolicam prætaxatum, sine ipsorum licentia, & assensu. Rogamus tamen ne se ad huiusmodi gratiam faciendam difficiles reddant, vbi ex dispositione situationis loci nullum, aut exiguum ipsis preiudicium generetur.* Aliud.

7 *Caueant insuper omnes diligenter, vt alterius Ordinis nouitio zelo attrahendi ipsum ad suum Ordinem quisque suadeat primę Religionis egressum. Et si quis ita illectus exiuerit, non recipiatur infra annum in Ordinem, cuius desiderio alium exire visus est, nisi de licentia illius Ordinis, quem reliquit. In qua re ne vlla iniuria, aut fraus fiat, inhibemus omnino, ne de huiusmodi aliorum nouitiorum receptione, vlla dispensatio Apostolica impetretur. Preterea cum quisque cauere debeat, ne alteri faciat, quod sibi nolit fieri, neque electionem sepulturæ alicuius personę apud Fratres alterius Ordinis factam, personis patris, & matris, ac sororis duntaxat exceptis, immutari, neque legata eisdem relicta variari, vel minui quisquam per se, aut per alium procurare presumat. Attendant, & singuli, ne honori sui Ordinis improuide prouidentes, in contentione, & æmulatione aliorum sermones præripiant, vel impediant.* Alia.

8 *Insuper cum securius sit consilium, & firmius iudicium, quod plurimorum sententiis fuerit approbatum, circa obseruationem sententiarum Excommunicationis, & Interdicti, quæ ab aliis, quam à Summo Pontifice, & Legatis Sedis Apostolicæ, quibus est simpliciter deferendum, prolatę fuerint, quæque vllo modo vertantur in dubium, inter omnium predictorum Ordinum, qui in loco erunt Fratres, collatione præhabita; requisito, & diligenter si necesse fuerit Concilio Sapientum, quantum conscientia permiserit, vniformitas obseruetur.* Alia.

9 *Cæterum; quia quicquid in fidei Christianæ Religionem committitur, in* Alia.

omnium noscitur iniuriam redundare, Inquisitores hæreticę prauitatis nullus impediat, vel perturbet, quin potius, & ipsi sibi mutuo, & alii eisdem in prosecutione officii indefesse faueant, & assistant. Hæc sunt quæ exacta diligentia ab omnibus nostrorum Ordinum Fratribus volumus obseruari, & transgressores iuxta culparum exigentiam debita castigatione puniri. Quocirca omnibus, & singulis eorundem Ordinum Fratribus, Prouincialibus pręsertim, Ministris, Vicariis, & aliis Rectoribus quibuscunque, harum serie pęcipimus, & mandamus: quatenus super prædictis, & aliis, quæcunque discrimen turbationis, aut adducere consueuerunt, aut posse adducere videantur, omni diligentia studeant efficacibus monitis, & opportunis correctionibus taliter prouidere, vt & cępta, si quæ inuenerint componantur, & in posterum similia non contingant.

Roboratio. 10 *Et vt firmius teneantur, atque seruentur, quæ sæpius repetita, ac memorata fuerint, omnibus Prioribus, & Guardianis dictorum Ordinum, ad quos præsentium peruenerit litterarum nostrarum exemplar, qui ipsos nihilominus diligenter volumus inuestigare, vt singulo anno quater capta æquali interpolatione mora, ipsis Prioribus, & Guardianis singularum Religionum, qui eo loco fuerint simul congregatis recitent, & studiose perlegant, tenore præsentium præcipimus, & mandamus. Ac si quid aduersus communem pacem, & has nostras sanctiones interim cognouerint accidisse, illud reformare, & componere omni diligentia studeant, communique paci, & concordiæ ita consulere, vt ea integra, & illibata perpetuis temporibus conseruentur. Datum* Basileę *anno Domini 1435. die 2. mensis Aprilis sub impressione Sigillorum quatuor Generalium prædictorum.*

Ego frater Bartholomæus pręnominatus Generalis, præmissis assentio, manu propria.

Ego frater Gerardus prænominatus Generalis assentio manu propria.

Ego frater Guillelmus de Casali prænominatus Minister præmissis assensu præsto mano propria.

Ego frater Ioannes *Phaci pręnominatus Generalis, præmissis assentio, manu propria.*

Concessio Papæ. 11 Eugenius autem Papa eodem anno Florentiæ agens Ioannis Phaci Generalis Magistri precibus inclinatus: *Ei, ac quibuscunque ipsius successoribus pro tempore existentibus Generalibus Prioribus, necnon ab eo, vel ab eis ad id pro tempore deputandis Vicariis, Prouincialibus, Prioribus, ac Fratribus Ordinis nostri in confessionibus audiendis, absolutionibus impendendis, & pænitentiis iniungendis, aliisque salutem animarum dumtaxat concernentibus exequendis, omnium, & singulorum dicti Ordinis Fratrum præsentium, & futurorum eamdem, & talem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis minores pænitentiarii in Romana Curia præsentes ex officio habebant, et exercebant, authoritate Apostolica concessit.* Habetur Bulla in Mari magno Ordinis collecto per Ioannem Mariam de Pollucijs, quod habetur in Archiuio Transpontinæ. De hoc etiam priuilegio diximus *tom. 5. Quæst. Regular. in Mari magno nostro circa §. 15. et 62.*

Ioã. de Praga 12 Obijt eodem anno Florentiæ die 17. Septembris Venerabilis Pater

Ioannes

Ioannes de Praga eiuſdem Eugenij Papæ Quarti Pœnitentiarius. Ita habetur ex Archiuio Conuentus Florentini. Fuit hic primum, vt conſtat ex Libro Ordinis *fol.27. pag.1.* primus Prouincialis Bohemiæ anno 1411. in Capitulo Bononienſi inſtitutus: & à Biſcarreto vocatur *Doctor inſignis, et valde eruditus*.

13 Item ex Anglia celebri Prouincia obijt etiam eodem anno Nicolaus Bothleshamus, Ordinis noſtri egregius Alumnus. Hic, vt habet Lelandus, aliquando Cantabrigiæ (in cuius Comitatu natus fuit) tum philoſophicas, tum Theologicas diſciplinas imbibit, & fœliciter profecit in omni virtutis, & eruditionis incremento; tamen non ibi, ſed Pariſijs inter Doctores Sorbonicos Doctor creatus eſt. Poſtea tamen Cantabrigiam denuo reuerſus, magnam apud omnes doctrinæ famam conſecutus eſt, editis in lucem libris non paucis numero, nec vilibus æſtimatione. Fuit etiam multo tempore Conuentus Cantabrigienſis Prior. Scripſit ſuper Magiſtrum Sententiarum *lib.4.* Quæſtiones Theologiæ *lib.1.* in Cantica Ridevallis *lib.1.* Tabulare ſtudentium *lib. 1.* Conciones, & Lectiones *lib. 1.* De eo ſcripſerunt Lelandus, Harpsfeldius, Piſeus, Poſſeuinus, & Biſcarretus. Nicolaus Bothleshamus.

Ann. Chriſti *1436.* Eugenij *4.* Roman. Pontif. *6.* Sigiſmundi Reg. Roman. *26.* Ioann. Imper. Orient. *16.* Ioannes Faci Generalat. *6.*

1 SEquenti anno 1436. dum Baſilienſes per plures ſeſſiones plura ſtatuere ſatagunt, etiam ad coercendam Roman. Pontificis authoritatem, ipſe Eugenius, recuperata Bononia, eo ſe contulit prouiſurus inde facilius ſuis, & Eccleſiæ negotijs. D. Antoninus, Spondanus, & alii. Geſta hoc anno.

2 Antequam autem Papa Florentia Bononiam diſcederet, nonnulla Monialium Cœnobia, in quibus laxior viuendi modus vigebat, ſuppreſſit, dignitatem Abbatialem extinguendo, & ipſorum Moniales ad alia Monaſteria transferendo. Noſtris autem Fratribus tradidit Monaſterium Sanctæ Luciæ: ſed quia ipſi ſponte illud dimiſerunt, Sororibus de pœnitentia Sancti Dominici traditum eſt. Bzouius ſub hoc ann. *num. 29.* Monialium Cœnobia.

3 Belgij partes peragraſſe hoc tempore Generalem noſtrum Facium conſtare videtur ex Boſtio *in Specul. hiſtorial. lib.7. cap. 49.* dum inquit, hoc anno viſitaſſe perſonaliter cum decenti comitiua Conuentum noſtrum Halemenſem in Hollandia, & ſatis honorificè à Fratribus, & Ciuitatis Rectoribus ſuſceptum fuiſſe. Generalis Viſitatio.

4 Quo etiam tempore, Rege Sigiſmundo Pragam ingrediente, redierunt & Mendicantes ab Hæreticis pulſi. Cum autem noſtrorum Pragæ Imperiale Cœnobium proper inuaſionem Ioannis Apoſtatæ Præmonſtra- Pragæ Conuentus.

tensis à perfidis prophanatum extiterit, prout retulimus anno 1417. sub hoc tempore Fratribus nostris redintegratis, Dei cultui, & Matris Virginis obsequio redditum: etsi nunquam in posterum ad eam, qua primo florebat, celsitudinem peruenire potuerit, hæresi in Bohemorum cordibus alta radice infixa persistente.

Iulianus Ioannes. 5 Iulianus Ioannis in præcedenti Capitulo Generali Rauespergensi anno 1434. habito Diffinitor, & Prouincialis Thusciæ nominatus, hoc anno vitę finem habuit Prati in mense Septembris, perlatus Florentiam, & sepultus. Inter præclaros Ordinis Viros numeramus, vtpote, qui Florentiæ Vniuersitatis Doctor, & Decanus extitit. Petrus Lucius *in additionibus ad suam Bibliothecam Carmelitarum*. Biscarretus de eo dicens scripsisse Lucubrationes in S. Scripturam *lib.* 1.

Thomas Dando. 6 Naturæ debitum eodem anno soluit Marleburgi Thomas Dan do, seu Daudo Anglus Ordinis nostri in Comitatu Vvilcheriæ Monachus, & Conuentus Marleburgensis Prior, Vir integræ vitæ, & non vulgaris doctrinæ, præsertim historiarum peritus, vt id manifestat liber ab ipso editus de rebus gestis Regis Alfredi. De ipso scripserunt Lelandus apud Pitseum, Pitseus ipse, & Harpsfeldius.

Conuentus Astigiensis. 7 Astigiensis Fratrum Conuentus, qui in Bethica Prouincia post Escacenensem locum tenet, fundatio vero antę diem vigesimam Februarij anni 1436. facta inde conuincitur, quod Fratres illius Conuentus ad solemnissimam, publicamque Processionem die, mense, & anno prædictis celebrandá accesserunt, prout antiqua, licet renouata pictura eiusdem processionis in Claustro Ordinis Prædicatorum ab illo tempore per traditionem perseuerante, certissimè comprobatur. Titulus autem Conuentus B. Mariæ de Monte Carmelo semper fuisse refertur. Alia alibi dici possunt.

Ann. Christi 1437. Eugen. 4. Roman. Pontif. 7. Sigismundi Reg. Roman. 27. Ioann. Imper. Orient. 17. Ioann. Faci Generalat. 7.

Basiliensium gesta. 1 Irum dictu qualiter sequenti anno 1437. Basilienses in Papam Eugenium atrocissime exarserint, eius authoritati derogantes, ipsum contumacem declarantes, & in sensum reprobum dat ad Apologiam, quæ euulgata fuerat, pro Maiestate, & innocentia Eugenij defendenda acriter respondentes. Papa autem Synodum transferri iubet Ferrariam. Sic ex varijs Actis Chronologi recentiores Bzouius, & Spondanus. Scripsit etiam litteras ad Generales Religionum, Mendicantium præsertim, & ad Facium nostrum, quas refert Horatius Iustinianus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ postea Cardinalis *in Act. Concilii Florentin, par.* 1. *pag.* 38. & 39. ei præcipiens in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt ad præfatum Concilium

lium Ferrariense quantocius se conferret, & duceret *aliquos insignes viros Deum timentes*. Quod sine dubio executioni mandauit ipse Generalis. Esto de alijs Ordinis nostri Professoribus Basileæ existentibus dubitari possit an suum Generalem comitati fuerint, an vero Basileæ remanserint.

2 Quo etiam anno, cum Papæ Eugenio à fratribus nostræ Prouinciæ Lombardiæ expositum esset, quod quondam Elisabeth Marchionissa de Castrobarco ipsis Ecclesiam, aliasque domos donasset, & propterea à Papa postulassent facultatem dictam Ecclesiam, & domos in Conuentum erigendi; annuit Pontifex, negotium remittendo cum auctoritate plena Abbati Monasterij Sanctorum Nazarij, & Celsi Veronensis Diœcesis, vt dictam fundationem approbaret, & confirmaret. Ita in Bulla huius Pontificis Pontificatus anno septimo pro 17. idus Nouembris. Fundatio in Lombardia.

3 Inter eos autem, qui ex Ordine nostro eo tempore, vel circiter Basileæ claruisse noscuntur, fuit Ioannes Gauuer, natione Theuthonicus, patria, vt videtur, Moguntinus, & eiusdem Conuentus Sacræ paginæ Lector. Ipse (vt inquit Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemento Chronicarum*) *hac tempestate in Basiliensi Concilio disserendo, & disputando clarus effulsit*. Erat quippe Magister egregius, ac Concionator præcipuus, eodem Bergomensi teste. Ex Libro autẽ Ord. in Capitulo Generali Rauespergensi anno 1434. solum constat ipsum fuisse Baccalaureum ordinatum pro Studio Coloniensi. Quicquid in hoc fuerit, plurium voluminum Scriptor extitit, nempe super sententias *lib.* 4. in Exod. *lib.* 1. Concord. Euangelistar. *lib.* 1. Sermon. de tempore *lib.* 1. Quadragesimale, & aliorum librorum. De ipso loquuntur Bergomensis relatus, Trithemius, Marcus Guazzus, Iacobus de Plebe, Posseuinus, Lucius, & Biscarretus. Non conueniunt hi Authores de anno, quo hic noster Doctor claruerit, nos autem in hoc tẽpus illum referimus, quod ab anno 1434 in Capitulo Rauespergensi dicto, nulla vlterius memoria ipsius in Libro Ordinis conspiciatur. Ioã. Gauuer

4 Conuentus Iaslensis fundatio, quando, & á quo facta fuerit, nobis non constat. Quia tamen ex relatione Prouinciȩ Poloniæ diligentia Alexandri Koslinlij Prouincialis ad nos transmissa dicitur, plusquam à 200. annis fundatum fuisse, ideo huic tempori illam ascribimus. Illum alterius Religionis fuisse, Cistertiensis scilicet, prout aliqui dicunt; vel Benedictini potius, vt idem Alexander suspicatur, credibile. Post Posnaniense Cœnobium locum tenent fratres huius Conuentus in consessibus, & Capitulis. Extant quædam litteræ patentes à Generali Ioanne, datæ Cracouiæ anno, vt ibi dicitur 1437. præsenti videlicet, quibus notabilem quandam prouisionem circa bona illius Conuentus facit Consulibus, & Rectoribus oppidi Gaslensis, occasione scilicet, quod Priores, vel Administratores eius Monasterij, plura ipsius bona alienauissent, his verbis. Primo, *quod Prior, qui pro præsenti est; et quicunque post eum in futurum erit, sub inuentario à vobis, et vestris successoribus, seu ab illo, vel ab illis, quem, vel quos ad hoc ordinaueritis, recipere habeat, omnia bona huiusmodi; vtputa, possessiones, arua, et allodia,* Conuentus Iaslensis.

allodia, calices, libros, ornamenta, ciboria, monstrantias, et quæcunque alia bona, quæ notabilis fuerint valoris, ad Communitatem pertinentia, seu eidem necessaria: sic quod quolibet anno, vos, vel alii, vt præfertur, deputati de omnibus præmissis à Priore capiant rationem, et præcipue quando Prior iturus est ad Capitulum Prouinciale. Et in casu, quod absit, quod Prior, qui nunc est, et quicunque post ipsum in futurum erit, huiusmodi rationem sub inuentario reddere noluerit, seu aliqua huiusmodi perdiderit, impignorauerit, seu quouis modo alienauerit, tunc vobis concedimus licentiam, et posse, ipsum incarcerandi, vinculandi, et in vinculis, expensis suis custodiendi, quousque omnia per ipsum recepta ad plenum redierit, cum aliis tempore suo adquisitis. Nec etiam volumus, quod vendant equos, vaccas, nec quæcunque pecora necessaria pro nutrimento Fratrum, sed quod ea augmentent secundum eorum possibilitatem. Nec etiam vendant aliquas possessiones, nisi fiat pro melioribus adquirendis; et id volumus fieri cum voluntate, consensu, et scitu vestro. Alia prætermittimus, quæ prædicta concernunt. Animaduertimus tamen, non constare quis fuerit iste Ioannes Generalis, qui has litteras dedit. Etsi enim existimari possit fuisse Ioannem Faci hoc tempore Generalem Ordinis; quia tamen eæ datæ sunt Cracouiæ, & non constat ipsum Poloniam, seu Cracouiam adijsse, ideo non videntur ipsi attribuendæ, sed alteri Ioanni, scilicet Ioanni Soreth Generali, de quo in sequentibus; & qui Prouinciam Poloniæ sui officij tempore visitauit: & ita data dictarum litterarum pro hoc anno 1434. errorem videtur continere, pro anno 1457. annum 1437. dicens; prout notauit idē, qui vt supra, Alexander. His tamen prætermissis vlterius animaduertimus, quod quamuis Generalis, quicunque is fuerit, tam largam hanc licētiam Consulibus, & Rectoribus huius Oppidi Gaslensis, bona intentione supra bona istius Conuentus tribuerit, illi tamen ea abusi, fundos, agros, domos, & bona illius, temporis cursu vili pretio coemerunt, ita vt oportuerit, quod Religio contra ipsos litigaret, & vix aliquam partem deperditorum bonorum recuperare posset. Sed Deus Optimus Maximus hanc iacturam aliunde illi Monasterio compensauit, prouidendo, vt Imago quędam Deiparę Virginis in Altari maiori sculpta, miraculis temporibus sequentibus ceperit inclarescere, ac erga locum deuotio sic augeri, vt pro festis eiusdem Sanctissimę Virginis, Commemorationis nempe solemnis, & Visitationis præcipuè, tantus concursus populi ex Polonia, & vicina Hungaria illuc conueniat, vt Oppidani pro victualibus necessarijs prouidere non possint tantæ aduenarum multitudini, deuotionis causa ad nostrum Conuentum concurrenti. Sic ex relato Alexandro.

Rouerensis. 5 Conuentus etiam Rouerensis Prouinciæ Venetiarum sub hoc anno, consentiente Eugen. 4. Papa erectum dicitur, extra, sed prope Ciuitatem: cuius Ecclesia titulo illo communi fere nostris, scilicet *Sancta Maria de Monte Carmelo* potitur. Sic pene ex Relatione eius Conuentus data sub Innocentio Decimo.

Plosteralis, 6 Paulò post ab hoc tempore, etsi annus certus ignoretur; fundatio conti-

contigit Conuentus Plocensis in eadem Prouincia Poloniæ, à Ducibus Mazouiæ extructi. Optimum aliquando fuisse persuadent Capitula Prouincialia in eo aliquoties celebrata. Cœterum ignis violentia non tantum Ecclesiæ ornamenta, Conuentus vtensilia, sed ipsa ædificia absumpsit. Priuilegia quoque fundationis deperdidit, vt idcirco coacti fuerint Religiosi ipsa ab Illustriss. Dom. Catherina Mazouiæ, & Russiæ Ducissa, de nouo postulare: quod obtinuere, prout patet ex priuilegio authentico in eo Conuentu conseruato, & à Rege Stephano renouato, & confirmato. Quamuis autem iterum postea idem Monasterium cum eius Ecclesia igne conflagrata sint, fidelium tamen suffragio denuo restaurata sunt. Sic ferme idem Alexander Koslinchi superius adductus.

7 Pariter eodem anno 1437. vel circiter, ex hac vita decessisse credimus Reuerendissimum Magistrum Ioannem Grossum quondam Ordinis Generalem, natione Gallum, patria Tholosanum, Conuentus Appaniarum Alumnum, & Sacræ Theologiæ insignem Doctorem, cui non modo diuinarum Scripturarum noticia, sed & sæcularis Philosophiæ scientia, ingenij claritas, & eloquij promptitudo, nomen dederunt. Vir sane fuit de nostro Ordine satis bene meritus, vtpote, qui ipsum pluribus annis gubernauit, & vt ipsemet de se ipso scribit in suo viridario, *Ordinem ampliauit in decem Conuentibus, quos in partibus Galliæ in propria persona recepit, & in duabus Prouincijs, quarum vna Turoniæ nuncupatur, quæ est in partibus Franciæ, & altera in partibus superioris Alemaniæ, quæ* Bohemia appellatur. Hi primum primo anno sui Magisterij in Generali Capitulo tempore schismatis Perpiniani habito anno 1389. in Generalem illius partis Ordinis, quæ Clementem Septimum Antipapam sectabatur, electus est. Rexit autem suæ obedientiæ Prouincias per viginti duos annos, vsque ad annum scilicet 1411. quo tempore Ioannes Vigesimus tertius Papa, post celebrationem Pisani Concilij Magistrum Mathæum de Bononia Generalem alterius partis Ordinis, & Magistrum Ioannem Grossi ad vnum Generale Capitulum Bononiæ vocauit, in quo, vtroque Generali officium resignante, Grossus in Priorem Generalem totius Ordinis ab vtraque obedientia vnanimiter, & conformiter fuit electus. Celebrauit autem quatuor Capitula, videlicet prædictum Bononiense dicto ann. 1411. vbi duæ illæ Prouinciæ Turoniæ, & Bohemiæ de nouo Ordini superadditæ fuerunt, Balneolarum 1416. Mõtispessulani 1420. Appaniarum 1425. Nannetense autem 1430. vbi ob senectutem, & corporis debilitatem sponte resignauit Generalatus officiũ. Schismatis autem tempore quot in sua obedientia Capitula habuerit ignotum est, sicut & acta ipsorum. Id tamen constare videtur ex Libro Ordinis in supradicto Balneolarum Capitulo, Turbiæ quoque Capitulum celebratum, & ibi de vestimentis, ac indumentis Fratrum ordinatum fuisse. Scripta reliquit post se opusculum de Ordinis sui institutione, profectu, Sanctis, & Generalibus, quod prænotauit *Viridarium*, & habetur in Speculo Ordinis *fol.* 101. Item sermones, & varias in scripturas Quæstiones. Annus

Ioã. Grossus.

nus obitus ipsius incertus: certum tamen errasse Lucium *in Bibliotheca Carmelitana*, & Posseuinum *in Apparatu Sacro* asserentes anno 1424. vel tempore Martini Quinti obijsse. Constat enim ex Libro Ordinis anno 1430. Generalatum resignasse, & anno 1434. in Capitulo Rauespergensi ordinatum fuisse, vt de communitate Ordinis illi prouideretur in necessitatibus. Non est etiam credibile, quod de ipso ait Paulus Langius *in Chronic. Czitensi*, floruisse videlicet sub anno 1460. Quia tamen nulla post hoc de ipso memoria reperitur, autumamus, hoc anno, vel circiter, è terris Cœlum præmia laborum percepturum scandisse. De ipso agunt relati Authores, & cum ipsis Trithemius, Einsengrineus, Biscarretus, & plures alij.

Ann. Christi 1438. Eugen. 4. Roman. Pontif. 8. Alberti Reg. Roman. 1. Ioann. Imperat. Orient. 18. Ioann. Faci Generalat. 8.

Concilium Ferrariæ.

1 INchoatur Concilium Generale ab Eugenio Papa indictum, Ferrariæ primum; deinde ob pestem ingrauescentem Florentiæ. Interim Basilienses multa contra Pontificiam authoritatem ausi fuere, ipsum à Papatu temere suspendentes, & suspensum esse declarantes. Bzouius, Spondanus, & alij. Ob mortem Sigismundi, Albertus Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Austriæ Dux, & eiusdem Sigismundi gener Imperator consensu Electorum renuntiatur. Nauclerus, Syluius, Gordonus, ac alij.

Concilium Florentiæ.

2 Florentinæ Synodo, quæ hoc anno habebatur, ex nostris præcipuè adfuisse credimus eos Magistros, vel plures eorum, qui pro Basiliensi designati fuerant in Capitulo Generali præcedenti: Maximè Generalem Facium, qui, cum per Papæ litteras, quas anno præterito retulimus, ad Concilium Ferrariæ celebrandum vocatus esset, postea Florentiam accessisse, ad eam Ciuitatem translato Concilio, credi debet. De Magistro Iacobo de Vileto Procuratore in Concilio Generali nominato in Capitulo Generali Astensi anno 1440. celebrando dubitari potest an Florentinæ Synodo, an vero Basiliensi cœtui astiterit, credimus tamen adfuisse Basiliensi; prout colligimus ex Capitulo Generali Cabilonensi anno 1444. Adfuit tamen huic Ferrariensi, & Florentinę Synodo ex Ordine nostro per illustris Doctor ex Anglia à toto Regno missus Orator Gualterus Huntus, seu Venantius, de quo hæc Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 15. *num.* 878. ad intentum: *Tanta (nec immerito) erat apud omnes de eius sanctitate, et eruditione singulari opinio, vt in flore ætatis constitutus, communi totius Regni decreto, et nomine Ferrariam primum, deinde Florentiam, ad Synodum Generalem sub Eugenio Papa Quarto, ad refutandos Græcorum, et Armenorum errores indictam Orator destinaretur. In qua Synodo, præsente Græcorum Imperatore* Ioanne

Pa-

Paleologo, & Patriarcha Iosepho, 14. mensium spatio, congressibus ferè quotidianis contra Græcorum Doctores de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, de consecratione in pane azimo, de primatu Romani Pontificis, et de multis alijs articulis., strenuè, neruosèque disputauit cum magno præsentium applausu. Notántque Authores, quod Iulianus Sancti Angeli Cardinalis, et Andreas Archiepiscopus Colossensis eum à multiplici doctrina, à solidissimis argumentis in ea concertatione propalatis summopere laudauerint. Quodque apud Summum Pontificem magnam gratiam, apud Angliæ proceres parem beneuolentiam, denique apud omnes celebrem famam in ea legatione sibi conciliauerit. Hæc vt supra Pitseus, multa ex Balæo *in Catal. Script. Brittan.* mutuatus, quos imitatur etiam Harpsfeldius *in Histor. Ecclesiast. Anglicana.*

3 Hoc eodem anno ad Cœlestia migrauit Angelus Augustinus, vulgo *Beatus Angelinus* nuncupatus; patria Florentinus, & Ordinis nostri præclarus Professor. Vir fuit Venerabilis, & sanctæ vitæ, etiam miraculis fama celebris: Concionator insignis, ac magni iudicij. Ex primis Obseruantiæ Conuentus Siluarum Institutoribus, vnde Mantuana Illustrissima Congregatio exordium postea duxit, primus erat. Dicitur enim de eo in Libro Mortuorum Conuentus Florentiæ, *Qui primus fuit filius in inceptione Obseruantiæ Syluarum*. Et in Necrologio Petri Lucij, *Qui cum videret mundum in dies ad deteriora labi, pristinamque Patrum disciplinam negligi, Prophetica vitæ amore accensus, ad Conuentum Syluarum se contulit, et ibidem aliquot sui propositi socios adeptus, prioris vitæ, atque Monastici instituti Obseruantiam reuocare conatus est.* Fuit etiam Prior eius Conuentus ab anno 1419. vsque ad annum 1430 & ab anno 1437. vsque ad annum 1438. Depingitur vt Beatus, & cum duobus Angelis, qui eius capiti florum coronam imponunt vna manu, aliaque vas ante ipsius pectus tenent, in quo, ex illius ore, dum concionator cadentes Rosæ recipiuntur. Corpus ipsius, Florentiæ, quo ex eo Syluarum Conuentu perrexerat, & vbi obijt in nostro Conuentu reseruatur in capsa, seu theca sub Altari Sanctæ Luciæ; hoc honestatum Epitaphio.

Angelus Augustinus.

Quid nos Religio moneat, quid vita pudica
Et noram, et multos nunc docuisse iuuat
Carmeli testes, quorum sum sacra secutus,
Angelus et tanto nomine dignus eram.

Constant hæc ex archiuio Cœnobij Florentini, Petro Lucio *in Compend. Histor. Carmelit. cap.* 14. & Biscarreto, ac de ipso scribit Franciscus Bellavita Doctor Theologus, Canonicus Pisanus. Extat etiam breuis quædam ipsius Vita Venetijs impressa, Authore anonymo 1560. etsi in eam aliqua errata irrepsisse videantur circa annos ortus, & obitus huius Sancti Religiosi.

4 In Anglia quoque duo celebres Ordinis Doctores fatis eo anno concesserunt. Vnus est Guillelmus BeKleius, Sandouici in Cantia natus, & in eiusdem Oppidi Cœnobio Prior. Iuuenis, vt author est Lelandus,

Guillelmus BeKleius.

Cantabrigiæ liberales Artes, & Philosophiam, maturior ætate Theologiam ibidem accurate didicit; & suo tempore communi Senatus Academici consensu supremam Doctoratus Lauream accepit. Erat enim fœlicis ingenij, tenacis memoriæ, facundæ linguæ, & tum in concertationibus Scholasticis, tum in eruditis Concionibus plurimum potuit. Vergens tamen ad senectutem, Academia cum Academicis Palæstris relictis, Sanduuicum repetijt, & eo tanquam in portum non tam Oceani, quam otij se recepit, diuinis deinde obsequijs, & edendis libris penitus incumbens. Edidit autem Quæstiones ordinarias lib. 1. de Fratrum Decimis lib. 1. Quodlibetorum lib. 1. Concionum variarum lib. 1. De eo scribunt Lelandus apud relatum Pitseum, Pitseus ipse, Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus.

Ioannes Ouinellus. 5 Alter est Ioannes Ouinhellus eiusdem nostri Ordinis, & Prouinciæ Angliæ Alumnus, ac Doctor Oxoniensis. Huic pietas, & eruditio nomen non incelebre dederunt. Erat enim Concionator elegans, disputator subtilis, & qui ingenij acumine ad soluendos difficillimarum Quæstionum nodos multum valuit; fœliciter etiam in Sacrarum Scripturarum lectione versatus. Scripsit Collectanea, vel exempla Sacrarum Scripturarum *lib.* 1. Sermonum per annum *lib.* 1. Distinctiones rerum variarum *lib.* 6. Caleti tandem in Gallia diem suum obijt. De quo Pitseus, & Biscarretus.

Bartholom. Roqualius. 6 In eumdem annum referre possumus obitum Reuerendiss. Domini Bartholomæi Roqualij, vel Racoli Masiliensis Episcopi, ex nostri Ordinis Generali ad eam Dignitatem euecti. Cum enim anno sequenti quidam Ludouicus eiusdem Ecclesiæ Episcopus in Pseudoconcilio Basiliensi numeretur vnus ex Electoribus Fœlicis Quinti Antipapæ (vt notauit Claudius Robertus Lingoniensis *in Gallia Christiana*, *in Catalogo Episcoporum Massiliensium*) non incongrue elicimus, sub hoc anno, vel circiter, nostrum Bartholomæum obijsse. Fuit hic ex Illustrissima familia ortus, filius nempe Comitis de Roquacallus, teste Gesnero *in Bibliotheca*, in Generalem Ordinis nostri electus in Capitulo Generali Nannetensi Prouinciæ Narbonæ anno 1430. & ex Generalatu ad Massiliæ Episcopatum assumptus circa annum 1431. vt ibidem diximus. Ante Generalatus porro officium primo Socius Generalis Ioannis Grossi designatus est in Capitulo Generali Balneolarum anno 1416. Deinde Prior Tholosæ, & Diffinitor Prouinciæ Tholosanæ in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. Socius iterum eiusdem Grossi Generalis in Capitulo Generali Appaniarum anno 1425. ac demum Diffinitor, & Prouincialis Tholosæ in Capitulo Generali Nannetensi, quando in Generalem fuit electus. Suæ autem doctrinæ reliquit testimonia, videlicet, Lecturam super Sententias *lib.* 4. Conciones ad Clerum *lib.* 1. De ipso loquuntur Conradi Gesneri Bibliotheca littera B. Claudius Robertus Lingoniensis *in Gallia Christ. in Catal. Episcop. Massil. et in Catal. Gener. Carmelit.* Petrus Lucius, Posseuinus, & Biscarretus, & , vt audio,

de

de ipso etiam scribit Ioannes Baptista Guisnai Iesuita *in histor. Masiliens.* studiosè elaborata.

7 Quo etiam anno casus æterna memoria dignus Neapoli accidit, quo reuerentia, & deuotio in *Sacra* Deo, & Beatissimæ Virginis Mariæ Templa dicata commendatur, & Sanctissimi Crucifixi Imago in Illustrissima Carmelitana eiusdem Vrbis Ecclesia collocata, magnum piæ deuotionis incrementum in sæcula obtinebit. Quem ex Cæsare de Eugenio Carracciolo Nobili Neapolitano in libro, cui titulus *Neapoli Sacra*, dum loquitur de Ecclesia Sanctæ Mariæ Carmelitarum, Bzouio, *Spondano*, & alijs sic excepimus. Alphonsus Aragoniæ Rex Neapolim hoc anno obsidione cinxerat (Carracciolus, & Filocalus Caputus noster *in suo Monte Carmelo pag.* 159. anno 1439. dicunt contigisse). Cum autem Petrus Infans, qui Alphonsi frater, & ipsius exercitus Dux erat, tormentis Vrbem quateret, die 17. Octobris versus eam partem, qua Deipara Carmelitarum Ecclesia sita, pila prægrandis ex tormento quodam maximo explosa testudinem validè ictu concussit, & Imaginis ligneę Crucifixi peruetustæ, quæ in Templi trabe transuersali erat, tabernaculum comminuit, Crucifixo (ò res mira) caput inclinante, & ictum pilæ summo impetu ruentis effugiente, spinea corona, quæ in capite erat reiecta, ac pila casso vulnere supra portam eiusdem Ecclesiæ, quo in loco eius rei memoria adhuc extat, remanente. Nobiles Ciuitatis tunc à Patribus nostris euocati cum Imaginem Crucifixi capite inflexo inspexissent, in securiorem locum transferre deliberant, ne simili dispendio exposita in posterum maneret; sed immobilem cernentes, vbi erat manere permittunt. Cum autem die sequenti, videlicet decima octaua Octobris Infans Petrus quasi iterum Ciuitatem tormentis aggressurus proprius accessisset, à Diuę Mariæ Carmelitanę Templo tormento percussus obijt, pilam tertio ad terram illisa, quarto eius caput comminuente; vel, vt alij dicunt, à corpore scindente, ac in mare impetuosè portante. Casus sicut Alphonso Regi summam attulit tristitiam (quod maximè cum cognouisset Crucifixi mirabilem capitis inclinationem, Petrum fratrem monuerat ne iterum Vrbis expugnationem versus Carmelitanam Ecclesiam aggrederetur) sic eidem Sanctissimi Crucifixi Imagini maximã erga totum ferme Christianum Orbem deuotionem, & reuerentiam contulit, vt propterea à Neapolitanis, cunctisque in nobilissimam, amplissimam, numero Ciuium, ædificiorum maiestate, Imperij magnitudine, & quod magis est, zelo Catholicæ fidei tuendæ, Christiani Orbis celeberrimã Ciuitatem confluentibus summa deuotione, & pijssime colatur. Diebus præsertim Inuentionis, & Exaltationis Sanctæ Crucis, feria sexta in Parasceue, & in Octaua Paschatis. Cæsar Eugenius Carracciolus, & Filocalus Caputus, alias huius casus circunstantias referens *vt supra*. Qualiter autem Alphonsus Rex post modum anno 1442. Ciuitatem ingrediens Sacram Christi Imaginem veneratus fuerit ibidem dicemus. Imago Crucifixi Conu. Neapoli.

8 Ex hac porro S. Crucifixi Imaginis capitis inclinatione, cum ab Hi- Notatio.

spano Alphonso Neapolitana Vrbs pro captione oppugnabatur, piè Gens Hispana inferat, Regum Regem Christum, ipsi Neapolitanum Regnum concedi voluisse, ob integræ, intemeratæ, & synceræ Catholicæ fidei obseruantiam. Singularem erga Apostolicam Sedem obedientiam, pietatem, & deuotionem, quæ in ea Natione his temporibus, quando ferè in omnibus Europæ Prouincijs hæretica labes viget, cernuntur. Caput enim inclinare, annuere quoddam gratuitum, amicabile, & benignum est. Sic notant PP. in illud Ioann, 19. de eodem Christo: *Inclinato capite tradidit spiritum*. Augustinus enim Tractat. de Virginitat, ait. *Caput habet inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum*. Et Laurent. Iustinian. *lib. de Triumphali agone cap. 20*, inquiens: *Caput hoc etc. liquefecit ad misericordiã, flexit ad gratiam, inclinauit ad indulgentiam*. Dum igitur in Catholicæ fidei integerrima firmitate; hęresis, & alterius infidę Sectæ odio, & Summorum Pontificum debita obedientia Hispani perstiterint, Christo capite inflexo annuente, Parthenopes Regno potientur.

Ann. Christi 1439. Eugen. 4. Roman. Pontif. 9. Alberti Reg. Roman. 2. Ioann. Imperat. Orient. 19. Ioann. Faci Generalat. 9.

Huius anni euentus.

1 Bijt hoc anno Albertus Imperator, in expeditione quadam contra Turcas. Naucler. Bonfin, Gordonus. Basileæ autem turbę, & tumultus erant inter Conciliares Patres; quibusdam partes Summi Pontificis Eugenij tuentibus, quibusdam infensè impugnantibus. Præualuerunt posteriores, &. deposito Eugenio, ad electionem Antipapæ venientes Amadeum Ducem quondam Sabaudiæ in Papam assumpserunt Fœlicem Quintum nuncupatum. Quo tempore Eugenius Papa saniori cõsilio Florentiæ Concilium legitime celebrabat, & de vnione Latinorum cum Græcis studiosè agebat. Ciacon. Bzouius, Spondanus, ac alij.

Bardinus Sansoni.

2 Eodem anno rebus humanis exemptus est, & Florentiæ sepultus Magister Bardinus, seu Bernardinus Sansonis, qui Italiæ Vicarius Generalis, & Procurator etiam Generalis in Archiuio Florentiæ nominatur. Cum autẽ eo tempore alij fuerint Procuratores Generalis Ordinis in Capitulis Generalibus nominati, non incongrue elicimus, hunc Bardinum Generalis vice Synodo Ferrariensi, & Florentinę, saltem pro aliquo tempore Procuratorẽ Generalem designatum, & Italiæ Vicarium. Fuit hic Pater Lector Bibliorum Parisijs designatus in Capitulo Generali Montispessulani anno 1420. & Lector Sententiarum ibidem in Capitulo Generali Appaniarum etiam ordinatus anno 1425. ac in Capitulo Generali Nannetensi an. 1430. Lector Sententiarum Parisijs pro anno sequenti. Hinc Doctorem Parisiensem fuisse asserit Biscarretus *in Palmitib. Vineæ Carmeli* de ipso loquens.

Hoc

3 Hoc anno Cardinalis creatur ab Eugenio Papa Guilelmus Eustorevilla Normandus, vocatus Cardinalis Andegauensis, seu Rothomagensis. Ciacon. *in Eugen.* 4. Fuit autem hic Cardinalis Ordinis nostri Protector, per multos annos, vt ex dicendis liquescet. Quem, loco eius, quem ex Patribus Concilij Basiliensis accepturi erant, Generalis, & eius socij ad prædictum Concilium in Capitulo Generali Rauespergensi anno 1434. destinati, assumpsisse pro Protectore Ordinis autumamus. Cardinalis Rothomagensis.

4 Florebat eo tempore in Anglia, Ioannes Colleius, seu Collæus Ordinis nostri in Cœnobio Doncastrensi, Comitatus Eboracensis Monachus, quem pietas, & doctrina tum suis contemporaneis, tum etiam posteris, multum commendarunt. Erat enim in Latina lingua elegans, in Concionibus facundus, & rerum cœlestium contemplationi impense deditus. Scripsit Latinè, & eruditè, de Passione Christi *lib.* 1. de laudibus Apostolorum *lib.* 1. Sermones *lib.* 1. Epistolarum ad diuersos *lib.* 1. Meritis laudibus eum commendant Lelandus, & Pitseus. De eo etiam Posseuinus, & Biscarrerus. Ioann. Colleius.

5 Quinque Ecclesiense Monasterium in Hungaria eodem anno Ordinis nostri fuit, sed nunc, proh dolor, cum hæc scribimus vix in memoria aliquorum extat, Turcarum perfidia, & Hæreticorum proteruia nihil non perdiderunt illis in partibus. De eo Bartholomæus Eiselim Prouincialis Germaniæ Superioris in relat. suæ Prouinciæ ad Reuerendiss. General. Theodorum Stratium. Quinque Ecclesiense Monasterium.

Ann Christi 1440. Eugenij 4. Roman. Pontif. 10. Friderici Reg. Roman. 1 Ioann. Imperat Orient. 20. Ioannes Faci Generalat. 10.

1 HOc anno in demortui Alberti locum Cæsar denunciatur Fridericus inter Imperatores huius nominis tertius, Austriacus sicut prædecessor, vtpote Ernesti Austriæ Ducis filius. Honuphrius, Gordonus, Spondanus. At Eugenius Papa cum Florentina Synodo Fœlicem Antipapam, & sequaces damnat, recalcitrantibus Basiliensibus, & Fœlicem coronantibus. Acta Concil. & recentiores. Tribuitur huic tempori Artis Typographiæ, Christianæ Reipublicæ vtilissimæ, inuentio, etsi annus, & Author incerti sunt. De eo Spondanus doctè, & eruditè. Gesta hoc anno.

2 Enituit valde anno præsenti nostri Sancti Andreæ Corsini sanctitas duobus signis, seu miraculis; quorum vnum nobilitate operis, multiplicitate factorum, & claritate probationis superat alia. Sic se habet, prout ex relatione super processu Canonizationis eiusdem Sancti Andreæ facta á Sacra Rota ad Paulum Quintum *part.* 5. §. 3. quam refert Bzouius *to.* 14. *Annal. sub anno* 1373. excepimus. *Anno Incarnationis Domini* 1440. *Eugenio Papa Quarto Florentiæ commorante, Philippus Maria Mediolanensis Dux* S. Andreæ Corsini miraculum.

Summo Pontifici, & Florentinis bellum intulit, ac per Nicolaum Piciniuum Præfectum suæ militiæ Florentinorum Oppida deuastare cepit. Cumque multa deuastasset, & iam exercitus loca Ciuitati Florentinæ propinqua occupasset, iamq; Florentinos, Cardinalesque, ac Summum Pontificem magnus terror inuaderet, hisque rebus permota Ciuitas trepidare, armisque diffidere cœpisset, fuerunt electi decem Viri, qui rebus bellicis Præpositi darent operam, ne, quid mali Respublica pateretur. Collectis itaque per eos undique militibus, paratisque quantum pro temporis angustia fieri potuit, legionibus, cum iam tanto belli discrimine eorum animi in ambiguo versarentur; quippe quia videbant se imparatos aduersus magnas, fortesque hostium copias, euenit, vt cum ex maxima deuotione, quam tunc temporis vniuersa Ciuitas habebat erga istum Seruum Dei, populus ad Ecclesiam, vbi illius corpus requiescit, & adolescens quidam, præcipuæ erga illum deuotionis, vna cum cęteris adueniret, apparuit ei Beatus Antistes dicens: Adolescens, propera ad Viros, Præfectos belli, meaque hæc verba referas: Deus, qui Israel de medio Pharaonis eripuit, ipse confringet aduersarios vestros, ne timeatis cum hoste congredi; nam Deus dissipabit vires illorum, itaque audacter quinta die à proximo festo Sancti Ioannis Baptistæ, quod intra dies octo celebrabitur, cum hoste congredimini, quia de illis victoriam reportabitis. Paruit adolescens, & Præfectos militiarum, quæ Sanctus apparens sibi dixit nunciauit, præsentibus. Auditis Magistratus fidem adhibuit, & die præfixo cum hoste conflixit: cumque multum hinc inde pugnatum fuisset, tandem pro Florentinis stetit victoria, hostiumque copiæ vndique fusę sunt. Præcipui ex magno hostium exercitu fuga euaserunt, vixque Picininus eorum Dux. Quam victoriam tanquam miraculosam, & per intercessionem huius Serui Dei agnoscentes Florentini, duxerunt solemnem processionem, cum funalibus ad Ecclesiam Carmelitanorum, vbi fuit habita solemnis Oratio de sanctitate vitæ huius Serui Dei, & illius Corpus cum funalibus, & thurificatione ostensum*. Hæc in Relatione Sacræ Rotæ ad Paulum Quintum, & subiungitur, hoc factum concorditer relatum ab Scriptoribus vitæ Sancti Andreæ, nempe Andreę Cast. Iacob de Verud. Gab. Flam. Sil. Raz. Franch. Cathan. Surio.

Votum Florentinorum. 3 Additur autem in eadem Relatione Sacræ Rotæ *par.* 4. §. 1. Respublicam Florentinam, ob memoriam victoriæ partæ per Sancti Andreæ intercessionem, de licentia Eugenij Papæ, non solum prædictam processionē cum solemni Missa ordinasse, sed etiam decreuisse, quod singulis annis in secunda Dominica Iunij Vexillifer Iustitiæ, & alij Magistratus deberent, accedere ad Carmelitanam Ecclesiam, & ibi cum cœreis accensis offerre donarium in honorem Beati Andreæ. Quod cum per aliquot annos intermissum esset, postea ordinatum, vt loco dictæ oblationis vestirentur decem Nouitij dicti nostri Monasterij.

An canonizatus. 4 Hinc absdubie ortum habuit, quod Angelus Rocca Augustinianus, *in lib. de Canonizat. Sanct. in Catal. Canonizat.* scriptum reliquit, quinque videlicet Cardinales sub Eugenio Quarto, spectata sanctitate, atque miraculis Sancti Andreæ Corsini motos, eum se pro canonizato habere acclamasse,

masse,& Eugenium eidem supplicationes, cœterosque Sacros honores Florentiæ tribui decreuisse. Videtur autem ij quinque Cardinales esse, quos refert Surius in *vita eiusdem Sancti*, scilicet Colonensem, Andegauensem, Placentinum, S. Crucis, & S. Mariæ Nouæ.

5 Secundum miraculum eiusdem Sancti Andreæ, quod eodem hoc anno 1440. refertur contigisse, est de quadam D. Betta, quæ cum careret vsu brachij sinistri, & partis sinistræ capitis, quam non poterat erigere, nec aure sinistra audire, & in quadam Concione Magistrum quemdam Petrũ miracula Sancti Andreæ prædicantem audiuisset in Ecclesia plebis Sanctæ Mariæ de Prato, firma spe concepta eius se meritis liberari posse, & mente conuersa ad ipsum, vt apud Deum pro ipsa intercedere dignaretur, orauit, quo facto, somno correpta, vidit sibi aliquid de capite, & brachio descendisse, & expergefacta sanam se esse deprehendit, quoniam brachium in altum leuare, & audire poterat. Ex prædicta Relatione S. Rotæ ad Paulum Quintum §. 3. Aliud miraculum.

6 Celebrata fuit noua Synodus Ordinis in Conuentu Astensi Prouinciæ Lombardiæ hoc eodem anno in festo Sancto Pentecostes à Reuerendissimo Magistro Generali Ordinis Ioanne Faci. In qua primo numerantur viginti Diffinitores totidem Prouinciarum, videlicet, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Aragoniæ, Bohemiæ, Saxoniæ. De quorum consensu taxæ Ordinis pro communibus expensis factæ sunt. Inter quas numerantur 88. ducati pro Magistro Iacobo Vileti Procuratore in Concilio Generali, vt ibidem dicitur, pro tempore futuro. Diuisa fuit Prouincia Bohemiæ in duas partes, scilicet in Prouinciam Saxoniæ, quæ facta fuit de Conuentibus Daciæ, Prussiæ, & Hastringens. Mudebugam. Quifrodiens. Thenesen. Penisens, & Amens. Residui autem Conuentus Bohemiæ, videlicet, Hungariæ, & Poloniæ adiudicati sunt Prouinciæ Alemaniæ Superioris. Liber Ordin. *fo*. 37. *&* 38. Ex quo conijcitur Bohemiæ Prouinciæ nomen extinctum esse, cuius signum est, quod in sequentibus nulla vlterius de ipsa mentio inueniatur. Generale Capitulum.

7 Ordinati sunt Prouinciales 23. Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, seu Cypri, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, seu Castellæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Aragoniæ, Turoniæ, Portugaliæ, Saxoniæ. Licet harum postremarum Portugaliæ, & Saxoniæ Prouinciales discretioni Generalis commisi fuerint. Instituti pręterea sunt Socij Generalis, Procurator Ordinis, Magister Regens in Curia Romana; Lectores Sententiarum, & Bibliorum Parisijs, Tholosę, Auenione, Viennę, Paduę, & Lectores Bibliorum Papiæ, & Senis: Priores autem Curiæ Romanę, & Parisiorum ordinationi Reuerendiss. Generalis commissi sunt. Liber Ordin. *fol*. 38. *&* 39. Prouinciales.

Quoad

Decreta. 8 Quoad decreta multa ordinata, & statuta in hoc Capitulo cernuntur, quorum grauiora sunt. Primum, quod omnes Fratres nostræ Religionis obseruarent Regulam secundum mitigationem *nobis noviter à Sede Apostolica indultam*, vt ibi dicitur. Quod absdubiè de mitigatione Regulę ab Eugenio Papa facta anno 1432. vt ibi diximus intelligitur. Secundum, quod de festis *SS.* Perpetuæ, & Fęlicitatis fieret Officium plurimorũ Martyrum, & de Sancto Lazaro, vt de Episcopo, & Martyre. Tertium, & sub præcepto obedientię, quod nullus Nouitius ab Ordine expulsus in vno Conuentu, vel Prouincia, reciperetur alibi in Ordine, & quod si reciperetur, quod nec Prouincia, nec Conuentus, à quibus fuit expulsus, teneretur ipsum tanquam suum recipere. Plura etiam statuta sunt circa receptionem Iuuenum ad Ordinem, instructionem, & clausuram eorum, ac subiectionem Magistris Nouitiorum, quibus pręcipitur subiectos esse debere vsque ad susceptum Ordinem Diaconatus. Liber Ordinis, *vt supra*.

Socij Fr. Thomæ. 9 Tandem ordinatum est, quod omnes Fratres, qui fuerunt de Societate fratris Thomę (quem credimus esse Thomam illum Connectam, de quo anno 1433. diximus) in Prouincia Bononię, & Conuentu Mantuę, essent filij eiusdem Prouinciæ, & Conuentus; ita, quod alibi non detinerentur per Priores Prouinciales. Quod factum putamus propter infelicem exitum illius Thomę, vel quia illi vitę reformatę attendentes, Eugenianam mitigationem non admiserant.

Patres grauiores. 10 Grauiores Patres, qui in hoc Capitulo censentur, sunt. Reuerendiss. Ioannes Faci Generalis Ordinis, Magister Ludouicus Sadoch Diffinitor, & Prouincialis *Siciliæ*; Magister Ioannes Keningalus Diffinitor Anglię; Magister Ioannes Soreth Diffinitor, & Prouincialis *Francię*; Magister Hermannus Diffinitor Alemaniæ Inferioris; Magister Iacobus Vileti Diffinitor, & Prouincialis Prouincię; Magister Thomas de Auis; Magister Petrus de noua Ecclesia Prouincialis Alemanię Inferioris; Magister Hieronymus Stella Prouincialis Lombardię; Magister Ioannes Martini Prouincialis Castellę; Magister Gualhardus de Rupe Prouincialis Tholosæ; Ioannes Boet Lector Sententiarum Parisijs pro anno sequenti. De quibus sigillatim suis locis dicemus.

Ioan. Thorpus. 11 Obijt eodem anno Norvvici in Anglia Ioannes Thorpus Ordinis nostri Doctor Cantabrigiensis, qui ob ingenij pręstantiam cognominatus est *Doctor ingeniosus*; Hic vnus erat ex quinque Doctoribus, qui seditiosum Guilhelmum Vvithum hęresis conuicerunt, & damnarunt, tum Ecclesię, tum patrię publicum hostem declarantes. Eius tumbæ *ingeniosi* titulus insculptus est. Scripsit in Apocalypsim Sancti Ioannis *librum vnum*; consequentiarum Canones *librum vnum*; de Sophismatibus *librum vnum*. De eo tractant Balęus, Harpsfeldius, Einsengrineus, Posseuinus, & Pitseus, referens Vvaldensem, & Bostium. i

Conuentus Descouzang. 12 Constat ex authentico Instrumento Archiuij Ecclesię S. Chrysogoni

goni reseruato, de hoc anno 1440. fundationem Conuentus de Desenzano ortum habuisse, ex insigni quodam miraculo Deiparæ Virginis intercessione patrato circa puellam quandam Bergomensem, quæ cum grauissimam pateretur infirmitatem ab ea liberata fuit. Est hoc Cœnobium sub Congregatione Mantuana.

Ann. Christi *1441*. Eugenij *4*. Roman. Pontif. *11*. Frideric. Reg. Roman. *2*. Ioann Imperat. Orient. *21*. Ioannis Faci Generalat. *11*.

1 CVm hoc anno Florentina Synodus sub Papa, & Basiliensis cum suo Felice procederent, Dei prouidentia agebatur, vt Iacobini Schismatici cum suo Patriarcha, mediante Andrea Abbate Monasterij Sancti Antonij apud Ægyptum, ad Ecclesiæ vnitatem accederent. Sic enim ex Actis Concilij Florentini habent Chronologi communiter. Specialiori iure huius Andreæ Abbatis Monasterij Sancti Antonij memoriam facimus, vt ostendatur, hanc Antonianam Religionem, quæ ipsius Antonij, qui Elianam, Essenam, & Propheticam æmulabatur vitam, prout dicta tom.2. demonstrant, instituta sequebatur, adhuc superstitem hoc tempore fuisse. Gesta huius anni.

2 Hoc etiam anno Hussitæ Bohemi inter alios articulos, in præiudicium Catholicorum, quos ediderunt; vnum contra Religiosos cæcitate percussi statuebant, videlicet, quod Monachi sub obedientia Plebanorum quorumdam essent. Cochlæus *lib.9. Histor. Hussitar.* Bzouius sub hoc anno *num.12.* Quæ res absdubiè nostrorum Patrum, & aliarum Sanctissimarum Religionum animos turbare poterat, & patientiæ, aut Martyrij pro Christi fide tolerandi Seminarium præstare. Hussitæ Bohemi.

3 Clarus valde, tum Illustris prosapiæ genere, tum pietate, & doctrina, ea tempestate erat in Anglia Nicolaus Cantalupus Ordinis nostri Alumnus, ex Illustri Demetarum Comitũ prosapia ortus; patrem habens Guillelmum Demetiæ Comitem. Iuuenis Beatæ Virginis habitum in Cœnobio Bristoliensi suscepit. Missus suo tempore Cantabrigiam (vt videtur) ad studia, Felices fructus fecit, & tandem virtutis, doctrinæque debitum percipiens ab Academia præmium, Sacræ Theologiæ creatus est Doctor. Vir erat pius, doctus, grauis, modestus, & authoritate plenus, prudens, & cordatus. Propter quasdam insignes naturæ dotes aptus ad regẽdum, sed propter mentis acumen, & fœlix ingenium aptior ad studendum. Dicitur in diuersis Ordinis nostri Conuentibus Prioris authoritate præfuisse, Cantabrigiæ, Bristoliæ, Glocestriæ, vbi Humbredo præstantissimo Duci notus, dilectus, & intimus familiaris fuit. Tandem Northamtoniæ Prior ele- Nicolaus Cantalupus.

ctus ibidem vinculis corporis liberatus 21. die Septembris anni 1441. spiritum reddidit. In lucem emisit Sermones Quadragesimales *librum vnum*; In primum sentent. *librum vnum*; Encomium sui Ordinis *librum vnum*; Historiam Cantabrigiæ *librum vnum*; Historiarum appendices *librum vnum*; Chronicarum epitomem *librum vnum*. Ipsum cum honore referunt Lelandus apud Pitseum, Balæus, Harpsfeldius, Pitseus ipse, Einsengrineus, Iacobus de Plebe, Posseuinus, & Biscarretus.

Ioann. Emmanuel. 4 Totus etiam Ordo, ac maximè Lusitaniæ Prouincia decorabatur hoc tempore, vno ipsius Alumno Ioanne Emmanuele, Eduardi Portugaliæ Regis filio, quem nedum Regius Sanguis, sed etiam singularis vitæ sanctimonia splendorem præbebat. Hunc Rex optimis magnarum virtutum præsidijs firmandum commendarat, Heroi illius æui maximo, Nonio Aluarez Pererio, Brigantinæ domus auctori. Is enim cum ad ætatis vsque flexum maximarum victoriarum Europæ, atque Africæ spolijs abundantius efflorescerct, extremam bellicosæ vitæ partem, placidissimam tandem, ac plane perbeatam ducebat in Carmelitano nostro Monasterio Olysippone à se instructo; vbi vera religiosissimarum virtutum gloria adumbratam belli laudem longissimè antecelluit. Illius exemplo, consilioque Princeps iste Emmanuel Religiosæ vitæ pulchritudinem in eodem Cœnobio peramanter est amplexatus. Et hoc anno Prouincialis illius Prouinciæ electus, à Generali, videlicet, cui id erat commissum in Capitulo Generali anno præcedenti celebrato. Deinde ad Septæ primum, postea ad Egitanensem Episcopatum est euectus, donec Rex Alphonsus, eius nominis Quintus, matura illius consilia, senilemque prudentiam demiratus, vt Regiæ semper adesset, sibique fieret à Consiliis, suo ipso præfecit Sacello, nobilissimis eo tempore Sacerdotibus, electissimisque Cantoribus, vltra quam dici posset exornato. Claustrum antiquum in Conuentu illo Vlysipponensi, in quo, vt dicitur, aliquando Prior extitit, reparari, seu construi fecit. Tandem post tot labores ibi Sancto fine quieuit, & honorificè tumulatus iacet, circa annum 1481. De ipso Vasconcellus in libro de Regibus Lusitanis, Petrus Maris Dialogo 4. Casanate, & Biscarretus.

Thomas de Auis. 5 In eumdem annum referre possumus Thomam de Auis, ea tempestate celebrem in Ordine Magistrum, quod à Capitulo Generali anno præcedenti celebrato, nulla vlterius de ipso in Libro Ordinis reperiatur memoria. Fuit primum in Capitulo Generali Balneolarum anno 1416. Diffinitor, & Prouincialis Prouinciæ Franciæ. Deinde in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. eiusdem Prouinciæ Franciæ Prouincialis instituitur; & in sequenti Appaniarum 1425, Diffinitor, & Prouincialis, ac postea in Nannetensi anno 1430. Prouincialis. In Capitulo autem Rauespergensi anno 1434. non solum Diffinitor, & Prouincialis Franciæ dicitur, sed etiam supponitur astitisse Concilio Basiliensi,

cum

cum Vicario Ordinis, & duobus alijs Magistris; & ita computantur decē ducati pro expensis ab ipso factis in dicto Concilio. Nouissimè vero in Capitulo Generali Astensi, etsi iam non Diffinitor, aut Prouincialis Franciæ denuncietur, inter debita tamen Ordinis computantur 25. floreni prędicti Magistri Thomæ Auis pro expensis, vt videtur, in Concilio per ipsum factis.

Ann. Christi 1442. Eugenij 4. Roman. Pontif. 12. Friderici Reg. Roman. 3. Ioann. Imperat. Orient. 22. Ioannis Faci Generalat. 12.

1 HOc anno, dum Papa Florentiæ agens Ecclesiæ negotia tractaret, & Basilienses cum suo Felice non leuiter nutarent, Alphonsus Aragoniæ Rex Neapolim Europæ clarissimam Vrbem diu sibi concupitam feliciter cepit; Renato Andegauensi competitore in Galliam redire coacto. Gordonus, Bzouius, Spondanus, cum plerisque alijs. Gesta hoc anno.

2 Quoad nostram porro Historiam id proprius spectat, quod Alphōsus hic Aragonum Rex, qui Neapolim obtinuit, memor casus infelicis mortis Petri sui fratris, de quo sub an. 1438. diximus, dum præceperat obsidionis tempore, ne Ciuitatis oppugnatio ab ea parte fieret, qua Carmelitanæ nostræ Deiparæ Monasterium situm est: aliquot etiam diebus post triumphalem ingressum transactis ad idem Templum Virginis venit, miraculosam S. Crucifixi Imaginem, quæ capite inflexo, bombardę impetum declinauerat, inuisurus: intimoque familiari Inico de Aualos præcepit, vt, scala apposita, an Imago Sacra permansisset, cerneret. Quo ita faciente, facti veritate conspecta, Deo gratias egit, & ante mortem illi tabernaculum fabricari ordinauit. Hæc Cæsar Eugenius Carracciolus in libro, cui titulus *Neapolis Sacra*, dum de Ecclesia nostra Carmelitarum loquitur. Conuentus Neapolitan.

3 Erat, prout videtur, sub hoc tempore Florentiæ noster Ioannes Faci Generalis à Papa Eugenio vocatus per litteras ad ipsum, & alios Mendicantium Generales transmissas, de quibus sub anno 1437. mentionem fecimus; vel per alias speciales ad eum missas. Id enim constat ex Libro Ordinis in Actis Capituli Generalis Cabilonensis anno 1444. habiti, vbi expensæ factæ Florentiæ ab eodem Generali à Papa vocato numerantur. Expediens autem fuit Generalem Florentiæ astitisse, nedum propter Concilij celebrationem, ad quod à Papa accersitus fuerat; sed etiam, quia nonnulli Religiosi eo tempore separationem ab Ordinis Prælatis, & institutionem nouæ Congregationis à corpore Religionis disiunctæ, intuitu reformationis, quam intendebant, à Papa sibi concedi desiderabant: qui nonnisi Generalis consensu accedente, aut eo saltem audito, rem decernere voluisse, prudenter existimari potest. Pontifex ergo, re discussa, & matura discussione Generali Faci.

sione præmissa, litteras, & Diploma dedit tertio nonas Septembris sub hoc anno, quibus Clarissimæ Congregationis nostri Carmelitici Ordinis, quæ *Mantuana* vocatur, primordia iecit. Id autem quomodo acciderit, altius repetere operepretium est.

Cógregatio Mantuana.

4 Mantuanum Cœnobium inter Italiæ Monasteria celebre valde, de cuius fundatione in superioribus mentionem fecimus; ac Gerundense Diœcesis Sedunensis in Alpibus, cuius etiam erectionis memoriam alio loco afferemus, eidem Mantuano coniunctum ab anno 1425. cum Fratribus ipsorum: simulque Conuentus Syluarum, de quo sæpius in præcedentibus nonnulla diximus, hoc anno eidem etiam Mantuano aggregatus (vt testatur Ioannes Maria Pensa *de Vir. Illustrib. Congregat. Mantuan. pag.* 20.) Religiosos plures habebant, quos sub annis 1413. 1426. & 1433. retulimus, strictioris Obseruantiæ, & maioris perfectionis, quam in alijs Ordinis Conuentibus seruabatur cupidos; qui propterea in Regulæ, & Constitutionum Ordinis disciplina, & reformatæ vitæ studio, cœteris diligentius, & accuratius viuere studebant. Cum autem nonnulli alij Fratres (prout semper in Religionibus contigit) ab ipsis dissidentes, moribus dissimiles, & viuendi modo diuersi, ac strictiori ipsorum Obseruantię aduersarij, illorum reformationi impedimento essent, ideo Priores, & Fratres dictorum trium Conuentuum ad Papam Eugenium Florentię commorantem pro opportuno remedio recurrerunt. Pontifex autem eorum laudabili fama piæ obseruantiæ Regularis, vt in Diplomate inquit, excitatus, & inductus, compatiensque, vt etiam ibi prosequitur, angustijs, quas pro malignitate temporum, ac moribus hominum ab ipsis dissidentium continuo eos pati contingebat, ipsos ab obedientia Prouincialium exemit, solum sub Generalis subiectione constituit, facultatemque concessit vnum Vicarium sibi eligendi, sub cuius obedientia degerent, cum quibusdam priuilegijs, quæ in ipsa Bulla his verbis continetur: *Vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos, & domos vestras à quocunque vestri Ordinis Superiorum communiter, & diuisim; vestri Generalis Prioris pro tempore existentis, duntaxat excepta obedientia, & subiectione, authoritate Apostolica prorsus eximimus, ac exemptos esse volumus, per præsentes mandantes omnibus, & singulis Officialibus dicti Ordinis, ne vos ad aliquod consuetum, vel alias officium impendendum cogere quoquomodo præsumant. Decernimus enim, ac statuimus, & ordinamus, &c.* vsque ad finem Bullæ. Quomodo autem ex vi huius Pontificij Diplomatis PP. Conuentuum Mantuani, Gerundensis, & Syluarum sibi Vicarium Generalem elegerint; & quomodo tunc maximè auspicari debeat initium Illustrissimæ Mantuanæ Congregat. ex qua velut ex equo Troiano strenuissimi milites; plures videlicet vtriusque sexus sanctitate insigni, multique doctrina, celebres Patres, Doctores, & Prælati prodierint, sequenti anno dicemus.

Conuentus Leopoliésis.

5 Circa hunc annum fundatio nostri Conuentus Leopoliensis in Polonia refertur. Cum enim Vladislaus Varnensis filius Vladislai Gagelonis

Regnis

Regnis Poloniæ, & Hungariæ simul præesset, & ipso in Hungaria moram trahente, Ioannes de Czyzoc Castellanus, & Capitaneus Cracouiensis, titulo, & officio ViceRegis in Polonia fungeretur, ac vellet regimen suum à pietatis operibus auspicari, circa hoc tempus in suburbijs Halucens ad Ciuitatem Leopolim Carmelitas fundauit, & eis Ecclesiam, & Monasterium sub titulo Sancti Leonardi, vbi nunc est Templum Ruthenici ritus, ædificauit, Verum dictis ædificijs per Tartaros igne sublatis, Monasterium illud, & locum deseruerunt. Sic habemus ex Relatione eius Prouinciæ per Alexandrum KoslinsKi Prouincialem descripta.

6 Obijt autem præsenti anno Conuentriæ in Anglia Ioannes Vptonus, quem perperam alij Vpsonum vocant, eiusdem nationis, & Ordinis nostri Alumnus, patria Lincolniensis, & Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Concionator hic Pater Loudini tandem ad Illustrissimum Clarentiæ Ducem vocatus, ab ipso in magno pretio, & à Confessionum Secretis habitus, in dies apud Populum fama, & apud Principem existimatione crescebat. Multa etsi scripsisse dicatur, solummodo tamen liber vnus Sermonum ab ipso editus reperitur. Habet insignes sui nominis Commendatores, videlicet Thomam Vualdensem in Epistola ad præfatum Clarentiæ Ducem, Lelandus à Pitseo relatus, & ipse Pitseus. Ioannes Vptonus.

Ann. Christi 1443. Eugen. 4. Roman. Pontif. 13. Frideric Reg. Roman 4. Ioann. Imperat. Orient. 23. Ioann. Faci Generalat. 13.

1 Concordiam inijt hoc tempore Alphonsus Aragoniæ, & Neapolis Rex cum Papa Eugenio: & inter alia, pactum, quod Alphonsus ipse Neapolitanum Regnum iure possideret. Zurita, Gordonus, & alij. Papa autem iam securus Romam reuertitur, & à Romanis placidissimè recipitur. Spondanus, & alij. Gesta hoc anno.

2 Patres Conuentuũ Mantuæ, Gerundæ, & Syluarũ hoc anno in vnũ congregati Petrum Stephanum Gallum Tholosanũ, in ipsorum, & domorum prædictarum Vicarium Gen. concorditer elegerunt, virtute Eugenij concessionis, de qua ann. præced. Gerundæ factam electionẽ habetur ex Constitutionibus Congregationis, dum de Superioribus Capitulis, & locis vbi facta sunt, fit sermo. Alij tamen dicunt eodẽ anno celebrato Capit. Prouinciali in Cõuentu Montis Catini Prouinciæ Thusciæ, prædictum Petrum Stephanũ in Priorem Syluarum electum. Petrus Lucius *in Compend. Histor. Carmelit. cap.* 14. Quæ inter se pugnantia non sunt; potuit enim in prædicto Montis Catini Capitulo in Priorem Syluarum eligi, & postea Gerundæ in Vicariũ Generalem, præsens, vt credimus, vel etiam absens, si absfuisse contigit. Cum autem, vigore prædictæ Eugenianæ Bullæ, Vicarius Generalis ab ijs Vic. Generalis Congreg.

eli-

eligendus, confirmandus esset à Generalis Ordini pro tempore existente, vel eo recusante, à Sede Apostolica, vt in eisdem litteris continetur, cum Ioannes Facius tunc Generalis, eumdem Petrum confirmare recusasset, etiam congruis locis, & temporibus, à prædictis Patribus requisitus, ideo ad Summum Pontificem Eugenium Senis tunc agentem pro remedio supplicantes accesserunt. Pontifex ergo datis litteris sub hoc anno, & septimo Kalendas Iulij, Pontificatus anno 13. prædictum Petrum in Priorem Fratrum, ac domorum prædictarum Vicarium Generalem confirmauit, & pro futuris temporibus statuit, & decreuit sequentia, & his verbis: *Quod quandiu Priores, & Fratres prædicti sub dicta Regulari Obseruantia vixerint, in Vicarium huiusmodi ab ipsis, seu ad minus à duobus partibus eorum pro tempore concorditer electus, eo ipso canonice confirmatus esse censeatur, & absque alicuius Superioris licentia omnimodam potestatem habeat, perinde, ac si per dictum Generalem Ministrum, seu authoritate Apostolica, confirmatus extitisset, præfatis litteris* (scilicet prioribus eiusdem Eugenij) *alias in omnibus in suo robore permansuris, non obstantibus &c.*

Mantuanæ Congregat. primus Vicarius.

5 Hic ergo Petrus Stephanus Tholosanus primum caput Mantuanæ Congregationis iure appellandus est. Etsi enim ab anno 1413. reformatio Conuentus Syluarum ceperit per Iacobum Alberti, vt anno 1426. diximus; & Gerundensis Cõuentus iampridem ab anno 1425. vt suo loco diximus, Mantuano aggregatus fuerit, propter reformationem vtique, quæ in vtroque Cœnobio vigebat: & infaustus ille Thomas Connetta Gerundæ, & Mantuæ, sua, & suorum Sociorum præsentia, fouerit, ac promouerit, prout sub anno 1433. tetigimus: ac Gigas de Francia, Ioannes de Viena, Rubinus de Francia, & quidam alij Galli, & Gerundenses, quos sub anno 1425. retulimus, idem intentum, & modum strictioris Obseruantiæ, seu reformationis sanè laudabiliter prosecuti fuerint: quia tamen vsque ad hoc tempus authoritate Apostolica id munitum non fuit, nec eorum Conuentuum Superiores, aut Præsides, *Vicarij Generales* nominati tunc erant, aut Monasteria à Prouincialium subiectione exempta, ideo ab hoc tempore, anno videlicet prçcedenti 1442. vel *præsenti* 1443. originé, & primordiale initium Congregatio sumere debet. Prout expressè tradunt diligentissimi authores Petrus Lucius Belga *in Compend. Histor. Carmelit. cap. 14.* Didaco Coria *in Chron. Carmelit. lib. 12. cap. 2.* Reijciendus ergo Balæus, qui *in Cathal. Scriptor. Brittann. Centur. 5. in Nicolao Kentono*, refert Congregationem Mantuæ cepisse per Thomam Gallum Rhedonensem, qui Romæ sub Eugenio Quarto, malo fine, vt nos diximus, perijt. Quod an in laudem istius Thomæ, quem ipse *Sanctissimum* vocat, an in contemptum Illustrissimæ Congregationis, quæ tale caput nacta est, dixerit, dubitamus; vtrumque enim de ipso suspicari possumus. At quidquid de eo sit, falsum est per prçfatum Gallum Thomam incepisse, cum antequam ipse Italiam accederet, in Conuentibus Syluarum, & Mantuæ reformatio vigebat: esto per ipsum & ipsius Socios incrementum acceperit.

Fallitur

4 Fallitur etiam Ioannes Pensa in superioribus relatus, dum acriter contendit eam Reformationem, ex qua, veluti ex materia, Mantuana Congregatio cepit, primitus in Mantuano Cœnobio viguisse, quam in Syluarum Monasterio: eo quod in Pontificijs Bullis priori loco Mantua Monasterium, ante alia nominetur, & Congregatio ipsa *Mantuana* dicatur. Etenim Reformatio Conuentus Syluaram ab anno 1413. refertur; Mantuani vero nonnisi ab anno 1425. iuxta dicta eo tépore: immerito ergo in hoc præponitur Conuentus Mantuanus. Nominari autem hanc Congregationem *Mantuanam*, & prius Cœnobium Mantuæ in Diplomatibus Pontificijs; ideo est, quia Syluarum, sicut & Gerundæ Cœnobia, vtpote in Syluis, & montibus sita, ab hominum consortio separata, & vix solum paupertate insignia; nullius ferme nominis erant: Mantuanum verò Monasterium, vtpote in Inclyta Vrbe Italiæ situm, locuples valde, insigne, & celebre: à famosiori ergo, vt Logici dicunt, sumpta est denominatio. Sic ferme Coria *supra*, & alij. Ioann. Pensa

5 Clarus valde in Ordine nostro ijs annis refertur Ioannes Noblet, natione Gallus, & Conuentus Parisiensis. Vir in diuinis Scripturis studiosus, & eruditus, & in sæcularibus litteris egregiè doctus, Philosopus, & Medicus insignis. Variant tamen Authores, qui de ipso loquuntur, circa annum quo vixit. Quia tamen nisi nominis similitudine fallimur, putamus Ioannem Boeth, qui in Capitulo Generali anno 1440. Lector Sententiarum Parisijs denunciatus est eumdem esse, corrupto vocabulo, ac Ioannem Nobleth, de quo in præsenti, cum à prædicti Capituli tempore, nulla vlterius de ipso in Libro Ordinis memoria inueniatur, ideo huic tempori annumerandum credimus. Scripsit ingenij sui plura præclara Opuscula, videlicet, Opus insigne, quod *Centilogium* prænotauit, in Euangelium Ioannis *lib.* 1. Sermones varios super Sentent. in Epistol. canonic. *lib.* 7. In plures etiam Sacrorum Bibliorum libros Commentaria, & Lecturas cópilasse dicitur. Sunt quoque qui asserant eum in Concilio Basiliensi contra Hussitas acerrimè disputasse. De eo scribunt Trithemius, Einsengrineus, Genebrardus, Iacobus Seruita, Posseuinus, Lucius, Biscarretus. Ioã. Noblet.

Ann. Christi 1444. Eugen. 4. Roman. Pontif 14. Frideric Reg. Roman. 5. Ioann. Imperat. Orient. 24. Ioann. Faci Generalat. 14.

1 INfelix expeditio Christianorum contra Turcas hoc anno contigit. Cum enim contra pacta inter ipsos inita Vladislaus Hungariæ Rex in eos exercitum moueret, victus ipse, & occisus est. Dicitur autem Amuratem, cum fœdus iuratum super Euangelia à Christianis, & super Alchoranum à Turcis, violatum videret, exclamasse Casus huius anni.

sé

se ad Christum: *Si Deus es, tuas, measque hic iniurias; te quaeso, vlciscere.* Bonfinius, Bzouius, Spondanus.

Generale Capitulum.

2 Hoc eodem anno 1444. Capitulum Ordinis Generale celebratum fuit Cabilonensi in Cœnobio Prouinciæ Narbonæ, præsidente Reuerendissimo Magistro Ordinis Generali Ioanne Facio. In quo primum numerantur Diffinitores quindecim Prouinciarum, videlicet, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Castellæ, quę vocatur *Hispania*, Prouinciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemanię Superioris, Turoniæ, Aragonię, & Saxoniæ. A quibus cum Generali pro communibus Ordinis negotijs taxantur Prouinciæ. Inter taxas autem numerantur 100. ducati dandi Magistro Iacobo Villeto pro expensis factis per vnum Magistrum in Basilea pro vno anno cum dimidio. Qui videtur fuisse idemmet Villetus, cum vt constat ex Capitulo Generali Astensi anno 1440. celebrato ipse fuerit designatus Procurator Generalis pro Concilio Generali, vt ibidem dicitur, pro tempore futuro. Ordinati etiam sunt Prouinciales vigintiduo Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, hoc est, Castellæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, & Aragoniæ. Prouincialis autem Portugaliæ electio commissa est Patribus Prouincię. Actum etiam est de Procuratore, Priore, & Regente Curiæ Romanæ, & Priore Conuentus Parisiorum. Item pro Conuentus Curiæ Romanæ reformatione ordinati sunt Regens, Baccalaureus, & Studentes ex Prouincijs Angliæ, Franciæ, Turoniæ, Cataloniæ, Aquitanię, Lombardiæ, Tholosæ, Alemaniæ Superioris, Castellæ, & Alemaniæ Inferioris. Regens autem nominatus Magister Guillelmus Paschalis Prouinciæ Aragoniæ. Demum ordinati sunt Lectores Bibliorum, & Sententiarum Parisijs, Tholosæ, Auinione, Bononiæ, & Papiæ, ac Lector Biblicus pro studio Paduano. Liber Ordinis *fol.* 39. 40. 41. & 42.

Decreta.

3 Quoad decreta, reuocata in primis sunt omnia, & singula Statuta per quęcunque Generalia, & Prouincialia Capitula edita, quæ videlicet, non erant in volumine antiquarum Constitutionum, ijs duntaxat exceptis quę diuinum seruitium in communi Choro, & Nouitiorum, seu Iuniorum promotionem, ac etiam habitus vniformitatem concernebant. Deinde Conuentus Poloniæ, & Bohemiæ applicati sunt Prouinciæ Saxonię, vt deinceps sub eius Prouincialis obedientia essent. Tertio, commissum est Magistro Iacobo Pellegato Prouinciali Bononię, facere correctionem Constitutionum, quę factę fuerant, & vt pręsentaret toti Capitulo Generali sequenti. Quarto, statutum est, quod Conuentus Coloniensis Prouincię Alemanię Inferioris, immediatè, sub obedientia Generalis esset, ad instar Conuentus Parisiensis, & Romanæ Curiæ. Hoc autem ortum videtur habuisse ex rebellione quadam á quibusdam Coloniensibus commissa,

missa, & iniusta vexatione cuiusdam Francisci Facij ibidem studentis, qui, vt apparet ex cognomine, Generalis consanguineus forsan erat: propter quæ ad solutionem cuiusdam summæ pecuniariæ damnantur, Capitulum Prouinciale ab eis factum irritatur, & quidam Magistri inter ipsos solemnes quibusdam pœnis mulctati fuerunt. Hæc cum alijs minoris ponderis, quę omittimus, habentur in Actis huius Capituli in Libro Ordin. *fol.*40. *et* 41.

4 Grauiores Patres Ordinis in hoc Capitulo numerati, sunt, Reuerendiss. Magister Ioannes Faci Generalis; Magister Paulus Visconte Prouincialis Siciliæ; Magister Iacobus Pellegatus Diffinitor, & Prouincialis Bononię, ac destinatus pro correctione Constitutionum; Magister Ioannes Martini Diffinitor; & Prouincialis Castellæ Prouinciæ, quæ, vt diximus vocatur *Hispaniæ*; Magister Galliardus de Rupe Diffinitor, & Prouincialis Tholosę; Magister Iacobus Villeti Prouincialis Prouinciæ, & Procurator Ordinis in Cõcilio Basiliensi; Magister Hieronymus Stella Prouincialis Lombardię; Magister Nicolaus Kenton Prouincialis Angliæ; Magister Ioannes Soreth Prouincialis Thusciæ; Magister Petrus de noua Ecclesia exProuincialis Germaniæ Inferioris, Magister Hermannus de Nussia. De quibus suo loco dicetur. Grauiores Patres.

Ann. Christi 1445. Eugenij 4. Roman. Pontif. 15. Frideric. Reg. Roman. 6. Constantin. Imp. Orient. 1. Ioannis Faci Generalat. 15.

1 MOrtem Ioannes Palæologi Imperatoris Orientis, & successionem Constantini, sub hoc anno ponunt, Nauclerus, Honuphrius, Gordonus, & alij. Missus interea ab Imperatore Friderico Æneas Siluius ad Eugenium Papam ab eo veniam obtinuit eorum, quę contra ipsum egerat pro Conciliabulo Basiliensi, quod, & improbauit, & factus postea Papa, condemnauit. Platina, ipse Siluius, Gordonus, & alij. Gesta hoc tempore.

2 Patres Congregationis Mantuanæ hoc anno secundum Capitulum in Conuentu Syluarum celebrarunt: in quo Pater Antonius de Fonte in Vicarium Generalem Congregationis electus. De biennio in biennium suos Superiores eligit hæc Congregatio, iuxta Diploma Eugenij 4. Si tamẽ, vt ibidem habetur, Priores locorum, & maior pars vocalium Conuentuũ consenserint, vt permaneat Vicarius is, qui iam biennium suum compleuit, potest dictum Officium per aliud biennium exercere, & sic deinceps sine aliqua electione, aut confirmatione de nouo faciendis. Congregat. Mant. Capit.

3 Turbæ, & tumultus eo tempore in grauissimo Coloniensi Conuentu erant. Causa fuit Decretum Capituli Generalis anno præcedenti Cabilone celebrati, quo Cœnobium, ac Fratres sub immediata iurisdictione, & subiectione Generalis constituebantur, & Capitulum Prouinciale per Magi- Turbæ in Colon. Cõu.

 strum

strum Petrum de noua Ecclesia habitum, irritum, & cassum declaratū erat. Hoc enim durè ferentes Patres illius Cœnobij, eo præsertim, quod duo ex grauioribus, videlicet prædictus Magister Petrus de noua Ecclesia, & Magister Hermannus de Nussia grauibus pœnis in eodem Generali Capitulo addicti erant, contra Patrem Ordinis rebellabant; vt propterea in Capitulo Generali anno 1447. post duos annos habito prædictum Decretum annullatum, & reuocatum fuerit, causa reducendi tales rebelles Colonienses.

Hermannus de Nussia.

4 Prædictus Magister Hermannus de Nussia inter grauiores istius tēporis Patres iure referendus esset, nisi aliquam sibi notam, ob ea, quæ Coloniæ acciderāt, inussisset. Prouectissimę ætatis videtur fuisse; 100. scilicet, & eo amplius annorū hac tempestate, si ad munera, quæ gessit, prout ex Libro Ord. constat, attendamus (nisi dicamus duos extitisse eiusdē nominis Magistros, & eiusdem Prouinciæ) erat enim Prouincialis Germaniæ Inferioris in Capitulo Generali Moncispessulano ann. 1362. Aquensi ann. 1372. Podiensi ann. 1375. in sequenti autem Capitulo Brugensi ann. 1379. Doctor in Theologia, Diffinitor Generalis, & Prouincialis eiusdem Prouinciæ nuncupatur. Item in Capitulo Veronensi anno 1381. eodem titulo Diffinitoris Generalis, & Prouincialis dictæ Prouinciæ insignitur. Vnde videtur saltem per 12. annos Prouincialatum gessisse, vt notauimus circa ann. 1383. Postea post 50. annos in Rauespergēsi an. 1434. Socius Generalis vocatur, & in sequenti Astensi ann. 1440. etiam Diffinitor, & Prouincialis eiusdem Prouincię inuenitur. Ac demum in Cabilonensi ann. 1444. pœnis quibusdā declaratur addictus, propter quemdam casum, qui in Coloniæ Conuentu euenerat. Quæ omnia, si vni, & eidem applicari possint, varijs euentibus, & rerum vicissitudinibus iactatum fuisse conuincitur. Rem ergo sub dubio relinquimus, vt etiam circa annum 1382. animaduertimus.

Ann. Christ. 1446. Eugen. 4. Roman. Pontif. 16. Frideric. Reg. Roman. 7. Constantin. Imp. Orient. 2. Ioannis Faci, General. 16.

Schisma Basiliense.

1 Gebatur hoc tempore de tollendo Schismate, & Basilienses iam pene ab omnibus derelicti noui Concilij celebrationem quærebant; sed inaniter. Æneas Siluius, Cochlæus, D. Antoninus.

Henric. Vuichinghamus

2 Florebat sub hoc anno in florentissima Anglię Ordinis nostri Prouincia Henricus Vvichinghamus Conuentus Norvvicensis, & Sacrę Theologię Doctor Oxoniensis: Vir subtilis ingenii, fœlicis memorię, promptę, & expeditæ lingue, in scholasticis concertationibus acutissimus, & in omni Theologię genere valde versatus. Multus erat in Sacrarum Scripturarū lectione, meditatione, & explicatione, quarū synceros, vt colligeret sensus, & mysteriorum fœlicius arcana penetraret, Duces secutus est antiquos

Ecclesiæ

Ecclesiæ Patres, & Doctores, Diu. Hieronymi præ cœteris fœlicissime vestigijs insistens. A quo non solum rerum veritatem expiscatus est, sed etiam verborum ornatum, & sermonis puritatem, didicit, vt & ipse melius omnia intelligeret, & alijs dilucidius, clariusque explicaret. Nam modo ad Populum, modo ad Clerum publicè, modo ad suos Fratres in Capitulis priuatim, frequentissimas, easdemque pereruditas habuit prædicationes, quarum sicuti, & aliarum quarundam suarum lucubrationum participes fecit posteros, dum pleraque sua opera scriptis mandauit. Scripsit enim in Isaiam Lectiones 18. *librum vnum*; in Apocalipsim Lectiones 30. *librum vnum*; de quadruplici aduentu Christi *librum vnum*; de Conceptione Beatæ Mariæ *librum vnum*; Sermones hiemales *librum vnum*; Sermones æstiuales *librum vnum*; Sermones de Sanctis *librum vnum*. Norvvici tandem obijt anno sequenti. De hoc Doctore loquuntur Lelandus relatus à Pitseo, Pitseus ipse, Balæus, Harpsfeldius, Einsengrineus, Posseuinus, & Biscarretus.

3 Præcipuè tamen sanctæ vitæ odore penè incredibili, auctoritate, & doctrina fulgebat in eadem Anglorum Prouincia Thomas Scropus, de quo anno 1430. diximus. Eum propterea sub hoc anno Pontifex Eugenius ad Episcopatum Dromorensem in Hibernia promóuit, vita functo Dauide Chirburio, de quo anno 1420. diximus, etiam Ordinis nostri Alumno, & eiusdem Episcopatus Antistite. Paulò post in Legatione ad Rhodienses eum exercuit. Quo tempore cum quodam Minorita Hierosolymitano, qui non multis ante annos ex Iudæo factus erat Christianus, sæpè contulit, & ab eo multa didicit, forsan de Hæbraica lingua, moribus, aut ritibus Orientalium Christianorum. De eo Balæus, & Pitseus dicto anno 1430. relati, & nos in sequentibus alia. Thomas Scroppus.

4 Quo etiam anno nostri Paduani Monasterij, de quo anno 1300. diximus, Ecclesia consecrata est in die Sancti Petri per Nicolaum Teruisanum Episcopum Mermipolensem, ac Suffraganeum Patauiensis Antistitis Petri Donati. Ornabatur à Deo domus hæc Beatissimæ suæ Matris Imagine deuotissima, decoranda sub anno 1576. vt ibidem dicemus. Angelus Postenarius *de fœlicitate Paduæ lib. 9. cap. 29.* Paduæ Cœnobium.

Ann. Christi 1447. Nicolai 5. Roman. Pontif. 1. Friderici Reg. Roman. 8. Constantin. Imp. Orient. 3. Ioannis Faci Generalat. 17.

1 CVm Germani Principes Legatos ad Papam Eugenium misissent, qui ipsorum nomine ei obedientiam, relicto Fœlice à Basiliensibus pro Papa electo, præstarent; & eos in Consistorio audijsset, eadem die ægritudine correptus, non multo post diem clausit extremum. Obitus Papæ.

mum. Cochlæus, Gobellinus, Siluius, Antoninus.

Gesta Papæ. 2 Antequam autem ex hac vita migrasset, confirmauit hoc anno Constitutionem, siue Decretalem Bonifacij Octaui, quæ incipit: *Super Cathedram*, circa facultatem Confessariorum Ordinum Mendicantium, ad audiendas confessiones sæcularium, quam ad nostrum quoque Ordinem extensam fuisse diximus circa annum 1326. & Extrauagantem Ioannis Vigesimi secundi, quæ incipit *Vas electionis*, de qua anno 1321. egimus, vbi damnantur errores Ioannis de Poliaco circa confessiones factas Confessarijs Mendicantium, præcipiens omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, &c. quatenus, cum requisiti essent à Superioribus dictorum Ordinum, contra quoscunque aduersantes in contentis in prædicta Constitutione, & Extrauaganti procedere deberent. Extat Bulla in Mari Magno Ordinis nostri per Ioannem Mariam de Pollucijs collectum *pagina 9. et 10.*

Nicolai V. electio. 3 Eugenio defuncto, Successorem in Sede Sancti Petri Patres dederunt pridie nonas Martij Cardinalem Thomam Sergianensem, sub Nicolai Quinti nomine ab Ecclesia salutatum. Qui hoc nomen accepisse dicitur, ob memoriam insignis Cardinalis Nicolai Albergati, in cuius domestico seruitio fuerat, & à quo Pontificatus prædictionem acceperat. D. Antoninus, Ciaconius, Bzouius, Spondanus. Huius Pontificis memoria grata est Ordini nostro, ob aliqua beneficia, quæ ipsi contulit, de quibus in sequentibus. Et quia, vt dicemus, nostrum Paulum Biscontem pro sui Confessario habuit; & Generalem Faci Episcopum Regensem creauit.

Generale Capitulum. 4 Interim eodem anno Romæ in Palatio Sanctæ Mariæ Maioris, præsidente Reuerendissimo Ioanne Faci Ordinis Generali Magistro habitum est Capitulum Generale. In quo primum nominantur Diffinitores 17. Prouinciarum, videlicet, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, & Aragoniæ. Admissi etiam sunt tanquam Diffinitores Procurator Ordinis, duo Socij Generalis, & Magister Ludouicus Sadoch, admissus, vt ibi dicitur, de gratia, & communi consensu Diffinitorum. Liber Ordinis, *fol. 42. pag. 2.*

Decreta. 5 De quorum consilio, & consensu diffinitum fuit primo de taxis Ordinis pro communibus expensis ipsius. Secundo, quod Conuentus Sancti Martini, vel alius dandus à Papa reformaretur. Tertio, pro reductione Fratrum rebellium Conuentus Coloniensis Prouinciæ Alemaniæ Inferioris ordinatum est, quod si ipsi vellent recognoscere culpas suas, de eis veniam petere, ac pœnitentias iniungendas humiliter acceptare; nec non litteras obedientiales, tam à Reuerendissimo Generali, quam à suo Prouinciali; ex nunc pro tunc ipse Generalis relaxabat illum Conuentum in libertatem Prouinciæ, sicut prius erat, annullando Decretum Capituli Cabilonensis, in quo continebatur, quod dictus Conuentus deinceps

esse

esse deberet sub dispositione Generalis. Liber Ordinis, *vt supra fol.* 42. & deinceps.

4 Ordinati præterea sunt Prouinciales 21. Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Aragoniæ, Turoniæ, Saxoniæ, ac Procurator Ordinis, Prior in Conuentu Sancti Martini, seu alio Conuentu nobis dando; Regens ibidem, Regens in Curia Romana, ac Prior Parisiensis. Ordinati etiam sunt Lectores Bibliorum, & Sententiarum Parisijs, Tholosæ, Auinione, Paduæ, Montispessulani, Coloniæ, & Bononiæ. Item ad instantiam cuiusdam Reuerendissimi Domini Sancti Pauli, cuius votum expositum fuerat per Cardinalem Andegauensem Ordinis Protectorem, ordinatum est, vt in Conuentu Cataniæ esset generale Studium, in quo, & in Conuentu Viennensi Alemaniæ Superioris ordinati etiam sunt Lectores. Liber Ordinis *vt supra, fol.* 44. Alia.

5 Clariores Patres, qui in hoc Capitulo nominantur, sunt Reuerendiss. Generalis Ioannes Faci, Magister Nicolaus Kenton Diffinitor, & Prouincialis Angliæ, Magister Ioannes Soreth, Diffinitor, & Prouincialis Franciæ, Magister Hieronymus Stella Diffinitor, & Prouincialis Lombardiæ, Magister Iacobus Villeti Diffinitor, & Prouincialis Prouinciæ, Magister Antonius de Pisis Diffinitor, & Prouincialis Thusciæ, Magister Iacobus Pellegatus Procurator Ordinis, Prouincialis Bononiæ, & admissus pro Diffinitore, ac Regens Curiæ Romanæ, Magister Ludouicus Sadoch admissus ad Diffinitorem, Magister Nicolaus Coch Prouincialis Narbonæ, Magister Raimundus Fresardi Prouincialis Aquitaniæ, Magister Ioannes Martini Prouincialis Hispaniæ, idest Castellæ, Magister Galliardus de Rupe Prouincialis Tholosæ, Magister Guillelmus Collali Prouincialis Vasconiæ, Magister Michael de Lombardo Prior, & Regens Conuentus S. Martini in Montibus, siue alterius Conuentus in Vrbe nobis concedendi, Pontius Rainaldus Lector Biblicus Parisiensis, de quibus suis locis dicetur. Patres clariores.

6 Ex eo autem, quod, vt vidimus, sæpius in hoc Capitulo de Conuentu Sancti Martini in Montibus, quasi sub conditione tractetur, quantum ad reformationem ipsius, Priorem, & Regentem in ipso assignandum, inferimus, dubium eo tempore fuisse in Ordine an prædictus Conuentus deserendus esset, & in alium commutandus, necne. Quia tamen in sequenti Capitulo Generali anno 1451. celebrando, de Priore, & Regente prædicti Conuentus disponitur, ideo etiam conijcimus dictum S. Martini Conuentum non fuisse ab Ordine derelictum: & quidem sano, & prudenti consilio, cum ille ob Ecclesiæ antiquitatem, plurimorumque Sanctorum corpora, quæ in ea requiescunt, aliasque Sanctissimas Reliquias ibidem existentes, ex principalioribus Vrbis, & Ordinis nostri iure habendus sit. De eo plura dicimus tom. 2. & 3. horum Annalium. Conuentus S. Martini.

Quo

Ioannes Hussius. 7 Quo etiam anno Mantuanę nostri Ordinis Congregationis Patres tertium Vicarium Generalem elegerunt Ioannem Hussium, videlicet, in Illustrissimo Mantuano Conuentu. Constat id ex serie Vicariorum Generalium Congregationis, quę habetur in eiusdem Constitutionibus.

Ann. Christi 1448. Nicolai 5. Roman. Pontif. 2. Frideric Reg. Roman 9 Constantin. Imp. Orient. 4. Ioann. Faci Generalat. 18.

Papæ gesta. 1 PRo tollenda neutralitate, quę in partibus Germanię hoc tempore erat, Papa Nicolaus mittere decreuit Cardinalem Caruaialem Hispanum Legatum, quo medio *Concordata* quędam facta sunt, quæ Pontifex confirmauit, Diplomate dato. Bzouius, & Spondanus. Praga interim ab Hussitis capitur. *S*iluius, & *S*pondanus.

Baptista Mantuanus. 2 Natus est anno isto 1448. magnus ille, imo maximus inter Christianos Poetas Ordinis nostri decor, Baptista Mantuanus, Theologię Doctor insignis, Philosophus, & Orator celeberrimus, Grecè, ac Latinè peritus, qui metro Virgilium, Ciceronem prosa ęquat, plurimorum voluminum vtroque styli genere Scriptor, quę ipsi immortalem memoriam, Orbi autem Christiano, & Ordini nostro magnum dederunt splendorem. Hęc in tanti Viri ortu, quasi intempestiua dicimus, vt insulsa, insipida, & quod peius, calumniatoria, & falsa contra ipsum in ortu etiam effutita verba Pauli Iouij celebris alias *S*criptoris, retundamus. *Baptista* (inquit in suis Elogijs) *Carmelitani Ordinis Princeps, ex Hispaniola gente, honesta verum ex damnato coitu natus*. Sane Iouius ex illis apparet, qui *errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa*. Natum *ex gente honesta, & damnato coitu*, nostrum Mantuanum scribit. Quis antilogiam non videt? *Si ex gente honesta*; quomodo *ex damnato coitu*? Quis gentem honestam dicat, quę liberos damnato coitu generat? Falsum porro locutum, nedum cuncti norunt Carmelitę, cuncti etiam Auctores, qui ipsum laudandum susceperunt, sed & cuncti eius nobilissimique consanguinei, quorum aliquos Mantuæ superstites nunc credimus testantur, etiam per litteras, quas apud se habere fatetur Petrus Lucius Belga *in Bibliotheca Carmelitar.* de nostro Mantuano loquens, & à Iouij iniuria ipsum vindicans. Ad hęc, si ex damnato coitu noster Carmelita fuit, quomodo Carmelitana Religio eum, vt supremum Pręlatum, Generalem videlicet, vt alia munera, quę obijt, prętermittamus, quæ ab illegitimo Thoro natis obtineri non possunt? *S*i pro se Iouius respondeat, rem occultam fuisse, & ita Religiosis ignotam; vrgeri potest, qua via rem tam occultam, quam tota vna Religio, quę per plurimos annos cum eodem Baptista conuersatus est, ignorauit, extraneus ipse agnoscere potuit? Deinde, si hic illegitimitatis defectus occultus fuit, qua conscientia illum

toti

toti mundo patefecit; & Viri doctißimi, ac de Re Christiana optimè meriti famam denigrauit? Quo spiritu id fecit: illo sanè, quo in eodem Eogio Carmelitanos nostros *Cucullatos Sacerdotes* compellat; cum tamen Religiosos, Sacerdotes prçsertim, *Cucullatos* appellare phrasis hçreticorum sit. Et quo inquit *Octogenario maior* obijt, cum çtiam non nisi septuagenario minor discesserit. Pudet nos alia, quç de cunctis commendatißimo Authore insulsè dixit Iouius retundere (quod facit Lucius relatus) memores Religiosç modestię, & illius 1. Petr. 3. *modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*. Sed pro insipido Iouis Elogio aliud Ioannis Trithemius *lib. de Illustrib. Vir. Ordin. Carmelit.* sic opponimus. *Baptista Mantuanus, Vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularium litterarum scientia nulli hoc tempore secundus, Sacræ Theologiæ Doctor, insignis Philosophus, Orator, & Poeta celeberrimus, ingenio subtilis, sermone disertus, vita, & conuersatione praclarus, vtriusque linguæ, Graca videlicet, ac Latinæ peritus, qui metro Virgilium, Ciceronem prosa æquat, ne dicam, superat*, &c.

3 Clarus etiam erat hoc tempore in Ordine nostro Magister Paulus de Bisconte Siculus, iampridem Conuentus Panormitani Prior, & Prouincialis Siciliæ. Fuit is Confessarius Papæ Nicolai Quinti, & postea Episcopus Mazariensis in Sicilia, ac tandem Archiepiscopus Panormitanus, vt suis locis dicemus. Posseuinus *in Apparatu Sacro littera P.* Credimus autem ab hoc anno, vel circiter, munus Confessarij Nicolai Papæ gessisse, quod ex eo coniectamur, quod cum in Capitulo Generali Cabilonensi ann. 1444. Siciliæ Prouincialis fuerit, in Capitulo autem Generali Romæ anno proxime præcedenti, Prouincialatus iste, aut quis fuerit in Prouincialem electus, in Libro Ordinis non describitur: quo denotatur Romæ permansisse; prout clarius habetur in Capitulo Generali Auinionensi anno 1451. celebrando, vbi Prouincialis Romæ, & Prior Conuentus Sancti Martini in Montibus dicitur. Ex Rocho autem Pirrho *in Notitijs Ecclesiæ Mazariensis* in Sicilia habemus, quod anno 1461. erat Prouincialis in Sicilia, & Vicarius Generalis in tota Italia, ac anno 146.. à Paulo Secundo Papa, factus Episcopus Mazarensis; & quod fuerit Prior Sanctæ Annæ de Portella, siue de Scalis diœces. Montiregalis; ac obtinuisse plura priuilegia à Ferdinando Rege pro suis Mazarensibus; postea sub anno 1469. ad Metropolitanam Ecclesiam Panormi fuisse euectum. Paulus Bisconte.

4 Clarus etiam valde in Anglia ea tempestate fuit Ioannes Stamberius, quem corrupte Petrus Lucius *Scandeberum* appellat, Sacræ Theologię Doctor Oxoniensis. Vir præclaris animi dotibus imbutus, virtute, & eruditione spectabilis, & omnium nostrorum Carmelitarum, vt habet Lelandus, facile Princeps. Quo intuitu fuit apud Magnates in summo pretio, & Doctoribus Oxoniensibus gratissimus, cui omnes, quos poterant, detulerunt honores. Rex etiam Henricus Sextus audita hominis fama, eum accersiuit, & in grauissimis rebus, maximè ad Religionem spectantibus eius vsus est consilio. Multam sanè authoritatem ei conciliauit ipsa corpo- Ioannes Stamberius.

ris habitudo decentissima. Erat enim vultu decorus, statura procerus, habitu modestus, incessu grauis, & compositus, in colloquijs suauis, & affabilis, acutus etiam ingenio, maturus iudicio, lingua promptus, & expeditus, in consultando prudens, in expediendo dexter. Erat denique per omnia talis, vt siue animi, siue corporis respicias dotes, meritò affirmaueris naturam ei fuisse Matrem beneuolam. Rex eum suo Collegio Etonensi, quod iuxta Vvindeshoram posuerat, educandæ iuuentuti primum præfecit Rectorem, & paulò post, vt ipsi à secretis Confessionum esset assumpsit. Deinde eum Episcopatu Norvvicensi donauit; sed opponente se Guillelmo Polo Duce Suffolcensi, cessit. Hoc tamen anno 1448. Banchorensem Episcopatum accepit. Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ*. Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 15. *num.* 875. & alij. De eo dicimus alia anno 1453. & 1474.

Ioann. Barninghamus.

5 Obijt eodem anno in Anglia, & Cœnobio Gippesvvicensi, vbi erat Prior, Ioannes Barninghamus Anglus Ordinis nostri Professor. Hic Oxonij, & Parisijs litteris nauans vtrobique Theologici Magisterij dignitatem suscepisse dicitur. Hunc ab ingenij fœlicitate, & á miro in disceptationibus acumine, siue argumenta vrgeret sua, siue solueret aliena, commendatum prædicat Pitseus *de Illustribus Angliæ Scriptoribus Ætate* 15.*num.*831. Scripsit autem Lecturas Sacræ Scripturæ *librum vnum*; Commentariolum de horrore peccati *lib.*1. in Magistrum Sententiarum *lib.*4. Quodlibeta Theologica *lib.* 1. Quæstiones Ordinarias *lib.* 1. Conciones Sacras *lib.* 1. & alia plura. De ipso loquuntur Lelandus relatus à Pitseo, Balæus, Trithemius, Einsengrineus, Harpsfeldius, Pitseus, Posseuinus, & Biscarretus.

Heilpronen. Conuentus.

6 Heilpronnense, seu Fonti salutis Monasterium in Germania sub eodem anno nostrorum Carmelitarum erat extra Ciuitatem Imperialem Hæreticam Diœcesis Herbipolensis situm. Monasterium hoc, licet Catholicum, sub tutela tamen Hæreticorum, quandoque fuit, & singulis annis circa Festum Purificationis (cui Monasterium dedicatum, & vbi miraculosa eiusdem effigies asseruabatur) Monasterio à Magistratu duo Oeconomi præficiebantur, qui rem domesticam administrarent, & Magistratui, ac Priori computum exhiberent. Ruinam tamen passum, ob Hæreticorum perfidiam, & Catholicorum illis suppetias ferentium malignitatem, dicemus anno 1632. Bartholomæus Eiselim Prouincialis Germaniæ Superioris in Relatione ad Theodorum Stratium Ordinis Generalem Magistrum.

Rhedonensis.

7 Rhedone in Gallijs Vrbe Armoricorum Metropoli præsenti anno Carmelus noster locum habere cepit, teste Leone à Sancto Ioanne *in delineat. Obseruant. Rhedonens. cap.* 27. Dicit hoc fuisse opera Ioannis Soreth ea tempestate Generalis. Cœterum Sorethius hoc anno Generalis non erat: etsi ipse, quo erat zelo Religionis feruidus, hanc fundationem promouere potuerit: quæ etiam Principum, Optimatum, & plebis deuotione, promota est, eodem Leone ex publicis Tabulis attestante. Mutata

tamen

tamen videtur ann. 1451. in quoddam Castellum nomine *Trouiolium*, & creuit postmodum Francisci Ducis Brittanniȩ beneficio: vbi per annos sequentes Carmelus dignos, & vberes Deo, & Ecclesiȩ protulit fructus. Sed multo plures anno 1604. propter insignem Reformationem, quæ in eo Conuentu, & tota Prouincia Turonensi viget, magna cum laude totius Religionis, & nonnulla confusione aliorum, tum Galliȩ, tum exterarum Prouinciarum Conuentuum, qui nolunt tam Sanctȩ Obseruantiȩ ȩmulatores existere. De ipsa plura Tomo sequenti dici debent.

8 Hoc etiam anno Papa Nicolaus tertio Kalend. Iulij innouauit, approbauit, & confirmauit concessionem Eugenij Quarti approbantis etiam, & confirmantis Indulta Bonifacij Octaui, & Ioannis 22. circa confessiones faciendas Fratribus nostris, & alijs Ordinum Mendicantium Confessarijs, quam retulimus sub anno prȩcedenti. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam de Pollucijs collecto pag.9. Papæ concessio.

9 Litteras etiam eodem anno Pontifex dedit ad Episcopum Cȩsaraugustanum, instantibus Prouinciali, & Fratribus Prouinciȩ Hispaniȩ, vt ipsis assisteret prȩsidio efficacis defensionis, non permittentes eos contra Indulta priuilegiorum Sedis Apostolicȩ ab aliquibus indebitè molestari, qui, vt inquit Pontifex, *nomen Domini in vacuum recipere non formidant*. Habetur hoc Diploma in Archiuio Transpontinȩ. Alia.

Ann. Christi 1449. Nicolai 5. Roman. Pontif 3. Frideric Reg. Roman. 10 Constantin. Imp. Orient. 5. Ioann. Faci Generalat. 19.

1 Extinctum est anno prȩsenti Schisma, quo Sancta Dei Ecclesia laborabat, Amedæo Fœlice Quinto in sua obedientia nuncupato, renunciante quidquid iuris ad Pontificatum Romanum illi competere poterat: sicque mansit vnus, & indubitatus Pastor Nicolaus Quintus super Ouile Christi: quibusdam conditionibus honorificis satis in fauorem prædicti Amedæi à Papa concessis. Platina, Siluius, Bzou. & alij. Schismatis extinctio.

2 Quo etiam anno 1449. computando ab Incarnatione Dominica, vt in Bulla habetur (nam computando à Natiuitate anno 1450. id accidit) Romæ, apud Sanctam Petrum 10. Kalendas Martij, Pontificatus anno 3. idem Papa Nicolaus Ordinis nostri Fratribus concessit exemptionem de non soluenda Canonica portione alicui de bonis ipsis erogatis, aut erogandis. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Ioannem Mariam de Pollucijs collecto pag. 12. & 13. Item in Archiuio Transpontinæ. Papȩ concessio.

3 Habitum etiam fuit eodem anno in Gerundæ Cœnobio Capitulum à Patribus Congregationis Mantuanæ, & ibidem electus in Vicarium Congregat. Mantuanæ Vicarius.

Generalem Congregationis Pater Guillelmus de Fonte, quartus Vicarius Generalis, Ita habetur in Constitutionibus Congregationis. Vbi etiam notatur, ab hoc anno vsque in 1465. exclusiuè Capitula Generalia habita esse in vno trium locorum, videlicet; Gerundæ, Syluarum, & Mantuæ, & Vicarios Generales institutos fuisse vicissim quatuor præfatos Patres, quos in quatuor primis Capitulis eiusdem Congregationis electos fuisse diximus, videlicet Petrum Stephanum de Francia, Antonium de Fonte, Ioannem Hussium; & Guillelmum de Fonte.

Nicolaus Suaffamus. 4 Interim eodem anno desijt in viuis esse Nicolaus Suaffamus Anglus Conuentus nostri Cantabrigiensis Prior, & in eadem Academia Sac. Theologiæ Doctor, & tandem Academicus Cancellarius. Videtur quibusdam hunc Doctorem, quandoque litteras Sacras etiam in ipsa Vniuersitate explanasse. Fuit autem in Philosophicis, atque etiam Theologicis disciplinis optimè versatus; vnde constat eum scripsisse Lectiones Ordinarias *lib.* 1. Determinationes *lib.* 1. præter alia, quæ malitia temporum, vel hominum incuria perierint. Scribunt de ipso Lelandus, Pitseus, Posseuinus, & Biscarretus.

Thomas Scroppus. 5 Per idem etiam tempus, vel circiter Thomas Scroppus, de quo anno 1446. diximus, Episcopus Dremorensis in Hibernia expleta Legatione sua ad Rhodienses, ad quos à Papa Eugenio Quarto missus fuerat, reuersusque ad Episcopatum suum, quia cum Hibernis conuenire non poterat, resignato Præsulatu, & eius loco alio nostri Ordinis Alumno Richardo Messino ad eumdem Episcopatum assumpto, Norvvicum denuo reuersus est, & ibi sub Episcopo Vicarium egit Generalem. Vbi habitis frequentibus Concionibus non exiguum fructum fecit, quicquid etiam, vel ex suis redditibus perceperat, vel à ditioribus lucrari poterat, id totũ, aut pauperibus distribuit, aut in alios pios vsus erogauit. Mirum de hoc pijssimo Viro id quod refertur, scilicet singulis sextis ferijs pedibus nudis obambulantem, diuinæ Legis decalogum plebem docuisse. Balæus *in Cathalog. Scriptor. Brittann.* Pitseus *Illustrib. Angl. Scriptorib. Ætate* 15 *n.* 896. Charismata hæc meliora boni Episcopi vtinam alij æmulentur.

S. Albertus. 6 Nouo etiam sanctitatis signo hoc anno claruit Sanctus Albertus Drepanensis in Ciuitate Bononiæ. Etenim D. Nouella filia D. Francisci de Monterentijs, vxor Domini Hieronymi de Brunis, pestifero morbo diu vexata, vouit Beato Alberto, & sanatur. Tabulæ D. Laurentij de Pinnis Notarij apud Petrum Thomam Sarracenum *in Menologio Carmelitarum in vita Sancti Alberti*.

Ann.

Ann Christi 1450. Nicolai 5. Roman. Pontif. 4. Friderici Reg. Roman. 11. Constantin. Imp. Orient. 5. Ioannis Faci Generalat. 20.

1 CElebrauit hoc anno Papa Nicolaus Romæ Iubilæum plenissimum, tanto totius Christianitatis concursu, vt in Ponte Sancti Angeli plurimi homines perierint oppressi, vel in flumen demersi, ob turbæ confluentis multitudinem. Diuus Antoninus, Siluius, Platina. *Iubilæi celebratio.*

2 Reuerendiss. Ioannes Faci anno isto ad Episcopatum Regiensem, à Papa Nicolao Quinto vocatus fuit. Constat hoc ex Libro Ordinis in Capitulo Generali Auenione anno sequenti post assumptionem ipsius celebrato, vbi hoc titulo Episcopi Regiensis sæpius vocatur. Id etiam habent Arnoldus Bostius *in Specul. Histor. lib. 7. cap. 49.* Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 14.* licet erret, dum asserit factum Episcopum Regiensem ab Eugenio Papa anno 1449. Oppositum enim est certum, cum constet Eugenium anno 1447. obijsse, & anno prædicto Nicolaum Pontificem fuisse. Claudius autem Robertus Lingoniensis *in Gallia Christiana, in tractatu de Generalib. Carmelit.* eum vocat Episcopum Regij Lepidi in Longobardia. Fallitur tamen vir alias doctus: non enim Facius noster fuit Episcopus Regiensis, seu Regij Lepidi in Longobardia, aut Insubria, seu Italia; sed Regij in Gallijs, in Archiepiscopatu, & Parlamento Aquensi: vt bene ex Actis Consistorialibus pro hoc anno, & 17. Kalendas Aprilis, probat Ferdinandus Vghellus *in Italia Sacra tom. 2.* dum loquitur de Episcopis Regij Lepidi. Congruentia etiam id suadet: cum enim Facius noster Gallus, & non Italus esset, in Gallijs congruenter Episcopus esse debuit. Quis autem post electionem Faci in Episcopum Ordinem rexerit vsque ad Capitulum Generale anno sequenti celebratum, incertum sanè, cum nihil de hoc in Libro Ordinis. Quia tamen ex eo constare videtur ipsum Facium prædicto Capitulo affuisse non incongruè suspicari possumus, ipsummet id munus gessisse. Alia de ipso sub ann. 1453. *Ioan Faci.*

3 Quo etiam anno quidam pius, & deuotus Ordinis nostri Religiosus, opinione sanctitatis, & litteris clarus, Neapoli Regi Alphonso, propheticè, vt videtur, natiuitatem in Hispania Regis Ferdinandi, cognomento Catholici, inter præclarissimos Orbis Reges iure vocandi, prænunciauit. Quod verbis Lucij Marinei Siculi *in lib. 19. de rebus Hispan. cap. 3.* referimus. *Neapoli die quo natus est puer* (Ferdinandus) *Vir quidam Religiosus Ordinis Carmelitarum, homo, litteris, & moribus insignis, ad Alphonsum Regem in Castellum nouum veniens; hodie, inquit Rex, in Hispania citeriori puer tui generis natus est, qui maximus olim inter Christianos Principes no-* *Anonymus Neapolitan.*

minabitur, quippe qui res magnas multas, & sanctas, domi, forisque geret: quibus fidem nostram, Religionem Christianam, & Hispaniæ nomen altius attollet. Cuius verbis, & vaticinio Rex, quoniam Vir Sanctus à multis, qui mores eius, & vitam nouerant, habebatur, & multa quæ antea prædixisset, verissima reperiebat, magnam fidem adhibuit, quam non multo post, cum de Ioannæ Reginæ partu nuncium accepisset, effectus lætitia confirmauit. Fere eadem Mariana *de rebus Hispaniæ lib.25. cap.18.* Hac à Deo gratia Ordo noster donatus conspicitur, vt qui à Prophetis Elia, Eliseo, & filijs Prophetarum duxit exordium, pluribus etiam spiritu Prophetico Illustribus abundauerit, vt de SS. Angelo, & Cyrillo diximus, & de alijs in sequentibus dicemus. Hinc etiam huic Patri (cuius nomen, & gesta alia ignoramus) hoc munus Prophetiæ à Deo concessum piè existimamus, etsi certo id affirmare non possimus.

Dauid Boys.

3 Plures etiam alij Ordinis nostri Professores sub hoc anno in Angliæ clarissima Prouincia celebres describuntur. Primus est Dauid Boys, vel Boysius Cœnobij Glocestrensis, quem etsi Arnoldus de Vion Monachum Cluniacensem appellet, magis tamen credendum Ioanni Balæo, & Pitseo, qui ipsum in suis Catalogis inter Carmelitas numerant, & Harpsfeldio, qui etiam inter Carmelitas eum enumerat. Doctor erat Oxoniensis, ibique Theologiæ Professorem egisse, suamque doctrinam alijs liberaliter communicasse, ex Lelando conijcitur. Inuisit postea Cantabrigiam, & exterarũ nationum celebriores adijt Academias, vbiq; suum fructum, & magnam ad bonas disciplinas accessionem faciens. Quod magis in eo æmulandum, nostrisque Religiosis desiderandum, id est, quod inter huiusmodi peregrinationes, & studia, suæ professionis nunquam immemor, vbicunque ageret, semper hominum frequentiam declinabat, sæculares strepitus fugiebat, Deo, & sibi, quantum poterat, viuebat, & vitam quam elegerat solitariam, aut agebat, aut agere cupiebat. E thesauro suo litterario pro Ecclesiæ vtilitate prompsit, eruditarum Concionum *librum vnum*; de Doctrina spiritus *librum vnum*; de vera Innocentia *librum vnum*; de duplici hominis immortalitate contra Agarenos *librum vnum*; contra Agarenorum insanias *librum vnum*; de varijs gentium ritibus *librum vnum*. De ipso scripserunt Lelandus, Baleus, & Pitseus relati, Eisengrineus, Posseuinus, & Biscarretus.

Eduardus Donleius.

4 Secundus Eduardus Donleius, seu Dinlæius nobilibus in Anglia natus parentibus. Vir fuit bonarum litterarum amantissimus, simul, & auidissimus: in quibus etiam operam non inutilem collocauit: & quia natura eloquens, & facundus, adiuncta ad illam propensionem industria, maximè circa Rhethorices flores, & elegantiam linguæ Latinæ, Concionator euasit insignis, atque eo magis celebris, quo cum suo Prouinciali Nicolao Kentono ad Monasteriorum visitationem adhibitus in locis diuersis suum talentum notum pluribus fecerit. Quædam non inerudite scripsisse dicitur. Ex quibus ferunt aliquando Londini fuisse, vel impressum, vel

manu

manuſcript. idiomate Latino, Sermonum 24: *librum vnum*. De eo Pitſeus hæc ſcribebat.

5 Tertius Ioannes Creſſæus, vel Creſſeius noſtri Conuentus Sancti Botulfi Comitatus Linconienſis Alumnus, & Sacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis. Monaſterij Prior hic electus, cæpit de edendo aliquo ſui tum ingenij, tum doctrinæ ſpecimine cogitare, & quoniam in Beatam Virginem Deiparam Ordinis ſingularem Matrem ſpeciali ferebatur affectu, ſcripſit, teſte Lelando, de laudibus Aſſumptæ Mariæ *librum vnum*; Homilias per annum *librum vnum*. Ipſum memorant Lelandus relatus, Pitſeus, Poſſeuinus, & Biſcarretus. Io. Creſſæus

6 Quartus eſt Robertus Hordebius, noſtri Cœnobij Lincolnienſis, &, vt videtur, Sacræ Theologiæ Doctor, & ſui Conuentus Prior. Pietatem hic cum eruditione in omni ſemper vita coniunxit, vt miro in Beatam Virginem Ordinis Tutelarem ductus affectu in eius laudes frequentes habuerit Conciones, ex quibus vnum opus conflauit, & edidit, vt auctor eſt Lelandus, nempe de feſtiuitatibus Beatæ Mariæ Virginis, Concionum *lib.* 1. De ipſo loquuntur Lelandus, ipſe Pitſeus, & Biſcarretus. Robertus Hordebius.

7 Rogerus Albanus quintus eſt, patria Hartpfordienſis, ex Oppido Sancti Albani oriundus, & Londinenſis noſtri Conuentus. Vir pius, eruditus, & in Latino ſermone non inelegans. Hiſtorias autem tum Sacras, tum prophanas diligentiſſime peruoluens, ab Adamo vſque ad ſuum tempus epitome rerum mirabilium contexens, & vetus teſtamentum in huiuſmodi Compendium redigens, hiſtoriam compoſuit, cui titulum præfixit, Compendium Hiſtoriarum Bibliæ *lib.* 1. Progenies Regum Brittanniæ *lib.* 1. Hæc idem Pitſeus. Rogerus Albanus.

8 Inter Illuſtres quoque huius æui Patres referre poſſumus Magiſtrum Iacobum Pellegatum, qui in Capitulo Generali Romano Sanctæ Mariæ Maioris anno 1447. vocatum vidimus Procuratorem Generalem, Prouincialem Bononiæ, & admiſſum pro Diffinitore, ac Regentem Curiæ Romanæ. Huic etiam in Capitulo Generali Cabilonenſi anno 1444. in quo Diffinitor erat, & Prouincialis Bononiæ, commiſſio data fuit ad corrigendum Conſtitutiones Ordinis. Fuit etiam eiuſdem Prouinciæ Prouincialis in Capitulo Generali Aſtenſi anno 1440. Iuxta Biſcarretum erat Venetus, omni ſcientiarum genere ornatiſſimus, & eximiæ eruditionis, atque eloquentiæ in ſermonibus ad populum habendis; qui & credit hoc anno obijſſe. Scripſit autem Vocabularium amplum ad omnes ſtudioſos Latino ſermone, quod extare Ferrariæ manuſcript. in Bibliotheca noſtra idem Biſcarretus ſcribit. Iacobum Pellegatum.

9 Pariter etiam inter Illuſtriores Ordinis Patres ea ætate iure venit vocandus Magiſter Ludouicus Sadoch de Panormo, Siculus, quem inter Scriptores refert Geſnerus in Bibliotheca dicens eum ſcripſiſſe Diſputationes quaſdam *lib.* 1. Sermones quoque plurimos, & alia ex Martino Perſona: Errant tamen dum anno 1390. claruiſſe dicunt, forſan enim eo anno natus Ludouicus Sadoch.

non-

nondum fuerat. Fuit Diffinitor Prouinciç Siciliç in Capitulo Generali Nānetensi anno 1430. Diffinitor, & Prouincialis eiusdem Prouinciç in Capitulo Generali Astensi anno 1440. & in nouissimo Romano anno 1447. pro Diffinitore quoque admissus.

Nicol.Coch. 10 Item Magister Nicolaus Coch, Prouinciæ Narbonæ ea tempestate celebris Pater, inter alios referendus est. Fuit hic Pater Prouincialis dictæ Prouinciæ in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. in Capitulo Appaniarum 1425. Diffinitor, & Prouincialis; in Nanneten. anno 1430. Prouincialis etiam; in Rauespergensi anno 1434. Diffinitor quoque, ac Prouincialis; in Astensi autem anno 1440. solum Prouincialis. Sed in Cabilonensi anno 1444. Diffinitor, & Prouincialis; ac demum in Capitulo Romano nouissimo in Palatio Sanctæ Mariæ Maioris celebrato Prouincialis erat eiusmodi Prouinciç. Ex quo videtur supra 27. annos suæ Prouinciæ clauum tenuisse, ac perinde inter grauiores illius æui Patres numerandum. De ipso scribens Biscaretus ait, fuisse Aniciensem, seu Podiensem, ex Vrbe videlicet Aluerniæ in Gallia; Doctorem Parisiensem; Virum eruditissimum; Theologum eximium; & in Concionibus, ac Sacræ Scripturæ expositione clarum, elegantem, ac facilem: ac scripsisse in Magistr. Sententiarum *lib.* 4. & Commentaria in Genesim *lib.* 1.

Ioā.Martini. 11 Insuper Magister Ioannes Martini Prouinciæ Castellæ, quæ *Hispaniæ* vocabatur, Prouincialis, inter claros Patres huius ætatis vocandus venit. Fuit primum Prouincialis eiusdem Prouinciæ in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. & in Appaniensi anno 1425. Diffinitor autem, & Prouincialis in Nannetensi anno 1430. in Rauespergensi anno 1434. solum Prouincialis, sicut, & in Astensi anno 1440. sed in Cabilonensi anno 1444. Diffinitor, & Prouincialis. In nouissimo tamen Capitulo Generali Romano in Palatio Sanctæ Mariæ Maioris habito ann. 1447. Prouincialis solum eiusdem Prouinciæ dicitur. Ex quo conijcitur 27. annis ad minus Prouincialatum gessisse, & propterea inter Venerandos eius æui Patres recensendum.

Herenus de Boyo. 12 Eis etiam annumerandus Herenus de Boyo, seu Herueus de Broy Britto, homo magni spiritus, Doctor, & Sacrarum Scripturarum interpres Parisiensis. Scripsit super Magistrum Sententiarum, & varias Quæstiones. Eum commemorant Einsengrineus, Trithemius, Posseuinus, Lucius, Biscarretus, & Bertrandus de Argente *in Histor. Brittanniæ*.

Conuentus Astigiensis. 13 Conuentus Astigiensis Monialium Carmelitarum circa annum 1450. sub titulo Beatæ Mariæ, vulgo *de los Remedios*, nuncupata, ex certissima traditione fundatus refertur, nullis aliunde Monialibus ad fundationē adductis, sed quibusdam pizocheris, vulgo *Beatas* ibidem honestè, & in communi degentibus, & Regulam Carmelitarum acceptantibus, sub Fratrum obedientia, & regimine;

Morciani. 14 Conuentus quoque Morciani in Appuliæ Prouincia fundatus hoc anno dicitur à Dom. Rugero Sanbiasi eius Terræ Barone. Ex Relatione

Con-

Conuentuum Italiæ, ex pręcepto Innocentij Decimi facta, quam sæpius secuti sumus in hac historia.

Ann. Christi *1451*. Nicolai 5. Roman. Pontif. *5*. Frideric. Reg. Roman. *12*. Constantin. Imp. Orient. *7*. Ioannis Soreth Generalat. *1*.

1 Miserè affligebantur hoc tempore Catholici in Bohemia, & inter ipsos Religiosi nostri in eo Regno commorantes: cum sæuiente ibi pestilentia, morbo correpti petentes Venerabile Sacramentum Eucharistiæ, compellebantur per Sacerdotes Hussitas ad communionem vtriusque speciei; & qui nolebant de Calice communicare, sepultura Ecclesiastica priuabantur, & extra Ciuitates sepultura asini sepeliebantur. Cochlæus, Spondanus. Bohemiæ afflictio.

De Ioanne Soreth Generali 24.

2 OB assumptionem ad Episcopatum Regiensem Reuerendissimi Ioannis Faci Ordinis nostri moderni Generalis, operepretium fuit ad noui Præsulis electionem Capitulariter Patres congregari, prout factum est anno 1451, in Conuentu Auinionensi prima die Nouembris, in Festo Omnium Sanctorum. In qua Synodo paribus omnium Gremialium votis electus est in Priorem Generalem Reuerendissimus Magister Ioannes Soreth, tunc Prior Prouincialis Franciæ: Deo pro nobis prouidente, qui tam Sanctum Virum vigilantissimum Pastorem Virginis Ordini destinauerat. Liber Ordinis fol. 46. Vvalterus de Terra noua *in vita eiusdem Ioannis Soreth*. Ioan. Soreth Generalis.

3 Numerantur in hoc Capitulo primum Diffinitores quindecim Prouinciarum, videlicet, Siciliæ, Anglię, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hiberniæ, Prouincię, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, & Turoniæ. A quibus cum Patre Ordinis instituti fuerunt Prouinciales viginti Prouinciarum, nempe Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Catalonię, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, & Aragoniæ. Pro Prouincia Franciæ ordinatum fuit, quod Reuerendiss. Generalis esset Rector vsque ad proximum Capitulum, & in eius absentia designatus fuit Vicarius. Prouincialatus autem Prouinciarum Castellæ, quæ vocabatur Hispaniæ, & Portugaliæ, relicti fuerunt dispositioni eiusdem Generalis. Liber Ordinis fol. 47. Capitulum Generale.

4 Præterea ordinati sunt Procurator Generalis in Romana Curia; Prior Gesta in illo

Con-

Conuentus Parisiensis, Socij Generales, & Lectores Bibliorum,& Sententiarum Parisijs, Tholosæ, Montispessulani, Auenione, Andegaui, Pittauij, Florentiæ, Burdegalliæ, & Cadomij. Prioratus autem Sancti Martini in Montibus relictus est dispositioni, & ordinationi Magistri Pauli Bisconti Procuratoris Generalis: facta etiam fuerunt computa, & taxationes Ordinis, maximè inter Reuerendissimum Episcopum Ioannem Faci exGeneralem, & Reuerendissimum Ioannem Soreth, ex quo conijcitur prædictum Dominum Episcopum Faci Capitulo præsentialiter adfuisse. Facta quoque fuerunt quædam decreta circa promotionem graduandorum;non receptionem fratrum aliarum Prouinciarum, vel Conuentuum,& pro impedienda vagatione quorundam fratrum sub prætextu prædicandi Indulgentias, Liber Ordinis *vt supra.*

Clariores Patres.

5 Clariores Patres huius Capituli, sunt, Reuerendissimus Ioannes Faci Episcopus Regiensis, Reuerendissimus Ioannes Soreth Ordinis Generalis electus, vitę sanctitate, & doctrina insignis, Magister Paulus Bisconte Prouincialis Romę, Procuratur Generalis Ordinis, & Confessarius Papæ, ac postmodum Episcopus Mazariensis, & Archiepiscopus Panormitanus. Magister Galliardus de Rupe, Diffinitor, & Prouincialis Tholosæ; Magister Guillelmus Costati Diffinitor, & Prouincialis Vasconiæ; Magister Michael de Lombardo Prouincialis Siciliæ; Magister Nicolaus Kenton Prouincialis Angliæ; Magister Hieronymus de Stella Prouincialis Lombardiæ; Magister Raimundus Fasardi Prouincialis Aquitaniæ; Magister Iacobus Villeti Prouincialis Prouinciæ; Magister Antonius de Pisis Prouincialis Thusciæ; frater Godsuinus Hoeux Lector Parisiensis pro sexto anno, de quibus cum alijs suis locis dicemus.

Ioan. Keningalus.

6 Interea sub hoc anno mundum reliquit Norvvici mortuus, & sepultus die 28. Aprilis, celebris in Anglia, & Ordine nostro Pater Ioannes Keningalus. Fuit Thomæ Vvaldensi doctissimo perinde, ac Sanctissimo viro nostri quoque Ordinis alumno intima coniunctus amicitia. In Oxoniensi gymnasio eos honores accepit, qui primæ notæ Theologis deferri solent. Erat enim vir integerrimæ vitæ, & singularis doctrinæ. Quarum rerum causa Angliæ Prouincialis per multos annos munus exercuit. Constat enim ex Libro Ordinis ipsum Prouincialem fuisse in Capitulis Generalibus Nannetensi anno 1430. Rauespergensi anno 1434. Astensi an. 1440. & Diffinitorem eiusdem Prouinciæ, in Capitulis etiam Generalibus Appaniarum anno 1425. & prædictis Nannetensi, & Astensi. Insuper in dicto Capitulo Generali Rauespergensi commissum illi fuit assistere Concilio Basiliensi cum Generali, & Prouincialibus Alemaniæ Inferioris, Romę, & Lombardiæ, per quatuor menses, nec solum apud nostros, sed & apud exteros etiam magni nominis, & æstimationis erat, vtpote quem modestia singularis, insignis morum grauitas, incredibilis auctoritas, constans, & solidum iudicium in rebus agendis, & expediendis prudentia; dexteritas, & fœlicitas hominum venerandum reddebant. Eum in arduis nego-

tijs

tijs non semel adhibuit Consultorem Richardus Eboracensis Dux, cuius virtutes cum experientia iam exploratas haberet, eum sibi constituit conscientię moderatorem, & à confessionum secretis. Astruit Pitseus ex Lelendo Ioannem nostrum ab Ordine destinatum fuisse Romam ad Martinum V. vt opus insigne Thomæ VValdensis, cui titulus *Doctrinale Fidei* ei in manus traderet, munusque iniunctum, strenuè executum; quod ita credimus accidisse. In dubium tamen verti potest, an primum, an vero tertium eiusdem Doctrinalis fidei Tomum, qui est de Sacramentalibus Papæ detulerit, cum anno 1427. dixerimus, secundum Tomum eiusdem Operis, qui est de Sacramentis oblatum fuisse Martino Papæ per manus Magistri Ioannis Tacesfali eiusdem Prouincię nostrę Anglię. Et sanè autumamus, vt ibidem notatum est, Keningalum, de quo in pręsenti, latorem fuisse pręd̄icti tertij Tomi de Sacramentalibus, & propterea à Papa Apostolicę Sedis Nuncium in grati animi recognitionem pro causis Ecclesiasticis, constitutum fuisse. Inter Ordinis nostri quoque benefactores hic Pater recensendus, cuius industria, & diligentia nobilissima in suo Cœnobio Norvvicensi Bibliotheca extructa est, libris exquisitissimis repleta. Edidit & ipse libros alios, videlicet 12. Conciones Paschales *lib.* 1. de suo itinere, & Legatione *lib.* 1. & alia. De hoc Venerando Patre luculenta hęc testimonia protulit Pitseus, asserens pene omnia ex Lelando desumpsisse. De eo etiam Balęus, Harpsfeld. & Possenin.

Ann. Christi 1452. Nicolai 5. Roman. Pontif. 6. Frideric. Imperat. 13. Constantin. Imp. Orient. 8. Ioann. Soreth Generalat. 2.

1 HOc anno Fridericus in Italiam veniens Romę Corona Imperiali donatur à Nicolao Papa; & cum Alphonsum Neapolis Regem inuisisset, in Germaniam regressus est, Platina. Naucler. Bonfinius, Gordonus. Notatur ab aliquibus, quod post Friderici Coronationem, Pontifici ad nostram Eccles. S. Marię Transpontinę equitanti Imperatorem stratoris officium exhibuisse, Spondanus. *Gesta hoc anno.*

2 Concessit Papa anno isto Ordini nostro, Generali scilicet, & Prouincialibus, vt circa receptionem, admissionem, & protectionem Conuētuum Religiosarum Virginum, viduarum, biginarum, seu mantellatarum, illis eisdem, & prorsus similibus priuilegijs gauderent, ac Ordines Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini, dummodo prædictæ Virgines, viduæ, biginæ, & mantellatæ, honestè viuerent, ieiunarentq; & omnia alia facerent, & obseruarent, quæ Virgines, viduæ, biginæ, & mantellatæ Ordinis Prædicatorum. Loquitur autem Pontifex, vt patet ex Bullæ contextu, de prædictis fœminis, tam eo tempore sub habitu, & protectione Ordinis *Papę concessio.*

 nostri

nostri degentibus, quam in posterum victuris. Ex quo habetur, iampridē ante huiusmodi concessionem prædictas fœminas religiosè viuentes in Ordine nostro fuisse, vt diximus anno 1424. in Anglia euenisse tempore Venerabilis Patris Thomæ Vvaldensis. Extat hæc Bulla in Mari magno Ordinis, opera Ioannis Mariæ de Nouolaria collecto pag. 20.

Ioanna de Regio.

3 Occasione autem huius Papalis concessionis pro Ordinis nostri Religiosis mulieribus, pietas, & deuotio Ioannæ Virginis hoc tempore sanctitate celebris, absdubiè creuit. Orta est Rhegij in Æmilia anno 1418. vt ibidem scripsimus, ex honestis, & pijs parentibus, patre Simone, matre Catharina Scopelli. Ab annis teneris Christo Sponsa, ieiunijs, orationibus, carnisque macerationibus addicta, nuptias duabus sororibus cum viris nobilitate, & patria disparibus à Deo precibus impetrauit. Post hæc habitū B. Virg. sub Carmelitarum vexillo assumpsit, sub quo cilicium perpetuum vsque ad vitæ finem, adiuncta ferrea catena, qua nuda membra stringeret, deferebat. Mortuis parentibus, Deo ardentius adhærere volens, domo, cognatis, facultatibusque relictis, sola Crucifixi Imagine sibi pro vnico solatio reseruata; cum paupere, & deuota fœmina domicilium habebat, Monasterium ædificare se velle affirmans. Sed qua pecunia id factura esset interrogata, habere apud se eum, qui clauem totius mundi thesaurorum teneret, Crucifixum intelligens, respondit. Quo tempore, Deo inspirante, vidua quędam se illi obtulit cum duabus filiabus, & domo in vicinia S. Petri olim de Castelli, & postea de Mutti nuncupati, quæ omnes sub eodem habitu, & Ioannæ proposito victuræ spondebant. Opere id explentes in prædicta domo sanctè quadriennio morabantur; interim materiam pro extruendo nouo Monasterio parantes. Plurimum solatij Sancta hæc Virgo Rhegiensibus ciuibus, erat, quibus, meritis, & orationibus cunctis nota, à Deo crebrius fauores impetrabat. Inter quos is vnus singularis censetur, quod quemdam iuuenem, Augustinum nomine, pro qua pia parens Ioannam obsecrauerat, ieiunijs, & vigilijs instanter orans ex hæresi Manichæorum, qua infectus erat, ad veram frugem, pœnitentiamque reduxerit. Quo facto Diabolus iratus eam ad desperationem tentationibus inducebat, sed Deus mirabili visione ipsi facta, Angelis associatus, ancillam suam solabatur spem promittens, & præmij arrham, capitis scilicet coronam, & cordis incredibilem lætitiam concedens. Benedictus Muttus Rhegiensis *in vita huius Virginis*.

Petrus de S. Fide.

4 Obijt eodem anno Norvvici in Anglia Petrus de Sancta fide, Ordinis nostri celebris Doctor, & Conuentus Norvvici Alumnus, Vir pius, & eminenter doctus: Cantabrigiæ primum, deinde Lutetiæ Parisiorum inter Sorbonicos Doctores Doctoralem dignitatem accepisse, & vtrobique Theologiam docuisse, dicitur. Vnum ex nouem Doctoribus, qui cum exercitu Anglorum Regis, post insignē de Gallis victoriam in Galliā venerunt, Parisios se contulerunt, & ibi Doctores creati sunt, refertur. Pręter doctrinā,

& pie-

& pietatem inuincibilem habuit hic noster Petrus contra hæresim, & hæreticos spiritum, & in erroribus confutandis multus erat, vbi sese offerret occasio. Vnde aliquando cum alijs contra hæreticam prauitatem constitutus est Inquisitor, Examinator, & Iudex. In scholasticis porro concertationibus, publicis Lectionibus, Concionibus, & in Sacrarum Scripturarum meditatione exercitatus, plura volumina scripsit, videlicet, Commentarios in omnes Epistolas Pauli *lib.* 14. In primam Petri Canonicam *libr. vnum*; In secundam Petri *librum vnum*; Breuiarium Sententiarum *librum vnum*; Præconia Petri Lombardi *librum vnum*; Alphabetum Theologiæ *librum vnum*; Determinationes varias *librum vnum*; Placita Theologica *librum vnum*; Conciones ad Clerum *librum vnum*; Sermones Capitulares *lib.* 1. pro sua inceptione *librum vnum*. Ipsum cum laude commemorant Lelandus apud Pitseum, ipse Pitseus, Balæus, Posseuinus, Biscarretus, & alij.

Ann. Christ. 1453. Nicolai 5. Roman. Pontif. 7. Frideric. Imperat. 14. Constantin. Imper. Orient. 9. Ioannis Soreth General. 3.

1 ANnus huius sæculi tertius, & quinquagesimus, Imperio Orientali, atque adeo toti Christianorum Reipublicæ, amissa inclyta Constantinopoli, quam maximè funestus fuit; Principum discordia, & Græcorum ignauia; in pœnam perfidiæ, dum contra vnionem in Concilio Florentino factam, ad vomitum redeuntes, Spiritus Sancti processionem à Patre, Filioque adhuc negabant, in tantum miseriarum baratrum ipsos induxerunt. Monasteria Monachorum, & Monialium, inter quæ multi erant Eliani Ordinis, iuxta dicta Tomis præcedentibus, Barbarorum manibus direpta, pijs Religiosis trucidatis, vel in vilissimam captiuitatem venditis. Ex campanis Ecclesiarum bombardas conflauerunt Turcæ eo tempore. De hac misera Christianitati strage, Cardinalis Ruthenus, D. Antoninus, Genebrardus, Vignerius, Spondanus, & multi alij.

Constantinopolis amissio.

2 Hæc porro Turcici Imperij dilatatio prædicta fuit à nostro Sancto Angelo Hierosolymitano, vt ex eius prophetia, quam anno 1219. retulimus, liquido constat. Id etiam notauit improbus alias author Ioannes Balæus *in Cathalogo Scriptorum Brittanniæ Centur.* 8. dicens: *Mahumetes magnus Turcarum nonus Imperator atrocissimus, hic Constantinopolim, Eubœam, & Theodosiam cepit, ac Hydruntem in Italia expugnauit, iuxta Angeli Martyris vaticinium. Mantuan. 5. Fastorum.*

S. Angeli Prophetia.

3 Idem tempus Ioannes Stamberius Anglus, de quo anno 1448. diximus, ex Ordine nostro ad Banchorensem Episcopatum assumptus, ad Herefrodensem translatos ascendit. Vbi vsque ad annum 1474. Episco-

Ioann. Stāberius.

pus vixit, pluribus libris editis, quibus sui nomen posteritati valde commendauit, vt eodem anno dicemus, Balæus, Pitseus.

Generalis Faci. 4 Ex Illustribus nostri Ordinis vnus, qui in Capitulo generali Auenionensi præcedenti anno 1451. habito, numerati fuere in hunc annum referimus, Reuerendissimum Magistrum Ioannem Faci Episcopum Regiensem, ex Generali Ordinis ad eam dignitatem assumptum. Fuit is Pater Conuentus Auinionensis Alumnus, Lector Biblicus pro Conuentu Tholosano in Capitulo Generali Montispessulano anno 1420. celebrato constitutus. Regens Auinione in Capitulo Generali Appaniarum 1425. Diffinitor, & Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ, in Capitulo Generali Appaniarum anno 1425. & Prouincialis eiusdem Prouinciæ in Capitulo Generali Nannetensi anno 1430. Assumpto postea ad Episcopatum Massiliensem Reuerendissimo Bartholomeo Roquali Generali Priore circa annum 1431. vt ibidem diximus, Magister Facius totius Ordinis Generalis constitutus est, absdubiè auctoritate Apostolica, vt ibidem etiam diximus. Generalis autem factus Regulæ mitigationem ab Eugenio Quarto Papa anno sequenti impetrauit, prout etiam eo loco notatum reliquimus. Insuper celebrauit Capitulum Generale Rauespergense anno 1434. & in eo designatus ad Concilium Basiliense cum Prouincialibus Angliæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, & Romæ; Item Astense anno 1440. & Cabilonense anno 1444 ac demum Romanum in Palatio Sanctæ Mariæ Maioris anno 1447. Post quæ circa annum 1450. ad Episcopatum Regiensem à Papa Nicolao Quinto vocatur. Ex Capitulo autem Generali Auenionensi anno 1451. elicimus ipsi Capitulo adfuisse, computaque de receptis, & expensis in Ordine coram Reuerendissimo Generali Soreth, & alijs Patribus ibidem fecisse. De ipso iterum sub anno 1464.

Gelriense Monasterium. 5 Monasterium Monialium Gelriensium hoc anno 1453. erectum dicitur in Relatione Prouinciæ Belgicæ ex Beginis suscipientibus habitum, & Regulam Ordinis nostri, de licentia Generalis Ioannis Soreth. Huius etenim Generalis sancta vita ad id faciendum eas allicere potuit.

S. Petri de Vngaria. 6 Conuentus Sancti Petri de Vngaria in Ecclesia à Mantuanis Ciuibus anno circiter 995. ob libertatis donatæ memoriam, extructa, & sub hoc anno à Ludouico Mantuæ Marchione reædificata, nostrisque Patribus Congregationis donata, ex quibus Theologum, & Confessarium sibi elegerat, exordia desumuntur. Mantuanæ domus membrum censetur, quia à Mantuæ Principe donatus, & à Mantuanis Fratribus procuratus. Lis cum Rectore Sancti Michaelis de Porto sequentibus annis exorta, pactis quibusdam postea sopita est. Ei Serenissimi Duces priuilegium Nauiculæ pro adiacentis lacus beneficio contulere. Adiacet ipsi Oratorium Sancto Rocho Sacrum, cuius deuotio, pestis tempore fidelibus vtile commodum animæ, & corporis affert. Douemandas *in Histor. Mantuæ par. 1. lib. 5.* & relatio Baptistæ Guarganti.

Ann.

Ann. Christi 1454. Nicolai 5. Roman. Pontif. 8. Friderici Imper. 15. Ioannis Soreth Generalat. 4

1 RAtisbonæ in Bauaria ad tractandum de bello contra Turcas hoc anno congregabantur Occidentales Principes, maximè Philippus Dux Burgundiæ, Religionis Christianæ pius, & bonus zelator. Monstrelus, Meierus, Spondanus, & alij. Incassum tamen, Deo sic permittente ob Christianorum peccata. De bello Turcico.

2 Porro venerabilis Ioannes Soreth Ordinis nostri eo tempore Generalis totus reformationi illius corde, & opere intentus erat. Primo etenim præsenti anno Conuentum Mechlniensem ad meliorem frugem, strictioremque Obseruantiam reduxit. Testatur hoc Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 14.* huiusce rei testis quasi ocularis, cum testetur, sequenti anno ex voluntate eiusdem Reuerendissimi Ioannem de Platea eiusdem Conuentus Priorem, ac vitę Regularis zelatorem, habitu Sanctæ Religionis eum induisse die sexta Aprilis, quæ fuit tertia Paschalis festiuitatis. Nec solum Mechlniense Cœnobium, sed, & Moguntinum, Attrebatense, Gandauense, Parisiense, Andegauense, & Bondonense ad Venetiam in Armorica (qui *desideratus Patri Conuentus, & præcordiali affectu dilectus* vocabatur) ab ipso formata, restituta, & restaurata fuerunt. Vita Ioannis Soreth *ex Vbaltero de Terra noua extracta.* Hinc Mantuanus noster in Carmine encomiastico de morte eiusdem Soreth, quod habetur inter opera eiusdem Tom 1. quoad sui Ordinis reformationem comparat ipsum SS. Romualdo, Bernardo, Vgoni, Mauro &c. sic canens. Soreth Generalis.

Nec tibi Carmelus debet minus, ac Romoaldo
Tusca Camaldulis pineta in vertice montis:
Ligni pedique Lauerna viri: Carthusia Vgoni:
Gallica Bernardo Cistercia, Nursica Mauro
Relligio, sed plus longè: nec enim tibi sancta
Rusticitas, sed sancta magis doctrina superbam
Perfidiam se attollentem mysteria contra,
Sacrosancta potens conuellere fulmine lingua.

3 Sed qualis ratio vitæ tanti Dei Serui post Generalatus assumptum onus fuerit, ex prædicto Vbaltero de Terra noua, qui viæ, & vitæ Patris Sorethij amantissimus Socius erat, vt propterea eius vitam scripserit, hæc damus, quoad materiam quidem immutata, etsi methodo, & stylo diuersa. Et primo, de humilitate, quæ ædificij spiritualis fundamentum iure vocatur: *Eam sic vnicè coluit, vt cogitationibus, factis, sermonibus, veram, ac spirantem humilitatem effigiem præsentaret. Incredibile sui ipsius despicientia alienas* Ratio vitę Gen. Soreth

laudes

laudes ita fugitabat, vt proprijs abstineret, nimis quā Religiosè. Cōscius itidē humanæ imbecillitatis, arduū nihil, seriumue prius aggrediebatur, quam opē à Deo, auxiliūq; enixè, et animitus efflagitasset. De paupertate, quę itidē vitę Regularis fūdamētū est. *Rudioribus, ac multū detritis vestibus sēper vti in delicijs habuit quam maximis, & à nostris non semel obseruatum interiori tunica indutum paruula ea, nec non hinc inde assutis pannis interpolata, extimam præcinctum quotidianis laboribus ex Regulæ præscripto, nisi grauiora intercederent, solitum operam dare. Calceis incedebat obsoletis admodum, & omnino incuriosis.* Per varias Orbis, & Ordinis Prouincias summis laboribus iter faciens, reiecto procul omni pompatico comitatu, alterum dumtaxat Socium cum paruulo agasone admittebat. Vidit quondam in quodam Fratre (Liuius vocabatur) delicatum vestitum; aduertit, inspectat occulatius, & vbi vestem manu attrectauit, renidens ait: *Pretiosa in veste luxus triumphat, ac superbia.* De mansuetudine; & comitate, quæ charitatis sociæ virtutes merito commendantur: *Erat quidem ea hominis affabilitas, in oculis verecundus rubor, in ore, ac vultu hilaritas, & relucens serenitas mentis, in consuetudine, vsuque familiari suauitas, in moribus perpetuus vitæ tenor. Idem semper, sibique similis, ne multa, totam corporis conformationem, tam grata, & amana grauitas temperabat, vt domi, forisque quocunque pergeret, summis, medijs, infimis, amabilis simul, admirabilisque efficeretur. Hæc ei omnes aditus ad exteros homines, amplissimosque viros aperiebat, vtpotè qui eum semel à se visum, & in congressu libatum, identidem videre, audire, effusissimè optabant, & suauissime illius conuictu nunquam non volupe fruebantur. Nihil eo festiuius, nihil quod cum amica sermonis Vrbanitate, rerum diuinarum memoriam maiori suauitudine instillauerit. Quibus ille rebus consecutus est, vt exteris non minus quam domesticis supra modum charus euaderet.* De benignitate, seu commiseratione in proximos. *Flebat cum flentibus, condolebat afflictis, & solatia tristibus afferre quacunque posset via satagebat: Vt nemo omnium esset infirmus, quin saltem in eius dolorum partem, & ærumnarum misericors deueniret.* De zelo, & in correctione seueritate. *Quemadmodum apes tametsi mellitum liquorem conficiant, & florum succo longe suauissimo, nihilosecius tamen aculeo minimè carent, quo & fungos alueis insidiantes, vt fauos deprædentur, procul arcent, & hostes pungunt attrocius, Pari quoque ratione non sic effusa erat Patris in subditos mansuetudo, quo minus quoties res, & occasio ferebant, decedentes religioso officio, media charitate puniret. Obstinatos vero, ac rebelles durius subinde increpatos, minaci vultu, acrioribus verbis, verberibus etiam interdum, sed raro, & non nisi quoties extrema vrgebat necessitas, ad saniorem mentem reuocare nitebatur.* Sed quid de obedientia? quid de compunctione ipsius? in Prælatos Ecclesiæ reuerentia? solitudinis amore, alijsque eximijs virtutibus congruè dici potest? multa silentio inuoluimus, aliqua alias dicturi.

Monasteria Virginum.

4 Monasteria Virginum omnino quinque ab ipso fundata dicuntur, partim in Hannonia, partim in Brabantia, partim in Britannia minori, vt propterea pro eis obtinuerit à Nicolao V. priuilegia Prædicatorum, & Au-

gustinianorum, vt vidimus ann. 1452. maxime in Armorica duo huiusmodi Cœnobia præclara, alterum ad Vrbem Nannetensem *de Scotijs* nuncupatum, alterum iuxta Venetiam Armoricarum Nazareth nomine. Vbi illustri prosapia, & nobilibus Armoricæ familiæ oriundæ Dei obsequijs dicatæ Virgines. Inter quas etiam nobilissima Herrina Francisca de Amboyse minoris Brittaniæ Ducissa, quæ mortuo Petro Secundo totius Armoricæ Duce clarissimo, habitum nostræ Religionis suscepit, primas tenet. De qua in sequentib. De his autem Monialium Monasterijs à Reuerendiss. Soretho erectis Palæonydorus *lib. 3. c. 14.* vita eiusdem Ioannis Soreth ex Vbaltero de Terra noua extracta *cap. 16.*

5 Impetrauit etiam hoc eodem anno 1454. media procuratione Magistri Pauli Bisconti Ordinis Generalis Procuratoris à Papa Nicolao V. confirmationem Bullæ Martini Quinti, de qua anno 1418. qua prohibebat transitum Religiosorum Ordinum Mendicantium ad Monachales Ordines (Ordine Carthusiensium excepto) sub pœna excommunicationis ipso facto tam recipientibus, quam receptis infligenda, & à solo Romano Pontifice relaxanda. Habetur Bulla in Mari Magno pag. 14. Paulus Bisconte.

Ann. Christi *1455.* Callixti 3. Roman. Pontif. 1. Frideric. Imperat. *16.* Ioannis Soreth Generalat. *5.*

1 OBijt sequenti anno bonus Pontifex Nicolaus Quintus, morbis, & tristitia cruciatus, quod Constantinopolim amissam viderat: post quam calamitatem nullus eum ridentem aspexit. Eius Successor fuit ad Kalend. Maij coronatus Callixtus Tertius Hispanus. Honuphrius, Ciaconius, Gordonus, & alij. Quem etiam benignum Papam Ordo noster, & alij Mendicantes, experti sunt, vt suis locis dicemus. Callixtus Papa.

2 Gratia pollebat in primis, & authoritate apud hunc Pontificem Venerabilis noster Generalis Ioannes Soreth, vt ex casu, quem referimus cōijci haud leuiter datur. Venit ad oscula pedum Sorethius noster, & qui fama totum per Orbem diffusa, tam virtutis, quam eruditionis nomine cunctis charissimus erat, Pontificis itidem gratiam expertus est. Eximiá enim vir virtutem suspiciens, primum Episcopi; renuenti deinde Cardinalis dignitatem offert; restitit noster Ioannes, instat Summus Pontifex, & Guidonis Perpiniani Carmelitæ Episcopi Maioricensis, cuius legendo libro super decretum noctem assumpsisse se dicebat; facti exemplum obijcit: sed nihil proficit, nam reluctatur noster Sorethius fortiter, & Pontificis pedibus multo tempore aduolutus, non prius à lachrymis, ac precibus temperauit, quam onere tanto fieret immunis, quo nempe onerari, Generalis Soreth.

se

se non honorari dictabat. Hinc magis, ac magis Pontifex raram eius humilitatem demiratus, sibi, suoque Ordini priuatim viuere, pro eo, ac ipse optabat passus est. Eum interea totius Ordinis Generalem peculiari diplomate confirmatum dimisit, Vita General. Soreth, ex Vbaltero de Terranoua extracta *cap.* 5.

Collegium Louaniense.

3 Ad hunc annum 1455. referre possumus primam fundationem Conuentus, & Collegij Louaniensis in Belgio, de qua Nicolaus Vernulæus in sua Academia Louaniensi scribit sequentia. Collegium Carmelitarum anno 1469. fundatum est. Author est Godefridus à Loe Ordinis Carmelitarum Religiosus Sacræ Theologiæ Doctor Academicus, & Professor. Is auctoritate Apostolici eo tempore apud Belgas Legati, & approbante Theologica facultate, domum suam, ac coniunctos illi fundos iuxta Clericorum, vt vocant, seu D. Antonij, in hac Vrbe, Sacellum, in Collegium vnum pro Religiosis Ordinis sui erexit. Legem hanc adiecit, vt hoc Collegium nulli omnino Ordinis sui Cœnobio subesset, & quicquid vnquam pro eo acquireretur, id totum illi cederet. In hac igitur domo Carmelitæ more in Collegijs recepto plurimi simul vixerunt, & studijs operam dederunt, vsque ad annum 1487. eo anno Kalendis Martij egregius, ac circumspectus Vir Georgius Bourgensis artium Magister, & I. V. Licentiatus Collegiatæ D. Ioannis Ecclesiæ Leodij Decanus, domum suam in platea dicta Lapidea, & è regione Xenodochij maioris sitam, quamque tum inhabitabat, cum duabus alijs, & horto vno, Regenti Carmelitici Collegij, Religiosisque sub eius disciplina studentibus legauit. Hac vero etiam lege, vt Regens (qui Terminarius tunc appellabatur) & cum eo Religiosi studiosi in hanc domum migrarent, soli in ea habitarent, vendere, aut locare eandem cuiquam nunquam possent. Adiecit & hoc onus, vt hebdomadatim ter ad D. Virginis aras in Æde D. Petri, Louanij Sacra facerent. Obijt anno sequenti 6. Kalendas Aprilis, & donationem hanc testamento firmauit. Quare relicta priore domo, constitutum in hac nouo Collegiũ est, & annos supra centum, & triginta Carmelitæ Religiosi sub vnius Moderatoris, seu Regentis imperio summa sedulitate studia hic coluerunt. Tandem anno 1617. auctoritate constitutorum ab Apostolica Sede Iudicum, qui Georgij Bourgensis voluntatem commutarunt, vendita ea domus est, & Collegium in nouam ad D. Catharinæ domum, quam ædificarunt, translatum. Hic quotidie vna Philosophiæ, Theologiæque altera prælectio est, ac simul in publica Academiæ auditoria Religiosi mittuntur. Ita fit vt publicè discant, & priuatim. Hæc ille. Quæ Vernulæus adducit intelligenda sunt de secundo Collegio: nam dicta domus in Collegium erecta non fuit prima, sed antea aliam emerat Godefridus de Loe sub conditionibus antedictis, anno 1455. 12. Maij in loco, Opde Biest, dicto, prope fontem nominatum Bollenborne, vt constat ex originalibus emptionis, & Capituli Generalis celebrati Parisijs anno 1456. in festo Pentecostes, acceptantis domum illam in Collegium, cum omnibus priuilegijs alijs Col-

legijs

legijs concedi solitis, sub sigillo, & signatura ipsius Generalis Ioannis Soreth, quæ extant in Archiuio Conuentus Louaniensis. Præfatus Godefridus à Loe inchoauit, cum alijs quibusdam aliunde vocatis, Theologiam, cœpitque eam publicè in Vniuersitate Louaniensi docere anno 1431. Nam licet dicta Academia initium suum habuerit sub Martino V. anno 1426. in eodem tamen Diplomate, quo omne genus artium docendi potestatem fecerat; exceperat Theologiam, quam impetrauit per Legatos suos Philippus Bonus, tunc Burgundiæ, & Brabantiæ Dux ab Eugenio IV. successore Martini, per Diploma expeditum Romæ anno 1431. nonis Martij, qui dies D. Thomæ Aquinati sacer est, Pontificatus Eugenij anno primo, teste Vernulæo citato. Fuit hic Godefridus Doctor Coloniensis, Conuentus Mechliniensis, cuius filius erat, Prior, & Prouincialis 22. annis Germaniæ Inferioris. Statuit inter alia, annuente Honorio Episcopo Tricaricensi Nuntio Apostolico, cum potestate Legati à latere, vt post mortem suam studiosi viuerent sub obedientia Rectoris Collegij, deputandi per Patrem Priorem, & Consiliarios Conuentus Mechliniensis, quandiu idem Conuentus in vita permaneret, obseruantiæ Regularis, à qua si deflecteret, per Priorem, & Consiliarios proximioris Conuentus reformati. Collegium Carmelitarum inter alios professores Academicos habuit Ioannem Beetz, Ægidium Fabrum, & Nicolaum de Egmunda.

4 Possumus etiam ad id tempus referre primam fundationem Conuentus Rastemburgensis in Prussia Ducali non longe à Regiomonte. Constat enim ex litteris Callixti Tertij hoc tempore Romani Pontificis, ipsum scripsisse ad Abbatem Oliuensem, quod Casimirus Rex Polonici decreuerat Rastemburgi in Prussia Fratribus Carmelitanis Monasterium fundare; & ita Pontifex ei Abbati iniungit, vt tanquam Commissarius Apostolicus dictum locum videat an habeat Ecclesiam, Campanile, Campanam, & cætera ad fundationem Monasterij requisita. Vnde circa hoc tempus fundatum creditur; eo quoque quod in Actis Capituli Prouincialis Cracouiensis de ann. 1467. nominatur quidam Gaspar electus in Priorem eius Conuentus. Quomodo autem postea defecerit, an propter bella, hæresim, aut aliam causam, ignotum. Hæc ex relatione Prouinciæ Poloniæ. Conuentus Rastemburg

5 Sparnecense Cœnobium in Germania eodem anno, diligentia forsan, ac zelo boni Generalis Sorethij Ordini adquisitum, sed, proh dolor, quod sanctus zelus peperit, hæretica lues extinxit: manet enim huiusmodi Monasterium sicut & alia in terris, & ditione Hæreticorum, vbi nullus propemodum mansit Catholicus, nec spes ea recuperandi, nisi Deus Catholicos Principes armet ad vindictam inimicorum. Bartholomæus Eiselim Prouincialis Germaniæ *in Relat. de sua Prouinc. ad Theodor. Strat. General. Ordinis.* Sparnacensi.

6 Quo etiam anno sanctitatis nouo signo effulsit Sanctus Albertus Drepanensis, cum enim egregius Legum Doctor D. Ioannes de Poetis S. Albertus.

Ciuis Bononiensis, febre correptus ad annum integrum moribundus, voueret eidem Beato Alberto eius festum celebraturum, dum vitam possideret, vitam obtinuit, & gratias agit Deo. Tabula Laurentij Notarij de Pisis apud Petr. Sarrac. *in vita S. Alberti*.

Hieronymus de Stella.

7 Inter viros claros Religionis in hunc annum referendos, quod vltimo Capitulo Generali Auenionensi anno 1451. celebrato, nulla ipsorum mentio reperiatur facta in libro Ordinis, sunt, primus, Magister Hieronymus de Stella, qui in dicto Capitulo Lombardiæ Prouincialis erat. Fuit is primum Diffinitor, & Prouincialis Lombardiæ in Capitulo Generali Rauespergensi anno 1434. vbi Hieronymus de Castellario, forsan per errorem, nisi fortè binomius erat, vocatur. Mittitur etiam ab eodem Capitulo cum Generali, & Prouincialibus Angliæ, Romæ, & Alemaniæ Inferioris ad Concilium Basiliense. In Capitulo deinde Generali Astensi anno 1440. Prouincialis Lombardiæ dicitur, sicut & in Cabilonensi anno 1444. In Capitulo autem Romano 1447. Diffinitor, & Prouincialis Lombardiæ describitur, & in sequenti Auenionensi Prouincialis, vt vidimus.

Raimundus Fasardi.

8 Secundus Magister Raimundus Fasardi, qui etiam in prædicto Capitulo Generali Auenionensi Aquitaniç Prouincialis erat. Hic Pater primum ordinatus est Lector Biblicus Tholosæ in Capitulo Generali Bononiensi anno 1411. Deinde in Capitulo Generali Montispesulano anno 1420. vocatur Diffinitor, & Prouincialis Prouinciæ Aquitaniæ, & etiam Regens Tolosæ. Itidem in Capitulo Generali Appaniarum anno 1425. Nannetensi anno 1430. Rauespergensi anno 1434. Astensi anno 1440. Cabilonensi, anno 1444. ac Romano anno 1447. etiam Prouincialis Aquitaniæ dicitur sicut in nouissimo Auenionensi anno 1451. vt vidimus.

Iacobi Villeti.

9 Tertius est Magister Iacobus Villeti, qui in eodem Auenionensi Generali Capitulo Prouincialis Prouinciæ nuncupatur. Is primum fuit Lector sententiarum, & Bibliorum Parisijs ordinatus in Capitulo Generali Bononiensi anno 1411. Deinde in Capitulo Astensi anno 1440. Diffinitor erat, & Prouincialis Prouinciæ, ac missus est Procurator ad Concilium Basilense. Deinde in Capitulo Generali Cabilonensi anno 1444. etiam Prouincialis eiusdem Prouinciæ dicitur. In Capitulo præterea Generali Romano anno 1447. Diffinitor, & Prouincialis ipsius Prouinciæ nuncupatur siue in sequenti Auenionensi Prouincialis, vt vidimus.

Antonius de Pisis.

10 Quartus est Magister Antonius de isis, qui etiam in eodem Auenionensi Capitulo Thusciæ Prouincialis est, & quem Antonium Mathæi in libro Ordinis etiam nominari credimus, sicut etiam aliquando Mathæum Antonij. Pater hic primum à multis annis anno videlicet 1396. in Capitulo Generali Placentiç ordinatus est ad lecturam Bibliorum, & sententiarum in Conuentu Papiæ. Deinde in

Capi-

Capitulo Generali Bononiensi anno 1405. Prouincialis Prouinciæ nominatus est. Item in Capitulo Generali Bononiensi anno 1411. Lector Sententiarum Pisis eligitur. Vnde cognomen de Pisis accepisse autumamus. In Capitulo porro Montispessulano anno 1420. Diffinitor, & Prouincialis Thusciæ nominatur, & in Capitulo Appaniarum anno 1425. etiam Thusciæ dicitur Prouincialis. Ex quo etiam Capitulo habetur ipsum astitisse Concilio Senarum, quod habitum est anno 1423. cum Magistro Mathæo de Florentia, vt eo anno diximus: siquidem pro expensis factis ab ipsis in dicto Concilio numerantur vigintiquinque ducati. In Capitulo autem Astensi anno 1440. nedum Prouincialis Thusciæ, sed & diffinitor etiam eiusdem Prouinciæ dicitur. Sed in Capitulo Generali Cabilonensi anno 1444. solum Prouincialis Thusciæ nuncupatur. In sequenti porro Romano anno 1447. Prouincialis, & Diffinitor Thusciæ commendatur, sicut in Auenionensi vltimo Prouincialis, vt diximus.

Ann. Christi 1456. Callixti 3. Roman. Pontif. 2. Friderici Imper. 17. Ioannis Soreth Generalat. 6.

1 DVm preces hoc anno à Papa indictæ pro victoria contra Turcas à Christianis sedulo fierent, Deus pijssimus, qui piorum orationes nunquam non exaudit, insignem victoriam contra Mahumeranos in Hungaria Christianis apud Belgradum dedit, cæsis quadraginta millibus Turcarum, & ipso Mahumete vix euadente, grauiter in oculo sauciato. Diu. Antoninus, Siluius, Nauclerus, Monstreletus. Huius anni acta.

2 Prouisionem bonam anno præsenti, quinto idus Martij Romæ, fecit Pontifex Callixtus circa quosdam nostri Ordinis Professores, qui sub Papæ concessio. prætextu litterarum Apostolicarum nonnulla beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quam Regularia, siue in titulum, siue in commendam per diuersas Prouincias, & nationes obtinentes, nihilominus officia Religionis in Capitulis Generalibus, & Prouincialibus ambiebant. Contra hos ergo, absdubiè instante Ioanne Sorethio Generali, eo præsertim, quod eodem tempore Capitulum Generale Parisijs celebrandum erat, Pontifex decreuit, ne huiusmodi Religiosi beneficia sæcularia, & Regularia prædicta quomodolibet obtinentes, etiam si illa simpliciter, vel alio quouis modo dimisissent, admitterentur ad Capitula Generalia, vel Prouincialia, administrationes, aut officia Ordinis, nisi Generalis interueniente consensu, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & alijs infligendis ipso facto. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Nouolariam collecto pag. 19. Vbi aduerte, Datam dici anno 1455. quod intelligitur iuxta computum Bullarum, quod sumitur à 25. Martij, nos autem, qui computum anno-

rum sumimus à prima die Ianuarij in hunc annum 1456. Diploma datum iure referimus.

Capitulum Generale.

3 Diplomate ergo obtento securus de meliori circa officia Ordinis prouisione facienda Generalis Soreth ad celebrandum Capitulum Generale se conuertit. Prout fecit hoc eodem anno Parisijs in Festo sancto Pentecostes. In quo primum numerantur Diffinitores 17. Prouinciarum, videlicet, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Bononiæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Turoniæ, & Saxoniæ. Á quibus cũ Generali taxatus Ordo est pro expensis communibus ipsius. Ordinati deinde sunt Prouinciales 23. Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Aragoniæ, & Portugaliæ. Ordinati præterea sunt Lectores in Studijs Parisiensi, Tholosano, Montispessulano, Auenionensi, Illerdensi, Londinensi, Cadomensi, Pictauiensi, Burdegalensi, Bononiensi, Florentino, Senensi, Papiensi, Paduano, & Neapolitano. Constant hæc ex Libro Ordinis fol. 49. & 50. Ex eo autem, quod plura studia Religionis in hoc Capitulo, quam in quocunque alio præcedentium designata conspiciantur, liquido innotescet, Venerabilem Ioannem Soreth vitæ sanctitatem cum Sacrarum litterarum amore coniunxisse, ac perinde vtrumque in Ordine suo maxime promouere desiderasse.

Decreta.

4 Circa decreta in hoc Capitulo facta, primo, ordinatum est, Regulam ab Eugenio Papa mitigatam firmiter obseruandam, ipsamque, & Constitutiones frequenter legendas in Capitulo, & Refectorio, & vulgari sermone interpretandas, ita vt ab omnibus intelligi possent. Item, quod Fratres in Obseruantia viuentes haberent Priorem per Canonicam electionem ab ipsis eligendum. Tertiò, quod nullus Frater poni posset in aliquo Conuentu, ab illo extrahi, Priore, & Conuentu dissentientibus. Prohibitum quartò est ne Fratres discurrerent vltra terminos proprios pro Indulgentijs promulgandis, neque etiam Procuratores, aut Quæstores; sub magnis pœnis. Hæc cum alijs decretis minoris notæ constant ex Libro Ordinis fol 50.

Aliud.

5 Addit Ioannes Palæonydorus, qui eo tempore habitum Ordinis nostri iam assumpserat, decretum fuisse in hoc Capitulo, quod de Sancto Lazaro fieret Officium, sicut de Episcopo, & Martyre; & quod in Litanijs diceretur *Sancte Alberte, Sancte Cyrille ora pro nobis*. Ita prædictus Palæonydorus *lib. 3. cap.* 14. Sed, quod ad primum attinet, nihil in actis huius Capituli reperitur de eo, ordinatum tamen id fuit in Capitulo Generali Astensi anno 1440. vt ibidem diximus, & forsan oretenus in hoc Capitulo iterum intimatum. Quoad secundum autem credibile est viuæ vocis decreto statutum id fuisse in hoc Capitulo, nam cum ex concessione Callix-

ti Tertij,

ti Tertij, vt vidimus anno præcedenti, posset Sancto Alberto cultus generalis exhiberi, merito proinde Patres statuerunt ipsum in Litanijs communibus Ordinis collocandum. Pariter etiam credi facile est tunc primum ordinatum fuisse, vt in Litanijs Ord. S. Cyrillus cum alijs poneretur: quia ex Balæo *in Cathal. Scriptor. Brittann. Centur. 7.* tempore Eugenij Quarti concessum Ordini est de ipso Officium celebrare.

6 Grauiores Patres, qui in hoc Capitulo recensentur sunt Reuerendiss. Ioannes Soreth Ordinis Generalis, Magister Michael de Lombardo Diffinitor, & Prouincialis Siciliæ, Magister Paulus de Viconte Diffinitor, & Prouincialis Romę, Magister Petrus de noua Ecclesia Diffinitor, & Prouincialis Alemaniæ Inferioris, Magister Ioannes Miluerton Angliæ Prouincialis, Magister Galliardus de Rupe Prouincialis Tholosæ, Magister Ioannes Consobrinus Prouincialis Portugalliæ, Fr. Humbertus Leonardi Lector Parisiensis designatus, qui postea Episcopus fuit Dariensis, & Inquisitor Leodij, de quibus cum alijs, suis locis dicimus. Grauiores Patres.

7 Accidit autem hoc eodem anno in Vigilia Pentecostes Parisijs eo tempore, quo Capitulum Generale à nostris agebatur, vt cum litteræ Apostolicæ Nicolai Quinti, de quibus egimus anno 1448. quibus approbauit, & confirmauit litteras Eugenij Papę, confirmantis etiam, & approbantis litteras Bonifacij Octaui, & Ioannis Vigesimi secundi circa confessiones faciendas Fratribus nostris, & alijs Confessarijs Ordinum Mendicantium intimatæ essent, & pręsentatę Episcopo Parisiensi, seu eius Episcopali Curiæ, quod Guillelmus Riueti pro tunc Rector Vniuersitatis Parisiensis easdem impediri fecerit, dicens, prædictas Nicolai Papæ litteras de falso plurimum suspectas, pacis in eadem Vniuersitate solemniter iuratæ, & status Hierarchici in Ecclesia Sancta Dei plurimum turbatiuas, scandalosas, & aduersas iuri communi, sanctionibus Sacris, & pragmaticæ sanctioni, & propterea per suas patentes litteras vniuersis notum fecerit, quod ex caussis pręmissis, & alijs (vt dicebat) rationabilibus prædicti Mendicantes essent á gremio prædictæ Vniuersitatis eiecti, & priuati, adiunctis etiam alijs grauaminibus contra ipsos, prout in Bulla Callixti Tertij, de qua postea continetur. Turbulenta Parisijs.

8 His ergo tumultuantibus rebus permotus Generalis noster pijssimus Soreth, quantū ex vita ipsius ex Vbaltero de Terra noua extracta elici potest, Romam protinus venit, Pontificem adit, rem fideliter exponit. Nec mora, malignitatem exosus Papa prędictas Nicolai Quinti, Eugenij Quarti, Bonifacij Octaui, & Ioannis Vigessimi secundi litteras pro Confessarijs Mendicantium amplissimè confirmat, roborat, & munit, & contra aduersantes pro muro pro Mendicantibus se opponit. Papæ gesta

Ann.

Ann. Christ. 1457. Callixti 3. Roman. Pontif. 3. Frideric. Imperat. 18. Ioannis Soreth Generalat. 7.

Turcarum superbia.

1 Imebatur hoc anno, quod Mahometes Turcorum Imperator Belgradum redire vellet; cum etiam diceretur iurasse non se se retro abiturum ea Vrbe non capta, etiam si Asię maiorem partem amissam audiret. Cœterum Deus Hungariæ prouidens Turcis obstitit per classem Pontificiam, Albanenses, & Persarum Regem. Siluius, Spondanus, & alij.

Papæ concessio.

2 Porrò Pontifex Callixtus motibus Parisijs exortis, de quibus anno præcedenti diximus, occurrere volens, decimo Kalend. Aprilis Romæ apud Sanctum Petrum, gratiosum valde Diploma concessit, in quo primum contra id, quod prædictus Guillelmus Riuetus Parisiensis Vniuersitatis Rector dixerat, determinauit, prædictas litteras Nicolai Pontificis matura cum deliberatione processisse, nec vllo capite reputandas esse de falsitate, aut surreptione, aut status Hierarchici in Ecclesia turbatiuas, vel scandalosas, neque Sacris Canonibus aduersantes, sed potius consonas, & saluti animarum proficuas. Deinde eas de DD. Cardinalium consilio, & assensu innouauit, confirmauit, & approbauit, mandans contenta in eis firmiter obseruari sub excommunicatione, & alijs pœnis. Insuper litteras eiusdem Rectoris, priuationem, & resecationem Mendicantium Fratrum ab Vniuersitate Parisiensi reuocauit, & irritauit, ipsosque Fratres Mendicantes in pristinum statum restituit, & reposuit. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis nostri per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto pagina 8.

Generalis diligentia.

3 Huius Diplomatis obtentione, in qua multum auctoritate, & diligentia noster Ioannes Soreth Generalis operæ tribuerat, cœterorum Ordinum beneuolentiam pariter, & amorem sibi mirificè deuinxit. Hinc ab eorum ore illustria laudis encomia sæpenumero meritissimè tulit. Sanè Patrum memoria acceptum tenemus, pium, & eruditum Patrem è Franciscanorum Obseruantia, cui Ioannes Brugmari nomen erat, virum per totam Germaniam clarum, cum aliquando è suggestu Concionem habere ad populum, eiusdem Sorethij adhuc in viuis degentis has laudes inseruisse: *Pater Sorethius Ouium sibi commissarum vigilantissimus Pastor, Vir vtique iuxta cor Dei, Dispensator fidelis, non sui modo Ordinis lumen, columenq; sed reliquorum insuper Mendicantium præsidium, & immobile firmamentum.* Vita ipsius Soreth ex Vbaltero de Terra noua extracta.

B. Alberti apotheosis.

4 Occasione etiam multorum, quæ alijs locis retulimus, nostri Sancti Alberti Drepanensis miraculorum, permotus prædictus Generalis, accedente itidem beneuolentia erga ipsum Papæ Callixti, eidem exposuit; quod

idem

idem S. Albertus clarescentibus miraculis tam in Ciuitate Messanensi Insulæ Siciliæ, quam in diuersis mundi partibus in magna veneratione habebatur, & propterea in diuersis Ecclesijs per diuersas mundi partes, Altaria, & Ecclesiæ ad honorem Dei, & eiusdem B. Alberti commemorationem erecta fuerant: vnde desiderabat, quod Christi fideles in huiusmodi laudabili proposito per tolerantiam Sedis Apostolicæ continuare libere, & licite possent, & valerent. Ad quam quidem humilem petitionem præfatus Callixtus Papa benignum præbuit auditum annuẽs, & concedens, quod ipsa postulabatur. Ita testatus est Guillelmus Ostiensis Episcopus titulo S. Martini in Montibus Cardinalis, Ordinis nostri Protector, qui tunc præsens aderat, & de licentia, & consensu eiusdem Callixti Papæ, & mandato expresso ipsius viuæ vocis oraculo sibi ab eodem facto, de præmissis per suas patentes litteras suo sigillo munitas, attestationem fecit. Quod etiam postea confirmatum fuit à Sixto IV. per Bullam *Cælestis aulæ* militum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis 1476. pridie Kalend. Iunij Pontificatus anno 5. Habetur in *Speculo* Ordinis, & in Mari magno per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto pag. 37. Quo anno testimoniales litteras eiusdem D. Cardinalis referemus. Casum etiam refert Ioannes Balęus *in Catal. Scriptor. Brittan. Centur. 7. in Appendic. ad Thomam Rubburne* de Callixto tertio dicens; *Albertum Drepanensem Carmelitam, Vincentium Valentinensem Dominicanum, & Eadmundum Canthuariensem Anglum in Sanctos Confessores Papisticos retulit.* (Improbus author sæpius historiæ veritatem hæretica phrasi describit) *& Centur. 8. post Nicolaum Montacutium* dicit Callixtum tertium canonizasse *Albertum Siculum Drepanensem anno 1457. ita vt, eodem anno, Ioanne Paleonydoro teste, in Litanijs diceretur S. Alberte ora pro nobis.* Qualiter autem hæc concessio canonizatio S. Alberti dici possit, diximus anno 1307. quo eius pretiosissima mors contigit.

5 Clarus erat circa id tempus in Angliæ grauissima Prouincia Guilhelmus Staphilartus eiusdem nationis, patria Cantianus, & Conuentus nostri Londinensis, vt creditur, alumnus: Oxonij Studens, & postea Doctor, & Professor ibidem in Sacra Theologia, vt Lelandus scribit. Vir in sacris, & prophanis litteris ita nobiliter doctus, vt inter prima illius temporis Academiæ Oxoniensis ornamenta non immerito numeraretur. Maturiore ætate dicitur se Sacrarum litterarum studijs totum consecrasse, & diuina eloquia quotidianis in scholis lectionibus explicasse, in concionibus præsertim ad Clerum, & demum emissis in lucem commentarijs, illustrasse. Scripsit enim in Canticum Moysis *lib. 1.* in aliquot psalmos, *lib. 1.* lectiones in Isaiam, *lib. 1.* Sermones ad Clerum Oxoniensem *lib. 1.* Quæstiones ordinarias *lib. 1.* De materia paupertatis *lib. 1.* & alia plurima. De eo Lelandus relatus, Balęus, Pitseus, Posseuinus, & alij.

Guillelmus Staphilartus.

6 Conuentus Sanctæ Annæ de Collares per quinque leucas ab Vlisipone distantis, & qui *Recollectus* in nostra Lusitaniæ Prouincia nuncupatur,

Conuentus Collares.

funda-

fundatio talis est, prout ex fida relatione P. Ludouici de Mertola eius Prouinciæ egregij Alumni, accepimus. Medicus quidam Eduardi Regis ob deuotionem erga Ordinem nostrum vnius Conuentus fundationem in suo testamento legauit. Inchoatus fuit in quodam Cassali *della Torre* dicto intra Oppidi *Cintra* nuncupati terminos: eiusque possessionem accepit Ioannes Emmanuel eiusdem Eduardi Regis filius, & Lusitanæ Prouinciæ tunc Prior Prouincialis, & postea Septensis, & Guardiensis Episcopus, de quo sub ann. 1441. diximus. Re tamen maturius discussa visum fuit inceptum Cœnobium ad alium commodiorem locum iuxta Oppidum Collares in Monte alto, qui ramus est Montis *Cintræ*, transferre. Sic factum, adiectis quibusdam circumuicini territorij partibus, Sebastiano Vazco, & Agnete vxore donantibus, donationemq; acceptante Fratre Constantino Pereira insignissimi illius Nuñij Aluari Pereira Portugaliæ Comestabilis, de quo ann. 1431. dictum, consanguineo: qui hoc in loco vitam Eremiticam, Carmelitarum propriæ, per aliquod tempus, sanctè, & solitariè viuendo, peregit; qui & creditur ab ipso Nuñio ad Religionem tractum venisse. Tempore sequenti non pauca hæc Sacra Domus incrementa accepit, & cum primo sub Vicariæ titulo cepisset, postea Prioratus appellari meruit, de quo in sequenti Tomo plura dici poterunt, Deo afflante. Sed hoc tempore non prætermittendum, quod in hac Religiosissima Æde sepultus iacet Fr. Stephanus à Purificatione, vitæ sanctimonia tam præclarus, vt pro ipso in Sanctorum, vel Beatorum numero ascribendo Acta extent Romæ apud S. Congregationem Rituum sub Vrbano Octauo.

Ann. Christi 1458. Callixti 3. Roman. Pontif. 4. Frideric. Imperat. 19. Ioannis Soreth Generalat. 8.

Papæ obitus 1 Bijt hoc anno Alphonsus Aragoniæ, & Neapolis Rex, magnis animi, & corporis dotibus celeberrimus, à cunctis etiam ferme Scriptoribus commendatus, vno vix excepto Spondano, qui frigide nimis de ipso sæpius loquitur. Obijt etiam paulo post Papa Callixtus octauo Idus Augusti, & ad tertium nonas Septembris in Sede Petri collocatus est Aeneas Siluius, doctrinæ fama toti Orbi clarissimus, qui Pius Secundus appellari voluit. Pandulphus, Gordonus, Bzouius. Ab hoc etiam Pontifice aliqua priuilegia Ordo noster obtinuit, vt ex sequentibus notum erit.

Ioann. Miluertonus. 2 Ad hunc Papam Ioannes noster Miluertonus ea ætate in Anglia celebris, librum sub hoc anno scripsit contra Reginaldum Peccocum, qui temerè errores plures in ea Prouincia sparserat. Fuit hic Peccocus primum Asaphensis Episcopus, deinde Cicestrensis: cum autem in prædictos pro-

prolapsus esset errores, Miluertonum nostrum strenuè contra illum prædicantem, disputantem, & scribentem videre meruit. In hoc ergo libro ad Pium Papam nuncupato Peccoci accusationem, articulos, processum, & sententiam condemnatoriam comprehendebat. Balęus *in Catalogo Centur.* 8. *in Appendic. ad præfatum Reginaldum*, Pitseus *Æt.* 15. *n.* 885. De eo etiam dicimus annis 1467. & 1486.

3 Interim venerandus Sorethius noster vigilantissimus Pastor, Ordinis visitationi incumbens vbique reformationem religiosam introducere conabatur. Quippe ea tempestate vetustissimi Ordinis disciplinam nauiter excolere, feruentius augere, immo etiam, vel solo suo antiquitatis pondere aliqua ex parte collabentem, restituere necesse fuit. Videbat enim Mantuanæ Congregationis Patres, & Conuentus titulo reformationis vitæ ab obedientia seiunctos esse Prouincialium, iureque similes in Ordine timere poterat quotidie nouitates pullulare, nisi ad meliorem vitæ rationem traheretur. Hinc toto corde, & animo iniuncto sibi à Deo oneri inuigilabat. Sed ò Deus, & Cælites, quot in hoc opere fuerunt Dei seruo toleranda discrimina, quanti labores exantlandi, quot lachrimæ effundendæ, quot adeunda pericula, itinerum anfractus superandi, & subeunda vitæ damna? Id mirabile, simulque humilitatis, & mansuetudinis illius singulare documentum, quod sequitur. Cum Siciliæ Conuentus inuiseret, videns in itinere eius Socius, sui, & comitum periculum captionis à barbaris, & pyratis, pertimescere cepit. Sed seruus Dei, quid, inquit, reformidas? Nempe, quod capiemur vterque? Tu quidem Regi futurus eris ob tuas dotes gratissimus æque, & charissimus, ego vero, seu vile mancipium in miseram seruitutem abducendus. O vere humilitas, quæ à Deo humilium Protectore, promereri potuit Sorethij, & Sociorum à captiuitate libertatem. Erat hic Ioannis Socius alter Ioannes de Arundine, vir etiam insignis. Generalis Soreth.

4 Quo etiam anno Romæ die 6. Iulij concordia facta inter Reuerendiss. Ordinum Mendicantium Generales anno 1435. Basileæ, vt eo anno diximus, approbata, recepta, & confirmata fuit per Reuerendiss. Martialem Auribelli de Auinione Generalem Prædicatorum, Iacobum Sarzuela Generalem Minorum, Alexandrum de Saxo Ferrato Ordinis Heremitarum S. Augustini Vicarium Generalem, ac Paulum de Panormo Ordinis nostri Generalem Vicarium, & Procuratorem in Curia Romana. Habetur hoc instrumentum in Archiuio Transpontinæ. Concordia Generalium

5 Florebat ea tempestate in Ordine Pater Ioannes de Platea insignis Theologiæ Professor, & quod pluris est, probitate vitæ, zeloque Religionis reformandæ præclarus. Vnus hic Venerandi Ioannis Soreth operarius fuit, cui comperta dudum singulari eius doctrina, & probitate in omnes Conuentus tam reformatos quam reformandos Vicariam Generalis potestatem delegauit, quod maximè credimus accidisse pro eo tempore quo Generalis in Italiæ partibus morabatur. Is erat è Mechlinensi Con- Ioannes de Platea.

uentu Alumnus, & eiusdem Cœnobij factus Prior. Forsan etiam is idem erat, ac Ioannes quidam, qui etiam fuit Prior Helmensis nuncupatus, quem cum Sorethius noster aliquando titubantem videret circa onus Superioratus deponendum, quod reformationis nomine, cuius erat ipse studiosissimus, turbas ab alijs videret in se concitatas, ei dixit; *Macte animo, nihil est quod improborum odia extimescas. Hoc enim habet, quod recti diligunt te, & hæc tibi laborum merces*. Quo verbo confortatus, paratum se deinceps ad omnia prompto animo subeunda testatus est. Ex vita Ioannis Soreth ex Vbaltero de Terra noua extractæ. De hoc etiam Ioanne de Platea Palæonydorus *lib. 3. cap.* 14.

Dionysius Stephani.

6 Florebat etiam hoc tempore Dionysius Stephani Episcopus Rossensis, necnon Suffraganeus Leodiensis, ex Carmelo Thenensi in Belgio Alumnus. Relatio huius Prouinciæ. De eo etiam Biscarretus, scribens in nostro Monasterio Leodij sepultum iacere insigni sepultura, quam vidit.

Ann. Christi 1459, Pij 2. Roman. Pontif. 1. Frideric Imperat. 20. Ioann. Soreth Generalat. 9.

Papæ zelus

1 PRofectus est Pontifex Pius Secundus anno sequenti 1459. Mantuam, celebrãdi ibi Concilij causa pro bello contra Turcas indicendo, & recuperandis Christianorum Vrbibus à barbaris captis. Rem tamen perturbauit, vt solet, dissensio Principum Europę. Nauclerus, Platina, Pandulphus, Gordonus. Interim sancto zelo, ac diligentia Ioannis Sorethij Generalis plures à Papa Mantuæ commorante obtentæ concessiones,

Argentinus Conuentus.

2 Prima: cum Argentinense nostri Ordinis Cœnobium, varijs bellorum ex hostium incursibus calamitatibus, & tumultibus multa passum fuisset incommoda; pro translatione ad commodiorem locum Ordo Pontificem exorauit; & annuit Pius Diplomate dato sub hoc anno Kalendis Nouembris.

Regulæ moderatio.

3 Deinde, cum ex Bulla Eugenij Quarti, de qua anno 1432. egimus, in qua Ordinis nostri Regula ab eo moderata fuit, haberetur, posse Patres nostros tribus diebus singularum septimanarum, etiam quibus ieiunare, iuxta ipsius Ordinis instituta Regularia, tenebantur, præterquam in Aduentu, & Quadragesima, ac alijs generalibus diebus, carnibus vesci, liberè; & licitè; & à nonnullis Ordinis Professoribus in dubium reuocatum fuisset, an illis diebus, quibus esus carnium permittebatur ad ieiunium Regulæ essent obligati, cum Eugenius id non expresisset, quamuis in petitione ad ipsum facta vtrumque postulatum esset; ideo exhibita Pio Papæ petitione pro dubij declaratione, Pontifex conscientiarum quieti, & tran-

quilli-

quillitati consulere volens, Generali pro tempore existenti concessit, vt cum Fratribus nostris, personarum, locorum, & temporum qualitate attenta, iuxta conscientiæ suæ arbitrium dispensare posset. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per Nouolariam collecto pag. 7.

4 Item pro reformatione introducenda (quod præcipuè intentum Reuerendissimo Generali Soreth erat) cum nonnulli Ordinis nostri discoli Fratres excessus committere, Regularibus Institutis obuiare, necnon domorum, & Conuentuum Ordinis reformationi non solum contradicere, sed etiam pro suæ rebellionis defensione parentes, amicos, & Dominos temporales adire, suorum status, & salutis immemores, minimè vererentur; cum ad Papam pro remedio opportuno recursus habitus esset; facultatem commisit Generali, & Prouincialibus Ordinis, prædictos Fratres reformandi, & ad meliorem vitam reducendi, hortans etiam vniuersos Prælatos Ecclesiarum, Dominosque temporales, ac Papæ subditis præcipiens, vt pro prædicta reformatione introducenda, pro correctione, & punitione disculorum, & incorrigibilium, fauorem, & præsidium prædictis Generali, & Prouincialibus præberent. Insuper, tam vniuersi Ordinis Professoribus, quam alijs quibuscunque extraneis, siue Ecclesiasticis, siue sæcularibus cuiuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel conditionis existerent, sub excommunicationis pœna solum in articulo mortis absoluenda, præcepit, ne reformationi domorum, aut personarum Ordinis, quouis quæsito colore, se opponere, aut illam impedire præsumerent. Habetur Bulla in Mari Magno Ordinis per prædictum Ioannem Mariam de Nouolaria collecto *pag. 16.* Papæ concessio.

5 Insuper, cum prouidus Generalis Soreth Papæ exposuisset, qualiter, ipso procurante, ex debito sui Officij, Ordinis reformationem, nonnullos rebelles, huiusmodi sancto proposito calcitrantes debita castigatione ad frugem melioris vitæ reducere non posset, quo fiebat: vt Fratres discoli, atque proterui correctiones Regulares contemnerent, aut subire nollent, quin etiam ad iniurias, minas, & verba quandoque prorumperent, aut interdum in Apostasiam prolaberentur, & propterea de opportuno remedio postulasset; Pontifex concessit ipsi, & eorum successoribus, ac Prouincialibus Ordinis facultatem procedendi contra prædictos criminosos, & discolos, non solum pœnis in nostris statutis contentis, sed etiam acrioribus, tam per ipsos, quam per locorum Ordinarios, eorumque Vicarios, Officiales, & Ministros exequendis: ita tamen, quod si quæstionibus subijci deberent, vel tormentis, id non fieret nisi cum duorum ex Fratribus antiquioribus præsentia. Rogans etiam, requirens, & exhortans omnes Ecclesiarum Prælatos, cœterosque Dominos temporales, vt Prælatis Ordinis ad prædictorum Fratrum correctionem, & castigationem faciendam auxilium, & fauorem impenderent; Quod concedit fieri posse, absque alicuius sententiæ, censuræ, vel pœnæ incursu. Habetur Bulla in prædicto Mari Magno Ordinis *pag. 18.* Alia.

Gesta Generalis.

4 His Apostolicis armis contra rebelles, & discolos Ordinis munitus Ioannes noster Sorethius, totis viribus, Ordinis ad pristinum statum reductionem pro sui debito officij, ardentique, quo fulgebat, reformationis zelo, procurabat, in Gallia præsertim, Belgio, & Germania, Gallus ipse ex Northmania oriundus, certans pro iustitia vsque ad mortem, quam ab impijs, & sceleratis perpessum veneno accepto, vt sic à Deo sui zeli coronam, vt piè credimus, promereri potuisset, dicemus circa annum 1471.

Alia de ipso.

5 Sub eodem quoque tempore, vel circiter, solicitatorem eodem Sorethio, concessit Pius Secundus, vt de S. Angelo Martyre in Ordine nostro Officium fieret. Habemus hoc ex Balæo, qui in Catal. Sript. *Brittan. Centur. 8. in Gullelmo Botoner* loquens de Pio Secundo dixit: *Angelum Hierosolyma natum Carmelitam Martyrem, Canonizauit, solicitatore Ioanne Soreth.* Verbum enim *Canonizauit*, apud hunc Auctorem idem valet, ac Officium concessit. Idem etiam colligitur ex eo, quod in antiquo Ordinis Breuiario M.S. anno 1462. per Fratrem Yuonem Iohelis Brittonem ponitur in Kalendario ipse *S. Angelus*, authoritate videlicet, vt creditur Pij Secundi tunc regnantis.

Conuentus Lucæ.

6 Separatus est hoc anno Conuentus Lucæ à corpore Religionis, & Iurisdictione Prouincialium, & datus Congregationi Patrum Mantuanorum auctoritate Pij Secundi, litteris datis, quæ incipiunt. *Volentes bonorum*. Sic ex relatione Congregationis.

Ann. Christi 1460. Pij 2. Roman. Pontif. 2. Friderici Imper. 21. Ioannis Soreth Generalat. 10.

Apparatus belli inutilis.



1 Magnus belli apparatus contra communem Christianitatis hostem Turcam, Papa in Conuentu Mantuæ congregato, solicitante, promittebatur, auspicantibus Hungaris, Germanis, Italis, & ex Principibus Ioanne Aragonum Rege, Burgundiæ Duce, & alijs. Inania tamen hæc promissa extitisse, effectus ipse manifestauit. Gobellinus, Spondanus. Sub isto anno, testante Paulo Langio *in chronico*, Augustæ nostrum Monasterium conflagratum igne fuit. Veruntamen, cum in nostris historijs nihil tale inueniatur, nec Bartholomeus Eiselim, qui Conuentuum Germaniæ ad Reuerendissimum Theodorum Stratium relationem misit, aliquid de huiusmodi conflagratione scripserit, etsi varias eiusdem temporis, & hominum iniurijs mutationes retulerit, ideo fides maneat apud Langium. Ad minus tamen, etsi aliquam tunc ruinam passum sit egregium Monasterium, postea tamen renouatum, & Augustissimo templo decoratum, vel ipsum, quod

quod hac nostra tempestate visitur, etsi ab alijs occupatum ostendit.

2 Hoc etiam tempestate nouum á fundamentis Monasterium in Montibus prope Auernacum sitis, construebatur. Situm loci sic describimus. Eremus est, & solitudo, altis, præruptisque, rupibus collium asperitate inæqualis, difficilem aditum per angustos calles illuc venientibus, exhibet. Rarus proinde est, qui sinus montium ausit penetrare. Eo in secessu grata tamen camporum est virens planities, qua arbustis, qua vinetis, varijsque leguminibus germinans. Ea loci solicitudo, variegantibus herbis, florum amænitate, fontibus, quoque limpidissimis, passim interfluentibus mirabilis; fœlicioris philosophiæ auidos, abdicatis omnibus terrestribus bonis ad cælestium rerum contemplationem, gratius inuitat. Sacer hic horror, alto silentio, & inculta simplicitate sic pietatis sensus illuc diuersantibus conciliat, vt plane prorsus ad vitæ Monasticæ oblectamentum, à Deo factus, videatur. Accessit eo Generalis noster, venerandus Ioannes Soreth, & speciem noui ædificij, quasi nouam reformationem, quam in Ordine moliebatur considerans, locum nouum Carmelum Eliæ, & Eliadum nobilitatum hospitio pene extra se positus amplectebatur. Et eam domum, *Montium Carmeli* nomine nuncupatam, melioribus auspicijs optabat exurgere, quam verum Carmeli Montem, quem efferatam Sarracenorum rabiem conuictu antiquorum nostri Ordinis Patrum priuasse pijs lachrimis deplorabat. Sic haurimus ex vita eiusdem Ioannis Soreth ex Vbaltero de Terra noua extracta. Conuentus Montium.

3 Circa idem etiam tempus Richardus Messinus Episcopus Dromerensis in Hibernia ex Ordine nostro assumptus, & cui Ius episcopatus alter Ordinis eiusdem nostri quoque alumnus Thomas Scroppus cesserat, vt diximus anno 1449. Clarus computatur. Natione Anglus, vir pietatis, & eruditionis laudibus insignis. Quorum intuitu Episcopatu donatus. Putat Lelandus multa scripsisse, sed nec titulos operum ipse ponit, nec hucusque inuenimus. Eboraci tandem in Anglia inter suos, & nostros Carmelitas mortuus, & sepultus, dicitur. Sed quo anno id acciderit ignotum. De eo scribunt Lelandus apud Pitseum, Balæus in Catalogo, gesta Thomæ Scroppe in Episcopatu prædecessoris scribens, & Pitseus. Richardus Messinus.

4 Inter claros Ordinis viros pro hoc tempore censetur Simon Hermannus Harlemensis Batauus, qui scripsit Copulata sermonum lib. 1. & de votis monasticis. De eo Sucuertius, & Relatio Prouinciæ Belgicæ. Simon Hermannus.

5 Conuentus S. Fœlicis nostrorum PP. Mantuanæ Congregationis ab hoc anno fœliciter auspicia recensentur, sub fœlicissimo maximè Mantuæ Principum patrocinio; cui suffragium præstit Dom. Cardinal. Franciscus Gonzaga. Instituta est in eo Confraternitas sub M. Thoma de Carauaggio Vicario Generali; qua magis exciti incolæ loci Ecclesiæ fabricam in ampliori forma, & duobus altaribus sub titulo S. Mariæ Annunciationis construere potuerunt. Tantum etiam Ecclesiæ, & Conuentus situs Conuentus S. Fœlicis.

ampli-

amplitudinis; & obseruantiæ decoris habuit, vt merito pro instituendis nouitijs, eo quoque quod à sæculari strepitu seiunctus sit, electus fuerit. Gaudet etiam claustro longitudine, & latitudine perfecto, cellulis, officinis, viridario, & vineis. Sic ex relatione P. M. Baptistæ Guarganti habemus.

Ann. Christ. 1461. Pij 2. Roman. Pontif. 3. Frideric. Imperat. 22. Ioannis Soreth Generalat. 11.

Gesta hoc anno.

1 FErdinandus Neapolitanus, qui à Patre Alphonso Rege Neapolitanum Regnum acceperat, cum ab Andouino Renati filio bello vrgeretur, opem ferente Scandebergo Albaniæ Principe, ac Insigni Duce, Regnum recuperat, deficientibus ab Andouino Italis. Iouius, Pontanus, Gordonus.

Ioann. de Vernone.

2 Obijt ex nostris Carmelitis iste anno Ioannes de Vernone Gallus Parisiensis Cœnobij Alumnus, & Doct. insignis. Eius memoria à multis annis reperitur in Lib. Ord. & Capit. Generalib. etenim in Capitulo Appaniarum an. 1425. Nannetēsi an. 1430. & Rauespergensi an. 1434. vocatur Magister vacans Conuentus Parisiensis: & eiusdem Cœnobij Prior in Capitulo Generali Rom. an. 1447. ac Auenionensi an. 1451. Deinde in Parisiensi anno 1456. vocatur Diffinitor Prouinciæ Franciæ. Hic plurimum ampliauit nostri Carmeli Parisiensis Bibliothecam, plurima enim comparata volumina, vel à se scripta ibi reposuit. Eam tamen cursu, & varietate temporum diminutam valde postea amplificauit Dom. Benignus Bernad Baro de Boues, prout in voluminibus ipsis, in quibus eius stemmata apparent, cernitur. Scripsit non pauca, quibus sui ingenij, & doctrinæ testimonia reliquit. Videlicet: Lecturam super sententias *lib.* 4. in Apocalypsim Sancti Ioannis *lib.* 1. Quæstiones ordinarias *lib.* 1. Publicas Lectiones *lib.* 1. atque alia. Obijt tandem Parisijs. De ipso scribunt Bostius, Gesnerus, Posseuinus, & Biscaretus.

Generalis Soreth.

3 Erat quod sub hoc tempore charitatem, zelum, prudentiam, & patientiam venerandi nostri Ioannis Soreth Generalis exercere potuit. Cœnobium etenim Coloniense inter grauiora totius Ordinis fere à sæculis cōputatum, litterarum exercitijs, & Fratrum numerositate insigne, à pristino splendore reformationis desciuerat, incrassatus enim dilectus recalcitrauit. Illud ergo sanctioribus institutis, ac veteri disciplinæ restituere volens pius Pater, selectos quosdam Iuuenes bene in Religiosa perfectione instructos, qui alijs etiam possent exemplo proficere; nouæ Coloniæ Dux ipse factus Coloniam adducit. Inibi aliquos reperit laxioris vitæ amatores, qui suo genio, atque ingenio assueti, mutationem in melius exhorrescentes, eò dementiæ

mentię processerunt, vt tanquam multa febre phrenetici insanientes in Medicum, qui venerat curare eos, Reuerendissimum Patrem viæ, ac vitæ comites, indignis modis excipere non erubuerint. Vix enim hospitio recipitur Pater Ordinis, & pij, probique Religiosi irridentur passim, & quod peius auditu, dicterijs, scomatibus appetuntur, & in angulum domus, velut terræ filij detruduntur. Solemni etiam die, cum Monasterij ambitus publica processione lustraretur, rebelles, votifragi, claustrum priores ingrediuntur, & ingressi statim fores occludunt, Reuerendissimum Generalem cum suorum serie, quos ipse sequebatur, foras temerariè deserentes. Quid faceret prudens Pastor? Is primum filios matris suæ ludibrio haberi considerans exemplo Christi, qui cum in propria venisset, sui eum non receperunt, consolatus est. Mox deinde aduertens, tam enorme scandalum iam passim in vulgus deriuari, perque omnium ora cum dispendio Ordinis currere, intimo doloris sensu perculsus, extremis malis extrema remedia adhibere constituens, contumaces Pontificia auctoritate, qua pollebat, anathemate ferit, omnibusque Sacris interdicit, vt pœnæ magnitudo cęteros à simili scelere deterreret. Hęc ex vita ipsius ex Vbaltero de Terranoua extracta *cap. 9.*

Ann. Christ. *1462.* Pij 2. Roman. Pontif. *4.* Frideric. Imper. *23.* Ioannis Soreth Generalat. *12.*

1 SOlemnis quædam Legatio à Ludouico Rege Francorum ad Papam Pium hoc anno missa, qua obedientiam ipsi debitam præstitit, & simul Siciliæ Regnum Francis restituendum postulauit, nec fauendum Ferdinando, qui illud possidebat. Renuit Pontifex id facere, & Rex contra illum indignatus, liberius ipsi rescripsit. Gobellinus, *Spondanus*. Interea Hispani, quorum Deus Imperium promouebat, ipsius adiutorio Heracleam, seu Gibraltarem de Mahumetanorum manibus eripiunt. Mariana, & alij Hispaniæ Authores. Gesta hoc anno.

2 Noster autem Generalis *Soreth* Coloniensium rebellione, de quo anno præcedenti diximus, commotus, hoc anno Comitia Generalia Bruxellis celebrari fecit. In quibus primum numerantur Diffinitores 16. Prouinciarum videlicet *Siciliæ*, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Cathaloniæ, Alemaniæ *Superioris*, Vasconiæ, Turoniæ, & Aragoniæ. A quibus, cum Generali taxatur Ordo pro expensis communibus. Ordinantur etiam Prouinciales 23. Prouinciarum, videlicet *Terræ Sanctæ*, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Romæ, Alemaniæ *Inferioris*, Lombardiæ, Aquitaniæ, Hispaniæ, (idest, Castellæ) Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Generalis gesta.

Thu-

Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cathaloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Daciæ, & Noruegiæ, Bohemiæ, & Poloniæ, ex quo habetur nouam Prouinciam *Daciæ*, & *Nouergiæ* nuncupatam in hoc Capitulo institutam, & Bohemiam, ac Poloniam vnam quoque tunc constituisse Prouinciam. Ordinati etiam sunt Lectores Parisiensium, Tholosæ, Auenionis, Monteispessulani, Florentiæ, Paduæ, Ferrariæ, Cadomi, Papiæ, Andegauis, Perpiniani, & Herfordiæ.

Decreta. 3 Quo ad decreta, inter alia, in primis declarati sunt excommunicati propter rebellionem Coloniæ factam Frater Ioannes Hubach, Frater Leopardus Hubas, & Frater Ioannes Miluer cum suis fautoribus, & ijs, qui cum ipsis communicassent. Adiudicati quoque ad perpetuos carceres, & condemnati ad restitutionem quorumdam bonorum. Item positum est perpetuum silentium super discordia terminorum Conuentus Bituricensis, & Castri, & Conuentus Bollaicensis, & Sancti Marcellini, Præterea ordinatum, quod nullus impetrare posset litteras à Prælatis, Principibus, vel Magnatibus pro mutatione status Conuentuum: vnde Prælati nostri Ordinis molestari possent.

Grauiores Patres. 4 Grauiores Patres, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt, Magister Ioannes Milueton Diffinitor, & Prouincialis Angliæ, Magister Ioannes Beetz Diffinitor Alemaniæ Inferioris, Magister Iacobus de Regio Prouincialis Terræ Sanctæ, Magister Paulus de Viscontis Prouincialis Siciliæ, qui postmodum Panormensis Archiepiscopus obijt; Magister Petrus de Noua Ecclesia Prouincialis Alemaniæ Inferioris, Magister Galliardus de Rupe Prouincialis Tholosæ: de quibus suis locis dicetur.

Colonienses absoluti. 5 Quamuis autem prædictos Patres Colonienses pius Pastor Ioannes Soreth, ob rebellionem contra ipsum, ipsiusque comites, perpetratam, tam acerbè pœnis, & diris punierit, postea tamen, multis honestis Viris, & in Repub. primarijs pro illis deprecantibus, ne error priori peior inde nasceretur, ad ingenitam benignitatem reuocatus, nefarios graui non magis, quam iusta sententia illigatos, clementer absolui permisit. Sed etsi hominum supplicia rebelles isti effugerint, diuini tamen nominis vindictam elabi non potuerunt. Nempe non multo post factionis auctor Hubachus, seu Humbarchus, & Sectarij omnes ad vnum, grassante per eam Prouinciam teterrima lue, repentino facto sublati, impietatis, & contumaciæ debitas pœnas dederunt. Quo in negotio Deum vindicem sanctitatis, & probitatis Ioannis Soreth animaduertere licet. Vita eiusdem Ioannis Soreth ex Vbaltero de Terra noua extracta *cap. 9.*

Palæonydor. sententia. 6 Astruit Palæonydorus noster *lib. 3. cap. 14.* in hoc Capitulo fuisse Statuta Ordinis innouata, approbata, & conformiter acceptata; eaque Generalem Sorethum in vnum collegisse. Cum tamen nihil istorum in actis huius Capituli scriptis habeatur existimandum voce tenus ea omnia facta, si ita contigit.

Breuiarium Ordinis. 7 Prodijt eodem anno Breuiariũ Ordinis, quod præ manibus habemus M.S.

M.S. opera Fratris Iuonis Ioelis Brittonis, de mandato absdubie Reuerendiss. Generalis Soreth. In Kalendario porro describuntur Ordinis nostri hi Sancti: *S.Cyrillus*, die 6. Martij, *S.Angelus* die 5. Maij, *S.Andreas* Episcopus 4. Iunij, *S.Eliseus* 14. Iunij, *S.Albertus* 7. Augusti. Id porro non sine authoritate Sedis Apostolicæ factum, vel vitæ integritas, ac doctrina Generalis Soreth sufficienter suadent.

7 Quo etiam tempore, vt veridicus Dei Propheta comprobetur. S. Angelus Hierosolymitanus, de cuius prophetia anno 1219. diximus, Turcæ in Vngaria, Vallachia, Dalmatia, Asia, & alijs Prouincijs progressus magnos fecerant contra Christianos. Bzouius, & alij. S. Angeli Prophetia.

Ann. Christi 1463. Pij 2. Roman. Pontif 5. Frideric Imp 24. Ioann. Soreth Generalat. 13.

1 Congressus Regum Franciæ, & Castellæ pro dissidio, quod erat inter Aragonios, & Catalanos componendo, ad oppidum fermè Fontarabiam habitus, hoc anno describitur. Mariana, Zurita, & alij, qui inutilem eum fuisse describunt. Melius Papa de bello Turcis inferendo consultabat; deliberatur expeditio, etiã ipso præsente, sed Deo permittente, in vacuum tractatus cedit. Spondanus ex alijs Leodij turbæ, & tumultus acciderunt hoc anno. Leodienses etenim contra suum Episcopum inique se gerebant, vt propterea ipse ditionem vniuersam Ecclesiastico supposuerit interdicto. Bzouius. Quo tempore euenisse videtur quod in vita Reuerendissimi Ioannis Soreth ex Vbaltero de Terranoua extracta cap. 12. reperitur. Videlicet, venerandum Patrem tunc temporis Leodij commorantem, cum nihil minus quam de mutuis eorum odijs, rixis, ac dissidijs cogitasset, Episcopũ adijsse. Quia tamen in seditiosa Vrbe nihil non facit suscipionem, rata stulta plebs Religiosissimum Patrem Episcopi partibus fauere, in eum irruit insano Spiritu, & qua pignis, qua calcibus, qua fustibus, & gladijs, eum insecuta, manifesto vitæ periculo vsq; ad suum Conuentum pertrahit: qua tamen patientia, ac resignatione id naufragij virtutis exemplar Sorethius noster pertulerit ex reliquis ipsius virtutibus, quibus à Deo honestabatur, conijci valet. Cum spirituali tamen animi lucro, dispendium corporis, cruento sanguine per os exundante, perpessum esse, post aliquot dies compertum est. Regum congressus.

2 Sub hoc anno 1463. insignis illa Francisca Ambasia Britanniæ Ducissa, & Petri Secundi Armoricorum Ducis, vidua relicta, de qua circa annum 1427. aliqua dicere cœpimus, à Patribus nostris Conuentus Bonidoni, vno à Veneto Amoricorum lapide dissiti, partem pomerij coemit, in eaque trium Mariarum titulo Ecclesiam ædificauit, cum Monialium Cœ- Francisca Ambasia:

nobiolo, aduocatis nouem Sororibus ex Leodio, permissu, & consensu Reuerendissimi nostri Sorethij Generalis, fama sanctitatis celebris, ob gesta relata, ac alia referenda. Ibi Sanctimoniales commorantes Christi odorem, vbique spargunt. Peste verò locum molestante, aufugit Francisca, in locum Rupij fortis, vbi coram matre sua, ac populo, dum in Ecclesia Sacerdos illi præsentasset pro cōmunione Corpus Christi, hęc clara voce protulit verba; *Promitto Deo Creatori meo, & Beatæ Virgini Mariæ, perpetuam castitatem, in cuius rei testimonium, ego recipio gloriosum, & pretiosum Corpus Domini nostri Iesu Christi, & vos omnes, testes appello.* Quo voto facto, contremuit terra, taut omnes aufugerent extra Ecclesiam, sola Francisca, coram Sacerdote impauida remanente, ac Communionem recipiente. Tandem post varia obstacula, diuina vi sublata, ipsamet Francisca, eisdem Virginibus aggregatur, vt infra, ad annum 1467. dicemus. Nunc solum de isto Trium Mariarum Monasterio, dicendum, translatum postea fuisse, ad Vrbis Venetensis suburbium, vbi iam demorantur, Opem ferente imprimis R. P. Gaffrido Stabonis, Conuentus nostri Bonidoni Alumno; tuncque Episcopo Tiberiadis, & Suffraganeo Cardinalis Quatuor Coronatorum, Venetensis Episcopi. Hæc porrò habemus ex Leone à S. Ioanne in delineat, Obseru. Rhedonens. *cap. 26. & 37.*

Petrus de noua Ecclesia. 3 Accidit eodem anno mors Magistri Petri de noua Ecclesia Prouinciæ Germaniæ inferioris sæpius Prouincialis, quē varijs casibus nunc huc, nunc illac in libro Ordinis iactatum conspicimus. Primo etenim Lector sententiarum designatus est in Capitulo Montispesulano anno 1420. Deinde Prouincialis Germanię inferioris dicitur in Capitulis Generalibus Nannetensi anno 1430. Rauespergensi anno 1434. & Astensi anno 1440. Missus est etiam à Capitulo Generali Rauespergensi ad Synodum Basileensem cū Generali Facio, ac Prouincialibus Angliæ, Romæ, & Lombardiæ. Post in Capitulo Cabilonensi anno 1444. Prouinciale quoddam Capitulū per hunc Magistrum Petrum habitum, irritum, & cassum declaratum est, & ipse grauibus pœnis à Generali addictus. Quia tamen, assumpto ad Episcopatum Regiensem Generali Facio, & electo in Generalem Magistro Sorethio anno 1451. postea in Capitulo Generali Parisiensi anno 1456. ipso Sorethio Pręside, iterum prædictus Petrus de noua Ecclesia Diffinitor, & Prouincialis Germaniæ inferioris nominatur, ideo credimus ad meliorē frugem reuocatum, gratiam tanti Prælati (quod non parua ipsius commendatio est) promeruisse, vt propterea etiam in Capitulo Bruxellensi Prouincialis eiusdem Prouinciæ iterum nominetur, & quantum conijci potest alienus comprobetur à rebellione Coloniensium in Patrem Ordinis. De hoc Prælato Paleonydorus *lib. 3. cap. 14.*

Conuentus Cremolini. 4 Conuentus de Cremolino Prouinciæ Lombardię fundatus scribitur hoc anno in relatione Conuentuum Italiæ sub Innocentio X. consentiente etiam Episcopo, & sub titulo S. Mariæ de Monte Carmelo.

Ann.

Ann. Christi 1464. Pij 2. Roman. Pontif. 6. Friderici Imper. 25. Ioannis Soreth Generalat. 14

1 E Vita hac temporali migrauit ad æternam hoc anno Papa Pius Secundus ad 17. Kalend. Septembris, dum toto animi conatu expeditionem contra Turcas parare nitebatur. Vir sane pius, & de Ecclesia satis benemeritus. Eius successor in Sede Petri fuit Cardinalis Petrus Barbus Venetus sub Pauli Secundi nomine Coronatus. Onuphrius, Gordonus, Bzouius. Paulus II. Papa.

2 Huius Pontificis famam veluti denigrare volens Balęus *in Catalog. Scriptor. Brittan. Centur.* 8. ait: *Multos eruditos non possessione sua tantum priuauit, verum in carcerem coniectos, tormentis acerbissimis subiecit inter quos fuerunt Baptista Platina, & Myluertonus Anglus Carmelitarum Prouincialis*. Sed cum nausea audiendus est iste Baleus cum de Romanis Pontificibus loquitur. Ipsorum enim est veluti iuratus hostis, & blasphemus historicus. Quid autem Paulus cum nostro Myluertono egerit in sequentibus discutiemus, alijs relinquentes, quæ cum Platina. Balęi improbitas.

3 Fuit etiam huius Pontificis Confessarius, sicut & Nicolai V. Magister Paulus de Visconte Ordinis nostri Siciliæ Prouincialis & Capitulo Generali proximè acto anno 1462. constitutus; vnde vel resignato, aut completo Prouincialatu, Papæ adfuisse credendum. Gesnerus, & Posseuinus.

4 Clarus etiam erat sub eodem anno Angliæ Henricus Parcherius, vel ParKer, Ordinis nostri celebris Pater, & sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis; quo tempore dum Londini ad D. Paulum è suggestu pro concione Christi paupertatem omnibus, & maxime personis Ecclesiasticis, commendaret, acerbè inuectus est in Clerum sæcularem; & Ecclesiæ Prælatos superbiæ, fastus, ambitionis, accusauit. Cuius exempla sequuti Thomas Holdenus eiusdem Ordini nostri, & Dominicanus quidam Pater in suis concionibus similia protulerunt. Indignati porrò contra eos Episcopi, auctoritate, & potentia vsi carceribus manciparunt. An id iure, vel ratione an potius vi fecerint sicut an ij Patres zelo charitatis moti, an imprudentiæ ducti, similia proclamauerint, Dei rectissimo iudicio remittendum; hoc nobis certum, Concionatoris munus esse vitia populi reprehendere, cum sale tamen discretionis, cum de Prælatorum vitijs agitur. De hoc Patre, & Doctore iterum circa annum 1470. cum Pitsæo, & Lelando. Henricus Parcherius.

5 Mors contigit sub hoc anno nostri Ioannis Faci Generalis quondam, & postea Episcopi Regiensis. De quo extat hoc Elogium à Simone Bartelio Presbytero Regiensi Theologo in Chronologia Episcoporum Regiensium descriptum, & ex ipso desumptum. Michaeli de Bol- Elogium Ioan. Faci.

lerijs successit in Sede Regiensi Frater Ioannes hoc nomine Tertius, cognomine verò Fassi, vt colligere est ex Actis Anniuersariorum veteris Codicis Regiensis: quibus testatum relinquitur ipsum Ioannem Fassium supremæ voluntatis dispositione annuam per situationem pro Sacro Missæ Sacrificio singulis annis proprio obitus die V. C. Regiensi legasse. Ioannes autem, ex Religiosissima Beatissimę Virginis de Monte Carmelo Familia, ob egregia pietatis, & doctrinæ merita commendatissimus, ad summos honorum apices est euectus. Is quidem Sacrum illũ Ordinem Auenioni Professus tantum ea in Religione profecit, vt breui tẽporis interuallo totius Ordinis sui Generalis Minister, Cap. Generalis Ratisbonę in Germania celebrati assensu die ipso Sacrosancto Pentecostes, non tam hominũ votis, quam Spiritus Sãcti inspiratione fuerit electus anno Christi 1430. Eo enim in munere tanta non solum totius sui Ordinis laude, sed omnium penè admiratione se gessit, vt per decem, & nouem annos continuos, nullus eidem in eadem Præfectura fuerit suffectus. Romæ præsertim eius summa virtus enituit: vndę Eugenio Quarto Summo Pontifici maximè charus fuit, à quo primo Sedis eius anno mitigationem quamdam Regulæ Carmelitanæ quoad esum carnium impetrauit. Ab eodem etiam Pontifice, Sedis vero eiusdem quinto, priuilegium obtinuit, vt totius Ord. Carmelitani Præfectus, Prouinciales, & Cœnobiorum Priores, eandem in suos Religiosos haberent auctoritatem, quam ex officio Sanctæ Sedis Apostolicæ Minores Pœnitentiarij habent in Curia Romana. Ter Ioannes suorum Religiosorum Comitia diuersis in locis conuocauit. Primò quidem, in Astensi Æmiliæ Cœnobio anno 1440. secundò verò, in Monasterio suo Cabilonensi ad Ararim anno 1444. tertiò denique, Romæ anno 1449. in quo tam multa pietatis, & prudentiæ dedit testimonia, vt in demortui Michaelis de Bollerijs Sedem Regiensem à Nicolao Quinto Papa eodem anno fuerit ordinatus. Cum igitur ex Cœnobio ad Pontificium Regiense assumptus esset, sui Ordinis Ioannes non est oblitus, imo dicto Nicolao Quinto Papæ, ob pręclaras animi dotes perfamiliaris esset, ab eo in suorum Carmelitarum fauorem, priuilegij ab Eugenio Papa iam dicto concessi de Confessionibus à suis audiendis confirmationem, eiusdem Nicolai anno secundo, & ab eodem de decimis à suis Religiosis non soluendis priuilegium obtinuit. Nec tamen spiritualibus beneficijs tantum suum Ordinem cumulare, sed temporalibus etiam ædificijs illustrare maximè curauit. Multa enim in suo toto Ordine, sed præsertim in proprio Auenionensi Monasterio, vbi primum sæcularis habitum, & nomen exuerat, pietatis & liberalitatis monumenta reliquit: inter quæ maximum Æs Campanum in Pontificij Galerij formam confectum, quod adhuc æris fusilis opificibus admirationę est. Labrum etiam ęneum pręgrande, quod asseruandæ lustralis aquæ in dicti Cœnobij Basilicæ ingressu adhuc vsui est. Plurimarum quoque ad Sacra mysteria, & ministeria peragenda vestium supellectilium; multa denique ædificia in eodem Cœnobio, quæ adhuc nostri Præsulis Gentilitijs stemmatibus fulgent

fulgent, à fundamentis excitauit. Eius autem insignia hac nota distincta visuntur, Arcæ aureæ fassia cerulea, tribus rosis argenteis æquali spatio distincta, superponitur. Et hæc sanè à doctissimo, & Religiosissimo Patre Philiberto Fesayo Carmelitanæ familiæ Magistro Prouinciali, Sacræ Theologiæ in Academia Aquensi Regio professore, me vt ab humanissimo viro, ita & mei amantissimo, accepisse profiteor. Vnum tamen est, quod & de hocce Fassio Præsule Regiensi, beneuolum Lectorem monitum velim; tandē scilicet in eo, ac in Sanctis Prospero, & Maximo Regiensibus Antistibus, Sedis, ac Ciuitatis nomine controuersiam exortam esse. Regium enim Lepidi in Æmilia Regij Apollinaris secundæ Narbonensis Prouinciæ semper æmula non solùm hoc nostros Diuos Tutelares Prosperum, & Maximum, sed, & hunc Fassium, de quo agimus, sibi vendicare non scriptis modo, à multis Authoribus Italiæ vulgatis, sed, & litibus grauissimis, & importunissimis, cum Religiosis Carmelitanæ familiæ nostræ Prouinciæ contendere non erubuit. At vt in hoc Fassio, quem præclara eius monumenta superius à me descripta, & visa sæpius, Auenionensis Cœnobij Filium, & Patrem, ac Regij nostri in Prouincia Narbonensi Præsulem fuisse satis superque prædicant, hallucinati sunt Authores, qui in Regij Lepidi laudem scripserunt, ita & in Sanctis Prospero, & Maximo, maximè deceptos esse asseuerare non dubitamus. Atque vt tandem ad Ioannem nostrum redeat oratio, vix dum Sedem ipsam conscenderat, cum emergentem litem inter ipsum, & Capitulum Regiense, honoris, & reuerentiæ causa honoraria sententia, electis vtrinque Arbitris, sopiuit, anno sedis primo 1450. Noster autem Ioannes anno Pontificij sui septimo Synodo Prouinciali à Petro Flussatensi Episcopo Albanensi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Apostolicę Sedis Legato Auenionensi ibidem conuocatę interfuit, & subscripsit cum Roberto Ambianensi, Aquensi Archiepiscopo, Petro Nassondi Aptensi, Georgio Senensi, Gaucgerio de Forcalquis Vapinc. Nicolao de Branquais Massilien. Petro Turelura Dignien. Petro Marino Glandeten. Palemide de Carreto Cauallensi, Pontio de Sauze Vasionen. Stephano Tricastrino, Guilielmo Soyberti Carpentor. Ioanni Aurasicen. Cuius Synodi extant Canones in Autographo Illustris D. Iosephi Marię Soaris Præpositi Auenionensis primum meritissimi, nunc verò Vasionensis Episcopi Illustrissimi. Anno verò 1460. & die 6. Augusti cum eodem Capitulo Pręposito, & Sacrista Regien. pro Sacristiæ fructibus exortas controuersias transactione absoluit. At cum Visitationis munus Domino Episcopo iure ipso incumbat, illudque proprijs sumptibus obire par non sit, dictę Visitationi pretium quoddam constituit, aut cibariorum pro Domino Episcopo, & eius necessario competentem exhibitionem. Per annos quatuordecim Sedis Antistes, & exitum vitę sortitus est anno 1464. hęc Bartelius.

6 Scribebat hoc tēpore noster insignis Baptista Mantuanus post Religionis ingressum eglogā 9. de moribus Curię, & 10. de Fratrum obseruantium, & non obseruantium controuersia, ac soluta Oratione dialogum de vita Beata. *Baptista Mantuanus.*

Sic

Sic colligit Balęus *in Cathalogo Centuria 8. in Appendic. ad Ioannem Phream.*

Ann. Christi 1465. Pauli 2. Roman. Pontif. 1. Frideric Imperat. 26. Ioannis Soreth Generalat. 15.

Legatio Imperat. Turc.

1 Iserat Turcarum Imperator solemnem Legationem ad Ferdinandum Siciliæ Regem, qua ab ipso inter alia confœderatio postulabatur, & subsidium octingentorum millium aureorum pro singulis annis promittebatur, si in Italia bellum contra aliquem Principem mouere vellet. Sed bonus Princeps Romanum Pontificem consuluit, & pactum non acceptauit. Papiensis, Soondanus.

Conuentus Gauij.

2 Eo anno Conuentus noster Gauij, qui iamprimum extra Burgum situs erat, intra Burgum translatus, auctoritate Pauli Secundi, procurante Georgio de Bruno eiusdem Conuentus Priore, & ad instantiam D. Spinetę de Campo Frogosio tunc Gauij Domini, & occasione etiã donationis vnius domus cum sedimine, & puteo, ac omnium bonorum suorum factæ à Thoma Borlasca de Gauio pro construenda Ecclesia intra præfatum Burgum sub inuocatione Diuæ Virginis Annunciatæ. At quamuis tunc temporis prædicta Ecclesia constructa fuerit, Monasterium tamen habitatum non fuit à nostris vsque ad annum 1530. vt ibidem dicemus.

Ioannis Soreth gesta.

3 Graue gliscebat circa hoc tempus dissidium Leodij inter Carolum Burgundum Philippi Ducis filium, & Ludouicum Regem Galliarum, occasione Ludouici Borbonij electi Leodiensium Episcopi, quem Carolus affinis aduersus rebelles Borbonio Leodienses adiuuabat. Bzouius, & Spondanus. Qualiter autem eo tempore in ijs dissidijs noster Generalis Sorethius, & quomodo se gereret pro reuerentia Episcopis debita tuendã, vita ipsius ex Vvaltero extracta, sic exprimit. *Ea ipsa Ciuitate cum vice altera populares aduersus Antistitem immani furore denuo rebellantes videret, Beatus idem Pater nulla pericula, nullum mortis genus, vbi Dei cultus, & animarum salus ageretur, pertimescens, prompto animo ingerit se in mediam Concionem, & subditorum pertinaciam acerrimè increpat. Sed enim tumultuans multitudo vocem sapienter in cantantis aspernata, in loquentem irruit; quasi vero innocentis caput publico furori immolare pretium esset: & vero nihil propius fuit (nisi Deus cauisset) quam vt in vitæ discrimen adduceretur. Is enim cælesti pręsidio securus excipit furentes: iugulum petentibus obijcit, & pro Christo emori cum optaret, nudato pectore, en scopum, inquit, vibrate sicas, impingite vulnera, mortem Christi nomine pati nil recuso; vitam iustæ causæ profundere duco gloriosum: agite, vt vel meo Sanguine humani sanguinis sitientes exatiem, Meum cum Christi cruorem miscere erit gloriosum, dummodo*

modo hic sistat vester furor. Obstupuerunt attoniti milites, & viri, cui tam esset spiritus, mirantibus constantiam, excidunt gladij, fluunt arma de manibus.

4 Huius autem belli occasione, vt credimus, actum est, vt Sanctimonialium Ordinis nostri Monasterium in Oppido *Dionatensi*, Leodicensis Diœcesis, vna cum dicto Oppido funditus dirutum, & solo æquatum fuerit. Vt propterea Ludouicus Leodiensis Episcopus aliud ipsis Monasterium concesserit in Oppido Hoyensi dictæ Diœcesis. Adijciens item, quod prędictæ Sanctimoniales in posterum possent pro Rectore Ecclesiæ parochialis Sancti Germani eiusdem Oppidi præsentare Religiosum aliquem ex Conuentu nostro Leodiensi, dum in obseruantia viguerit, vel eodem Conuentu ad laxiorem vitam declinante, ex alio proximiore reformato. Quæ omnia Paulus 2. Papa confirmauit, & Leo Decimus anno 1521. concedens etiam Monialibus magnum priuilegium, quod eo anno referimus. Bulla Leonis 10. in Archiuio Transpontinæ. Monasteriū Dionate ase

5 Eodem anno Ferrariæ Magister Iulianus de Brixia in Vicarium Generalem Mantuanæ Congregationis electus est. Fuit Vir grauissimus, virtutibus plenus, & Theologus insignis: qui propterea Theologica quædam, & orationum, ac Epistolarum libros scripsisse referatur. Interfuit Capitulo Generali Astæ celebrato anno 1472. veluti Socius Generalis Christophori Martignoni tunc electi: quia tamen diuisioni Prouinciarum factæ in eodem Capitulo se opposuit, declaratur in Capitulo Brixiensi inhabilis ad Officia Ordinis. Fuit etiam Prouincialis Venetiarum, & Bononiæ. Aliqua etiam Monasteria Dominij Veneti Congregationi Mantuanæ aggregauit. Eum commemorat Posseuinus ex Arnoldo Bostio, Biscarretus *in suis Palmitibus*, dum loquitur de Christophoro Martignono Generali, & in ipso Iuliano, vbi etiam dicit vixisse ann. 1579. volens sine dubio dicere vixisse ann. 1479. Alia de ipso in sequentibus. Iulianus de Brixia.

Ann. Christ. *1466.* Pauli 2. Roman. Pontif. 2. Frideric. Imper. *27.* Ioannis Soreth Generalat. *16.*

1 DAmnauit Pontifex Paulus isto anno Georgium Poggebrachium Bohemiæ Regem, Regnoque priuauit, ob hæresim Hussitarum, substituto in Regem Mathia Hungaro. Palmerius, Genebrardus, Gordonus. Ad hunc annum consignatur mors Georgij Castrioti, seu Scandebergi, *Turcarum terror* nuncupati, qui ex omni certamine victor, & sine vulnere exijt. Gordonus ex authore eius historiæ. Gesta Papæ

2 Interea zelus Sanctæ Reformationis, quam fœliciter inceperat in ordine Vigilantissimus Pastor Ioannes Sorethius ipsum vrgebat, vt sæpius, in Italiam ad pedes Summi Pontificis veniret, prout contigit anno præsenti. Gesta Generalis Soreth

ti. Pontificem ergo adijt, pedibusque de more osculatis, ipsi humiliter exposuit, qualiter in quibusdam Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, eodem Sorethio promouente, inter cætera statutum erat, vt Priores Prouinciales, aut Prouinciale Capitulum, non possent pro libito Fratribus sub arctiori Regulæ obseruantia etiam per Eugenium Papam mitigatæ Deo famulantibus, præficere Priores, vel etiam amouere sine eorum consensu, sed quos elegissent confirmare: Fratres etiam eorum absque Prioris, & Fratrum assensu extra ponere, siue alios præter eorum consensum ipsorum adiungere nequirent consortio. Similiter per Pium Secundum etiam desuper adiectum, ne quis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, reformationem Conuentuum dicti Ordinis impediret, aut se illi opponeret: quæ omnia à Sede Apostolica pro maiori subsistentia Generalis confirmari postulabat. Cui petitioni annuens Paulus Diploma dedit gratiosum, quo non solum prædicta confirmauit, sed alia etiam ad eumdem finem reformationis à Generali intentum adiecit, prout ex ipso, quod huius tenoris est, conspici datur.

Bulla Pauli Secundi.

3 *Paulus Episcopus, seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Circa quorumlibet Regularium Ordinum Professores eo diligentius laboramus: quo fæcundius illorum Religionem fructum videmus afferre salubriorem: eosque posse ex nostris institutis laudabilibus proficere iugiter incrementis. Sanè pro parte Dilecti filij Ioannis Soreth Prioris Generalis Ordinis Fratrum gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod olim, ne in ipso Ordine scissuram aliquam pullulare contingeret, & vt Fratribus dicti Ordinis arctiori Obseruantia Regulæ etiam per fælic. recordat. Eugenium Papam Quartum prædecessorem nostrum mitigata altissimo famulantibus, fauor debitus impenderetur: & vt quietius, abiecto omni timore humano id efficere possent, & in vnitate fraternæ charitatis in præmissa Obedientia permanerent; in quibusdam Generalibus, & Prouincialibus in ipso Ordine celebratis Capitulis, promouente dicto Generali, inter cætera statutum extitit, vt Priores Prouinciales, aut Prouinciale Capitulum non possent pro libito eisdem præficere Priores, vel etiam ammouere sine eorum consensu, sed quos elegissent confirmare: Fratres etiam eorum absque Prioris, & Fratrum assensu extra ponere, siue alios præter eorum consensum ipsorum adiungere nequirent consortio. Quod quidem statutum, & nonnulla alia tunc expressa, per piæ memoriæ Callixtum Tertium confirmata sunt, necnon per Pium Secundum Romanos Pontifices, similiter prædecessores nostros, etiam desuper adiectum; ne quis, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, reformationem Conuentuum dicti Ordinis impediret, aut se illi opponeret quouis quæsito colore. A qua quidem sententia absolutionem, nisi resipiscerent, Sedi Apostolicæ dumtaxat, præter quam in mortis articulo, reseruauit. Quare pro parte dicti Generalis Nobis fuit humiliter supplicatum, vt statuto, & alijs præmissis pro eorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ Confirmationis adijcere, ac alias super his opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dicti Ordinis statum prosperum, &*

tran-

tranquillum paterno zelamus affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum prædictum ratum habentes, & gratum, illud prout in litteris Callixti, & Pij prædecessorum huiusmodi continentur: auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus; ac plenum robur obtinere decernimus. Adijcientes nihilominus ad præmissa, quod nullus Prouincialis, Conuentus dicti Ordinis reformatos possit per Vicarium visitare, nisi talem Conuentus ipsi requirant, sed personaliter teneatur eos visitare cum socio, qui fuerit perseuerans in vita consimili. Item, quod pro communibus expensis Ordinis Conuentus hactenus reformati, aut etiam; qui in posterum reformabuntur, vltra summam consuetam, quam antea persoluebant, taxari, vel compelli non possint. Volentesque, & districtius iniungentes, quod omnis Prior tam in Conuentibus reformatis prædictis, quam de cętero reformandis, promittat, tam confirmanti, quam Conuentui, in quo recipietur, fideliter obseruare, & obseruari facere Regulam, saltem secundum ipsius Eugenij prædecessoris mitigationem, vt præmissum est: si vero in hoc deses, seu negligens notabiliter repertus fuerit, Prior Generalis, seu Prouincialis teneatur eum absoluere, sub pęnis, & censuris contra impedientes reformationem, vt supra dicitur, latis. Cęterum, vt Prouinciales ad plantandam in dicti Ordinis Conuentibus, suisque Prouincijs, confouendamque Regularem Obseruantiam per amplius animentur, volumus, vt Conuentus, quos iam reformarunt, aut in posterum reformabunt, sub eorum obedientia seruatis præmissis conditionibus perseuerare debeant, nec Vicarius cuiuscunque hoc impedire præsumat. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac dicto Ordini, & illius Professoribus per Sedem Apostolicam, sub quauis verborum forma concessis priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, etiam si de illis, & eorum totis tenoribus de verbo ad verbum specialis, & expressa mentio foret habenda, statutis quoque, & consuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis, cęterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, confirmationis, approbationis, Constitutionis, adiectionis voluntatis, & iniunctionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, pridie Kalendas Februarij. Pontificatus nostri Anno secundo. Bulla hæc Pauli Secundi, quæ satis vtilis est pro reformatione promouenda, confouenda, & conseruanda, non solum habetur in Mari Magno nostro, sed etiam à nobis est ad verbum recitata in *quinto Tom. Summ. Quæstion. Regular.* in nostro Mari Magno Bulla 27. vbi §. 27. plura circa illa diximus.

4 His Apostolicis armis, Elianoque zelo munitus Venerabilis Generalis Sorethius mira pro labenti Disciplina in Ordine restauranda, Deo adiuuante faciebat, tum verbo, tum exemplo. Vix vnquam à manibus deponebat Sácti Ephremi præclara Opuscula, quæ ex oculis lachrymas cient, & planctum mẽtibus ingenerant. Reliquos autem, qui vel inani verborum Generalis gesta.

lenocinio aures titillant; vel prophana, aut inutilia loquuntur, procul amandabat. Hinc cuidam Religioso Bocatij libellum *de Deorum genealogia* manibus præferenti, operisque elegantiam, & lepores supramodum iactitanti, memor Pater illius, quod cecinit Regius vates: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua*, vultu, verbisque ad seueritatem cōpositis, ineptæ curiositati Fratris reprehensor astitit. Accidit quondam, quod Æditiuus, siue Sacrista Leodiensis Cœnobij, cui Fratres ad Matutinas preces excitandi munus incumbebat, siue nocturni horologij errore, siue somnolentia deceptus, hora solita id muneris omiserit. Aderat tunc peruigil Reuerendissimus Pater Generalis, qui negligentiam velut ex insidijs obseruans, vt erat Claustralis disciplinæ multo obseruantissimus, veritus ne ea oscitantia malo sæcularium exemplo cederet, singulos priuatim monuit, quisque recitaret apud se matutinum pensum, cœteroqui tacerent. Tum vero postridie, conuocato Capitulo, grauem ad Religiosos orationem habens, multis, ac seuerioribus verbis cōmunem illam negligentiam pergebat exprobare: quippe omnes ad vnum matutinis de more in Oratorio decantandis defuisse accusabat. Itaque quo pœna in posterum cautiores, ac vigilantiores efficeret, iniunxit, vt eo die ad terram prostrati omnes, pane duntaxat, & frigida victitarent. Eum vero, vt suo cœteris præiret exemplo, qui à culpa fuerat immunis, in pœna placuit esse socium. Ideoque ieiunium illud somnolentiæ expiatorium districtè pene mensam cum alijs residens tolerauit. Vita ipsius Ioannis Sorethi ex Petro Vbaltero de Terra noua extracta.

Dionysius Holcanus.

5 Duo Ordinis nostri Anglici Alumni, Doctoresque Cantabrigienses, hoc eodem anno debitum humanæ naturæ persoluerunt. Vnus est Dionysius Holcanus, de quo quis, qualisve fuerit, Ioannes Pitseus sic scribit *Dionysius Holcanus Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virg. de Monte Carmeli, Monachus Anglus in Cœnobio Burnhaniensi Sacræ* Theologiæ *Doctor Cantabrigiensis, Vir in Sacris, & prophanis litteris plusquam vulgariter eruditus. Paucas tamen eius lucubrationes inuenio. Edidit saltem, teste Lelando, ex quo hæc pleraque deprompsi, formalitates Logicas lib. 1. Obijt in suo Cœnobio Burnhaniensi, & ibidem sepultus est anno reconciliationis humanæ 1466. sub Angliæ Rege Eduardo quarto.* De eo etiam Balæus in *Catalogo*, & Biscarretus.

Guillelmus Surfletus.

6 Alter est Guillelmus Surfletus, de quo etiam idem Pitseus hæc scripsit. *Guillhelmus Surfletus Ordinis Carmelitani Monachus Anglus, in Conuentu Sancti Botulphi* Lincolniensis *agri, Sacræ* Theologiæ *Doctor Cantabrigiēsis. Vir quem integritas vitæ cum singulari doctrina coniuncta omnibus bonis suo sæculo commendatissimum reddidit. Erat enim assiduus virtutum cultor, & è suggestu vehemens contra omnium vitiorum illecebras declamator, non inerudite multa scripsit, & moriens sui Cœnobij bibliothecæ ad posteritatis vtilitatem reliquit. Hæc Lelandus. Ex quo etiam colligo eum scripsisse Conciones Sacras lib. 1. & alia multa. Mortuus, & sepultus est in prædicto suo Monasterio die decima tertia Nouemb. anno gratiæ 1466. Sceptrum Angliæ tenente Eduardo 4.*

De

7 De Conuentu Gerardimontensi hanc relationem habemus ex prouincia Belgica. De hoc Cœnobio agens Ioannes VVaesberghe in suo libro inscripto *Gerardemontensium*, siue altera Imperialis Flandriæ metropolis, ita loquitur. Cœnobium Carmelitarum virile facile crediderim fuisse olim famosum illam Arcem Aunnici ingenii, vt liquet ex ijs, quæ supersunt adhuc arcis rudera, & vestigia, opportuno situ inter fluuium, & viuaria vtrumque Cœnobij latus claudentia: postmodum Gens Grachtia nobilis, & antiqua hoc loco domum possedit (*Het Casteel ter Gracht*) dictam, & dominium mero imperio, alijsque clarum prærogatiuis, donec Maria Grachtia Rogerij d'Escornaix Equitis Hoorembecæ Domini in Sancto Adriano ad Diuæ Virginis conditi Vidua, præter alia prædia sua, hanc domum testamento reliquit Fratribus Beatæ Virginis de Carmelo mensis Octobris die septimo hora sexta postmeridiana anni 1481. præsentibus (vt habent testamenti verba) nobili, & discreto Viro Gisleno Van VVaesberghe, & Ioanne Van Ruuschuere Scabinis Oppidi Gerardimontensis memorati, executoribus testamenti Fratre Lamberto Zeels, primo Carmelitarum tunc Priore, & Ioanne de BleecKere, receptore Testatricis, quæ tandem piam animam Deo reddidit proximo subsecuto mense Decembr. humata in medio Choro sub humili Sarcophago. Romæ hoc Monasteriū Vallis Iosaphat appellatur, eo quod in Valle, siue pede montis stet, tanta pratorum, & fluuij præter labentis amœnitate, vt maior optari non possit. Hæc ille. Verum quidquid sit de præfato legato, Conuentus fundatus merito creditur anno 1466. Extat enim in Archiuio eiusdem Conuentus Instrumentum publicum donationis inter viuos factæ à præfata Domina Maria Vander Gracht, Curtis & cuiusdam, vt literæ originales loquuntur, infra Villam Gerardimontensem situatæ, dictæ vulgariter *de Buerch*, cum omnibus domibus, lignis, piscarijs, terris, pratis, iurisdictionibus, iuribus, & pertinentijs alijs circa sex bonaria in se continentia, &c. Ad erectionem Conuentus, quam quanto citius fieri volebat, donationem acceptante Patre Arnoldo de Diest Priore Carmelitarum Angiæ de data 1466. duodecima Iulij. Fundatrix in Choro inhumata iacet sub humili Sarcophago, cum hac Inscriptione idiomate Flandrico. *Hic iacet sepulta Domina Maria Vander Gracht, vidua quondam Domini Rogerij de Schorissen Equitis Domini de Hoorembetre, huius Conuentus Fundatrix, quæ obijt anno 1481. tertia Decembris.* Conuentus Gerardimōtensis.

8 Conuentus Armaroci Diœcesis Florentinæ ex litteris Pauli 2. sub hoc anno datis Romę apud Sanctum Marcum, Ordini nostro concessus, postulantibus quibusdam Florentinis Ciuibus, qui illum in suo fundo, & suis sumptibus, construi, & ædificari facere ceperunt. Ex Archiuio Sancti Chrisogoni. Conuentus Armaroci.

Ann. Christ 1467. Pauli 2. Roman. Pontif. 3. Frideric Imperat. 28. Ioannis Soreth Generalat. 17.

Mors Scandebergi.

1 Vic anno ascribunt nonnulli mortem Scandebergi, quam nos cum alijs præcedenti ascripsimus. Sed, vtvt res fuerit, tam insignis Dux is fuit, vt sæpius de illo memoria fieri debeat. Eo quoque, quod, vt traditur, cum captum postea fuisset Lyssum Oppidum, vbi obierat, à Turcis, eruta è sepulchro eius ossa adeo venerati sunt, vt quisquis se in bello inuictum, tutumque crederet, si eorum frustrulum, auro, vel argento, quod insertum seruabant, gestaret. Spondanus.

Antonius de Francia.

2 Brixiæ in Lombardia hoc anno 1467. Capitulum à Patribus Mantuanæ Congregationis habitum, & Pater Antonius de Francia in Vicarium Generalem electus. Fuisse videtur hic Pater ex primis reformatoribus eiusdem Congregationis, ex illis videlicet; qui cum infœlici illo Thoma illo Connecta eximio Concionatore è Gallijs, & Conuentu Gerundensi Italiam conuenerunt, iuxta ea, quæ diximus in superioribus. Cessit etiam hoc tempore Conuentus Bononiæ PP. Congregationis, prout ex Archiuio S. Crisogoni de Vrbe haurire potuimus. Sed vide dicta ann. 1260.

Miluetoni casus.

3 Ea tempestate Ioannes Miluetonus Angliæ Prouincialis, Sac. Theologiæ Doctor, & Professor Oxoniensis, ac Episcopus Meneuensis electus, Romam ad Paulum Papam Secundum turbas contra se excitatas pertimescens aufugit; Casus fuit, quod cum hic Pater zelo pietatis incensus vitia Prælatorum, & Præsulum Ecclesiasticorum in concionibus acriter reprehenderet, in quibus grauitatem pro superbia; congruum dignitati habitum pro luxu; hospitalitatem pro prodigalitate; seueritatem pro tyrannide, vel grauiter redarguebat, vel omnino condemnabat, Riccardus Episcopus Londinensis ita commotus eum excommunicauit. Ad Papam ergo, vt Patrem Patrum confugit, qui, accusatione Episcoporum recepta, ipsum in Castello Sancti Angeli dum causa iudicaretur detinuit. Septem Cardinalibus, quibus commissa erat in fauorem ipsius iudicata est, & ipse à carcere liberatus, & honori restitutus, licet non ad Episcopatum, ad quem fuerat electus, ob æmulorum, vt credi potest potentiam. Hæc fermè scribit, quam solet calamo Pitseus bonus Auctor *in lib. de Illustrib. Angliæ Scriptoribus, Ætate 15, num. 935*, retulit. Subiungens præterea, occasione huius tam grauis infortunij totum nostrum Ordinem in Anglia deinceps declinasse, honorem diminutum, authoritatem euacuatam, & doctrinam, deficientibus Mœcenatibus, qui subsidia studiorum subministrarent. Verumtamen, nec doctrinam, nec Doctores Ordinis nostri in ea Prouincia, dum Regnum in veritate stetit, nec schismate, gloriosum,

quod prius habebat nomen, vitiauit, defecisse, quæ sequentur Annalium nostrorum prodent, nec vnius culpa, si culpa fuit, in omnes refundi oporteret. Hausit hæc, vt credimus, Pitiæus ex vitiato fonte Balæi, & sic non puros, vt prius pro nostris protulit latices.

4 Is quoque annus 1467. est, quo præclarissima illa omni sæculo fœmina Francisca Ambosia Brittanniæ Ducissa, de qua sub ann. 1427. & 1463. dicebamus, Ordinem nostrum ingressa, professionem emisit. Casum sic eleganter refert *in delineat. Obseruant. Rhedonen. cap. 7.* Leo à Sancto Ioanne illius Prouinciæ Brittanniæ, & totius Galliæ insignis Pater. *Ipso Annunciationis festo* 8. Kalend. April. ann. 1467. media in Ecclesia Bonidoni, sub Crucifixi desuper pendentis effigie: coram ingenti omnium Ordinum ex tota Prouincia multitudine, præsentibus Illustrissimo Venetensi Præsule, Clero, Magistratu, populo: ministerio Generalis Sorethij, cum quatuor è suo Comitatu Domicellis, schema suscepit Carmeliticum. Anno probationis euoluto, velum benedictione Episcopi Sacrum, eodem Christi Incarnati die, professionem emisit hacce formula. *Ego Soror Francisca d'Amboise facio professionem meam, & promitto Deo obedientiam, & Beatę Dei Genitrici Mariæ de Monte Carmelo, & tibi Fratri Ioanni Soreth Priori Generali Ordinis eiusdem Dei Genitricis de Monte Carmelo, tuisque Successoribus canonicè intrantibus: ac Priorissæ huius loci, & sibi succedentibus; cum perpetua continentia, & abdicatione proprietatis; secundum Regulam eiusdem Ordinis, vsque ad mortem, cum perpetua clausura.* Francisca Ambosia.

5 Eodem etiam anno Paulus Secundus Papa, Confessarium, quem ex nostro Ordine habuit, Paulum Viscontem Siculum ad Episcopatum Mazariensem in Sicilia ob assumptionem Ioannis eiusdem Ecclesiæ Antistitis euexit. Bullæ data est 16. Decembris, & per Proregem Siciliæ approbata, executioni mandari præcipitur prima Aprilis sequentis anni. Huius porrò Mazariensis Episcopatus Paulo nostro concessi memoriam habent Gesnerus *in Bibliotheca littera P.* Posseuinus *in Apparatu sacro littera P.* & Rochus Pirrhus in libro cui titulus *Notitiæ Siciliensium Ecclesiarum in Notitia prima Ecclesiæ Panormitanæ, & in Notitia 6. Ecclesia Mazariensis.* Paulus Viscontè.

6 Quo etiam anno Virginum Narmucensium Monasterium primo cepit. Erant hæ Moniales in Ciuitate Dionanti, sed cum hæc Ciuitas anno præcedenti per Carolum Ducem Burgundiæ vastata esset, & funditus cum Monasterijs diruta, Mamurcum sese recesserunt: vbi cum mensibus aliquot in Hospitali in Suburbijs commoratæ fuissent, hoc anno 1467. domum quandam cum duobus bonarijs terrę ad Monasterium in ijs erigendum de licentia præfati Ducis emerunt. Hæc, & non alia, ex Relatione Prouinciæ Belgicæ habuimus. Narmuci Cœnobium.

Ann:

Ann. Christi 1468. Pauli 2. Roman. Pontif. 4. Friderici Imper. 29. Ioannis Soreth Generalat. 18.

Gesta Papę. 1 Eluti Rex pacificus Papa Paulus hoc tempore pacem inter Italiæ Principes constituebat; & in signum lætitiæ eos ludos (pallia vocant) cursorios, qui husque ad hodiernam diem in carnisprivio durant, instituit. Papiensis, Platina, Spondanus. In Hispania etiam Henricum Regem Castellæ ad pacem reduxit. Gordonus.

Leodij vastatio. 2 Ingens clades hoc anno Leodiensium Ciuitati accidit à Carolo Burgundorum Duce, & Ludouico Gallorum Rege illata: ferro, atque igne ad internecionem vsque, nulla ætatis, sexus, vel Sacrorum habita ratione. Clerus, inspecta iam ante Ciuitatis fortuna, in sua quisque Ecclesia clausis ianuis se continebat, vestibus Sacris indutus, Sanctorum Reliquias, atque adeo ipsum Domini Sacramentum ad deprecandam misericordiam manibus præferens. Idem, Religionum, Virginumque Cœnobia pro sua quæque conditione egere; sed nihil inter arma sceleratæ militum manus incontaminatam relinquunt. Refractis portis omnia in lachrimabilem direptionem data sunt; Sanctuaria Dei tota Vrbe incensa, spoliati Sacerdotes, atq; occisi. Papiensis, Commineus, Bzouius.

Generalis Soreth. 3 Quæ tunc, qui pręsens aderat, noster Religiosissimus Pater Sorethius egerit, vita ipsius ex Vbalthero de Terra noua *cap.* 12. sic enarrat. *Audit interim, & luget B. Pater Sacratissimum Christi Corpus, disiecta pixide de Altari, ingratis pedibus miserum in modum conculcari. Nec sustinuit tantum dedecus, accensus furore secundum iudicium legis, sed impauidus ad omnia, nullo vitæ respectu per densas acies, micantes gladios, volitantia tela furentis militis tendit ad Ecclesiam, suumque caput hastis, ensibus, nulli periculo obijciens, Eucharistiam sumit in manus, & tanta pietate tectus per ignes, & incendia in suum Conuentum delatum, Christi Corpus honorificentissime adseruauit. Nimirum cicatrices haud formidabat, quem tantum doloris vulnus, ob Sanctissimum pignus contumeliose affectum incesserat.* Hinc ortum, vt credimus, quod etiam Biscarretus testatur, habuit, vt effigies eiusdem Venerabilis Sorethij Sacro sanctæ Eucharistię pixidem in manibus gestantem repręsentet, sub pedibus igne, ferro, ensibus, & lanceis calcatis.

Conuentus Viluordiæ. 4. Occasione porro huius vastationis Leodiensis Vrbis contigit exustio Conuentus Monialium nostri Ordinis in ea siti, & eodem anno 1468. receptio Conuentus Monialium nostri etiam Ordinis Viluordiensis in Prouincia Belgica: quam diligens Author Augustinus Vvichmam in Brabantia sua Mariana *lib.* 3. *cap.* 74. sic describit. *Xenodochium D. Virginis Consolatricis (ita primitus vocatum) in Pago Putij extra Viluordiam fundatum*

tum est circa annum 1228. à Sophia vxore Henrici II. Ducis nostri cognomento magnanimi. Erat hæc exemplo Matris suæ S. Elisabethæ, Deo admodum deuota, & in pauperes munifica. Hinc Xenodochium in dicto pago erexit alendis septem pauperibus, & prouectioris ætatis mulierculis, quod muro circumcinctum, multis donationibus dotauit, ac tanquam pia Mater frequenter visitauit. Habitabat tunc temporis in Arce Viluordiana, admodum familiaris facta per litteras D. *Thomæ Aquinati, eiusque Magistro Alberto Magno. Contigit per id tempus Henricum Ducem eius Coniugem circa Mosam, & Rhenum bellicis negotijs detineri, Ciuitate Coloniensi obsessa; quo, ad Maritum suum Sophia pergere debuit. Quo ex decessu præfatæ mulierculæ admodum contristatæ fuerunt, quas ipsa modis omnibus, varijsque beneficijs consolari satagens, inter reliqua veluti sui perenne mnemosynon, eis reliquit Imaginem Sanctissimæ Deiparæ, quam à sancta sua Matre Elisabetha dono acceperat, hisce verbis adlocuta.* Accipite hanc Imaginem in solatium absentiæ meæ, & omnium vestrarum miseriarum, ad quam in omni tribulatione vestra confugite, & estote certæ consolationem vos ad eas recepturas, sicut ego nunquam ea frustrata fui quacunque afflictione. *Atque hinc primogenia origo nominis quod exinde dictum* Het Gasthuis van Maria ten troost: id est, *Xenodochium D. Virg. Consolatricis. Lætæ hoc munere, statuerunt idipsum in exiguo Sacello iuxta viam publicam ædificato, vbi dicta* Imago *stupendis mox clarere cœpit miraculis, & frequenti populorum concursu visitari. Tractu temporis substitutæ hoc in loco Begginæ sunt, sub quarum regimine, nescio qua negligentia, non in tanto pretio memorata Imago, neque etiam ex consequenti in tanto cultu. Quare ijs amotis in earum locum subrogatæ Carmelitanæ Virgines anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo. Quo tempore per Carolum audacem Ducem nostrum Leodium vastatum, atque inter reliqua etiam exustum Monasterium Carmelitarum extra muros Leodienses situm, vulgo dictum;* Vallis trium Mariarum. *Quibus inopia coactis (tredecim erant hæ numero) in Brabantiam confugientibus, præfatus Dux; sæpedictum Xenodochium cum omnibus suis pertinentijs ad instantiam Ioannis Sorethij Carmelitarum Generalis, concessit, adprobante id ipsum Cameracensium Episcopo. Sed contradicentibus, tum supramemoratis Begginis, tum Incolis Viluordianis. Verum solatio suis fuit Diua Consolatrix, cuius mox cultus denuo reuiuiscere, & Xenodochium in Monasterium mutatum, ac miracula innouata.* Refert postea qualiter in hoc Templo amplius Sacellum B. Virg. extructum fuerit à Maria van Bersel sexta Monasterij Priorissa, cum sorore sua germana Anna van Bersel, Patre ipsarum Henrico van Bersel Equite aurato, mille, & ducentos florenos ad idem opus contribuente: quo integrè perfecto, sub Anna Boisot septima Priorissa supradicta Deiparæ Imago, triumphali pompa eidem fuit illata, ac mox, procurante Ioanne Lanssaert, loci Patre Spirituali, instituta Sodalitas Deiparæ, & solemnis supplicatio, quæ primo fuit seruata Dominica tertia post Pascha anno 1575. magnis additis indulgentiarum fauoribus (fuit enim olim admodum per Brabantiam celebris dicta supplicatio) vocatusque exinde

locus

locus est *Sancta Maria Consolationis noua plantationis*. Refert postea mirabilia multa, quæ tempore sequenti euenerunt, quæ nos remittimus ad quintum Tomum, vbi de gestis huius temporis loquimur.

Nicolaus Kentonus. 5. Desideratus est à nostris eodem anno grauis valde Ordinis Pater, & Angliæ Prouinciæ celebris Præsul Nicolaus Kentonus. Fuit hic à pago, in quo natus est sic vocatus, Cœnobij Gippesvvicensis Alumnus, & Sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, Prouincialis quoque suæ Prouinciæ per duodecim annos scribitur. Ex Libro autem Ordinis constat fuisse Prouincialem eius Prouinciæ in Capitulo Generali Cabilonensi anno 1444. Romano anno 1447. Quo etiam Diffinitor scribitur, & Auinionensi anno 1451. Vir omni virtutum, & scientiarum genere instructissimus. In poesi, & Rhetorica bene versatus, acutus Philosophus, Theologus insignis. Matura iam ætate magnam inter suos auctoritatem, & illam, quam dixi consecutus est dignitatem, quo tempore Sacrarum Scripturarum lectioni, & meditationi, cœteris pene studijs neglectis, se dedit. Frequentes autem sermones habuit, & priuatos ad suos Fratres, & ad populum publicos. Scripsitque de gestis Sanctorum, & antiquiorum, & recentium, prę lertim sui Ordinis. Vnde de illo Ioannes Balæus *in Catalog. Scriptor. Brittan. Centur.* 8. etsi solito maledicentiæ spiritu, hæc scripsit. *Albertum Drepanensem, & Andream Fesulanum Episcopum nouiter tunc canonizata sui Ordinis Idola hæreticis carminibus salutauit*. Vergens autem ad senectutem, contemplationis cupidus, & molesthiarum regiminis pertesus, petijt ab onere Prouincialis liberari, curam illam ætati suæ nimis esse grauem (Habuit enim plusquam mille quingentos in sua Prouincia Fratres) se iam malle precibus, & Deo libere vacare, quam praxi attendere, parere potius deinceps velle, quam præesse. Itaque tandem eius petitioni acquieuerunt Fratres, & alium elegerunt. De hoc pergraui Patre *in vita* S. Andreæ Corsini apud Bollandum *to. 2. de Actis SS. pro die 30. Ianuarij cap. 8. num.* 38. hæc scripta reperimus. *Reuerendus Theologus Magister Frater Nicolans Kenton Prouincialis Angliæ Ordinis Carmelitarum, maxima febre grauatus est, ita quod ex dolore capitis, die, noctuque clamans, quodammodò in maxima angustia constitutus mortem cupiebat. Accidit autem, quòd cum campanæ multum pulsarentur, ex concursu populi, vt interrogaret dictus Prouincialis, cur tantum campanæ pulsantur, dicitur ei quia nouus Sanctus inuentus est, & Deus per ipsum multa miracula operatur, qui est Ordinis vestri, & fuit Episcopus Fesulanus. Tunc prædictus Prouincialis ait: Cito adiuuetis me, quia volo ire ad Ecclesiam; fortè me non despiciet, sed mihi etiam auxiliabitur, ne moriar exasperatus. Intrando Ecclesiam venit ante eius Imaginem, & videbat homines, ac mulieres eius Imaginem tangentes, & postea facies proprias fricantes, & ait: Quid faciunt illi? Cui respondetur: Patiuntur capitis dolorem, & ex illa deuotione multi sanantur. Cum autem talia Prouincialis audisset, Imagine, siue Iconi appropinquauit, in qua picta, & Imago B. Andreæ, & ait. Oro B. Andrea, oro te, ac supplico, vt me non despicias, sed adiuua, qui de tuo*

Ordine

Ordine sum: vide dolorem meum, & capitis mei vexationem, & libera me, quoniam exasperatus sum; & sic dicens, tetigit prædictam Imaginem maxima cum fide, deuotione, & spe, ac fricauit deinde caput, & eius faciem, qui verissimè statim ab omni dolore, & febre liberatus est. Cum autem ad propria rediret, solemniter Beati Andreæ imaginem cum aliquibus miraculis pingi fecit. Circa quæ, & de hoc Nicolao Kentone sic scribit Bolandus ibi. *Egregia hic, & Sanctimoniæ, & doctrinæ laude floruit, vt testatur Ioannes Pitseus, Sixtus Senensis, Posseuinus noster, alijque. Obijt Londini 4. Septemb. 1468. Inter reliqua dicitur scripsisse vitam S. Cyrilli Græci, imo, & gesta Sanctorum, & antiquorum, & recentium præsertim sui Ordinis. Est penes nos vita M.S. S. Cyrilli Hierosolymitani, cui annectitur tractatus de Sanctis antiquis, & recentioribus Ordinis Carmelitici. Num huius genuinus fætus sit, an potius operis maioris compendium inquiretur ad vitam S Cyrilli 6. Martij.* Sed ad id quod instituti nostri est, veniamus, & quibus litterarijs monimentis acumen eius vsque ad nos peruenerit, videamus. Scripsit Commentarios, vel lectiones quatuordecim In Cantica Canticorum *lib.* 1. In historiam Elisei Proph. *lib.* 1. In Orationem Dominicam *lib.* 1. In Euangelia sermones quadraginta octo *lib.* 1. Positiones Theologiæ *lib.* 1. Positiones ad Clerum *lib.* 1. Ad Clerum Cantabrigensem *lib.* 1. Orationes duodecim ad Fratres *lib.* 1. Ad Episcopum Exoniensem, *lib* 1. Benedictiones procedentium, *lib.* 1. Commendationes eorundem, *lib.* 1. Epistolas ducentas duodecim, *lib.* 1. Pro Commemoratione B. Mariæ, *lib.* 1. Vitam Sancti Cyrilli Græci, *lib.* 1. Precationes ad Sanctos carmine, *lib.* 1. Pro relinquendo officio *lib.* 1. Ad Generalem contra quosdam reformatos, *lib.* 1. Contra cuiusdam blasphemias, *lib.* 1. Contra quosdam Apostatas, *lib.* 1. Contra quemdam obstinatum, *lib* 1. Ad quemdam errantem, *lib.* 1. Pro suscipiendo pœnitente, *lib.* 1. Ad Dauidem Chyrburnium, *lib.* 1. Ad Cardinalem Eboracensem, *lib.* 1. Ad Nolforciæ Ducem, *lib.* 1. & alia plura. Londini tandem Sanctissime diem clausit extremum, quarto die Septembris. Hæc fermè Pitseus, qui multa ex Baleo in Catalogo. De eo etiam Sixtus Senensis, Harpsfeldius, Einsengrineus, Petrus Opmerus, Fabianus Iustinianus, Posseuinus, Biscarretus.

6 Hoc anno celebrasse Capitulum Generale Aureliaci Reuerendiss. Sorethium astruit Paleonydorus *lib.* 3. *cap.* 14. Sed error in numerum annorum irrepsit; non enim hoc, sed sequenti, dictum Capitulum habitum, vt inferius dicemus. Parcendum est huic Authori pio, & docto, cui librum Ordinis videre non licuit, vel si ipsum aspexit, Typographi incuria erroribus huiusmodi causam dedit. Paleonydori placitum.

Ann. Christ 1469. Pauli 2. Roman. Pontif. 5. Frideric Imperat. 30. Ioannis Soreth Generalat. 19.

Fridericus Imperator.

1 Enerat ad finem anni præcedentis Romam Fridericus Imperator, soluendi voti causa, & communicandi cum Pontifice negotium de bello contra Turcas gerendo: hoc ergo anno in patriam reuertitur, multis officijs, & muneribus à Papa honestatus. Krantius, Platina, Papiensis, & alij, qui de ritibus, & cœremonijs, quibus Romæ Imperator exceptus, & honoratus est.

Paulus Visconti.

2 Interim Papa nostrũ Paulum Viscontem Episcopum Mazariensem ad Archiepiscopatum Panormitanum assumpsit. Hac enim tanta dignitate cohonestandum putauit Confessarium ipsius. Rocchus Pirrus *in lib. cui titulus est notitia Sicularum Ecclesiarum in notitia S. Ecclesiæ Panormitanæ.*

Capitulum Generale.

3 Aureliaci in Gallia sub hoc anno noua Ordinis Synodus Congregatur, Præside Reuerendissimo Magistro Ioanne Sorethio. In qua primum numerantur 19. Diffinitores totidem prouinciarum; videlicet Terræ Sãctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciç, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Castellæ, & Bohemiæ. Deinde ab illis cum Patre Ordinis taxatæ sunt Prouinciæ Ordinis pro expensis communibus: inter quas etiam computantur factæ, vel faciendæ pro Canonizatione Beati Andreæ Florentini. Ordinantur etiam Prouinciales 19. Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliç, Narbonæ, Franciæ, Romanæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Tholosæ, Cataloniç, Alemaniç Superioris, Vasconiç, Turoniæ, Bohemiæ, & Poloniç, ac Daciæ. Prouincialis Castellæ remittitur electioni faciendæ sub prçsidentia Magistri Bernardi de Montesa Vicarij Generalis super omnes Prouincias Hispaniæ, Cuiusdam autem alterius Prouinciæ, cuius nomen incuria forsan Secretarij Capituli non exprimitur, etiam Prouincialis nominatur, & Procurator Generalis Ordinis in Romana Curia. Præterea ordinati sunt Lectores Parisijs, Tholosç, Romæ, Auenione, Montispessulani, Pictauij, Nannetis, Cadomij & Andegauij, ac duo Socij Reuerendissimi Magistri Ordinis.

Decreta.

4 Quoad decreta in primis ordinatum est pro diuino cultu, in virtute Sanctæ Obedientiæ Fratribus omnibus celebrari Officium diuinum tractim, & deuote cum proportione, & mensura bona, ac pausa in medio seruata. Item ordinatum est haberi vniformitatem in Conuentibus, & Prouincijs, in vestibus, cantu, & modo cantandi, & accentuandi. Prouisum

etiam

etiam est circa punitionem, & correctionem delinquentium iuxta Regulam mitigatam, & de facto ad punitionem quorundam Conuentus Turonensis actum est. Prçterea intimata est Prioribus Ordinis obligatio cogendi Fratres, tam Clericos, quam Laicos, ad semper laborandum. Prouisum quoq; tandem de subsidio pro processu ad canonizationem Beati Andreç Florentini. Ex quibus, ac alijs huiusmodi decretis, satis, superq; constat de sancto zelo boni Pastoris Ioannis Sorethi Prçsidis Capituli.

5 Clariores Patres in hoc Capitulo relati sunt, ipse Reuerendissimus Sorethius Generalis; Magister Christophorus de Brixia Diffinitor Prouinciæ Terrç Sanctæ, & Procurator Ordin. institutus; Magister Bernardus de Montesa Diffinitor Prouinciç Aragoniç, qui etiam Vicarius Generalis super omnes Prouincias Hispaniæ in hoc Capitulo constituitur; Magister Galliardus de Ruppe Diffinitor, & Prouincialis Tholosç, Magister Ioannes Miluetonus Prouincialis Angliæ; Frater Ioannes Baptista de Modeneto de Mantua Lector in studio Romano, de quibus cum alijs, suis locis dicetur. Clariores Patres.

6 In hoc Capitulo Diffinitores subscribunt, videlicet, Alemaniæ Superioris, Aquitaniç, Vasconiæ, & Lombardiç. Suqscribunt etiam Christophorus Martignonus Brixien Procurator Ordinis, & Magister Bernardus de Montesa, de quo supra. Quç omnia constant ex Lib. Ordinis *fol.* 52. Diffinitorũ subscriptio.

7 Eodem etiam anno Mantuanæ Congregationis Patres Brixiç habita Synodo in Vicarium Generalem elegerunt Patrem Ludouicum de Cremona. Ludouicus de Cremona

8 Obijt eodem anno Philippus Thomæ de Lappis Conuentus Florẽtiç Alumnus; cuius ea laus est, quod fuerit Pictor egregius, quod non omnino à nostro Instituto, quod artes liberales non respuit, alienum est. Vixit authoritate Papç diu extra claustra, & obijt Spoleti, marmoreo sepulchro conditus. Archiuium Florentiæ. Philippus de Lappis.

9 Insuper eodem anno, & mense Decembri Paulus Papa concessit facultatem fundandi Conuentum Roncilioni, petente hoc Communitate Terræ, ac ipsius habitatoribus: *sperantes* (vt dicitur in Diplomate Summi Pontificis) *quod propter exemplares mores, & laudabilem vitam dictorum Fratrum, & etiam propter prædicationem Verbi Dei fructus saluberrimi in dicta Terra, & illius territorio subsequentur.* Extat Bulla in Archiuio Transpontinæ. Nomine huius Monasterij habuit facultatem à Generali Petro Terrasse anno 1505. Pater Elias de la Massa recipiendi quandam Capellam in honorem Virginis. M.S. Archiuij Transpontinç de gestis Generalis Terrasse. Conuentus Ronciglioni

Ann. Christ. 1470. Pauli 2. Roman. Pontif. 6. Frideric Imper 31. Ioannis Soreth Generalat. 20.

Turcarum potentia.

1 Ahometes Turcarum Imperator vehementissimè iratus, quod Christiani Ænon Oppidum in Thracia diripuerint, votum,& iuramentum dirissimum fecit, Christianitatem exterminandi, illudque, cum magno fidelium detrimento hoc tempore, potentissima classe instructa (in Christianorum confusioné, qui dum propria curabant, gregem Christi in manus barbarorum relinquebant) adimplebat. Diu. Antonin. Papiensis, Ciaconius, Gordonus.

Henricus Parcher.

2 Obijt eo anno, vel saltem pro eo clarus describitur, Henricus Parcherius, vel Parcher, de quo anno 1464. diximus. Doctor Cantabrigiensis, & Vir, teste Lelando, doctrinę fama celebris, nisi suo nomini, crimen imposuisset, ob liberam reprehensionem contra Ecclesiæ Prælatos, & Clerum sæcularem, qua ipsos sibi æmulos comparauit: diris,& pœnis contra eum,& asseclas procedentes, vt eodem etiam anno diximus: postea modestiam edoctus, vt Pitseus scribit, de eadé materia de qua ex suggestu dixerat exscripsit. De paupertate Christi; *librum vnum* Dialogũ Diuitis,& pauperis librum alterũ. Item in Aristotelis Metheora 34.& alia multa, quæ forsam suppressa perierunt, vt Pitseus animaduertebat. Suppressionis causam ipse reticet, sed suspicari datur Æmulorum iniuria id accidisse. De hoc Patre agunt Pitseus, Posseuinus, Biscarratus, & Lelandus ab ipso Pitseo relatus.

Guilelmus Grenæus.

3 Quo etiam anno, ipsomet Pitseo teste, claruit alter Anglus Pater Guillelmus Grenæus, seu Viretus, de quo hæc. *Guillelmus Greneus, seu Viretus, Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus in Accademia Cantabrigiensi Sacræ Theologiæ Bachalaureus. Hic cum esset doctus, industrius, & honoris Ordinis Carmelitani studiosissimus, fere totam Angliam peragrauit, vt ex Bibliothecis res gestas illustrium virorum, sui potissimum Ordinis, scrutaretur, & in vnum corpus colligeret, ac posteritati mandaret. Lectis igitur super hac materia multis historijs opus tandem egregium compilauit de Sanctis Ordinis Carmelitani, cui nomen indidit Hagiologium Carmelitanum, lib. 1. De alijs eius scriptis nihil habeo. Claruit anno post Christum natum 1470. dum in Anglia summa rerum esset penes Eduuardum* 4. De hoc etiam Guillelmo (quem Grene vocant) Balæus, Posseuinus, & Biscarretus.

Ioannes Cósobrinus.

4 Circa idem tempus Ioannes Consobrinus Prouinciæ Lusitaniæ decus, tum litteris, tum vitæ sanctitate ne dum clarus, sed & singularis florebat. Fuit etenim in humanis, & diuinis Scripturis, ac iure Cano-

nico

nico apprimè doctus, celebris Concionator, ac hostis acerrimus inimicorum fidei, vt propterea ab ipsis intoxicatus interierit, vt anno 1475. dicemus. Deiparæ Virginis deuotioni deditus ipsius immaculatum Conceptum egregiè propugnabat. Sic acris, subtilis, & resoluti ingenij in disputationibus apparebat, vt propterea *magni Magistri* nomen consecutus in actibus Scolasticis, magna in reuerentia ab omnibus haberetur. Hinc à sui sæculi Concionatoribus cum ipse præsens adesset, sic colebatur, vt quandoque non nisi ab ipso venia petita Sermo haberetur. Ad ianuam Ecclesiæ nostri Vlissiponensis Cœnobij amplissime pulpitus locabatur, vt qui intra, & extra Templum versarentur (tantus erat populi concursus) sermocinantem audire possent. Id rarum in hoc venerando Patre humilitatis, vel deuotionis erga Sacra mysteria exemplum, vt nunquam Missam celebraret, quam non primum priuatim prælegisset. Quod vel humilitatis ergo, vel contemplandorum mysteriorum causa fecisse absdubiè credendum. Charus valde fuit Alphonso Quinto Portugalliæ Regi, à quo aliquando in Conuentu visitatus, ipsius animæ negotia pertractabat, nec propterea Aulam sectari, aut ab ipso Dignitatem aliquam accipere voluit. Didacus Coria lib. 12. Chronicæ Carmelitarum cap. 3. ex Simone Coello *in Chronica*.

5 In eumdem etiam annum referimus Virum ea tempestate in Ordine nostro clarum, videlicet Gualliardum de Rupe Gallum. Fuit hic Pater primum Lector Studij Tholosani designatus in Capitulo Generali Appaniarum anno 1425. Deinde in Capitulo Rauespergensi anno 1434. Magister Diffinitor, & Prouincialis Tholosæ dicitur. Ac successiuè in Capitulis sequentibus Astrensi 1440. Cabilonensi 1444. Romano 1447. Auenionensi 1451. Parisiensi 1456. Bruxellensi 1462. ac nouissimo Aureliacensi 1469. Prouincialis eiusdem Prouinciæ, & aliquando Diffinitor. In hunc autem annum propterea ipsum referimus; quia in posterioribus Capitulis nullam vlterius de ipso memoriam reperimus. Vir fuit valde doctus, & Bernardi Rosergis Archiepiscopi Tolosani in Magisterio Theologico Socius. Scripsit autem Sermones ad Clerum, *lib.* 1. Ad populum, *lib.* 1. Determinationes Theologiæ, *lib.* 1. Lecturas Scripturarum plures, *lib.* 1. atque alia. De ipso loquuntur Gesnerus, Nicolaus Bertrandus, Posseuinus, Biscarretus, & alij apud ipsum. Gualliardus de Rupe.

6 In eundem quoque annum referre possumus Ioannem Beetzium Brabantinum Thenensem Ordinis nostri ea tempestate Louanij doctrina, probitate vitæ, & libris editis valde conspicuum. Quia tamen Thrithemius, Conradus Gesnerus, imo & relatio Prouinciæ Belgicæ, quam præ manibus habemus, anno 1476. claruisse, seu obijsse, describunt, eo anno de ipso agemus. Ioannes Beetz.

7 De Conuentu Cameratæ in Regno Siciliæ, ac Prouincia S. Angeli habetur ex sæpius commemorata relatione Conuentuum Italiæ, fundatum fuisse circa hunc annum cum licentia Superiorum, & eleemosynis Ex- Conuentus Cameratæ.

cellen-

cellentissimorum Dominorum eius Terræ, tituloque gaudere Virginis Mariæ de Monte Carmeli.

Ann. Christi 1471. Pauli 2. Roman. Pontif 7. Frideric Imp. 32. Ioann. Soreth Generalat. 21.

Sixti 4. electio.

1  Bijt sequenti anno 1471. Summus Pontifex Paulus II. de bello contra Turcas, quos sciebat de Christianis triumphare, valde solicitus. Successoremque habuit ad 8. Kal. Septembris coronatum Sixtum Quartum, quem iure Religiosi Mendicantes (Carmelitæ præsertim) quibus plura, magnaque priuilegia concessit summo honore revereri tenentur. Hæc in sequentibus indicabimus. Platina, Honuphrius, Bordonus, & alij.

Paulus Viscontus.

2 Ante mortem autem Pauli Papæ missus ad illum fuit Orator è Panormo pro Regis Aragoniæ negotijs, noster Paulus Viscontus Panormitanus Archiepiscopus: qua enim apud Papam auctoritate, & beneuolentia valebat; cui fuerat à Confessionum Secretis, aptus huic muneri censebatur. Exemplum epistolæ missionis ex Registro Panormi, est huiusmodi: *Beatiss. Pater, post pedum oscula beatorum, adijt Sanctit. V. R. Episcopus Panormitanus, Vir S.V. deuotissimus, & Serenissimo Regi nostro, ac nobis acceptissimus. Committimus ei, vt nostro nomine explicet B.V. quædam quæ commodo, & honori cedunt Serenis. Regis Aragonum. Supplicamus, vt eius postulationibus, quando illæ iustæ, et honestæ sunt, S.V. annuat, et indulgeat. Ex Panormo die 20. mensis Aprilis* 1471. Missus quoque fuit eodem anno etiam Orator cum Nicolao Leosante Regni Thesaurario pro Sicilia ad Regem Ioannem. *In lib. Prot. fol.* 166. Rocchus Pyrrus Siculus, *in lib. notit. Sicilien. Ecclesiar. in notit. 1. de Ecclesia Panormit.*

Obitus Generalis Soreth.

3 Obijt etiam eodem anno nostræ Religionis Venerabilis Pastor Reuerendiss. Ioannes Soreth, *cecidit corona capitis nostri*, tanto Patre amisso. Qualiter verò pretiosa ipsius mors acciderit, Vita ipsius ex Petro Vbaltero de Terra noua extracta sic *cap.* 17. enarrat: *Pergebat nimirum B. P. Ioannes Soreth hactenus Generalis, in cepta Carmeli reformatione feliciter propaganda: iamque adeò, diuino instigante spiritu, Nannetas peruenerat, Vrbem Armoricæ ad ligerim non procul ab Oceano, commercijs celebrem admodum, et copiosam. Itineris comites omnino duo, R. Pater Franciscus Turoniæ Prouincialis; alter item ex parte virtutis; quem Nannetis instituendæ reformationi Priorem præficere cogitabat. Ibi cum in Conuentu Ducum Amorices liberalitate visendo sederet ad mensam, venenum illi, Socijsque duobus in moris fructibus tunc primo maturis datum est, à suisne, an à famulatu domestico, aut aliena insidia, præsens pestis comparata fuerit; haud quaquam compertum. Certè nemo est omnium, qui tantum*

scelus

scelus non detestetur, maluitque huius vitæ author primus in maleficia, ac veneficos summum nefas reijcere, adducens opportunè illud Ouidianum.

Lurida terribiles miscent aconica Nouercæ,

Nec mora patientissimus Pater virus intimis venis conceptū persensit, & dū constans durat in doloribus subinde exclamat. O pessimum cibū, Deus bone? Sed obsecro illis parcas velim, nā ego siquid in me mala fide peccatum est, totum tuo amori condono. Porro è socijs alter, peruadente veneno statim tollitur è vita, alter opportunis medentium auxilijs vix tandè conualuit. Interim Reuerendiss. Generalis præcordia oblato veneno imbuta, teterrimos cruciatus cient. Ac licet sæua vis morbi augeret, nihilominus cōmittit se viæ, et festino gressu vix Andegauum peruenerat, cū ad extrema peruentum est. Ibi linquente animo defecit mortuo similis: statimque charissimorum filiorum (hic enim Conuentus illi præcipuè cord. fuisse videtur) manibus, tanti Patris casum altè animis lugentium, in valetudinarium defertur. Votis pro eius incolumitate castè nuncupatis, sibi paulisper redditus visus est recreari. At ille oblati veneni conscius ad præsentiora, & extrema animum aduertit. Ergo de rebus grauissimis, quæ Ordinis administrationem spectabant, pauca, & breuiter pro temporis angustijs statuit. Tum vero conuocatos Fratres, ad studium pietatis, ad votorum Officia, ad Religionis abseruantiam feruentius adhortatur. Inde ad sua totus rediens, & ante actæ vitæ memoriam replicans; qui pœnitentiæ semper fuerat amantissimus, generali exomologesi peccata omnia apud Confessarium prolixè lachrimans deposuit. Cælesti deinde Viatico Dominici Corporis factus alacrior ad Sanctissimam Deiparam, quam vnice semper coluerat, vtpote Ordinis sibi commissi Patronam, & mentem, & vota conuertit. Eam scilicet implorat, vt in extremis vitæ angustijs opem præstet. Nec potenti defuit pia parens. Tandem enim Sacramentis omnibus ritè susceptis, suauissima illa Diui Bernardi verba sæpe, ac sæpius deuotissimo, ardentissimoque pietatis affectu ingeminat: O bone Iesu, sis mihi Iesus. *Quorum repetita suauitate plurimum delectata mens illius immortalitate planè digna anno Domini 1471. die Iulij vigesima quinta, quam D. Iacobi Martyrium illustrat, è corporis ergastulo euolauit ad immortalitatis domicilium. Ibi sempiterna fœlicitate, & fucruum laborum præmijs æternum potitura. Ingens in familia luctus. Omnes maxime exosi læthalis veneni, vel errorem, vel dolum: hoc tamen solatij materia, quod si inimica fraude sublatus esset, dum restaurationi Ordinis, & curandis animis inuigilat, Martyrij palmam haud dubiè adeptus videretur; quippe meritissimo iure dicturus cum Apostolo:* Quotidie morior per vestram gloriam Fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. *Indoluere etiam Andini Ciues, tanta illi ab exteris reuerentia in suos charitas, & amor: visuque, & auditu, & viuus, & mortuus iuxta venerabilis. Rarus fuit, vel è nobilioribus, qui defuncti funus illustri frequentia non cohonestarit. Dumque exequiæ peraguntur solemniter, è plurimorum oculis lachrymas elicuit lugubris Carmelitarum mæstitia, qui non sine ingenti fletu, magna tamen pompa optimo Generali optimi filij parentarunt. Nam & in capsula honoraria, cui sepulchralis lapis superpositus, hodieque visitur, ad dextram partem maioris Altaris, iuxta Claustrum honorificè conditus*

ditus est. Eius etiam transitum narrat Arnoldus Bostius in *suo Specul. histor lib.7. cap.51*. & hoc themate claudit.

Heu Carmele fleas; Soreth occulitur super Astra;

An claruit miraculis: 4 Signis, & miraculis multis post mortem claruisse tradunt plures, sui etiam qui synchroni, specialiter idem Bostius loco relato, qui plura refert, vt infra videbimus. Euernerus Rovvelinck *in Fasciculo temporum circa annum* 1464. verbis inferius referendis, Palæonydorus *lib.3. cap.14.* Ioannes Trithemius *in lib. de Illustrib. Viris Ordinis Carmelitarum*, cuius etiam verba inferius adducimus, Baptista Mantuanus *in Carmine Encomiastico de morte ipsius*. ibi.

Tu modo, magne Pater, faueas, quem certa fatentur
Æthereos inter positum miracula Ciues.

Quæ nam fuerint. 5 Vita porro ipsius ex Petro Vbalthero de Terra noua extracta sequẽtia enarrat. Primum; *Pater Nicolaus, dum in Altari Sacris operaretur repentina luce circumfusus, visus est sibi videre Christum Saluatorem gloria, & honore decorum, maxime vero à quinque illis nostræ redemptionis stigmatibus insignitum: Christi ad dexteram astabat ipsa Christi Mater Beatissima Virgo, quę Filium nudo pectore, & obiectis ad commiserationem vberibus, pro fælici Ecclesiæ Catholicæ tutela exorabat: Virginis dextrum latus tenebat B. Ioannes Sorethius, qui, & ipse paucos ab hinc dies vita functus pro salute rei Christianæ preces ad Deum sollicite, ac prolixe fundere videbatur. Obiecto diuinitus spectaculo Sacerdos (vt fere fit) extimuit primum, mox tamen, vt sese paululum collegit, pro antiqua familiaritate, quæ illi cum Patre dum adhuc esset in viuis intercesserat, audet tandem loqui. Rogat nimirum, & quidem fidentius, vt suis apud Christum, eiusque gloriosissimam Matrem præcipuam Ordinis nostri Patronam precibus opem inchoatæ reformationi, & auxilium dignetur implorare, dictum, factum. Illico sensit interius non surdis auribus adhibitas preces, indeque ad se reuersus, & incredibili diuinę voluptatis sensu perfusus, peracto sacro grates Deo persoluit quantas potuit maximas. Remque totam cæteris bona fide enarrauit. Præterea Sacerdos alius Ordinis nostri professus Dei benignitatem eiusdem Sorethij meritis expertus est. Dum enim incurabili hydropisi æger detineretur, dormienti species magnę Viri Maiestatis per quietem obijcitur, & camisia lanea eiusdem Patris Sorethij induto, salus à Deo illi contigit*. Refert idem miraculum, vel saltem simile Bostius eo cap. 51. *Item Andegaui in Carmelitarum Conuentu, cum latomus quidam lapsu in terram moribundus esset, semiuiuus ad eiusdem Patris monumentum defertur, & protinus saluus ipse erigit se in pedes, ipsoque momento, vnà cum alijs inchoatum opus alacriter repetit.* Hunc etiam mirabilem casum affert idem Bostius supra, sicut & eum, qui sequitur. *Honestæ etiam Matronæ altero ex vberibus grauissime laboranti mammillę curationem tribuit, voto pro incolumitate concepto. Insuper in Leodiensi tractu mulier, quæ continuum per totos tres annos sanguinis fluxum patiebatur, venerandi Sorethij miraculum excipiens fauorem exorat, & sanitate fæliciter potitur. Altera item mulier teterrimo Dæmone obsessa, delato ad tumulum Patris cæreo librarum duodecim, crudeli*

Dæmo-

Dæmonis vexatione eximitur. De hoc etiam miraculo idem Bostius. *Insuper sagitta gutturi lethaliter adhærescens cuidam, miraculosè extrahitur, oratione facta ad tumulum ipsius*. Hoc etiam miraculum commemorat idem qui supra Bostius. *Demum Infans mortuus delatus ad Patris tumulum reuixit in nostrum Conuentum ad sepulchrum ipsius aduectus*. Hæc omnia ex vita ipsius *cap. 18. & 19.* desumpta, & de hoc vltimo latè idem Bostius.

5 Propterea cultum Sancti, vel Beati ipsi fore tribuendum, congruè, & piè videtur dici posse. Vita namque ipsius virtutibus plena, mors miraculis clara, & quæ Martyrij speciem fert, id insinuant. Titulus etiam Beati, quem ei plures iam olim concesserunt, specialiter Authores ipsius vitæ, & Magister Baptista Venetus de Cataneis in *Speculo Ordin. in* Tabula ac de exteris Prosper Stellartius Augustinianus *in lib. fundament. Ordin. c. 34.* id suadere credi potest. Maxime, quia cum talis cultus iam ab annis plusquam 180. inceperit, immemoriale tempus, quod est centum annorum valde excedit. Cui fauet, quod, vt ex eadem vita habetur, populus Andegauensis mira in eumdem Sorethium deuotione affectus, agminatim ad eius sepulchrum cum donarijs, & votiuis ab antiquis confluebat; ibique si qua publica vrgeret calamitas cęreis accensis, & multo pietatis affectu pro remedio postulatum. Imago quoque Virginis hactenus visitur, iuxta tumulum, quam semper gestasse dicitur, quamque ferreis cancellis includi oportuit, ne paulatim fidelibus puluerem ipsius radentibus, reliquiarum prætextu, corrumperetur, prout iam corrumpi, & fieri deformior cepit: Quæ omnia cultum Sancti, vel Beati ipsi iam ab antiquis temporibus concessum demonstrant. Vnde Baptista Mantuanus, celeberrimum huius sęculi, in quo Sorethius florebat, decus, magnusque Theologus, ipsum, vt *Cælitem* inuocare non dubitat in carmine Encomiastico de morte eiusdem, sic, vt supra retulimus. — *An cultus illi debitus.*

Tu modo magne Pater faueas, quem certa fatentur
Æthereos inter positum miracula Ciues.

Et infra.

Tu tamen interea, nostro, qui liber ab Orbe
Viuis, & ingentes meritis fauentibus alas,
In Regnum sublime volas ardentis Olympi,
Quem Deus æternis Diuorum accumbere mensis
Iussit. & immenso Cæli dignatur honore,
Funde preces, pia verba moue, feruentius ora,
Magna Dei nostris faueant, vt numina rebus.

Hæc tamen omnia, & similia cum protestatione illa, quam in principio, & fine huius Tomi adiungemus, ex decreto fœlic. recordat. Vrbani Octaui, & propter reuerentiam Sedis Apostolicæ debitam, & non alias, nec alio modo credimus, dicimus, & scribimus, donec Vaticanum responsum eiusdem S. Sedis habeamus.

6 Extant etiam plura illustrium Virorum testimonia, quæ nostri Sorethij — *Testimonia pro Sorethio*

rethij insignem Sanctitatem commendant, quorum aliqua huic loco adiungere dignum fuit. Inter ipsa præsertim duo disertissimi Abbatis Ioannis Trithemij huic loco inserenda duximus. Prius est ex lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis *fol.* 184. vbi hæc: *Ioannes Soreth natione Normanus Ordinis Fratrum S. Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli, quintus, & vicesimus Prior Generalis, vir in diuinis Scripturis doctissimus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, eloquio dulcis, & clarus, vita, & conuersatione deuotus, & singulariter Religiosus, & Sanctus: Carmelitici Ordinis decus, gloria, splendor, & Reformator, qualem nostra raro viderunt sæcula, rarius cernent ventura: totus Deo deditus, totus lectioni, & orationi intentus, contemptor mundi, amator, norma, & speculum Monasticæ conuersationis, Angelicæ puritatis imitator, virtutum custos, vitiorum acerrimus hostis. Scripsit præclara ingenij sui multa commendanda Opuscula, de quibus extant subiecta, super Sententias lib. 4. Sermones varij lib. 1. In Regulam Ordinis sui librum vnum, In eandem majus Commentum librum vnum, Constitutiones ordinauit, librum vnum. Scripsit & alia complura. Moritur Andegani sub Friderico Imperatore tertio, & Sixto Papa anno Domini* 1471. *indictio. quarta, octauo Kalendas Augusti.* Posterius testimonium eiusdem Trithemij *in lib. de Viris Illustrib. Ordin. Carmelitarum* est hoc. *Ioannes Soreth, natione Normannus, Prior totius Ordinis Generalis, Vir in diuinis Scripturis doctus, & eruditus, ingenio subtilis, sermone compositus, vita, & conuersatione deuotus, atque sanctissimus: maximus, & feruentissimus sui Ordinis Reformator, pro cuius institutione, & multos, & duros labores patientissimè sustinuit. Scripsit quædam,* &c. Hæc sunt, quæ in alio testimonio referuntur, & ita ea omittimus. Sed non ista, quæ in fine huius dixit. *Multis quotidie miraculis coruscans.*

Aliorum testimonia.

7 Nec solum Trithemius egregia de Sorethio nostro testimonia dedit. Idem namque fecerunt Euernerus RovvelincK *in Fasciculo temporum circa annum* 1464. sic dicens: *Ioannes Soreth Prior Generalis, ac Reformator Carmelitici Ordinis, Vir sanctæ vitæ, & singulariter Christo fructificus, postquam Carmelum totum viginti rexerat annis, Andegauis obijt, vbi quamplurimis nunc miraculis coruscat.* Sequuntur Marcus Guazzus *in Chronic.* Iacobus Philippus Bergomensis *in supplement. Chronic.* Einsengrineus, qui eum *Sanctum* vocat, Carthagena *in Homil.* Posseuinus *in Apparatu*, & ex nostris Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 14. Baptista Venetus de Cataneis *in Specul. Ordinis*, Baptista Mantuanus in carmine Encomiastico de morte ipsius. Quin, eodem Palæonydoro teste, Magister Rolandus Brito Sacri Ordinis Prædicatorum, cum audisset Sorethium, in Generalem nostrum electum, tale coram pluribus de ipso testimonium perhibuit. Carmelitæ elegerunt pro Priore Generali *Sacerdotem Ecclesiæ Dei præstantissimum*. Idem habet Petrus Lucius *in Compendio historiali*.

Scriptores vitæ ipsius.

8 Vitam porro ipsius scripserunt Petrus Vbaltherus de Terra noua, viæ, & vitæ eiusdem socius amantissimus, quam quoad materiam immutatam, etsi forma, stylo, ac modo diuersam, Patres Rhedonenses simul cū

expo-

expositione Parænetica, eiusdem Sorethij in Regulam nostram Typis mandarunt Parisijs 1625. Item Ioannes Truch Poeta Ordinis nostri, & Conuentus Gandensis in libello 500. versuum. Multa quoque de vita eiusdem Sorethij habent Palæonydorus, vt supra relatus, Petrus Lucius in *Compendio relato*, Didacus de Coria *lib. 12. Chronic. Carmelitar. cap. 3.* & alij.

9 Inter librorum quoque Scriptores Sorethium nostrum referunt Trithemius in duplici testimonio superius relato, vbi etiam, qui fuerint habetur, Iacobus Philippus Bergomensis *in supplemento Chronic.* Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitarum*, & Biscarretus *in suis Palmitibus*. Scriptor librorum.

10 Post mortem autem Venerandi Patris, & eodem anno septimo Idus Decembris Papa Sixtus quartus litteras quasdam Callixti Tertij reuocatorias quorundam priuilegiorum Regularium cassauit, & annullauit, præcipiens Protectoribus Mendicantium, & specialiter Guillelmo Episcopo Ostiensi Cardinali Protectori Ordinis nostri, vt in præmissis præsidio illis assisterent contra contradictores quoslibet. Habetur Bulla in Mari magno Ordinis per Ioannem de Nouolaria collecto *pag. 33.* Papæ concessio.

11 Quo etiam anno, teste Bertrando de Argentræ *in histor. Brittann. lib. 1. pag. 73.* referendus Petrus Carnengius Prouincialis Turoniæ, qui scripsit Historiam Religionis, censuram Constitutionum. & sup. Elench. Aristot. Petrus Carinengius.

12 Item eodem anno RR. Patr. Congregationis de Mantua in sui Præsulem habuerunt Ferrariæ electum Patrem Thomam de Carauaggio, qui non semel, sed sæpius eodem munere functus est, vt ex sequentibus liquescet. Constitutiones Congregat. Mantnan. Thomas de Carauaggio.

Ann. Christi 1472. Sixti 4. Roman. Pontif. 1. Frideric Imp. 33. Christophor. Martignon Generalat. 1.

1 Curabat hoc anno nouus Pontifex Sixtus, inter alia, vt contra communem hostem Turcam Christiani arma sumerent, & inter se pacificarentur: Legationibus maximè in Hispaniam, & Germaniam missis, & classi maritima armata, & ab ipso benedicta. Res tamen non magni fructus fuit. Papiensis, Mariana, Honuphrius, Spondanus. Papæ gesta.

De Christophoro Martignono Generali vigesimo quinto.

2 Comitia generalia Ordinis sequenti anno 1472. ob mortem Venerabilis Patris Sorethij Astæ habita sunt, ijs Præses adfuit Capitulum Generale.

auctoritate Pontificia Sixti Quarti, non Episcopus quidam, prout scribit Arnoldus Bostius *in lib. 7. Specul. histor. cap. 52.* Sed Magister Christophorus Martignonus, qui ante Sorethij obitum Procurator Generalis Ordinis erat, & post obitum Vicarius Generalis ab eodem Pontifice constitutus, vt patet ex litteris *Sixti* ad Cardinalem Rothomagensem Ordinis Protectorē directis in Lib. Ordinis fol. 57. quibus nedum prædicta facultas Martignono præfato conceditur, sed & sub excommunicationis sententiæ pœna præcipitur Petro de Lalu Prouinciali Franciæ, ne se pro Vicario Generali Ordinis gerere præsumeret, quam forsan dignitatem sibi iure debitam credebat, quod Generalis Sorethius in partibus illius Prouinciæ diem vltimū clausisset. Electus postea est in Magistrum Generalem Ordinis præfatus Magister Christophorus Martignonus vnanimiter.

Decreta.

2 Fuerunt autem in hoc Capitulo Diffinitores 17. Prouinciarum, videlicet, Terræ *Sanctæ*, *Siciliæ*, Narbonæ, Romæ, Alemaniæ Inferioris, Thusciæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Bononiæ, Lombardiæ, Turoniæ, Tholosæ, Cathaloniæ, *Saxoniæ*, Bohemiæ, & Alemaniæ superioris. A quibus cum Patre Ordinis aliqua ordinata fuerunt seruanda. Principaliora hæc. Primum, quod nullus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præsumeret directè, vel indirectè Conuentibus Reformatis in aliquo derogare; sed quod Generalis faceret obseruare circa illos formam Bullæ Callixtinæ. Item confirmatæ, & ratificatæ fuerunt Constitutiones factæ, & approbatæ in Capitulo nouissimo Bruxellensi, & ordinatum, quod illæ in omnibus Prouincijs haberentur, scriberentur, & legerentur. Item statutum, quod Conuentus reformati subijcerentur iurisdictioni, visitationi, & correctioni Reuerendissimi Generalis, & Prouincialium, saluo iure prædictæ Callixtinæ. Ordinatum præterea est circa habitus, & vestes Fratrum tam Clericorum, quam Conuersorum, circa fugitiuos ex vna Prouincia, vel Conuentu ad alios migrantes Prouincias, vel Conuentus; & circa remissionem quarumdam pœnarum aliquibus inflictarum. Ac demum taxatæ fuēre Prouinciæ pro communibus Ordinis expensis.

Diuisio Prouinciarum.

3 Maximè tamen in hoc Capitulo actum est de diuisione, seu separatione quarundam Prouinciarum, cum enim Generalis Martignonus gratus valde esset Summo Pontifici *Sixto* IV. vt patet ex litteris de quibus supra, vbi loquens cum Cardinali Rhotomagensi hæc dicit Papa. *Dilectum filium Christophorum Martignonum artium, & Theologiæ Magistrum, Ordinis in Romana Curia Procuratorem, nobis, ac tibi ob singularem doctrinam, Religionis zelum, & alias multiplices virtutes, quibus prædictus esse dignoscitur, acceptum*, &c. Ideo in prædictis litteris facultatem illis concessit, *Prouincias nimis amplas diuidendi*. Propterea die 12. Maij, quinque scilicet diebus ante celebrationem Capituli, quæ facta fuit 17. ipsius mensis, ipse Reuerendissimus Martignonus, præsentibus Prouincialibus Siciliæ, Thusciæ, & Bononiæ, & Magistris Iuliano de Brixia, Blasio de Florentia, & Ioanne de Prato, vna cum Baccalaureo Nicolao de Luca Socio 2. Siciliæ, aucto-

ritate Apostolica diuisit Prouincias Italiæ in hunc modum: videlicet, Prouinciam Siciliæ in Prouinciam communiter dictam *Siciliæ*, quæ tenet locum post Prouinciam Terræ *Sanctæ*; & Prouinciam Vallis Mazzariæ, quæ *Sancti Angeli* dicitur. Item Prouinciam Romanam in Romanam, quæ tenet quintum locum post Prouinciam Narbonæ, & Neapolitanam, quæ tenet locum post Prouinciam S. Angeli. Item Prouinciam Lombardię in Prouinciam Lombardiæ, quæ tenet octauum locum, & Prouinciam *Ianuæ* quæ sequitur post Neapolitanam. Item Prouinciam Thusciæ in Prouincias Florentiæ, & Pisarum. Item Prouinciam Bononiæ in Prouincias Bononiæ, & Venetiarum, seu Marchiæ. Addidit etiam Prouinciam Marchię Anchonitanæ, quam primum in ea fuerint sex Conuentus, & Prouinciam Appuliæ, & Calabriæ quamprimum etiam fuerint in ea totidem Conuentus. Quæ omnia, & alia spectantia ad harum Prouinciarum diuisionem, apparent in lib. Ord. fol. 57.

4 Hinc plurium Prouinciarum quam in præcedentibus Capitulis in hoc Prouinciales numerantur, videlicet 32. quæ sunt Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Tusciæ, Bononiæ, Tolosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Turoniæ, *Saxoniæ*, Vasconiæ, Castellæ, Portugalliæ, Bohemiæ, Daciæ, Vallis Mazzariæ, Neapolis, Ianuæ, Florentiæ, vel Pisarum, Venetiarum, vel Marchiæ, Marchiæ Anchonæ, Calabriæ, & Appuliæ. Ordinati etiam sunt Vicarij Generales in Prouincijs Hispaniæ, nempe Aragoniæ, Cataloniæ, Castellæ, & Portugalliæ; item in Prouincijs Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ; ac in Prouincijs Franciæ, videlicet Franciæ, Narbonæ, Aquitaniæ, Turoniæ, Prouinciæ, Guasconiæ, Tholosæ; ac denique in Prouincijs Germanię, videlicet Alemanię inferioris, Alemanię superioris, Saxonię, Bohemię, & Dacię. Pręterea assignati sunt Socij Reuerendissimi Patris, Magister Iulianus de Brixia, & Lector Frater Vbertinus. Procurator Ordinis, Magister Ioannes de Prato. Ac demum ordinati sunt Lectores in Studijs Romanis, videlicet, Sancti Martini in Montibus, & *Sancti* Iuliani, Parisiensi, Tolosano, Auenionensi, Bononiensi, Coloniensi, Montispessulano, Andegauensi, Pictauiensi, *Senensi*, Cadomensi, Nannetensi, Burdegalensi, Perpiniacensi, Cracouiensi, Bituricensi, & Neapolitano. Prouinciales.

5 Clariores Patres, quæ in hoc Capitulo referuntur, sunt Reuerendiss. Christophorus Martignonus Generalis Ordinis, Magister Bernardus de Montossa Diffinitor, & Prouincialis Aragoniæ, ac Vicarius Generalis Prouinciarum Hispaniæ. Magister Petrus Raynaldus Diffinitor, & *Prouincialis Prouincię*, ac Vicarius Generalis *Prouinciarum* Francię. Magister Ioannes Milueton, Prouincialis Anglię, ac Vicarius Generalis in Anglię Prouincijs. Baptista Spaniolus Mantuanus ordinatus Baccalaureus in Conuentu Bononię pro anno 1473. & Laurentius Burelus Lector *Parisiensis*. Magister Iulianus de Brixia Socius Generalis, ac Magister Ioannes de Prato Patres clariores.

Pro-

Procurator Generalis Ordinis, de quibus suis locis speciatim.

Baptistæ Mantuanus.

6 Solum hoc loco expendendum quod cum Baptista noster Mantuanus Lector pro Conuentu Bononiensi, & anno 1473. in hoc Capitulo designatus fuisset, potuit recte mores, vitam, & gesta Ludouici Morbioni insignis sanctitate viri, eo tempore, vel circiter in ea Ciuitate commorantis, describere, prout fecit in Poemate ad Innocent. 8. Sixti successorem, quod habetur inter opera ipsius Mantuani *tom.* 2. Notat hoc Spondanus ex Sigonio.

Ann. Christ. *1473.* Sixti *4.* Roman. Pontif. *2.* Frideric Imper. *34.* Christophori Martignoni Generalat. *2.*

Papæ gesta.

1 Nimabatur ad bellum contra Turcas adiuuandum Sixtus Papa, non solum propter notabilem victoriam à Venetis contra ipsos obtentam; sed & quia Cardinalis Oliuerius Classis contra ipsos Legatus, ouans Romam reuertisset Turcica preda onustus, & parte ipsius ad fores S. Petri in Vaticano suspensa; in memoriam, & signum trophęi. Ciaconius, Bzouius, Spondanus.

Turbines in Ordine.

2 Turbines aliquot hoc tempore in Ordine nostro erant, propter diuisionem Prouinciarum in Capitulo Generali proximè præterito anno 1472. celebrato, factam. Etenim Guillelmus de Fonte Prouincialis Bononiæ, & Antonius de Marinis Prouincialis Lombardiæ, ad Sedem Apostolicam contra ipsam appellarunt. Ipse etiam de fonte cum Iuliano de Brixia, de quo sub ann. 1465. diximus, quia aliqua Monasteria dominij Veneti Congregationi Mantuanæ applicauerant, rixarum etiam occasionem dabant. Quare Cardinalis Hostiensis Guillelmus Ordinis Protector ex commissione Summi Pontificis mandauit dicto Guillelmo Prouinciali Bononiæ, & Ludouico de Cremona, qui se Vicarium Obseruantiæ in vtraque Lombardia vocari faciebat, & priuilegatiue super Conuentus Syluarum, & Gerundæ Diœc. Florentinæ, & Sedunen. & Mantuæ, Ferrariæ, Brixiæ, Bononiæ, Lucæ, Parmæ, Regij, S. Mariæ de la Ripa, auctoritate Apostolica diuisionem prænarratam confirmando, præsertim Prouinciæ Bononiæ in duas, vt in Prouincia Venetiarum relinquerent Conuentus Venetiarum, Borbiaci, Vincentiæ, Paduæ, S. Ioannis de Barbarano, Veronæ, Roboreti, Brixiæ, Bergomi, & S. Mariæ de la Ripa, & omnes illos, qui aliquando possent esse Diœcesum, & Patriarchatuum Abradi, Aquileiæ, Venetiarum, Paduę, Treuisij, Vincentiæ, Veronæ, Tridenti, Brixiæ, & Bergomi: Prouincię vero Bononiæ fuerunt assignati Conuentus Bononiæ, Ferrarię, Mantuæ, Parmę, Regij, Mutinę, Imolę, Massę, & omnes, qui in dictorum Conuentuum Diœcesibus imposterum caperentur. Et ipsis Guillielmo de Fonte

Fonte Prouinciali Lombardię, & Ludouico de Cremona silentium impositum perpetuum. Biscarretus *in Christophoro Martignono*. Huiusmodi autem in Ordine rixę, quę bonarum litterarum exercitium impediunt, occasionem forsan prębuere quibusdam minus doctis in Ciuitate Bononiensi disputando, & concionando, asserendi, nō esse hęreticum dęmonum expectare responsa. Vt propterea Papa contra illos procedendum censeret, vt nonnulli scribunt.

3 Sed, cum è contra gratus valde Summo Pontifici Sixto Generalis Martignonus esset, vt vel ex litteris anno superiori adductis, liquet, vbi eum vocat sibi, *ob singularem doctrinam, Religionis zelum, & alias multiplices virtutes acceptum*; Legatosque in varias Orbis partes mitteret, tum conquirendis pecunijs, tum Principibus Europeis conciliandis pro bello contra Turcas mouendo (Papiensis epist. 407. & 408.) ipsum quoque Martignonum Legatum ad Imperatorem Fridericum misit. Baptista Venetus *in spec.* Ord. in tabula General. Biscaretus supra relatus, addens *Quod munus egregie, ac strenue exercuit, in eoque prudentissime se gessit, ac bonum nomen apud omnes adeptus est*. Quo anno id contigerit incertum, & ita nunc de eo loquimur.

Martignonus Legatus Papæ.

4 Desideratus est anno eodem 1473. noster Illustrissimus Paulus Viscontus Panormitanus Archiepiscopus. Fuit primum hic Pater Prouincialis Sicilię in Capitulo Cabilonensi anno 1444. Deinde Prior Conuentus Panormi sub anno 1445. Aloysio Sadoch Prouinciali: quo anno Rex Alphonsus donationem quamdam ab ipsis factam confirmauit, vt patet ex libro nominato Prot. fol. 94. Postea circa annum 1448. Nicolai Papæ Quinti Confessarius, & sub anno 1451. Prouincialis Romæ, & Procurator Generalis Ordinis, ipsique commissa prouisio Prioratus S. Martini in Montibus. Sub anno porro 1456. in Capitulo Parisiensi Diffinitor, & Prouincialis Romanæ Prouinciæ erat, & sub anno 1462. in Capitulo Bruxellensi Prouincialis Siciliæ. Præterea sub Paulo Secundo, cuius Confessarius quoque fuit, factus est Episcopus Mazariensis in Sicilia anno 1467. & Archiepiscopus Panormi anno 1469. Vnde ad ipsum, & Ioannem Regem 1471. Orator missus. Sub præsenti tandem anno 1473. diem clausit extremum, eiusque sepulchro in Ecclesia Cathedrali insculpta hæc inscriptio.

Pauli Visconti obitus.

Hæc est requies Pauli Ciuis nostri,
ac Præsulis de Visconti.

Familiæ ipsius insignia sunt Leo per scalam ascendens; vt habetur in Cœnobio nostro Panormitano, cui præfuit. Vir erat in diuinis scripturis iugi studio exercitatus, & eruditus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, ac propterea multa scripsisse fertur, quæ cum multis alijs voluminibus prædicto Cœnobio reliquerit. De ipso scripserunt Trithemius in lib. de Scriptorib. Carmelitar. Gesnerus, Posseuinus, Rocchus Pyrrus *in notitijs Sicil. Eccles. in notitia Eccl. Panormit. & Mazariens.*

5 Desideratus etiam est eodem anno in Angliæ Prouincia Ioannes Sutto-

Ioannes Suttonus.

Suttonus, natione Anglus, patria Eboracensis, Doctor Oxoniensis, & Dōcastriensis Monasterij Alumnus; ac Prouincialatu suę Prouinciæ per triennium functus, suo merito, suorum fructu, omniumque bonorum laude. Philosophus, & Theologus erat insignis, omnique tum Sacra, tum prophana litteratura abundanter instructus. Ad publicam proinde vtilitatem eruditionis suæ testes reliquit. Quęstion. ordinariarum *lib.* 1. Quodlibetorum *lib.* 1. Doncastriæ tandem animam cælo, & corpus tradidit sepulturæ sub hoc vt diximus, anno. De ipso scripserunt Lelandus à Pitseo relatus, Pitseus ipse, Posseuinus, & Biscarretus.

Martinus de Bergamo.

6 Bononiæ sub eodem anno Mantuanæ Congregationis Patres Martinum de Bergamo hac primum vice in Vicarium Generalem elegerunt. Sæpius eodem munere functum hunc Patrem ex sequentib. liquescet: ex quo vitę probitate, & eruditione clarum fuisse coniectari datur.

Conuentus Marchiæ.

7 De Conuentus Marchiensis in Belgio hæc extat relatio à Prouincia missa. A Carolo Duce Burgundiæ Carmelitæ licentiam obtinent ędificandi Conuentum Marchiæ anno 1473. Anno autem sequenti Magistratus, & Communitas dictæ Ciuitatis ad instantiam M. Guidonis de Andrehem S. Theologiæ Doctoris viri eminentis Ordinis nostri ad erectionem Conuentus dant hortum cuiusdam Hospitalis, domum, & Sacellum S. Nicolai cum 50. florenis annue. Cum autem Conuentus iste cum Ciuitate ann. 1615. conflagrasset, iterum est restauratus ex eleemosynis piorum: etsi magno cum labore Religiosorum. Est in Ecclesia huius Conuentus Imago Beatiss. Virginis Mariæ de *Recuperantia* nuncupatæ, magnæ deuotionis, & multis miraculis clara.

Conuentus Reueri.

8 Extant Litteræ quædam Christophori nostri Martignoni Generalis pro hoc anno directæ Fratri Peregrino de Corsinis eiusdem Ordinis, quibus, innitens alijs litteris Sixti Quarti Summi Pontificis de anno proximè præterito emanatis, facultatem ei concedit ædificandi nouum Conuentum in Oppido Reueri Mantuanæ Diœcesis inter Ferrariensem, & Mantuanam Ciuitates situato. Constituitur etiam in eo Prior pro sua vita: & tali conditione fundatur, vt sit sub vitæ Regularis Obseruantia. Renunciauit postea sub anno 1488. iuri suo in manibus Congregationis ipsi relinquendo facultatem eligendi Priorem. Litem habuit hic Conuentus circa sepulturarum iura, sed tandem victor extitit. Gaudet priuilegijs aliquot à Serenissima Gonzagarum Domo illi concessis, & indulgentijs Summorum Pontificum Gregorij Decimi quinti, & Vrbani Octaui, ac in eo plures spectatæ vitæ, & doctrinæ clari nominantur. Sic ex Archiuio Sancti Chrisogoni, & Relatione P. M. Guarganti.

Ann:

Ann. Christi 1474. Sixti 4. Roman. Pontif. 3. Friderici Imper. 35. Christophori Martignoni Generalat. 3

1 Bijt hoc anno Henricus Castellæ Rex,& ob ipsius mortem post varia dissidia, ad Hispaniæ salutem nati, Ferdinandus, & Elisabetha Reges Catholici iure dicti regnant. Mariana,& alij Hispan. Historici. Eodem etiam anno Christianus Daciæ Rex Romam deuotionis causa venit, à Summo Pontifice, & Cardinalibus benignissime exceptus; vicem ipse rependens pietate, & reuerentia erga S. Sedem alijs Regibus exemplum præbens. Papiensis, Bzouius. Gesta hoc anno.

2 Transijt ex hac temporali peregrinatione ad ęternam patriam anno præsenti Reuerendiss. Dominus, & Ordinis nostri Pater, Ioannes Stamberius Episc. Herefordien. de quo an. 1448. diximus. Doctor fuit Oxonien. vir præclaris animi dotibus insignitus, Henrici 6. Anglorũ Regis à Cõsilijs, & Confessionibus, Rector Collegij Regij Ethonensis, Episc. primum Noruicensis, deinde Banchorensis, vt eodem anno notauimus postmodũ an. 1453. Herefrodensem ascendit Episcopatum, vt eo etiam anno diximus. Quo in munere gerendo, vsque ad præsentem annum superstes fuit. Ludlouuę tandem inter nostros vltimum spiritum emisit,& corpus eius Herefordiam translatum, ibi honorificam accepit sepulturam. Mirum sanè quot librorum volumina Pater iste regimini Ecclesiarum intentus edere potuerit. Scripsit enim de vigore sacrę Scripturę *lib.* 1. de Pręrogatiua Ecclesiastica, *lib.* 1. de Symbolo Fidei, *lib.* 1. de vigore Decretorum, *lib.* 1. De Sanctionibus Ecclesiasticis, *lib.* 1. De potestate Pontificia, *lib.* 1. De dote Ecclesię, *lib.* 1. De vario Scripturę sensu, *lib.* 1. De discrimine iurisdictionum, *lib.* 1. super Magistrũ Sententiarum, *lib.* 4. De laboris vniuersi pręmio, *lib.* 1. Sermones coram Rege, *lib.* 1. Sermones ad Clerum, *lib.* 1. Sermones ad populum, *lib.* 1. Quęstiones Ordinarias, *lib.* 1. De regimine celebrantium, *lib.* 1. De quatuor nouissimis, *lib.* 1. Lecturas Oxonienses, *lib.* 1. Commentarios,& auctuarium Ricardi Vlestorni, *lib.* 1. De casu,& Fortuna, *lib.* 1. De fato, & fortuito, *lib.* 1. Composuit etiam Indices in D. Chrysostomum, in S. Augustini confessionale, in eumdem super Ioannem, in eumdem de doctrina Christiana, in Enchiridion eiusdem, De visitatione infirmorum, de cura agenda pro mortuis, de laude charitatis, de disciplina Christiana, in Homilias S. Gregorij,& in alia aliorum opera. Ex quo elicitur litterarum studijs hunc Præsulem deditissimum fuisse. De eo scribunt Lelandus à Pitseo adductus, ipse Pitseus, Balęus, Harpsteldius, Trithemius, Iacobus de Plebe, Lucius,& Biscarretus. Ioannes Stāberius.

3 Lites erant hoc tempore in Ordine circa colorem habitus nostri, Lites in Ordine.

an scilicet niger, an pure griseus esse deberet. Et quamuis Patribus Mantuanæ Congregationis intimatum esset, vt iuxta Breue S.S. habitum vniformem cum toto Ordine gestarent, ipsi tamen viuæ vocis oraculo Papæ, referente Cardinali Rhotomagensi Protectore, quoad illos fuit suspensum. Sic ex Archiuio Conuentus S. Chrisogoni.

Iulianum de Brixia. 4 Vexabant quidam hac tempestate aliquos Ordinis nostri Theologos, & inter eos Iulianum de Brixia eximium diuini verbi preconem, de quo in superioribus, & Petrum Nebularium pro, quo Mantuanus noster in tribus libris Apologiam conscripsit. Molestationis causa erat, quod prędicti Patres cum alijs sacræ Theologiæ Professoribus, & Baccalaureis propositiones quasdam in Concionibus, & disputationibus per Italiam asseruissent, quas censura dignas vexatores credebant. Sed negotium totum per Pontificem Sixtum Christophori Martignoni Generalis cura conspitum est, diplomate dato, de quo anno 147;. dicemus. Rem gestam narrat Ioannes Balæus in *Catal. Script. Brit. cent. 8. in Append. ad Ioannem Ergon.*

Ann. Christ. *1475.* Sixti *4.* Roman Pontif. *4.* Frideric Imperat. *36.* Christophori Martignoni Generalat. *4.*

Iubilæum. 1 Oc anno celebrauit Papa Sixtus Iubilæum plenissimum, ad 25. annorum tempus iam reductum: etsi non tanto Christianæ plebis concursu, quantus in alijs Iubilæi annis contigerat, ob plura bella, & seditiones, quæ inter Principes Christianos vigebant. Onuphrius, Genibrardus, & Ciaconius. In Hispania præsertim inter Ferdinandum, & Isabellam Reges Catholicos, ac Alphonsum Lusitaniæ Regem. Mariana, Zurita, Bzouius.

Papæ concessio. 2 Concessit Pontifex Sixtus prima die Maij motu proprio quatuor Ordinibus Mendicantibus, *quorum* (inquit) *scientia, & doctrina militans Ecclesia continuò suscipit incrementa*. Ne Religiosi, qui de *Obseruantia* vocantur procurarent, aut tentarent accipere Monasteria aliorum, qui *Conuentuales* nũcupantur: aut Monasteria Monialium eorum curæ cõmissa sibi dari, aut concedi: nisi apud Generales, vel Prouinciales dictorum Ordinum, præcepitque Dominis Cardinalibus Protectoribus, & alijs quibuscunque Prælatis, vt in præmissis dictis Ordinibus efficacis defensionis præsidio assisterent. Habetur diploma in Mari magno Ordinis per Ioannem de Nouolaria collecto *pag. 35.*

Puteolorum Conuentus. 3 Concessit etiam eodem anno die 12. Mensis Iulij ad instantiam Ferdinandi Regis Sicilię, qui nostris Fratribus Monasterium in loco Sancti Iacobi extra muros Puteolorum, & duodecim alia Cœnobia concedere volebat, vt ea recipere possent. Habetur Diploma in Archiuio Transpontinæ.

tinę. In eo autem Pontifex declarat Regem Ferdinandum hęc nobis beneficia conferre voluisse amore Genitricis Dei, cuius titulo noster Ordo est specialiter insignitus, & ob odorem bonæ famæ nostræ. Ex hoc autem tempore principium Conuentus Puteolani desumendum.

4 Cæli sublimia conscendit sub hoc anno Ordinis nostri, ac Portugalliæ ea tempestate decor vitæ, Sanctitate, & doctrina celebris, Magister Ioannes Consobrinus Lusitanus, de quo anno 1470. diximus. Hic Pater Inquisitor fidei cum esset, & pro Ecclesia Catholica pijssimos latratus ederet, à lupis circa caulas gregis Christiani frementibus (hæreticis) intoxicatus Olissipone spiritum emisit. Morti proximus dulcius cigno fidei protestationem, quam totis neruis in vita prædicauerat, doctè, & Christianè composuit, quæ à primęua puritate, qua dictata ab ipso fuit, aliena vulgo, circumfertur. Nominatus fuit Prouincialis Lusitaniæ in Capitulo Generali Parisiensi anno 1456. quanto autem tempore Prouincialatum gesserit ex libro Ordinis non habetur. Ingenij porrò, & pietatis monumenta post se reliquit. Videlicet, Opus tripartitum de contractibus, siue de iustitia commutatiua, quod ad instantiam Præpositi Regalis Collegij B. Mariæ de Anthem in Anglia edidit, & prodijt Parisijs anno 1496. Sermones item varios, & Francisci Maironis Conflatum in Compendio. Alia etiam scripsisse fertur, & in Bibliotheca nostri Olissiponensis Cœnobij reseruari. In cuius Ecclesia sub pulpito, vbi Euangelium cantatur, & sub nigro lapide æneis litteris inscripto (nobilissimæ Coelhorum familiæ, de qua ipse) sepulchro, honorifice conditus manet. Hinc venerabilem Patrem quidam *Beatum* appellant, quod vitæ ipsius integritas, & mors pro Christo perpessa indicare videantur ipsum cælestis Paradisi Colonum. Quod etsi nos piè existimandum credamus, *Beati* tamen titulum sine Ecclesiæ consensu, ad quam id spectat non concedimus. De illo plures scripserunt, specialiter Trithemius, Posseuinus, Andreas Scotus, & Coria. Quibus iungitur Ioannes Balæus in Catal. Script. Brittan. Centur. 8. in Appendic. ad Ioannem Ergon, vbi hæc de nostro venerabili Patre: *Eodem anno Ioannes Consobrinus Portugalensis Carmelita pro impijssimo Papismo latratus edens, eius fidei Inquisitor Vlixbonæ intoxicatus moritur.* Quis hæc legat qui impudicum Apostatam Balæum, sicut pijssimum Catholicum Consobrinum nostrum non agnoscat? Ioannes Cōsobrinus.

5 Circa idem tempus viuebat Ioannes Batauus vir doctus, multum Religiosus, & in omni fere facultate promptus. Scripsit autem librum sermonum, ac de potestate Summi Pontificis, Conciliorum, & Cæsaris. Sic ferme Suuertius. De eo quoque Eisengrineus, Posseuinus, & Biscarretus. Ioannes Batauus.

6 Eodem etiam anno ex hac vita ad meliorem migrauit Gosvvinus Hexius Brabantus Vlissingensis in Zelandia Ordinis noster celebris alumnus. Fuit hic Pater Lector Parisiensis pro sexto anno designatus in Capitulo Generali Auenionensi anno 1451. & declamator sermonum ad populum eruditissimus. Quibus suffragantibus meritis Episcopus Hierapo- Gosvvinus Hexius.

 litanus,

litanus, & suffraganeus Vltraiectinus constitutus, tum scribendo, tum docendo vir egregie doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, vitæ cursum consumauit. Scripsit autem non pauca, videlicet: Commentarium *in 1. et 2. sententiarum*, qui extat Brugis in Carthusia, De modo prædicandi, *lib.* 1. De copia exemplorum, *lib.* 1 Sermones de tempore, Sanctis, & Quadragesima, *lib.* 3. De Decem præceptis, *lib.* 1. Quæstiones de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, olim Vlissingæ apud nostros. Directorium perturbatæ conscientiæ, *lib.* 1. quod forsan idem est, ac tractatus de directione consciẽtiæ, qui Gandaui dicitur esse apud Carthusianos, & Hieronimianos. De hoc Reuerendissimo Episcopo, ac doctissimo Scriptore loquuntur Trithemius *in lib. de Illustrib. Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*, Paulus Langius, Einsengrineus, Gesnerus, Posseuinus, Franciscus Suuertius, & Biscarretus. Addens, quod Vltraiecti, vbi erat Suffraganeus, fundauerit Monasterium Ordinis nostri; & quod maioris æstimationis haberi debet, quod arctioris vitæ semper cupidus fuerit, & cum suis Religiosis communem, & pauperem vitam egerit.

Concordia inter Mendicantes.

7 Iterum eodem anno approbata, & confirmata est concordia inter Reuerendissimos Generales Mendicantium Basileæ tempore Concilij facta, de qua anno 1435. diximus, per Leonardum Mansuetum, Franciscum Sancium, Iacobum de Aquila, ac Christophorum Martignonum eorundem Ordinum Generales. Habetur instrumentum in Archiuio Transpontinæ.

Antonius de Francia.

8 Parmæ sub hoc anno Vicarius Generalis Mantuanorum Congregationis electus Pater Antonius de Francia, ad quam iam pridem dignitatem sæpius euectus fuerat; præsertim in Conuentu Siluarum 1445. & Brixiæ 1467.

Conuentus Gurgulagi.

9 Gurgulagi Conuentus hoc anno Ordini nostro concessus per litteras Sixti Quarti Romæ apud Sanctum Petrum sexto nonas Maij, postulante Ioanne Maria de Lejpis Carmelitano nostro, qui etiam constituitur per Generalem Martignonum Prior ad suam vitam. Ex Archiuio Sancti Chrisogoni; & Relatione Congregationis Mantuanæ, cuius iurisdictioni subest hic Conuentus.

Ann. Christi *1476*. Sixti 4. Roman. Pontif. *5*. Frideric Imperat. *37*. Christophori Martignoni Generalat. *4*.

Gesta hoc anno.

1 Vperarunt hoc anno Ferdinendus, & Isabella Reges Catholici Alphonsum Lusitaniæ Regem, & hac victoria Castellæ Regnũ pacatum habere ceperunt; Alphonsus verò ad Regem Galliæ

pro

pro subsidio recurrens, vix nisi verba obtinuit. Mariana, Zurita, Bzouius.

2 Papa hoc anno Ordini nostro priuilegia plura, ipsaque magni momenti, benigne concessit. Primo etenim Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem pridie Kalendas Iunij, instante Reuerendissimo Generali Christophoro Martignono concessionem factam à Callixto Tertio viuæ vocis oraculo circa cultum, & reuerentiam, preces, & suffragia publicè Sancto Alberto Drepanensi exhibenda, de qua circa annum 1457. diximus, per Bullam, quæ incipit *Cælestis Aulæ militum*, approbauit, ratificauit, & confirmauit auctoritate Apostolica, & ex certa scientia. Litteras etiam Guillelmi Cardinalis Ordinis nostri Protectoris, quibus de prædicto viuæ vocis oraculo Callixti Tertij testimonium fertur, approbauit etiam, & confirmauit, & in prædicta Bulla inseri fecit. Sunt autem tenoris sequentis: Papa concessiones.

Guillelmus, miseratione diuina, tituli Sancti Martini in Montibus Sacro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Rothomagensis, vniuersis, & singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui est vera omnium salus. Dignum, & conueniens iudicamus de ijs testimonium reddere, quæ pacem cõscientiæ multorum, et deuotionis augmentum concernere videntur. Notum igitur omnibus facimus, ac testamur per præsentes, quod Sanctissimus in Christo Pater Dominus noster Dominus Calixtus diuina prouidentia Papa Tertius, nuper viuæ vocis oraculo nobis præsentibus, & astantibus coram sua Sanctitate concessit, & indulsit R.P. *Magistro Ioanni Soreth Priori Generali Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, præsenti, & supplicanti, quod de B. Alberto de Drepano Insulæ Siciliæ dicti Ordinis, dum in humanis ageret, professori, in cuius honorem, & reuerentiam plura Altaria, & Ecclesiæ, vt idem Prior asseruit, ædificatæ fuerunt, ac eius crebrescentibus miraculis, publico longo tempore per Christi fideles, tam in eorumdem Fratrum, quam etiam in alijs Ecclesijs, nulla tamen secundum ritum Sanctæ* Romanæ *Ecclesiæ præcedente canonizatione, preces, & suffragia publiee persoluuntur, eadem reuerentia, & deuotio, vt præmittitur sine alicuius peccati labe, et transgressionis nota, ac conscientiæ scrupulo, per eos, atque alios Christifideles, fieri possit, et continuari, quousque per Ecclesiam aliud solemnius decernatur. Quæ omnia cum sic, vt præmittitur, verè, et rectè sint acta, ad cuiuslibet notitiam deducimus, et deducenda fore censemus. In quorum testimonium præsentes litteras per Secretarium nostrum infrascriptum fieri iussimus, et nostri Sigilli fecimus appensione communiri. Datum Romæ in domibus nostræ residentiæ apud Sanctum Apollinarem die 15. mensis Octobris anno Incarn. Dom. 1457. Pontificatus eiusdem* Domini *nostri anno tertio.* Habetur prædicta Bulla Sixti Quarti, cum testimonio prędicti Cardinalis Rothomagensis in Speculo Ordinis *fol.* 94. & in Mari magno Ordinis per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto *pagina* 37. Motiuum autem huius concessionis expressit Pontifex Sixtus in Bulla dicens: *Nos igitur attendentes, quod digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudia transiuit Angelorum, & ad Ordinem præfatum, qui continua gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ protectione fouetur, & sub eius honore, & speciali titulo fundatus,*

ac

ac tam per diuersos Romanos Pontifices Prædecessores nostros, quam etiam per nos Apostolica sua auctoritate confirmatus, multiplicibusque Virorum excellentium omni tempore, quasi Syderibus, decoratur ornamentis, dirigentes paternæ considerationis intuitum, &c. Ex quibus non solum elici valet singularis huius Pontificis erga nostrum Ordinem, beneuolusque affectus, sed etiam prędictam Bullam iure quasi Canonizationem Sancti Alberti habendam: cum per ipsam nedum ipsum ad gaudia transijsse Angelorum supponatur, sed & ei preces, & suffragia publicè tam in nostris, quam in alijs Ecclesijs concedatur, qui cultus cum sit generalis, nec restrictus ad aliquem locum, Ordinem, vel Prouinciam, proprius Sanctorum canonizatorum videtur. Vide dicta circa annum obitus S. Alberti.

Balæi testimonium.

3 Occasione prędictæ concessionis per Bullam à *Sixto* Quarto confirmatę affirmauit Ioannes Balęus *in Catal. Script. Brittann. Centur. 8. in Appendic. ad Guillelm. Botton.* Sixtum Quartum instituisse Festum Alberti Drepanensis. Quod autem eadem Centuria in Nicolao Kenton. dicit (hęretica sibique familiari phrasi) *Albertum Drepanensem, et Andream Fesulanum Episcopum tunc canonizata sui Ordinis* (nostri videlicet) *Idola*, de festi, vel Officij horum *Sanctorum* ea ętate concessione absdubiè intelligendum.

Mare magnū

4 Deinde eodem anno 1476 Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Kalendas Decembris, Pontificatus anno sexto, idem Pontifex *Sixtus* Quartus, copiosissimam, & gratiosissimam Bullam in fauorem Ordinis nostri dedit, quæ incipit *Dum attenta meditatione*, & est Mare magnum Ordinis, simulque habetur in Speculo Ordinis fol. 84. In qua nedum plurima Ordini nostro concessa priuilegia motu proprio, & ex certa scientia approbat, innouat, & de nouo concedit, sed plura etiam alia liberalissime, & amplissime indulget. Primo autem, prohemij loco grauissimis istis vtitur verbis. *Dum attenta meditatione pensamus, quod Virgo venustissima, et omnium virtutum floribus insignita, Virgo Dei Genitrix gloriosissima, cuius pulchritudinem Sol, et Luna mirantur, cuiusque precibus iuuatur populus Christianus, & quæ florem preciosissimum, immarcescibilem, & æternum Dominum nostrum Iesum Christum ineffabili Sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxitque Sacrum Ordinem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo à Sede Apostolica, pluribusque Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbatum. Quem eisdem gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ speciali titulo voluit insigniri, vt ob eiusdem Virginis reuerentiam Ordo ipse à Christi fidelibus meritò per amplius veneraretur. Ipsique fideles propterea eiusdem Virginis Mariæ adiuti suffragijs æternæ retributionis præmia facilius consequi mererentur. Dumque sublimium dicti Ordinis vtriusque sexus personarum, virtutum merita, Deo quidem grata, & in conspectu Apostolicæ Sedis accepta digna memoria recensemus, ac Ordinem ipsum, & illius personas sub Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediate existentes: & inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes. Sanctorumque*

Ctorumque

ctorumque Prophetarum Heliæ, & Helisæi, & aliorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli iuxta Heliæ fontem inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes: fructus quoque vberes, quos dictus Sacer Ordo in agro militantis Ecclesiæ in propagatione Religionis, et fidei Orthodoxæ hactenus produxit vtiliter, et producit, ac in futurum producturum fore indubitanter speramus, Paterna charitate intuemur; dignum potius, quinimo, et debitum, reputamus, nos ad illum nostros debere dirigere cogitatus. Per quæ ea quæ pro diuini cultus, et dicti Ordin. incremento, animarumque salute, à quampluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, sublatis ambiguitatibus, quæ exinde emersisse noscuntur in sua integritate persistant, et tanto firmius obseruentur quanto erunt sæpius Sedis Apostolicæ munimine stabilita, &c.

5 Prædicto autem Diplomate approbauit, & confirmauit Sixtus Papa, Bullas, & concessiones aliorum Pontificum prædecessorum, specialiter primo, Nicolai Quarti concedentis Ordinis nostri exemptiones, & priuilegia à suis prædecessoribus concessa, de qua egimus anno 1288. Deinde Bonifacij 8. eadem concedentis, de quo anno 1297. Item Clement. 4. ad Ecclesiæ Prælatos scribentis in fauorem nostrorum, de qua Epistola anno 1265. diximus. Innocentij 4. de priuilegio celebrandi tempore interdicti Generalis, de quo anno 1245. Alexandri Quarti de eadem materia, pro vt retulimus anno 1256. Gregorij XI. & Innocentij VI. etiam de eadem materia interdicti, vt retulimus annis 1372. & 1360. Ioannis 22. de exemptione Ordinis, de qua anno 1317. Clementis 6. de eadem materia, de qua anno 1347. Nicolai quarti, & Innocentij quarti cum correctione Regulæ, de quibus annis 1289. & 1274. Eugenij 4. & Pij 2. circa mitigationem Regulæ, de quo annis 1432. & 1459. Vrbani 4. de locis à nostris Fratribus recipiendis, de quo anno 1262. Ioannis 22. de extensione Constitutionis *Super Cathedram* ad Ordinem nostrum de, qua anno 1326. Calixti 3. Nicolai 5. & Eugenij 4. circa Confessiones factas Confessarijs nostri Ordinis, quæ retulimus annis 1457. 1447. & 1448. Alexádri 4. circa facultatem ministrandi Sacramenta familiaribus nostris, & eos tradendi sepulturæ, de qua anno 1256. Vrbani 4. circa facultatem audiendi Confessiones Confratrum, & familiarium nostrorum, ac aliorum Christi fidelium ad nos recurrentium, de qua anno 1262. Eugenij 4. de facultate Pœnitentiariorum minorum Curiæ Fratribus nostris concessa, de qua anno 1435 Clementis 4. de canonica portione non soluenda, de qua anno 1265. Nicolai 5. de eadem re, de qua anno 1449. Innoc. 6. & Clemen. 6. de non soluendis Decimis de ijs, quæ crescunt intra septa nostrorum locorum, de qua annis 1362. & 1342. Clement. 4. de susceptione Fratrum, & locorum nostrorum sub protectione S. Petri, & immunitate à soluendis decimis de hortis, & virgultis nostris, de qua anno 1265. Ioannis 22. confirmantis concessionem Alexandri 4. de non recipiendis Fratribus nostris in alijs Ordinibus Mendicantium, de qua anno 1322. Vrbani 6. confirmátis Diploma Benedicti 12. de Mendicantibus non recipiendis in Ordinibus

Epilogus Maris magni.

Mona-

Monachorum, de qua anno 1387. Nicolai 5. & Martini 5. de eadem materia, de qua annis 1418. & 1454. Alexandri 4. de Fratribus nostris non recipiendis in Ordinibus paris arctitudinis, vel minoris, de qua anno 1259. Ioannis 22. de benedictione nostrorũ Cœmeteriorum, de qua anno 1331. Eiusdem Ioannis de recipiendis Sacris Ordinibus à quocunque Domino Episcopo, de qua anno 1323. Clement. 4. de non fundandis, aut recipiendis Conuentibus ab alijs Mendicantibus intra spatium 140. cannarum iuxta loca Ordinis nostri, de qua anno 1269. Pij 2. de corrigendis defectuosis nostrorum, de qua anno 1459. Pauli 2. in fauorem reformatorum, seu Strictioris Obseruantiæ Ordinis, de qua anno 1466. Alexandri 4. de puniendis Apostatis, de qua anno 1259. Eiusdem de visitationis, & correctionis officio exercendo, de qua anno 1256. Eiusdem de plena facultate Generalis postquam electus est, de qua anno 1256. Pij Secundi in fauorem reformationis, de qua anno 1459. Calixti tertij contra Religiosos nostros beneficia obtinenentes, de qua anno 1456. Nicolai 5 de receptione Conuentuum Religiosarum, de qua anno 1452. Eugenij 4. Martini 5. & Bonifacij 9. concedentium facultatem Eremitis Sancti Augustini recipiendi pizocheras ad instar Ordinum Minorum, & Prædicatorum. quam etiam facultatem idem Sixtus nobis concedit in hoc eodem diplomate, de qua infra. Innocentij 4. de non suscipiendis causis à Sede Apostolica committendis, de qua anno 1246. Clement. 4. de celebrando cum Altari viatico, de qua anno 1265. Vrbani 5. de eadem fere materia, de qua anno 1363. Alexandri quarti de non exigenda à nostris obedientia, de qua anno 1256. Nicolai 4. de impediendis grauaminibus nostro Ordini à quibusdam illatis, de qua anno 1290. Bonifacij 8. de facultate instituendi Prædicatores verbi Dei, de qua anno 1295. Vrbani 4. de centum marchis argenti nostris concessis ex debitis incertis, commutationibus votorum, & legatis ad pios vsus relictis, de qua anno 1261. Eiusdem Vrbani circa facultatem absoluendi Fratres, de qua anno 1262. Ac tandem Alexandr. 4 de facultate absoluendi à censuris venientes ad Ordinem nostrum, de qua anno 1261. Quas quidem, vt diximus, concessiones, motu proprio, & ex certa scientia approbat, innouat, & confirmat præfatus Sixtus quartus Papa in prædicto Diplomate.

Dubiorum resolutiones

6 Præterea in eadem Bulla plura alia continentur pro resolutione dubiorum, quæ circa prædicta priuilegia, seu concessiones suboriri possent, in quibus Pontifex plura quoque concedit, indulget, & declarat. Primo, circa decimas, collectas, seu exactiones à nostris Fratribus non soluendas. Deinde circa Moniales, pinzocheras, seu mantellatas Ordinis nostri, quas vult gaudere eisdem priuilegijs, ac aliæ Ordinum Mendicantium. Item circa concessiones celebrandi tempore interdicti, habendi Altare portatile, & facultates nostris familiaribus concessas, maximè circa facultatem absoluendi Religiosos nostros professos, seu Nouitios, à culpis, pœnis, & censuris etiam reseruatis multa liberaliter concedit. Præterea circa facultatem

tem

tem ſepeliendi cadauera fidelium in noſtris Eccleſijs, & portionem canonicam non ſoluendam, multa quoque indulget. Exemptionem quoque Ordinis domorum, & Fratrum amplè ſatis extendit. Inſuper circa Sacramentorum miniſtrationem, Monialium Monaſteria, facultatem Generalis ab Ordine legitimè electi, facultatem Confeſſariorum Ordinis noſtri, conſecrationes Altarium, Chriſma, ſeu Oleum Sacrum, Fratres ab Ordine diſcedentes, Regulæ explicationem, Fratres beneficia poſſidentes, & cómunicationem priuilegiorum, multa in prædicta Bulla continentur, quibus Summus Pontifex pium, & beneuolum in noſtrum Ordinem affectum oſtendit, vt merito ipſum noſtrorum, & aliorum Tutorem appellauerit Balæus *in Catal. Scriptor. Brittann. Centur. 8. in Appendic. ſecunda ad Ioannem Ergon*.

7 Specialiter tamen circa Regulæ mitigationes, ſeu declarationes factas ab Eugenio Quarto, & Pio Secundo, de quibus annis 1432. & 1459. diximus, non ſolum eas approbauit, & confirmauit motu proprio in prędicta Bulla, ſed etiam conceſsit Reuerendiſsimo Chriſtophoro Martignono Generali Ordinis, eiuſque pro tempore ſucceſſoribus; quatenus, perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata, poſſet diſpenſare cum vtriuſque ſexus Ordinis profeſſoribus, tam in ieiunio, quam in carnium eſu, atque tres dies, plures, vel pauciores ad ieiunium faciendum nominare, & remittere. Ex vi cuius Papalis conceſsionis Generalis Pontius Raimundi in Capitulo Generali Rupeculæ celebrato anno 1488. diſpenſauit cum Ordine ſuper eſu carnium feria ſecunda, vt ibidem dicemus. Alia de hac Bulla.

8 Obijt interea ſub eodem anno, ſecundum aliquos, Ordinis noſtri celeberrimus Doctor Ioannes Beetzius Brabantus Thenenſis, Louanij ſacrarum litterarum peritiſsimus; magnæ vir Religionis, & virtutis, ac Concionator inſignis. Vocatur hic Pater à Trithemio Theologus excellens, Philoſophus ſubtilis, ingenio acer, vita præclarus, & diſputator egregius. Eius memoria in Lib. Ordinis reperitur in Capitulo Generali Bruxellenſi anno 1462. vbi Diffinitor Prouincię Germanię inferioris nominatur. Magis tamen eius memoria in ſæcula vigebit, ob ęgregia ab ipſo volumina poſteritatis vtilitati deſcripta. Videlicet: in Epiſtolam Diu. Pauli ad Romanos *librum vnum*; Præceptorium diuinæ Legis, ſiue Decalogus *lib. 10.* De Sacramento Altaris *librum vnum*; Sermones de tempore, & de Sanctis *lib. 2.* Quæſtiones varias diſputatas *librum vnum*. In æternam patriam euocatus Thenis in Choro apud ſuos, & noſtros hoc honeſtatus Epithaphio, ſepultus eſt: *Hic iacet inhumatus venerabilis Pater Magiſter Ioannes de Beetz Sacræ paginæ Profeſſor eximius, Regens, ac ordinariè legens in theologica facultate Louanij. Qui obijt 1476. die menſis Iunij*. Agunt de ipſo Trithemius, Paulus Langius, Einſengrineus, Geſnerus, Sixtus Senenſis, Poſſeuinus, Suueertius. De anno tamen obitus differunt, nam Sixtus pro anno 1470. eum refert. Quia tamen Trithemius, & Corradus antiquiores anno 1476. obijſſe, ſeu claruiſſe deſcribunt, & numerus anni in præ- Ioannes Beetz.

dicto Epitaphio omnino clarus est, ideo in hoc tempus eum referendum censemus, Maximè etiam quia in Relatione Prouinciæ Belgicæ hic annus designatur, & pro 27. Iulij. Ibi etiam adducitur Epistola quædam Ludouici Berssellij Illustriss. Ducis Austriæ Consiliarij ad Arnoldum Bostium scripta, in qua plura encomia de hoc nostro Beetz.

Ann. Christi 1477. Sixti 4. Roman. Pontif. 6. Frideric Imperat. 38. Christophori Martignonij Generalat. 5.

Gesta hoc anno.

1 Tthomanus hoc tempore, terra, marique Christianitatem infestabat, vt propterea Christianis metus grandis incussus, Sixtum Papam cogeret auxilia illis procurare. Bzouius, Alfonsus autem Lusitaniæ Rex videns quod à Gallorum Rege optata auxilia non obtinuisset, desperans veluti, Romam, & Ierosolymam petere decreuit. Gariuai, Mariana, Spondanus. Vere dictum *Maledictus homo, qui sperat in homine.*

Diploma Pontificium.

2 Benigno etiam fauore Pontifex Sixtus hoc anno nostros prosequebatur; etenim Kalendis Aprilis in Bulla *Dum attenta*, Romæ apud S. Petrum, Indulgentias (plenarijs exceptis) Ordini nostro, Ecclesijsque ipsius à Summis Pontificibus Præcessoribus concessas, specialiter à Leone 4. Hadriano 2. Stephano 5. Sergio 3. Ioanne decimo, & vndecimo, Sergio 5. Innoc. 4. Clem. 3. Alex. 2. Greg. 5. & 7. Clem. 4. Lucio 3. Greg. 8. Honorio 3. Nicolao 4. Honorio 4. Benedicto 11. Ioanne 22. Vrbano 5. Nicolao 5. confirmauit, & approbauit motu proprio, & ex certa scientia. Insuper manus adiutrices præbentibus pro dictis Ecclesijs, eorumque ornamentis, indulgentias ipse concessit. Habetur Bulla in speculo Ord. fol. 95. & in Mari Magno per Ioannem Mariam de Nouolaria collecto pag. 38. Vtitur autem Pontifex in hac Bulla eodem prohemio pro nostro Ordine satis præclaro, ac in alia, de qua anno præcedenti diximus.

Aliud.

3 Deinde eodem etiam anno Romæ apud S. Petrum sub decimo Kalend. Septembr. nouam Bullam edidit idem Pontifex Sixtus, quæ incipit *Sacer Ordo vester* in nostri Ordinis fauorem. In qua conformiter ad priuilegia Ioann. 22. & Clem. 6. Fratres nostros ab omni iurisdictione, dominio, & potestate Inquisitorum fidei exemit, ac liberauit, ita vt tales Inquisitores, nulla causa, aut occasione, contra ipsos, inquirere, procedere, aut iurisdictionem aliquam exercere valerent sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, declarans prædictos Fratres nostros solum coram Papa, Protectore Ordinis, aut Auditore Generali Curiæ Apostolicæ conueniri posse. Causa porro huiusmodi Papalis concessionis ea fuit quod, vt in ea refert ipse Pontifex, noster Christophorus Martignonus Ordinis Generalis ipsi

expo-

exposuerat, quod nonnulli Inquisitores hæreticæ prauitatis in diuersis mundi partibus constituti, *minus veraciter* asserentes, quosdam ex nostris Sacræ Theologiæ Professores, res fidei articulis contrarias in sermonibus, & disputationibus affirmasse, contra eos inquirere, ac procedere voluisse. Hos vero Patres fuisse credimus doctissimos Iulianum de Brixia, & Petrum Nebularium, iuxta dicta ex Balęo anno 1475. Pontifex ergo illis patrocinium præbens à vexatoribus liberauit. Habetur Bulla in Archiuio Ordinis Romæ in Transpont.

4 Eius hoc etiam Sixti Papæ concessione nostra illa clarissima Francisca Ambosia Conuentus trium Mariarum, seu Bonidoni Sanctimonialis professa, iuxta ea quæ diximus sub anno 1477. cùm locus ille ob aëris insalubritatem incommodus esset, Monialibus ipsius socijs ad Monasterium *de Scotijs* dictum distans à Nannetis milliario vno, quod Appendix erat Abbatiæ Sancti Sulpicij, in Diœcesi Rhedonensi ex Ordine Benedictinarum, cum suo Virginum choro (nouem erant) hoc anno in principio Aduentus se transtulit. Et 24. Decembris, præsente Duce Britanniæ assistente Yuone de Kerisac Vicario Episcopi Nannetensis, totaque Regia, & populo, sumpsit possessionem dicti Conuentus. Eum porro auxit opibus, priuilegijs, suisque reliquijs post mortem, quæ anno 1485. contigit. Ac virens sancto Obseruantiæ Regularis exemplo, publicaque sanctimoniæ fama. Albertus Legran in vita ipsius, Leo à S. Ioanne in delineat. Obseru. Rhedon. c. 37. Apud quos plura alia. Francisca Ambosia.

5 Habita Synodo à Patribus Congregationis Mantuanæ sub hoc anno Mutinæ, Pater Gulielmus de Burgo in Vicarium Generalem Congregationis electus. Guilelmus de Burgo.

6 Circa idem tempus cum Oratorium quoddam Sancti Antonij nuncupatum, Stephano à Ponte Ordinis nostri oblatum fuisset, Conuentus domus *Ossulæ*, vulgo *Dondoßola* appellatus, Prouinciæ Lombardiæ, initium habuit. Conuentus Dondossolæ.

7 Inter claros viros Ordinis nostri, qui hac ætate florebant, iure referimus Magistrum Bernardum de Montesa, Bilbitanum patria, & eiusdem Conuentus, & Prouinciæ Aragoniæ alumnum. Fuit hic Pater Bilbilis Prior, & Diffinitor eius Prouinciæ in Capitulo Generali Aureliacensi anno 1469. vbi etiam Vicarius Generalis superomnes Prouincias Hispaniæ institutus fuit, & illi commissa præsidentia Capituli Prouinciæ Castellæ pro eligendo in illa Prouinciali. In Capitulo autem Astensi anno 1472. Diffinitor etiam, & Prouincialis Aragoniæ dicitur, ac iterum institutus Vicarius Generalis in Prouincijs Hispaniæ, videlicet Aragoniæ, Cataloniæ, Castellæ, & Portugalliæ. In hunc autem annum ipsum referimus, quod in posterioribus Capitulis Generalibus nulla de ipso vlterius in libro Ordinis memoria reperiatur. Vocatur à Casanate *Vir sine dubio Religione precelsus, & assiduo adamantinus litterario labore*. Scripsit autem elucidationes in lib. Ioann. Patriarch. Ierosolymit. Bernardus Montesa.

de instit. Monach. *lib.* 1. in lib. Ribboti de peculiarib. gest. Carmelit. lib 1. Commentarior. in lib. de 4. virtutib. Cardinal. D. Thom. Aquin. lib. 1. Traduxit ex Italico in Hispanum idioma libellum antiquum de moribus politic. lib. 1. Extabant hæc in nostra Bibliotheca Cæsaraugustana. De eo Casanate relatus, ex Guadalaxara, & Alguerensi Episcopo.

Conuentus Lucini. 8 De Conuentu Lucini in Prouincia Lombardiæ scribitur in relatione Conuentuum sub Innocentio Decimo fundatum fuisse hoc anno à Fratre Iacobo Lucino, & Ecclesiam habere pro titulo S. Mariam de Gratijs.

Ann. Christi 1478. Sixti 4. Roman. Pontif 7. Frideric Imp 39. Christophor. Martignon Generalat. 6.

Dilatatio Turcarum. 1 PRorogabatur hoc tempore Turcæ Imperium in Europa, dum Christiani Principes inter se dissidebant. Gordonus. Conciliabula etiam quædam ab Antistibus in Hetruria contra Papam fiebant, quæ ipse dissoluere nitebatur. Bzouius.

Capitulum Generale. 2 Interim congregatur Ordo pro comitijs Generalibus celebrandis præsenti anno in Conuentu Brixię Prouinciæ Venetiarũ in die Pentecostes sub Præside Reuerendiss. Christophoro Martignono Generali Priore. In eis primum numerantur 27. Diffinitores; à quibus deinde taxantur Ordinis Prouinciæ pro communibus expensis. Ordinati etiam sunt Prouinciales 27. Prouinciarum, videlicet: Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romanæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Longobardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Bononiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemanniæ superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Castellæ, Bortugaliæ, Bohemiæ, Daciæ, S. Angeli, Neapolis, Calabriæ, ac Apuliæ. Prouincialium autem Terrę Sanctæ, & Venetiarum institutio, sicut, & Procuratoris Ordinis, ac Sociorum Generalis, commissa est Reuerendissimo Patri. Institutus præterea est Prior Conuentus Parisiensis vsque ad aduentum eiusdem Reuerendissimi in illam Ciuitatem. Demum ordinati sunt Lectores in studijs Parisiensi Tolosano, Bononiensi, Auenionensi, Coloniensi, Montispessulani, Andegauensi, Illerdensi, Nannetensi, Burdegalensi, Perusino, Perpiniacensi, Treuerensi, Cracouiensi, Cadomiensi, & Bituricensi, ac Regentes in Studio Pisano, & Paduano.

Decreta. 3 Quoad decreta, omissis alijs circa gradus, graduatos, bonum regimen Conuentus Parisiensis, & punitionem quorundam Fratrum; quo ad diuina Officia ordinatum est, quod per totum Ordinem fieret festum nouem Lectionum de *Sanctis*, quorum corpora quiescunt Romæ in Conuentu S. Martini in Montibus, & in alijs Conuentibus Ordinis, ac festum totum duplex, vel duplex, de omnibus illis Sanctis, in quorum diebus, &

octauis

octauis concessæ sunt Indulgentiæ in Mari Magno Indulgentiarum. Item octauæ solemnes Epiphaniæ, Ascensionis Domini, S. Michaelis, & Transfigurationis; præterea festum nouem Lectionum 15. Februarij de SS. Faustino, & Iouita Martyribus, & de S. Honorio Episcopo, & Confessore, quorum corpora quiescunt Brixiæ, in qua Ciuitate Capitulum celebrabatur; ac demum quod in Prouincia Angliæ possent Fratres nostri facere festum de Sancto Patiano Episcopo, & Confessore, ac de Sancto Erasmo Episcopo, & Martyre. Deinde ordinatum est Studium in Conuentu Agrigentino Prouinciæ S. Angeli, pro Grammatica, Logica, & Philosophia. Item quod quilibet Prouincialis dum ad propria redijsset peteret à Regibus, & Principibus pro Canonizatione S. Angeli Martyris, ac S. Andreæ. Præterea reuocantur omnes gratiæ, & priuilegia concessa per Reuerendissimum Episcopum Egitaniensem Fratribus nostræ Prouinciæ Portugalliæ, & ordinatur Prouinciali Aragoniæ, vt erga dictam Prouinciam vices Generalis haberet. Fuit hic Dominus Episcopus Egitaniensis Ioannes ille Emmanuel Regis Eduardi filius, Episcopus primum Septensis, ac postea Egitaniensis, seu Guardiensis, vulgo la Guarda. Fuit quoque moderator illius Prouinciæ, de quo anno 1441. egimus. Demum Reuerendiss. Generalis auctoritate sibi à Sanctissimo Sixto Quarto concessa, de qua anno 1476. diximus, facultatem dedit omnibus Prouincialibus Religionis, vt possent dispensare cum Fratribus, & Sororibus sibi subiectis in ieiunio, & esu carnium iuxta formam Maris magni. Constant hæc omnia ex libro Ordinis à fol. 58.

4 Clariores Patres, qui in hoc Capitulo numerantur, sunt, Reuerendissimus Christophorus Martignonus Generalis; Magister Ioannes Miluerton Prouincialis, & Diffinitor Angliæ; Magister Gratianus de Villanoua Diffinitor etiam, ac Prouincialis Aragoniæ, qui etiam Vicarius Generalis in Prouincijs Hispaniæ constituitur, & à Patribus Capituli vocatur Vir probatissimus, & Ordinis zelator, Magister Ioannes Vvirich de Nutlia Diffinitor, & Primus Socius Prouinciæ Alemaniæ inferioris; Magister Pontius Rainardi Prouincialis Prouinciæ; Frater Petrus Terrasse Lector sententiarum designatus in Auenione; Frater Stanislaus Lector Cracouiensis designatus; & Frater Bernardinus Senensis, vt apparet, Studens Parisiensis, de quibus suis locis speciatim dicetur. *Clariores Patres.*

5 Accidit eodem anno, vt cum rixæ, & contentiones in partibus Germaniæ, præsertim in Oppido Esligen, vbi nostri Ordinis Conuentum fuisse ab anno 1271. ibidem diximus, inter Fratres nostros, Prædicatores, & Minores, ex vna parte, ac Parrochialium Ecclesiarum Rectores, & alios Prælatos ex alia, subortæ fuissent; commisso negotio, de mandato Papæ Sixti Quarti Gulielmo nostri Ordinis Protectori, & duobus alijs Dominis Cardinalibus, extinctæ, & consopitæ ab illis fuerint, accedente maximè auctoritate eiusdem Sixti Quarti, quibusdam conditionibus, & modis vtrinque datis, & acceptis. Extat diploma Pontificis apud Bzouium *tom.* 18. *Rixæ in Germania.*

Annal.

Annal. sub hoc anno num. 12. & inter Extrauagantes *de tregua, & pace cap.* 2 in quo, præter alia in Ordinum Mendicantium commendationem hæc habentur: *Animaduertens, quod hodiernis temporibus, hominum crescente malitia, nisi ager Dominicus cultoribus idoneis, buccinatoribus Spiritus Sancti, & præconibus verbi Dei (qui præter cæteros in Ordinibus Fratrum Mendicantium, gratia assistente diuina in copioso numero reperiuntur) assiduè coleretur, vepribus malorum, & sentibus vitiorum omnium, celeriter obrueretur, non potuimus, &c.* Desiderandum sanè, quod Dom. Episcopus Spondanus hæc animaduertisset, & quod Mendicantes, iuxta fœlic. Recordat. Vrbani Octaui testimonium, sint veluti *Ecclesiæ muri*; ac, quod in ipsius obsequium pondus portent *diei, & æstus*, primique cum sint in laboribus, non sic in temporalibus subsidijs: sic etenim non conquæreretur, quod ipsis Sedes Apostolica nonnulla priuilegia concesserit ad ipsorum conseruationem, & Ecclesiæ vtilitatem necessaria; prout facit idem Spondanus sub hoc anno num. 16.

Attrebatensis Conuentus.

6 Facultate etiam, ac concessione eiusdem Pontificis sub Diplomate dato hoc anno septimo Kalend. Iulij, noster Attrebaten. Conuentus, qui temporum, & hominum incuria, multa passus fuerat, in melius mutatus. Sic enim colligimus ex registro Sixti Quarti, & cohærent cum eis, quæ de hoc Cœnobio diximus sub ann. 1295.

Gualterus Huntus.

7 Quo etiam anno Oxonij in Anglia viuendi cursum fecit 28. Nouembris, Ordinis nostri, & illius Vniuersitatis ea tempestate valde celebris Doctor, Gualtherus Huntus, seu Venantius, in eiusdem nationis Occidentalibus partibus natus. Hic Pater ab ingenio solertissimo, sermone polito, & lingua expedita, tam in Sacris, quam in prophanis litteris scientia valde commendatur. Accedebat ijs linguarum exacta peritia, quæ hominem magna dignum æstimatione reddebant. Magis tamen à nobis commendandus ob vitæ sanctitatem, qua, accedente singulari eius eruditione permotum Anglorum Regnum, eum ad Concilium Ferrariense, & Florentinum sub anno 1438. vt ibidem diximus, suo nomine, & communi decreto Oratorem misit. Quam strenuè porrò in ea legatione se gesserit contra Græcorum errores pro fidei dogmatibus tuendis, & ijs quæ eodem anno ex Pitseo diximus conspicitur. Oxoniam deinde reuersus, ibi à docendo, & scribendo, etiam in ætate decrepita, nunquam vsque ad mortem cessauit; vnde & plurimam litterariam supellectilem posteris communicauit, vt proinde inter nobiliores Ordinis Scriptores iure numerari possit. *Scripsit* autem enarrationes Euangeliorum, *lib.* 4. Super Magistrum sententiarum, *lib.* 4. De Ecclesiæ Symbolo *lib.* 1. De Ecclesiæ auctoritate *lib.* 1. De præexcellentia Sancti Petri, *lib.* 1. De Pontificum iurisdictione, *lib.* 3. De Regalitate Christi, *lib.* 1. De eius paupertate, *lib.* 2. De Prædestinatis, *lib.* 1. De vniuersali Pontificum dominio, *lib.* 3. Lecturas Theologicas, *lib.* 1. De Cleri vniuersali dominio, *lib.* 1. De Religiosorum prærogatiua, *lib.* 1. De statu Fratrum Mendicantium, *lib.* 1. Sermones 27. notabiles, *lib.* 1. Disputationum, *lib.* 1. Abreuiationes Petri Comestoris, *lib.* 1. Contra Græcorum articulos, *lib.* 1.

lib. 1. Acta Ferrariæ, & Florentiæ, *lib.* 6. De processu Sacri Concilij, *lib.* 1. Certamina Latinorum, *lib.* 1. Excerptiones 12. chronicorum, *lib.* 12. Historiarum epitomen, *lib.* 1. contra Mulieres doctrices, *lib.* 1. De communione fœminarum, *lib.* 1. Vocabularium Latinum, *lib.* 1. De vigore litterarum, *lib.* 1. In Parisiensem de virtutibus indices, in eundem de vitijs, & alia plura. Hinc plurium, qui de ipso scripserunt laudes promeruit. Hi sunt Baleus, Trithemius, Gesnerus, Einsengrineus, Posseuinus, Pitseus, Marsfeldius, Lucius, & Biscarretus.

Ann. Christ. 1479. Sixti 4. Roman. Pontif. 8. Frideric. Imperat. 40. Christophori Martignoni Generalat. 7.

1 POst mortem Ioannis Aragonum, & Siciliæ Regis, quæ hoc anno accidit, Ferdinandus eius filius, & Isabella vxor, Catholici Reges verè, iureque cognominati, in Castella, & Aragonia regnant, facta etiam cum Lusitania pace. Hinc egregia ipsorum facta in Hispania, de quibus in sequentibus ortum habuere. Mariana, Zurita, Gordonus. Reges Catholici.

2 Mantuæ Congregationis Patres hoc anno in sui Vicarium Generalem elegerunt Magistrum Angelum Capreolum de Brixia doctissimum Virum, in diuinis litteris versatissimum, & Concionatorem præclarum. Prout monumenta post se relicta testantur. Maximè tamen opus *Stella* prænotatum, in quo charitatem, & doctrinam ostendit. Prodijt Brixiæ anno 1510. Opera Augustini Pasirani Carmelitæ eius ex sorore nepotis. De illo Posseuinus, & Biscarretus. Angelus Capreolus.

3 Eodem etiam anno sub 13. Maij Duce Genuæ Ioanne Baptista à Campo fregoso, fundatur Monasterium Nouarum vulgo Noue ab incolis ob quoddam miraculum: est autem sub Prouincia Lombardiæ. Conuentus Noue.

4 Clarus erat sub hoc anno Matthias Emich, seu Enric Anderuacensis, quod est oppidum in Germania ad oram Rheni, iuxta Biscarretum. Qui etiam dicit fuisse alumnum antiqui Conuentus Bopardiensis, de quo tomo præcedenti diximus. Episcopus fuit Cyrensis, &, vt credimus Matthias ille in libro Ordinis pro his annis descriptus, qui in Capitulo Generali Bruxellensi anno 1462. instituitur Prouincialis Daciæ, & Nouergiæ, & in sequenti Aurelianensi anno 1469. Prouincialis etiam Daciæ creatur. Sed siue hic sit, siue alius eiusdem nominis fuerit; ad minus tamen iure meritoque Reuerendissimus hic Dominus Episcopus inter nobiles Scriptores Ordinis reputatur. Scripsit enim Lecturas in Isaiam, *lib.* 1. Sermones per annum, *lib.* 1. Orationes ad Clerum, *lib.* 1. De repertis in Italia ad Bostium, *lib.* 1. Epistolarum ad diuersos, *lib.* 1. De epistolis scribendis, *lib.* 1. Matthias Emich.

In

In summulas Logicales, *lib.* 1. In Prædicamenta Aristotelis, *lib.* 1. De ipso Posseuinus, & Biscarretus, & relatio quædam mihi data ex Germania; in qua vocatur Doctor Bononiensis, & Suffraganeus Moguntinus.

Conuentus Doglianæ.

5 Hoc anno erectum dicitur Cœnobium Doglianæ sub dominio Serenissimi Ducis Sabaudię ab Excellentissimo Principe Ludouico Marchione Primo de Saluzzo, cum licentia Superiorum, vt constat ex Instrumento hoc anno confecto. Ecclesia est sub titulo Sanctissimæ Annunciatæ. Relatio Conuentuum sub Innocentio X.

Ann. Christi 1480. Sixti 4. Roman. Pontif. 9. Friderici Imper. 41. Christophori Martignoni Generalat. 8.

Huius anni status.

1 Victa Venetorum potentia in Italia, Italis formidolosa esse cępit; vt propterea contra ipsos fœdus inirent Neapolitani, Mediolanenses, & Florentini. Guicciardinus, Gordonus. Aptius fuisset, vt contra Turcas, qui hoc tempore Hydruntum in Italia occupauerant, arma acuerent. Sed hæc frustra canimus sæpius.

S. Chrisogoni Conuentus.

2 Data est Ordini nostro sub anno isto celebris in alma Vrbe Sancti Chrisogoni nuncupata Ecclesia. De cuius antiquitate, erectione, & renouatione Tomo præcedenti ad *an.* 731. *n.* 5. diximus. Ad annum 1486. casum quidam referunt; alij ad annum 1487. Cæterum, non magni ponderis est hæc diuersitas, quia potuit contingere, quod toto hæc septennio Religio curaret habere hanc Ecclesiam; præsertim cum similia negotia Romæ procrastinari soleant, & ita etsi pro anno 1480. inchoata fuerit hęc donatio, non tamen perfecta vsque ann. 1486. vel 1487. Id certius donatam fuisse à Cardinali Recanatensi, procurante nostro Baptista Mantuano, cuius merita apud Principes magnos, hoc, & maiora præmia iure expetere possent. Resident in ea nostri PP. Congregationis Mantuanæ. Titulus est Cardinalitius, Parrochia Baptismalis, ac in ea septem priuilegiata Altaria, sicut in Sancti Petri Basilica conspiciuntur. Insignis quoque in ea fundata est Deiparæ Virginis, & Scapularis Carmelitarum Confraternitas, ad quam dum solemnis eiusdem Virginis Commemoratio 16. Iulij, vel in proximè immediata Dominica quotannis colitur, magnus Eminentiss. Cardinalium, Procerum, Principum, ac Populi Romani concursus cernitur, in quo etiam die aliquoties Virgines Romanæ pauperes pro matrimonio dotantur. Illius Titularis cum esset Card. Burghesius, postea Paulus V. Pontifex vocatus, à Populo Rom. obtinuit anno 1601. vt ipsi calix singulis annis offerretur. Post Papatum adeptũ Ecclesię titulum habuit Card. Scipio Burghesius eiusdem Pauli nepos, qui animi magnitudine Templum mirifice ornauit. Maximè tamen honestatur Ecclesia multis Sanctorum Reliquijs, quæ in

ea

ea seruantur. Hæc autem referuntur: De brachio Sancti Iacobi Apostoli Maioris nuncupati, de Scapula Sancti Andreæ Apostoli, caput, & manus Sancti Chrisogoni, de Ligno Sanctæ Crucis: Insuper de Reliquijs Sanctorum Cosmæ, & Damiani, Stephani, & Sebastiani, &c. Ad eam quoque Ecclesiam Statio fit in Quadragesima feria secunda post Dominicam Passionis. Templi etiam columnæ ex ijs dicuntur, quæ in Taberna meritoria cernebantur. De Sancti Chrisogoni Ecclesia, & Monasterio agunt Scriptores Ecclesiarum, & antiquitatum Almæ Vrbis, specialiter Octauius Panzirolus, Petrus Martyr Seruita, cum alijs. Et Patres nostri Congregati habent ipsum Sanctum Chrysogonum, Patritium militem Romanum, in Canone Missæ nominatum, in Protectorem suæ Congregationis, ex Comitijs anno 1640. Bononiæ celebratis, & Sacra Congregatione Rituum approbante. Dicitur enim hoc Sancti Chrisogoni Templum singularissimè in terrarum Orbe ipsi dedicatum; prout huius inclytæ Congregationis egregius Alumnus Angelus Robertus in quodam M.S. de Archiuio Ecclesiæ S. Chrysogoni scripsit.

3 Conuentus etiam Narnensis in Sicilia, in Diœcesi Agrigentina, qui titulo S. Mariæ Annunciatæ potitur, hoc anno, largitione Regia prouentuum 200. ducatorum exornatus est; opera M. Hieronymi de Guagliardo Narnensis, qui apud Regem, & Duces Biuonenses magnæ fuit æstimationis, ob eius vitæ, & morum candorem. Rochus Pirrus *in notit. Eccles. Siciliæ in Eccles. Agrigentina*, dum loquitur de Vrbe Naro. Conuentus Narnensis.

4 Additum insuper Religioni nostræ sub eodem anno Monasterium Golingense in Germania; quod temporibus istis, cum hæc scribimus, bellorum tumultibus, Catholicorum discordijs, & hæreticorum proteruia sub ipsorum ditione manet, expectans Dei omni potentiam, quæ Austriacam manum veræ fidei nutricem apprehendens, Germaniam ab hæretica prauitate liberet. Ex relatione Bartholomei Eiselim Prouincialis Germaniæ ad Reuerendissimum Theodorum Stratium Generalem. Golingensis.

5 Magnum etiam Iubileum eodem anno Conuentui nostro Genuensi concessit Pontifex Sixtus quarto Kalend. Iulij: Videlicet, quod visitantes illum in festo Natiuitatis B. Mariæ, & per quatuor dies continuos; similiter in festo Annunciationis, & per alios quatuor dies continuos, & sic singulo anno per quatuor annos continuos; & manus adiutrices dicto Monasterio tribuentes, plenissimam peccatorum remissionē consequerentur; possentque absolui à Confessarijs designandis per Generalem quindecim diebus ante dicta festa, & quindecim post, ab omnibus criminibus, & excessibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis (aliquibus duntaxat exceptis) & dispensari in votis (etiam quibusdam specialibus exceptis) ac componi in bonis incertis male ablatis. Habetur diploma in Archiuio Transpontinę. Genuensis.

6 Sub hoc anno, primum, iuxta Ægidium Gonzalez Dauila Hispanic. Eccles. Chronologum *tom. 3. fol.* 310. memoria extat Salmanticensis nostri Collegij in ea inclyta Vrbe, propter celeberrimam Orbi Vniuersitatem Salmanticensis.

in ipsa sitam, Clarissima. Veruntamen altius petenda huiusce Collegij prima erectio; prout in eo Theologiæ studijs vacans pro anno 1606. vel 1607 aut circiter, audire potui. De quo, & eximijs Doctoribus, qui in eo, ac nobilissimo Salmanticensi Lycæo, Cathedrarum moderatores floruerunt; insigni fabrica, qua ijs temporibus, zelo, & industria M. Ioannis Orbea eius Prouinciæ Castellæ egregijs alumni potitur; alijsque ad ipsum spectantibus libens loquar, si Deus annuat, Tomo sequenti: interim hæc pauca præmittenda duxi.

Ann. Christ. 1481. Sixti 4. Roman. Pontif. 10. Frideric Imper 42. Christophori Martignoni Generalat. 9.

Papæ gesta. 1 PRo expeditione in Turcas, qui tot progressus contra Christicolas faciebant, Pontifex Sixtus Concilium hoc anno indixit, conuocans ad illud Imperatorem, Reges, Antistes, & Principes. Deus interim ipsorum fregit superbiam morte Mahometis eorum Imperatoris. Bzouius, Spondanus, ex alijs.

Christophorus Martignonus. 2 Dum prouidus Ordinis Pastor Generalis Christophorus Martignonus gregi sibi commisso gubernando attenderet, morte Romę in Conuentu Sancti Martini de Montibus die 17. Maij hoc anno prępenitur. Fuit hic Pater Brixiensis Ciuitatis alumnus, sub Veneta ditione, vir egregius, & in omni virtutum, & scientiarum genere feliciter versatus, de suo Ordine optime meritus, qui in obtinendis pro ipso à Sede Apostolica, & Sixto Quarto, cui non solum gratus, & familiaris, verum vehementer acceptus erat, Indultis, ac Priuilegijs, sedulus, solicitus, & perquam diligens instator fuit. Constat enim à prędicto Sixto obtinuisse Mare magnum Priuilegiorum, & indulgentiarum; Bullam pro cultu S. Alberti, & alia diplomata; de quibus in superioribus annis diximus. Legatum quoque ipsius ad Fridericum Imperatorem fuisse anno 1473. dictum manet. Multiplex ipsius memoria in libro Ordinis reperitur. Primo enim in Capitulo Generali Aurelianensi anno 1469. Diffinitor Prouincię Terrę Sanctę erat, & Procurator Generalis Ordinis institutus; Deinde mortuo Reuerendiss. Ioanne Soreth anno 1471. ipse Vicarius Generalis Apostolicus à Papa creatur. Anno autem sequenti 1472. in Magistrum Generalem Ordinis vnanimiter est electus. Celebrauit postea anno 1478. in Brixia Patria sua generalia Comitia, in quibus tam ipsi, quam Sanctis in ea Vrbe quiescentibus grati, & deuoti animi affectum piè demonstrauit. Aliquos demum voluminibus conscriptis in prædicto S. Martini Cœnobio, in medio scilicet Ecclesię sub lapide eius effigiem insculptam habente sepultus iacet cum hac memoria: *Hic iacet. Frater Christophorus totius Ordinis Carmelitani*

melitani Generalis, qui priuilegia dicti Ordinis sua virtute confecit, eaque à Sixto Quarto Pontif. Max. approbari fecit. Rexit Ordinem annos decem, obijtque 17. Maij 1481. De eo Paleonydorus, Coria, Lucius, Biscarretus, & ante eos omnes Bostius *lib. 7. cap. 53.* cum alijs Ordinis Historiographis.

3 Post ipsius mortem Ordinis clauum tenuit sub titulo Vicarij Generalis à Papa *Sixto* constitutus, Magister Vuilelmus Chric, Prouinciç Turoniç, Britto, qui anno eodem defunctus successorem habuit Magistrum Pontium Rainandum Conuentus Auenionensis. Bostius supra, Palçonydorus, & alij. Vuillelmus Chric.

4 Quo etiam anno Magister Thomas de Carauagio iam secundo in Vicarium Generalem Mantuanæ Congregationis est electus in Conuentu Regij. Thomas de Carauagio.

5 Soncini Conuentus exordia ex ijs, quæ hoc anno acta sunt, facilè elici possunt. Extant autem hæc Acta in Archiuio Conuentus *S.* Chrisogoni: vbi in Instrumento quodam legitur, quod, cum Prior, & Fratres nostri, qui Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum extra *S*oncinum oppidum habitabant, Ioanni Galeazzo Vicecomiti Mediolanensi Duci supplicassent, vt præfatum locum, in quo à duodecim annis erant, illis confirmasset, annuit Dux litteris datis in quibus hæc notauimus. *Consideratis igitur superius expositis: cum studiosi assiduè simus eorum, quæ in laudem, & augmentum diuini cultus fiant, quaue subditorum nostrorum concernere commodum videantur: duximus memoratorum Fratrum annuere precibus, & eo magis, quo illorum vniuersæ Religioni plurimum affecti semper fuerimus. Itaque harum serie, quantum in nobis est, Fratribus ipsis confirmamus prænominatam Ecclesiam, seu locum Sanctæ Mariæ Gratiarum, modo tamen in hoc nullum interueniat iuris tertij præiudicium; hortantes quaslibet personas Ecclesiasticas, ac mandantes omnibus officialibus, & subditis nostris confirmationis litteras obseruent, & faciant ab omnibus obseruari, &c. Mediolani 26. Ianuarij* 1481. Extant, & in eodem S. Chrisogoni Archiuio eloquia insigniorum Patrum huius Soncinensis Conuentus. Hi porro numerantur Magister Octauianus *S*angallus, Magister Remigius Alexandrinus de Prato alboino, Magister Io: Baptista Guarguantus, Magister Cornelius Guarguantus, Baccalaureus Aurelius Perentius, Magister Cornelius Bonettus, & alij nonnulli, etsi non inter graduatos recensiti. Idem porro Magister Baptista Guarguantus in relatione speciali Conuentuum Congregationis, dum de hoc suo *S*onciuensi Cœnobio agit pro anno 1468. extructam fuisse paruam ediculam B.V. dicatam, ait, Episcopi Cremonensis auctoritate, postea verò Ioannis Galearij Ducis Mediolanensis de anno 1480. possessionem nostris confirmatam: Ecclesiamque consecratam sub 1528. Plura etiam de priuilegijs, ornatu Ecclesiæ, Capella B. Virginis, paramentis, & alijs ad ipsum spectantibus diffusè, & eruditè loquitur. Conuentus Soncini.

in ipsa sitam, Clarissima. Veruntamen altius petenda huiusce Collegij primaerectio; prout in eo Theologiæ studijs vacans pro anno 1606. vel 1607 aut circiter, audire potui. De quo, & eximijs Doctoribus, qui in eo, ac nobilissimo Salmanticensi Lycæo, Cathedrarum moderatores floruerunt; insigni fabrica, qua ijs temporibus, zelo, & industria M. Ioannis Orbea eius Prouinciæ Castellæ egregijs alumni potitur; alijsque ad ipsum spectantibus libens loquar, si Deus annuat, Tomo sequenti: interim hæc pauca præmittenda duxi.

Ann. Christ. 1481. Sixti 4. Roman. Pontif. 10. Frideric Imper 42. Christophori Martignoni Generalat. 9.

Papæ gesta. 1 PRo expeditione in Turcas, qui tot progressus contra Christicolas faciebant, Pontifex Sixtus Concilium hoc anno indixit, conuocans ad illud Imperatorem, Reges, Antistes, & Principes. Deus interim ipsorum fregit superbiam morte Mahometis eorum Imperatoris. Bzouius, Spondanus, ex alijs.

Christophorus Martignonus. 2 Dum prouidus Ordinis Pastor Generalis Christophorus Martignonus gregi sibi commisso gubernando attenderet, morte Romę in Conuentu Sancti Martini de Montibus die 17. Maij hoc anno pręuenitur. Fuit hic Pater Brixiensis Ciuitatis alumnus, sub Veneta ditione, vir egregius, & in omni virtutum, & scientiarum genere feliciter versatus, de suo Ordine optime meritus, qui in obtinendis pro ipso à Sede Apostolica, & Sixto Quarto, cui non solum gratus, & familiaris, verum vehementer acceptus erat, Indultis, ac Priuilegijs, sedulus, solicitus, & perquam diligens instator fuit. Constat enim à prędicto Sixto obtinuisse Mare magnum, Priuilegiorum, & indulgentiarum, Bullam pro cultu S. Alberti, & alia diplomata, de quibus in superioribus annis diximus. Legatum quoque ipsius ad Fridericum Imperatorem fuisse anno 1473. dictum manet. Multiplex ipsius memoria in libro Ordinis reperitur. Primo enim in Capitulo Generali Aurelianensi anno 1469. Diffinitor Prouincię Terrę Sanctę erat, & Procurator Generalis Ordinis institutus. Deinde mortuo Reuerendiss. Ioanne Soreth anno 1471. ipse Vicarius Generalis Apostolicus à Papa creatur. Anno autem sequenti 1472. in Magistrum Generalem Ordinis vnanimiter est electus. Celebrauit postea anno 1478. in Brixia Patria sua generalia Comitia, in quibus tam ipsi, quam Sanctis in ea Vrbe quiescentibus grati, & deuoti animi affectum piè demonstrauit. Aliquot demum voluminibus conscriptis in prædicto S. Martini Cœnobio, in medio scilicet Ecclesię sub lapide eius effigiem insculptam habente sepultus iacet cum hac memoria. *Hic iacet. Frater Christophorus totius Ordinis Carmelitani*

melitani Generalis, qui priuilegia dicti Ordinis sua virtute confecit, eaque à Sixto Quarto Pontif. Max. approbari fecit. Rexit Ordinem annos decem, obijtque 17. Maij 1481. De eo Paleonydorus, Coria, Lucius, Biscarretus, & ante eos omnes Bostius *lib.7.cap.53.* cum alijs Ordinis Historiographis.

3 Post ipsius mortem Ordinis clauum tenuit sub titulo Vicarij Generalis à Papa *Sixto* constitutus, Magister Vvilelmus Chric, Prouinciæ Turoniæ, Britto, qui anno eodem defunctus successorem habuit Magistrum Pontium Rainandum Conuentus Auenionensis. Bostius supra, Palæonydorus, & alij.. Vuillelmus Chric.

4 Quo etiam anno Magister Thomas de Carauagio iam secundo in Vicarium Generalem Mantuanæ Congregationis est electus in Conuentu Regij. Thomas de Carauagio.

5 Soncini Conuentus exordia ex ijs, quæ hoc anno acta sunt, facilè elici possunt. Extant autem hæc Acta in Archiuio Conuentus *S.* Chrisogoni: vbi in Instrumento quodam legitur, quod, cum Prior, & Fratres nostri, qui Ecclesiam S. Mariæ Gratiarum extra *S*oncinum oppidum habitabant, Ioanni Galeazzo Vicecomiti Mediolanensi Duci supplicassent, vt præfatum locum, in quo à duodecim annis erant, illis confirmasset, annuit Dux litteris datis in quibus hæc notauimus. *Consideratis igitur superius expositis: cum studiosi assiduè simus eorum, quæ in laudem, & augmentum diuini cultus fiant, quaue subditorum nostrorum concernere commodum videantur: duximus memoratorum Fratrum annuere precibus, & eo magis, quo illorum vniuersæ Religioni plurimum affecti semper fuerimus. Itaque harum serie, quantum in nobis est, Fratribus ipsis confirmamus prænominatam Ecclesiam, seu locum Sanctæ Mariæ Gratiarum, modo tamen in hoc nullum interueniat iuris tertij præiudicium; hortantes quaslibet personas Ecclesiasticas, ac mandantes omnibus officialibus, & subditis nostris confirmationis litteras obseruent, & faciant ab omnibus obseruari, &c. Mediolani 26. Ianuarij* 1481. Extant, & in eodem S. Chrisogoni Archiuio eloquia insigniorum Patrum huius Soncinensis Conuentus. Hi porro numerantur Magister Octauianus *S*angallus, Magister Remigius Alexandrinus de Prato alboino, Magister Io: Baptista Guarguantus, Magister Cornelius Guarguantus, Baccalaureus Aurelius Perentius, Magister Cornelius Bonettus, & alij nonnulli, etsi non inter graduatos recensiti. Idem porro Magister Baptista Guarguantus in relatione speciali Conuentuum Congregationis, dum de hoc suo *S*onciuensi Cœnobio agit pro anno 1468. extructam fuisse paruam ediculam B.V. dicatam, ait, Episcopi Cremonensis auctoritate, postea verò Ioannis Galearij Ducis Mediolanensis de anno 1480. possessionem nostris confirmatam: Ecclesiamque consecratam sub 1528. Plura etiam de priuilegijs, ornatu Ecclesiæ, Capella B. Virginis, paramentis, & alijs ad ipsum spectantibus diffusè, & eruditè loquitur. Conuentus Soncini.

Ann. Christi 1482. Sixti 4. Roman. Pontif. 11. Frideric Imp 43. Pontij Rainaudi Generalat. 1.

Bellum Granatense. 1  Eptum hoc anno in Hispania bellum contra Mauros Granatenses à Ferdinando Catholico Rege, secundis certe auibus, ob Dei gratiam: etsi enim per decem circiter annos durauerit, lætum, faustumque finem pro Catholica Hispania, & toto Christiano Orbe, tandem habuit. Mariana, & alij.

Papæ concessio. 2 Prouidit Summus Pontifex Sixtus Quartus prima die Aprilis huius anni in fauorem Reformationis, seu Strictioris Obseruantię inter Patres Congregationis Mantuanæ eo tempore feliciter introductæ, ne aliqui ipsorum ad Conuentus, seu Prouincias Ordinis, in quibus talis Obseruantiæ rigor non vigeret, transire præsumerent sub pœna excommunicationis ipso facto tam ipsis transeuntibus, quam eos recipientibus. Motus ad id Pontifex ex eo quod in Bulla refert, videlicet quod inter prædictos, *Zelus piæ vitæ, & charitatis feruor vigeat incessanter, & omnia habeantur in communi, & æqualiter distribuantur, & benedicente Domino ex pijs Christi fidelium eleemosynis, vnicuique necessaria suppetant condecenter.* Ratione ergo vitæ communis, & Obseruantiæ Regularis, quæ ab illis Patribus obseruabatur, prouisionem hanc Pontifex merito faciendam iudicauit. Hactenus Bulla inter priuilegia Congregationis.

De Pontio Rainaudo Generali 26.

Pontius Rainaudus. 3 EOdem anno in festo S. Pentecostes die 26. Maij Magister Pontius Rainaudus Vicarius Generalis Ordinis, ac Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ pro electione noui Generalis facienda in Conuentu Auenionensi Comitia Generalia celebrari fecit. In eis primum vnanimiter, vnoque ore ipse Pontius in Generalem fuit electus. Numerantur deinde 21. Diffinitores Prouinciarum Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Scotiæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Romandiolæ, & Castellæ. A quibus cum Reuerendissimo Generali taxatæ fuerunt Ordinis Prouinciæ pro communibus expensis. Ordinati etiam fuerunt Prouinciales 23. Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ Inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Scotiæ, Thusciæ, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Castellæ, Bohemiæ, Neapolis, & Daciæ. Prouincialatus

Pro-

Prouinciæ vacans per electionem Generalis remissus fuit electioni Prouinciæ, & arbitrio ipsius. Cui etiam commissum fuit prouidere de Prouincialibus Venetiarum & Portugalliæ, ac etiam de Prioratu Romano. Ordinati autem sunt à Capitulo Prior Parisiensis, & Procurator Generalis in Curia Romana. Ipse quoq; Generalis duos sibi venerabiles Patres in socios assumpsit. Tandem ordinati sunt Lectores in Studijs Parisiensi, Tholosano, Auenionensi, Coloniensi, Montispessulano, Andegauensi, Pictauiensi, Illerdensi, Codomiensi, Caturicensi, Manetensi, Tubingensi, Burdegalensi, Papiensi, Paduano, & Bituricensi. pro Studijs autem Perpiniacensi, Treuerensi, Bononiensi, & Salmantino, licet nominentur, non tamen designati sunt Lectores, forsan quia ad arbitrium Generalis, vel Prouincialium negotium fuit commissum. lib. Ordinis à fol. 62.

4 Clariores Patres, qui in hoc Capitulo nominantur, sunt, Reuerendissimus Magister Pontius Rainaudi Generalis Magister; Marcus de Montecatino Procurator Generalis, Diffinitor, & Prouincialis Romæ; Magister Gratianus de Villanoua Diffinitor, & Prouincialis Aragoniæ. liber Ordinis, vt supra. Clariores Patres.

5 Quoad decreta nulla conspiciuntur in Actis Capituli descripta; Cuius rei proculdubio causa extitit, prout Arnoldus Bostius, ait lib. 17. Specul. histor. cap. 53. quod eo tempore pestis grassabatur in ea Auenionensi Regione, ita vt Tabula Capituli lecta sit feria 2. Pentecostes, ad abreuiandum Capitulum; & tam in eo quam in itinere plusquam 200. Fratres obierint. Nihilominus Palçonidorus eius temporis testis, lib. 3. capitul. 14. eundem Bostium sequens, affirmat in hoc Capitulo ordinatum fuisse, vt in die Corporis Christi, & per octauam ad *Nunc dimittis* diceretur Antiphona *Alleluia Verbum caro*, &c. & ad hymnos eiusdem metri, *Gloria tibi Domine, qui natus*, &c. Item quod ad mensam loco vers. *Oculi omnium, & edent pauperes*, &c. diceretur per octauas Natiuitatis Christi, *Verbum caro*, & per octauas Paschæ *Hæc dies*, &c. Item quod festum decem millium Martyrum duplex esset. Hæc autem, vt in simili diximus in alijs Capitulis, viua voce solum ordinata sunt in hoc Capitulo, ob causam assignatam, & sic non scripta in libro Ordinis. Decreta.

5 Sub hoc anno iuxta Balæum in Catalogo Centur. 8. Mantuanus noster 50. suorum operum libros perfecit. Ex quo eo tempore clarissimum fuisse comprobatur, ac ex dicendis in sequentibus magis innotescet. Baptistæ Mantuani libri.

Ann.

Ann. Christi *1483.* Sixti 4. Roman. Pontif. 12. Frideric Imperat. *44.* Pontij Rainaudi Generalat. *2.*

Huius anni euenta.

1 Oc tempore Veneti à Papa anathemate feriebantur, quia arma contra Herculem Atestinum deponere non valebant: ad summum enim Ecclesiæ Pastorem spectat discordias Principum è medio tollere, vt concordibus postea armis ferrum contra infideles versant. Sabellicus, Gordonus, Bzouius. Ad eundem annum quoque natiuitas refertur hominum duorum, quorum vnus, qui fuit Ferdinandus Cortesius, Marchio de Valle à Deo datus est, vt Ecclesiæ fines latè, longèque in Indijs Occidentalibus propagaret; alter, qui à Diabolo prouocatus eandem turbauit, vitiauit, tædauit, Martinus Lutherus. Ille in America, iste in Germania: ille ad Austrum, de quo dicitur *Deus ab Austro veniet*, iste in Septentrione, à quo panditur *Omne malum*. Sic fere ex alijs Bzouius. Norent hæc mei Hispani, vt agnoscant Indicas diuitias illis à Deo donatas esse ad ruinas implendas, quas Lutherus, & sectatores induxerunt: & exteri alij, ne ambitione, cupiditate, aut inuidia illecti, tam sanctum opus impediant.

Card. Protect.

2 Obijt eo anno Cardinalis Rothomagensis Ordinis nostri Protector, & eius in locum suffectus fuit Cardinalis Ioannes Baptista Cibo Episcopus Melphitensis, postea anno proxime sequenti Papa creatus, & Innocentius Octauus nominatus, prout constabit ex dicendis inferius.

Monasteriū de Scotijs.

3 Supplicauit hoc anno Pontificem Venerabilis nostri Ordinis Sanctimonialis Francisca Ambosia, Brittaniæ quondam Ducissa, de qua in Superioribus nonnulla scripsimus, quatenus Monasterium de *Scotijs* nuncupatum, ad quod cum alijs Sororibus translata erat; eas omnes, & quascunque personas tam intra, quam extra prædictum Monasterium tunc, & pro tempore existentes, sub Generalis Prioris Ordinis protectione perpetuò ponere, ac deputare vellet, ac ipsas, & earum quamlibet, nec non personas prædictas ab omni iurisdictione, & superioritate Prouincialium, Priorum, & quorumcunque aliorum inferiorum Ordinis pro tempore existentium perpetuo eximere, & liberare. Annuit ergo Pontifex Diplomate dato sub hoc anno Romæ 12. Kalend. Octobris. Insuper eidem, & Sororibus concessit, vt possent eligere aliquem probatum Virum Ordinis de vera Obseruantia in suum Visitatorem, seu Vicarium, qui eas, & prædictum Monasterium visitare, & reformare posset, cum omnimoda potestate, quam Prior Generalis haberet, quem sic electum idem Prior Generalis infra decem dies confirmare teneretur, & in casu recusationis, seu dissimulationis,

dictis

dictis decem diebus elapsis, auctoritate Apostolica confirmatus censeretur: etsi nihiloninus Prior Generalis per se ipsum duntaxat si voluerit, eas visitare posset. Præterea eisdem concessit, vt Confessarios sibi gratos, & acceptos de Fratribus de Obseruantia Ordinis eligere, & in Fratres suos tenere possent; quos sic electos Visitator præfatus confirmare deberet. Item quod possent dicta Francisca Priorissa, & Sorores, Fratres pro earum seruitio eligere, qui, Superiorum licentia petita, etsi non obtenta, valerent ad domum prædictam de Scotijs accedere, & in ea libere commorari, solum per Priorem Generalem, vel Visitatorem prædictum amouibiles. Ad hęc quod possent prædicta Francisca, & Visitator, seu Vicarius præfati pro tempore, & in eius absentia principalis Confessor eligendus, Religionem ingredi, & Ordinem sub dicta Regulari Obseruantia profiteri volentes, in Fratres dictæ domus de Scotijs pro earum seruitio recipere: ac tandem quod in euentu quod Prior Generalis commodè non valeret, aut non vellet, in præmissis, vt præfertur, prouidere, Episcopus Nannetensis pro tempore in omnibus, & singulis præmissis, & alijs necessarijs Auctoritate Apostolica prouidere valeret. Cui etiam mandat, vt in præmissis efficacis deffensionis præsidio assisteret. Ampla autem hęc priuilegia absdubiè concessa sunt à Papa Sixto ob prædictæ Franciscæ opinionem bonam, auctoritatem, & generis clarissimi nobilitatem. Habetur Bulla in Archiuio Transpontinæ.

4 Habuerunt eodem anno 1483. Patres Congregationis Mantuanæ in sui Generalem Vicarium, Nouolariæ electum, Magistrum Baptistam Hispaniolum de Mantua, vulgo Baptistam Mantuanum vocatum; eius, & superioris ætatis virum celeberrimum, de quo multa in sequentibus. Quo anno, & primo sui Vicariatus officio, non leues rixæ, & contentiones inter Patres Religionis, & prædictæ Mantuanæ Congregationis, Diabolo suggerente, subortæ sunt, vel saltem eo tempore erant: non tam, vt dicitur, de lana caprina, quam de colore habitus à prædictis Patribus Congregationis deferendi. Magister etenim Marcus de Monte Catino Procurator Generalis Ordinis, tincti, seu nigri coloris debere esse, & prædictis deferri asserebat, ex quibusdam litteris Sixti Quarti id præcipientibus, à Papa datis sub hoc anno pridie idus Aprilis, vt constat ex Archiuio Transpontinæ: contra vero Baptista Mantuanus Congregationis Vicarius Generalis, nonnisi grisei, & non tincti coloris habitum futurum affirmabat. Cum autem Papa Sixtus discordias, ac dispendiorum litium, aut quæstionum huiusmodi materias, pro omnium pace, & quiete, dirimere cuperet, viuæ vocis oraculo negotium commisit Oliuerio Episcopo Sabinensi, ac Ioanni Baptistæ titulo Sanctæ Cæciliæ Cardinali Ordinis Protectori, qui, partibus prædictis auditis declararunt præfatos Patres Congregationis Mantuanæ deliberare, & eligere debere infra mensem Maij anno sequenti futurum, quo dictorum colorum, nigro scilicet, vel grisseo, in posterum vti vellent, non obstantibus litteris de & super totali habitus nigredine antea emanatis. Habetur

Baptista Mantuanus.

betur hoc decretum insertum in Bulla eiusdem Sixti Quarti, de qua anno sequenti dicimus.

Papæ concessio.

5 Similiter eodem anno Papa Sixtus Eugenij Quarti concessiones Patribus eisdem Congregationis factas, postulante Baptista Mantuano eorum Vicario, ne dum approbauit, & confirmauit, sed etiam nouas gratias concessit, prout constat ex litteris eiusdem Sixti inter priuilegia Congregationis relatis.

Ecclesia Aquæ nigræ.

6 Interim eodem anno D. Franciscus de Manfredis Cremonensis Rector Ecclesiæ Aquæ nigræ illam cessit Ordini, & Fratribus nostris. Cessio facta est in Episcopatu coram Vicario, & testibus, Fratri Iuliano de Lugarinis. Ordinis nostri, Archiuium Transpontinæ.

Balduinus Laersius.

7 Obijt eodem anno Balduinus Laersius vir eruditus nostri Conuentus Attrebatensis, qui librum scripsit de miraculis Beatissimæ Virginis factis in Ordinis nostri patrocinium. Relatio Prouinciæ Belgicæ, & Biscaretus ex Fabro.

Ann. Christ. 1484. Sixti 4. Roman. Pontif. 13. Frideric Imperat. 45. Pontij Rainaudi Generalat. 3.

Papæ gesta.

1 Oc anno Castellæ Reges contra Mauros excitabat Sixtus Papa; & ipsi Aloram Vrbem ceperunt; in Granatæ conspectu exercitum posuerunt, & magnum metum Mahometanis ingesserunt. Mariana, Gordonus.

PP. Congregationis deliberatio.

2 Interim, deliberatione inter Patres Mantuanos facta super colore habitus eligendo, decreuerunt, non nigro, aut tincto, sed grisseo potius sine artificiali tincturæ colore, vti in posterum velle: quin, supplicante Baptista Mantuano ipsorum Patrum Vicario Generali, Papa Sixtus talem determinationem, seu deliberationem pro firmiori subsistentia litteris Apostolicis confirmauit, & approbauit hoc anno pro septimo Kalend. Iun. Pontificatus anno 13. quæ incipiunt: *Quæ pro Regulari castimonia*, & habentur inter priuilegia eiusdem Congregationis.

Habitus grisseus.

3 Huius autem piæ, ac prudentis deliberationis, seu electionis coloris grissei, & non tincti, quæ sine dubio conformior est puritati Religionis, quæ nullam patitur contrarij admixtionem; vsui Beatæ Virginis Mariæ Ordinis Patronæ, & Sanctorum Patrum Eliæ, & Elisæi, qui vestes natiui coloris semper gestasse creduntur, paupertati quoq; Ordinis, quæ iure suo postulat viliori pretio vestes comparandas, quales Regulariter sunt illæ, quas natura ipsa sine arte præstat, absdubiè præcipuus author fuit ipse Congregationis Caput prædictus Baptista, cui sæpe, & merito niger color habitus exosus fuit, vt liquet ex Egloga decima ipsius, cui nomen *Bembus*, in qua de

Fratrum

Fratrum obseruantium, & non obseruantium controuersia, est sermo? Quod, vel ex ipsis colloquutoribus *Bathraco*, & *Myrmice* conijcitur, *Batrachus* enim, qui obseruantium partes agit, teste Iodocho Badio Interprete, *rana* dicitur, cui fere similem obseruantes nostri gestant tunicam, quia *piceam*, aut *grisseam*. *Myrmix* autem, qui non obseruantes tuetur, eodem Badio testante, *formica* est, quæ nigra cum sit, nigrum non obseruantium habitum designat. Hinc in eadem Ægloga Batrachus sic Myrmicem compellat.

Dic mihi, dic Myrmix, priscum cur lana colorem
Perdidit, hæc gregibus quidnam noua vellera fecit?
Cur pecus est nigrum, quod erat melioribus annis
Clarum? Immutarunt mutati vellera mores.

Pro huiusmodi etiam grisseo nostri Ordinis habitus legitimo colore, id etiam valde facit, quod Venerabilis illa Francisca de Ambosia quondam Brittaniæ Ducissa, & postea nostra Carmelitana Sanctimonialis vtebatur eo colore, quem Hispani *pardo*, Itali *Tannè*, & Galli *enfume*, prout ex Scriptore vitæ eiusdem Franciscæ habet Biscarretus in suis palmitibus de eadem Francisca agens.

4 Obijt eodem anno Papa Sixtus Quartus, qui Mendicantium Ordines, qui veluti quatuor Paradisi flumina vniuersam irrigant terram, valde coluit, Priuilegijs decorauit, ac præsertim, quæ *Maria magna*, & Bulla aurea nuncupantur, quæ nos exponimus *tom. 5. Summæ Quæst. Regularium*. Plura etiam gesta ipsius, & scripta ab alijs referuntur; & inter ea, quod scripserit contra errores cuiusdam Carmelitę Bononiensis, qui dixerat, Deum sua omnipotentia hominem damnatum saluare non posse. Cæterum de tali Carmelita nulla apud nostros memoria extat, & P. Vuadinghus, non *Carmelitam*, sed Bononiensem hunc vocat: & talis propositio, salua fide, & sine errore defendi posset, Deum videlicet, hominem damnatum saluare non posse, intellige, ex vi præsentis decreti, quo decreuit quod *in Inferno nulla est redemptio*, non absolute, & de potentia, quam Theologi, absolutam appellant. Sixti 4. obitus.

5 His prætermissis, Petri Sedem post ipsum ascendit Cardinalis Ioannes Baptista Cibo nostri Ordinis tunc, vt diximus, Protector sub nomine Innocentij Octaui, eodem anno pridie Idus Septembris coronatus. Etsi autem nomen Protectoris nostrorum post Papatum abiecerit, gesta tamen non dereliquit, cum non leuia beneficia Ordini nostro in suo Pontificatu contulerit, quæ suis locis recensemus. Innocent. 8. electio.

6 Primo etenim ex Ordine nostro Confessarium habuit Virum grauissimum Gratianum de Villa noua, iam pridem Aragoniæ Prouincialem, Hispaniæ Vicar. Gener. & post modū Procuratorem Gener in Rom. Curia Legatum, Nuncium, & Papæ familiarem; ac etiam Commendatorem, seu Præceptorem Generalem totius Ordinis S. Spiritus, vt dicemus in sequentibus. Lucius in Compend. histor. Carmelit. cap. 14. Coria in Chronic. Gratianus de Villanoua

lib. 12. cap. 5. Petrus Saunier Gallus eiusdem Ord. Sancti Spiritus *in serie Commendator*.

Ordinis Protector. 6 Deinde Ordinis Protectorem declarauit Cardinalem Georgium Hieronymum Ruverum Episcopum Recanatensem Sixti Quarti nepotem. Constat enim ex dicendis eo tempore hunc Dominum Cardinalem, Protectorem fuisse, etsi quo anno ad id munus designatus fuerit, ignoretur, credimus tamen pro præsenti anno, vel paulo post id accidisse, neque enim aliter de pio affectu Papæ Innocentij erga nostros, vel solicitudine Generalis erga sibi commissum gregem, suspicari debemus.

B. Ioanna. 7 De historia porro B. Ioannæ Scopelli de Regio nostri Ordinis Sanctimonialis, de qua sub annis 1428. & 1452. dicere cepimus, id pro præsenti occurrit, quod cum ipsa pias ad Deum preces funderet, vt ei concedere dignaretur pro Monasterio fabricando Ecclesiam quandam titulo Sancti Bernardi vocatam, cum horto, & parua habitatione iuxta portam Sancti Petri sitam, quæ à Fratribus, qui Humiliati dicuntur, tenebatur; dum semel pro hoc negotio Dei benignissimam pietatem exoraret, S. Bernardum sibi loquentem, & iuxta votum desiderata promittentem videre meruit. Prout hoc anno contigit: quo per Regium Generalis Humiliatorum transiens Romam pergens, instante Philippo Zoboli Regiano Comachiensi Episcopo, Ecclesiam cum domo Virgini concessit. At Diaboli inuidia factum, vt cuiusdam Presbyteri, & alterius fœminæ contradictio magna exurgeret, vt vix è possesso domicilio eijceretur Ioanna, nisi Deus, qui humilium, & deuotorum precibus semper adest, ipsam sua gratia, & patrocinio muniret: prout sequenti anno videbitur. Benedictus Muttus Regianus *in vita B. Ioan. de Reg.*

Ioannes Pineus. 8 Mortuus, Oxonij sub eodem anno Ioannes Pineus natione Anglus, patria Bristoliensis, Ordinis nostri Alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor, & vt videtur, Professor Oxoniensis. Vir Philosophicis, & Theologicis scientijs non vulgariter instructus, & Concionator suo tempore satis celebris, Vnde, & scripsit ad nominis sui memoriam, & posterorum vtilitatem sermonum ad Clerum *lib.* 1. Disputationes solemnes, *lib.* 1. De ipso scribunt Balæus, & Pitseus.

Ann. Christi 1485. Innoc. 8. Rom. Pontif. 1. Frideric Imp. 46. Pontij Rainaudi Generalat. 4.

Prodigia visa. 1 Prodigia aliqua in Neapolitano Regno hoc tempora visa; de D. Virginis Mariæ signo sanguinē sudante, & fulminum ictibus: in Lucano quoq; agro nocturnæ hominum visiones veste candidorum, bellum, quod inter Pontificem Innocentium (alias valde pacificum,

cum, & pacificatorem) ac Neapolis Regem, indicare videbantur. Reges autem Catholici in Hispania fæliciter contra Mauros dimicant. De ijs late Bzouius, & alijs.

2 Confirmauit Innocentius Papa 1. sui Pontificatus an. tertio Kalend. Februarij, qui hinc correspondet anno omnia priuilegia Ordinis prius data, & similiter Indulgentias. Si Palæonidorus lib. 3. c. 14. Papæ concessio.

3 Confirmauit etiam Deus promissionem factam à Sancto Bernardo B. Ioannę de Regio, de qua supra. Hinc, habita Ecclesia, horto, & domuncula, Monasterium hoc anno sub faustis auspicijs, & titulo *S. Mariæ de Populo* inchoauit. Vbi quasi in arce, ac fortalitio munitissimis, ipsa cum alijs fœminis deuotis custodita, Dęmonis insultus, ac insidias, Dei gratia superare posset. Succreuit breui Cœnobij fabrica, piorum, Christophori Zoboli Regiani præsertim, eleemosynis, in Sanctam Monialium Ædem, cuius mater Ioanna erat, quasi accensa lucerna cunctis boni exempli lucem præstans. Ieiunabat sæpius, flebat amarius, & contemplationi vacans per quinque horas quotidie orationi insistebat. Cum aliquid à Deo instantius desiderabat quindecies millies *Aue Maria* cuilibet centum vnum *Salue Regina* adiungens, & in fine septies *Aue maris Stella*, & totidem *O Gloriosa Domina* dicere solita erat: hunc orandi modum *tunicam gloriosæ Virginis Mariæ* appellans. Alia ipsius virtutum magnalia in sequentibus dicemus. Benedictus Muttus in vit. B. Ioan. Scopelli de Regio. Ioanna de Regio.

4 Quo etiam anno, licet alij pro 1489. credant accidisse, diem clausit extremum Philippus Kersbellius Gandensis, Ordinis nostri celebris Professor, Philosophus, & Theologus præclarus describitur, vir etiam exquisitæ doctrinę, omnibusq; ingenua quadam animi lenitate, & affabilitate charissimus. Peste tandem sublatus Parisijs apud nostros sepulturam accepit. Reliquit post se scripta pro purissimæ Virginis Conceptione opus contra Vincentium de Nouo castro à Carolo Fernando correctum, qui eamdem tractauit materiam (sunt autem, qui adscribunt, sed male, nostro Iuliano Hassarto) Compendium ex Holcot Anglo, & ex Vvaldensi *lib.* 1. Compendium ex Petro Pelaton de potestate Papæ, & alia. De eo scribunt Posseuinus, Franciscus Svvertius in lib. cui titulus *Athenæ Belgiæ*, Iacobus de Plebe, Einsengrineus, Lucius adiungens sequens Disticon. Philippus Kersbellius.

Dum fluet vnda maris, curretque per Æthera Phœbus
Laudabit titulos candidus Ordo tuos.

5 Vocamur hoc anno ad funus clarissimæ illius Heroissæ Franciscæ de Ambosia, de qua in superioribus nonnulla, etsi pro meritis pauca diximus. Cum enim in suo Nannetensi Cœnobio de Scotijs nuncupato, ad quod se cum suis Virginibus consororibus transtulerat, moraretur, in eoque Rectrix, & Priorissa electa esset, licet humilibus incumbere officijs, choro frequenter adesse, sub obedientia alterius viuere, ac orationibus piorum, & doctorum Virorum, se commendare, potius in votis esset, ad meliorem Cœlestis patriæ vitam à Deo vocata fuit. Prænunciata ergo sui Francisca de Ambasia.

obitus die, socias suas blandis solata verbis tandem sic affata est. Valete filiæ meæ charissimæ, ecce ego eo probare quid sit amare Deum super omnia; & recitata Prosa illa *Stabat Mater dolorosa*, alta voce dixit: Beneveneritis Dominæ meæ honoratissimæ. Quare interrogata de sensu verborum illorum, sic respondit; Hæ sunt meæ Dominæ, quas semper dilexi, & in honore habui, & cum illis toto vitæ meæ tempore esse desideraui, quæso sinite illas excipiam. Postea dicto versu: *In manus tuas commendo Spiritum meum*, migrauit in cœlum, corpore pulchro, & facie decora remanentibus, die quarta Nouembris 1485. Illas Virgines Socias S. Vrsulæ credimus fuisse illas fœminas, quas lætabunda videns excipere cupiebat; illarum enim deuotissima semper fuit. Sepulta est in eadem Ecclesia cum hoc Epitaphio ex Gallico idiomate sic Latine verso. *Hic iacet virtuosissima Soror Francisca de Ambosia quondam Brittanniæ Ducissa, Petri Boni Ducis coniux, quo defuncto assumpsit Sanctæ, & deuotæ Religionis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo habitum die Annunciationis Domini nostri Sacro anno 1467. eodemq; die reuoluente anno professionem emisit. Vixit sub clausura perfecta obseruantia, firmoque proposito, ad diem vsque obitus sui, qui euenit quarto Nouembris die Veneris circa horam nonam anni 1485.* Plura de pijssima hac fœmina relinquimus Scriptoribus, qui gesta, & mirabilia ipsius latè describunt, ex quibus prudens hauriet lector, an titulus Beatæ, quem aliqui ei concedunt, ipsi tribui possit, etiam ante Sedis Apostolicæ aliquem specialem declarationem, sub protestationibus tamen, quæ in principio, & fine huius Tomi apponuntur. Historia porro huius Venerabilis Matris habetur apud Albertum le Grand Dominicanum in vita ipsius, qui eam extraxisse refert ex authoribus, qui de ea scripserunt, videlicet ex P. Christophoro le Roy Doctore Theologo in suo libro *de Sacris ardoribus* in præfatione; ex P. Leone Rhedonensi, & ante eos ex Patre Ioanne de Montoy Religiosis Ordinis Carmelitani; ex Alano Bouchard *in suis Brittanniæ Annalib. lib. 4.* ex Guillelmo Gruel iuniore, Chronicatore Ducum Francisci Primi, Petri Secũdi, Arti Tertij, & Francisci Secundi *in capitibus* 57. & 59. *lib.* 1. 42. 45. 6. 7. & 8. *lib.* 3. 1. 10. 16. 17. 18. & 21. *lib.* 4. Argentar. *in sua Histor. Brittan. lib.* 11. 12. & 13. & alijs locis, ac ex antiquis manuscript. Bullis, Memorijs, & documentis Monasteriorum de Scotijs, & Nazareth, & Conuentus Fratrum Ordin. Prædicator.

Conuentus Rupeculæ.

6 Extat pro hoc anno memoria fundationis nostri Conuentus Rochietæ, seu Rupeculæ, ob mirabilem inuentionem Imaginis Sanctissimæ Deiparæ, quam sic describit Bzouius sub hoc anno num. 40. *Non procul à Geneua, ager est Rocchieta ad Sabaudiæ Ducis possessionem, seu dominium spectans. In eo pastor quidam oues suas cum pasceret, è propinquo spineto aliquoties audiuit planctum, siue eiulatum. Primum accurrere, & explorare non ausus, tandem post aliquot dies, vbi ploratum geminari audiret accessit, & Imaginem Sacrosanctæ Virginis velut Lilium in medio spinarum iacentem conspexit. Tangere religiosum ducens, vt erat, pietate inflammatus, ad vicinos Pa-*

tres Carmelitanos properauit, rem vt audierat, inueneratque, narrauit. Sed agrè fidem apud auditores inuenit. Iuerunt tandem & hi, ac spineto appropinquantes, planctum primo eiulantis audiuerunt; deinde Imaginem, quam diximus, repererunt. Mouere, & ad Ecclesiam suam transferre conati nihil omnino promouere potuerunt. Vnde voluntatis Diuinæ, quę eodem in loco cultum suę Matris introducere se velle significabat, certiores facti, ibidem Oratorium extemporaneum extruxerunt. Quo loci crebrescentibus miraculis, & deuotione populorum aucta, Marchio Camberinensis magnificum Templum Diuæ Virginis super ædificauit, & Patrum Carmelitarum Ordini adscripsit. Quamquam autem nihil prætermissum fuerit diligentiæ, vt inueniri posset, qui eam Imaginem inter spinas reliquerit, tamen nunquam potuit sciri, aut reperiri, depositor Lilij tam venusti, tamque miraculosè medicati. Aliquis ex vicino Delphinatu eam Imaginem ex Oratorio clam subtraxerat, & in Templo quodam eius Prouinciæ reposuerat. Cæterum illa die consequenti, eodem in loco, quo subtracta fuerat, per miraculum reperta est, diuina, vt piè creditur, virtute relata. Hinc maior deuotio, hinc frequentiora, maioraque miracula. Hęc omnia Bzouius. Quibus similia fermè Franciscus Boersius de Cherasco in Informat. Prouinciarum Ordin. loquens de Prouincia Prouinciæ, ad quam spectat hic Conuentus, à pagina 187. Etsi casum asserat euenisse circa ann. 1470. Id pro comperto, quod anno 1488. celebratum est in hoc Conuentu Generale Capitulum; quo sanè denotatur breui tempore ædificatum, & ampliatum fuisse, vtpote capax effectus tot Capitularium Patrum.

7 Item eodem anno finito Vicariatu Generali Mantuanæ Congregationis Magistri Baptistæ Hispanioli, seu Mantuani, Reueri Magister Baptista Panotius de Ferraria ad id munus pro prima vice electus est. Illustris sane in Ordine, & Congregatione Pater, vt dicemus anno 1494. Baptista Panotius.

Ann. Christi 1486. Innoc. 8. Rom. Pontif. 2. Friderici Imper. 47. Pontij Rainaudi Generalat. 5.

1 MAximilianus Friderici Imperatoris filius in Regem Romanorum hoc tempore eligitur. Nauclerus, Gorgonus, & alij. Innocentius autem Papa Italiæ pacificandæ, & paci dandæ Regi Neapolitano Ferdinando incumbebat. Mariana, Bzouius, & alijs. Maximilian. Imperator.

2 Prouidit Deus hoc anno 1486. pro Ordinis nostri Fratribus in inclita Papiæ Ciuitate commorantibus Ecclesiæ illius Monasterij, vt in eam magnificam, qua nunc fruitur, molē, breuius, & facilius ascendere posset. Cęperat Ordo suis expensis, & communibus fidelium eleemosynis Monasterij fabricam an. 1481. eo, quo nunc est loco, illo relicto, quo antea fuerant Fratres, posti apud Ecclesiā SS. Faustini, & Iouitæ. Cum tamen Religionis Conuentus Papiensis.

gionis modica substantia, ac communia Christianorum subsidia pro sumptibus vix mediocriter sufficerent, Deo inspirante, Matrisque Virginis intercessione fauente, Ioannes Galeazzus pro Monasterij structura pecuniam expendi solitam à nouis sponsis nostris fratribus assignauit. Vsus erat, potius abusus, licentia iuuenili in ea Ciuitate (quod de alijs Italiæ etiam dicitur) intrusus, vt quoties vir aliquis nouas nuptias inierat, vxorem duxisset, sponsamque in domum veheret, plebeia pueritia, otiosorumque iuuenum arrogata auctoritas, vocibus, tumultibus, opprobrijs quandoque per plateas succlamantes, nouis nuptijs sic applaudentes, bilem excitabant, gaudium in luctum, lætitiam in mœrorem, sacrumq; connubium in confusum pudorem conuertentes. Vexati tunc sponsi, pecunia pro prandio pueris oblata, iniuriam sibi illatam pretio redimebant. Galeazzus igitur hanc pecuniæ summam pro iuuenum licentiosa procacitate reprimenda vane insumendam, in Dei cultum, Virginis Mariæ domicilium, & Carmelitanum Cœnobium extruendum piè commutauit. Quam postea nostris exhibitam gratiam Papienses Principes Ludouicus Sforza anno 1499. & Maximilianus Sforza anno 1515. rite confirmarunt. Hæc hausimus ex Relatione Doctoris Hieronymi Bossi Papiensis Ciuitatis Annalistæ.

Ioannes Milueton.

5 Diem suum clausit sub hoc anno meritis bonis, & diebus plenus, Londini in Anglia, sub penultima die Ianuarij, Ioannes Miluetonus Ordinis nostri, & illius Prouinciæ hac ætate valde celebris Pater. Ob doctrinam, Doctoratum Oxoniensem, & ob singularia merita ad Episcopatum Meneuensem eligi adeptus, magnum sibi conciliauerat nomen. Cecidit tamen a Principum gratia, propterea quod Antistitum, & Prælatorum vitia, acrius forsan quam par erat, reprehendisset. Hinc Romam venire coactus in castro S. Angeli per triennium detentus (etsi postea à Papa, & septem Cardinalibus cui negotium commissum, liberatus, & honori restitutus) ærumnas non paucas, nec leues sustinere debuit: casum retulimus circa annum 1467. Prima malorum horum radix, & origo fuit quod de ipso retulimus anno 1458. Cum enim, iuxta ibidem dicta, contra Peccoci Episcopi errores primum acriter pugnasset, hinc contra aliorum Prælatorũ crimina grauiter etiam se obiurgatorem ostendere concionibus cepit. Ad annos vndecim, semel, & iterum ad duodecim, Prouincialatus Angliæ gessisse dicitur. Sed in libro Ordinis Prouincialis illius Prouinciæ nominatur in Capitulo Generali Parisiensi anno 1462. vbi & Diffinitor Generalis erat, Aureliacensi anno 1469. Astensi anno 1472. vbi etiam Vicarius Generalis super Prouincias Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ constituitur, Brixiensi anno 1478. Vbi nedum Prouincialis, sed & Diffinitor Generalis quoque appellatur. Sed nunc ab hominis litteraria monimenta, quæ communia posteritati fecit, veniamus. Scripsisse namque dicitur Commentarios in diuersos Sacræ Scripturæ textus, super S. Augustinum de Ciuitate Dei *lib.* 1. Sermones per annum, *lib.* 1. Lecturas Ordinarias, *lib.* 1. Determinationes Oxonienses, *lib.* 1. Symbolum Fidei, *lib.* 1. De paupertate

Chri-

Christi, *lib.* 1. Contra Reginaldum Peceocum, *lib.* 1. Contra quemdam Episcopum, *lib.* 1. Epistolarum 64. ad amicos, *lib.* 1. ad Mecenates Anglos, *lib.* 1. Ad quendam Romanum, *lib.* 1. De sua captiuitate, *lib.* 1. Dum autem captiuus teneretur scripsit ad Paulum Secundum Papam, *lib.* 1. Ad Sancti Angeli Cardinalem, *lib.* 1. Ad Cardinalem Nicenum, *lib.* 1. ad Ioannem S. Sixti Cardinalem, *lib.* 1. ad Cardinalem Therasonensem, *lib.* 1. Ad Cardinalem Rothomagensem Ordinis Protectorem, *lib.* 1. Ad Cardinalem Papiensem, *lib.* 1. Ad Vrsinum Cardinalem Spoletanum, *lib.* 1. ad quosdam Italiæ nobiles, *lib.* 1. ad Angliæ Doctores, *lib.* 1. & alia quam plurima. In Choro tandem nostri Cœnobij Londinensis sepultus communem carnis resurrectionem expectat. De eo Balæus, Pitseus, Harpsfeldius, Posseuinus, Bzouius, & Spondanus, qui nimis acriter in eum inuehitur, quia Episcoporum vitia reprehendit.

4 Extat pro hoc anno 1486. & præcedenti in Actis Capitulorum Prouinciæ Poloniæ, memoria Conuentus Christburgensis in Palatinatu Moriemburgensi, & Ciuitate *Christburgo* vulgo dicta, fitque memoria de Prioribus eius Conuentus. Cætera ignorantur, & an bello, hæresi, aut peste perierit. Conuentus Christburgensis.

5 Paulo etiam post id tempus extat memoria in eisdem Actis Conuentus Prabutensis in Prussia Ducali sub Episcopatu Pomeraniæ; referuntur enim Priores illius. Cætera etiam ignorantur. Prabutensis.

Ann. Christi 1487. Innoc. 8. Roman. Pontif. 3. Frideric Imperat. 48. Pontij Rainaudi Generalat. 6.

1 FOeliciter contra Mauros hoc anno pugnantes Castellæ Reges Malacam ceperunt. Lusitani etiam Africæ Oras cum magno Ecclesiæ, suoque fructu, lustrabant. Mariana, Bzouius. Interim Innocentius Papa, fœdere cum Principibus Italiæ inito contra Turcas, pecunias in bellum sacrum congerere nitebatur, viris etiam sacratis ad hoc missis. Bzouius. Acta hoc anno.

2 Inter eos autem, qui ad hoc munus colligendi pecunias pro sacro bello, à Papa fuit destinatus, vnus erat Gratianus de Villanoua noster, de quo in superioribus dictum. Constat enim hoc ex Bulla eiusdem Innocentij Octaui, pro hoc anno, quæ extat in Archiuio S. Spiritus de Saxia, cuius Religionis postea à Papa fuit creatus Commendator Generalis, vt dicimus in sequentibus. Et ex alia pro anno sequenti, quæ habetur in eodem Archiuio eiusdem Hospitalis casul. 4. fasciculi 2. instrum. num. 17. In Bulla autem de anno 1487. testatur Papa se accepisse pecunias ab eodem Gratiano collectas, quem in titulo appellat *S. Theologiæ professorem, Ordinis Carmelitarum,* Gratianus de Villanouus.

litarum, Procuratorem Generalem, Confessorem, Nuncium, & familiares ipsius.

Martinus de Bergamo.

3 Iam Secundo Pater Martinus de Bergamo anno præsenti in Conuentu S. Fælicis à Patribus Congregationis Mantuanæ in Vicarium Generalem fuit electus.

Ioanna de Regio.

4 Quo etiam tempore, vel circiter, B. Ioanna de Regio, de qua anno 1485. diximus, magnæ Sanctitatis signis corruscabat: quæ ex vita ipsius per Benedictum Mutum Reggianum descripta sic excripsimus. *Dei dono futura prædicebat. Cum aliquando hebdomada Sancta pro sibi commissi Cœnobij necessitatibus Dominum exoraret, Sororibusque vt idem simul facerent præcepisset, à quibus per tres continuas horas in extasi rapta visa fuit, Deo inspirante, Grisantus quidam Lusente de Correggio liberaliter postea ipsarū indigentijs subueniendis subuentor fuit. Iulia Sessi Illustris fæmina Beatam inuisens, eius precibus à graui morbo liberatur; & prole desiderata post annum, vt ipsi prædixerat, potitur. Pro se, & Monialium sibi commisso grege hanc sæpius orationem repetebat: Exaudi sancte Pater Omnipotens æterne Deus, per vnicum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, exaudi quæso me miseram famulam tuam N. tuam misericordiam deprecantem, & in te confidentem, da in ore meo verbum bonum, & in corde meo consilium rectum, corrobora mentem meam, vt in sanctificatione permaneat, ne vis antiqui hostis, libidinosaq; contagio corporis vllum in me excitet bellum, nulla mentis vagatio sensus meos alienet, non turpiloquium, aut mordax, seu mendax, sed verbum sanctum resonet in ore meo, vt clarificetur nomen tuum, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Esto memor Domine Congregationis tuæ, quam præuidisti ab initio, & ne claudas ora canentium te, sed da sermonem iustum, & bene sonantem in os nostrum, & nostræ deprecationes sint acceptæ in conspectu tuo: Qui viuis, & regnas, &c.* Deuotissimè Cœlorum Reginam Dei Matrem colebat, in cuius festorum vigilijs millies dicebat *Aue Maria*, & ipsis festis diebus septies Officium ipsius; & cum pro eadem Angelica salutatione sonabat campana, paululum in tanti mysterij contemplatione morabatur. Ieiunabat iugiter iuxta Ordinis nostri Regulam à festo Exaltationis Sanctæ Crucis vsque ad Pascha Resurrectionis, & diebus Sabbathi in pane, & aqua solum. Cum illi à Patre spirituali iniunctum fuisset, remittendi vitæ rigoris causa, ne in Vigilia Annunciationis Beatæ Mariæ, nisi vnum *Aue Maria* psalleret; obedijt sanè, sed tanto spiritu, tantoq; feruore deuotionis id fuit, vt, quasi sensu orbata, per totam noctem in altissimi mysterij profunda meditatione, seu contemplatione perseuerauerit. Hostis communis inuidia tunc factum, vt antequam ab oratione desisteret, sub specie arietis ipsius obtutui se obiecerit, at illa turbationis expers confusum Dæmonem fugauit. Hæc cum alijs, de quibus anno 1489. Benedictus Muttus, de quo *supra*.

Conuentus Raconisij.

5 Circa id tempus Raconisij in Allobrogum Ducis ditione à Diua Virgine miraculo patrato, Ordini nostro nouum adauctum Monasterium. Res fuit; quod eadem Sacerrima Virgo surdo, & muto cuidam Pastori

appa-

apparuit, & ad Oppidanos, vt Templum in honorem suum ædificarent destinauit. Per miraculum ille eloquens euasit, Raconisijs, quod viderat renunciauit, & ad ædificationem Templi excitauit, quod paulo post Religioni nostræ ascriptum fuit. Ita Fœlix Astolphus in Historia vniuersali Imaginum Beatæ Mariæ Virginis *lib.* 11. & Bzouius *tom.* 18. *Annal. sub hoc anno num.* 13. Pertinet hoc Cœnobium ad Lombardiæ clarissimam Prouinciam.

6 De Monasterio autem Monialium Brugensium hæc habemus ex Relatione Prouinciæ Belgicæ. *Licentia extruendi Monasterium impetrata fuit per Reu. Pat. Magist. Henricum de Angelo Sac. Theol. Baccalaur. Priorem Carmeli Brugensis, anno 1487. Anno 1488. ipso Festo Paschatis celebratum est primum Sacrum in domo, quam Monialibus dederat Martinus Reyngout. Hic Martinus habetur pro fundatore, eo quod præter dictam domum fundum etiam dederit ad erectionem Ecclesiæ, & Monasterij, insuper ad idem opus summam aliquam pecuniæ. Proinde ex parte Domini Martini Reyngout, & Coniugis Barbaræ Van Rocoaigne, positus est primus lapis Ecclesiæ anno 1490. in Octaua Visitationis Beatæ Mariæ.* Subiungitur etiam ibidem, hoc Cœnobium fundatum esse ex duabus Monialibus, quæ ex Ciuitate Harlemensi, & Hollandia eo anno 1488. venerunt, & cum Brugensibus per annum permanserunt, quo expleto Harlemium redierunt. Vixerunt postea hæ Moniales Brugenses sub directione suorum Confessariorum, qui fuerunt viri docti, & spirituales, nempe præter Henricum de Anglo nominatum, Adrianus Vanden, Arnoldus Bostius, Lucius de vos, & alij, qui Monasterium in spiritualibus, & temporalibus sic auxerunt, vt totius Ciuitatis pulcherrimum sit. In Ecclesia porro visitur famosissima pictura Beatiss. Virginis, quam Dauid celeberrimus pictor posuit ann. 1509.

Conuentus Monal. Brugensium.

7 In idem tempus referimus intra claros Ordinis Viros ea tempestate Magistrum Marcum de Monte Catino, qui in præcedenti Capitulo Generali Auenionensi anno 1482. Procurator Generalis, Diffinitor, & Prouincialis Romæ vocabatur. Fuit hic Pater primum in Capitulo Generali Astensi anno 1472. Lector Senis destinatus. Deinde in Capitulo Brixiensi anno 1478. Prouincialis Romæ ordinatur, ac vt vidimus anno 1483. pro habitus Ordinis colore litem coram Papa, & Cardinalibus cum Patribus Mantuanæ Congregationis gerebat. De eo Biscarretus.

Marcus de Monte Catino.

Ann. Christ. 1488. Innoc. 8. Roman. Pontif. 4. Frideric. Imper 49. Pontij Rainaudi Generalat. 7.

Imperatoris casus.

1 Aximilianus Romanorum Rex capitur in Belgio à Brugensibus, nec dignè tractatur, sed post aliquot menses liberatur. Pro ipsius libertate valde operantibus Ferdinando, & Isabella Catholicis Regibus Hispaniæ, Beuter, Zurita, Mariana.

Generale Capitulum.

2 Reuerendissimus Generalis Pontius hoc anno in Conuentu Rupeculæ Prouinciæ Prouinciæ, die 26. Martij, & Sacro Festo Pentecostes. In eo primum numerantur 21. Diffinitores totidem Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Venetiarum, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Bohemiæ, Neapolis, & Appuliæ. Qui postea ad taxas Ordinis deuenientes Prouincias pro communibus expensis taxarunt. Ordinati etiam sunt Prouinciales Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Hiberniæ, Scotiæ, Thusciæ, Venetiarum, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Castellæ, Bohemiæ, Neapolis, & Appuliæ. Prouincialium autem Portugaliæ, & Daciæ electio commissa Generali Reuerendissimo, sicut, & Prioris vnius Conuentus ex tribus Romæ, qui magis ipsi placuisset. Instruitur etiam Prior Parisiensis, & quoad Procuratorem Generalem in Romana Curia ordinatur, quod Magister Gratianus de Villanoua quandiù esset in Vrbe Roma Procuratoris Generalis munus exerceret, & eo absente Generalis de Procuratore prouideret. Quod ideo factum credimus; quod cum hic Pater grauibus Sedis Apostolicæ negotijs peragendis à Papa extra Romam mitteretur, vt ex dictis, & dicendis aperte constat, operepretium fuit de Vice Procuratore Ordinis pro eius absentia prouidere. Designati præterea sunt à Generali duo ipsius Socij. Ac tandem nominati Lectores Bibliorum, & sententiarum Parisijs, Tolosæ, Auenione, Coloniæ, Andegauis, Nanneti, Pisis, Viennæ, Victuricis, Perpiniani, Illerdæ, Caturci, Burdegaliæ, Papiæ, Pictauij, & Paduæ. Pro alijs autem Studijs Ordinis, scilicet Florentiæ, Bononiæ, Salmanticæ, &c. non designantur Lectores, forsam quia arbitrio Prouincialium id commissum. Constant hæc ex lib. Ordinis à fol. 66.

Decreta.

3 Inter decreta huius Capituli illud singulare. Ordinatum enim in eo est, vt Conuentus Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Vrbe expensis Ordinis ædificaretur, & sic taxatæ Prouinciæ fuerunt ad soluendum mille du-

catos

catos pro hac prima vice,& ad illos colligendos destinatus Commissarius Magister Franciscus de Medicis Prouincialis Romæ cum quodam alio per Patrem Generalem designando. Decretum deinde, vt de festo Coronæ Spineæ,& Lanceæ Domini nostri Iesu Christi, Festum nouem lectionum celebraretur. Innouata etiam antiqua Constitutio de recurrentibus ad Principes,vel Dominos sæculares sub magnis pœnis. Præterea multis alijs circa vestes, calceamenta, birreta, zonas, & coronas Fratrum statutis decretis,maximè inhærendo priuilegio concesso à Sixto Quarto super esu carnium, de quo anno 1476. præsens decretum editum fuit, *Ordinamus insuper,& concedimus Prioribus Prouincialibus, vel eorum Vicarijs,vt cum Fratribus Prouinciarum eis commissarum possint mite agere super esu carnium feria secunda: feria autem quarta omnibus præcipimus Prioribus Prouincialibus, localibus, seu eorum Vicarijs, ne permittant priuatè, vel publice esum carnium*. Liber Ordinis, vt supra.

4 Plures in hoc Capitulo perillustres Patres relati cernuntur, inter quos hi sunt: Reuerendissimus Magister Pontius Rainaudi Generalis; Magister Gratianus de Villanoua Procurator Generalis Ordinis; Magister Ioannes Vvirich Prouincialis Germaniæ inferioris. Ioannes Brisselotus Lector Parisiensis designatus pro anno 1493. quem postea Caroli Quinti à Confessionibus, ac Archiepiscopum Arborensem dicemus; Monardus de Rosarijs Prouinciæ Vasconiæ Lector Parisiensis pro anno 1489. De quibus cum alijs suis locis dicemus. Illustres Patres.

5 In hoc Capitulo confirmarunt Patres pacti conditiones cum Illustrissimo Marchione de Chiambra initi,qui ob Deiparæ deuotionem pulchrum extrui fecerat templum Fratribus nostris Rupeculæ Capituli loco commorantibus, vt circa annum 1485. diximus, Ipsius autem Virginis Matris Icon in Maiori Altari reposita populi frequentia sic colitur,vt iure à Deo id factum credatur, vt quam Catholicorum pietatem Geneua Rupeculæ proxima Ciuitas, Christianitatis sentina, infidelitatis pœdore minuit,Virginis pijssimæ intercessio tueatur. Franciscus Cherafchus *in relatione Prouinciar. Ordin.* Conuentus Rupecul.

6 Extat pro hoc anno 1488. Bulla Papæ Innocent. 8. de qua anno præcedenti diximus,& incipit *Vt ex his,quæ de nostris*, in qua nostrũ Gratianum de Villanoua Pontifex vocat suum Confessorem,Capellanum, & in Basilica S Petri minorem Pœnitentiarium: dicitque eum misisse,vt Nuncium,& Oratorem ad Fridericum Imperatoré,& Maximilianum Romanorum Regem,& ad Renatum Ducem Lotharingiæ: approbat etiam ab illo gesta,& de collectis pecunijs apocham, seu quietantiam illi præstat. Gratianus de Villanoua

Ann. Christi 1489. Innoc. 8. Rom. Pontif. 5. Friderici Imper. 50. Pontij Rainaudi Generalat. 8.

Huius anni casus.

1 Eneti hoc anno Cyprum Insulam occupant; quam tenuerunt vsque quo Turcica tyrannide inde pellerentur. Bonfinius, Gordonus, Spondanus. Reges etiam Catholici in Hispania multa oppida eripiunt à Mauris. Mariana, Zurita. Papa autem contra Neapolitanum Regem excommunicationem, & alias pœnas vibrat, eo quod ab ipso plures iniurias passus esset. Bzouius, Spondanus.

Baptista Mantuanus.

2 Electus est hoc anno iã secundò Mutinæ in Mantuanorum Patrum Congregationis Generalem Vicarium clarissimus illius æui Pater Magister Baptista Hispaniolus de Mantua, propterea Mantuanus nuncupatus. De quo plura diximus, & dicemus.

Lauretana Domus Carmelitis concessa.

3 Hac porro fœlicitate pius hic, & grauissimus Pater à Deo tunc est decoratus, vt hoc eodem anno, eoque Vicariatum gerente, Sacrosancta Lauretana Domus Religioni nostræ, Congregationi ipsi Mantuanæ præsertim, & eidem Baptistæ, à Cardinali Ruuero Sixti Quarti Nepote, ac Episcopo Recanatensi, ipsius Sacræ Domus, & nostri Ordinis Protectore donaretur. Qualiter id factum, eas ob causas præcipuè, quod Carmelitana familia Beatissimæ Dei Genitricis titulo insignita sit, à Sanctiss. Prophetis Elia, & Eliseo ortum, & originem ducens, ac eiusdem Sacerrimi Lauretani Domicilij, sicut & aliorum Terræ Sanctæ locorum olim fratres nostri possessores, apud Sixtum Quartum Auunculum comprobati: vt propterea prædictus Dominus Cardinalis auctoritate Pontificia Innocentij Octaui operæpretium existimarit, triginta ex nostris probatissimis Viris illuc cõstitutis, tam Sacrum Domicilium concedi, verbis ipsius Mantuani *in Lauret. Hist.* ad eumdem Cardinalem sic damus: *Audiens Ordinis mei fratres, (vt ex Ioannis Vigesimi secundi litteris apparet) Beatissima Dei Genitricis titulo specialiter insignitos, & sicut ex Decretal. lib. 6. cap. de Religiosis Domibus testimoniũ habetur, inter omnes Religionum Ordines antiquitate præstare, habuisse item nos ab Elia, & Eliseo in Monte Carmelo principium, & originem, vt auunculus tuus Sixtus litteris Apostolicis attestatur, & Patres, ac Antecessores nostros Viros Sanctissimos omnia ferè loca Terræ Sanctæ (inter quæ fuit huius Sacræ Virginis Domicilium) olim tenuisse, ac religiosissimè gubernasse, priusquam Saracenis Dei iudicio darentur in prædam: hæc inquam audiens rem conuenientissimam, & operepretium existimasti, nos in antiquam restituere possessionem. Et idcirco hoc anno, me Vicario ex Mantuana Congregatione (quæ Deo aspirante, de negligentiæ sordibus, quibus pene totus Ordo noster obruebatur, emergens, instar antiquorum Patrum vitam, & mores nititur instituere) triginta Viros approbatissimos*

simos in ipsa Ecclesia constituisse, qui in cordis munditia Deo seruientes, audiendis fidelium confessionibus, & diuinis officijs vacent, ac omnium, quæ ad diuinum cultum pertinent curam gerant. Quibus inceptis, author, & conseruator omnium Deus adiuuet, aspiret, & faueat. Eam quoque Historiam, de exteris admittunt Horatius Tursellinus *in Lauretana historia lib. 2. cap. 5.* Octauius Pancirolus in libro, cui titulus *Tesori nascosti dell' Alma Città di Roma*, loquens de Ecclesia S. Iuliani ad trophæa Marij, Georgius Coluenerius *in Kalendario Sanctiss. Virg. Mariæ pro die 10. Decembris*, referens ex Pancirolo relato, quod Ædicula B. Virginis, quæ nunc est Laureti, per annos plusquam mille fuerit sub cura Carmelitarum in Galilæa, ideoque eisdem attributam esse ab Innocentio Octauo; eamque per multos annos tenuisse. Bzouius, & Spondanus *sub hoc anno*. Subiungit Mantuanus, quod dum celebre miraculum de cuiusdam fœminæ nobilis ex Gallia à spiritibus immundis liberatione, ibidem patraretur, Dæmonem, etsi mendaciorem Patrem artctum exorcismis, hoc quoque inter cætera indicasse, Sacram Virginis Lauretanam Cellam antequam Nazaretho excederet Carmelitanorum curæ commissam; quod & approbant Turselinus *supra cap. 17.* Bzouius *num. 17.* Nec id in dubium reuocabit, qui Carmeli montem, vbi nostri Genitores morati sunt, vicinum Vrbi Nazareth fuisse, Cosmographis, & alijs Scriptoribus id asserentibus, cognouerit.

3 Hæc Lauretanæ Sacræ domus Historia ab egregio nostro Baptista Mantuano hoc anno descripta, celebre valde nomen Sacro Domicilio per vniuersum orbem comparauit: quod sic testatur Torsellinus *lib. 2 cap. 6.* eiusdem, quam ipse de eadem re Historiæ descripsit. *Ergo à Mantuano viro celeberrimo prodita litteris est Lauretana Historia, quæ ad eum diem sermonibus tantum vsurpabatur. Ex eo tempore vulgari cepta, magno, vel Lauretanæ Religionis incremento, vel mortalium bono. Namque eam, quam dico historiam breui volumine circumlata, cum auide, ac passim lectitaretur, plurimorum animos ad Lauretanam Ædere visendam, colendamque, pellexit.* Quod & nostro Ordini gloriosum, & huic sacerrimæ Virginis Ædi vtile valde fuit; cum hac deuotione incitati fideles dona plura, & exquisita ipsi cōtulerint. Inter quę refertur argenteum B. Virginis simulacrum fere sexquicubitale egregie factum, pulchreque auro interlitum ab Stephano Bathorio Transiluaniæ Principe (Vaiurdam appellant) eidem Lauretanæ Virgini dono missum. Turselinus *supra*, Bzouius num. 16. Lauretana Historia.

4 Clara cum esset ijs temporibus Mantuana nostrorum Patrum Congregatio tum ob reformatæ, ac religiosæ vitæ, quam ceperant, rationem, tum ob auctoritatem Illustrissimi Doctoris Baptistæ Mantuani, qui illorum vnus, immo, & ipsorum Caput erat, clara quoque habebatur ob Sanctitatem B. Ioannæ Scopelli de Regio, de qua anno 1452. & alijs sequētibus diximus. Hæc semel dum in spiritu rapta, sensuumque operationibus destituta esset, cum ad se rediret, socias consolabatur, & ad seruiendum Deo promptius prouocabat dicens, Sanctos Ioannem Baptistam, & Ioanna de Regio.

Hiero-

Hieronymum in Cælo earum Aduocatos esse. Tantam in orando efficacitatis vim Dei gratia obtinuerat, vt quandoque, necessarijs Monasterij deficientibus, orans subueniret. Auditæ fuerunt in Cellula eiusdem semel tres horribiles voces, & ipsa subiungente: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; esto mihi Christus, & Saluator in protectionem*, cum à socia interrogaretur, quid illi clamores protenderent? respondit (præcipiens nedum viueret alicui casum reuelasset) tres Purgatorij animas auxiliũ pro ipsarum à pœnis, quas sustinebant, libertate, postulasse. Antequam ab Oratione desisteret sæpius à Dæmone premebatur: qui quadam die post crudelem flagellationem ex scala præcipitem dedit. Sic à sororibus reperta, cum causam celasset, spiritus ipse immundus in energumena quadam fœmina loquens: *Ego*, inquit, *sum qui Ioannam post verbera è scala præcipitem feci*. Dum iterum de pecunia pro solutione debitorum Monasterij sollicitè cogitaret, vt in quemdam locum iret tentator suadebat, ibi enim pecuniam quam desiderabat reperisset; at ipsa ad Orationem primum confugiens Diaboli illusionem agnouit. In die quodam Natalis Domini cælestem Infantis Iesu in Præsepio reclinati spiritu rapta visionem habere meruit: & in die iterum Sancto Paschæ ipsum Iesum à mortuis Suscitatum immortalitatis gloria donatum aspicere. Benedictus Muttus *in vita B. Ioan.* Scopel. de Regio.

Gratiani gesta. 5 Erant sub hoc anno non leues inter Fridericum Imperatorem, & Mathiam Regem Vngariæ, ac inter Maximilianum Romanorum Regem, & Flandros iampridem ortæ, gliscentesque discordiæ. Ad quas componendas, cum Pontifex Innocentius Octauus intenderet, Confessarium suum nostrum Gratianum de Villa noua Procuratorem Generalem in Capitulo Generali proximè præcedenti nominatum, Nuncium destinauit, factumq; est, vt Deo adiuuante, virique cooperante industria, inter dissidentes pax conciliaretur, Bzouius *sub hoc anno num. 1. 2. & 7.* An hæc legatio diuersa sit ab alijs, quas retulimus annis præcedentibus 1487. & 1488. compertum non est. Illas porro confirmat noster Coria *lib. 12. cap. 5.* affirmans Innocentium Papam eidem Gratiano suo Confessario plura, & grauissima negotia Sedis Apostolicæ commisisse.

Ioann Andr Secobos. 6 Florebat etiam in Ordine hoc tempore Ioannes Andreas Secobos Veronensis, Doctor Bononiæ, ac Poeta laureatus. In Parisiorum Lutetia primus bonas litteras docuit. Scripsit Orationum coram Pontifice Romano *lib. 1.* Epistolas Rhetoricas *lib. 1.* Morales eruditiones *lib. 1.* atque alia. Huius enarrant laudes Gaguinus, Faustus, Burellus, Bostius, Iulianus Hassart, & Gesnerus.

Conuentus S. Gabrielis. 7 Hoc tempore, ad Eleonoræ Ducissæ Ferrariæ beneplacitum, Moniales Sancti Gabrielis eiusdem Ciuitatis sumpserunt habitum nostræ Religionis, sub Martino Bergamo Vicario Generali Mantuanæ Congregationis: quæ etiam postea in manibus Baptistæ Panetij Ferrariensis eiusdem Congregationis professionem emisere. Earum primus Confessarius per vndecim

cim annos fuit P. Lucas de Louagnini. Hæc ex Archiuio Sancti Chrysogoni, & Guarino *in Compend. histor. lib. 2.*

8 Quo etiam tempore ad minus, Conuentus Anconæ fundatio credi potest contigisse; siquidem ex Relatione Prouinciæ Romandiolæ, ad quam hic Conuentus spectat, constat, quod anno 1490 sequenti nominabatur iam Prior ipsius in Capitulo Prouinciali. Hæc in Relatione ad Innocentium Decimum Summum Pontificem. Ancona.

Ann. Christ. 1490. Innoc. 8. Roman. Pontif. 6. Frideric Imperat. 51. Pontij Rainaudi Generalat. 9.

1 PRincipes Christianos in Turcas armare satagit hoc tempore Papa Innocentius, Legatos ad eos mittens pro hac pia causa: quod grauem metum Mahometanis ingessit. Vialardus, Bossius, Bzouius. Eo quoque, quod Ferdinandus Rex Catholicus in Hispania eos acriter debellaret, vsque ad Granatam ipsam celebrem valde Vrbem, quam valde premebat. Mariana, & alij Hispanici historici. Papæ gesta.

2 Eodem sub anno eximie clarus ex Ordine nostro ad Episcopatum Dariensem assumptus refertur. Hubertus Leonardus Germanus, seu ex Agro Leodiensi. Fuit hic Pater Doctor Parisiensis, & secundum aliquos, Regens Theologus ibidem. Vir eloquentissimus, & eruditissimus, summis, medijs, infimis apprimè charus, maxime tamen eius virtus enituit in munere. Inquisitoris fidei, quod in Diœcesi Leodiensi contra Niuellenses exercuit. Teste enim Trithemio de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Hic cum esset Inquisitor hereticæ prauitatis, contra quosdam hereticos Niuellenses per Diœcesim Leodiensem, gladio S. Spiritus eos confutauit, & vicit, scribens præfatum opus celeberrimum octo, & viginti propositiones principales continens, in quo totidem articulos eorum erroneos, fortiter, ac disertè oppugnans reprobauit.* Rem autem sic impius Balæus *in Catal. Script. Britann. Centur.* 8. sub Alexandro Sexto hæretico calamo describit. *Floruit Hubertus Leonardus Carmelita Episcopus Dariensis, & Inquisitor Papisticus, qui in patria Leodiensi scripsit de Immunit. Ecclesiast. quosdam Niuellentes in 28. articulis Papisticè oppugnabat.* Pro eo etiã audiendus Bzou. *an.* 1532. *n.* 34. *&* 35. *&* 1535. *n.* 30. *&* 1534. *n.* 91. *&* 92. Scripsit autem nõ pauca, sed plura commendatissima opuscula, quibus nomen suum notificauit cum gloria. De quibus subiecta feruntur. Opus contra hæreticos Niuellenses *librum vnum*, de Genealogia nobilium Francorum, & gestis eorum ad Ludouicum Episcopum Leodiẽsem *librum vnum*, in Euangelium Lucæ *librum vnum*, de Regimine Principum *lib.* 3. de Immunitate Ecclesiastica *lib.* 3. Sermones varios *librum vnum*; Quadragesimale notabile *librum vnum*, & alia complura. De ipso Hubertus Leonardus.

proinde

proinde scripserunt Trithemius, Balæus *supra*, Sixtus Senensis, Iustinianus, Einsengrineus, Gesnerus, Posseuinus, Franciscus Suuertius, Didacus Coria, Biscarretus, addens fuisse Suffraganeum Leodiensis Ecclesiæ.

Ioannes de Arundine.

3 Pariter in eundem annum referre possumus alium Ordinis nostri egregium Alumnum Ioannem Arundineum, seu de Arundine, natione Theuthonicum, vt quidam volunt, Conuentus Brugensis Alumnum, postea autem Episcopum Vsbitensem, ac Dauidis de Burgundia Vltraiectini Episcopi in Pontificalibus Vicarium. Sed quamuis pro hoc anno, eum referant Trithemius, & Gesnerus, commodius tamen de ipso anno 1496. quo obiit dicimus.

Georgius Riplaius.

4 Circa eumdem annum in nostra Anglorum Prouincia, & Conuentu nostro Sancti Botholphi mortuus, & sepultus est Georgius Riplaius eiusdem nationis Brindlingtonensis in Agro Eboracensi. Qui auctoritate Innocentij Octaui ab Ordine Sancti Augustini, cuius Canonicus Regularis fuerat, absolutus, apud Sanctum Botulphum in nostri Ordinis Cœnobio, & cella inclusus, vt Anachorita reliquos vitæ suæ dies exegit. Erat Poeta, Rhetor, Mathematicus insignis, omnium liberalium Artium peritus, in omni Philosophiæ genere versatus, Theologus etiam non vulgaris; Totam fere suam ætatem in perscrutandis rerum naturalium occultis, & abstrusis causis consumens, Lelando teste, Galliam, Germaniam, & Italiam strenuè peragrauit, & semper aliquid, vel scripsit, vel didicit, vel docuit. Sed tandem, vt penitus mundo vale diceret, & se totum Deo, studijsque Sacris, rerumque Cælestium meditationi, consecraret, prædictam Sancti Botulphi Ordinis nostri Cellam elegit. Scripsit plura, videlicet de compassione B. Mariæ, *librum vnum*. Vitam S. Botulphi Abbatis, *librum vnum*. Vitam S. Ioannis Brindlingtoni, *librum vnum*. Theoricam, *librum vnum*. Dialogorum, *librum vnum*. Dictata, *librum vnum*. Practicam cæremonialem, *librum vnum*. Concordiam Guidonus, & Raimundi, *librum vnum*. De lapide philosophico, tractatus Rithmeticus. Alchimistarum mysteria, *librum vnum*. Compendium Alchimiæ, *librum vnum*. Secreta Philosophorum, *librum vnum*. Medullam Philosophiæ, *librum vnum*. Castellum 12. portarum, *librum vnum*. De Magia naturali, *librum vnum*. Pupillam Alchimiæ, *librum vnum*. Artem breuem, vel clangorem, *librum vnum*. *Terram terrarum* Tractatum. Carminum, & Epistolarum, *librum vnum*. Experimenta Philosophica, *librum vnum*. De rerum temperaturis, *librum vnum*, & huiusmodi alia plura. De isto Doctore agunt Lelandus relatus, & Pitseus.

Guillelmus Blacneius.

5 Item circa eundem annum viuendi finem fecit alter Ordinis nostri in Anglia Alumnus, Guillemus Blacneius, Cantabriæ Doctor. Qui post se scripta reliquit, Lecturas in Cantica Canticorum, *librum vnum*. Disputationes subtiles, *librum vnum*. De quo Lelandus apud Pitseum, & ipse Pitseus, quæ autem adiungit de curiositate nimia huius Doctoris, Arte magica illi attributa, & quod ab Episcopo Nornicensi, propterea duris

modis

modis exceptus sit, nec ipse certo affirmat, nec nos credimus vera fuisse. Legendus Biscarretus.

6 Eodem anno Monasterium Terræ de Cerea nostræ Prouinciæ Venetæ, fundatum dicitur, cum consensu Episcopi, & Ciuitatis Veronensis, vno miliari extra terram: cuius Ecclesia titulum habet Sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ. Ita ex sæpius repetita relatione facta iussu Innocentij X. Conuentus Cereæ.

7 Ex eadem quoque relatione habetur Conuentum dictum del Pino in Prouincia Lombardiæ, ac Pedemonte, donatum fuisse Religioni hoc anno, à D.Philippo Scalenghe, Cantore Collegiatæ Chesiensis, consentientibus Patronis, & cum consensu Illustrissimi Archiepiscopi Taurinensis. Distat per duo milliaria à Ciuitate, & Ecclesia habet titulum Sanctissimę Annunciatæ. Conuentus del Pino.

8 Litteris ad clarissimum nostrum Mantuanum Baptistam hoc anno missis, eum valde commendabat celebris ille Ioannes Picus Mirandulæ Dominus; ex quibus vna, vel altera periodus prætermitti non debet: *Longe* (inquit) *quæ scripsisti, diuina scilicet, atque Sanctissima illa tua poemata, in quibus ea rerum maiestas, is splendor est eloquentiæ, vt certatim in illis palmam sibi vendicare, verba, atque sententiæ videantur. Fælix, qui velis optima, eadem possis. Fælices nos, quibus non solum legere, quæ scripsisti, sed etiam te amare, te videre, te alloqui datum est. Diues hic mihi materia, & quæ non Epistolam, sed iustum volumen impleat, si euagari me in laudandis tuis poematis, vel imbecillitas sineret nostra, vel pudor tuus. Hoc vnum dixero, delectari me adeo lectione tuorum carminum, vt fere quotidie cum me, vel tædium, vel fatigatio ceperit, in illa quasi in hortum solitus sim secedere.* Extat hæc Epistola cum rescripto ipsius Mantuani inserta operibus illius Bononiæ impressis anno 1511. Baptista Mantuanus.

Ann. Christi 1491. Innoc. 8. Roman. Pontif. 7. Frideric Imperat. 52. Pontij Rainaudi Generalat. 10.

1 CAstellæ Reges S. Inquisitionis officium in Hispania promouent, quod pium opus Deus iustissimus præmiare volens victoriam ipsis contra Granatenses Mauros concessit, cuius Regiam, & inclytam Ciuitatem hoc anno obsidione cingebant. Zurita, Mariana, & alij historici Hispani. Officium S. Inquisitionis

2 Erat per id tempus Ordinis nostri Protector Cardinalis Georgius Costa Lusitanus Archiepiscopus Vlyssiponensis. Ad quem hoc anno litteris datis sub 8. Nouembris Innocentius Octauus, remisit, vt executioni mandaret, seu mandari faceret, litteras alias Sixti Quarti, quibus præcipie- Cardinalis Protector.

batur ne Fratres Congregationis Mantuanæ ad nostros admitterentur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ, tam transeuntibus, quam illos recipientibus, prout fecit hoc eodem anno 23. die Mensis Nouembris. Priuilegia *eiusdem Congregat.*

Obitus B. Ioannæ. 3 Cælitum numerum adauxit sub hoc anno die nona mensis Iulij B. Ioanna Scopelli de Regio Ordinis nostri Sanctimonialis, de qua in superioribus egimus, carnis molem terræ, & Spiritum Cælo mittens. Præcedente enim Iesu Sponsi visione, sub pulcherrimi iuuenis candidissimis vestibus ornati specie, qui ex rosis, & floribus Paradisi sertum ipsi offerebat, & ad cælestes nuptias inuitabat, grauissimo pressa morbo, Ecclesiæ armis munita sororibus ad se vocatis, Sanctisque exhortationibus ad pietatem, deuotionem, & obseruantiam Religionis præmissis Sanctam animam exhalauit. Benedictus Muttus *in vita eiusdem*.

Apparitiones. 4 Post mortem ipsius sæpius sororibus apparens, in varijs earum tribulationibus solatium præbebat præsertim Hieronymæ Lanzi charæ sociæ semel visa, cum, vt Deo commodius seruire posset, Monasterij officia fugere deliberasset, præcepit, vt Superiorum voluntatem non suam sectaretur. Iterum eidem ad Coronam Beatissimæ Virginis recitandam, & centies *Aue Maria* repetendum, vt sic à Deo consolationis gratia obtineri posset, in visu suadebat. Desiderauit hæc Hieronyma Charæ Matris conditum corpus aspicere; fecit, & brachium dextrum secans pro pretiosissima sibi gemma in cellam deuote transtulit. Sequenti porrò nocte illi iterum visa est de corporis parte interrogans. Cui illa, te nihil de hoc latet. Postulans autem de animabus Patris, & Sororis iam defunctorum, responsum accepit, vt pro Genitoris Anima, quæ igne Purgatorio cruciabatur pias ad Deum preces funderet, at de sorore nihil sollicita esset, quæ secum erat in Cælo. Iterum cum hæc eadem Hieronyma Ferrariæ esset, illuc cum socia à Superioribus ob quędam negotia peragenda, missa, Ioannam vidit ipsam consolantem, & sui itineris faustum finē promittentem, prout postea euenit: præcipientem quoque, vt Regium rediens, totum, quod in sepulchro erat corpus exhumaret. Quid inde factum, & qualiter proinde eadem Ioanna à fidelibus venerari ceperit, sequenti anno dicimus. Benedictus Muttus *in vit. B. Ioann. de Regio.*

Thomas Scroppus. 5 Interim Dominus Episcopus Dromorensis Thomas Scropus, de quo annis 1430. 1446. & 1449. non pauca, nec silentio digna, diximus, diem suum plenus dierum, quia centenarius, & bonis operibus, non sine sanctitatis opinione fœliciter obijt. In hoc Patre id præter alia, quæ recensuimus laude dignum compertum, quod Ordinem suum magno amore, & honore prosecutus fuerit: nam præterquam quod decem libros Philippi Ribboti Catalani de peculiaribus Carmelitarum gestis in Anglicum sermonem transtulerit, & Cyrillo Garlandio sui Cœnobij Priori dedicauerit, scripsit etiam ad Ioannem Blacneium Ordinis Sancti Benedicti Monachum, satis latinè, & valde copiosè, de antiquitate, & varijs laudibus

Carme-

Carmelitarum. Vnde hæc opera ab ipso edita numerantur. De Carmelitarum institutione, *librum vnum*. De eodem Ordine ad Eugenium Papam, *librum vnum*. Catalogum Sanctorum eiusdem Ordinis, *librum vnum*. Compendium Historiarium, & iurium, *lib. 9*. Sermones de decem præceptis, *librum vnum*. De priuilegijs Pontificum, *librum vnum*. De sua legatione ad Rhodios, *librum vnum*, & eiusmodi alia plura. Sepultus autem est in Leistost Suffolcensis Comitatus in Anglia opido cum Epitaphio elegiaco carmine conscripto, cuius duo versus postremi sunt sequentes.

Venit ad occasum morbo confectus amaro,
Spiritus alta petit, pondere corpus humum.

De hoc Patre scribunt Lelandus apud Pitseum, Balæus, Pitseus ipse, Einsengrineus, Posseuinus, Biscarretus.

6 Obijt etiam eodem anno alius Ordinis nostri clarus Alumnus, Magister Vincentius Concius, qui ex Prouinciali Prouinciæ Thusciæ (talis enim, & Diffinitor eiusdem Prouinciæ erat in Capitulo Generali Parisiensi anno 1456.) factus est Abbas Sancti Pancratij, familiæ Vallisvmbrosanæ. Cuius memoriam commendat egregium planè Sepulchrum è terra eleuatum in eadem Ecclesia ad cornu dextrum in ipso ingressu: vbi sic legitur: *Hic iacet Dom. Vincentius Abbas, & Doctor egregius*. Scripsit Quæstiones Philosophiæ, quæ extant manuscript. in Bibliotheca nostra Florentina. De ipso Archiuium Conuentus Florentiæ, Lucius, & Biscarretus. Vincentius Concius.

7 Electus est in Vicarium Generalem Congregationis sub hoc anno, prout ex Constitutionibus, & Actis Capitularibus habetur, Mantuæ, Magister Thomas de Carauaggio, iam tertia vice ad id munus vocatus, quo non incongruè virum probitate vitæ, & prudentia præditum suspicari possumus. Thomas Carauaggio.

Ann. Christi 1492. Innoc. 8. Rom. Pontif. 8. Friderici Imper. 53. Pontij Rainaudi Generalat. 11.

1 Vaticinia Sancti illius Carmelitæ nostri Neapolitani, qui, vt anno 1450. vidimus, Alphonso Regi, quo die natus est in Hispania Ferdinandus Rex Catholicus, dixit. *Hodie in Hispania citeriori Puer tui generis est natus, cui Cælum noua Imperia pollicetur, ingentes opes, fælicitatemque pio præ cæteris; Religionisque cultori, & amplificatori præclaro*. (Sic verba refert Mariana *de rebus Hispan. lib. 29. cap. 18.*) hoc faustissimo anno 1492. adimpleta noscuntur. Eo enim tempore Granatæ Regno, ac Ciuitate gloriose subactis, Mauris è confinio eiectis, Hæbreorum 400. millibus è Hispaniæ finibus pulsis, seuerissimisque legibus contra eos, qui oc- Ferdinandus Catholicus.

culti remansissent, publicatis, cognomen *Catholici* Regis est ab Innoc. 8. ipsi propterea Regi Ferdinando attributũ. Non ergo, vt æmuli Hispanicæ gloriæ dicunt, hic *Catholici* titulus ipsi concessus, quasi *Vniuersali Regi*, quia id indicat *Catholici* nomen. Hoc enim anno, quo cognomen additũ, nec vnius Hispaniæ Rex erat. Propter res ergo bene gestas pro fidei Catholicæ dilatatione, & quia ipse verè Catholicus (sicut & Ecclesiæ Sãctæ, & Catholicæ verus filius) professionis Catholicæ aduersarios de medio tulerit, non fouerit, adiuuauerit, seu protexerit, *Catholici* cognomen gloriosum promeruit. Nec tunc primum hoc Catholici titulo cognominatos Hispaniæ Reges fuisse pro comperto est, etiam apud exteros Authores. Spondanus enim Gallus author hoc anno num. 2. sequens Baronium, testatur, olim Reccaredo Hispaniæ Regi ob reductam Gothorum Gentem ab Arrianismo ad fidem Catholicam, hũc titulum concessum; & ab Alphonso eius nominis primo post plures annos etiam acceptum. Vnde iam veluti hæreditarium ab Alexandro Sexto, & Iulio Secundo confirmatum tenent. Taraffa, Genebrardus, Mariana, Spondanus.

Christophorus Columbus. 2 Eiusdem quoq; nostri iam relati Neapolitani Vatis vaticinium, nempe, cui *Cœlum noua Imperia pollicetur, ingentes opes, felicitatemque*, etiam hoc anno, vel adimpleri ceptum: quo Christophorus Columbus eiusdem Ferdinandi iussu pro noui Orbis inuentione destinatus. Soluens è Gadibus primò Canarias Insulas reperit, deinde amplissimam illam *Hispaniolam* vocatam *Floridam*, & vastissimam illam Regionem *Indiam Occidentalem* dictam, postea. Gordonus, Bzouius, & Spondanus ex Hispanis Historicis. Hanc porrò Ferdinandi Catholici Regis gloriam de victoria contra Mauros, ne pio Æneæ Mãtuanus deesset Poeta, noster Virgilius Christianus Baptista Mantuanus eo tempore celeberrimus decantare iussus fuit à Papa Alexandro Sexto, vt idem Mantuanus testatur in Poemate, cui titulus *Alphonsus*, in tertio Tomo Operum ipsius, vt clarè is habet in principio eius Poematis dicens;

Hesperiæ Gentis bellum orditurus, & arma
Magnanimi Ferrantis, eram, sic insserat Orbis
Rector ab excelsa, Romam, qui temperat Arce.

Gratianus de Villanoua. 3 Mittebatur eodem anno à Pontifice Innocentio noster Gratianus de Villanoua ad Ardicinum Portæ Cardinalem Nouerienſem, qui contra Sacri Senatus beneplacitum Monachus factus fuerat. Constat hoc ex litteris responsiuis eiusdem Cardinalis ad Pontificem, in quibus eiusdem Gratiani mentio reperitur. Apud Bzouium *n. 14.* & Ciaconium in *Innocentio Octauo.*

Alexander Sextus Papa. 4 Paulò post Romæ excessit Pontifex Innocentius pro octauo Kalend. Augusti, & tertio Idus Augusti renunciatus Pontifex, ac coronatus pridie Idus Septembris Cardinalis Rodericus Borgia, natione Hispanus, ac patria Valentinus, Alexander VI. cognominatus.

Alexandri gesta. 5 Summus hic Pontifex Alexander sui Prædecessoris Innocentij vestigia secutus, rectè comperta nostri Gratiani de Villanoua, de quo *supra 3.*

virtu-

virtute, & industria, in varijs negotijs, & causis, ipso, veluti Legato Sedis Apostolicæ, vtebatur. Constabit id ex dicendis, maximè ex Epitaphio ipsi in Xenodochio Sancti Spiritus de Saxia marmori insculpto, quod referimus sub anno 1497. Eum propterea de anno 1495. Commendatorem, seu Præceptorem Generalem eius Religionis constituit, vt eo loco dicemus.

6 Porrò ante obitum Innocentij, & electionem Alexandri, eodem anno, die decima Iunij in Vigilia Pentecostes, Romæ in Conuentu Sancti Martini in Montibus celebratū Capitulum Ordinis Generale, Præsidente Domino Cardinali Portugalensi Protectore, & præsente Generali Pontio Rainaudo. In quo Capitulo referuntur primo Diffinitores vigintiquinque Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctę, Sicilię, Anglię, Narbonæ, Romæ, Francię, Alemanię inferioris, Lombardię, Aquitanię, Aragoniæ, Hibernię, Prouincię, Scotię, Thuscię, Venetiarum, Tholosę, Catalonię, Alemanię Superioris, Vasconię, Turonię, Castellę, Bohemię, Neapolis, Anconæ, & Appuliæ. Ab his taxæ ordinariæ Ordinis designatæ fuerunt. Deinde ordinati Lectores Bibliorum, & sententiarū in Stūdijs Parisiensi, Tholosano, Coloniensi, Bituricensi, Paduano, Louaniensi, Cadomensi, Papiensi, Senensi, Pictauiensi, Haidelbergensi, Montispessulano, Hendelbergensi, Auenionensi, Nanoetensi, iterum Pictauiensi, & Andegauensi. Item nominati sunt Prouinciales Prouinciarum Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Hiberniæ, Scotiæ, Venetiarum, Tholosæ, Cataloniæ, Alemanię superioris, Vasconię, Turonię, Castellę, Bohemię, Neapolis, Marchię Anconitanę, Appulię, & Dacię. Prouincialatus autem Narbonę, Thuscię, & Portugallię, sicut Prioratus Romanus, & Parisiensis, ac electio Procuratoris Generalis commissi sunt Reuerendissimo Patri Ordinis. Liber Ordinis *fol.* 72. Capitulum Generale.

7 Inter decreta huius Capituli hęc pręcipua sunt. Primum, renouatio Statutorum, quę facta fuerunt in Capitulo Generali Rupeculensi proxime celebrato. Secundum, quod nullus Frater cuiuscunque gradus, aut conditionis existeret, posset effici filius in alia Prouincia, non habita prius licentia à Prouincia, in qua habitum sumpsit. Tertium, quod esset differentia vestium inter Sacerdotes, & Laicos, ita vt isti deferrent scapulare, vsque ad genua dumtaxat, tunicam breuiorem, & cappas abbreuiatas. Decreta.

8 Clariores Patres in hoc Capitulo nominati, sunt, Reuerendissimus Generalis Pontius Rinaudus; Magister Laurentius Burellus primus Socius, & Diffinitor Prouinciæ Narbonæ; Magister Ioannes Viriti, Diffinitor, & Prouincialis Alemaniæ inferioris; Magister Bernardinos de Senis Diffinitor, & primus socius Prouinciæ Tusciæ; Baccalaureus Monaldus de Rosarijs Diffinitor, & secundus Socius Prouinciæ Vasconiæ; Philippus de Nussia Lector Coloniæ, de quibus cum alijs suis locis. Clariores Patres.

9 Quo etiam anno Hieronyma Lanci Cœnobij Regiensis sanctimonialis nostra de qua superiori anno dictum Regium reuersa, iuxta Beatæ Inuentio corporis B. Ioannæ.

Ioan-

Ioannę iussa, eiusdem corpus alijs comitantibus sororibus, exhumauit die 1. Decembris. Quod ne dum corruptum quin potius suauissimum efflagrans odorem repertum, & per aliquot dies reuerenter custoditum, Priore Fratrum nostri eiusdem Ciuitatis Cœnobij, ac Sororum Confessario, deliberantibus, Francisco Arlotti tunc Regiensium Episcopo propalatum fuit. Contigit autem mirabilis casus nullatenus obliuioni tradendus: vt quo tempore hac de re monebatur Episcopus librum legeret, in quo author illud Canticorum 2. *Tempus putationis aduenit*, referebat, sed Episcopus pro verbo *putationis*, scriptum videbat *publicationis*, non sine magna ipsius admiratione. Abstulit ambiguitatem nouitas illi à prædictis Patribus tunc Episcopi cameram ingressis, relata, de mirabilibus à B. Ioanna, tum vita, tum morte paratis, & qualiter ipsius corpus è sepulchro extumulatum integrum repertum fuerit. Tunc etenim causam agnouit cur in libro pro *publicationis*, verbum *putationis*, quasi per vim legere coactus fuisset. Verè enim (inquit) opus Dei est hoc volentis, vt corpus huius B. mundo publicetur. Hinc cum Canonicis, Doctoribus, & nobilibus Ciuitatis Monasterium adijt, & re comperta, cum nedum cadauer incorruptum, sed & velum, seu palliolum quo inuoluebatur, vidisset, cum Sabba Regina exclamans ait: *Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sermonibus tuis, & non credebam narrantibus mihi, donec ipse veni, & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerat.* Propterea solemni statuta Processione, populique maximo, extraneorum etiam, concursu, cunctis astantibus, corpore B. in sepulchro, & luminibus, vt decens erat, decorato, Pontificalem Missam celebrauit. Corpus postea reuerenter honestissimo in loco ad læuam Altaris maioris subtilissimo velo contectum, vbi modo iacet, reposuit. Cui hoc Epitaphium additum.

Hic decus, & famæ pars maxima Carmelitarum
Corpore fælici Virgo Ioanna iacet.
Cælesti gaudens, vt spiritus integer aula,
Sic non consumptis ossibus, alma caro est.
Gaudeat exultans his concio tota Sororum,
Lætetur propria Scupæa prole domus;
Lætitiæ voces populis sub sydera iactet
Regius hac Diua Virgine lætus agat.
Sis bona, sis fælix, cunctis Sanctissima Virgo
Sisque memor nostri vocibus ante Deum.

10 Quo in loco magna populi frequentia, deuotione, magnoque concursu colitur, quandoque etiam reuerenter plebi ostenditur, die 9. Iulij præsertim, qua die ipsius festiuitas magno Ciuitatis applausu celebratur. Benedictus Muttus *in vit. B. Ioan. Scop. de Regio.*

Populi deuotio.

11 Cultum B. dictæ Ioannæ debitum suadent cuncta, quæ de eius vita, & mirabilibus corporis illæsi inuentione, festiuitate, ac honore illi etiam ab Episcopis Regiensis Ciuitatis concesso diximus. Etsi enim ab

Cultus ipsius.

vniuer-

vniuersali Ecclesia Canonizationis, aut Beatificationis gratiam adepta non sit, hoc tamen non obstante, cum per immemorabilem temporis cursum, vtpote supra centum annos, & *scientia, & tolerantia Ordinarij*, videlicet Episcopi, talem cultum obtinuerit, nihil illi prçiudicare iure potest Decretum Sanctæ Romanæ Inquisitionis iussu SS. D.N. Vrbani anno 1625. editum circa cultum Sanctorum, qui ab Ecclesia Canonizati, aut Beatificati non sunt. Quia vt etiam in Decreto habetur, nihil per ipsum præiudicatur, *ijs qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia, Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij, coluntur*. Beatæ ergo titulum concedimus, non quia ab Ecclesia Beatificationis gratiam consequuta fuerit, sed propter cultum illi modo assignato concessum, & quia valdè pium putamus credere ipsam Beatitudinis præmio in cælesti patria potiri.

12 Huius nostræ Ioannæ vitam scripsit Benedictus Muttus Regianus, quam iterum Typis mandari fecit Lucretia Trenti Priorissa dicti Monasterij Venetijs, & Regij anno 1630. Illam etiam scripsit Franciscus Lobo clarus Poeta pereleganti Carmine Latino, vt testatur Biscarretus, qui plura etiam de ipsa. De ea etiam sic loquitur Philippus Ferrarius *in Catalog. Generali Sanctorum pro nona die Iunij. Rhegij in Æmilia Beata Ioanna Virginis Carmelitarum.* Deinde in Additionibus. *Ioanna Virgo. Ex Kalendario Ecclesiæ Regiensis, & monumentis Cœnobij Ordinis Carmelitarum, cuius ipsa Beata Ioanna Fundatrix fuit. Obijt salutis 1491 ætatis vero suæ 63. clara miraculis. In eodem Monasterio, quod Sancta Maria de Populo dicitur condita, maximo totius populi concursu colitur. De ea in eius Ecclesia Officium, & Missa die prædicto ex antiqua potius deuotione, quam ex Roman. Pontif. concessione, recitantur. Vita illius Typis excussa est Mediolani anno 1617.*

Vitæ Authores.

13 Datum est Ordini nostro eo anno, vel circiter, Monasterium Alpini in Prouincia Lombardiæ. Quod prius Domini Matthæus de Ferrarijs, & Thomas de Opicio, ad instantiam Fratris Ioannis de Alemania Tertij Ordinis Sancti Francisci fabricauerant. Sed illo cedente, nostris Fratribus concessum.

Conuentus Alpini.

Ann. Christi 1493. Alexand. 6. Rom. Pontif. 1. Frideric Imp. 54 Pontij Rainaudi Generalat. 12.

1 FRidericus Imperator iam valde senex diem clausit extremum, & Imperat. Maximilianus Austriacus. Nauclerus, Cuspinianus, & alij. Carolus Galliarum Rex ad Regnum Neapolitanum aspirat. Gordonus, Bzouius. Papa autem Alexander nouum Orbem inuentum

Anni huius casus.

tum à Columbo Regibus Hispaniæ concedit. Historici Hispani, Bzouius, Spondanus.

Papæ concessio. 2 Confirmauit, & approbauit eodem anno Papa Alexander Sextus omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones plenarias, tam in vita, quam in morte, ac omnia priuilegia, & Indulta per Summos Pontifices prædecessores toti Ordini nostro, Fratribus, & benefactoribus concessa, & noua etiam concessit manus adiutrices præbentibus, & vtitur in prohemio Bullæ illis verbis à Sixto quarto mendicatis scilicet, quod Beata Virgo *produxit Sacrum Ordinem*, &c. Habetur in Archiuio Transpontinæ.

Petrus Bruines. 3 Viuebat hoc anno Petrus Bruyne Gandensis Prior, qui Tabulare Ordinis nostri scripsit, complectens Institutionem, successionem, & Regulam, impressum Alosti apud Theodoricum Mertens. Sic ex relatione Prouinciæ Belgij. Eius Epitaphium scripsit Iacobus Reimolanus, de quo anno 1508. dicemus.

Conuentus Antuerpiensis. 3 Hoc anno 1493. extrui cepit insigne Ordinis nostri Cœnobium Antuerpiense, etsi Fratres iam olim ab anno 1405. vel circiter, vt eo loco diximus, vt terminarij Conuentus Mechliniensis, in ea clarissima Vrbe habitare ceperint. Primordia talia fuerunt, prout ex Relatione Prouinciæ Belgicæ accepimus, his verbis. Ex antiquis monumentis Conuentus cõstat supradictam Mariam Cõiugem Maximiliani Romanorum Regis statuisse hoc Cœnobium exstruere, atque dotare in gratiarum actionem, reuerso dicto Maximiliano à Blangis in Francos victorioso, sed lamentabili præuenta morte, decretum suum exequi non valuisse. Post annorum tamen aliquot curricula, sollicitante, & procurante Reu. Pat. Magist. Ioanne CattendycK, Conuentus Mechliniensis Alumno, cum quibusdam alijs eiusdem zeli Religiosis locus ad Conuentum Antuerpiæ est emptus, & primus lapis Ecclesiæ, & Conuentus positus est, 22. Octobris ann. 1493. per Ioannem Dominum de Houthem, & Huldeberghe Cancellarium Brabantiæ, ex speciali ordinatione, & parte Maximiliani Regis Romanorum, & Philippi Archiducum Austriæ, qui etiam Conuentum, & Religiosos per Diploma sub speciali sua tutela, & protectione receperunt, ad auertendas molestias, quas Canonici Cathedralis Ecclesiæ Beatæ Virginis Religiosis inferebant. Verum nihil ad erectionem Monasterij, vel Ecclesiæ elargiti sunt. Consecratus, & decoratus est anno, & die vt supra Conuentus hic titulo Annunciationis Dominicæ in Nazareth. Cuius structura magnifica est. Ambitus est amplius, complectens vitam SS. Eliæ, & Elisei in 24. magnis valde fenestris vitreis, eleganti pictura delineatam, cui principia dedit Reu. Pat. Ægidius de Merica Prior electus anno 1497. prout etiam præclaro illi operi, Chori Ecclesiæ. Verum ex Priore factus Episcopus Beritensis, & Suffraganeus Cameracensis, morteque præuentus anno 1505. quinta Februarij, & in choro à se inchoato sepultus, opus suum non perfecit. Sed Reuer. Pater Magister Sebastianus Grays electus Prior anno 1502. cum ambitu, & alijs præclaris ædificijs fabricæ chori finem imposuit

suit

fuit anno 1510. circa festum Sancti Mathęi Apostoli, & Euangelistę, quo die festo delatum est Venerabile Sacramentum, & Oleum Sanctum cum magna solemnitate, & populi applausu ad dictum chorum, ex loco in quo 17. ferè annis Religiosi diuina persoluerant. Præfatus Sebastianus Grays Concionator erat celeberrimus, eiusque fama celebrabatur non solum per totam Brabantiam, sed etiam per Flandriam, & Hollandiam. Chorus hic illustris valde, vastus, & pręclarus est, quem paulo post erectionem adornarunt Mercatores nationis Aragonicę 84. sedilibus ad Religiosorum vsum insigni artificio, & sculptura. Cui adiunxit à parte Aquilonari Sacellum quoddam nobilis, & pręclarus Vir Petrus Lopez Hispanus Cæsaraugusta oriundus, anno 1524. cum fundatione Missę quotidianę, in quo mortuus anno 1532. nona Iulij iacet inhumatus. Choro pro Ecclesia multis annis vsi sunt, cui alam vnam, partem videlicet anterioris Ecclesię, quę Austrum respicit, adiunxit Reu. Pater Ioannes HansvvycK Prior creatus anno 1558. iactis magna etiam ex parte fundamentis nauis anterioris Ecclesię per eumdem. Aliam alam, quæ respicit Aquilonem erigere cœpit Reu. Pater Arnoldus Madderus, qua fabrica incœpta, anno 1605. mense Maio è viuis peste abripitur eodem anno 17. Augusti, eamque absoluit eius successor Reu. Pater Ioannes Ascanius. Verum reliquum opus nauis maioris Ecclesiæ cum appendicibus ab vtroq; latere erexit, eiq; & vitæ suæ finem imposuit R. Pater. Magister Ioannes de la Court anno 1622. postquam Conuentui 12. annis præfuisset. Tempus hoc amplum pulchris ex marmore Altaribus, & artificiosis picturis est adornatum. Odœo quoque ex marmore, ad cuius vtrumque latus, magnifica valde ex marmore frontispicia sunt, vnum ad ingressum ambitus, aliud verò ad ingressum Sacelli Rosæ Mysticæ, siue Diuæ Virgini Sacri, quod sumptuosissimè vndique vsque ad ipsum pauimentum, ex marmore fabricatum est ad normam Sacelli Virginis Lauretanæ, sculptis magna arte in parietibus mysterijs Litaniarum eiusdem B. Virginis. In fabricam huius Sacelli impensi sunt anni 14. erectumque est expensis Dom. Ioannis de Grauerelle Equitis Ordinis Christi, Consiliarij Suæ Maiestatis, Concilij Statuum, & Superintendentis Classis nauticæ DunKercKe, tunc Secretarij, & Pensionarij Ciuitatis Antuerpiensis, iacto per eundem primo lapide anno 1615. in Vigilia Annunciationis B. Virginis, opereque absoluto anno 1629. consecratoque in eo Altari ipso Annunciationis per Reuerendiss. Dominum Ioannem Malderum Episcopum Antuerpiensem. In quo Altari inter sex marmoreas columnas argento ornatas videre est insignem, & artificiosam statuam Deiparæ, ex argento, altitudinis nouem pedum, & amplius, si habeatur ratio etiam basis. Sacellum hoc adeo magnificum est, vt, qui visendæ Antuerpiæ causa veniunt, etsi innumerabilia illic præclara, & visu digna reperiantur, vt in loco in quo artes omnes mirificè colantur, ad miraculum fere vsque, nihil tamen vidisse censeantur, nisi illud attente perlustrarint: vt etiam ipsam Ecclesiam. In cuius frontispicij erectionem,

nem, tesi ornatui non sit multum datum, Præclarus Dominus Alexander Vander Goest Eleemosynarius, & Senator aliquando Ciuitatis, impendit vltra viginciquinque millia florenorum, ex quo etiam amplitudinem Ecclesiæ metiri licet, Estque in optimo Ciuitatis loco sita inter de *Meerè*, & *d'Huynetterstraete*, quæ plateæ longè frequentissimæ, & celeberrimæ omnium sunt. Ex quibus etiam ad eandem patet binus ingressus. Frequentia populis Dominicis, & festis nulli cedit; adeoque frequens est Dominica quarta cuiusque Mensis, quæ Confraternitatis Sacri Scapularis dicitur, tempore processionis, vt multitudinem vix capiat: in qua quoque Processione ante venerabile Sacramentum 6ò. & amplius ordinariè tædæ deferuntur. Ad hæc non parum commendabit magnificentiam huius Ecclesiæ Altare maius in Choro magno ex marmore erigendum, ad quod nobilis vir Philippus Godinus Dominus de Cantecroij, Murtyel, &c. testamento reliquit decem millia florenorum. Organum quoque in dies erigitur, quo maius in Ciuitate nullum est. Hæc ex relatione dictæ Prouinciæ, cum qua, magna ex parte coherent, quæ exteri Authores Carolus Scribanus *in sua Antuerpia*, & Ioannes Bapt. Grammaye in Antuerpiæ antiquitat. c. 7. scribunt.

Conuentus Coriolani.

4 Ad eundem etiam annum refertur fundatio Conuentus Coriolani Prouinciæ Calabriæ, sub titulo SS. Annuntiatæ, ex consensu Dom. Blandisij Rossani Archiepiscopi, & acceptatione Prouincialis eius temporis. Hæc ex quadam Inscriptione in lapide marmoreo, & relatione Conuentuum huius Prouinciæ sub Innoc. X. Etsi paulo aliter ex relatione Prouincialis eius Prouinciæ ad me missa habeatur. Dicitur enim in ea hoc Monasterium fundatum ex assensu, & beneplacito Reuerendissimi D. Io: Baptistæ de Lagni Neapolitani, Archiepiscopi Rossani.

Guilielmus Bintreus.

5 Quo etiam anno vltimum clausit diem Burnhamiæ in Anglia tertio idus Septembris Gulielmus Bintreus eiusdem nationis, nostrique Ordinis eo tempore decus Patria fuit hic Pater Norfolcensis, & Burnhamiæ Regulam nostram amplexus prima fundamenta suorum studiorum ibidē posuit. Deinde Cantabrigiam profectus, omnes liberales Artes, Philosophiamque omnem didicit, vt propterea Doctor Theologus Cantabrigiensis euaserit. Inter studia litterarum numquam pietatem, & virtutem neglexit, sed ita in vtroque pari passu processit, vt vtriusque perfectionem consequeretur. Erant ijs temporibus quidam, qui Mendicantium Ordines in Anglia calumniarentur, & præ cæteris Carmelitas nostros, quibus nunquam persecutor defuit. Causam cur in Anglia tunc Calumniatores nostrarum fuissent, reddit Pitseus, quod ibidem maximè florebant, & inuidia plerumque fœlicitatis est comes. Bintræus igitur suas esse partes existimauit Ordinem defendere, & inuidorum calumnias diluere, vti fecit, libro in eum finem conscripto, quo & multis alijs, quos edidit, nomen suum insigniter posteris commendauit. Scripsit enim Lectiones in Cantica canticorum, *librum vnum*, Sermones varios *librum vnum*, de Laude Beatæ Vir-

ginis

ginis *librum vnum*, Determinationes Theologiæ *librum vnum*, Quæstiones Ordinarias 42. Defensorium paupertatis *vnum, librum*, & alia plura. De ipso Balæus, Pitsæus Harpsfeldius, Posseuinus, & Biscarretus. De eo adiungens, nec nobis omittendum, quia id existimamus proprium Religiosorum munus id esse debere: *Orationibus, diuinis obsequijs, ac conscribendis libris incumbens*, &c.

6 Per id temporis florebat in Ordine Ioannes Crestonus, à propria patria appellatus Placentinus. Vir vndequaque doctus, Theologus, & Rhetor celeberrimus, ingenio promptus, & disertus eloquio, Græcè, ac Latinè peritissimus, quippe qui plures libros conscripsit, multaque eleganter traduxit. Fertur Vocabularium Græcum *librum vnum*; & Psalterium è Græco translatum ad Donatum Episcopum Bergomensem, opus omni laude superius, cum alijs multis. Claruisse tempore Innocentij Octaui describitur, sed quo anno decesserit incertum, ideo nos huic tempori Innocentio Papæ proximo illum describimus. De eo Trithemius, Iacobus de Plebe, Posseuinus, Lucius, & Biscarretus, qui duo posteriores de ipso plura. Ioannes Crestonus.

7 Magister Baptista Panetius de Ferraria iam secundo Brixiæ in Vicarium Gen. Mantuanæ Congreg. eligitur. De ipso sequenti anno dicemus. Baptista Panetius.

8 Nunc verò, quod ex relatione huius Congregationis constat, hoc anno initium habuisse Conuentum Mediolanensem horum PP. in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, *Eremitarum* appellatæ, extra portam nouam, habitam à Confratribus S. Anastasiæ: consensu accedente Illustriss. D. Ludouici Galleazij Mediolanensis Ducis, qui Dom. Paulo .... eius vicegubernatori in ea Vrbe cōmisit, vt præfatis PP. auxilium, & fauorem præstaret. Pactis igitur quibusdam cum ijs Confratribus initis, inter quæ vnum erat, celebrandi quotidie vnã Missam ritu Ambrosiano, res fuit confecta. Conuentus Mediolani.

9 Acceptatus etiam est in hoc Capitulo Congregationis Conuentus *Galeazze* à quodam Domini Galeazza fabricatus, cum aliquibus quoque conditionibus. Conuentus Galeazza.

Ann. Christi 1494. Alexand. 6. Rom. Pontif. 2. Maximil. Imp. 1. Pontij Rainaudi Generalat. 13.

1 Annus iste obitum vidit Ferdinandi Neapolitani Regis, successionem Alphonsi, & bellum à Gallis inchoatum, qui toti Italiæ, & Christianitati cunctæ maximum attulit detrimentum. Author fuit Carolus Octauus Francorum Rex, ab alijs Italiæ Principibus confortatus, non tamen à Papa, qui vt bonus paster suæ gregi consulebat. De hoc bello historici omnes huius æui. Qua occasione Mantuanus noster Casus huius anni.

ster illius sæculi Phœnix libros tres *de calamitatibus suorum temporum* exquisita doctrina plenos ad Oliuer. Carafam Episcopum Sabinensem, & Cardinalem Neapolitanum scripsit, qui habentur inter opera ipsius Mantuani *tom. 1.*

Papæ concessio.

2 Concessit eo anno Alexander Sextus Vicario Generali Cismontano Ordinis nostri, ac Prouinciali Prouinciæ Romæ, quod omnia, & singula loca, ac Ecclesias, & Monasteria, quæ eo tempore quiete, & pacificè in quibuscunque Prouincijs possideret Ordo noster, dummodo alicui præiudicium aliquod non inferretur, licitè, & absque aliquo conscientiæ scrupulo retinere, aut quæ nobis de nouo concederentur, aut donarentur liberè recipere, & retinere possemus. Archiuium Transpontinæ.

Controuersia in Germania.

3 Circa idem tempus non leuis controuersia in Germania de Conceptione SS. Virginis Mariæ exorta. Occasio fuit quod Venerabilis Abbas Ioannes Trithemius *in libro de Laudibus Sanctæ Annæ cap. 7.* asseuerauerit B. Virginem ab originali macula non Sanctificatam, sed præseruatam fuisse. Huic sese opposuerat ex Dominicanis Patribus Vvigandus Cauponis Concionator Francfordiensis, Trithemij tamen opinionem Carmelitis nostris cum Minoritis valide propugnantibus. Vnde ex nostris contra Vvigandum scripsere Philippus Albertus de Nussia Coloniensis, Ioannes Paleonydorus, seu de aqua veteri, & vno verbo dicere possemus cum Trithemio, & Spondano, totum nostrum Ordinem pro hac pia parte stetisse. Etsi enim, clarissimæ, & nobilissimæ Prædicatoriæ familiæ, propter insignem quam profitetur Doctrinam, in alijs ad scholam spectantibus quæstionibus, addictum se esse suis scriptis ostendat; in hoc tamen puncto sæpius ab eo discedit. Lis tamen, & controuersia auctoritate Alexandri Papæ, vt decebat, ne inter Deo Sacras personas discordiæ essent sub anno 1502. consopita dicitur. Bzouius eo anno, Spondanus hic num. 14.

Archangela de Trino.

4 Vita, & mors fœlicissima Beatæ Archangelæ de Trino nostri Ordinis, & clarissimæ Congregationis Mantuanæ, inclytæ Alumnæ, huic anno, quo ipsius contigit obitus, ascribenda. De anno 1495. è vita cessisse in quadam ipsius Imagine Mantuæ sculpta sub anno 1645. & Serenissimę Mariæ Gonzaga, Mantuæ, & Monferrati Ducissæ nuncupata, habetur: sed quia ex Archiuio nostrorum Patrum Ecclesiæ Sancti Chrysogoni transitum eiusdem Virginis pro anno isto 1494. notatum videmus; ita existimandum, donec maiora suppetant. Nata est Trini in Monferrato ex Ioãne de Girlani, viro probitate vitæ cognito, & vxore sibi nobilitate, & moribus æquali. Ex illis orta Leonora appellabatur, & in prima ætate senilem demonstrans, decreuit Deo consecrari. Hinc Patrem sæpius deprecababatur, vt ipsam in quodam Monasterio Sanctarum fœminarum ad duo milliaria reponeret. Obtinuit, & in sæculari habitu alijs Sororibus in Diuinis Officijs, & Monasterij pijs operibus talem profectum fecit, vt ab ipsis valdè diligeretur. Sed ipsa à Deo inspirata Cœnobium illud animæ suæ saluti

saluti aptum non existimans, patri suam intentionem manifestauit. Restitit ipse, ne sanctis illis Sororibus, quæ adeo singulari amore eam prosequebantur, ingratus videretur: sed tandem, non sine specialissima Dei prouidentia, consiliante etiam quodam nostri Ordinis Religioso, actum est, vt Monachalem Carmelitici Ordinis habitum in Conuentu Monialium Parmæ, de S.Maria Magdalena attitulato, receperit. Vbi sic in primordijs susceptæ Religionis se gessit, vt non tam Nouitia, aut noua Sanctimonialis, sed ex veteribus, & antiquis vna, à cunctis haberetur: vt id circo ab eis summe coleretur, & ipsa alacriter in Dei seruitio diu noctuque proficeret. Electa proinde est, iam vocata Archangela, ad eius Monasterij regimen, Sororum concordi assensu, suo vero dissensu. Onus tamen sibi impositum Iesu sponsi amore sic ferebat, vt domesticarum, & exterorum beneuolentiam sibi conciliaret: erat namque omnium solatium, & refrigerium. Vitæ porro ipsius ratio hæc erat. Suorum Superiorum iussis obsequentissima; quoad se ipsam asperrima; cilicium enim super carne nuda gestans; frequenter in pane, & aqua ieiunans; sæpius flagris ad sanguinis, vsque effusionem se verberans; sine intermissione ferme orans; ac Sanctorum vitas crebro legens. Mundissima spiritu, & corpore, immundas vestes in se, & alijs auersabatur; & cum Breuiarium accipere debebat prius manus lauabat. Erga consorores humanissima, ipsas mitissime corrigebat; adeo, vt propterea illæ ipsius correctionem præuenientes, pœnitentias, & mortificationes Regulares postularent. Infirmas mirè solabatur, pieque ad pœnitentiam peragendam pro defectibus excitabat. Post quindecim tandem annos, quibus ex eo Parmensi Cœnobio sanctè vixit, ad Mantuanum aliud nouiter receptum à Superioribus euocata, cum duabus Monialibus Mantuam perrexit. Ibi sibi similis, toti Vrbi virtutum splendore sic illuxit, vt nobiles Matronæ proprias filias eius disciplinæ traderent imbuendas, & septem ex illis Religionis habitu indueret. In Oratione frequens pernoctabat, & opere, ac sermone socias ad Iesu Christi amorē accendebat; ijsq; propterea spiritualibus lapidibus amplum Monasterium Dei cultui addictissimum reddidit. Accidit aliquando, vt propter fluuij inundationem per aliquod tempus farina defecisset, nec esset panis pro cibo Monialium necessarius: sed tunc, quid Christi ancilla faceret? Ad orationem cum ipsis recurrit: & ea finita, ecce ad ianuam, & Monasterij rotam, adfuit quidam panis quantitatem deferens quantum pro ea die satis esse poterat. Interrogatus autem quisnam esset, solum respondit: *Qui ad vos me misit, vobis non deerit, nec in Cælo, nec in terra.* Cum in Capitulo culparum cum suis Virginibus quandoque esset, rumor magnus, & strepitus per domum, & circa coquinam audiebatur, ac si in terram corruisset; ipsis vero surgere volentibus, vt viderent quid esset, Archangela subridens dixit, Diabolum fuisse, qui ipsarum culpas auscultabat; ac monuit, vt imposterum non delinquerent, ne à Deo desererentur. Sanctissimæ Trinitatis deuotissima, quoties Sorores reprehēdere incipiebat, in nomine

eius-

eiusdem SS. Trinitatis inchoabat. In oratione sæpius sic in spiritu rapiebetur, ac si anima à corpore separata fuisset. Hinc in quadam nocte Natiuitatis Domini post Matutinas preces, Infantem Iesum in Præsepio positum considerans, in eleuatione posita, vsque ad Primam durauit. In quadam etiam feria sexta Hebdomadæ Sanctæ, dum sibi calceos pro Cruce adoranda, iuxta morem Religionis, detraxisset, in consideratione passionis Domini, & Spiritu rapta, tota illa die incibata permansit. Prout etiam sæpius à Sororibus in sua cella visa fuit. Viduæ cuidam in magna tribulatione positæ, quod gener ipsius, filiam, quam in vxorem dederat, desolatam reliquerit, media Oratione succurrit: vir enim ad sponsam suam rediјt, & in pace cum ipsa vixit, vidua dicente, Archangelæ precibus id actum fuisse. Quidam etiam, qui filiam suam in Monasterio habebat, cum grauiter ægrotasset, Virginis precibus liberatus est. Erat præterea commune solatium fœminarum Mantuæ, quæ ad ipsam suis in afflictionibus recurrebant; nec vana spes. Infirmata postea graui morbo, & sæpius repetendo, *Iesus amor meus*, & *Iesu Christe fili Dei viui miserere mei*, ac symbolum pronuncians, Ecclesiæque Sacramentis receptis, admonitione quoque ad filias suas piјssima præmissa, animam placide suo sponso reddidit die 25. Ianuarij 1494. Cuius corpus in eo Monasterio cui titulus, *Sancta Maria de Paradiso* piè tumulatum est. Dolor proinde, & tristitia ob eius mortem Mantuæ, & Parmæ, inter exteros etiam. Deus autem huius Virginis Sanctitatem varijs signis ostendit. Primò, dum Parmæ, vbi prius morata fuit, Moniales Matutinum nocte quadam dicerent, subitanee, aulæ ianua, quæ clausa erat, ipsis stupentibus, aperta est: soror autem Scholastica tunc Priorissa eius Cœnobij, agnouit, & Sororibus retulit, quod Archangela eas inuisura aduenerat. Resque sequenti die comprobata litteris referentibus eius transitum. Deinde, cum post aliquot annos Moniales vellent Sororem quandam mortuam, in sepulchro, vbi Archangela condita erat, sepelire, & lumine accenso, Priorissa recognoscere desideraret Sanctum eius Corpus, album, nitidum, & integrum repererunt. Et cum candelam accensam ori ipsius semel, & bis apponerent, extincta fuit, & flamma inde erumpens ad modum Stellæ supra sepulchrum venit. Confessarij ergo consilio Virginis corpus eleuatiori loco reconditum est: & nouis miraculis corruscare ipsa cepit. Tres sorores quæ aqua corpus ipsius lotum fuerat capita sua lauando, ab infirmitate, quam patiebantur, eruendo; quandam aliam ab ęgritudine oculorum; fœminam alteram à brachij, & humerorum morbo; item etiam Monialem à simili infirmitate; nobiles duos à quadam tribulatione; fœminam quandam à cancro in vbere; sororem aliam à fistula in facie; mulierem ab infirmitate in coxa pedis; Monialem ab adustione aquæ calidæ, quæ super eam ceciderat, cuiusdam Monialis patrem ab infirmitate quam contraxerat cadendi ex equo; sororem à febre; alteram ab alia infirmitate; fœminam aliam à magna quadam angustia: & agrum à sæuissima tempestate. Prout

hæc

hæc omnia in vita eiusdem Archangelæ, quam ex Archiuio S. Chrisogoni compendio extraximus, latè habentur.

4 Conuentus ab hac Beata Archangela Mantuæ institutus, ex venustioribus est totius Ciuitatis, & adeo Virginum numerosus, vt regulariter centenarium numerum attingat; plus, minusue aliquando; & aliquando decem & centum, in eo habitasse referantur. Quæ suæ fundatricis festum in die Conuersionis Sancti Pauli quotannis celebrant, eò conuenientibus, tum indigenis, tum exteris multis, quibus sacrum eius corpus ostendi solet. Anno 1492. initium habuisse describitur, Illustrissimi Marchionis Francisci, & Elisabethæ vxoris opera; consentiente Illustrissimo Ludouico Gonzaga Mantuano Antistite. Moniales Mantuæ.

5 Eo etiam anno clarus valde in Religione erat Magister Baptista Panetius, de Ferrara, inter nostros Mantuanæ Congregationis Patres celebris valde, vt propterea anno 1485. Reueri in Vicarium Generalem Congregationis fuerit electus, & nouissimè Brixiæ secunda vice anno proximè præcedenti. *Vir* (inquit Trithemius) *in diuinis Scripturis eruditus, & in sæculari litteratura egregiè doctus, metro excellens, & prosa, & in vtraque lingua peritus, in declamandis sermonibus ad populum, celeberrimi, ac prope diuini ingenij.* Quæ autem scripsit talia sunt, vt pro ipso melius loquuntur. Ex quibus subiecta feruntur. Opus luculentissimum historiarum à Christo vsque ad nostra tempora, quod prænotauit floridam, *librum vnum*, Chronic. sui Ordinis *librum vnum*, de Monte Sina *librum vnum*, Chronic. Ferrarien. *librum vnum*, de ruina Roman. Imperij *librum vnum*, Vitam Mechtildis *lib.3.* Sermones varios *librum vnum*. Conuertit etiam de Græco in Latinū Beati Chrysostomi sermones, Epigrammata multa, atque diuersa edidit, & alia multa nobis incognita. Viuebat hoc anno. De eo Trithemius, Gesnerus, Posseuinus, Einsengrineus, Lucius, & Biscarretus, qui ait fuisse, Secretis, & intimum Consiliarium Herculis primi Ferrariæ Ducis. Baptista Panetius.

6 Viuebat etiam sub eodem anno Laurentius Brourrellus, alter Illustris Ordinis nostri Professor, patria Diuionensis. Vir in diuinis Scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris egregiè doctus, ingenio excellens, & clarus eloquio, metro exercitatus, & prosa. His suffragantibus meritis à Confessionibus fuit Carolo Octauo, & Ludouico Duodecimo Gallorum Regibus. Claudius Robertus Lingonensis *in Gallia Christiana* loquens de Episcopis Cistaricensibus, affirmat vlterius suo hoc anno ad prædictum Cistaricensem Episcopatum electum. Tamen in Capitulo Generali an. 1498. celebrato solum Prouincialis Narbonæ nuncupatur; credimus ergo vsque ad ann. 1501. vel circiter non fuisse Episcopatum adeptum. De ipso eo anno dicetur. Laurentius Brourrellus

7 Obijt eodem anno Ioannes Dusserdorpus Ordinis nostri Alumnus illustris, natione Germanus, & Conuentus Moguntinensis; Doctor erat valde eruditus, in diuinis Scripturis studiosus, Theologicæ facultatis celebris Interpres, ingenio promptus, &, quod, pluris nobis habendum, Regula- Ioannes Dusserdorpus.

ris

ris disciplinæ custos. Prior fuit Conuentus Argentinensis, vbi mortuus, & sepultus, apud nostros. Nomen suum notificauit libris editis, videlicet: De obseruantia dierum festorum; Itinerarium Terræ Sanctæ, quam ipse lustrauit; Sermones varios de tempore, & Sanctis. De ipso Trithemius, Einsengrineus, Posseuinus, Franciscus Suuertius, Lucius, & Biscarretus.

Petrus Keningalus.

8 Obijt quoque eodem anno Petrus Keningalus Ordinis nostri, Doctor Oxoniensis, & in Gallia natus, parentibus tamen Anglis, ipsisque nobilibus, genitus, & in Anglia semper in studijs educatus. Vir optimis naturæ donis prędìtus, & cui ad Euangelium Christi prædicandum, nec zelus, nec eloquentia, nec ornatus verborum, nec elegans gratia, beneq; lucidus ordo defuit. Oxoniæ in suo, & nostrorum Cœnobio diem clausit extremum, & habuit sepulturam, postquam posteritatis vtilitati ediderat, Sermonum ad Clerum *librum vnum*, disputationes Ordinarias *librum vnum*. De ipso scribunt Lelandus apud Pitseum, Balæus, Pitseus, & Biscarretus.

Vrbis veteris Ecclesia.

9 Auctoritate Papæ Alexandri litteris datis sub hoc anno Idib. Martij vnita est, incorporata, & annexa Ecclesia Sanctæ Mariæ de Monte Vrbis veteris nostro Carmelitarum Monasterio eiusdem Ciuitatis. Habetur Bulla in Archiuio Transpontinæ.

Ann. Christi 1495. Alex 6. Roman. Pontif. 3. Maximilian. Imperat. 2. Pontij Rainaudi Generalat. 14.

Caroli Regis gesta.

1 Arolus Gallorum Rex Romæ existens Pontificem ad concordiã cogit, quæ ipsi ad Neapolitani Regni, quod appetebat, viam parauit: hacque sancita, Papa in Vaticanum, à quo aberat, concessit; Regemque ipsum consuetis ritibus excepit, ac vicissim ab ipso obedientiæ filialis obsequia obtinuit. Guicciardinus, Tillius, Spondanus, & alij, apud quos etiam an Rex Galliæ renunciatus à Papa fuerit Imper. Constantin.

Baptista Mantuanus.

2 Iam pro tertia vice anno sequenti 1495. in Vicarium Generalem Mantuanorum Patrum Congregationis vocatus est, nunquam satis, vel pro meritis laudatus Magister Baptista Mantuanus, Hispaniolus vocatus. Mutinæ facta est electio.

Conuentus Drepani.

3 Item pro eodem anno sub die 19. Decembris Papa Alexander Sextus litteris datis in fauorem veneeabilis Monasterij Sanctæ Mariæ Annunciatæ Drepanensis, vbi insignis illa eiusdem Deiparæ Imago à Sicilia tota in magna veneratione habita, colitur, præcepit, vt Sacrum illud Templum etiam Ethnicis terribile, nequaquam in publicum Xenodochium pro infirmis curandis deseruiret. Quod postea recepit Rex Ferdin. 10. Septemb.

Septemb. 1499. Ioannes Mannus *in descriptione sacræ Imaginis Deiparæ Mariæ Drepanensis*.

3 Similiter eodem anno, ob insignia merita nostri Gratiani de Villanoua, Papę satis comperta in legationibus à se, & à suis prædecessoribus Sixto,& Innocentio eidem commissis, de quibus in superioribus diximus, eum creauit Præceptorem, seu Commendatorem Generalem Ordinis S. Spiritus: quod munus per duos annos,quinque menses,& dies 17. exercuit. Constat hoc ex Epitaphio eidem in Archinosocomio, seu Xenodochio Romano eiusdem Religionis apposito,quem sub anno 1497. quando finem viuendi fecit, referimus; & ex Petro Saunier Gallo eiusdem Hospitalis Suppriore, *in lib. de capite huius Religionis cap. 6. argum. 5. num. 28.* Gratianus de Villanoua.

4 Florebat eodem anno, etsi incertum an vsque 1511. superuixerit, prout aliqui autumant, Nicolaus Simonis Batauus, seu Hollandus, Ordinis nostri,& Conuentus Harlemensis ea tempestate insignis. Vir erat in diuinis,& humanis litteris studiosus, & eruditus. Iuris consultus, Theologus,& Historiograph. ingenio, memoria,iudicio valens. Dicitur fuisse Prouincialis Alemaniæ inferioris; cum tamen in libro Ordinis non reperiatur. Obijt Harlemij annis grauis post multa edita volumina, quibus nomen suum posteritati clarum commendauit. Sunt autem sequentia. Sermones de tempore,& de sanctis, quos inscripsit: *Vade mecum*. Repetitiones, & disputationes Venetijs 1497. De potestate Papæ, Concilij,Imperatoris,*lib.*4. Vitas Sanctorum Patrum. De Sacris mulieribus,*lib.* 1. Chronicum temporum, Historiam Ordinis. D.Cyrilli vitam,farraginem fragmentorum,Commentaria in Decretalibus, Epistolas, & alia. Plures proinde sui nominis præcones habere meruit, specialiter Iacobum Seruitam *in Indice Scriptorum Carmelit.* Valerium Andream *in Bibliothea*, Franciscum Svveertium *in lib. cui titulus* Athenę Belgicæ, Guicciardinum, qui ipsum in descriptione Harlemij *doctissimum*, & *honorabilissimum Prælatum* vocat, Einsengrineum, Posseuinum, Lucium, Biscarretum. Nicolaus Simonis.

5 Clarus etiam erat,in Ordine eodem tempore Nicolaus de Alsentia, Vir in diuinis scripturis eruditissimus, eloquio, & conuersatione candidus,Deo, & hominibus gratus. Cuius inter præclara ingenij monumenta subiecta feruntur. Commentaria in Exodum,in Apocalipsim S.Ioannis, de S.Sacrificio Missæ,Sermones de tempore,& de Sanctis. De eo Iacobus Seruita in Indice Scriptorum Carmelitarum, Antonius Posseuinus in Apparatu sacro. Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitarum, & alij. Nicolaus de Alsentia.

6 Valde clarus etiam erat sub eodem tempore, & anno Philippus Albertus de Nussia, patria Nouesiensis, Diœcesis Coloniensis. Vir vti Religione, modestia, candore, morum comitate, ac alijs animi, corporisq; ornamentis à Deo egregiè dotatus; ità quoque doctrinæ, ac Sacræ præsertim litteraturæ, laudem summam est promeritus. Prouincialis Germaniæ Inferioris ab aliquibus dicitur, quamuis in Libro Ordinis solum Lector Philippus Albertus de Nussia.

Coloniensis anno 1492. in Capitulo Generali Conuentus Sancti Mrtina de Montibus describatur. Scripsit in Cantica canticorum. Item super sententias. Similiter de purissima Conceptione contra Vvigandum, Sermonum per annum *librum vnum*, Epistolarum ad diuersos *librum vnum*. De eo etiam scripserunt Sixtus Senensis in sua Bibliotheca, Iacobus Seruita in Indice Scriptorum Carmelitarum. Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro*, Franciscus Svveertius in lib. cui titulus *Athenæ Belgicæ*, Petrus Lucius *in Bibliotheca*, & alij.

Lues Recinetensis.

7 Eo tempore atrox Recineti iuxta Lauretanam Sacerrimam Ædem nostris Carmelitis commissam, grassabatur lues, quæ, contagione vulgata, Ciuium pluribus absumptis, grauiorem in dies minitabatur Ciuitati cladem. Legitur, à Magistratibus de primorum consilio indicitur ad eamdem Virginis Ædem supplicatio, votum publicè nuncupatur. Nec spes, aut preces in irritum cecidere. Extemplo etenim, veluti diuina manu pestilentia abstersa, Ciuitas periculo exempta, magnam pecuniæ vim in votiuũ confert munus, & anno sequenti, decreta supplicatione, coronam auream gemmis distinctam clarissimis, Lauretanæ Virgini donum fert, Virgini imponitur, & simul à Rubereo Cardinali impetratur, vt ea nunquam remoueretur, quod Pontificum auctoritate postea firmatum fuit. Horatius Turselinus lib. 2. Histor. Lauretanæ cap. 8. & Bzouius sub hoc anno.

Conuentus Prænestæ.

8 Erat sub hoc anno, à multis etiam forsan alijs, nostrorum Fratrum mansio in peruetusta, & nobili Ciuitate Præneste. Constat etenim, ab Alexandro Sexto hoc eodem anno Conuentum Ordini nostro vnitum; confirmante vnionem Iulio Secundo eius successore. Sic enim habemus ex relatione Conuentuum Italiæ facta sub Innocentio Decimo Pontif. Maximo. Gaudet titulo S. Antonij Abbatis. Estque ijs temporibus, sub Pontificatu maximè Pauli Quinti, & Vrbani Octaui adeo ampliatus, nobilitatus, & decoratus, vt inter Romanæ Prouinciæ Cœnobia optimum locum teneat. Quin si Ecclesiæ fabrica, & ornatus, Sacristiæ Sacra indumenta, vasa, & candelabra; quamplurimæ SS. Reliquiæ, quæ in Ecclesia seruantur; Chorus, & Choreales libri; Bibliotheca Monasterij, quam Vrbanus VIII. cum in ea esset Ciuitate, sua præsentia decorauit; & viridarium, quibus exornatur, inspiciamus, inter egregia totius Ordinis Cœnobia iure censeri debet. Hæc pro nunc summatim, fusè tamen describenda tomo sequenti, dum ad Generalatum præsertim Sebastiani Fantoni Prænestinensis, cui tota ferme hæc Monasterij amplitudo debetur perueniamus. Vbi de Collegio etiam *Barberino* dicto, & in Monasterio sito, sermo erit.

Tarentinus.

9 Ad hoc etiam tempus, inspectis quibusdam instrumentis circa illud confectis, conijci datur, primam fundationem nostri Conuentus Tarentini in Appuliæ Prouincia, sub titulo *S. Mariæ de Pace*, contigisse. Extat in eo insignis Imago Deiparæ Carmelitarum Patronæ, vetusta valde, lintea, & manu excellentis pictoris depicta; quam miraculis enituisse, populus clamat, & donaria votiua, argentea etiam, illi crebrius oblata, manifestant.

ſtant. Eſt in eadem Eccleſia venerabilis quoque alia Principis Apoſtolorum Imago, peruetuſta ſanè,& vulgo cognominata *Santo Pietro viuente*: eo videlicet quod cum Antiochiam deſerens Romam pergeret cum Marco Euangeliſta eius diſcipulo, & comite, in ea Ciuitate aliquandiu manſerit, & ibi eam reliquerit: vt propterea ab exteris,& Vrbanis menſe Aprili, quo Apoſtolũ Tarenti egiſſe creditur,deuotiſſimè colatur: nec fruſtra,quia ab ipſo, inſtar Populum benedicente in ea depicto, beneficia plura excipere fatentur. Id quoque in ipſa mirabile, quod cum lignea ſit, & à tot ſæculis fabrefacta, nihiloſecius, quaſi nupera,recens,& noua apparet. Illuſtratur inſuper ea Eccleſia columba quadam marmorea, obſeſſis à Dæmone ſalutaris valde, in qua Apoſtolum Tarenti Miſſam celebraſſe perhibetur: quod & indicatur in relata ipſius Imagine, dum Sacerdotalibus indutus veſtibus in ea demonſtratur. Hæc porro pijſſime coluit Illuſtriſſ. Thomas Caracciolus Tarentinus Archiepiſcopus Sacello fabricato,quod ann. Dom. 1651. nobili inſcriptione decorauit R. P. M. Dominicus Barrera eius Cœnobij Prior, prout ſuo tempore dicere poterimus.

Ann. Chriſti 1496. Alex. 6. Rom. Pontiſ. 4. Maximiliani Imp. 3. Pontij Rainaudi Generalat. 15.

1 REgreſſo in Galliam Carolo Rege, Gallorum res in Italia hoc tempore corruunt, Alexandro Papa fauente, & Neapolitanis fortiter ſe gerentibus. Tillius,Iouius,Guicciardinus. Moritur Ferdinandus Rex Neapolis, ſuccedente Friderico eius patruo. Comminius,Guicciardinus, Spondanus. Floret Gonſaluus Ferdinandus titulo *Magni Capitanei*,& merito quidem, à domeſticis,& exteris nuncupatus. Huius anni hiſtoria.

2 Ex ijs, quæ ad Ordinem noſtrum ſpectant, ad hunc annum (vel ad ſequentem iuxta alios) obitus refertur Reuerendiſſ. Ioannis de Arundine Epiſcopi Vsbitenſis, apud noſtros laudatiſſimi, de quo anno 1490. dicere cepimus. Natione dicitur Germanus, Conuentus tamen Brugenſis alumnus. Fuit hic Pater primum Reuerendiſſimi, & Venerabilis Patris Ioannis Soreth Generalis Socius, quod non parum in Arundinei noſtri laudem cedit,cum pijſſimus,ac Religioſiſſimus Paſtor, non niſi ſimilem Comitem adhibuiſſe ſit iure credendum. Quin vt ex vita ipſius Sorethij *cap. 6.* habetur, dum Generalis officio vacans Siciliæ Conuentus inuiſeret, videt in oculis itineris comites captos à Barbaris, & Piratis, extimuit Patris Socius noſter Ioannes de Arundine, qui ſtatim timore correptus haud mediocri, lentius, & gradu remiſſo pergebat. Hunc, vt vidit Generalis, *Quid eſt*, inquit, *quod tantopere reformidas? Nempe capiemur vterque, & tu Regi futurus ob tuas dotes gratiſſimus, æquè, ac chariſſimus,* Ioannes de Arundine.

mus, ego vero, seu vile mancipium in seruitutem abducendus. Nec incongrue hæc Sorethus, erat enim Arundineus noster vir in diuinis Scripturis eruditus, sæcularis Philosophiæ non ignarus, vita, & conuersatione præclarus, ac declamator celeberrimæ opinionis, vt sæculi sui Ecclesiastes summus diceretur. His suffragantibus meritis Episcopus Vsbitensis, & Dauidis de Burgundia Vltraiectini Episcopi in Pontificalibus Vicarius factus est, nec solum ætati qua vixit, sed & futuro æuo vtilis, post se scripta reliquit, In librum Sapientiæ, in Epistolam Pauli ad Romanos; in Psalmum 118, Sermones de tempore,& de Sanctis,ac Scholasticas lecturas à se prius in lectionibus publicis explicatas, De eo plures meminerunt, Specialiter Trithemius,Gesnerus,Sixtus Senensis, Posseuinus,Franciscus Svvertius in lib, cui titulus *Athenæ Belgicæ*, cum alijs.

Michael Blommaert.

3 Ad idem tempus referri potest alius eiusdem Conuentus Brugensis Alumnus. Michael Blommaert Philosophus acutus, & Doctor magnæ authoritatis, De quo scripsisse dicitur de futuris contingentibus *librum vnum*, Sermones per annum *librum vnum*. Memoratur ab Arnoldo Bòstio in libro de Viris Illustribus sui Ordinis, Sandero, & Biscarreto.

Albertus Joannes.

4 Item eodem anno 1496. naturæ debitum soluisse dicitur Mechliniæ Albertum Ioanni Harlemensem, Doctorem Louaniensem, & eximię virtutis, & doctrinæ virum, Scripsit proinde Quæstiones in Magistrum sententiarum, Picturam in Ecclesiasticum, in primam Canonicam Ioannis, sermones,& alia. Sic ferme Svvertius. De eo etiam Sixtus Senensis, Valerius Andreas, Guicciardinus, Posseuinus, quos refert etiam Biscarretus, bene notans aliquos istorum errasse dum pro anno 1596. obijsse dicunt,cum pro ann,1496. dicere deberent.

Rumoldus Lampach.

5 Obijt etiam eodem anno non incelebris alius Ordinis Pater Rumoldus de Laupach Prior Conuentus Francfordiensis, & Lector Sacræ Theologiæ. Hic ad multorum mercatorum diuersarum nationum instantiam, qui in itineribus à multis sese periculis precibus S. Annæ Dei Genitricis Matris præseruatos cognouerant, ac repetitis vicibus in temporalibus,& spiritualibus adiutos, ex præmeditata deliberatione, & deuotione sincera, ad gloriam Dei, & reuerentiam Virginis intemeratæ Mariæ, suorumque prædignissimorum Parentum, Ioachim, & Annæ, totiusque eiusdem parentelæ, spiritualem Congregationem, seu Confraternitatem vtriusque sexus diuersarum personarum anno 1481. erexit, quam ascribendam,intitulandamque, Matronæ prædigniori Sacratissimæ Annæ, & Collegæ suo Ioachimo decreuit. Eam Innocentius 8. Papa, & Bertholdus Moguntinensis Episcopus cum quibusdam priuilegijs confirmarunt. Fabricari insuper prædictus Rumoldus insignis structuræ Capellam fecit in præfato Francfordiensi Conuentu, allatasque eiusdem Sanctę Annæ reliquias de Lugduno,in argentea tabula ibi reponi, Ad huius etiam Confraternitatis robur doctissimus Ioannes Trithemius,Spanhemensis Abbas librum de laude S. Annæ scripsit. Palęonidor.*lib.3.cap.*14.

Cele-

6 Celebris Conuentus Beatissimæ Virginis Reliquiarum Oppidi de Vidigueira nostræ clarissimæ Portugalliæ Prouinciæ exordia hoc anno sub Emmanuele Rege desumenda, prout ex eiusdem Regis litteris est apertum: esto iampridem in Eremitorio quodam eiusdem loci Sanctissima hæc Virginis Imago miraculis clarescere, & ab Oppidanis, quin Regibus ipsis eo deuotionis causa confluentibus, coleretur. Quo autem tempore apparuerit, res incomperta. Illud clarius, quod relato tempore, de Regis mandato data est Ordini nostro, & ipsius nomine Roderico de Beia in Sac. Theologia Baccalaureo, & Prouinciali Lusitaniæ. Huius Domus Patronus, sicut, & Oppidi, habetur Comes della Vidigueira, cuius prædecessor, & primus Comes, Vascus de Gama ille fuit toti Orbi celebris Argonauta, qui sub Emmanuele Rege Orientalem Indiam, aditumque Euangelij prędicationi, in vastissimis illis, ac remotissimis partibus adinuenit; conditusque iacet in huius Ecclesiæ maiori Capella, cum alijs huius Illustrissimæ Domus Proceribus; qui eam aureis, argenteis, & sericis sic ornarunt, vt nedum pro Patronis, sed, & pro benefactoribus etiam à nostris habeantur. Insignis etiam benefactor censetur Andreas Coutinho Presbyter, qui Dei Genitricis intercessione à grauissimo calculi morbo ereptus, grati animi ergo Sacellum extruxit, dotauit, & ornauit valde sumptuosè. Plura de hoc, & alijs mirabilibus eiusdem Deiparæ intercessione patratis Ludouicus de Mertola in Relatione huius Prouinciæ, & de exteris clarissimus ille Prædicatoriæ familiæ Alumnus Ludouicus Granata *in Symbolo Fidei, par. 2. cap. 27. §. 11.* Reliquiæ, quæ in hac Sacra Domo religiosè coluntur, sunt, pars Ligni Sanctæ Crucis, & Sanctorum Cosmæ, & Damiani, ac nostri Patris Sancti Alberti; gaudet etiam nonnullis Regijs priuilegijs, quæ idem Mertola diligenter commemorat. Conuersus de Vidigueira.

7 Post tragœdias, & damna perpessa à nostro Pragensi Monasterio, alijsque Bohemicæ Prouinciæ Cœnobijs, de quibus actum in superioribus, quodammodo iam nostri respirare videbantur hoc tempore. Nam hoc anno, Hussitæ, etsi adhuc hæretici, vt tamen apud Regem essent in meliori consideratione, miserunt ad illum Budam suos Legatos expostulatum, vt Monasteria Pragæ restaurare permitteret, & Religiosos ad illa reuocaret. Qui (vt Agechus scribit) primo eos compescit, & inconstantiæ arguit, deinde negauit se id facturum, ne illos sicut ante, pessimè tractarent. Verum, cum Legati nomine suo, & Ciuitatis Pragensis sponderent seipsos tamquam Patres spirituales honoraturos, petitioni ipsorum annuit. Circa quod etiam in Actis Prouinciæ annotatum est, quo modo eodem anno Pater Michael Heczer Sacræ Theologiæ Lector, tum temporis Prouincialis Poloniæ, & Bohemiæ apud Regem Vladislaum Budę in Hungaria, & Pragæ in Bohemia pro recuperatione Monasterij nostri Pragensis laborauerit, & Prouincia viginti florenos Vngaricos pro viatico ipsi dederit. Et in Capitulo Prouinciali Posnaniensi anno sequenti celebrato, ordinatus fuit in Priorem Conuentus nostri Pragen. recuperati. Pater Mathias Sperner. Cœteri Conuentus Pragæ.

teri tamen Conuentus nostri in Bohemia integri sub illo Rege manserunt, præter Stregouiensem in Silesia, qui grassante bello inter Vladislaum Regem, & Matthiam Coruinum Regem Hungariæ de possessione Silesiæ, ita in redditibus attenuatus fuit, vt in Capitulo Prouinciali Posnaniensi anno 1475. eius Prior Nicolaus Coci supplicauerit Gremiali bus, vt pro 4. florenis Vngaricis annuatim pro necessitatibus Prouinciæ ab illo Conuentu solui solitis, duobus essent contenti, prout notatum est in ijsdem Actis. Iam ergo, vt diximus, ab hoc tempore quadantenus respirare ceperunt.

Laudensis; 8 Sub hoc anno Laudæ nobili Lombardiæ Vrbe Fratres nostri Ecclesiam S. Elisabethæ ab ipsius Patronis acceperunt, sub Marco de Ansti Prouinciali, ac Vicario Generali Lombardiæ, cum consensu Pontificio, & Episcopali. Cum autem ea Ecclesia nimis exigua esset; necessum Religioni fuit eam ampliare, prout fecere commodiori forma, cum sex Altaribus, vltra maius: ibi Sacra Christi muro depicta Imago, ad quam olim magna populi deuotio, & concursus erat. Sic ex relatione huius Conuentus accepimus. Cui etiam adiungitur ex legitimis documentis constare, ante hoc tempus, & pro annis 1469. & 1470. alium habuisse Conuentum Ordinem nostrum extra Vrbem, nominatum S. Mariæ de Angelis, sub Generali Sorethio Sanctæ vitæ viro.

Ann. Christi 1497. Alexand. 6. Rom. Pontif. 5. Maximil. Imp. 4. Pontij Rainaudi Generalat. 16.

Gesta hoc anno; 1 INduciæ inter Reges Hispaniæ, & Galliæ hoc anno fiebant. Guicciardinus, & Spondanus. Et pax inter Angliæ, & Scotiæ Reges, opera Ferdinandi Hispani Regis. Lesleus, & Gordonus. Vascus de Gama, de quo sub anno præcedenti diximus, nostri Conuentus de la Vidigueira in Lusitania Prouincia Patronorum antecessorem esse, Indiam Orientalem sub Emmanuele Lusitaniæ Rege adinuenit, Christianitatique subiecit. Orosius, Duiaricus, Maffeus, Bzouius.

Petrus Trauersinus. 2 Mantuæ hoc anno in Generalem Vicarium Congregationis, *Mantuana* dictæ, electione vocatus est Magister Petrus Trauersinus de Mantua. Eius memoria, etsi (vt credi par est absque ipsius culpa) nihilominus toti Ordini, mœsta, lugubris valde, & infausta haberi debet. Sui namque Vicariatus biennio Sacram Lauretanæ Virginis Ædem Ordinis antiquam, & nobilissimam possessionem (vt propterea à Cardinali Robureo, probantibus apud Sixtum Quartum auunculum suum certis argumentis, priusquam è Galilea discederet ipsorum commissam fuisse curæ, authoritate Pontificia Innocentij Octaui Carmelitis concessa fuerit, vt dixi-

mus

mus anno in superioribus) reliquimus indiscreti, amisimus ingrati, perdidimus indeuoti. Temporariæ salutis, & cōmoditatis amore, familiares œconomi, & Præfecti domus, in qua Dei salutare humanam ex Virgine Matre carnem, vt Mundum saluaret assumpsit, vocari renuimus. Cæli grauitas, quæ tunc erat Laureti ex circumiectis nemoribus, lacunisque, nostrorum Patrum, quorum triginta Sanctuarij magni Custodes aduenerant, complures absumpserat. Sed satius illis foret omnes morte perijsse, quam Cælestem thesaurum, in quo vitæ fons erat reliquisse. Huius ergo Petri Taruisini Vicarij Generalis iussu, relicta Lauretanæ Basilicæ procuratione, Patres Mantuanæ Congregationis nono anno, qua venerant, ad salubriora migrarunt loca. Infaustam nobis Historiam refert Horatius Tursellinus Iesuita *in lib. 2. Historiæ Lauretanæ cap. 8.* & ex ipso Octauius Panzirolus *Tesori nascosti dell' Alma Citta di Roma*, loquens de Ecclesia Sancti Iuliani. Bzouius *anno* 1496. Ipsam quoque nos lachrymantes referimus, quod tanto dono priuati, è Sacra Virg. Ord. Patronæ domo extorres facti sumus. Nec animus est huius Petri Trauersini (quem virum valde doctum, & quinque voluminum M.S. librorum Scriptorem commendant Lucius, & Biscarretus) & aliorum Patrum, qui timore mortis, aeris intemperie, & Cæli grauitate eo tempore imminentis Sacri domicilij procurationem abiecerunt, intentionem peccato damnare, sed, vt credendum recta mente gessisse, sic improbandum, amore vitæ improba commutatione vitæ Matris famulatui renunciasse. An idcirco Trauersinus iste grassante peste diem suum clauserit, sub anno 1501. quo id contigit, Dei infinitę sapientiæ remittimus.

3 Obijt eodem anno insignis ille Gratianus de Villanoua noster quōdam Procurator Generalis, Confessarius, Capellanus, Pœnitentiarius, & Legatus, seu Nuncius Summorum Pontificum, & tandem ab Alexandro Sexto constitutus Commendator, seu Præceptor Generalis S. Ordinis Sancti Spiritus, de quo perplura in præcedentibus diximus. Illi post mortem appositum fuisse, & in marmore sculptum Epitaphium refert Petrus Saunier eiusdem Religionis, ac Supprior Xenodochij Romani Sancti Spiritus in Lib. de capite huius Religionis *cap. 6. argument. 5. num. 28.* quod tale est. *Gratiano de Villanoua Bilbili orto celeberrimo Theologiæ Magistro, Summorum Pontificum Sixti, Innocentij, & Alexandri in Galliam, & Germaniam Legato, Sancti Spiritus Xenodochij Generali Præceptori Saxia Domus benemerenti. Vixit annis 55. diebus 21. Obijt duodecimo Kalendas Ianuarij anno 1497. sedente Alexandro Sexto, qui, cum non vltra duos annos, menses quinque, dies 17. idem Hospitale administrasset, summo multorum luctu, & desiderio de se relicto, importuna morte sublatus est.* Ex hoc autem Epitaphio constat illum fuisse Hispanum, & Aragonensem, vt Bilbili natum. Imo filium antiquissimi Conuentus Sangolensis suspicatur Casanate *in Paradis. Carmelit. decor. Stat. 4. Ætat. 16. cap.* 307. An aliqua scripta reliquerit, nec ipse, nec Biscarretus commemorant.

Gratianus de Villanoua

Præ-

Conuentus Cremensis. 4 Præsenti etiam anno tribuitur fundatio Monasterij Cremensis, olim sub Lombardiæ, nunc vero sub Veneta Prouincia constituti; ipsamet magnifica Communitate Ciuitatis promouente, & Episcopali consensu accedente. Titulus Ecclesiæ est Sanctæ Catharinæ. Sic ex sæpius relata Relatione Conuentuum Italiæ sub Innocentio Decimo. Ex alia autem, quam vidimus, plura habentur de Iconibus Ecclesiæ, Choro, & Officinis Monasterij; ac de Viris notabilis famæ, qui in eo floruerunt. De quibus alibi.

Ann. Christ. 1498. Alex. 6. Roman. Pontif. 6. Maximiliani Imper 5. Pontij Rainaudi Generalat. 17.

Anni casus. 1 Vm hoc anno Pontifex variè exercebatur, ob quorundam contra ipsum detractiones, Cæsaris Borgiæ gesta, & Christianorum bella; Carolusque Gallorum Rex in Italiam regredi meditabatur, mors repentina eiusdem Regis contigit Ambasiæ, nullis relictis hæredibus: quocirca Regnum cessit Ludouico Aurelianensium, & Valesiorum Duci. Comminius, Gordonus, Ferdinandus porro, & Elisabetha Reges Catholici de rebus ad Christianam Rempublicam spectantibus soliciti erant. Mariana, Bzouius. Turcæ, qui ad 70. millia per Vvalachiam in Russiam se se effuderant, intensissimo frigore, niue, & gelu correpti, supra 40. millia perierunt. Michouius, Spondanus.

Generale Capitulum. 2 Habita est hoc anno sub Reuerendiss. Generali Pontio noua Ordinis Synodus in Conuentu Nemausi Prouinciæ Narbonæ die 3. Iunij in die Pentecostes. In ea primum referuntur 20. Diffinitores totidem Prouinciarum, videlicet Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Tusciæ, Venetiarum, Tolosæ, Cataloniæ, Alemaniæ superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Bohemiæ, Marchiæ Anconitanę, & Daciæ. A quibus more solito taxatus Ordo fuit pro communibus expensis. Ordinati deinde Prouinciales 27. Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Hiberniæ, Scotiæ, Thusciæ, Venetiarum, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Castellæ, Portugalliæ, Bohemiæ, Marchiæ Anconitanæ, Appuliæ, & Daciæ. Prouincialis autem Neapolitani electio remittitur Prouinciali Romano, scilicet Magistro Petro Terrasse (qui Procurator Generalis Ordinis, & Vicarius Generalis in Italia cum plenitudine potestatis nominatur) vt id faciat, habito verbo in Vrbe cum Domino Cardinali Protectore. Ordinatus præterea est Prior Romæ. Prior autem Parisiensis relictus arbitrio Generalis. Ordinati tandem sunt Lectores Bibliorum, & sententiarum Parisijs, Tholosę, Bituricis,

Cado-

Cadomis, Pisis, vel Florentiæ, Auenione, Pictauij, Caturci, Perpiniani, Montis pessulani, Andegaui, Nannetis, & Burdegalię. Studia autem Paduæ, Louanij, Papiæ, & Senarum, etsi nominata sint, non tamen pro illis designantur Lectores, quia forsan Prouincialium arbitrio relicti. Ordinati item sunt Lectores in Vniuersitatibus Tholosana, Perpiniacensi, Ilerdensi, Coloniensi, & Louaniensi, qui vt videtur, non in Conuentibus nostris, sed in Vniuersitatibus publicis lecturi erant. Liber Ordinis folio 75.

3 Quoad decreta huius Capituli hæc sunt præcipua. Primum, circa Diuinum Officium, quod per totum Ordinem fieret quotidie in Vesperis, & Matutinis, nisi impedimentum euenisset, memoria de Sanctis Alberto, & Angelo. Item quod de B. Maria Magdalena fierent Octauæ Solemnes. Pręterea quod de Sancto Ioachimo fieret Festum duplex 16. die Septembris, sicut de Sancto Ioseph: & de S. Baudilio festum 9. Lectionum, vt vnius Martyris. Secundum, quod tempore Officij Diuini omnes portæ Conuentuum essent clausæ, præter Ecclesiæ ianuam. Tertium quod dormitoria Conuentuum clauderentur, & quilibet Fratrum vnam clauem haberet, ne illuc ingrederentur sæculares. Quartum, quod Fratres non accederent ad Ciuitatem, seu Villas, nisi raro, & de licentia Superiorum, ac bini, & bini, sicut Dominus Apostolos misit, ac cum cappis, & honestè. Hæc cum alijs in libro Ord. vt supra. Decreta.

4 Clariores Patrei in hoc Capitulo relati, sunt Reuendiss. Pontius Rainaudus Generalis, Magister Petrus Terrasse Prouincialis Romæ, Procurator Ordinis in Curia, ac Vicarius Generalis in Italia cum plenitudine, vt in libro Ordinis dicitur, potestatis. Mag. Laurentius Burellus Prouincialis Narbonæ, Confessarius Caroli Octaui Galliarum Regis, & Episcopus postea Cistaricensis; Magister Ioannes de Nussia Prouincialis Germanię inferioris. Mag. Bernardinus de Senis Prouincialis Thusciæ. De quibus cum alijs suis in locis dicetur. Clariores Patres.

5 Huic etiam anno ascribitur non incelebris ea tempestate Ordinis nostri Pater Baccalaureus Ioannes Maria Polucianus de Nouolaria, Theologus Bononiens. Vir dicitur vndequaque doctus, & sæcularis Philosophiæ scrutator acutus. Scripsit nonnulla, quibus Ordini suo, & sibi splendorem tribuit: videlicet, Sermones Quadragesimales, Vitam Sancti Alberti Siculi, *librum vnum*. Miracula eiusdem, *librum vnum*. Vexillum Carmelitarum, *librum vnum*. Mare magnum Ordinis, & Tabulam in ipsum, *librum vnum*. Orationum, & Epistolarum, *librum vnum*. Extat etiam Breuiarum Ordinis in forma magna, quod vocant cameræ, impressum Venetijs anno 1495. ab eo emendatum, ex quo apparet pro anno 1490. Vicarium Conuentus Nouolariæ extitisse. Ipse quoque Soretianas Constitutiones emendatas typis edi fecit Venetijs anno sequenti, vt dicemus. Creditur autem obijsse circa ann. 1505. De eo Posseuinus, & Biscarretus. Ioannes de Nouolaria.

Ann. Christi 1499. Alex 6. Roman. Pontif. 7. Maximilian Imp 6. Pontij Rainaudi Generalat. 18.

Historiam huius anni.

1 HOc anno Ludouicus 12. Gallorum Rex, pace cum Regibus Hispaniæ, & Angliæ confirmata; inducijs cum Imperatore initis, securusque de Papæ, & Venetorum amicitia, Mediolanensem statum aggreditur, & magna ex parte occupat, simul cum Ianuensi Ciuitate. Guicciardinus, Belcarius, Corius, Initium Regni Sophi, seu Persarum, ab Ismaele Sopho familiæ Othomanicæ formidabile, hoc etiam tempore fuit; Leunclauius, Gordonus, Spondanus.

2 Interim Alexander Papa, hoc anno Christianos Principes ad bellum contra Turcas feruide solicitabat; occasione accepta, quod Baiazethes illorum Imperator, contra Venetos, & Rhodios classem ingentem strueret. Qua de re Mantuanus noster ea tempestate egregium opus ad eosdem Christianos Principes pro tam Sancto bello suscipiendo scribebat. Habetur inter opera ipsius Laurentij Cupperi industria edita Tomo primo. Eius autem Operis, vel aliorũ ipsius Mantuani admiratione celebris illius tempestatis vir Ioannes Iouianus Pontanus litteras ex Neapoli ad ipsũ transmisit. Eis illum commendat, laudum encomijs extollit, & ex Historia, quam scribebat aliqua mittit, alia missurum promittens. De ipso inquit inter alia; *An eius ego obliuiscar, quem latinæ musæ non memorabilem modo, verum maximè etiam admirabilem, & nostris faciunt, & futuris facturæ sunt sæculis?* Extat Epistola inter opera ipsius Mantuani Bononiæ impressa anno 1511.

Godefridus Candelarius

3 Decessit è vita eodem anno veneranda canitie insignis Godefridus Candelarius Ordinis nostri ea tempestate præclarus Pater. Natione erat Germanus, & Prior Conuentus Aquisgranensis. Huic ad eruditionem non vulgarem accessit solidum iudicium; matura prudentia, & miræ in rebus agendis dexteritas, & quod plus interest, multa etiam in Deum pietas, & in proximum charitas, vt propterea dignus vnanimi Fratrum consensu, qui toti Monasterio præficeretur. Scripsit in lib. Sapientiæ, *librum vnum*. Sermones de tempore, *librum vnum*, Sermones de Sanctis, *librum vnum*, Orationes ad Clerum, *librum vnum*. De Conceptione B. Mariæ Virginis, *librum vnum*. Pro coronatione Reginæ, *librum vnum*. Epistolas ad diuersos, *librum vnum*. De eo scribunt Gesnerus, Possouinus, Einseugrineus, Franciscus Svveertius, Biscarretus, & alij.

Ioannes Nicolaus.

4 Item eodem anno è vita migrasse dicitur Ioannes Nicolaus cognomento albus, Ordinis nostri, & Prouinciæ Thusciæ ea ætate decus, Doctor Sacræ Theologiæ eximius, & quondam per biennium suæ Prouinciæ

uinciæ Prouincialis describitur. Lector publicus Senis fuit tribus annis, & Florentiæ 27. Plura in Philosophicis scripta relinquens Florentiæ sepulturam accepit. Archiuium Florentiæ, Lucius,& Biscarretus.

5 Sed præ alijs deploranda mors inclyti viri Arnoldi Bostij nostræ familiæ egregij Alumni, quæ hoc anno contigisse dicitur. Fuit hic Pater diuinarum, ac sæcularium litterarum cognitione summus; Theologus, ac Philosophus acutissimus; Orator, & Poeta Mellitus; vita quoque, ac conuersatione optimus, & irreprehensus. In tanta propterea existimatione fuit apud exteros, vt Hermolaus Barbarus Patriarcha Achileæ,& S.R.E. Cardinalis,ac Robertus Gaguinus Generalis Ordinis SS.Trinitatis Opera ipsi dedicauerint. Scripsit quamplura, quibus doctrinam, & pietatem, qua decorabatur, alijs manifestam fecit. Specialiter opus, quod prænotatur *Speculum Historiale*, in Bibliotheca nostri Conuentus Astensis reseruatum, ex quo plura pro nostris Annalibus mutuata accepimus. Scripsit præterea dulcissimum Opus de *Patronatu Mariæ*, vbi adeo suauiter de huius Sanctissimæ Dei Parentis laudibus scribit, vt nullus, quem viderim, ipsi Superior sit, inferiores multi, æquales pauci. Hinc pie valde credam, Beatissimam Virginem, cui applicatur illud *Qui elucidant me vitam æternam habebunt*, huius promissionis, haud immemorem, huic pijssimo ipsius laudum Cantori cælestem beatitudinem precibus obtinuisse. Scripsit quoque de illustribus viris sui Ordinis, *librum vnum*. De Illustribus viris Ordinis Carthusiani, *librum vnum*. De Deiparæ Conceptione, *librum vnum*. Epistolarum ad diuersos, *librum vnum*. De Quatuor nouissimis, *librum vnum*. Carmina item diuersa, & alia plura. Inter quæ referuntur Vita S.Ioachim, *librum vnum*. De laudibus eiusdem, *librum vnum*. Epitaphium Venerabilis Ioannis Soreth ad Abbatem Trithemium, *librum vnum*. De eo præter nostros Authores, loquuntur Iacobus Philippi, Trithemius, Marcus Guazz. Guicciardinus, Einsengrineus, Posseuinus, Biscarretus, & Scanderus, apud quem hoc distichon.

Arnoldus Bostius.

Humanæ nil vocis eges: cum nomine donat
Casta parens meritis præmia digna tuis.

Sed præstat in laudem tanti viri, quæ homo alias maledicus, qui impuro ore plures Sanctos carpit, Ioannes Balæus *in Catalog. Scriptor. Brittan.* sub Leone Decimo scripsit, hic referre. *Arnoldus Bostius dulcissimis scriptis egit, vt à nimia curiositate, ac vanitate sæcularium studiorum desisterent sui; Hermolaus præcipue, & ad veram sapientiam, quæ in Sacris litteris continetur, converterentur*. Ita sanè: nullus enim scripta spiritualia huius Authoris leget, qui non ad Dei amorem se inflammatum postea agnoscat.

6 Viuebat hoc tempore Nicolaus Desiderius Gallus Melduensis Carmelita noster, de quo Balæus supra relatus, hæc scripsit; quæ cum ab improbo Authore dicta sint, valde ipsum commendant: *Nicolaus Desiderius Gallus Carmelita Melduensis, colloquia semper fugiebat, vbi sermo non fieret de Seruatore Christo; Orationi, Lectioni, ac studio vacabat; assiduè in exta-*

Nicolaus Desiderius.

sim sæpissime raptus. Notet Lector hæc exercitia Orationis, Lectionis, & studij adeo egregia, & propria Religiosorum esse, vt ea neque hæretici Ecclesiæ hostes collaudare non possint.

Petrus de Nouolaria.

6 Bononiæ eodem anno in Vicarium Generalem Congregationis Mantuæ eligitur P. Petrus de Nouolaria. An idem hic Pater sit cum Petro Nebulario socio, & discipulo charissimo egregij viri Baptistæ Mantuani dicemus in sequentibus.

Ordinis Cōstitutio.

7 Hoc insuper anno Ordinis Constitutiones Venetijs impressæ sunt, opera, & diligentia Baccalaurei Ioannis Mariæ de Polucijs Noualariensis, de quo anno præcedenti diximus, apud Lucam Antonium Giuntam Florentinum. Extant porro in nostro Transpontinæ Archiuio.

Ann. Christi 1500. Alexand. 6. Rom. Pontif. 8. Maximil. Imp. 7. Pontij Rainaudi Generalat. 19.

Iubilæum.

1 CElebrauit hoc anno Alexander Papa plenissimum Iubilæum in Vrbe, magno populorum concursu. De bello etiam contra Turcas gerendo cogitabat. Bzouius, & alij. Hic annus noui sæculi 16. initium, nouum lumen attulit mundo, Carolum Quintum, postea Imperatorem, qui hoc anno Gandaui exoriens tenebricosum Lutherum, & Sectatores ex Orbe Christiano vi, armis, sobole pulsurus à Deo datus est. Cuius iure Natalitium diem Religio Carmelitana iubilans celebrat, quod ipse ex nostris nonnullos amore, & beneficijs viuens, vt ex dicendis apparebit, prosequeretur. Habuit etenim ex illis à Concionibus Ferdinandum de Barco Episcopum Salaminensem; & Ioannem Brisseloth Valencenensem à Confessionibus. Insuper cum Mater ipsius Caroli Regina Ioanna Ecclesiam nostri Cœnobij Gandauensis pro diuinis faciendis visitaret, proximi partus prægnans signa, & dolores sensit, vt propterea quam citius ex eadem Ecclesia Regium Palatium talem prolem mundo editura veheretur. Quod nostris Gandensibus Fratribus nedum iucundum, sed & vtile fuit.

B. Cyrilli Prophetia.

2 Nec incongrue suspicari possumus Prophetiam illam Beati nostri Cyrilli, quę in suo Oraculo Angelico cap. 9 continetur, ipsi Carolo, si cui alij, & ipsius gestis applicandam. Cuius hæc sunt verba. *Grandis Aquila nigra pennas ocius expergiscere, tende alas, & rostrum impinge, & punge. Tortuosus coluber, mentosusque tibi ex latere congregetur, & quoniam proculdubio fortunaberis. Nec obliuiscaris filios spurcificos, & collates petræ oleo litæ indiflue cum alijs plectere, ne peperceris, sed dissectos non totaliter alterabis. Quid siccitas amplius arescit? Pellatur cauma Ophytis, quo iugiter concremaris. Turgesce, comare diademate, ne torpeas, tonsos seplassarios conflocci pende, turturos aspernare.*

Hiulci

Hiulci quidem omnes sunt, dissoli morantur interna, suppetias venabuntur regales redimiculis virginalibus. Assentabuntur Sceptris, vt illorum nanciscantur applausus in odium tui diadematis violenti. Talia tamen aspernaberis, quoniam qui te oderunt tibi denuo conquiescent. A regalibus deficito suppedijs. Hanc inquam Beati Cyrilli propheciam aptè gestis Caroli Quinti applicari posse, simul cum illis, quæ Ioachimus Abbas in huius capitis expositionem scripsit, legenti nosse haud erit difficile. Nobis sat erit indicasse.

3 Eodem anno, vel circiter, noua Congregatio, Albiensis nuncupata in Ordine surrexit. Auspicijs enim Ludouici Duodecimi Francorum Regis, fauente etiam Georgio Cardinali in partibus illis Apostolicæ Sedis Legato, ac Ludouico Albiensi Episcopo, instantibusque quibusdam Ordinis Patribus Valencenensibus, & Albiensibus, quorum Antesignanus Ludouicus de Lyra, qui vitæ reformationis intuitu à Generalium obedientia seiungi cupiebant, Congregatio, adinstar Mantuanæ, constituta est, ex Conuentibus Parisiensi, Albiensi, Rothomagensi, Meldunensi, & quibusdam alijs, ac præsertim 22. Iuuenibus vitæ nouum institutum in Gallijs amplexantibus, sub vno Vicario Generali, qui ipsis præesset ad superioritatem, correctionem, & visitationem. Huic autem Congregationi, vt dicitur, prædictus Georgius Legatus, easdem gratias, concessiones, & Indulta Apostolica Congregationi Mantuanæ in Italia pridem erectæ concessa, authoritate Apostolica concessit, & indulsit. Dicitur etiam ab Alexandro Sexto Papa confirmata, licet Bulla non reperiatur; sed forsan id dictum, quia prædictus Georgius Legatus auctoritate eiusdem Alexandri id fecerit. Eam tamen postea anno 1513. Leo Decimus Pontifex, instante eodem Ludouico 12. Rege, approbauit, & confirmauit, vt eodem anno dicimus. Bulla eiusdem Leonis X. *in Archiuio Transpontinæ,* Balæus *in Catalogo Scriptorum Brittaniæ in Gullielmo Gregorio Scoto.* Congregatio Albiensis.

4 Quo etiam anno, cum Papa Alexander Iubilæum Romæ, prout supra diximus, celebraret, & vniuersum Christianum Orbem pro ipso lucrando, more solito, inuitasset, inclytæ, ac deuotissimæ Neapolitanæ Ciuitatis, quæ in rebus pietatem spectantibus semper primas tulit, deuotiores aliqui viri Romam venerunt, secum Processione solemni Imaginem SS. Deiparæ, vulgo de la *Bruna,* nostri magni Monasterij (de quo latè sub anno 1269. dictum) & Vrbis totius, gloriam, à Cœnobij Priore, & Sacrista sibi concessam, deferentes. Factis ostendit Virgo gratissima piam fidelium deuotionem approbasse, in itinere enim varijs signis, & miraculis, morborum præsertim curationibus, & quod campanæ locorum, qua transitus erat, se ipsis sonarent, resplenduit. Locis ergo Sanctis Romæ visitatis Neapolim Ciues reuersi Imaginem magna solemnitate exceptam in Capella maiori collocarunt, vbi nedum Fratrum, & Conciuium, sed, & totius Orbis Christianorum veneratione ob plurima, quæ in dies miracula cernuntur, celebratur. Ei maxime festiua solemnia die 16. Iulij quo Commemoratio Solemnis Virginis, & die 15. Augusti, quo eius Assum- Delatio Imaginis Deiparæ Neapolit.

ptio

ptio celebrantur. Cæsar Eugenius Caracciolus nobilis Neapolitanus in lib. cui titulus *Neapoli sacra*, loquens de S. Maria de Carmine, & latè, ac per extensum Franciscus Rosa Naapolitanus in opere speciali, cui titulus *Miracoli de la Gloriosissima Vergine Maria di Monte Carmeli*.

Conuentus Alcamensis.

5 Alcamensis Cœnobij fundatio hoc sæculo post ann. 1500. contigit. Cum Rochus Pirrus, quem in fundationibus Monasteriorum Siciliæ sequi solemus, solum eam assignet hoc modo anno 15.. Is porro Conuentus, vel ex eo solum illustris esse posset, quod ipsius Alumnus fuerit M. Alphius Mathiolus, de quo tomo sequenti dicetur. Fuit enim omnibus optimarum artium studijs conspicuus; Ecclesiastes celeberrimus; maioribus officijs Ordinis, citra Generalem, quem meruit, sed non obtinuit, decoratus; & pro Agrigentino Episcopatui Philippo Tertio Regi Catholico præsentatus. De eo Rochus Pirrus supra. Antoninus etiam de Alcamo Sanctæ vitæ homo, de quo Tomo sequenti dicetur, inter huius Cœnobij Alumnos iure referendus. Notandum etiam, quod in relatione Conuentuum facta tempore, & iussu Innoc. X. dicitur fundationem huius Conuentus contigisse à 150. annis: vnde comparatione facta à data huius relationis, quæ est pro anno 1650. rectius dicimus hoc anno 1500. fundatum fuisse.

Martinus Ilstanus.

6 Claruit in Ordine circa eundem annum Martinus Ilstanus Natione Frisius, & Conuentus, qui olim Elosti fuit, Alumnus. De quo habemus aliquot volumina scripsisse, videlicet, elogia, & encomia nobilium in Frisia; Historiam factionum sub Anarchia M.S. De ipso meminerunt Andreas Cornelius ad annum 1499. Suffridus Petrus de Scriptoribus Frisiæ, Franciscus Svveertius in libro cui titulus *Athenæ Belgicæ*.

Antiquariensis Conuent. Monial.

7 Quo etiam anno, vel circiter Antiquariensis Monialium Conuentus sub titulo Incarnationis Dominicæ in Eremitorio S. Crucis extra populi muros ante omnes alios Monialium Conuentus Antiquarienses, fundatus certò cognoscitur: ad eiusque fundationem Soror Maria ab Angelis ab Astigiensi Conuentu, & Soror Elisabetha à Iesu aliunde adductæ commemorantur ex traditione certissima.

Conuentus Gangis.

8 Pariter etiam Conuentus Terræ Gangis circa hunc annum erectus dicitur ex quorundam seniorum testimonio, quibus fides adhibeatur; ac ex relatione facta iussu Innoc. X. Papæ.

Del Greco, & Francouillæ.

9 Idem perhibetur de Conuentu nominato del Greco Neapolitanæ ditionis, qui titulo etiam Beatissimæ Virginis Carmel. fruitur. Ac de Conuentu Francouillæ eiusdem tituli in Prouincia Appuliæ, fundatore Fr. Nicolao Domiceno, qui in Tabula mortuorum eiusdem Cœnobij dicitur obijsse 1512.

Ann.

Ann. Christ. 1501. Alex. 6. Roman. Pontif. 9. Maxim. Imperat. 8. Pontij Rainaudi Generalat. 20.

1 LAborabat hoc anno Ferdinandus Castellæ Rex in Mauris cathechizandis, & ab apostasia cohibendis. Mariana, Bzouius. Deus autem huiusmodi rectè gestorum remunerator munifius, interim prouidebat, vt media pars Regni Neapolitani ei Regi subderetur. Etenim totum Regnum inter ipsum, & Regem Galliæ diuisum fuit: ita vt Hispano Appulia, & Calabria, Gallo autem Neapolis cum reliqua Regni parte obtingeret. Guicciardinus, & Spondanus. Qui de hac concordia miratur; cum potius mirandum esset, quod inter præcipuos Christiani Orbis Reges discordia sit, quando communis hostis Turca contra ipsum arma erigit, sicut tunc contingebat. Hinc suscepta est expeditio contra Turcas, quæ licet in principio fœliciter cessit, sed ad Mitylenem clades illata, & Venetorum recessus, exitum fortunatiorem impediere. Iouius, Sabellicus, Gordonus. Gesta hoc anno.

2 Curabant etiam eo tempore Ferdinandus, & Elisabetha Catholici Reges, vt Hispaniarum Ecclesiæ omnino reformarentur iuxta Ecclesiasticam, & Regularem disciplinam. De nostro ergo vetustissimo S. Mariæ de *Alfizen* Toletano Cœnobio, de quo plura tom. 3. sub ann. 1088. & locis alijs ibi relatis, vel satis non informati, prout euentus postea manifestauit; vel quia modum aliquem reformationis insolitum in ipsum inducere conabantur, qui Religiosis congruus non esset, aut non placeret, cum ipsum recipere nollent, ab eo eiecti fuerunt, & Monasterium Monialibus *Sanctæ Fidei* Toleti appellatis, traditum sub hoc anno. Cum autem de illato grauamine, & minus æqua Monasterij antiquissimi spoliatione Fratres Romam venientes conquererentur, à Papa obtinuerunt Conuentus restitutionem; causa pro executione commissa Priori Monasterij *S.* Hieronymi *de la Sysla* vocati; sicque conclusum. Prout constat non solum ex testimonio Petri *S*ancij Toletani Portionarij, quod referimus eo *an.* 1088, *num.* 23. sed ex Regum Catholicorum Diplomate in Archiuio eius Cœnobij reseruato. Reges Catholici Hispaniæ.

3 Rixæ etiam, contentiones, & discordiæ in Ordine nostro tunc erant, occasione sumpta ex nouæ Congregationis Albiensis institutione. Etenim Ludouicus de Lyra, de quo sub anno præcedenti dicere cepimus, auspicantibus Ludouico Francorum Rege, & Ludouico Albiensi Episcopo cum alijs, quantum ex libro Ordinis, & Capitulo Generali Placentino anno 1503. celebrato colligi fas est, contra Generalis beneplacitum, Fratres de nouo in Ordine recipiebat; alios ad se accedentes acceptabat, Contentiones in Ordine.

Conuentus reformare volebat, Prioresque in ipsis instituere conabatur. Quæ omnia aliorum Religiosorum Ordinis, Generalis præsertim, qui Gallus cum esset, Gallorum Regi Legato, & Episcopo Albiensi resistere non valebat, bilem absdubiè excitabant. Vt forsan ea nouitate, & Ordinis tumultuantis alterationi bonus pastor Generalis percussus, vitam finierit, vt dicemus anno sequenti. Ex aduerso autem huius Albiensis Congregationis fautores vires resumebant, animosioresque reddebantur, quod cernerent Mantuanam Congregationem in Italia similem Ordinis contradictionem perpessam, nihilominus Regularis vitæ obseruantia, bonæ opinionis odore, viris, tum probitate, tum doctrina claris, ac fœminis sanctitate insignibus non parum floruisse. Sub vmbra præsertim clarissimi Doctoris Baptistæ Mantuani, qui iam ter Vicarius Generalis Congregationis institutus erat, & nouissime hoc eodem anno Nouelariæ quarta vice id idem munus vocatus, vt ex Catalogo Vicariorum Generalium Congregationis habetur.

Petrus Terrasse. 3 Instituerat hoc tempore Pontifex, occasione belli contra Turcas, quandam taxam decimarum super bona Clericorum, & vigessimarum supra Hæbræorum; prout ex Bullis ipsius apud Bzouium *anno præcedenti* cõstat. Quia tamen pro ipsarum solutione oportebat Legatos, seu Commissarios etiam instituere; ideo inter alios vnus fuit noster Petrus Terrasse, Ordinis Procurator Generalis, & Vicarius Generalis in Italia: fuit enim hoc anno pro prima die Maij creatus Commissarius, & Collector Apostolicus in Ciuitate, & Comitatu Auenionensi, ac Terris, & Locis adiacentibus super pecunijs Iubilæi, decimæ Clericorum, & vigessimæ Hæbræorum. Illuc accessit, superatis pluribus difficultatibus, maximè cum Hæbræis, qui solutionem tergiuersabantur. Archiuium Ordinis, & Biscarretus.

Dauid Esau. 4 Interim his annis in Italia, & Florentiæ clarus habebatur Magister Dauid Esau, Ordinis nostri, & Sacræ Theologiæ Professor. Prior fuit hic Pater Cœnobij Florentini, eiusque auspicijs Congregationis Mantuanæ Patres Florentiam habitare venerunt ad Monasterium Sancti Clementis in via Sancti Galli, vt anno 1506. dicemus. De hoc Patre habetur, ipsum à viro illo ea tempestate celeberrimo Hieronymo Sauaranola Dominicano, qui etsi infœlici quoad homines exitu vitam exustus finierit, à pluribus tamen Spiritu prophetiæ, ac vitæ sanctimonia clarus prædicatur, semel, atque iterum miro quodam modo visitatum; & à perturbationibus, quibus præmebatur liberatum. Quin eidem Dauidi Viduam quamdam ętatis prouectæ, vitæque probatę asseruisse, se in assumpto corpore Hieronymum ipsum gloriosum sæpenumero vidisse, & ab ipsius etiam nepote puerulo visum esse. Quæ idcirco referimus, non quia indubiæ fidei sint, sed quia ab alijs relata. Vide Bzouium anno 1498. *num.* 29. §. *Vidua quadam*. Recole etiam, quæ in superioribus diximus, de nostro Thoma Rhedonensi.

Valde

5 Valde etiam clarus in Galliarum partibus erat Laurentius Burellus Ordinis nostri egregius Alumnus, qui propterea Ludouici Duodecimi Francorum Regis à Confessionibus erat, & ab ipso Episcopus Cistaricensis nominatus, quod sub hoc anno, vel circiter euenit; cum id, quod Claudius Robertus *in Gallia Christiana* loquens de Episcopis Cistaricensibus dixit, videlicet anno 1494. electum ad Episcopatum fuisse, subsistere non valeat, vt eodem anno diximus. Laurentius Burellus.

Ann. Christi 1502. Alex. 6. Rom. Pontif. 10. Maximiliani Imp. 9. Pontij Rainaudi Generalat. 21.

1 PAx illa, seu concordia inter Reges Hispaniæ, & Galliæ anno preterito inita, in dissidium versa est, varijs horum Principum prætextibus; siue Hispanorum culpa, vt Galli scribunt; siue Gallorum, vt Hispani clamant. Deus Iudex esto. Id certum, quod hoc anno Gallis omnia fœliciter euenerunt; sequenti Hispanis, qui Neapoli Francos expulerunt; & totum Regnum possidere cœperunt. Guicciardinus, Gordonus, & alij. Vtinam de magis diligendo Deum, & eius Ecclesiæ amplificatione discertarent istæ nobilissimæ Nationes. Interim Regũ discordia, spem, quam Papa habebat de Turcis abigendis, & Constantinopoli recuperanda, abstulit. Bzouius. Apud quem etiam de alia controuersia inter Regulares circa Beatiss. Virginis Conceptionem. Discordia inter Reges.

2 Desideratus est hoc anno in Ordine nostro supremus Pastor ipsius Generalis Pontius Rainaudus, qui, quantum conijci datur, senectute, & laboribus oppressus, carnis sarcinam spiritu ad sublimia tendente dereliquit. Nec temere creditur ipsum ob nouam in Ordine exortam Congregationem Albiensem, quæ plurimum discordiarum seminarium fuit, dolore concepto interijsse. Fuit hic Pater satis de Ordine nostro benemeritus, cui à multis annis functionibus seruierat. Etenim in Capitulo Generali Cabilonensi destinatus est Lector Biblicus Parisijs pro anno 1447. & in Romano pro anno 1449. Deinde in Capitulo Generali Bruxellensi anno 1462. vocatur Magister, & Diffinitor Prouinciæ Prouinciæ. Item in Capitulo Astensi anno 1472. Socius erat Prouincialis eiusdem Prouinciæ, ac ordinatur Vicarius Generalis in Prouincijs Franciæ, Narbonæ, Aquitaniæ, Turoniæ, Prouinciæ, Vasconiæ, Tholosæ. Postea in Capitulo Generali Brixiensi anno 1478. nominatur Prouincialis Prouinciæ Prouinciæ. Ac tandem anno 1482. in Conuentu, & Capitulo Generali Auenionensi vno ore electus fuit in Generalem Ordinis. Celebrauit autem quatuor Capitula, videlicet, prædictum Auenionense dicto anno, Rupeculense anno 1488. Romanum 1492. Præsidente tamen Cardinali Pontius Rainaudus.

Portugalensi Protectore Ordinis, & Nemausensi anno 1498. Addit Biscarretus fuisse Doctorem Parisiensem, & quod cum esset in Hispania, in Ordinis videlicet Visitatione, Valentiæ Confraternitatem S. Narcissi in nostram receperit, ac obijsse Auinione. Aliorum tamen, quæ gesserit, quæuè scripserit memoria non extat.

Petrus Terrasse.

3 Post obitum ipsius Magister Petrus Terrasse, qui in Capitulo Generali Nemausensi anno 1498. Prouincialis Romanus, Procurator Generalis Ordinis, ac Vicarius Generalis in Italia erat, auctoritate Apostolica Alexandri Sexti Vicarius Generalis totius Ordinis instituitur. Constat id ex lib. Ord. in Capitulo Generali anno proxime sequenti celebrato, & ex litteris ipsius Alexandri ad eundem Terrasse in Archiuio Transpontinæ. Et quia gratus erat Summis Pontificibus, præsertim propter pulchras, & elegantes orationes, quas coram ipsis recitauerat, & maxime Alexandro, qui propterea eum creauerat Commissarium, & Collectorem Apostolicum, prout diximus anno præcedenti: imò Legatum Auenionis, prout eum appellat Baptista de Cataneis *in Catal. General. Ordinis in speculo Ordinis*.

Henricus Potini.

4 Desideratus etiam est eodem anno alter Ordinis nostri egregius Alumnus, Henricus Potini, seu Pontinus, Normannus Rothomagensis, & Episcopus Philadelphiensis. Carolo Octauo Francorum Regi acceptus hic erat, & coram ipso Quadragesimales conciones habuit. Vir multæ eruditionis dicitur, idque opera ipsius manifestant. Scripsit enim Lecturam Sententiarum Parisijs *lib.* 4. Conciones ad Clerum, & Populum, *lib.* 2. Quadragesimale coram Rege Carolo Octauo, *librum vnum*. Obijt Rothomagi. De eo autem loquuntur Gesnerus, Posseuinus, & Biscarretus, qui etiam addit, ob gratiam, quam habebat apud Carolum Octauum Galliarum Regem eum apud se retinuisse, vt suis vteretur consilijs, tanquam Consiliarium, & Confessarium.

Michael Madrigal.

5 Emisit professionem hoc anno in deuotissimo Conuentu S. Pauli de Moralexa, de quo sub anno 1315. diximus, Michael de Madrigal Nepos præclarissimi illius Doctoris Hispaniarum gloriæ, Abulensis appellati, qui etiam postea sub anno 1521. primum Conuentum Vallisoleti recipit tempore Ferdinandi de Barco Castellæ Prouincialis, & postea Salonensis Episcopi. Ex relatione Conuentus S. Pauli.

Petrus Nebularius.

6 Eodem etiam anno diem suum clausisse Petrum Nebularium insignem huius temporis Concionatorem, & clarissimi Baptistæ Mantuani Socium, & familiarem, aliqui scribunt. Veruntamen ex Poemate ipsius Mantuani, quod in obitu præfati Nebularij composuit clare monstratur hoc anno, & aliquibus sequentibus superstitem fuisse. Dicit enim Mantuanus sexagenarium se fuisse cum Nebularius obijt. At cum ille anno 1448. ortus fuerit vsque ad annum 1508. Sexagenarius non fuit, ac proinde vsque ad id tempus, vel circiter. Nebularius non decessit. Mantuani hæc sunt.

Vixque

Vixque quaterdenos viuendo excesserat annos
Ast ego bissenis, cui caligantia lustris
Lumina, debueram maturo occumbere fato:
Debuit ille meo tales in funere planctus
Spargere: & his nostros lachrymis perfundere manes:
Impia mutato voluerunt ordine fata
Officijs me fungi istis, & soluere in imbrum
Hoc caput: atque orbam fieri sine lumine frontem.

Ann. Christi 1503. Alexand. 6. Rom. Pontif. 11. Maximil. Imper. 10. Petri Terrasse Generalat. 1.

1 SEquens annus 1503. mortem Romæ videre potuit duorum Pontificum: etenim Alexander Sextus è vita decessit 15. Kalend. Septembris, an poto veneno, an naturali morte, multi multa dicunt. Legantur Ciaconius, Bzouius, & Spondanus, & constabit plura malignissimè, tum ab hæreticis, tum à Catholicis nonnullis contra eum fuisse conficta. Deinde octauo idus Octobris Pius Tertius coronatus etiam ad 15. Kalend. Nouembris fatis concessit. Cuius successor fuit Iulius Secundus postrema die Octobris ad Pontificatum assumptus. Hunc porrò Pontificem Iulium Ordini nostro beneuolum fuisse, quæ subiungimus inferius demonstrant. De omnimoda etiam Gallorum expulsione è Neapolitano Regno, latè relati Authores. Obitus Pontificum.

2 Interim Ordo pro electione Generalis Capitulariter congregari debebat. Circa Capituli autem celebrandi locum, quamuis Lugdunensis Conuentus à Generali Pontio, cui res commissa in Capitulo Generali Nemausensi anno 1498. designatus esset; nihilominus Alexander Sextus sub litteris datis 7. Septembris Pontificatus anno 11. ad intercessionem Ludouici Francorum Regis, qui ad Papam desuper scripserat, vt ipse Pontifex testatur, ad Conuentum Papiæ Capitulum transferri præcepit. At nec Papiæ habitum est Capitulum, sed Placentiæ in Prouincia Lombardiæ die 3. Iunij hoc anno 1503. Quæ autem causa fuerit cur Ludouicus Rex ex Lugduno Papiam transferri Capitulum fecerit ab Alexandro Papa, & ipso Alexandro viuente, non Papiæ, sed Placentiæ celebratum, nobis ignotum. Illud certum, in hoc Placentino Capitulo Præsidem auctoritate Apostolica eiusdem Alexandri Sexti fuisse Magistrum Petrum de Terrasse, de quo anno superiori, ob litteras datas ad eundem, quæ in Archiuio Transpontinæ habentur; in quibus eum Præsidem constituit non obstantibus alijs litteris prioribus ad Magistrum Marcum de Reclusis Prouincialem Lombardiæ super eadem re directis, forsitan, quia in Capitulum Generale.

sua Prouincia Capitulum celebrandi Ius sibi adquisisse iuxta Ordinis antiquum vsum prætendisset.

De Petro Terrasse Generali 27.

Capitulum Placentinũ. 3 PAtres ergo Placentiæ congregati ante omnia concorditer prædictum Magistrum Petrum Terasse in Generalem Ordinis elegerunt. Numerantur autem 18. Diffinitores Prouinciarum, Terræ Sanctæ, Angliæ, Narbonæ, Franciæ, & Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Venetiarum, Tholosæ, Cataloniæ, Vasconiæ, Turoniæ, Marchiæ Anconitanæ, & Daciæ. A quibus more solito taxatur Ordo pro expensis communibus ipsius. Deinde ordinantur Prouinciales 25. Prouinciarum, videlicet Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Venetiarum, Tholosæ, Cataloniæ, Alemaniæ superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Castellæ, Portugalliæ, Neapolis, Marchiæ Anconitanæ, Appuliæ, & Daciæ. Prouincialatus autem Scotiæ, Saxoniæ, & Bohemiæ relinquuntur arbitrio Generalis. Ordinantur etiam Procurator Generalis in Romana Curia, Prior in Vrbe Romana, & Parisiensi, ac Socij Reuerendissimi Patris. Ac tandem Lectores pro Studijs Parisiensi, Tholosano, Florentino, Perpiniacensi, Illerdensi, & Cathurcensi, & pro Vniuersitatibus Montispesulani, Auenionis, Coloniæ, Cadomij, Bitturicarum, Burdegaliæ, & Pictauij. Liber Ordinis fol. 81.

Decreta. 4 Principaliora huius Capituli decreta hæc sunt, omissis alijs circa studia, Lectores, & Graduatos. Primum de recurrentibus ad Principes, vel Dominos, vel alios sæculares, Ordinis secreta pandentibus, vel Maiores suos diffamantibus; quos grauissime puniendos decernitur. Secundum, contra Ludouicum de Lira, quem diximus anno 1500. nouæ Congregationis Albiensis promotorem: cui præcipitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ne in posterum auderet alicui habitum Ordinis imponere, aut aliquem Conuentum reformare. Tertium, quod hi, qui ad prædictum Ludouicum accessissent sine licentia alicuius habentis iurisdictionem in Ordine, ipso facto essent excommunicati, nisi rediissent ad proprios Prælatos. Quartum, quod Prior Parisien. Magister Ioannes Mercatoris per Capitulum electus, teneret, & regeret debito modo prædictum Conuentum, vsque ad aduentum Generalis, qui dicitur futurus post duos menses. Hoc autem decretum absdubiè factum ad remouendum à prædicto Parisiensi Conuentu Priorem nominatum ab Albiensibus. Liber Ord. fol. 84.

Alia. 5 Decretum etiam fuit in hoc Capitulo, vt aliquæ Constitutiones ordinatæ ab ipso, quarum originale erat in manibus Generalis, exacte etiam obseruarentur. Hæ autem Constitutiones habentur in lib. M. S.

gesto-

gestorum in Visitationibus huius Generalis Petri de Terrasse, qui extat in Archiuio Transpontinæ, in quibus multa etiam pro bono regimine Monasteriorum, & Fratrum habentur.

6 Clariores Patres, qui in hoc Capitulo nominati sunt, Reuerendissimus Magister Petrus Terasse in Generalem electus; Magister Bernardinus de Senis Diffinitor, & Prouincialis Thusciæ, ac Procurator Generalis Ordinis; Magister Monaldus de Rosarijs Diffinitor, & Prouincialis Vasconiæ; Magister Ioannes de Nussia Prouincialis Alemaniæ inferioris. De quibus alijs locis dicemus. Clariores Patres.

7 Post Capituli celebrationem, & calores æstiuos, in Gallias profectus Reuerendissimus Terrasse eodem anno primum Balneolarum Conuentum in Prouincia Narbonæ visitauit, quem bene regulatum, tam in spiritualibus, quam in temporalibus inuenit. Deinde, Conuentum Turronensem, quem non ita reformatum, sed potius inordinatum reperit. Pro ipsius tamen reformatione multa instituit, & decreuit, & Fratres aliquos ab ipso semouit M. S. Archiuij Transpontinæ de gestis Petri Terasse Generalis. Generalis Terrasse gesta.

8 Interim eodem anno Brixiæ Pater Martinus de Bergamo, de quo in præcedentibus iam tertia vice in Vicarium Gener. Patrum Mantuanæ Cógregationis fuit electus. Pro huius autem Capituli celebratione Pontifex Alexand. VI. concesserat plenariam Indulgentiam cum clausula de manibus adiutricis. Sic ex Actis huius Capituli. Martinus de Bergamo.

9 Iure ad hunc annum referenda historia nostri Ludouici Rabbata Siculi, cuius vita, mors, & miracula postea ipsius meritis, prout refertur, patrata, inter Beatos Ordinis, quantum fieri potest ante Sedis Apostolicæ, cuius id proprium munus est, annumerandum suadent. Eam porro ex Augustino Biscarreto in *Palmitibus Vineæ Carmeli*, qui circa ipsam diligenter elaborauit, sic damus. *Ludouicus Rabbata a Monte Sancti Iuliani, qui & Herycinus vocatur prope Drepanum, Mazariensis Diœcesis, in Sicilia Regno, in eadem Patria, qua Sanctus Albertus noster, honestis ortum habuit Parentibus, & ab illis à pueritia bonis fuit instructus moribus: inde grandior factus, paterna, ac mundana deserens nostrum Beatæ Virginis suscepit habitum, & in nouitiatu optimam indolem ostendens ad professionem emittendam admissus, sanctis enitere virtutibus serio studuit. Quare Sacris initiatus Ordinibus, Sacerdosque factus, perfectiorem viuendi formam complexus, Prior in Ciuitate Randatij constitutus fuit, quod onus ex obedientia humiliter suscepit, & saluti animarum intentus Sacramentorum ministerio feruidè intendens, patientiam miram ostendit, præsertim in confessionibus peccatorũ audiendis. Maxima enim cũ charitate plurima Sacrarum Scripturarum argumenta, & loca adducens, & dilucidans tanquam insignis aliquis Theologus, licet maiora non attigerit studia, suos spirituales filios, & alios ad pœnitentiam prouocabat. Tribulatis solatium, egenis opem ferre toto studio conabatur. Vitiorum omnium acerrimus osor, atque reprehensor semper extitit. Ieiunium castitati corporis adiungens omnia patienter sustinere* Ludouicus Rabbata.

nouit.

nouit; sed præcipue in eo resplenduit humilitatis virtus; viliora enim quæque officia libenter exercebat, & qui Prioris officium gerebat, ostiatim per Vrbem, & etiam per campos mendicare non dedignebatur; & sæpe illi contigit omnem sibi collatam eleemosynam pauperibus obuiantibus dare, vacuumque domum repetere. Pane, & aqua contentus, carnem in spiritus seruitutem redigere studuit, frequensque fuit in longa, & assidua oratione, ac diuinorum mysteriorum contemplatione. Quibus inuidens virtutibus humani generis hostis peruersum quendam Ciuem Randatij incitauit, ac contra nostrum Ludouicum concitauit, ita vt eundem è consueto quæstuationis exercitio reuertentem, sagitta emissa capiti illius, graue inflixerit vulnus: propter quod noster pius Pater Christi imitator, inimico parcens, & pro illo exorans eundem manifestare recusauit. Doloribus ita grauissimis affectus in lectum procumbens, aliquibus mensibus, & diebus superuiuens orationi, & diuinæ contemplationi intentus, prænunciato sui obitus die, omnibus Ecclesiæ Sacramentis deuotè susceptis, alijsque multis præclarè gestis, sanctam Deo animam sexagenarius reddidit anno 1503. Cuius corpus, ob communem de illius sanctitate apud omnes opinionem, quam postea Deus miraculis confirmauit, separatim tumulatum fuit. Postea Rogerus Romeus Ciuis Randatij, ob visum tactu illius venerabilis Corporis receptum, illud honestiori posi tum capsa suis expensis procurata, sub Altari maiori collocari studuit. Plura miracula narrat ob istius venerabilis Patris imploratam opem, & tactas Reliquias contigisse, Ægidius Leo indelicatus Siculus in suo Viridario Carmelitano, & illud præcipuum, non reticendum, quod in conflato Sanctorum Ordinis coram Beata Virgine Maria egregio tabulato, repente istius venerabilis Viri apparuit effigies inter alios Ordinis nostri, stupentibus cunctis, qui hoc viderant, & ipsum non fuisse cum alijs à Pictore delineatum nouerant. Quorum omnium, & aliorum, quæ breuitatis gratia omittuntur, sumptæ fuerunt iuridicæ Informationes in loco Randatij Messanensis Diœcesis per eius loci Archipresbyterum, eius Curia Iudice mandante, iuxta litteras Archiepiscopi Messanensis, datas sub die quinta Maij millesimo quingentesimo trigesimo tertio, in quibus sunt examinati decem fide digni testes. Similes etiam informationes captæ fuere, & processus formati anno 1573. iuris ordine seruato, duodecim examinatis testibus. Dictarum informationum, & processuum extant authentica, & bene munita exemplaria in Archiuio Ordinis Romæ, & credo etiam penes Sacram Rituum Congregationem, in qua aliquando tractatum fuit olim de meritis viri istius. Originalia verò extant in Archiepiscopali Ecclesia Messanensi. Nos vero ea pauca, quæ diximus ex dictis informationibus fideliter, & ex præfato Ægidio Leoindelicato desumpsimus. Hucusq; Biscarretus *in suis Palmitibus.* Plura etiã de ipso relatus Ægidius Leoindelicatus, & Rochus Pirrhus in notitijs Ecclesię Massarẽsis. Vterque autem eum collocat sub anno 1443. Hic tamen annus potius natiuitatis, quam mortis videtur, mortis enim annus, vt patet ex Biscarreto adducto, fuit 1503. prout etiam sequitur Muñozius noster in Propugnaculo Eliæ, dum de isto Ludouico, eiusque sanctitate loquitur. Præterea Octauius Caietanus Iesuita *in Idea Sanctorum Siciliæ* inter Viros fama san-

sanctitatis illustres, eum quoque refert pro octaua Maij; in Martyrologio autem Siculo pag. 116. pro vndecima Maij eum affert sic: *In Randatio Aloysius Prior, Ordinis Carmelitarum pro virtute occisus, miraculis refulsit.* In margine porro sic. *Acta iurata autor. Eccles.* denotans sanè, ea, quæ de hoc sanctitate conspicuo Religioso scribuntur ex Actis iuratis Ecclesiæ auctoritate fidem habere.

10 Obijt eodem anno Burnhamiæ in Anglia Ordinis nostri clarus eo sæculo Robertus Balæus iunior, Patria Norvicensis, deinde Burnhamiæ Cœnobij Pater. Vir pius, prudens, & eruditus, vt libri ab ipso cōscripti testantur, qui vsque ad Religionis exterminium in Bibliotheca Burnhamiensi seruabantur. Ex quibus numerantur, Historia Eliæ Prophetæ *liber vnus*, officium Sancti Simonis Angli *liber vnus*, vbi obiter notandum, plures decipi credentes hoc Officium Sancti Simonis esse illud, quod modo est in vsu Conuentus Burdegalensis. Verè etenim diuersa sunt. Hoc enim Balæi Officium incipit, *Aue Simon Pater inclyte*: & oportuit ab ipso compositum fuisse circa annum 1500. vel circiter, quo ipse in viuis erat, Officium autem Sancti Simonis, quod in vsu est in prędicto Conuentu scriptum fuit anno 1455. & eius initium est, *Hic vir despiciens mundum*, vt clare constat ex copia authentica eiusdem Officij, quam præ manibus habemus. Inscripsit etiā hic noster Robertus Anales breues Ordinis *lib. vnum*, Concionum *librum vnum*, & alia. De ipso loquuntur Ioannes ille eiusdem cognominis Balæus, sed diuersæ fidei, quia hæreticus; Pitseus, Posseuinus, Harpsfeldius, Biscarretus, & alij. Robertus Balæus.

Ann. Christ. 1504. Iulij 2. Roman. Pontif. 1. Maximiliani Imper 11. Petri Terrasse Generalat. 2.

1 CApta hòc anno Caeta, omnino potiri incipiunt Hispani Neapolitano Regno sub Gonsaluo Ferdinando magno Capitaneo, qui hoc nomen adeptus est post 209. Vrbes, & 70. Oppida varijs in Prouincijs adquisita. Gordonus, Spondanus. Moritur Elisabetha Hispaniæ Regina, commendatissima fœmina, cuius prudentiæ Hispanica gloria multum debitrix est. Anglerius, Mariana. Hispani potiūtur Neap. Regn.

2 Confirmauit Iulius Secundus, duodecimo Kalendas Maij Bullam Auunculi sui Sixti Quarti, quam attulimus anno 1477. qua ipse Sixtus confirmauerat Indulgentias Ordini nostro concessas (plenarijs exceptis) à Leone Quarto, Adriano Secundo, Stephano Quinto, Sergio Tertio, Ioanne Decimo, & Vndecimo, Sergio Quinto, Innocentio Quarto, Clemente Tertio, Alexandro Secundo, Gregorio Quinto, & Septimo, Clemente Quarto, Lucio Tertio, Gregorio Octauo, Honorio Tertio, Nicolao Papæ concessio.

colao Quarto, Honorio Quarto, Benedicto Vndecimo, Ioanne Vigesimo secundo, Vrbano Quinto, Nicolao Quinto. Habetur Bulla in *Speculo Ordin. fol. 99.*

Gesta Gener. Terrasse. 3 Intentus erat eodem anno Generalis Terrasse visitationi Prouinciarum Galliæ, maximè Conuentuum Belliuisiensis S. Marcellini Niennæ, Lugduni, Molini, Sancti Amandi, Bituricens, & Aureliani. Pro quorum meliori institutione, seu reformatione, non pauca egit, nec parum laborauit. Concesśit interim dum in his Conuentibus moraretur litteras Confraternitatis Illustrisśimis vtriusque sexus personis. Maxime in Conuentus Molinensis visitatione litteras prædictas dedit Illustrisśimæ Dominæ Annæ de Francia, Ducissæ de Borbonia. In Conuentu Lugdunensi, ob honorem Reuerendiss. D. Laurentij Burelli Confessarij Ludouici Regis, & Episcopi Cistaricensis, qui Prouincialis extiterat Narbonensis Prouincię, nihil innouauit. Quin fratribus Petro Fizniti, & Claudio Banditi Socijs, vt apparet eiusdem Reuerendissimi Domini Episcopi, & Confessarij Regis, & ad ipsius instantiam, concessit locum, & vocem actiuam, & passiuam in Conuentu Lugdunensi, & in alijs Conuentibus Prouinciæ Narbonæ, vbi contingeret præfatum Dominum residere. In Conuentu autem Parisiensi, in quo moram fecit Generalis per quinque menses, cum Albensis Congregationis Patres, Regis, & Legati fauore tutarentur, contra illos præualere non potuit. Appellauit tamen ad Summum Pontificem; Ludouicum de Lyra, & Iacobum Dissonentium, qui contra ipsius voluntatem prædictam nouam Congregationem promouebant, pro excommunicatis habens, Applicuit postea ad Conuentum Valencensem, & Atrebatensem, quos cum bene reformatos reperisset, in Angliam profectus Londinensem, Gipsicensem, Norujcensem, Synterleyensem, Lynnensem, Cantabrigensem, Stanfordiensem, S. Botulphi, Lincoliensem, Dancastriensem, Nothinganiensem, & Comitensem Conuentus hoc eodem anno visitabat. Hæc ex M. S. gestorum Terrasse in Archiuio Transpontinæ.

Laurentius Burellus. 4 Eo anno, iuxta Claudij Roberti sententiam *in Gallia Christiana*, mors accidit præfati Reuerendissimi Laurentij Burelli ex Ordine nostro ad Episcopatum Cistaricensem in Gallia assumpti, & duorum Regum Caroli 8. & Ludouici 12. à Confessionibus, propter egregias animi dotes, quas anno 1494. retulimus. Fuit hic Pater Natione Gallus, Patria Diuionensis, ac Lector Parisiensis nominatus in Capitulo Generali Astensi anno 1472. Hac in Vniuersitate Lauream Doctoratus, magno cum applausu accepit. Scoticæ Doctrinæ sectator fuit, & Bachonij nostri interpres, & elucidator; ac pro eius doctrina Epistolam scripsit ad Stephanum Basignanam Parisiensem Baccalaureum, quæ extat in principio Operum ipsius Bacconij. Bibliothecam Parisiensem multis voluminibus decorauit, in quorum vno hæc leguntur. *Orate pro Fratre Laurentio Borelli Diuionensi Carmelita, Doctore Theologo Parisiensi, Prouinciali Narbonæ, Christianissimi Francorum Regis Ludouici 12. Confessario.* Curauit etiam in Claustro

Lutetiæ

Lutetiæ Heliadem depingi. Posteritati quoque ipse scripsit opus celeberrimum, quod prænotauit Eliadem, *librum vnum*. De Illustribus viris sui Ordinis, *librum vnum*, & alia. Obijt Blesis quinta die Iulij, & eius corpus ad nostrum Aurelianense Cœnobium delatum, cor vero apud Diuionenses. De ipso graues multi Authores loquuntur, specialiter Trithemius, Einsengrineus, Gaguinus, Symphorianus, Chopinus, Posseuinus, & Biscarretus: multa de ipso scribens, & inter alia egregium Poema referens Publij Fausti Foroliuiensis Regij Poetæ, quo Eliæ, & aliorum *SS.* ac Doctorum Ordinis, ac maximè ipsius Burelli gesta decantat.

5 Obijt etiam eodem anno 1504. insignis alius Ordinis Pater Ioannes Gerbrandus de Leidis Batauus, Harlemensis Conuentus Alumnus, vir admodum Religiosus, & Sacris litteris non mediocriter instructus. Vocatur etiam Philosophus acutus, Orator facundus, Historia celebris, Concionator non vulgaris. Sed quid non haberet, qui etiam describitur Beatiss. Virg. Mariæ deuotissimus seruus? Scripsit autem multa. Præsertim Chronicon Episcoporum, & Comitum Hollandiæ, typis mandatum, & euulgatum per Orbem, Historiam nostri Ordinis lib. 10. Postillam Quadragesimalem lib. 1. De passione Dom. lib. 1. Sermones item de tempore, & Sanctis, æstiuales, & hyemales. Collationes Sanctorum, lib. 1. De Festis Deiparæ, lib. 1. De eiusdem doloribus, lib. 1. Exempla eiusdem Beatiss. Virg. lib. 1. De eo Einsengrineus, Iacobus de Plebe, Posseuinus, & Biscarretus. Gerbrandus de Leidis.

6 Contigit eodem anno, vt cum quædam Deiparæ Imago in parua tabula fraxinea ab arbore pendente delineata esset, & ad ipsius honorem duo cerei ibidem affixi, duabus à Mantua milliaribus extra portam Sancti Georgij in via Veronam versus, à duobus eò transeuntibus rusticis auferrentur; Beatiss. Virgine iniuriam vlciscente, illico marmoreæ instar statuæ, gressu præpediti fuerint: sed errore agnito ad ipsam, misericordiæ Matrem voto, & precibus recurrentes, veniam perceperint. Re ergo vulgata, ad honorem tantæ Virginis *de Fraxino* iam dictæ, Ecclesia est, Mantuani Episcopi iussu, erecta; quæ postea nostris PP. Mantuanæ Congregationis cessit: accedente etiam consensu Reuerendissimi Generalis Audethij. Sixtus de Mondinis Religiosus eam accepit circa ann. 1524. cum exemptione ab alijs. Sic habemus ex Donemundo Mantuę historico par. 2. lib. 6. & 7. ac ex relatione Congregationis. Conuentus de Fraxino

7 Iure ad hunc annum referendus inter nostri Carmeli Ordinis insignes viros, & Ecclesiarum Antistites, Godofridus Greueravvs, siue Godfridus Greuradiensis Germano Belgicus, & Carmeli Geldiensis professus, eiusdemque Ciuitatis filius. Vir doctrina, pietate, ac prudentia præclarus, eiusdemque, vt opinor loci Prior, de quo in Historia Geldro Brabantica Ioannes Godofridi, quæ manuscripta Geldriæ extat, habentur sequentia. *Hanc verò Ædem, Carmelitarū Geldriensium Templum, Friderico eius nominis 3. imperante, & Adolpho Egmondani Ducis filio, gubernacula Ducatus Geldriæ* Godefridus Greueravvs

tenente, anno 1468, Godefridus Greuradiensis huius Conuentus filius, Dagniensis Episcopus, multis ornamentis, sacrisque reliquijs, ac potissimum duobus corporibus Sanctorum Martyrum Daleni, & Galeni (quæ Gelariam ipse transtulit) decorauit, atque locupletauit. Fuerunt hi ex numero decem millium Martyrum per Imperatorem Adrianum apud Alexandriam occisorum, quæ summo honore, ac pietate, summa à maioribus nostris, populoque in Theca lignea accepta innumeris claruerunt miraculis. Habebant conditorium suum in Altari Sancti Petri Apostoli, singulis autem annis eorū corpora argenteo loculo inclusa in natali Sociorum, per oppidum partim, partim extra, prout tempus postulabat (præeunte candida linea veste infinita hominum vtriusque sexus multitudine) circumferebantur. Hæc ibi. Fuit igitur prædictus Godfridus, ob præclaras animi dotes, ac virtutum merita Cameracensis Episcopi Suffraganeus, & Vicarius, atque Dagniensis Antistes effectus. Qui & scriptis libris Sermonum, ac Collationum, quos partim ad Clerum, partim ad populum habuit, nomen suum posteritati commendauit: ac tandem plenus dierum in senectute bona (cum Bruxellis in Brabantia apud suos degeret, cursum vitæ feliciter consumauit) de quo tandem in Catalogo quodam Monumentorum dicti Carmeli Geldriensis, hæc continebantur: *Godefridus Greueraij filius Ciuitatis, & Conuentus Geldriensis, Episcopus Dagniensis, Suffraganeus Cameracensis, scripsit, fecit, Collationes, & Sermones; obijt decrepitus, sepultus Bruxellæ in Conuentu Ordinis in Choro anno 1504. sexto Ianuarij.* Hæc ibi; De ipso hæc in Relatione Episcoporum Germaniæ, & apud Biscarretum.

Ann. Christ *1505.* Iulij *2.* Roman. Pontif. *2.* Maxim Imperat. 12. Petri Terrasse Generalat. *3.*

Historia huius anni.

1  Hispani Mazalquiuirum Africę portum, & fortissimum, hoc tempore inuadentes, breui capiunt, accipiunt. Mariana, Spondanus. Lusitani etiam, classe in aliam Africę partem missa, Mombazam insulam capiunt. Osorius, Bzouius. Claret Franciscus Ximenez Toletanus Antistes, pius Christianitatis zelator. Gomezius, & alij Hispanici historici.

Generalis gesta.

2 Ex nostris rebus, Generalis Terrasse, occasione accepta contradictionis Parisijs factę ab Albiensis Sodalitatibus tutoribus, ad Iulium Papam recurrendum censuit. Pontifex ergo litteris datis sub die 20. Februar. pręsentis anni 1505. reuocauit omnes, & quoscumque Conuentum in Vltramontanis Prouincijs reformatores, quacunque auctoritate, aut dignitate fungentes, concedens Generali facultatem reformandi omnes, & quascunque domos Religionis, præsertim Parisiensem, & reponendi in locum, & statum pr[illegible] quæ attentata fuissent, exhortans etiam

Reges

Reges, Principes, ac Prælatos, vt in præmissis illi fauores opportunos præberent. Extat Bulla in Archiuio Transpontinæ.

3 Prosequebatur interim eodem anno Generalis visitationem Angliæ, Franciæ, Germaniæ, & Flandriæ; præsertim in Conuentibus Conuentriæ, vbi Prouinciale celebrauit Capitulum, Elifordiæ, Sandouisi, Calisiæ, Bruggerum, Hanterlopiæ, Mecliniæ, Bruxellarum, Louanij, Thenarum, Leodij, Coloniæ, Moguntiæ, Spiræ, & Augustæ. Italiam post accedens visitabat Veronense, Florentinum, & Romanum Transpontinæ Cœnobia. In quibus pro posse, multa egit, multa agenda præcepit, pro ipsorum, Fratrumque recta institutione, seu reformatione. M. S. Transpont. de quo sæpius. Alia.

4 Erat iam sub isto anno creatus Episcopus Beritensis Ioannes Brissellotus Hanno, clarissimus illa ætate Ordinis nostri Pater. Vt enim constat ex prædicto M. S. gestorum Generalis Petri Terrasse sub hoc anno concessit licentiam Fratri Quintino de Ladris inseruiendi prædicto Reuerendissimo Domino Brissellotto Beritensi Episcopo, & quod quamdiu fuisset in Conuentu Valensenarum haberet locum, & vocem actiuam, & passiuam. Ioannes Brisellotus.

5 Videtur autem hunc Ioannem Brissellotum successorem fuisse in eo Episcopatu Beritensi alterius Ordinis nostri Alumni, Ægidij de Merica vocati, qui eo etiam potitus est, simulque fuit Suffraganeus Cameracensis, ex Conuentu Mechliniensi, & obijt hoc anno 1505. die 5. Februarij. Relatio Prouinc. Belgicæ. Ægidius Merica.

6 Parmæ eodem anno iam secundo M. Petrus Trauersinus, de quo sub anno 1497. dictum, ad Vicariatum Generalem PP. Mantuanorum euectus. Quia tamen post 26. dies, dum Monialium eiusdem Ciuitatis Cœnobium visitaret, epidemiæ morbo correptus, obijt (speciali forsan Dei prouidentia, quia ob aeris intemperiem vitandam S Lauretanam domum dimiserat) Pater Franciscus de S. Felice in Vicarium Generalem Congregationis fuit electus. Catalogus Vicariorum Generalium Congregation. Mantuanæ. Quo etiam tempore ijsdem Patres Congregationis decreuerunt, quid decedente Vicario Generali faciendum esset, quisue Præsidens futurus. Quorum statutum pro maiori parte, authoritate Apostolica muniuit Pontifex die 8. Aprilis anni sequentis. Ex Constitutionibus eiusdem Congregat. cap. 54. Petrus Trauersinus.

7 Ad eundem annum refertur fundatio Conuentus de Pontolio Venetæ Prouinciæ cum consensu Pauli Episcopi Brixiensis, ac donante ipsa Communitate: positum est, in ipso Castello, & habet pro titulo Ecclesiæ S. Maria de Monte Carmelo. Hæc ex relatione Conuentuum sub Innocentio X. Conuentus de Pontolio.

Ann. Christi *1506.* Iulij *2.* Roman. Pontif. *3.* Maximilian Imp *13.* Petri Terrasse Generalat. *4.*

Gesta hoc anno.

1 BEllum mouens Iulius Papa hoc tempore contra Venetos aliquas ab ipsis Ciuitates eripuit. Guicciardinus, Gordonus. In Hispaniam venit, & cito Burgis moritur Philippus Primus cum Ioanna vxore, Socero Ferdinando Catholico in Neapolitanum Regnum amandato. Mariana, Bzouius. Lusitani in Indijs valde prosperantur. Masseius, Ossorius.

Papæ concessio.

2 Indulsit Papa Iulius hoc anno 1506. Fratribus nostri Ordinis Regni Siciliæ, quod faciendo in suis Missis continue commemorationem generalem pro benefactoribus viuis, & defunctis, & in fine cuiuslibet anni Anniuersarium pro eisdem, tantum eisdem fidelibus prodesset, ac si pro omnibus, & singulis particulariter celebrarent. Loquitur autem Pontifex de Missis pro quibus celebrandis tenues eleemosynæ concessæ erant. Habetur Bulla in Archiuio Transpontinæ. Aduerte tamen hæc, & similia priuilegia reuocata esse à S. Congregatione Concilij sub Vrbano Octauo anno 1625. vt in nostra Summa dicimus,

Generalis gesta.

3 Prosequebatur eodem anno Generalis Terrasse Ord. visitationem in Prouincijs Italiæ, in Conuentibus præsertim Neapolis, Puteolorum, S. Martini in Montibus, Transpontinæ, Florentiæ; vbi, & Capitulum Prouinciale habuit; Massæ Ferrariæ, Paduæ, Veronæ, Xensani, Cremonæ, Romaningi, & Soncini. Quibus locis solicitus Pastor de necessarijs pro vitæ Regularis institutione prouidebat. M.S. Archiuij Transpontinæ de gestis Generalis Petri Terrasse.

Episcopus Lucerienfis.

4 Illustris erat sub eodem tẽpore Reuerendiss. Dominus N. Episcopus Luceriensis in Neapolitano Regno, ex Ordine nostro, & Prouinciali quondam Prouinciæ Neapolitanæ assumptus, qui creditur fuisse Ioannes Aloysius anno 1488. in Capitulo Generali Rupeculensi nominatus Prouincialis Neapoli. Huic Episcopo concessit Generalis confirmationem cuiusdam cameræ, quam habebat Neapoli dum esset Prouincialis, & omnium gratiarum sibi concessarum à Generali Pontio prædecessore. M.S. Archiuij Transpontinæ de quo supra.

Conuentus Sardiniæ.

5 Cæpit ab eodem tempore fundatio Monasteriorum Ordinis in nobilissima Insula Sardiniæ. Hoc etenim anno facultatem concessit Generalis Fratri Siluestro de Stobul Prouinciæ Cataloniæ recipiendi Ecclesiam S. Petri de Boyt, & Ecclesiam S. Luciæ de Trillis in dicta Insula, ducendi ibi Fratres aliquos, eis præsidendi, Nouitios induendi, & professandi. Et hoc ad instantiam cuiusdam Domini Saluatoris, qui prædictas

dictas Ecclesias, vel alteram ipsarum obtulerat, M.S. de quo supra.

6 Hoc etiam primum anno Mantuani Patres habitare Florentiam venerunt industria Magistri Dauid Esau quondam Carmelitarum Prioris, de quo anno diximus. Habuerunt autem per biennium Monasterium S. Clementis. Petrus Lucius in Compendio Hist. Carmel. c. 14. Florentin. Cœnob. Congregat.

7 Item eodem tempore Officium Inquisitoris hæreticæ prauitatis exercebat in Diœcesi Morianensi, & Prouincia Sabaudiæ, Magister Glaudius Pleisbim, pro Socio habens Præsentatum Claudium Benetum. Constat hoc ex prædicto M.S. Archiuij Transpontinæ. Videtur autem hunc Reuerendiss. Dominum Inquisitorem ex Prouincia Narbonæ fuisse. Glaudius Pleisbim.

8 Obijt eodem anno, secundum aliquos, etsi iuxta alios non nisi anno 1503. Bruxellis in Prouincia Alemaniæ inferioris, præclarus valde, & insignis Ordinis nostri Pater Ægidius Faber Bruxellensis, & Louaniensis Doctor. Adeo diuinis, & humanis litteris profecerat, vt cunctis non solum charus, sed & venerabilis extiterit. Celeberrimus sui sæculi Ecclesiastes cum esset, cum audiretur ipsum concionaturum loca omnia in subsellijs occupabantur, & Templa implebantur, auditoribus adstantibus erectis, & intentis. Tantæ auctoritatis locum apud Maximilianum Imperatorem est assecutus, vt suis eum consilijs adhiberet, & plurimis Carmelitana Cœnobia beneficijs afficeret, atque in his Bruxellense solemni etiam aurei velleris inauguratione illustraret. Illustrauit autem ipse suum, & Ordinis nomen multis voluminibus à se editis. Scripsit enim in Magistrum sententiarum, contra proprietarios, Chronicon sui Ordinis, Historiam Brabantiæ Quæstiones ordinarias, Determinationes Theologiæ, Orationes ad Clerum, De testamento Christi in Cruce, Sermones ad populum, De ortu Religionum, Commentarios in Ruth, Iob, & Epistolam Pauli ad Romanos, ac præcepta vitæ Religiosæ. De ipso cum laude scribunt Trithemius, Einsengrineus, Gesnerus, Posseuinus, Franciscus Svveertius, Valerius Andreas, Lucius, & Biscarretus. Aubertus autem Mireus in Elogijs Belgicis, multa, & præclara in huius Patris commendationem scribens, inter alia hæc: *Quæ tria M. Tullius in Oratore desiderat, vt doceat, vt delectet, vt moueat, ea summe Ægidius Faber Carmelita Doctor Louaniensis tenuit, sic, vt rem illustraret differendo, & animos audientium deuinciret voluptate, eos denique permoueret, atque incitaret*. Et infra. *Erat enim in eo, vt illis temporibus, eximia doctrina, diuina memoria, summa cum sacra, tum prophanæ historiæ cognitio; atque hæc omnia vitæ decorabat grauitas, & integritas, quibus nominibus,* &c. Ægidius Faber.

Ann.

Ann. Christ. 1507. Iulij 2. Roman. Pontif. 4. Maximiliani Imper 14. Petri Terrasse Generalat. 5.

Gesta hoc tempore.

1 Apta est hoc anno à Ludouico Galliarum Rege Genua, quæ ad finem superioris à Francis defecerat: Rexque in eam Vrbem ingressus totus armatus, & gladium districtum manu tenens. Folieta, Guicciardinus. Ferdinandus Rex Catholicus in Hispaniam reuertitur, secum magnum Gundislauum ducens; quos Sauonæ in itinere benignissime excipit Rex Ludouicus; Gundisaluum præcipue, quem suæ mensæ etiam cum Rege accumbere fecit. Guicciardinus, Mariana, Spondanus.

Conuentus Serini.

2 Monasterium S. Saluatoris de Serino Ordinis S. Benedicti Diœcesis Salernitanæ, quod Patriarcha Antiochenus in commendam obtinebat, vnitum est auctoritate Apostolica Iulij Secundi anno præsenti nostræ Ecclesiæ Conuentus Neapolitani, ipso Patriarcha, & Priore, ac Fratribus eiusdem nostri Conuentus postulantibus. Extat Bulla in Archiuio Transpontinæ. In hoc autem postea loco Fratres nostri Conuentum erexerunt.

Gesta Generalis.

3 Eodem anno gregi suo attendens Generalis Terrasse Monasterium Cremæ visitabat. Transijt deinde Soncinum, vbi Prouinciali celebrato Capitulo pro Prouincia Lombardiæ, multa pro bono Prouinciæ decreuit. Venit postea Bononiam, & Romam migraturus Siciliam. Neapolim porrò veniens Capitulum Prouinciale celebrauit. Inde versus Siciliam pergens, Cataniam, & Panormum curabat. Cataniæ autem habita Patrum Prouinciali Synodo illius Insulæ Monasterijs, præsertim Siracusano, & Leontinensi recte formandis detentus erat. M. S. Archiuij Transpontinæ de gestis Generalis Petri Terrasse.

Lucas Matthæus

4 Factus est eo tempore Elisinensis Episcopus Magister Lucas Matthæus Carracciolus, Prouinciæ, vt videtur, Neapolitanæ, & Illustrissimæ Carraciolorum familiæ Alumnus. Illum hoc anno die 19. Iunij Generalis Terrasse Priorem, & Vicarium constituit in loco, & Conuentu de Somma: postea eidem Episcopo creato concessit prædictum locum de Somma, durante vita sua. *M. S. Archiuij Transpontinæ*, de quo supra, & Biscarretus.

Franciscus N. Episc.

5 Erat etiam eo tempore Episcopus Reuellensis Reuerendissimus Magister Franciscus N. ex Ordine nostro assumptus. Cui Generalis Terrasse hoc anno 24. Augusti concessit vsum cuiusdam cellæ, quam ipse ædificauerat in Conuentu Auersæ. *Manuscript. de quo supra*. Vnde Prouinciæ quoque Neapolitanæ hic Dominus Episcopus creditur. Et vt Biscarretus

ait,

ait, Neapolitanus, vir probus, & benefactor Religionis, & Lector deputatus pro Collegio Paduano anno 1456.

6 Eodem anno ad meliorem vitam transijt noster Ioannes Palæonydorus, alijs Paledorpius, qui etiam de Aqua veteri, quod Batauiç est Oppidum, cuius erat nationis, nominatur. Omnibus enim tribus his nominibus vnus Pater designatur. Conuentus Mechliniensis fuit Alumnus, & tam eximius Ordinis sui zelator, vt vix alius in tota antiquitate ipsi quoad hoc superior, aut æqualis reperiatur. Commendatur vir in diuinis scripturis studiosus, & lingua patria disertissimus: ea autem, quæ scripsit magis eum commendant à pietate, Religionis zelo, ac deuotione in Beatam Virginem: pro eius enim Sanctissima Conceptione, & pro Trithemio, qui de ea re scripserat, contra Vvigandum, de quo anno 1494. diximus, librum conscripsit. Pro defensione etiam sui Ordinis non pauca Volumina edidit. Primo, Fasciculum, seu Opus tripartitum *lib.* 3. digestum, quod sæpius in nostrorum Annalium discursu citauimus. Item Manuale eiusdem *librum vnum*, Propugnaculum Carmelitarum *librum vnum*, Dialogum inter Carmelitam, & Carthusianum: ac Vitas Sanctorum sui Ordinis. Scripsit præterea Quadragesimale *librum vnum*, Sermones de tempore, & Sanctis *lib.* 2. Epistolas familiares, & Collationes feriales, ac *lib.* 5. in Boethium de Consolatione. Benedictio illa Domini Exod. 20. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, vt sis longæuus super terram*, in eodem adimpleta cernitur, quod etenim pro Religionis suæ honore, ac multa de Elia primo Carmelitarum parente, scripserit, hoc à Deo præmio honestatus videtur, vt 74. annos natus è vita hac migrauerit. De ipso scribunt plures, Trithemius, Valerius Andreas, Posseuinus, Suuertius, Biscarretus, & alij, qui ora obtrudere possunt cuidam Gallo Neotherico, qui contra ipsum nonnulla effutire ausus est.

Ioannes Palæonydorus.

7 Iterum sub eodem anno Mutinæ Patres Congregationis Mantuanæ magnum ipsorum, & totius Ordinis Doctorem Baptistam Mantuanum, in sui Vicarium Generalem elegerunt. Constitut. Congregat. Mantuan.

Baptista Mantuanus.

Ann. Christi 1508. Iulij 2. Rom. Pontif. 5. Maximiliani Imp. 15. Petri de Terrasse Generalat. 6

1 Refertur hoc anno expeditio Maximiliani in Italiam contra Venetos, reditus in Germaniam; & confœderatio Papæ, Imperatoris, & Regis Galliarum contra eosdem Venetos. Guicciardinus, Iouius, Gordonus, & alij.

2 Huic anno, vel proximè præcedenti, iure tribui potest erectio Prouinciæ

Prouincia Bœtiuca. uinciæ Bethicæ inter Hispanas celebris valde. Constat enim tunc fuisse Prouincialem Baccalaureum Lucam de Sancto Vincentio. Eius porro erectio facta ex Conuentibus Prouinciæ Castellæ, & separatione ab ipsa, cum Conuentibus videlicet Hispalensi, Escazenensi, & Astigiensi. Hæc summatim ex Relatione huius Prouinciæ ad nos transmissa, & diligenter elaborata per Reuerendum Patrem Magistrum Petrum Quesada eius Prouinciæ Alumnum.

Conuentus Monial. Granatens. 3 Hinc eodem anno Monialium Granatensis Conuentus, sub titulo Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, fundatus dicitur per Sororem Marianam de Sancto Sebastiano eiusdem Ordinis Professam, Patria Astigiensem. Fundatur hoc Cœnobium sub eiusdem Religionis obedientia, & aliquibus Fratribus pro Monialibus gubernandis, & ab ipsis alendis ad eam Ciuitatem missis. Etsi postea, paupertate allegata, ab Illustrissimo Hispaniarum Nuncio obtinuerunt, vt sub Ordinarij Iurisdictione manerent, donec Conuentus Fratrum in ea Ciuitate esset.

Papæ concessio. 4 Expositum fuit Papæ Iulio Secundo per Prouincialem, Priores, & Fratres Prouinciæ Lombardiæ, quod in nostris Ecclesijs haberentur aliquæ Capellaniæ dotatæ, in quibus quotidie celebrare tenerentur, & earum dotes adeo tenues essent, vt nulla earum pro sustentatione vitæ vnius Religiosi sufficeret, ac proinde illis necessarium esset pro celebratione Missarum eleemosynas recipere. Pontifex ergo anno isto litteris datis Romæ apud Sanctum Petrum die duodecima Maij illis concessit, quod in eorum Missis continuè commemorationem generalem pro benefactoribus viuis, & defunctis, & in fine cuiuslibet anni Anniuersarium pro eis faciendo, tantum eisdem fidelibus prodessent, quantum si pro omnibus, & singulis particulariter celebrassent. Habetur Bulla in Archiuio Transpontinæ. Vide, quæ anno 1506. circa simile priuilegium diximus.

Generalis gesta. 5 Attendebat eodem anno Generalis Petrus Terrasse visitationi Siciliæ, præsertim Conuentuum Cataniæ, Leontini, & Panormi, quousque Romam tempore Autumni redijsset, & in Conuentu Transpontinæ moram faceret. Manuscript. Archiuij Transpontinæ *de gestis Petri Terrasse*.

Ioannes Souleus. 6 Vitæ cursum eodem anno Londini in Anglia fecit Ioannes Souleus eiusdem nationis, & nostræ Prouinciæ celebris Pater. Doctor erat Sacræ Theologiæ, & Concionator suo tempore celeberrimus. Vir fœlicis ingenij, tenacis memoriæ, promptissimæ linguæ, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio. Diui Pauli diligens Sectator, feruorem spiritus, & diuinæ gloriæ zelum, quem in eius scriptis deprehendebat, imitari satagebat. Nihil eorum in suis Concionibus omittens, quæ, vel auditores à vitijs deterrere, vel ad studium virtutis possent incendere, & vehementius inflammare. Scripsit Sermones ex Diuo Paulo *librum vnum*, Sermones per annum *librum vnum*, Diuisiones Thematum *librum vnum*, & alia. Commendatur hic Pater, à Balæo *in Catal. Script. Britt. Centur.* 6. vbi eum vocat *Magnum Pauli Apostoli buccinatorem*, Pitseo, Posseuino, & Biscarreto.

Obijt

7 Obijt eodem etiam anno Romæ existens Iacobus Reimolanus Gandensis Conuentus valde celebris Alumnus. Fuit enim Mathematicus, Rhetor, & Poeta insignis, & Doctor Parisiensis, iuxta Biscarretum. Generali Terrassæ Socius gratissimus extitit; cum quo Romam perrexit. Inde in Patriam reuersum non diu vixisse scribit idem Biscarretus. Magis tamen credimus Relationi Prouinciæ Belgij, quæ hoc anno Romæ obijsse affirmat. Scripsit plura, videlicet, Odas de Sancto Ioachimo; Vitam eiusdem; Epithalamium ad Bostium; Idyllion de bono coniugali; Epistolas carmine; De puritate Mariæ; Epigrammata quædam; Isagogem ad exhortationes; Sententias Christianorum; in Magistrum sententiarum; Et alia multa. De eo cum laude loquuntur Gaguinus, Trithemius, & Iodocus Badius. De isto Reimolano, quem alij Kermolaum appellant, loquitur Balæus, dum in Elogio Arnoldi Bostij, quod sub anno 1499. adduximus, Arnoldi industria factum esse, vt hic, quem Kermilanum vocat, transferretur *ad veram sapientiam, quæ in Sacris litteris continetur*.

Iacobus Reimolanus.

8 Hoc eodem anno Patres nostræ Mantuanæ Congregationis, qui, vt diximus anno 1506. primum habitare Florentiam venerunt, & Monasterium S. Clementis in via S. Galli incoluerunt, illud relinquentes translati sunt ad S. Barnabam, vbi erant Augustiniani Patres, ibique cum eis Monasterij partem retinentibus per 12. annos, vsque ad 1521. vt tunc dicemus, steterunt. Petrus Lucius *in Compend. Histor. Carmel. cap. 14.*

Conuentus Florent. Congregat.

Ann. Christi 1509. Iulij 2. Rom. Pontif. 6. Maximil Imp. 16. Petri Terrasse Generalat. 7.

1 FAtalis omnino Sereniss. Venetorum Reipublicæ præsens annus fuit; quo ad vltimum ferme exterminium redacta est. Papa siquidem non solum spiritualibus armis contra eos egit, sed & corporalibus etiam, ab eis auferens Fauentiam, Ariminum, Rauennam, Ceruiam, & quidquid de Pontificia ditione occupatum fuerat: Imperator Veronam, Vicentiam, & Patauium: Hispani, Tranum, Brundusium, Hidruntum, Molam, & quidquid in Regno Neapolitano obtinuerant: Galli Cremam, Cremonam, Bergomum, & Brixiam: & alij Principes alia: ita vt Turcicas copias auxiliares exposcere cogerentur; esto id non fecerint. Guicciardinus, Bembus, Iouius, Spondanus. Quia tamen Victoria hæc magnopere in decus, & auctoritatem Sedis Apostolicæ cedebat, noster perinde Baptista Mantuanus, egregio de hac re Poemate edito, quod inter opera ipsius per Laurentium Cuperum impressa habetur, eidem Papæ Iulio nuncupauit cuius hæc sunt priora carmina.

Gesta hoc anno.

Maxime quercentum Princeps, & summe Sacerdos
Qui iura, & leges Diuumque hominum gubernas,
Ense potens gemino, cuius vestigia adorant
Cæsar, & aurato vestiti murice Reges.
Non Italiæ solum Gentes, sed tota per Orbem
Sparsa tibi æternas grates Ecclesia soluit.
Nam postquam in Petri solium te Roma leuauit
In decus antiquum, maiestatemque vetustam
Publica res Christi tandem reuocata tyrannis
Respirare potest, & ducere gaudia victis.
Nunc Ariminicas eas arces, quas verberat ingens
Adria, Petrus habet, veteris nunc Sarsina Plauti
Patria deuenit Romam, diuturna Rauennæ
Iam iuga confractis proiecit in equora loris
Vis tua, & extincta est longeue iniuria fraudis.

Admonet postea eundem Pontificem, vt ad male compositos Romæ mores animum conuerteret memor Gregorij, Leonis, & Siluestri Summorum Pontificum prædecessorum, & ad bellum contra Turcas gerendum arma viresque transferret.

Gesta Generalis.

2 Eodem anno Generalis Terrasle non iam Ordinis Prouinciarum visitationi, vt in præcedentibus, sed Romæ in Conuentibus Transpontinæ, & S. Martini residens, bono regimini Religionis, litteris, & expeditionibus factis prouidebat. Quorum memoria gestorum, Diarij instar, cura, & diligentia eiusdem (quod satis laudabile) habetur in Manuscript. Archiuij Transpontinæ, de quo superius.

3 Erat autem, quod his annis prudentiam ipsius exerceret; noua scilicet erectio Conhregationis Albiensis nuncupatæ contra ipsius beneplacitum, quæ tanto illi grauiores afferre poterat molestias, quanto ipsius fautores, inter quos ipse Rex Ludouicus, potentiores erant. Sunt, qui dicant Generalem à Papa excommunicatum fuisse, & Congregationem ab ipsius iurisdictione exemptam. Sed licet hoc secundum credibile sit; non tamen primum: tum propter litteras eiusdem Iulij Papæ in fauorem Generalis, quas anno 1505 attulimus, tum quia semper Sedi Apostolicæ fuit obsequentissimus.

Conuentus del Melo.

4 Fundatur hoc anno Conuentus, cui titulus la Madonna del Melo nostræ Prouinciæ Romandiolæ. Sic enim habetur ex relatione Conuentuum Italiæ iussu Innoc. X. facta.

Martinus de Bergamus.

5 Sub eodem anno pro quarta vice Patres Mantuanæ Congregationis Noueclariæ electum in Vicarium Generalem habuerunt Patrem Martinum de Bergamo. Constitutiones Congregat. Mantuan.

Ann. Christi 1510. Iulij 2. Roman. Pontif. 7. Maximilian Imp 17. Petri Terrasse Generalat. 8.

1 Pontifex Iulius hoc anno Venetos Sacris restituit, quibusdam adiectis conditionibus in Apostolicæ Sedis fauorem; contra Gallos arma conuertit, & Hispanis fauet, Regnum Neapolitanum eis confirmans: Galli porro cum Cæsare nouum fœdus ineunt: sicque Italia tota tumultibus plena erat. Guicciardinus, Bembus, Mariana, Gordonus. Papæ gesta.

2 Sed nostri Carmelitæ interim hoc anno Neapoli Capitulum Generale celebrant, præsidente Reuerendissimo Terrasse 19. Maij in die Sancto Pentecostes. In quo primum more solito numerantur Diffinitores Prouinciarum, qui fuerunt numero 22. videlicet Siciliæ, Romæ, Franciæ, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Venetiarum, Alemaniæ superioris, Vasconię, Bohemiæ, Neapolis, Marchiæ Anconitanæ, Appuliæ, Terræ Sanctæ, Angliæ, Narbonæ, Alemaniæ inferioris, Tholosę, Cataloniæ, & Turonię. A quibus instituuntur Prouinciales 27. Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Alemaniæ inferioris, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Prouinciæ, Scotiæ, Thusciæ, Venetiarum, Tholosę, Catalonię, Alemanię superioris, Vasconię, Turonię, Saxonię, Castellę, Bethicę, Poloniæ, ac Bohemiæ, Neapolis, Marchiæ Anconitanæ, Appuliæ, & Daciæ. Prouincialis autem Hiberniæ, & Portugalliæ sicut, & Priores Romanus, & Parisiensis, relicti sunt arbitrio Generalis. Electus porrò fuit in Procuratorem Generalem Curiæ Magister Bernardinus de Senis. Liber Ord. à *fol.* 85. Capitulum Generale.

3 Deinde Ordinati sunt Lectores in Studijs Ordinis, & promouendi, & primo pro Parisiensi declaratur nullum ibi promoueri, donec terminata sit causa illius, intellige ratione discordiæ exortæ, propterea quod Congregatio Albiensis prædictum Cœnobium sibi arrogaueras. Ordinantur tamen Lectores, & promouendi in Studijs Tholosano, Bononiensi, Florentino, Perpiniacensi, Coloniensi, Illerdensi, Papiensi, Neapolitano, & Perusino; ac in Vniuersitatibus Montispesulani, Auenionensi, Bitturicarum, Cadomij, Viennæ, Cathurci, Burdegaliæ, Nannetarum, Pictauij, Andegauij, & Louanij. liber Ordinis *vt supra*. Ordinationes.

4 Quo ad decreta, inter alia minoris ponderis, quæ omittimus, Statutum est, vt de S. Ianuario Episcopo, & Martyre fieret Officium nouem Lectionum per totum Ordinem die 19. Septembris. Item quod omnia Suffragia consueta, hoc est, de Resurrectione, de B. Domina, de S. Anna, de Angelis, dicerentur, tam in Matutinis, quam in Vesperis post Officium Decreta.

paruum B. Mariæ. Item quod quilibet Prouinciales in sua Prouincia haberet ordinare, & deligere vnum Magistrum Doctorem legentem in aliqua Vniuersitate suæ Prouinciç sub pœna, &c. lib. Ord. *vt supra*.

Grauiores Patres. 5 Grauiores in hoc Capitulo nominati Patres sunt, Magister Petrus Terrasse Prior Generalis Ordinis; Magister Bernardinus de Senis Procurator Ordinis; Magister Ioannes de Nussia Prouincialis Alemaniç inferioris, de quibus cum alijs suis dicetur locis.

Beethicæ Prouincia. 6 In hoc Capitulo, vt ex Actis ipsius constat, primò commemorata cernitur Prouincia Beethica cum ipsius Prouinciali Luca de S. Vincentio à Prouincia Castellç separata, iuxta dicta sub anno 1508. vt propterea, tam in hoc Capitulo, quam in subsequenti anno 1513. post illam numeretur.

Cardinal. Gonzaga. 7 Erat sub hoc anno Ordinis Protector Cardinalis Sigismundus Gonzaga à Iulio Secundo creatus anno 1505. Constat enim ex Manuscript. Archiuij Transpontinæ de gestis Petri Terrasse sub hoc anno ad instantiam ipsius concessisse Generalem Prioratum de Cenzani Patri Hieronymo de Soldo.

Conuentus de la Forma 8 Præsenti anno quidam Ioannes Gorradus de Insula Rector Ecclesiæ Virginis de la Forma ipsam renunciauit in manibus Iasoni de Massinis Episcopi Sorani, in fauorem Fratrum Congregationis Mantuanæ, ipsamque recepit Augustinus de Gastrerago eiusdem Congregationis, ea cum obligatione, soluendi videlicet singulis annis duas libras cæræ Cathedrali Sorensi. Hæc porro Inuestitura facta est ad instantiam cuiusdam Illustrissimæ fœminæ Domus Gonzagæ vxoris Francisci Mariæ Ducis de Sora, & Præfecti Romæ, Nepotis Iulij Secundi Summ. Pontificis. Hæc cum alijs ad istud Cœnobium spectantibus ex Archiuio Sancti Chrysogoni habentur.

Conuentus Lauretæ. 9 Conuentus etiam Sanctæ Mariæ Lauretæ in loco Campaniæ, iuxta Mantuam hoc anno initium habuit; occasione videlicet cuiusdam diuinæ reuelationis Francisco Secundo Mantuæ Marchioni, per Eremitam quemdam manifestatæ, dum animi laxationis gratia circa eum locum venationi vacaret. Est sub nostrorum Mantuanæ Congregationis PP. ditione. Et de eo aliqua legimus in relatione Conuentuum eiusdem per P. Guargantum diligenter scripta.

Mercati. 10 Quo etiam anno Conuentus Mercati Sarraceni ad Prouinciam Romandiolam spectans, fundatus est ex Superiorum consensu: prout ex Relatione Conuentuum Italiæ facta ex ordine Innocentij Decimi Pontif. Max. haurimus. Vbi etiam, quod titulo Sanctissimæ Virginis Annunciatæ gaudeat.

Ann.

Ann. Christi 1511. Iulij 2. Roman. Pontif. 8. Maximilian. Imperat. 17. Petri Terrasse Generalat. 9.

1 Vm Pontifex, Hispani, & Veneti, vario Marte resistunt hoc anno Cæsarianis, & Gallis militibus, Principes agunt magno conatu de conuocando Concilio, Conciliabulo potius, Pisis, Mediolani postea, damnato in Lateranensi Synodo sub eodem Pontifice, Guicciardinus, Anglerius, Gordonus, Bzouius. Vtilius pro Fidei propagatione laborabat Emmanuel Rex Lusitaniæ in Indijs Orientalibus, Malacam totius Indiæ nobile Emporium capiens, & in ijs vastissimis Regionibus Euangelij semina iaciens. Ossorius, Maseus, Mariana. Bella hoc tempore.

2 Grauis infirmitas hoc anno cepit Reuerendissimum Generalem Terrasse, ita vt eodem anno, vel initio sequentis, diem suum obierit. Constat enim ex Libro manu scripto de gestis ipsius, quem in Archiuio Transpontinæ diximus reperiri, à die decima octaua Septembris huius anni, nullam vlterius de ipso, vel litteris ab ipso expeditis fieri mentionem. Vnde eo tempore morbo præoccupatum existimamus. Fuit hic Pater natione Hispanus, vt astruunt Didacus de Coria *in Chronic. Carmelitarum, lib. 12. cap. 6.* Franciscus Cherascus *in Catalogo Generalium.* Emmanuel Romanus *elucidat. 26.* Patria Catalanus, vt idem Coria, & Romanus testantur. Lector fuit designatus pro Conuentu Auenionensi in Capitulo Generali Brixiensi anno 1478. Tantæque auctoritatis in Ordine, vt in Capitulo Generali Nemausensi anno 1498. nedum Prouincialis Romæ, & Procurator Generalis, sed & Vicarius Generalis in Italia cum *plenitudine potestatis* nominatus sit, & ipsi commissa electio Prouincialis Neapolitani. Deinde post obitum Generalis Pontij Rainaudi, Vicarius Generalis Apostolicus auctoritate Alexandri Sexti fuit, & huic Pontifici valde gratus, vt propterea ab ipso Commissarius, & Collector Auenione Apostolicus, imò, & Legatus Auenione constitutus fuerit, vt ann. 1501. & 1502. dictum. Sequenti porro anno, in Conuentu, & Capitulo Placentino in Generalem Ordinis electus, multa pro ipsius reformatione egit, visitando præsertim personaliter Angliam, Galliam, Italiam, & Siciliam, vt vidimus. Erat autem vir in Diuinis scripturis eruditus, Concionator celebris, humilis, & blandus eloquio, modestus, & strenuus in agendis. Neapoli tandem anno proxime præcedenti Capitulum Generale conuocauit. De hoc Generali loquuntur Ordinis Historici, specialiter Coria, Cherascus, Baptista Cataneis, Romanus, Biscarretus, & alij, & de exteris Robertus Lingonensis *in Gallia Christiana* in Tractatu de Generalibus Carmelitarum. Obitus Generalis.

Post

Bernardin. de Senis.

3 Post ipsius obitum, Vicarius Generalis Ordinis fuit Magister Bernardinus Landucius de Senis, qui munus etiam Procuratoris Generalis exercebat. Constat hoc ex litteris Papæ Iulij Secundi ad ipsum datis, quas anno sequenti referimus. Ipso quoque, vt credi potest, procurante, Iulius Papa concessit viuæ vocis Oraculo Cardinali de Frisco Viceprotectori 24. Octobris hoc anno, vt Fratres Congregationis possent in locis interdictis manere, & ibi celebrare; ac visitari à suo Vicario Generali. Archiuium Sancti Chrysogoni.

Monaldus de Rosarijs.

4 Obijt eodem anno celebris alter Ordinis nostri Pater Menaldus, seu Monaldus de Rosarijs Burdegalensis, Theologus Parisiensis insignis. Vir erat in omni scientiarum genere; præsertim in vtroque Iure, optime versatus. Hic Pater in Capitulo Generali Rupeculę anno 1488. Lector Parisiensis pro sequenti anno designatus fuit. Deinde in Capitulo Generali Sancti Martini de Montibus anno 1492. Diffinitor, & secundus Socius Prouincię Vasconiæ fuit. Postea in Capitulo Generali Placentino anno 1503. Diffinitor etiam erat, & Prouincialis Vasconiæ. Reliquit post se scripta; Insigne Opus de pœnitentijs, & remissionibus tribus libris digestum; item luculentam expositionem decretalis *Omnis vtriusque sexus*, ac egregium Quadragesimale, quæ omnia extare dicuntur in Sacro Virginum Monasterio (quod ab Etruscis appellatur Sancto Gagio) in Suburbio Florentino. De hoc Patre Petrus Lucius *in Bibliotheca Carmelitana*. Posseuinus *in Apparatu Sacro*, vbi eum obijsse anno 1513. describit, & Biscarretus, qui plura de ipso notat, ac obijsse anno 1508,

Arnoldus Auedelius.

5 Circa idem tempus clarus erat Arnoldus Auedelius de Senis Vasco, quem credimus eumdem esse, ac Arnoldum de Aula Prouincię Vasconię, qui in Capitulo Generali Placentino anno 1503. ordinatur Lector promouendus Tholosę anno 1508. Hic Pater sui ingenij specimen prębuit libris à se editis. Scripsit enim Officium Diui Angeli Hierosolymitani *librum vnum*, Epistolas elegantes *librum vnum*, aduersus futurorum pręsagos *librum vnum*, contra quorundam diffamationem *librum vnum*, super quosdam Canones *librum vnum*. De eo Gesnerus, Posseuinus, & Biscarretus.

Antonius Auerarius.

6 Electus est eodem anno in Vicarium Generalem Congregationis Mantuanorum Patrum Mutinę Pater Antonius Auerarius. Constitutiones Congregationis Mantuanę. Fuit hic Pater Vir doctus, & discipulus Baptistę Mantuani, vt anno 1517. dicemus. Gesnerus *in Bibliotheca*, Antonius Posseuinus *in Apparatu Sacro in Appendice*.

Conuentus Riuoli.

7 Quo etiam anno Conuentus Riuoli, consentiente Serenissimo Duce Sabaudię, & Vicario Generali Episcopali, sub titulo Sanctissimę Virginis de Misericordia institutus est extra dictam Terram. Ex Relatione Conuentuum Italię sub Innocentio X.

Giennensis.

8 Giennensis Conuentus Prouincię Bœticę fundatus hoc tempore in quodam Eremitorio Beatę Marię Virginis, *Coronatæ* vulgariter nuncu-

patę

patæ. Eſt autem in prædicto Conuentu Imago lignea, opere Gothico inciſa eiuſdem Beatæ Mariæ, quæ ſub terra cum campana habens coronam in capite à quibuſdam agricolis inuenta tempore recuperati Gienij per Chriſtianos à Mauris refertur. Vnde ab antiquis Chriſtianis ante captiuitatem fabricata, & abſcondita meritò creditur: ipſa verò Imagine poſt inuentionem miraculis corruſcante, Gienenſes propè Ciuitatem Eremitorium ædificandum curarunt, & milites balliſtarij ab eadem Beata Virgine contra Mauros Granatenſes ſæpe miraculosè protecti ſub eius aduocatione in Eremitorio Confraternitatem inſtituunt, & in obſequium Beatæ Mariæ adhuc perſeuerant deuoti. Ita ex Relatione Patris Magiſtri Queſada. Similia ferme Ægidius Gonzalez Dauila 1. tom. dum de Eccleſia Giennenſi hiſtoriam texit. Hauriat Lector hanc Sacram Deiparæ Iconem à Gothorum tempore in Hiſpania veneratam, ad noſtros fauſta ſorte deueniſſe: etſi non eodem loco; ſed primo mutato ob aeris intemperiem. Alia de hoc Cœnobio in ſequenti tomo dici poterunt.

Ann. Chriſt. 1512. Iulij. 2. Roman. Pontif. 9. Maximiliani Imper. 18. Bernardini de Senis Vicar. General.

1 MOnſtra, & prodigia hoc anno in Italia viſa, de quibus Gomezius, Rubeus, Bzouius, & Spondanus, clarè ſatis ipſius calamitates portendebant. Ferrarienſis enim Dux cum Gallis bellum contra Papam gerebat; ij Rauennam expugnabant; Roma metuebat; & inter Iulium, & Cæſarem diſſenſio cernebatur, Guicciardinus, & relati Authores, Concilium tamen Lateranenſe celebrabatur pro moribus reformandis, & Piſano Conciliabulo reprobando, Honuphrius, Gordonus, & citati. Bella in Italia.

2 Celebrandum etiam erat generale Ordinis Capitulum ob mortem Generalis Petri Terraſſe, quia tamen eo tempore bellorum turbine Italia vexabatur, ideo Pontifex Iulius litteris datis ad Magiſtrum Bernardinum de Senis Ordinis Generalem Vicarium, ſub die octaua Martij præſentis anni 1512. celebrationem Capituli ad vnum annum à Feſto Pentecoſtes proximè futuro, auctoritate Apoſtolica prorogauit. Extat Diploma in Archiuio Tranſpontinæ. Papæ conceſſio.

3 Similiter, cum, iuxta Capituli Generalis Neapolitani decretum, proximè futurum Capitulum celebrandum eſſet Barcinone in Catalonia, Pontifex motu proprio, & ex certa ſcientia litteris datis ad eumdem Bernardinum Generalem Vicarium ſub die decima octaua Octobris præcepit, vt celebraretur in Conuentu Senarum. Cauſas huius mutationis Alia.

affignat

assignat Pontifex, distantiam dicti Conuentus Barcinonensis à Romana Curia, & quod non esset sufficiens pro toto Capitulo. Sed non incongruè etiam suspicari possumus Bernardinum Vicarium desiderasse ipsius Conuentum, Senarum scilicet, Capituli celebratione decorare. Diploma habetur in Archiuio Transpontinæ.

Conuentus Prouerti.

4 Concessit eodem anno die vigesima quarta mensis Ianuarij *Sacrosancta* Lateranensis Ecclesia Magistro Alberto Patauino Carrariensi, Ordinis nostri Ecclesiam quamdam Montis *Sanctæ* Catharinæ in Plebe Prouerti nullius Diœcesis extra Castrum Durantinum circa milliaria tria spectantem ad ipsam Lateranensem Ecclesiam. Habetur instrumentum concessionis in Archiuio Transpontinæ.

Casus Rauennæ.

5 Accidit hoc anno, vt cum, iuxta dicta, à Francis expugnaretur vetustissima Ciuitas Rauennæ, improba Gregariorum militum rabies prohiberi nequiuerit, ne insolenter contra Sacra se gereret. Pro quo, & pietatem cuiusdam è nostris, audiri meretur Hieronymus Rubeus, qui consanguineus erat talis Religiosi, & Ioannis Baptistæ Rubei postea Ordinis Generalis. Sic igitur *lib. 8. histor. Rauenn.* rem narrat. *Nec diu post; cum tumultus non nihil deferbuisset, Germanus miles Diu. Ioannis Baptistæ Ædem* (idest Monasterium Carmelitarum) *ingressus, impie Sanctissimam Christi Corpus Hostiam, vt argenteum, in quo includebatur loculum suffuraretur, in terram deiecit. Quo facinore grauiter commotus cucullatus Carmelitanus Petrus Ioannes Rubeus Dominici Aui mei frater, ad quem fuerat facinus delatum, accurrens, nec quidquam hæsitans, ad eum conuersus. loculum, inquit, istud mihi reddito, improbe: ille stupidus, & timore perculsus, ne verbo quidem prolato, cum loculum restituisset, Rubeus, Corporis Christi repositam ibi Hostiam, perpaucis, quo in via reperit accitis, vt se diuinam ferentem Hostiam, cereis accensis comitarentur, ad Alphonsi Estensis Ferrariæ Ducis hospitium, quod secundo ab Vrbe lapide aberat, ad montonis enim ripam per ruinas prostrati muri egressus detulit. Quam Estensis honorificentissima locatam accensis funalibus habuit apud se ingenti veneratione donec omnia in tuto essent.* Rubeus, vt supra, Bzouius sub hoc anno num. 1.

Ann. Christi 1513. Leonis 10. Roman. Pontif. 1. Maxim. Imperat. 19. Baptistæ Mantuani Generalat. 1.

Leonis Papæ electio.

1 Pontifex Iulius mense Februarij huius anni dolore, ob bellica negotia vitam finiuit, Leonem Decimum Papam pacificum, & Religiosis benignissimum successorem habens. Honuphr. Ciaconius. Sub eo finitum est Concilium Lateranense, quod annis quinque

que durauit. Honuphrius, Gordonus. Recuperare contendens Galliarum Rex Mediolanum, cogitur Italiam relinquere Hispanis. Bembus, Iouius, & Gordonus.

De Baptista Mantuano Generali 28.

2 CElebrandum erat hoc anno Ordinis Capitulum Generale Senis, iuxta Diploma Iulij Secundi, de quo anno præcedenti egimus, nihilominus non Senis, sed Romæ habitum fuit, causa forsan Concilij Lateranensis à Iulio Papa inchoati, & à Leone prosecuti. Indictus ergo Romæ in Conuentu Sancti Martini de Montibus die vigesima secunda Maij, Vigilia Sanctissimæ Trinitatis, præsidente Auctoritate Apostolica eidem per Breue collata Cardinali Sigismundo Gonzaga Ordinis Protectore Capitulum celebrari cepit. In eo primum in Generalem ab omnibus, duobus exceptis, electus est Magister Baptista Mantuanus clarissimus ea tempestate Ordinis Pater, & qui absens erat à Capitulo, vt creditur Ferrariæ, vbi eodem tempore, iam pro sexta vice in Vicarium Generalem Congregationis Mantuanorum Patrum eligebatur. Eius loco præfatus Cardinalis Protector auctoritate Apostolica sibi in Breui collata Magistrum Bernardinum de Senis, præsidem Capituli, & Vicarium Generalem instituit. Liber Ordinis fol. 89. Capitulum Generale.

3 Numerantur in Capitulo quindecim solum Diffinitores totidem Prouinciarum, quia forsan belli incommodis pluros venire non potuerunt. Ab eis autem instituti sunt, Prouinciales viginti quinque Prouinciarum, videlicet, Terræ Sanctæ, Siciliæ, Angliæ, Narbonæ, Romæ, Franciæ, Lombardiæ, Aquitaniæ, Aragoniæ, Hiberniæ, Prouinciæ, Thusciæ, Venetiarum, Cataloniæ, Alemaniæ Superioris, Vasconiæ, Turoniæ, Saxoniæ, Castellæ, Bethicæ, Poloniæ, Bohemiæ, Neapolis, Marchiæ Anconitanæ, Appuliæ, & Daciæ. Prouincialatus Scotiæ, & Tholosæ relicti sunt voluntati Generalis; Prouincialis autem Portugaliæ renunciauit Officium, & prouisum de illo, quod Prouincia congregaretur pro electione facienda, Institutus etiam est Procurator Ordinis, Priores autem Parisiorum, & Romanæ Curiæ arbitrio Generalis remissi. Quoad Ordinationes promotorum pro Parisijs, & Tholosæ, relictæ sunt in pectore Generalis. Louanij autem, Papiæ, Bituricis, & Cadomij Lectores designati sunt, ac Papiæ, & Bononiæ Studentes. Liber Ordinis fol. 90. Acta in Capitulo.

4 Quoad decreta, plura, quam in præcedentibus Capitulis pro bono Ordinis regimine statuta sunt. Principaliora hæc. Primum, de non recurrendo ad sæculares. Secundum, de vniformitate habitus, pro quo hortati sunt Reuerendissimum Generalem, vt se cum aliis Fratribus confirmaret in habitu nigro. Tertium, de erectione Studiorum in Conuentibus, maxime Romano, Neapolitano, Florentino, Papiensi, & Cataniensi, Decreta.

Quartum, de Officio Prouincialatus non nisi per sexennium, maximè in Prouincijs Italiæ, exerceudo. Quintum, de non promouendis ad Prælaturas, nisi probioribus. Liber Ordinis fol. 9.

Patres grauiores.

5 Grauiores Patres, qui in hoc Capitulo recensentur, sunt Reuerendissimus Baptista Mantuanus Generalis Ordinis; Magister Bernardinus de Senis Vicarius Generalis, Prouincialis Romæ, ac Procurator Ordinis; Magister Ioannes Vvirich de Nussia Prouincialis Franciæ, de quibus cum alijs, suis locis dicetur.

Congregatio Albiensis

6 Post celebratum Capitulum, cum Albiensis Congregationis auctores cernerent Generalem Baptistá Mantuanum, Ordinis reformationem semper desiderasse, & in Congregatione Mantuana, cuius caput per duodecim fermè annos fuerat, verbo, & opere ardenter promouisse, eadem sibi promittentes; pro prædictæ Congregationis firmitate, & indemnitate, ad Leonem Papam recurrere statuerunt. Proinde Ludouicus Duodecimus Galliæ Rex, suo, & Ludouici de Lyra Prioris Parisiensis (authoritate absdubiè eiusdem Generalis constituti) nomine, Papæ exposuit, quod ipse Rex Ludouicus zelo Religionis, & obseruantiæ nostrę Religionis inductus, erigi, & constitui fecerat prædictam Albiensem Congregationem in Galliarum Regnis, & quod Georgius Cardinalis in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatus illi concesserat, quod per vnum Vicarium Generalem ad instar Congregationis Mantuanæ regeretur, cum omnibus gratijs, priuilegijs, & indultis eidem concessis: quæ postulabat, auctoritate Apostolica confirmari. Pontifex ergo precibus Regis annuens litteris datis sub hoc anno decima septima Kalendas Octobris institutam Congregationem Albiensem, approbauit, & confirmauit, concedens habere posse Vicarium Generalem per triennium, & eligendum in Congregationis Generali Capitulo, qui posset recipere Domos, Conuentus, & Fratres Congregationi aggregari cupientes, & eandem auctoritatem in ipsos habere, ac Prior Generalis in suos subditos, aliaque similia priuilegia; prout patent ex prædictis Apostolicis litteris, quæ habentur in Archiuio Transpontinæ, & in scripturis processuum Actorum in extinctione dictæ Congregationis.

Conuentus Vilnensis.

7 Circa hunc annum fundatus dicitur Vilnensis Conuentus Sancti Georgij Polonicæ Prouinciæ, ab Illustrissimo Domino Nicolao Radzicu lo Generali Exercitus Lituaniensis. Idque ex voto, quod vouerat ante quam manus consereret cum Tartarorum ad Oppidum Klecz copijs. Quibus debellatis, profligatis, planeque ad internecionem deletis, gratus beneficij, voto satisfecit, Ecclesiamque, vna cum Cœnobio constru xit. Quam fundationem Leo Papa Decimus, anno 1517. confirmauit, & pijssimi Poloniæ Reges, nempe Sigismundus primus, & tertius, suis priuilegijs ratificarunt. Sic ex relatu Prouinciæ.

Antiquariensis.

8 Antiquariensis Fratrum Ordinis nostri Conuentus Prouinciæ Bœ-

thicæ, ſub decima nona menſis Octobris anni præſentis, & titulo Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in Eremitorio Sancti Sebaſtiani, tunc ſuburbano, per Reuerendum Patrem Frat. Ioannem de Ortega, & Frat. Auguſtinum illius Socium fundatur. Vnde ſextum locum obtinet in Prouincia. Conſtat autem fundatio ſub die, menſe, & anno prædictis, ex Libro Senatus Antiquarienſis, & ex copia quadam authentica ex eodem Libro deſumpta, & in Archiuio Conuentus adhuc ſeruata. Hæc ex Relatione R. P. M. Queſada.

9 Eodem anno Hiſpalenſis Monialium Carmelitarum Conuentus, ſub titulo Incarnationis Dominicæ, propè, & intra Parochialem Eccleſiam Sanctæ Marinæ, per pijſſimam quandam Matronam, Agnetem de Sancto Michaele vocatam, fundatus refertur. Per quam etiam Conuentus Monialium, qui nunc ſub titulo Conceptionis, propè Parochialem Sancti Michaelis, Eccleſiam, poteſtati Archiepiſcopali ſubiectus exiſtit, dicitur fuiſſe fundatus, & per multos annos ab Hiſpalenſibus Carmelitis ſolitus gubernari. Qualiter autem, aut quando ab Ordine noſtro fugerit exemptus, nullus commemorat. Hæc ex Relatione præfati Reu. P. Mag. Queſada. Hiſpalenſis Monialium.

10 Quo inſuper anno, ſpecialiſſima Dei actum prouidentia, vt Cœnobium Monialium Abulenſe, de *Incarnatione* nuncupatum, noſtro Ordini adderetur. Fuit etenim Domus iſta, inſtar Paradiſi Viridarium, in quo pulcherrimi flores, Virgines nempe plurimæ, Deo, & Eccleſiæ odorem ſuauiſſimum efflantes, Orbi effulſerunt. Ipſarum Parens, & Primiceria iure cenſetur noſtra Seraphica Virgo Sancta Thereſia, Hiſpaniæ, & Religionis ſplendidiſsimum iubar, in hoc Cœnobio ſub Virgineo Mariæ ſtemmate militiæ ſpiritalis tyrocinium, & propè Angelicam vitam plures per annos, vt ſequens Tomus demonſtrabit, gerens. Auſpicia habuit ex pietate Dominæ Eluiræ de Medina, Domus Fundatricis, in Fundo Maioratus Sancti Michaelis, de Arroio dicti, extra Ciuitatem, Septentrionem verſus, non valde diſsito; quin potius veluti in fronte obiecto noſtrorum Fratrum Conuentui, qui ſupra Vrbis muros extructus, hanc Sanctimonialium Sacram Domum præ oculis veluti ſemper habet. Creuit temporis curſu in valde nobilem fabricam, Templum excellens, Clauſtrum ingens ſingulariter, Hortum, & Viridarium ſpatioſum, officinas, & cameras, tot, ac tales, vt circa annum 1550. quo, vel circiter Sancta Thereſia ibi morabatur, 190, Moniales capere poſſent. Sic enim ex varijs monumentis extrahi teſtatur Pater Franciſcus de Sancta Maria Generalis Chronologus in Hiſtoria clariſſimæ Reformationis noſtrorum Patrum Excalceatorum *lib. 1. cap. 9. num. primo*. Huius porro Cœnobij ſtructura ſpiritualis, ob Virgines, quæ in eo manſionem habuerunt, adeo celeberrima eſt, vt vix Quintus ſequens Tomus ipſarum ſanctimoniæ ſplendorem delineare poſſit; præſertim, ſi earum Ve- Cœnobium Abul. Monial.

xilliferę Thereſiæ geſta enarrare nitatur. Vtinam mihi à Deo permittatur, quod in earum preconijs celebrandis (vt vel inde fructum aliquem pro anima mea iam ſenior, & ſeptuagenarius haurire queam) vi æ curſum peragam. Id cœterum vnum annotare liceat, præter Viraginem illam Thereſiam, non paucas alias numerari poſſe cœleſti Sponſo Chriſto in hoc veluti Thalamo, virtutum ſplendore claruiſſe. Recenſet is, qui ſupra Pater Franciſcus à Sancta Maria, Annam Mariam de Ieſu Salmanticenſem; Mariam Maldonatam Abulenſem; Dominam Franciſcam de Bracamonte nobiliſsimam etiam Abulenſem; Dominam Antoniam de Aguila æque nobilitatis ſplendore perilluſtrem; Franciſcam de Valuerde Abulenſem quoque; Catharinam de Ieſu Conuerſam; Dominam Thereſiam de Queſada; Dominam Antoniam Monrroi; Dominam Quiteriam de Auila, ex præcipuis Hiſpaniæ Familijs, Ac veluti pro Coronide Venerabilem, & contemplatiuum Patrem Ioannem de Cruce, huius Conuentus certo tempore Vicarium, & Confeſſorem. Huius porro cœleſtis Pomerij germina longiorem Hiſtoriam expetunt.

Ann. Chriſti 1514. Leon. 10. Roman. Pontif. 2. Maximilian Imp. 20. Baptiſtæ Mantuani Generalat. 2.

Emmanuel Luſitaniæ Rex.

1 REx Emmanuel Luſitanus Legatos ad Papam, & Lateranenſem Synodum miſit, & pro obedientia præſtanda, &, vt munera pretioſa, ac donaria omnino ſingularia deferrent, ac inter ea Elephantum Indicum miræ magnitudinis, qui ad præſentiam Pontificis ter genibus flexus, ſalutauerit, ſimulque pantheram Venaticam equi Perſici tergo inſidentem, Oſſorius, Mariana, Spondanus, Papa cum Concilio plura pie ſtatuit circa promouendos ad dignitates Eccleſiaſticas, Dominos Cardinales, reformationem Curiæ; & contra blaſphemos, Sodomitas, Simoniacos, & alios. Bulla apud Bzouium.

Baptiſta Mantuanus.

2 Iam, quæ pius, & grauiſſimus Generalis Mantuanus hoc anno pro ſibi commiſſi gregis conſeruatione geſſerit, quis enarrare poterit? Verbo, & exemplo, quibus præerat, proficere curabat; cunctos, aut fratres, vel filios, eos præſertim, quos per reformatæ vitæ tramitem incedere conſpexerat, diligebat; Ordinis Congregationibus nedum Mantuanæ, cuius ipſe Alumnus, ſed, & Albienſi nuper adinuentæ opem ferebat: quæ enim, vel ſpecietenus, ſtrictioris obſeruantiæ ſpecimen præbebant, fouere, ſui officij partes eſſe iure exiſtimabat. Reſtricta illi fuerat Generalis auctoritas, in Capitulo Generali proximè præcedenti, circa Prouinciales in ſuis officijs non impediendos, & Conuentus Religionis obſer-

obseruantioribus Fratribus non concedendos, nihilominus, qua poterat industria, Prouinciales rectè in officij munere exercendo se gerentes ope, & consilio souebat, negligentibus autem, arguens, obsecrans, increpans, in omni patientia, & doctrina, aderat,

3 Quia tamen in præfato Generali Capitulo statutum erat, vt Prouinciales per sexennium in Prouincialatu gerendo permanerent, credens hoc Fratrum, & Domorum Ordinis statui prospero in spiritualibus, & temporalibus aduersari, à Summo Pontifice Leone Breue impetrauit, quo Papa statuit, & decreuit, quod ex tunc in perpetuum Prouinciales ad triennium duntaxat eligi, & deputari deberent, & quod Prouinciales in præfato Capitulo Generali electi, vel confirmati, finito triennio à die celebrationis dicti Capituli Generalis computandi, Officium deponerent, harum litterarum fit mentio in alijs, de quibus anno 1517. dicemus, quæ habentur in Archiuio Transpontinæ.

4 Quo etiam anno Magister Vgolinus Marengius Prouinciæ Lombardiæ Alumnus, Cœnobium Montis Olivueti dictum, extra Ciuitatem Ianuensem septem circiter milliaribus distans, extrui curauit. Sub obedientia tamen immediata, non alicuius Prouinciç, seu Congregationis Ordinis, sed ipsius Generalis. In eo id speciale, quod Eugenij Quarti, mitigatione reiecta, Regulam Ordinis, prout ab Innocentio Quarto declaratam obseruent, Priorem, & Officiales annis singulis ex se ipsis eligunt Fratres in eo commorantes, nec ab alio, quam à Generali, vel de eius speciali commissione visitationem admittunt. Franciscus Voersius Cherascus in Libro, cui titulus *Giardino de' Tesori Spirituali de' Carmelitani*. Conuentus Montis Oliueti.

5 Claruit eodem anno in Ordine nostro, & Germaniæ partiqus Petrus Svvicher, Cœnobij Herbipolensis Prior, & Sanctæ Theologiæ in Gymnasio Ingolstadiensi Licentiatus. Non otiosam hunc Patrem egisse vitam, quæ post se scripta reliquit manifestant. Scripsit enim super Sententias *lib. quatuor*, in Psalmos Pœnitentiales *librum vnum*. Item, insigne volumen, nuncupatum, Expositionem Canonis Missæ, & Sermones varios. De eo Trithemius de miraculis Diui Gregorij *in Vrticeto, lib. 1. cap. 1.* Emmanuel Romanus *de Antiquitate, & Scriptoribus Carmelitarum*. Petrus Suuicher.

6 Monasterium etiam Sanctæ Mariæ de Plano iuxta Oppidum Tripe in Sicilia hoc anno erectum per M. Mathæum la orrona, Ordinis nostri Alumnum, Ex consensu Illustrissimi Domini Antonij de Lignamine Messanensis Archiepiscopi, eo sub onere, vt singulis annis vnum grossum, & dui baiocchi Cameræ Episcopali solui deberet. Ex Relatione sub Innoc. X. Conuentus del Plano.

7 Circa quod etiam tempus aliud in eodem Siciliç Regno conditum Monasterium in Vrbe *Terra noua*, *Heraclea* dicta, iuxta ipsius muros sub Terra noua

titulo

titulo Sanctimæ Annunciatæ: ad cuius Ecclesiam magna est populi deuotio, ob Deiparam Sanctissimam, ac etiam ob Imaginem miraculosissimi Crucifixi, quæ ingenti veneratione ab Incolis, & aduenis colitur: maximè propter insigne, & authenticum miraculum plurium testimonio iurato confirmatum, de sudore huius Sacræ Imaginis, etiam sanguineo, ex latere: prout vidimus, & extat in Archiuio Transpontinæ. Propter inuasiones Turcarum huius Conuentus monumenta periere; eo excepto, quod in Ecclesiæ ianua legitur, quod Prior eius Conuentus fundator obierit anno 1515. & sic ad minus pro hoc anno eius fundatio referenda. De eo etiam in Relatione facta ob iussu Innoc. X.

Pistoriæ.

8 Datum etiam est Vicario Generali Congregationis Mantuanæ Conuentus Pistoriensis à Leone Decimo sub litteris hoc anno Romæ apud Sanctum Petrum 24. Maij: intuitu videlicet, reformationis in eo Conuentu introducendæ, & postulantibus Præpositis eiusdem Ciuitatis.

Ann. Christi 1515. Leon. 10. Roman. Pontif. 3. Maximilian. Imperat. 21. Baptistæ Mantuani Generalat. 3.

Remissio historiæ.

1 HVius, & sequentium annorum Historiam Quinto Tomo elucidandam, si vita comes fuerit, remittimus. Cum enim annus iste Sanctæ Theresiæ Virginis, & Ordinis nostri singularissimæ Reformatricis, natalitius sit, merito ab eo auspicandus, vel in collati nobis beneficij à Deo ob tantæ Virginis ortum, quæ velut alter Eliseus, duplicem Eliæ spiritum habens, nouum Carmelum in Hesperiæ partibus florescere fecit. Hinc, cum Primus nostrorum Annalium Tomus Carmeli Ordinem sub Prophetis Prophetalem descripserit; Secundus, & Tertius Monachalem sub Monachis; ac denique Quartus iste inter Mendicantes Mendicantem; Quintus nouiter Reformatum sub Theresiana maximè Reformatione Orbi toti clarissima, cui & nonnullæ aliæ etiam conspicuæ additæ sunt, Christo Duce, elucidabit.

Ad Laudem Omnipotentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Dei Genitricis Ordinis Patronæ, & SS. Prophetarum Eliæ, & Elisei Ducum, & Patriarcharum.





APPENDIX
Ad dicta in hoc Quarto Tomo
ANNALIVM CARMELITARVM.



Ad Annum 1251.



FVNDATIO Conuentus Sanctissimæ Virginis Carmelitarum Monialium in veteri Castella, & Oppido de Fontiberos circa hoc tempus contigisse videtur, prout ex Relatione ad nos missa ad minimum elici valet; cum in ipsa dicatur ante quingentos annos contigisse. Sed melius suspicamur occasione deuotionis erga Sacrũ Scapulare Ordinis, quæ hoc tempore propagabatur, accidisse. Traditur autem nobiles quasdam fœminas eius Oppidi, instar Tertiariarum, seu Pizoccherarum, Religiosæ vitæ desiderio insimul conuenisse, itavt ad Ecclesiam ad audiendum Sacrum, etiam coniunctim incederent, quæ postea currenti tempore clausuræ, & trium Votorum ligamini se astrinxerunt. Inter ipsas, præ cœteris veluti insigniori probitatis nominantur Domina Agnes de Castellanos, de qua plura quo ad raptus, seu extasis, & quandoque Christi apparitionem illam monentis, vt ad Chorum pergeret pro Diuini Officij celebratione. Deuotissima quoq; dicitur fuisse Sancto Ioanni Euangelistę, & idcirco ipsius festiuitatem quotannis celebrasse: & cum quandoque propter paupertatem, cum id efficere non posset, in oratione positã ipsum Conuentus Fontiberos.

 San-

Sanctum vidisse ipsi dicentem se satis contentum fuisse eius bona voluntate. Altera simili die, cum vellet idem Festum solemniter celebrare, postulauit à Sancto, vt ipsi concederet aliquid, in quo pati posset: idcirco grauissima, & medici iudicio mortifera febri affecta fuit vsque ad sequentem diem, quo omnino libera, & incolumis fuit reperta. Fuit & alia magnæ sanctitatis Monialis, nomine Anna de Herrera, eius Oppidi natiua, de qua dicitur, per spatium quadraginta annorum nunquam in lecto accubuisse, & quod sui obitus die reperta fuerit cincta catenis, quasi in carne sua sepultis. Alia, quæ Maria de Conceptione vocabatur, Patria Salmanticensis, tam austeræ vitæ fuit, vt maiorem anni partem in solo pane, & aqua ieiunaret. Domina Anna de Salazar Valltoletana tantæ virtutis dicitur, vt quotidie nouem Orationis mentalis horas pro exercitio haberet, & ferè quotidianas disciplinas vsque ad sanguinis effusionem tribus diebus septimanatim. Domina Maria Perez Vallitoletana neptis cuiusdam Senatoris continuę orationis fœmina. Referuntur etiam Domina Laurentia de Valdes Vallisoletana, & Domina Anna de Sornoccia Ontiberiensis inter alias. Item tres Conuersæ notabilis virtutis, vocatæ Soror de Sancto Francisco, Soror Agnes de Cruce, Soror de Sancto Alberto, & aliæ. Conuentus iste primitus extra Oppidum, in loco nuncupato *los Arenales*, situs, sed ob aeris intemperiem, & humiditates postea ad salubriorem locum, vbi modo est, fuit translatus. Narratur de quodam nobili eius Oppidi, nomine Francisco Sornoccia, quod cum filiam habuisset huius Conuentus Monialem, quæ diem suum clauserat in primo Monasterio ante sui translationem, & ipsius ossa cum alijs aliarum Sanctimonialium translata non fuissent, & ipse nocturno tempore deambularet circa locum, vbi Monasterium fuerat, audiuisse, quasi Religiosarum Monialium cœtum Matutinas horas canentium. & proximius accedentem, luces quasdam vidisse intra locum, vbi erat Ecclesia, & affirmasse, se etiam audiuisse vocem filiæ ipsius iam defunctæ. Erat iste nobilis bonę famæ, & probitatis, & propterea ipsi fides est adhibita, & ossa Monialium ad nouum locum translata. Ex quibus, alij que, quæ prætermitto, rectè elici valet Conuentum istum fœlici auspicio ex sui principio erectum fuisse, vtpotè tot virginibus opinione Sanctæ Religionis florentem; nec alium Patronum præter ipsum Virginis Sanctissimæ Ordinem agnouisse; aut aliquo priuilegio ab exteris accepto potitum fuisse. Sic ex præfata Relatione habemus.

Ad annum 1307.

Conuentus Valentiæ.

HVic anno, vel proximioribus, fundatio Conuentus Valentini in Inclyta Valentiæ Vrbe ascribenda, iuxta Escolanum in *Histor. Valent.* 1. *par. lib.* 5. *cap.* 9. eo quod eodem tempore Patrum Augustinianorum Cœnobium ea in Ciuitate erectum credatur, & cum nostri cum ipsis

ipsis de præcedentia in Processionibus contenderent, in eam concordiam hinc, & illinc, deuotum est, vt alternatiuè sibi mutuo præcederent; ex quo intelligi datur, rem sub æquilibrio fuisse, & duo hæc Cœnobia eodem fermè tempore fundari cepta. Huic porro Escolani placito pro nũc, & sine veritatis præiudicio, adhærendo, donec clarius res innotescat; non nulla de isto nostro Carmelço dicenda, multo plura pro Tomo sequenti, Deo flante, relinquentes. Id primum, quod siue Monasterij fabricã, siue diuini cultus in Templo exercitium, siue litterariam Sacræ Theologiæ, & Philosophiæ, seu Metaphisicæ palæstram, quæ in eo fulget; siue tandem Illustres Viros, tum probitate, tum generis claritate, tum doctrina, qui in eo fulserunt, spectemus; inter clariores Ordinis nostri Religiosas Domos iure censeri debeat. Est his temporibus Conuentus iste sub Prouincia *Aragoniæ* nuncupata; esto, quod olim sub Prouincia *Hispaniæ* dicta, maneret. Pro quo extat decretum Capituli Generalis Perpiniacensis pro anno 1354 sub Petro Raimundo Generali celebrati, in quo sic dicitur *Conuentus vero Valentiæ, Cæsaraugustæ, Oscæ, Calatayutij, Toleti, Requenæ, Gibraleonis, & Moræ, vnam Prouinciam faciant, & vocabitur Prouincia Hispaniæ, vt solebat.* Vbi expendendum, quod cum Conuentus iste Valentiæ in præfata narratione Conuentuum Prouinciæ *Hispaniæ* primo loco censeatur, ne dicatur casu, aut oscitanter id actum fuisse, autumandum, præ cæteris alijs vetustioribus ibi commemoratis insigniorem fuisse, ac idcirco illis præferri. Fuit in hoc Cœnobio mirabilis quædam Hostia consecrata à multis sæculis incorrupta, vt testatur Escolanus superius relatus; in cuius memoriam his temporibus Hostia alia consecrata ponitur in Imagine Virginis Dei Genitricis, reperta sub quadam campana, quæ etiam ibi habetur, in pectore videlicet eiusdem Imaginis; quæ propterea magna deuotione, in peruigilijs præsertim Festiuitatum ipsius, apud Valentinam pijssimam, & deuotissimam Ciuitatem, celebratur. Est insuper ibi Spina quædam ex Christi Saluatoris corona. Insuper insignis alia Reliquia, Calceus videlicet Sanctissimæ Deiparę, quem ipsa Beatissima Mater, quæ dum in terris moraretur Carmelum nostrum proprijs gressibus consecrauit, prout dicta *Tomo primo sub anno mundi 4065. n. 7.* demonstrant, Carmeliticæ huic Domui, iure quasi legati, ac in antiquæ beneuolentiæ, qua Montem illum inuiserat, signum, reliquisse videtur. Sacerrimi huius Calcei partem Generalis Henricus Siluius, dum circa annum 1600. Hispaniam visitaret, pro suo Astensi Cœnobio piè abstulit, & in eo religiosè collocauit. Sepultus in eo manet Petrus Cernouichius Princeps Macedoniæ nobilissimus, Imperatorio sanguine ortus, sed clarior vitæ sanctitate, quam, Deo sic volente, in Quinto Tomo elucidabimus. Fuit enim Ordinis nostri Professore, & non Presbyter sæcularis, prout Escolanus supra sentire visus est. Claruit etiam hoc Cœnobium inter alios præclaros Viros, Magistro Michaele Carranza, viro doctissimo, prout eius opera enunciant, ac grauissimo, vt ex muneribus, quæ gessit,

ostenditur; ac Magistro Ioanne Sanz, cuius eximiam, & miraculosis operibus decoratam vitam, qui eam scripsere demonstrant. Multisque alijs in insigni illa Valentina Academia Doctoribus, ac publicis Lectoribus, vulgo, Hispanicè *Cathedraticis*, de quibus suo tempore, & Quinto Tomo dicetur, si Deus concesserit.

Ad Annum 1310.

Henricus Episcopus.

AD hunc etiam annum, vt minimum superstitem peruenisse Henricum illum Episcopum Redestonensem, alias Rhedestonensem, de quo sub annis 1198.& 1298.diximus ex Ord.nostro ad eam Dignitatem,& Suffraganeatum VVicoldi Colonien.Archiepisc.euectũ fuisse,elici valet ex monumento quodã eius Inclytæ Ciuitatis,vbi habetur ipsum hoc anno,extinctis Templarijs,Capellam ad Oliuas Coloniæ decimo Kalend. Decembris consecrasse. Insuper pro anno 1304. hoc aliud extat monumentum, in quadam Cruce ab ipso benedicta : *Hac Crux veneranda benedicta est à Venerabili Patre D. Henrico Episcopo Redestonensi,authoritate Decani, & Capituli Coloniensis, gerente vices in Pontificalibus Sede per mortem D.VVicoldi Coloniensis Archiepiscopi vacante.*

Ad Annum 1337. post numerum 3.

Daniel Episcopus Verdensis.

OCcasio autem diuersitatis opinionum circa hunc Danielem Verdensem Episcopum, ea fuit, quam postea comperi ex Relatione cuiusdam Patris nostri Excalceati Germani, nomine Pauli de Sanctis, diligentis valde in Ordinis historijs Scriptoris. Res est, quod hoc eodem tempore, vel circiter, duo fuerint celebres in Germania Carmeli nostri Alumni; vtrique *Daniel* nomen; vterque etiam Episcopus. Alter, qui iunior videbatur esse, Leodiensis fuit, & eius Conuentus, vt creditur, filius. Episcopus quoque Aradensis, seu Aratensis, aut Vrtonensis, vocatur, & Leodiensis Episcopatus Suffraganeus; qui & obijt Leodij præsenti anno 1337. in Ecclesia nostra sepultus, prout ex Biscarreto retulimus. Post hunc Danielem successerunt in Leodiensi Suffraganeatu, plures alij Carmelitæ, videlicet, Ioannes à Sancto Martino; Hylgerus à Burgis (qui etiam Coloniensis Suffraganeus dicitur) Hubertus à Leodio, cognométo Leonardus; Dionysius Stephani; & Andreas Stregnartus. Alter vero *Daniel*, qui senior apparet, Episcopus fuit Verdensis, per 19. annos eam Ecclesiam regens, & ad eam assumptus à Benedicto Duodecimo, hoc etiam anno, postquam in Religione munia plura gesserat, Coloniensi prę sertim in Cœnobio. Sui porro Episcopatus tempore Arcem Bodemburg egregiè communiuit, & valuas Immunitatis Canonicorum in Australi parte Ecclesiæ erexit, aliaque præclarè cum bonorum omnium approbatione gessit. Cum autem sui Cleri in se seditionem cerneret, quod ad officium

ficium reducere, & compellere cepisset, Christi consilium sequens in aliam Ciuitatem, Coloniam nempe, fugit; vbi contra sibi rebellem Clerum librum scripsit. Audijt ab ipso ludichrum hoc Distichon.

Daniel Antistes non curat Clerus vbi stes
Optans, vt valeas, dummodo non redeas.

Excommunicauit autem Clerum ob contumaciam: qui & vicissim suum Episcopum excommunicare aggressus est: vt nonnulli autumant: ac si subditi Prælatum suum, & Ecclesiæ Pastorem excommunicare possent. Quod tamen causa forsan fuit, vt minus pij aliqui eum anathemate percussum obijsse Coloniæ dicant: veritas enim est, prout ex præfata accepimus relatione, sepultum fuisse Altemberge, siue Veteri monte, Ordinis Cistertiensis celeberrimo Cœnobio in Maiori Ecclesia, ante, siue prope fontem, qua ascenditur ad dormitorium, tempore Pilgeri, siue Pillegrini Abbatis, qui anno 1362. electus fuit. Vnde inferimus, post plures ab hoc tempore annos vitæ cursum peregisse. Sic ex præfata Relatione.

Ad Annum 1360.

Non prætermittendus pro hoc anno ex nostris Carmeli Henricus Bogeh natione Germanus, vir doctrina, ac pietate præclarus; de quo Philippus Mettius, in Catalogo Scriptorum Ordinis sui. *Henricus Bogeh natione Germanus, Episcopus Croatensis, vir doctissimus, pietate, Religione, atque dignitate maxime illustris &c.* Quam proinde ob causam Episcopali infula dignatus; Croatensis Antistes ordinatus est; cuius etiam meminerunt Bibliotheca Tygurina, atque Antonius Posseuinus, qui varia eum scripturarum monumenta posteritati consecrasse tradunt. Videlicet, de celebratione Missarum *librum vnum*, Epistolarum familiarium, alterum; ad Ioannem item Hildhesmensem tertium. Prædictus autem Ioannes Hildesmensem Carmelita, & Theologus, atq; Ecclesiasticus scriptor celebris, discipulus quondam, ac minister extitit Sanctissimi Viri Beati Petri Thomæ Patriarchæ Constantinopolitani, de quo sub anno 1370. dictum. Cui Ioannes cum Henricus iste, per quam familiaris esset, quandam ad eum direxit Epistolam, istud habens exordium; *Serenis terra fulsit* &c. Idem autem Ioannes vicissim responsoriam scripsit, summopere eius inter alia laudans eloquentiam subiecto tenore ab eius exordio: *Rupti sunt fontes abyssi magnæ, manauitque copiosus ad me fluuius eloquentiæ Tullicanę, erupit irrigando terræ superficiem fontis viui thesaurus absconditus, & per Epistolare Carmen Elegiacum de abysso magna scaturiens, factus est mihi notus. Multo fęlicius ego, quam de fonte Tantali nectar dulce merui de pectore haurire Henrici &c.* Cuius Epistola Hildesmensis hæc extat superscriptio: *Epistola Fratris Ioannis rescripta eidem Domino Henrico Croatensi Episcopo prædicto*: Extat vtraque in insigni Manu scripto volumine

Henricus Bogeh.

in

in membrana in folio inter 80. Epistolas eiusdem Ioannis de Hiedesfeim in Carmeli nostri Bibliotheca Coloniensi. Claruit apud Authores prænominatos tempore Innocentij Papæ Sexti Anno Domini 1360. De eo etiam Biscarretus, & nouissima Relatio Episcoporum Germaniæ Ordinis nostri.

Ad annum 1371. in fine.

Nicolaus de Arluno.

FLoruit etiam huius Pontificis Gregorij Vndecimi tempore Nicolaus de Arluno, Germanus natione, vita, & eruditione, atq; morum grauitate spectabilis quibus titulis sub Conone de Falchenstein Archiepiscopo, ac Principe Treuerensi, ad eiusdem Treuericæ Sedis Suffraganeatum, & Episcopatum Azotensem promotus est. Defunctus tandem apud suos Carmelitas, honorificam in eorum Choro ad latus Summi Altaris in particulari, & eleuata tumba, sepulturam accepit.

Conuentus Calatanixetensis.

Ex sæpius relata Relatione Conuentuum Calatanixetensem fundatum fuisse hoc anno 1371. sub 17. Februarij, fundatoribus Illustrissimis DD. eius Oppidi, iuuantibus quoque fidelium eleemosynis, & Ecclesiam gaudere titulo Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli: etsi oppositum dicat Rochus Pyrrhus, quem referimus sub anno 1396.

Ad Annum 1374.

Ioannes à S. Martino.

OBijsse dicitur sub hoc anno ex Ordinis nostri Professoribus Ioannes à Sancto Martino. Qui natione Germanus, & in Leodiensi Cœnobio Carmelita, sub Ioanne ab Archel Leodiensi Antistite laudabilis, eiusdem Diœcesis Suffraganeus, & Episcopus Ioppensis, siue (vt aliqui scribunt) Iopiensis factus est. Qui tandem apud suos moriens, ibidem in Choro ante Altare maius sepulturam accepit. Hæc ex Relatione Episcoporum nostri Ordinis in Germania.

Ad Annum 1386.

Fridericus VVagener.

COmmemorandus circa præsens tempus Fridericus VVagener, alij VVagnij, natione Germanus, Patria Augustanus, Doctor, Theologus Viennensis Austriæ, & Carmelitarum Superioris Alemaniæ Prouincialis. Hic postquam in Viennensi Vniuersitate longo tempore docendo, disputando, scribendo præfuisset, ob præclaras animi dotes, insignẽ, multiplicemque doctrinam, virtutum splendorem in Passauiensis Ecclesiæ Cathedram Episcopalem sublimatus est. De quo Posseuinus *in Apparatu Sacro* habet sequentia. *Fridericus VVagnij Germanus, Theologus Viennensis in Austria, qui post Ordinis sui Prouincialatum Pataviensis* (dic melius) *Passauiensis) Episcopus à Roberto Bauaro Austriæ tunc Duce Prapositus,*

atque

atque à Pontifice Maximo confirmatus. Scripsit in Magistrum Sententiarum, quas ipse Vienna prælegerat, in Diui Pauli Epistolas omnes, in triginta octo Psalmos libros duos. vixit anno 1390. Eadem ferè habet Bibliotheca Tigurina, ex qua Posseuinus hæc desumpsit, & Philippus Metius *in Catalog illustr. Script.* qui rursus in designatione Prouincialium Alemaniæ Superioris sui Ordinis ait: *Fridericus VVagner Augustanus Sacra Theologia Doctor quartus Prouincialis (post vltimatam nimirum huius Prouinciæ separationem factam anno* 1347.*) proclamatus. Hic cum specimen optimi Rectoris de se præbuißet, in pleno operum bonorum cursu humanis rebus eximitur, cum vix duobus annis Prouinciam administrasset: Fuit hic Episcopus Pataniensis* (melius *Passauiensis*) *sepultus est Straubingæ ante Altare Confraternitatis*: Hæc ille: qui cum dicat in præcedentibus Prouincialem Conradum Zolner anno Christi 1373. electum, 13. annis præfuisse, & eo defuncto hunc subrogatum esse, sequitur eius successionem factam anno 1386. quo proinde claruit sub Vrbano Sexto, vixisse autem ad huc scribitur anno 1390. De ipso in Relatione Episcoporum Germaniæ à nobis visa; & Biscarretus in suis Palmitibus.

Ad annum 1387

INclyti, ac celeberrimi nostri Vlissiponensis Carmeli originaria auspicia haud incongrue hoc ab anno trahi possunt. Quo egregius ille totius Lusitaniæ Dux, & Comestabilis Nuñius Aluarez Pereira, cum, Deo inspirante, alta mente concepisset, eum extruere, facultatem à Christi Vicario Vrbano Sexto obtinuit per Diploma, quod incipit: *Pijs fidelium*. Quod postea Ioannes Vigesimus secundus in alio, *Sinceræ deuotionis* ampliatur. Ipsum propterea annis sequentibus adeo magnificè perfecit, vt ad tercenta millia scutorum huius temporis fabrica æstimetur: ex voto videlicet ab ipso emisso, dum in bellis agendis tenebatur. Officinæ ab ipso fabricatæ, præter Ecclesiam, & Sacristiam, sunt, Capitulum vetus, dimidium Dormitorij, & aliç, quæ cursu temporis Religiosorum industria perfectę fuere. Claustra vetustiora per Dominum Ioannem Septæ Episcopum, dum Prouincialem Lusitaniæ ageret, circa ann. 1445. extructa; destructa autem circa 1608. sub Prioratu Episcopi Thomæ de Faria; sicut perfecta per Georgium Baptistam, & Georgium Carrascum eiusdem Cœnobij Priores. Mirabilia sanè, vtpotè, quæ in parte inferiori arcubus 32. in superiori autem totidem fenestris, nobile, quod in medio est, Viridarium cingentibus, ornantur. Ad hæc Templum Capellis, Sarcophagis, Altaribus, Sanctorum Ordinis Imaginibus, & historijs; ipsius Nuñij, & aliorum Principum, ac Procerum sepulchris, mire etiam decoratur. Sacrarium præsertim pretiosissimis Sanctorum Reliquijs partim ab eodem Comestabili Nuñio, ab alijs partim donatis, fruitur. Inter Sacras has gazas, quæ Regis Lusitaniæ Ioannis primi donaria sunt, censentur

Conuentus Vlysiponen.

tur

tur, Sanctæ Crucis ligni pars, argentea, & deaurata theca inclusa; Spina ex Christi corona; moneta ex triginta denarijs, quibus Christus venditur. Copiæ etiam S. Sudarij Taurinensis, & Veronicæ. Est & ibi de Veste Deiparæ Sanctissimæ, ac de Velo, quo Puerum Iesum natum in Præsepio induit. De Reliquijs etiam Sancti Andreæ Apostoli, & duorum ex Innocentibus sub Herode interfectorum. Adsunt & Sanctorum Pontificum, & Martyrum Anteri, Anacleti, Pontiani, Thelesphori, Xisti, Vitaliani, Dionysij, Victoris, Cornelij, Stephani, & Vrbani: ac Sergij Confessoris. Ex alijs Martyribus, Ignatij, Laurentij, Sebastiani, Blasij, Valentini, Victoriani, Apollinaris, Anastasij, & plurium. Ad hæc Sanctorum Ordinis Andreæ Fesulani, & Alberti. Demum Virginum Teclæ, Agnetis, Catharinæ, Margaritæ, Agathæ, Luciæ, Balbinæ, & plurimarum aliarum. Pluribus præterea Bullis, seu Summorum Pontificum Diplomatibus veluti Archiuium Cœnobium hoc est; & maxime Vrbani Sexti, Ioannis Vigesimi secundi, Sixti Quarti, Clementis Septimi, Pij Quarti, & Quinti, Gregorij Decimi tertij, & Clementis Octaui. Gaudet insuper fauoribus, & priuilegijs Regum Ioannis primi; Eduardi, Alphonsi, Emmanuelis, Ioannis tertij, & Excellentissimorum Brigantinorum Ducum. De quibus, & multis alijs ad hoc inclytum Cœnobium spectantibus piè, doctè, & latè Ludouicus de Mertola huius Prouinciæ Alumnus, in Relatione ad nos missa; à quibus propterea nunc abstinemus, de ipsis vtpote ingenti historia dignis, acturi, prout temporis occasio tulerit, maximè Tomo quinto sequenti horum Annalium.

Ad Annum 1390. post num. 8.

Conradus Alperdorpius.

HIc Conradus Alperdorpius, prout ex nouissima Relatione de Episcopis Germaniæ accepimus, fuit Treuirensis Carmeli incola. Eius tandem præclara merita ad Suffraganeatum Treuirensem, & Episcopatum Azotensem (non Arotensem) ipsum euexerunt sub Treuirensi Archiepiscopo VVernhero à Szonistein Principe præclaro, prouido, ac circumspecto, atque sub Bonifacio Papa Nono. Mortuus tandem est prædictus Conradus, & in Cœnobio Treuirensi sepultus in Choro, ad latus Altaris maioris è Regione Nicolai de Arlune, etiam Episcopi Azotensis, Suffraganei Treuirensis, ac Carmelitæ nostri: idque in eleuata, & honorifica Tumba, prout ante plures annos erat.

Ad Annum 1393.

Conuentus Marignano.

COnuentus de *Marignano* fundatio huic tempori ascribitur, Terræ Communitate donante, & Papa Bonifacio Nono confirmante. Ecclesia primitus, cuidam Xenodochio addicta *Sancta Maria la Oua* dicebatur; ea nempe occasione, quod cum puella quædam canistrum ouis plenum

plenum domum suam portaret, casu iuxta Ecclesiæ ianuam confracta fuere: puella tunc plangere ob parentum timorem, & Beatissimam Virginem genuflexa pro remedio inuocare cepit: audita est à pijssima Virgine, & oua sana reperta. Testatur Imago supra Ecclesię portam depicta, & Relatio ad nos missa huius Conuentus; In quo etiam S. quædam spina in veneratione magna est, & Reliquia Sancti Alberti.

Ad Annum 1399.

DE Conuentu Figiacensi in Prouincia Aquitaniæ, eiusque fundatione hæc extat Relatio cuiusdam Prouincialis eiusdem. *Carmelus Figiaci in suburbijs Ciuitatis positus, à nobili, antiqua, & summæ in Prouincia Carducensi notæ familiæ de Cardalsac constructus; necnon redditibus satis amplis dotatus creditur circa annum* 1399. *Præterea Dominus Matsurinus, vna cum Susanna de Cardalsat, pijs Maiorum suorum vestigijs inhærentes eundem Conuentum non mediocri censu annuo donauerunt: cui in perpetuum soluendo astrictam voluerunt Baroniam de Mombrum. Verum superioribus licet temporibus Conuentus præfati prouentus pluribus Religiosis alendis sufficerent, vti constat ex quibusdam Tabulis à* 37. *Doctoribus graduatis subscriptis: hodie tamen, comprehensis etiam fidelium eleemosynis, duodecim alere vix possunt; propterea, quod ab impijs Caluini sequacibus iste Conuentus cunctis fere titulis spoliatus, atque deletus est: cui restaurando in dies incumbitur, maxime Ecclesia, quæ pristino statui restituta prope est, egregijsque picturis locupletata.* Conuentus Figiacensis.

Ad Annum 1400.

DVo etiam Conuentus Ordini nostro hoc anno adiuncti. Vnus est in Terra Tossignani in Prouincia Romandiolæ sub titulo Sanctissimæ Virginis, Superiorum consensu fundatus. Alter est Conuentus de Coniglione in Regno Siciliæ; etsi postea translatus anno 1572. Sic ex Relatione Conuentuum. Tosignani, & Coniglioni.

Ad annum 1416.

HOc sub anno Escazenensis Conuētus in Bętica nobilissima Hispaniarum Prouincia fundatio cæpit ex Fratribus Hispalensis Monasterij eo accedentibus: fundatur hoc Cœnobium in quodam Heremitorio B. Mariæ nuncupatæ *de Luna*, prope Escazenenam Oppidum à tempore Hispanicæ recuperationis erecto; & nuper ab Illustrissimo D. Domino Ildephonso Patriarca Constantinopolitano, perpetuoque Administratore Hispalensis Ecclesiæ Carmelitis nostris pro fundatione eius Conuentus cum Imagine Beatæ Marię *de Luna*, & cum omni suppellectili, campana, & Calice Eremitorij concesso. Quæ omnia facta fuisse die 23. Escanensis.

Ianuarij hoc anno, hora prima in die Mercurij, constant ex pergamineo Instrumento authentico ibi adhuc seruato. Eremitorium prædictum, pro vt ex traditione habetur, à tempore recuperationis generalis, qua Hispalensis Prouincia cum finitimis Oppidis per Christianos à Mauris eripitur, constructum fuit. Occasio vero fundationis illa refertur, quod veniente Agassone quodam post Solis occasum versus terram illam, nonnulli ex mulis, quos portabat, in quadam palude prope Escazenam casu mersi fuere, tristatur, & pro ipsis è cęno eripiendis Beatam Mariam Virginem inuocat, dicens; *Vtinam Beatissima Virgo Maria nunc Luna splenderet*. Adfuit tum pientissima Virgo, &, Luna splendente, extrahit mulos, & ab eadem Beata Maria loquente de rubo admonetur, vt omnia prædicta Populo Escazenensi illico per ordinem patefaciat. Agassone autem statim ad populum accedente, & omnia per Ordinem exponente, homines illi eadem hora ad locum accedunt, & in rubo speciosissimam quandam Imaginem Beatæ Mariæ Virginis inuenientes; Eremitorium ibidem ædificant; in eoque inuentam Imaginem collocant, & ex miraculo Lunæ apparentis Beatam Mariam *de Luna*, vsque in hodiernum diem appellant. Icon prædicta à tempore apparitionis vsque in pręsens, magnis, & crebris coruscat miraculis: ideoque continuis vigilijs, & orationibus à Populo Escazenensi, alijsque finitimis colitur. Est etiam eiusdem Populi consuetudo vetusta, qua vndecim adolescentulæ virgines genibus flexis, & accensis luminibus à porta Ecclesiæ vsque ad maius Altare procedunt; ibique Beatam Mariam Virginem deprecantur; sæpeque voti compotes, & consolatæ recedunt. Hæc fermè ad verbum ex Relatione Prouinciæ Bęthicæ, diligentissimè à Reuerend. Admodum Patre Magistro Petro Quereda elaborata ad me transmissa. Cui etiam addit Ioannem Martinez Castellæ, & Legionis Prouincialem huic fundationi operam nauasse ex Indulto Benedicti Decimi tertij tunc Papæ asserti, & cum quatuor Fratribus ex Hispalensi Carmelo.

Hispalensis. Cum autem ex dictis habeatur Fratres primos fundatores huius Conuentus de Escazena Hispalensis Cœnobij Alumnos fuisse, manifestè conuincitur iam antea præfatum Hispalense Monasterium in ea Inclyta Vrbe in Hispania clarissima, & ditissima, extitisse. De coniectura porro, quæ est, quod etiam ab antiquissimis temporibus, & ante Sarracenicam in Hispaniam inuasionem extruxit, diximus Tomo præcedenti circa annum 578. num. 7. ex quibusdam ibi relatis. De qua etiam idem M. Quesada in ea Relatione. Nec multum contra eam refert, quod inter Cœnobia eius Prouinciæ Gibraleonense præcedat hoc Hispalense, quod neutiquá esse posset, si antiquis illis sæculis extitisse crederetur. Sæpius enim notauimus, propter varios casus, & rerum euentus contigisse, vt vetustiores Conuentus posterioribus alijs postponantur. Magis vrget, quod in Capitulo Generali Perpiniacensi de anno 1354. dum memoria agitur de Conuentibus Prouinciæ vocatæ *Hispaniæ*, nec verbum dicitur de Hispalensi

lensi isto; quo innuitur, eo tempore non fuisse tale Monasterium. Res igitur sub dubio relinquenda, donec maior lux Historicis nostris effulgeat. Illud compertissimum, quod Hispalensis Domus, quæ hoc tempore superstes manet, inter insigniores totius Hispaniæ, quin, & totius Ordinis, iure censeri debeat. Siue Monasterij fabrica, cultus Diuini obsequium, litterarum exercitium, aut Fratrum numerus spectetur. Plures enim inter eos generis nobilitate conspicuos, doctrina celebres, & Sanctæ Obseruantiæ, ac vitę probitatis odore insignes edidisse, pro comperto est. Vt propterea nonnulli ad Episcopales Insulas, Regij concionatoris munera, & Cathedras in scholis moderandas euecti fuerint. Festum Immaculatissimæ Virginis Religionis Matris, & Patronæ in die eius Sanctissimæ Conceptionis in ac Ecclesia celebratur ex dotatione Illustrissimi D. D. Ioannis Ponce Comitis de Medellin, qui dum suo testamento Festum celebrandum instituit, refert illud à tempore Illustrissimi D. D. Petri Ponce primi Comitis de Medellin sui Parentis fieri solitum in eodem Hispalensi Carmelo propter sui maximam deuotionem erga Beatæ Virginis Conceptionem.

Ad Annum 1418.

CONuentus Ciuitatis *Notabilis* dictæ in Insula Melitensi sub hoc etiam anno fundatus dicitur à Domina Catarina de Peregrino, & Lagona, cum Superiorum consensu, extra ipsam Ciuitatem ferè ad milliare: gaudetque titulo Annuntiatæ Virginis, sicut & plures alij Regni Siciliæ. Sic in relatione huius Conuentus sub Innocentio X. Cæterum ex alia, quam habuimus, huius Cœnobij, constat sub anno 1374. iam extitisse, & quoddam feudum ingabellatum possedisse; & Dom. Margaritam Vxorem Dom. Antonij Peregrini quandam donationem ei fecisse, in qua tale feudum, & alia bona stabilia, quæ modo retinet, continentur. Notabilis.

Ad Annum 1419.

EXtat pro hoc anno Instrumentum quoddam, ex quo elicitur Conuentum Ordinis nostri in Prouincia Lombardiæ appellatum della pietra, donatum fuisse Religioni. Eius Ecclesia inuocatione Virginis Mariæ de Monte Carmeli potitur. Est autem extra dictam Terram fundatus: ex relatione Conuentuum sub Innocentio X. Della Pietra.

Ad Annum 1428.

CLarus fuit circa hoc tempus, & post illud, Petrus de Franchofordia, cognomento Spihnagel, natione Germanus, Patria Franchofor- Petrus de Franchofordia.

 diensis,

riensis, eiusdemque Carmeli filius, Anno Christi 1422. illius loci erat Prior, sicut & anno sequenti 1423. Prior Spirensis; anno autem 25. Lector Theologiæ Bopardiensis, & rursum anno sequenti 26. designatur ad legendum Biblia, in Colonia. Qui hoc eodem anno 1426. Vniuersitati Coloniensi immatriculatus, siue ad Theologiam adscriptus est, vt patet in libris matricularibus eiusdem Vniuersitatis; atque deinceps vsque ad annum 28. Lector Principalis, siue Professor Sacræ Scripturæ in Cœnobio Coloniensi extitit, simulque quartus Prouinciæ suæ Diffinitor anno præcedenti 27. effectus. Cumque excellens adeo Theologus, & Diuini Verbi interpres esset, à Theologis Coloniensibus expetitur in eorum Vniuersitate, Sacræ Theologiæ Professor effectus, quatuor Sententiarum libros docendo, ac disputando exposuit, atque in scriptis posteritati tradidit, quæ lectura Sententiarum, sicuti, & altera *in librum Sapientiæ* ad hæc vsque tempora manuscripta asseruantur, prout patet ex quodam Collectaneo antiquitatum, ac monumentorum quorundam huius Prouinciæ Conuentuum, in quo quantum ad libros manuscriptos in Cœnobio Bopardiensi repertos anno 1630. ista habebantur. R. *Patris Fratris Petri Spiznager Carmelitæ de Franchofordia Episcopi Myrensis, & Suffraganei Speirensis, lectura in 4. libros Sententiarum lecta Coloniæ in Vniuersitate anno 1428. Iste liber Sententiarum in tres partes diuiditur. Eiusdem commentaria in librum Sapientiæ. Hec tamen lectura non habetur completa hic, sed tantum sunt 13. lectiones, vltima est super illud: noli prohibere benè eum qui potest.* Hæc ibi: Tandem autem vir doctus vt dictum est pro meritis suis Episcopus Myrensis, & Suffraganeus Spirensis effectus est. Vbi vero sepultus sit, & quando obierit, Spiræ an alibi, adhuc non compertum.

Ad Annum 1430.

Castri noui Conuentus.

ANte hunc Annum suum initium habuisse Conuentum Castri noui in Sicilia, ex Superiorum consensu, habetur in relatione Conuentuum Italiæ sub Papa Innocentio X. vbi quoque quod primitus ipsius Ecclesia titulo Deiparæ Annuntiatæ potita fuerit, translata tamen postea circa ann. 1578. ad locum Ciuitatis, vbi modo est, attitulata sit Diuis Apostolis Simoni, & Iudæ.

Ad Annum 1433.

Conradus Arnsberg.

CArnis debitũ soluit hoc ann. illustris valde nostri Ordinis Pater, de quo nonnulla diximus sub anno 1398. cui nomen Conradus ab Arnsberg, Filius illustris Comitis ab Arnsberg, natione Germanus, professione Coloniensis, qui quantũ generis nobilitate claruit, tantùm quoque splendore virtutum, ac doctrinæ excellentia cæteris præfulsit, vt non immeritò Philippus Metius in Catalogo suo hoc eum encomio celebret

dicens:

dicens: *Conradus Arnsbergius, Filius Comitis Arnsberg, Germanus, Episcopus Venecomponensis, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, Orator facundus, moribus, pietate, religione, atque dignitate maximè illustris. &c.* Eum Theodoricus Comes de Morsa Coloniensis Archiepiscopus, percepta fama laudabili huius Carmelitæ, qui adeò splendidè paternam, ac illustrem suam decorabat familiam, eo accersito, suffraganeum, seu Vicarium suum Generalem in Pontificalibus constituit, atque Episcopatu Venecomponensi insigniri fecit. Cui muneri Apostolico vir strenuus annis non paucis solertem nauauit operam. Cumque eximius Deiparæ Virginis cultor esset, omnibus in locis, seu picturis, vbi suam reliquit memoriam, semper ad eiusdem Deiparæ imaginis vestigia se se collocari fecit, prout adhuc quatuor in locis nostræ Ecclesiæ, ac Sacristiæ cernitur. Hæc de eo antiqua huius Cœnobij fert traditio: quod nimirum insignem illam Deiparæ Virginis Imaginem, quæ super Aram Sacelli eius cernitur, & cui (siuè magnitudinem; siuè pulchritudinem, siuè artificium eius spectes) nec Coloniæ, nec in multis alijs Prouincijs similis visa fuit, eidem suo Carmelo Coloniensi procurauerit. Quæ vsque adeò amplissimo Senatui, ac Ciuibus Coloniensibus perplacuit, vt eodem statim anno obitus præfati Conradi 1433. per celebrem illam Confraternitem maiorem in honorem Deiparæ Virginis Assumptæ (quæ etiam nunc quot annis Dominica infra octauam Assumptionis eiusdem à Prælatis, ac primatibus Ciuitatis, ac Diœcesis huius festiuè peragitur) in eadem Ecclesia, ac Sacello Virginis instituerint, prout eius fundatio in libro manuscripto in membranis (qui penè nos extat) perspici potest: tametsi prædictus Conradus Episcopus in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ eandem Aram, ac Virginis Imaginem dedicauerit, in cuius rei memoriam dedicatio eiusdem Altaris annis singulis ipso die Conceptionis Immaculatæ Virginis solemniter à Fratribus nostris celebratur. Coloniæ apud suos honorifica sepultura donatus est; agente nimirum familia sua in Sacello Beatissimæ Virginis ante eius Imaginem, atque Aram eiusdem, de qua paulo ante dictum, sub lapide aliquantulum alijs eleuatiori, cui ipse in plena forma, atque Pontificali habitu in ære incisus cernitur in sex partibus per circuitum, nobilitatis suæ insignia addita habens, cum hac per quattuor partes extremitatum circumscriptione. *Anno Domini Millesimo Quadringentesimo trigesimo tertio, die vltima Mensis Iulij obijt, quondam Reuerendus Dominus, ac Pater Dominus Conradus de Arnsberg, Dei gratia Episcopus Venecomponensis Ordinis Carmelitarum Reuerendiss. in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Theodorici de Morsa eadem gratia Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi in Pontificalibus Vicarius Generalis hic sepultus, cuius anima per pijssimam misericordiam Dei requiescat in Sancta Pace Amen.*

Ad Annum 1434.

Conuentus Vallium.

ERat sub hoc tempore, & si annus certus suæ fundationis ignoretur, deuotissimus nostri Ordinis Conuentus sub titulo Deiparæ Virginis *Vallium*, Prouinciæ Castellæ in Territorio Oppidi Torre Sandino, Diœcesis Burgensis. Locus quidem desertus, sed quia in Valle vulgo *de Esgueba*, non prope ab eo flumine dissitus, congruus valdè pro Eremitica, & Carmelęa Religione, iuxta suam primęuam Elianam institutionem obseruanda, & cuius mihi memoria propterea semper gratissima est, quia in eo Asceterio soli Deo vacare possunt Religiosi, mundialibus rebus omnino spretis. Hoc igitur anno de ipso agendum, quo authenticis instrumentis constat de compromisso quodam in Regio Conuentu Sanctæ Mariæ, vulgo *delas Guelgas*, extra mœnia Burgensis Ciuitatis, celebrato inter Priorem nostri Conuentus tunc vocatum Ioannem de Auila ex vna parte, ac ex alia Procuratorem dicti Oppidi *de Torre Sandino*, de & super conditionibus obseruandis circa Eremitorium deuotissimæ, & miraculosissimæ Imaginis Sanctissimæ Dei Parentis, quæ ibi colitur à circumvicinis populis, eo statis diebus confluentibus tanta pietate, & deuotione, vt vix similis alia illis in partibus cernatur. Eo sanè maxima, quia circumadiacens Christiana plebs sinceritate, simplicitate, & probitate nulli cedit. Huius Cœnobij Patronatum gerunt Excellentissimi Domini Comites de Castillo, ac perinde Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus Garzia de Haro, & Auellaneda, Præsidens olim supremi Consilij Indiarum, modò autem Neapolitanus Prorex. Possidet etiam veluti Monasterij Grangiam, Territorium, cui titulus *Auedecilla*, dono Illustrissimæ Dominæ Margaritæ de Castella, Sororis Palentini quondam Episcopi, pluribus quoque, & copiosis eleemosynis, qua Religiosi suis pijs operibus concionando, & populum docendo, ac confessiones audiendo, acquirunt; accedente maximè finitimorum Oppidorum ardentissima erga Sanctissimam Virginem miraculis pluribus, vt dicitur, & creditur, in dies corruscantem, deuotione; cuius etiam prope Sacellum, vel Altare oleum quondam emanasse, traditur. Floruere in hac Cœnobio duo suo tempore insignes Patres, qui, reiteratis vicibus Prouinciæ clauum, Prouincialatum vocant, tenuere. Vnus; Petrus Rouela, eo inter alia celebris, quod disciplinæ Regularis acerrimus contra discolos vindex, & punitor extiterit: alter M. Zelidonius de Sanctis Officij Inquisitionis à qualificationibus, & meus in Theologia Scholastica Magister, à quo primam eius facultatis lectionem circa ann. 1606. in nostro Salmenticensi S. Andreæ tunc, modo verò Sanctæ Theresiæ Collegio, audire potui.

Ad an-

Ad Annum 1440. post numerum 3.

HVius autem prouisionis pro recognitione populi Florentini, ob beneficium ipsi à Deo collatũ, meritis S. Andreæ Corsini, hoc extat authenticum Instrumentum, nostra memoria dignum.

Hæc est copia, siue exemplum cuiusdam prouisionis Populi, & Communis Florentiæ, obtentæ per opportuna Consilia, & Magistratus dictæ Ciuitatis Florentiæ, sumptum ex libro prouisionum anni 1466. scripto in carta pecudinea, & cooperto ligneis tabulis, ac signato littera H. ad paginas 64. 65. existente in Archiuio publico Ducali, Reformationum, Legum, & Statutorum dictæ Ciuitatis Florentiæ, Cuius prouisionis tenor est qui sequitur, videlicet. Instrumentum.

In Dei Nomine, Amen. Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi 1466. Indictione 14. die verò decimatertia mensis Iunij, in Consilio Populi Ciuitatis Florentiæ, mandato Magist. Dominorum Priorum libertatis, & Vexillif. Iustitiæ Populi Florentini, precona conuocatione, Campanæque sonitu, in Palatio Populi Florentini, more solito, congregato. Quorum Dominorum, Priorum, & Vexilliferorum nomina ista sunt, videlicet.

Loysius Sali Philippi Marsilij, Antonius Leonardi Francisci Ferrucci, Auerardus Alamanni Domini Iacobi Saluiati, Maurus Syluestri Ludouici Ceffini, Nicolaus Ioannis Sernigij, Thomas Zenobij del Testa Girolamo, Ioannes Francisci S. Andreæ Corazarius, Zenobius Iacobi Nicolai Buchenelli, Matus Nicolai Vgonis de Alexandris Vexill. Iustitiæ.

Ego Bartholomæus olim S. Guidonis Iacobi, Guido Ciuis Florentinus Officialis, & Scriba Reformationum Consiliorum Ciuitatis Florentiæ in præsentia, & de voluntate, & mandato dictorum Dominorum Priorum, & Vexill. Iustitiæ in dicto Consilio præsentium, in numero opportuno, & coram Consiliarijs eiusdem, in sufficienti numero congregatis, legi, & recitaui infrascriptas Prouisiones, & quamlibet earum vulgariter distincte, & ad intelligentiam firmatas, deliberatas, & factas, prout inferius apparebit, sernatis solemnitatibus opportunis, & seruari debitis, & requisitis secundum ordinamenta Communis Florentiæ, & modo, & forma, & ordine inferius adnotatis, videlicet.

Quinto, Prouisionem infrascriptam super infrascriptis omnibus, & factã, examinatam, & firmatam secundum ordinamenta; & postea per ipsos Dominos, & primò, per dictos Dom. Priores, & Vex. Iustitiæ, & postea per ipsos Dominos, & Gonfalonem Societatum Populi, & duodecim bonos Viros Communis Florentiæ secundum formam ordinamentorum dicti Communis, quæ talis est, videlicet.

E può esser noto à ciascuno, come l'Onnipotente, per sua misericordia, concedette al Popolo Fiorentino grande, e felice vittoria contra a' suoi

ſuoi nemici, preſſo ad Anghieri nel dì de' glorioſi Apoſtoli Pietro, e Paolo, cioè à dì 29. di Giugno 1440. e come la detta vittoria fu ſignificata, così doueſſi ſeguire circa à otto dì prima, che foſſe à dieci della Balia, che all'hora erano in officio, per reuelatione, che all'hora ſi diſſe eſſere ſtata fatta per il Beato Andrea de' Corſini à vn ſuo deuoto; e parloſſi per tutta la terra, che doueuamo hauere tal vittoria prima che ella ſi haueſſi, & andonne di queſto la voce inſino nel Campo de' nemici, e come fu reuelato, così ſeguì, peròche, per la gratia di Dio, e per l' interceſſione del Beato Andrea, & intra il tempo per lui reuelato, furono dalle genti noſtre ſconfatti, & in tutto rotti, ſcacciato Nicolò Piccinino con tutto l' Eſſercito grande, e potente, ch' hauea ſeco delle genti del Duca di Milano noſtro nemico, come di dette coſe potrebbono più à pieno parlare in trà gl'altri, quelli, che ſon hoggi viui del numero de' Dieci della Balia, che in quel tempo ſi trouorno in offitio, che ſon queſti, cioè M. Lorenzo d' Antonio Ridolfi, Neri di Gino Capponi, Giouanni di Piero di Bartolomeo Scodellai. M. Lionardo di Franceſco Bruni, Antonio di Salueſtro de Seriſtori. M. Agnolo di Iacopo Acciaioli, Filippo di Giouanni Carducci, Coſimo di Giouanni de Medici, Aleſſandro d'Vgo dell'Aleſſandri, Niccolò di Zenobi Boncianni. E dapoi che così fu ottenuta la detta vittoria per memoria di tanto beneficio, e per ſegno di gratitudine prima verſo Iddio, dipoi verſo il B. Andrea, dalla cui interceſſione s'intendea hauer operato aſſai per noi appreſſo Iddio; in tal caſo furono per i voſtri conſigli opportuni prouedute, & ordinate due coſe, l'vna è, che ſi doueſſino eleggere, e deputare ogn'anno del meſe di Giugno per li Spedalinghi dell'infraſcritti Spedali, cioè di S. Maria Noua, e dell'Emmo, e di M. Buonifazio, XX. poueri Maſchi, che ſieno tutti maggiori d'anni 20. i quali ſi doueſſero veſtire alle ſpeſe del voſtro di Panni lani bianchi, cioè di Cioppa, e di Cappuccio; ne' quali veſtiti ſi poteſſi ſpendere trà tutti ogn'anno inſino in fiorini 70. d' oro, i quali ſi poteſſero, e doueſſero pagare per il Camarlingo di Camera di qualunque aſſegnamento di quella, e così veſtiti, ciaſcuno di loro con vn torchietto in mano partendo dalla piazza del Senato con li Trombi innanzi, doueſſero andare alla Chieſa di San Pier Maggiore, e quiui offerirui, e ſtarui alla Meſſa maggiore, e che le dette cioppe, e cappuccio poi otto giorni continui doppo la detta feſta di San Pietro. L' altra coſa che fu ordinata per la memoria, e gratitudine per detta fù, che li Signori, & i Sei della Mercanzia con le Capitudini, che ne' tempi fuſſero, doueſſero ogn'anno nel dì della ſeconda Domenica di Giugno andare à offerire i torchietti acceſi, ſecondo il conſueto, alla Chieſa di Santa Maria del Carmine di Firenze, del ſuo Conuento, e Religione, & Habito fu il detto Beato Andrea, e doue ſi troua eſſere il Corpo ſuo, come dell' vna coſa, e dell'altra nelle Prouiſioni per voſtri Conſigli opportuni ſopra ciò fatti più chiaramente appariſce. Delle quali due coſe, da pochi anni in quà, n' è leuata vna, cioè l' offerta, e non vi ſi và più per tal

cagione,

cagione, nè li Signori, nè Capitudini, si che viene à rimanere quasi spenta la memoria di detta reuelatione fatta per il detto Beato Andrea; la quale reuelatione si dice, che fu la cagione principale per la quale fu ordinata la detta Offerta; e viene à restare solamente l'altra cosa sopradetta, cioè i vestiti di detti poueri, la qual cosa ciascuno deue desiderare, che si faccia per quel modo, che più solenne, e più deuoto, e più degno, e di più honore di Dio, e del Beato Andrea predetto, però che non si prouedendo altrimenti si spegnerebbe in tutto la memoria della sua reuelatione, come e detto, la quale fu, & è cosa molto degna, e da non si volere, nè douer mai dimenticarsi: e sperando, che prouedendosi nell' infrascritto modo, ne seguirebbono tutti i buoni effetti sopradetti senza fare mancamento ad altri, e senza crescere spesa all' vso comune; si prouede, che non ostante la detta prouisione, che ordina di vestire i detti poueri; della quale sopra si fa mentione, non si possa, nè si debba più da quì innanzi, per alcun tempo da venire, deputare, nè vestire i detti xx. Poueri come per detta prouisione dispone, la quale in questa parte s' intenda essere, e sia dopo la finale conclusione di questa reuocata; mà in loro luogo si possa, e debba per i Massai della Camera, che per i tempi saranno, vestire, ò far vestire insino x. Nouizi, e Professi del Conuento della detta Chiesa di Santa Maria del Carmine di Firenze, che per i tempi vi saranno, facendo detti vestiti secondo l' Habito, e modo della Regola loro, & & alle spese del Comune di Firenze, potendo spendere nel vestire di detti dieci Nouizij, e Professi, i quali s' habbino à deputare pe 'l detto Conuento di Santa Maria del Carmine di Firenze insino nella quantità, e somma di fiorini 30. d'oro, e non più, e del resto insino nella somma di fiorini settanta, come è ordinato per tali vestiti poterse spendere, cioè fiorini quaranta d'oro, si debba ne' Massai della Camera del comune di Firenze, che per i tempi saranno, far fare dodici vestiti della qualità, e forma consueta, de' quali vestiti, due se ne mandi alla Comunità di Anghiari, come si dispone per la prouisione sopra di ciò osseruata per li opportuni Cõsigli del mese di Giugno 1455. e di detti vestiti che vi restano siano tenuti detti Massai, strettissimamẽte aggrauando le loro coscienze, giurando prima i detti Massai nelle mani del loro Statuto di deputar poueri bisognosi, e mendicanti, e non altri in alcun modo, e per altri, che per i detti Massai in modo alcuno non si habbino à deputare, non ostante qualunque altro ordine in contrario disponente, non passando in tutto per detti dodici vestiti, oltre à dieci vestiti de' Nouizij, e Professi predetti la sopradetta somma di fiorini 40. d'oro, le quali somme, e quantità di fiorini 30. e di fiorini 40. in tutto di fiorini 70. come era ordinato potersi spendere per i vestiti de' sopradetti Poueri xx. si possa spendere, e pagare de' medesimi assegnamenti, che, e come era ordinato per i vestiti de' detti xx. Poueri, e così si possa, e debba pagare per Cassieri d Camera, che per i tempi seguenti, e senza pena alcuna, e che i detti diec Nouizi, e Professi, e dieci Poueri predetti, tutti così vestiti, debbino in

detto dì di San Pietro ogn'anno venire in Piazza del SS. e di detta Piazza del Senato partendo con vn torchietto in mano per ciascuno di loro, con le Trombe innanzi, andare alla detta Chiesa di San Pietro maggiore di Fiorenza, e starui alla Messa maggiore, & in tutto, e per tutto osseruare, e far'osseruare, e fare quanto era ordinato per i detti xx. Poueri per la detta prouisione, della quale di sopra è fatta mentione; salue le cose soprascritte, & ordinate &c.

Et arbitrantes Mag. D. præfati suprascripta omnia cedere ad honorem Cōmunis, habita primò supra infrascr. omnibus, & singulis die 7. mensis Iunij anni prædicti inter seipsos D. Priores, & Vexill. in sufficienti numero congregatos in Palatio Populi Florentini, deliberatione solemni, & inter eosdē facto solēni, & secreto Scrutineo, emisso partito ad fabas nigras, & albas, & obtento secundum ordinamenta dicti Communis, & postea successiue ipso eodem die sequenti facta deliberatione inter eosdem Dominos Priores, & Vexillif. & Gonfalonerios Societatum Populi, & duodecim bonos Viros dicti Communis solemniter in sufficientibus numeris, & in Palatio antedicto congregatos, facta prius proposita super infrascriptis omnibus, & celebrato inter ipsos omnes solemni, & secreto Scrutineo, missoque partito ad fabas nigras, & albas, & obtento secundum ordinamenta Communis prædicti, ipsis tamen omnibus, & singulis infrascriptis, diligenter primis examinatis, ac firmis per spectabiles Viros; Laurentium Crescij, Donatum x. Caroli Cauallereschi, Banchum Francisci de Casa vecchia, Baptistam Ioannis Iacobi Stasi, Bernardum Domini Laurentij Antonij Ridolfi, Ioannem Antonij Philippi Lorini, Iacobum Nicolai Franchi Sacchettis, Syluestrum Zenobij. Nicolai del Cea.

Dicti Communis ad hoc examinandum, & firmandum secundum ordinamenta Deputatorum proprio motu pro vtilitate Communis eiusdē, & omni modo, via, & iure, quibus magis, & melius potuerunt, prouiderunt, & deliberauerunt. Quod dicta vulgari scriptura, & omnia, & singula in ea contenta procedant, firmentur, & finiunt, & firma, & stabilita esse intelligantur, & obseruentur, & obseruari, & executioni mandari posśint, & debeant in omnibus, & per omnia, secundum dictę vulgaris Scripturæ continentiam, & tenorem. Non obstantibus in prædictis, vel aliquo prædictorum aliquibus Legibus, Statutis, Ordinamentis, prouisionibus, aut reformationibus Consiliorum Ciuitatis Florentiæ, obstaculis, seu repugnantijs quibuscumque, &c.

Qua prouisione lecta, & recitata, vt supra dictum est, Nobilis, & Patens Vir Loysius Sale, Philippi Marsilij, vnus ex Officialibus dictorum Priorum, & Vexillif. & tunc Præpositus dicti Officij, dd. DD. Priorum, & Vexill. in dicto Consilio præsentium in numero opportuno, præposuit inter dictos Consiliarios suprascriptam prouisionem, & contenta in ea, super quam petijt sibi per omnia pro dato communi bono, & vtile Consilium impartiri sub hac forma, videlicet.

Si videtur, & placet dicto præsenti Consilio, & Consiliarijs in eo præsen-

sentibus ipsam prouisionem, & contenta in ea fore vtilia pro Populo, & Cõmuni Florentiæ, post quæ illico dicto, & proclamato in dicto Consilio per præcones Communis eiusdem, vt moris est, quodlibet volens ad consulendum super prouisione, & proposita, & partitum faciente inter Consiliarios dicti Consilij in dicto Consilio præsentes numero 199. & datis recollectis, & numeratis fabis, repertum fuit 161. ex ipsis Consiliarijs dedisse fabas nigras pro sic, & sic secundum formam dictæ prouisionis obtentum, firmatum, & reformatum fuit; Non obstantibus reliquis 38. ex ipsis Consiliarijs repertis dedisse fabas in contrarium pro non.

Item postea eisdem anno, Indictione quartadecima mensis Iunij in Consilio Comunis Ciuitatis Florentiæ, lecta, recitata suprascripta prouisione; & super ea facto partito ad fabas nigras, & albas inter Consiliarios dicti Consilij in dicto Consilio præsentes num. 180. & datis, recollectis, & numeratis fabis repertum fuit 124. ex ipsis Consiliarijs dedisse fabas nigras pro sic, & sic, secundum formam dictæ prouisionis, obtentum, firmatum, & reformatum fuit; Non obstantibus reliquis 56. ex ipsis Cõsiliarijs repertis, dedisse fabas albas in contrarium pro non.

Acta fuerunt prædicta omnia, & singula suprascript. Florentiæ in Palatio Populi Florentini præsentibus Auerone Bartholomæi, Bartholomæi, Bernardo Nicolai, Marcosti Simonis, & Philippo Bannerij Ciuibus Florentinis approbatoribus Communis Florentiæ Testibus, &c.

Ad Annum 1440.

Circa hoc tempus, dignitate etiam Episcopali clarus, Henricus Marionovvensis Germanus in Ordine nostro effulsit circa Pannoniã. Qui, teste Baptista Mantuano, Astrorum, ac Cœli scientia claruit. Scripsit etiam *contra Simoniacos*; librum *de nostro Ordine*; librum *de Syderum cursu*. Ità planè de eo Posseuinus *in Apparatu Sacro* ex Bibliotheca Tigurina; Philippus Metius, & Biscarretus. Quis tamen locùs sui Episcopatus fuerit adhuc latet. Henricus Episcopus.

Ad Annum 1443.

Obijt sub hoc anno Reuerendissimus Dominus Episcopus Henricus BocK natione Germanus, Carmelita Coloniensis, vir ingeniosus, ac eruditus, qui post absoluta studia Philosophica, & Theologica, & aliqua munia in sua Prouincia obtenta, in Suffraganeum Spirensem assumptus, atque Myrensis Episcopus effectus fuit. Cumque aliquando idem Henricus in Carmelo Moguntino diuersaretur, ibidem aliqualem sui memoriam in fenestra quadam maioris Refectorij reliquit; vbi in Carmelitano habitu cum hac Inscriptione depictus cernitur. *R. Diss. Dominus Henricus Episcopus Myrensis Ordinis Carmel.* Qui rursum Colo- Henricus Bock.

niæ in natiuo suo Conuentu inter Illustres Viros eiusdem Carmeli in Camera hospitum hanc inscriptionem habet: *R. Dom. Henricus Bock Episcopus Myrensis, Suffraganeus Spirensis obijt anno* 1443. Hæc ex Relatione Germaniæ. Aliter de hoc Henrico loquitur Biscarretus, eum vocans Episcopum Croatiensem, & dicens scripsisse quædam opera. Cæterum in re dubia magis credendum præfatæ Relationi Germaniæ in viro Germanico.

Ad Annum 1450.

Conuentus Ostuni.

FVndatio Conuentus Ciuitatis Ostuni in Apuliæ Prouinciæ tribuitur hinc anno in quadam Relatione ad nos missa. In alia vero iussu Innocentij X. vt diximus sæpius, facta, dicitur anno 1486. fundatum fuisse, & habere titulum SS. Virginis de Monte Carmeli.

Ad Annum 1452.

Hilgerus de Burgis.

REferendus etiam pro hoc tempore inter Ordinis egregios Alumnos Hilgerus, siue Heylgerus de Burgis, natione Germanus, professione Coloniensis, eiusdemque vniuersitatis Theologus, quem ob excellentem doctrinam, morum suauitatem, vitæque integritatem, Archiepiscopus, ac Princeps Coloniensis Theodoricus de Morsa, post decessum Conradi Arnsberg etiam Carmelitæ, in suum elegit Pœnitentiarium, siue in moderanda conscieutia directorem: de quo extant litteræ Magnifici Rectoris almæ Vniuersitatis Coloniensis Iacobi Clant, nomine eiusdem Vniuersitatis anno Christi 1444. ad Capitulum Generale Ordinis Carmelitarum Cabilonense in recommendationem eiusdem Hylgeri scriptæ, quarum est initium. *Reuerendi Magistri, ac Patres dilecti, &c. Cum Frater Heylgerius de Burgis Pænitentiarius Reuerendi in Christo Patris, & Domini nostri gratiosi Theodorici Archipræsulis Coloniensis, &c.* Qui Princeps eundem aliquando post tempore in suum quoque elegit Suffraganeum, seu Generalem in Pontificalibus Vicarium Coloniensem, & Episcopum Buduanensem, prout habetur in Collectaneis Steph. Bylmanni Iuris Cons. & Ioann. Gelenij Vicarij Coloniensis in spiritualibus, qui in hunc modum eius meminerunt. *Dominus Hylgerus Episcopus Buduanensis Ordinis Carmelitarum Suffraganeus Reuerendi Domini Theodorici de Mursa Archiepiscopi Coloniensis* 1440. Habetur depicta eius effigies inter alios illustres viros Cœnobij sui Coloniensis in aula hospitum, vt vocant, cum hac inscriptione: *Reuerendus Dominus Hylgerus Episcopus Buduanensis, Suffraganeus Coloniensis vixit anno* 1440. Tandem quoque idem Aylgerus Leodiensis Suffraganeus factus fuisse memoratur, ibidemque extremum suum clausisse diem apud Carmelitas in Choro sepultus anno Christi 1452. temporibus Nicolai Papæ Quinti, & sæpè dicti Archiepiscopi Theodorici de Mursa, vt habetur

in

in Catalogo quodam quinque Episcoporum, & Suffraganeorum Leodiensium, in eodem Carmelo sepultorum, his verbis: *Reuerendiss. Pater Hylgerus à Burgis Episcopus Buduanensis* 1452. Hæc habemus ex Relatione Episcoporum Ordinis nostri in Germania.

Pro hoc insuper anno extat Instrumentum quoddam, ex quo habetur, Mazarini Siciliæ Oppido, Diœces. Syracusanæ extitisse Conuentum nostrum. Eius titulus est, Sanctissimæ Annunciatæ, sicut, & plurium aliorum eiusdem Insulæ, propter causam, quam non semel assignauimus. Ex relatione Conuentuum Italiæ iussu Innocentij Decimi facta. Conuentus Mazarini.

Ad Annum 1470.

PRo hoc tempore refertur inter Ordinis nostri Professores Simon de VVormatia, Germanus natione, & eiusdem VVormatiensis Carmeli incola, Vir doctus, ac prudens, à VVormatiensi (vt opinor) Antistite in suum assumptus Suffraganeum, Magionensis Episcopus effectus est: ex humanis autem abijt, & depositionis locum accepit in antedicto Monasterio suo VVormatiensi, temporibus Pauli Papæ Secundi, anno Christi 1470. die 28. Mensis Augusti. De quo in libro Anniuersariorum eiusdem Carmeli subscripta leguntur: *Anniuersarium Reuerendi Patris, & Domini in Christo Patris, & Domini Simonis, Dei gratia, Episcopi Magionensis Ordinis nostri, qui obijt ipso die Sancti Augustini, & est sepultus in introitu Chori sub campana Anno* 1470. Hæc ibi. Simon de VVormatia.

Ad Annum 1463.

NOn obstantibus autem, quæ de Conuentu Partanensi in Sicilia sub anno 1423. diximus ex Pyrrho, nihilominus sub hoc anno erectus, & fundatus dicitur de consensu Superiorum, & eleemosynis Illustriss. Patronorum eius Terræ, & populi sub titulo Sanctissimæ Annuntiatę, iuxta laudabilem morem maximæ partis Conuentuum Siciliæ. Sic ex Relatione Conuentuum Italiæ facta iussu Innocentij Decimi. Conuentus Portanæ.

Ad Annum 1471.

QVo etiam anno Conuentus Cilsenti Prouinciæ Neapolis fundatorem habuit Patrem Angelum Sorbato Ordinis nostri, qui ex eleemosynis à pijs, & deuotis Viris emendicatis, eum erexit; eodemque anno Ecclesia ipsius Consecrationis munus accepit ab Illustrissimo Domino Francisco Comite Episcopo Capaccino. Anno etiam 1477. idem Angelus obtinuit à Paulo Secundo Papa, vt ibi introduceretur Religio nostra; sicque cœpit fabricari, & à Fratribus inhabitari. Sic habemus in Relatione sępius relata sub Innocentio X. Cilsenti.

Ex

Castelli de Mari. Ex eadem quoque Relatione constat eodem similiter anno fundatum fuisse Monasterium *Castelli de Mari* nuncupatum, consentiente Domino Petro de Flore eiusdem Ciuitatis Episcopo; ac Fundatorem extitisse Ludouicum Sansonem nostrum Neapolitanum. Pertinet etiam hic Conuentus ad Neapolitanam Prouinciam.

Sambucæ. Similiter, vt constat ex eadem relatione, hoc eodem anno initium habuit Monasterium Terræ della Sambuca in Regno Siciliæ, cum consensu Superiorum, & populi eleemosynis. Titulum autem habet Annuntiatæ Virginis.

Ad Annum 1474.

Trini. ADiectum est hoc anno Ordini nostro, & Congregationi Mantuanæ Conuentus *Trini* sub titulo *S. Mariæ Gratiarum*, annuente Guillelmo Montisferrati Marchione; sub Magistro Thoma de Carauaggio. Habetur hoc ex memoria Archiuij Sancti Chrysogoni, vbi etiam, quod hic Conuentus adiunctus est Congregationi Mantuanæ, Gerundę, & Syluarum.

Ad Annum 1478.

S. Georgij. COnuentus Terræ Sancti Georgij Prouinciæ Romandiolæ fundatio facta per Canonicos Ecclesiæ Lateranensis huic anno tribuitur: sub titulo Sanctæ Mariæ del *Castagneto*. Constat ex quodam Instrumento ipsorum Canonicorum, & relatione facta iussu Innocentij Decimi.

Ad Annum 1482.

Thossanus de Villanoua. ORdinem sub hoc tempore decorabat insignis quidam Pater Thossanus de Villanoua, alijs Thussanus Cauerijs, à Villanoua natalitio loco nũcupatus, Conuentus Molinensis in Borbonia Prouinciæ Narbonæ Alumnus; Doctor Parisiẽsis, in qua Vniuersitate fuerat promotus extra Capitulum Generale, licet ipse destinatus fuisset ad legendum Biblia, & Sententias ibidem à Capitulo Generali Romæ celebrato 1443. quare illius promotio postea approbata fuit à Capitulo etiã Generali Auenioni 1451. Anno vero 1460. à Capitulo Prouinciali suæ Prouinciæ congregato Turoni, electus fuit Socius, & Diffinitor pro Capitulo Generali, quod Bruxellis celebratum fuit post duos annos. Postea præfuit suo Capitulo Prouinciali 1464. & electus Prior Prouincialis, & continuatus in Conuentu Claramontano 1466. Reliquis autem eius gestis hic adiungimus Elogium ipsius ex Galliarum partibus ad nos transmissum, quod tale est: *Thossanus de Villanoua, natione Gallus, Sacræ Theologiæ Magister eximius, Ordinis Fratrum de Monte Carmeli: fuit Prouinciæ Narbonensis Prouincialis,*

& de-

& defuncto Magistro Ioanne Maureli Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Sacra Pagina Professore, Consiliario, & Confessore præcipuo Ioannis Ducis Borbonij, & Aluerniæ, Comitis Claromontensis, Forensis, & Insulæ Iordanis. Domini Belli Loci, *Darls, & Camerariæ Franciæ* Locumtenentis *Generalis Regis, & linguæ Occitanæ gubernatoris, fuit factus Consiliarius, & Confessor præcipuus eiusdem Domini* Ducis Borbonij, *vt cõstat ex litteris patentibus datis apud Motam Daigu die 24. Augusti 1467. Deinde post obitum Palamedis Carreti Episcopi Cauallicensis, eodem munere fuit decoratus. Ipse sui Episcopatus, & Ecclesiæ Cauallicensis reditus plurimum auxit, Palatium Episcopale restaurauit, ac decorauit, & in eo* Diuo *Andreæ Apostolo Sacellum dicauit. Aliudque construxit in agro Cauallienſi in honorem Deiparæ Virginis, sub vocabulo, Nostræ Dominæ de Pietate, ad quod hodierna die multa habetur dèuotio. De plebe sua meritissimus, summam, atque perpetuam laudem sibi comparauit, hoc enim, quasi per excellentiam ab omnibus vocabatur nomine, nempe* Bonus *Episcopus. quod encomium adhuc habetur de eo in Ciuitate Cauallienſi. Anno 1482. & sui Pontificatus decimo sexto Officium, & legendas Sancti Veiani Episcopi, & Patroni Cauallienſis, quæ antea fuerant neglecta, in elegantiorem formam ordinauit, curauitque scribi, ac ornari litteris, &* Imaginibus *pretiosissime depictis. Obijt Cauallioni, & iacet in Ecclesia Cathedrali eiusdem Ciuitatis. Insignia sunt Campus cæruleus, & barra aurea cum tribus margaretis syluestribus in eadem, prout hic. Hæc deprompta ex antiquis scripturis, & traditionibus, seu memorijs extantibus penes Dominos Ludouicum, & Federicum Lamberti Patrem, & Filium Notarios Caualliceri.*





INDEX
RERVM, ET PERSONARVM, MAGIS NOTABILIVM,
Quæ in hoc quarto Tomo ANNALIVM REFERVNTVR.

In quo Numerus denotat paginam.



A

a

Arnol-

Quando

B

C

Calen-

Castri

Taxis

D

E

liam.

G

Epi-

H

B. Auer-

I

K

L

M

ma-

de

N

cen-

P

Eus-

Q

obe-

S

Alum-

V

Xeno-

X

FINIS.



PROTESTATIO AVCTORIS,

Iuxta decreta fel. record. Vrbani VIII. in huius libri fine apponenda.

LEctor aduerte in Elogijs Virorum illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ Sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ, cum vires humanas superent, miracula videri possunt, præsagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus; demum nonnullis Sanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquam, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeo non aliter, quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integre, atque inuiolate, iuxta declarationem eiusdem decreti à Sanctissimo D. N. D. Vrbano Papa Octauo anno 1631. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere; seu augere; nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusa hac mea lucubratione, obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sancte profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.

FINIS.